

F. LUCII FERRARIS

BIBLIOTHECA

CANONICA JURIDICA MORALIS THEOLOGICA



F. LUCII FERRARIS

SOLER-ALEXANDRINI ORD. MIN. REG. OBS. S. FRANCISCI LECTORIS JUBILATI
EXPROVINCIAL. EXAMIN. SYNODALIS AC S. O. CONSULTORIS

PROMPTA

BIBLIOTHECA

CANONICA JURIDICA MORALIS THEOLOGICA

NEC NON

ASCETICA POLEMICA RUBRICISTICA HISTORICA

EDITIO NOVISSIMA

MENDIS EXPURGATA

NOVIS AD SINGULAS FERE VOCES ADDITAMENTIS NOVISQUE ARTICULIS LOCUPLETATA TUM PECULIARIBUS SUMMARIIS TUM GENERALI MATERIARUM INDICE INSTRUCTA ADJECTA AD CALCEM CUJUSCUMQUE VOLUMINIS ABSOLUTISSIMA APPENDICE EX OMNIUM SS. CONGREGATIONUM DECRETIS QUAE VEL IN ANTEACTIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR VEL DEINCEPS USQUE AD PRAESENS LATA SUNT JUXTA VOCUM HUJUSCE BIBLIOTHECAE SERIEM DIGESTIS

OPERA ET STUDIO MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

ABBATIAE MONTIS CASINI

PATRONO ET AUSPICE

VIRO EMINENTISSIMO

NICOLAO S. R. E. CARDINALI WISEMAN

ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERII.



TOMUS SEXTUS



NEAPOLI

TYPIS AGRELLI PROPE COENOBIUM S. THERESIAE AD STUDIA

MDCCCLIV.

SUPERIORUM PERMISSU ET PRIVILEGIO.



BIBLIOTHECA

F. LUCII FERRARIS

PAPALIS BENEDICTIO

Quid novissime statuerit Clemens XIII. circa *Benedictionem*, quam vocant *Papalem*, cujus impertiendae aliquoties infra annum facultatem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, etc. (eam auferendo ceteris Ecclesiasticis omnibus) tribuit, cum praescriptione ritus in casu servandi; vide t. 1. verb. *Benedicere Benedictio* art. 5. *n.* 63. ubi ad litteram adducuntur ea de re editae laudati Pontificis *Apostolicae Litterae*.

PARAMENTA SACRA

SUMMARIUM

1. Paramenta Sacra ex Glossa *in cap. Ad Nuptiarum* 43. *de Consecratione*, non debent fieri ex vestibus mulierum. — 2. At vero Barbosa, Lezana, Quarti, et alii sustinent contrarium. — 3. Paramenta Ecclesiastica debent esse munda, honesta, et proportionata usui, et Ministerio, ad quod accomodantur. — 4 Paramenta Ecclesiastica, et praesertim Sacerdotalia debent esse benedicta. — 5. Unde celebrare sine vestibus, seu paramentis benedictis, aut cum antiquis non benedictis, regulariter sine justa caussa est peccatum mortale. — 6. Qui possint paramenta Ecclesiastica, et vestes Sacerdotales benedicere? *remissive*. — 7. Quae sint paramenta, et ornamenta necessaria pro celebratione Missae? *remissive*. — 8. Paramenta Sacra non possunt amplius converti in usus profanos. — 9. Nec ad alios usus, quam quibus dedicata sunt, transferri debent. — 10. Paramenta Sacra, cum fuerint vetustate consumpta, incendio danda sunt, et cineres in Baptisterio, vel alio loco honesto condi. — 11. Paramenta pretiosa nequeunt alienari sine justa caussa, et debita solemnitate. — 12. Immo nequeunt hypothecari, et oppignorari. — 13. Cum justa tamen caussa, et solemnitate debita possunt hypothecari, et oppignorari, et alienari. — 14. Quae, et quot sint istae caussae, et solemnitates? *remissive*. — 15. Paramenta Sacra, quando urgente aliqua justa caussa alienantur, oppignorantur, vel hypothecantur, tunc non debent alienari, oppignorari, vel hypothecari, nisi ad servitium, et ministerium alterius Ecclesiae, et Altaris, et ad usus sacros, et pios. — 16. Paramenta Sacra, si absque necessitate vendantur, hypothecentur, vel oppignorentur etiam ad usus Sacros, et pios, et ad servitium alterius Ecclesiae, cum vendantur solum ratione materiae, qua constant, et non quatenus Sacra sunt, committitur quidem Sacrilegium, sed non Simonia. — 17. Paramenta, et vasa Sacra, licet ex justis caussis vendi possint etiam Laicis, et ad usus profanos, tamen prius confracta, et conflata esse debent. — 18. Paramenta Ecclesiastica, et Sacra execrantur, et benedictionem amittunt, ac nova indigent, quando ita franguntur, et in eo statu ponuntur, ut non possint amplius decenter inservire usui Sacro, cui fuerant deputata, aut non amplius priorem figuram retineant. — 19. Hinc Stola facta de planeta benedicta debet iterum benedici. — 20. Secus autem si de Stola fiat Manipulus. — 21. Alba non indiget nova benedictione, si ad eam reficiendam aliqua adjungantur, quorum additione remanet adhuc prior figura, etiamsi quae adduntur non sint benedicta. — 22. Si vero refectio fiat secundum majorem partem tam ipsius Albae, quam alterius paramenti, seu ornamenti, opus est nova benedictione. — 23. Paramenta non benedicuntur substantialiter per usum in Sacrificio mala fide factum. — 24. An autem benedicantur per usum bona fide factum? *remissive*. — 25. Paramenta Altaris, et Celebrantis, et Ministrorum debent esse coloris convenientis Officio, et Missae diei secundum usum Romanae Ecclesiae, quae quinque coloribus uti consuevit, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, et Nigro. — 26. Rubrica de coloribus paramentorum non est praeceptiva, sed directi-

ve, unde non inducit rigorosam obligationem. — 27. Potest tamen peccari venialiter, si absque rationabili caussa varietur communis Ecclesiae Ritus circa colores: Immo etiam mortaliter, si ex circumstantiis timeatur grave scandalum. — 28. Color aureus, sive croceus se quivalet omni colori: non videtur tamen absolute substituendus pro colore nigro, et violaceo — 29. Paramenta a Dignitatibus, et Canonicis sumenda sunt juxta regulas libri Caeremonialis in processionibus, et Solemnitatibus pontificalibus; licet praebendae non sint distinctae. — 30. Paramenta nova, et antiqua mutare possunt Canonici absque consensu Episcopi, etsi de aliis mobilibus adsit consuetudo, quod de consensu Episcopi id fiat. — 31. Solis Episcopis licet sumere paramenta de Altari — 32. Hinc neque Abbates possunt sumere Sacras vestes de Altari, nisi pontificaliter Divinis vacaturi. — 33. Episcopus tenetur providere de illis paramentis, quae deserviunt pro sua persona, vel pro Altari Majori; sed pro aliis Altaribus, et Sacristia providebuntur decenter a Capitulo. — 34. Sedes Archiepiscopalis aere proprio Archiepiscopi, non ex Sacristiae Sacris vestibus ornanda est. — 35. Non potest Episcopus uti paramentis Cathedralis extra ipsam Cathedralem. — 36. Omnia, et singula ornamenta, et paramenta Capellarum Praelatorum decedentium non faciant spolium, sed pro rata dividuntur Ecclesiis, et Monasteriis, quae possidentur in Titulum, vel Commendam. — 37. Paramenta, et ornamenta pretiosa quando possint habere in eorum Ecclesiis fratres Minores Reformati? — 38. Sub excommunicationis latae sententiae Papae reservatae, ac privationis vocis activae, et passivae poenis prohibetur, ne quisquam paramenta, et ornamenta Ecclesiastica extrahat ab Ecclesiis Caelestinorum Ordinis S. Benedicti, et commodentur aliis Ecclesiis, nec ut id fiat, permittere audeat. — 39. Fratres Minores de Observantia sub gravissimis poenis prohibentur aliis commodare paramenta, ornamenta, Vasa, et hujusmodi suarum Ecclesiarum. — 40 Fratres Minores de Observantia possunt habere paramenta, et Ornamenta pretiosa pro suis Ecclesiis. — 41. Paramenta Sacra, Vestes, et Vasa ad Ministerium Divinorum consecrata non debent commodari ad usus Laicales, et profanos. — 42. Alia ad rem, *remissive* — 43. Subnectuntur Additiones ex aliena manu ad *n.* 48.

1 Paramenta Sacra ex Glossa *in c. Ad nuptiarum* 43. *de consecr. dist.* 1. non debent fieri ex vestibus mulierum, ibi: « Ex veste alicujus Dominae, vel alterius non debet fieri casula, vel aliquis ornatus Ecclesiae »; et hanc Glossam sequuntur Bacco *in* 4. *dist.* 11. *q.* 1. *art.* 5. et alii, quos tacito nomine citant Barbosa *lib.* 3. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 2. *n.* 33. et Suarez *disp.* 81. *de Sacrificio sect.* 8. §. *Sed quaeres*, et hujus opinionis videtur esse etiam Matthaeucci *Officialis Curiae c.* 7. *n.* 33. et alii: *arg. cap. Vestimenta* 42. *et cit. cap. Ad nuptiarum* 43, *de consecrat. dist.* 1. *et cap. ad haec.* 4. *de Religiosis Do-*
2 *mibus*. At vero ipse Barbosa *loc. cit. n.* 33. tenet contrarium; dicit enim expresse: « Non prohibetur autem Sacras Vestes, et alia ornamenta Ecclesiae ex materia profana, vel etiam muliebri veste fieri, quamvis aliqui per *Gloss. in cap. ad nuptiarum, de consecrat. dist.* 1. *et* in c. *Ad haec, de Religiosis Domibus*, contrarium senserint, quia per consecrationem Episcopi sanctificantur, et templa Idolorum in Ecclesias convertuntur ». Idem expresse tenet Lezana *Summa q. Regularium t.* 4. *verb. Paramenta Sacra n.* 3. ubi dicit, quod ornamenta, seu paramenta Sacra possunt fieri ex materia etiam profana, vel etiam ex mulierum vestibus, non solum propter vivae vocis oraculum Sixti IV. pro Minoribus, quod refert Casarubius *in Compend. privileg. Mendicant. verb. Ornamenta Ecclesiastica n.* 6. sed etiam Jure communi; quia per benedictionem sanctificantur, et ex profanis fiunt Sancta, et Sacra. Et idem absolute tenet Quarti *Comm. in Rubr. Missalis part.* 1. *tit.* 19. *dub.* 4. ubi dicit, quod communis, et vera sententia docet hoc licite fieri posse absque ullo scrupulo. Tum quia hoc nullibi reperitur prohibitum: Tum quia ex communi usu Fideles vestes pretiosas Ecclesiis donant, ut ex illis conficiantur casulae, et paramenta Altaris; et Praefecti Ecclesiarum etiam doctissimi ita exequuntur; Tum etiam, quia constat ex praxi communes Domos nonnunquam in Templa converti, exemplo Marcelli Papae, qui Domum Lucinae in Ecclesiam consecravit, et Bonifacii IV. qui Pantheon Templum Idolorum consecravit in honorem omnium Sanctorum. Immo id expresse concessit Sixtus IV. Fratribus Minoribus, ut refert Casarub. in compendio Privilegiorum verb. Ornamenta Ecclesiastica *n.* 6.

Paramenta Ecclesiastica debent esse munda, 3
honesta, et proportionata usui, et Ministerio, ad quod accomodantur; *c. Vestimenta* 42. *de consec. dist.* 1. *cap. Relinqui* 2. *de Custodia Eucharistiae*.
Paramenta Ecclesiastica, et praesertim vestes, 4
quibus Sacerdos utitur in Missa, uti Amictus, Alba, et hujusmodi, debent esse benedicta, ut colligitur *ex cit.* c. *Vestimenta* 42. *de consecrat. dist.* 1. antiqua Ecclesiae consuetudine, et benedictionibus pro hac re institutis, et contentis in Caeremoniali Romano. Unde celebrare sine vestibus, 5
seu paramentis benedictis, aut cum aliqua non benedicta, regulariter sine justa causa est peccatum mortale; quia est contra Ecclesiae praeceptum, et consuetudinem in re gravi. *Communis*.

Qui autem possint paramenta Ecclesiastica, et 6
vestes Sacerdotales benedicere; Vide verb. *Benedicere. benedictio art.* 1. *a n.* 17. *ad* 21. et verb. *Vasa Sacra n.* 2. *et* 3.

Quae sint paramenta, et ornamenta necessaria 7
pro celebratione Missae? Vid. verb. *Missa art.* 10. *per tot.*

Paramenta Sacra non possunt amplius converti 8
in usus profanos, quia semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum, textu expresso in *c. Semel* 51. *de Reg. Juris in* 6. et concordat c. *Quae semel* 4. *caus.* 19. *q.* 3. Nec ad 9
alios usus, quam quibus dedicata sunt, transferri

debent; c. *Vestimenta* 42. *et cap. Ad nuptiarum* 43.
10 *de consecrat. dist.* 1. Paramenta sacra, cum fuerint vetustate consumpta, Incendio danda sunt, et cineres in Baptisterio, vel alio loco abdito, et honesto condi, ne forte transeuntium pedibus conterantur; *cap. Altaris palla* 37. *de consecrat. dist.*
11 1. Paramenta pretiosa nequeunt alienari sine justa causa, et debita solemnitate; *cap. Final. de rebus Ecclesiast. non alienand. Clemen.* 1. *eod. tit. Extravagant. Ambitiosae eod. tit. inter communes.*
12 Immo non possunt hypothecari, et oppignorari; *cit. Extravagant. Ambitiosae* cum aliis Juribus ad-
13 ductis sub verb. *Alienatio art.* 2. *n.* 1. Dicitur autem notanter *sine justa causa*, *et debita solemnitate;* quia, istis intervenientibus, et concurrentibus, possunt hypothecari, oppignorari, et alienari, ut patet ex variis Juribus adductis sub. verb. *Alie-*
14 *natio art.* 2. *n.* 1. *ad* 9. Quae autem, et quot sint istae causae, et solemnitates? Vide *dict. verb. Alienatio art.* 2. *a n.* 2. *ad* 9.
15 Paramenta Sacra, quando urgente aliqua justa causa alienantur, oppignorantur, vel hypothecantur, tunc non debent alienari, oppignorari, vel hypothecari, nisi ad servitium, et ministerium alterius Ecclesiae, et Altaris, et ad usus Sacros, et
16 pios; *c. Ligna Ecclesiae* 36. *de consecr. dist.* 1. Paramenta Sacra, si absque necessitate vendantur, hypothecentur vel oppignorentur, etiam ad usus sacros, et pios, et ad servitium alterius Ecclesiae, quamvis vendantur solum ratione materiae, qua constant, et non quatenus Sacra sunt, adhuc committitur Sacrilegium propter irreverentiam, quae fit rebus Sacris, dum sine necessitate venales fiunt: Non tamen committitur Simonia; quia non venduntur, quatenus Sacra sunt, pro pretio temporali: Covarruv. *lib.* 3. *variar. cap.* 16. *n.* 8. Molina *de justitia tract.* 2. *disp.* 240. *vers. Res item Sacra*, Navarr. *in Manual. cap.* 17. *n.* 205. Bar-
17 bosa *lib.* 3. *Juris Eccles. univers. c.* 2. *n.* 47. et alii passim. Paramenta, et Vasa Sacra, licet ex justis causis vendi possint etiam Laicis, et ad usus profanos, tamen prius confracta, et conflata esse debent; *cap. Aurum* 69. *caus.* 12. *qu.* 2. cum ibi notatis, Sanchez *tom.* 2. *consil. moral. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 15. *Quarto dico*, Barbosa *loc. cit. n.* 48. Lezana *cit. tom.* 4. *verb. Vasa Sacra n.* 6. et alii passim.
18 Paramenta Ecclesiastica, et Sacra execrantur, et benedictionem amittunt, ac nova indigent, quando ita franguntur, et in eo statu ponuntur, ut non possint amplius decenter inservire usui sacro, cui fuerant deputata, aut non amplius priorem figuram retineant: Barbosa *loc. cit. n.* 36. Lezana *loc. cit. tom.* 4. *verb. Paramenta Sacra n.* 3. Armilla verb. *Benedicere n.* 3. Angelus verb.
19 *Benedictio n.* 3. et alii. Hinc Stola facta de Planeta benedicta debet iterum benedici, quia ad ipsam est data particularis Benedictio, et est mutata forma, quae dabat esse rei: Paul. Fuschius *de Visit. lib.* 1. *c.* 25. *n.* 15. Ugol. *de potest. Episcop.* *c.* 32. §. 1. *n.* 6. Barbosa *l. cit. n.* 48. Matthaeuc.
loc. cit. n. 22. et alii. Secus autem si de Stola fiat 20
Manipulus. Antonel. *de Regimin. Eccles. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 13. Matthaeucc. *Official. Curiae cit. cap.* 7. *n.* 22. et alii.

Alba non indiget nova Benedictione, si ad eam 21
reficiendam aliqua adjungantur, quorum additione remanet adhuc prior figura, etiamsi quae adduntur, non sint benedicta; *arg. c. Quod in dubiis* 3. *de consecrat. Eccles. vel Altar.* Accessorium enim naturam sequi congruit principalis, *cap. Accessorium* 42. *de Regul. juris in.* 6. Barbosa *loc. cit. n.* 37. Armilla, Angelus *loc. cit.* et alii. Si ve- 22
ro refectio fiat secundum majorem partem, tam ipsius Albae, quam alterius paramenti, seu ornamenti, opus est nova Benedictione, quia non retinet priorem figuram, et materia addita non benedicta est major priori materia benedicta; *arg. cap. Si Ecclesiam unic. de consecrat. Eccles. in* 6. addita ibi ratione: « Ne minus dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videantur ». Vide verb. *Ecclesia art.* 4. *n.* 25. Paramenta non 23
benedicuntur substantialiter per usum in Sacrificio mala fide factum: La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 252. cum pluribus ibi citatis. An autem benedi- 24
cantur per usum bona fide factum? Vide verb. *Calix n.* 20.

Paramenta Altaris, Celebrantis, et ministrorum 25
debent esse coloris convenientis Officio, et Missae diei secundum usum Romanae Ecclesiae, quae coloribus uti consuevit, Albo, Rubro, Viridi, Violaceo, et Nigro; *Communis* ex Rubrica Missalis *de color. Parament.* Rubrica de coloribus Paramento- 26
rum non est praeceptiva, sed directiva, unde non inducit rigorosam obligationem; quia praeceptum S. Pii V. latum in Bulla Missalis, ex quo Rubricae vim obligandi habent, non se extendit ad hanc Rubricam de coloribus: Quarti *Comment. ad Rubr. Missal. qu. proem. sect.* 2. *punct. Colligitur* 4. *et par.* 1. *tit.* 18. *dub.* 1. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 82. *sect.* 2. §. *Secundo est observandum;* Homobonus *in examine par.* 3. *tract.* 4. *c.* 15. *qu.* 144. Diana *par.* 1. *tract.* 14. *resolut.* 57. Aversa *de Sacrificio quaest.* 11. *sect.* 13. §. *Rursus.* La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 340. et alii notanter, quod neque etiam de materia, ex qua confici debent ipsa paramenta, aliquid reperitur statutum sub praecepto, quae tamen majoris momenti est, quam sint colores, adeoque etc.

Potest tamen peccari venialiter, si absque ra- 27
tionabili causa, ex negligentia v. g. vel simili motivo, varietur communis Ecclesiae ritus circa colores. Immo si ex circumstantiis timeretur grave scandalum, v. g. si in die Paschatis quis celebraret in paramentis nigris in publica Ecclesia, non excusaretur a peccato mortali: Quarti *cit. par.* 1. *titul.* 18. *dub.* 1. Gobat *in Exper. tract.* 3. *num.* 382. La Croix *loc. cit. n.* 340. et alii. Color au- 28
tem aureus, seu croceus aequivalet omni colori, quia omnes ad illum concurrunt: La Croix *loc. cit.*

n. 340. Quarti *cit. par.* 1. *tit.* 18. *dub.* 2. qui tamen dicit, quod non videtur absolute substituendus pro colore nigro, et violaceo in diebus jejuniorum, et afflictionis.

29 Paramenta a dignitatibus, et canonicis sumenda sunt juxta regulas libri caeremonialis in processionibus, et solemnitatibus Pontificalibus, licet Praebendae non sint distinctae: *Sac. Congreg. Rit. in Alexandrina* 17. *Mart.* 1608. *in respons. ad dubium nonum*, quam refert Aidan. *in compend. canonic. resolut. lib.* 1. *tit.* 33. *n.* 50. et Barbosa *Sum. Apostol. dec.* verb. *Paramenta n.* 1.

30 Paramenta nova, et antiqua mutare possunt Canonici absque consensu Episcopi, etsi de aliis mobilibus adsit consuetudo, quod de consensu Episcopi id fiat: *Sac. Congr. Conc. in Maxien.* 23. *Aug.* 1631. apud Aidan. *loc. cit. n.* 52. et Barbosam *loc. cit. n.* 2.

31 Solis Episcopis licet sumere paramenta de altari: *Sacr. Congregat. Rit.* 7. *Jul.* 1612. apud Gavant. *in Rubr. Missal. par.* 2. *tit.* 1. *n.* 2. *in princip.* et apud. Barb. *loc. cit. n.* 3. ubi habetur, quod paramenta non debent poni in altari, nisi pro solis Episcopis, et Cardinalibus.

32 Hinc eadem Sacra Congreg. Rit. in decreto generali circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum coram Sanctissimo Domino Nostro Alexandro Papa VII. emanato die 27. Septembr. 1659. §. XI. statuit, quod « sacras vestes ex altari non sumant, nisi Pontificaliter divinis vacaturi, et ibidem §. XXI. statuit, quod in Missis privatis quo ad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum, et benedictionis largitionem, a simplici Sacerdote non discrepent; ac proinde Sacras vestes induant in Sacristia, neque utantur cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi, et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super altari adhibeant ». Et denuo die 20. Julii 1660. in declaratione praedicti decreti, « Ad §. undecimum, quo sacras vestes ex altari sumere Abbates privatim celebraturi prohibentur, asserentibus monachis, se hactenus tali privilegio gavisos esse, Sacra Congregatio censuit servandum esse decretum. Et ad §. XXI. quo in Missis privatis prohibentur Abbatibus quivis ritus, et praerogativae ad Episcopos privative spectantes, exponentibus monachis, Abbates Casinenses hactenus in Missis privatis adhibuisse quatuor candelas, ministros ad lotionem manuum, et duos assistentes cum cotta etc. Sacr. Congregat. censuit servandum esse decretum ». Vide verb. *Abbas n.* 13. ubi per extensum datur totum decretum cum sua declaratione.

33 Episcopus tenetur providere de illis paramentis, quae deserviunt pro sua persona, vel pro altari majori, sed pro aliis altaribus, et Sacristia ea providebuntur decenter a Capitulo: *Sac. Congregat. Episcop. in Maceraten.* 9. *Jun.* 1583. apud Nicol. *in Lucubrat. tom.* 2. *lib.* 1. *tit.* 26. *n.* 6.

Sedes Archiepiscopalis aere proprio Archiepiscopi, non ex Sacristia sacris vestibus ornanda est: *Sac. Congr. Conc. in Messan.* apud Nicol. *in Flosc. verb. Sedes n.* 3. 34

Non potest Episcopus uti paramentis Cathedralis extra ipsam cathedralem: *Sacr. Congreg. Episcop. in Savonen.* 3. *Mart.* 1579. *et in Fundana* 2. *Aug.* 1652. apud Nicol. *in Flosculis, verb. Episcopus n.* 25. 35

Omnia, et singula ornamenta, et paramenta, ac vasa, necnon Missalia, et gradualia, et cantus firmi, et musicae, ac alii libri, et aliae res sacrae, etiam auri, et argenti, ac quaecumque alia bona per quoscumque Abbates, seu Commendatarios, et alios quoscumque, qualiacumque beneficia Ecclesiastica etiam quorumvis Ordinum regularia obtinentes ad usum, et cultum divinum, etiam in eorum privatis aedibus, et capellis, vel oratoriis destinata, tempore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relicta, sub quibusvis facultatibus testandi, et alias disponendi de bonis, non comprehendantur, nec sub appellatione spoliorum veniant, sed ad singulas Ecclesias, Monasteria etiam Conventu carentia, et beneficia hujusmodi (in quibus resederint, aut quibus praefuerint, seu quae alias obtinuerint) omnino pertineant. Quod si aliquis ex praefatis Abbatibus, seu Commendatariis, et aliis Beneficiatis, pluribus Ecclesiis, seu Monasteriis pro tempore simul, vel successive praefuerit, seu plura beneficia obtinuerit, ornamenta, et paramenta, ac res, et bona praedicta ad illa omnia (habita ratione fructuum, et temporis, quo eadem Beneficia possedit) spectent omnino, et proportionaliter inter ea dividantur: Pius V. apud Cherubin. *in Bullar. Rom. tom.* 2. *Const.* 42. quae incip. *Romani*, et referunt etiam Quaranta *in Sum. Bullar. verb. Spolia Clericorum pag. mihi* 482. Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 3. *disp.* 16. *quaesito* 2. *n.* 2. *pag.* 268. 36

In Ecclesiis, quas nunc habent, et quas in posterum aedificabunt, vel quovis modo obtinebunt Fratres Minores Ordinis Sancti Francisci de strictiori Observantia, seu Reformati, in quibus non sunt organa, vel paramenta, aut vasa ecclesiastica, non possint ea de novo facere, nec etiamsi piorum eleemosynis, vel donatione, aut quovis alio titulo offerentur, seu fierent, illa valeant acceptare, sed teneantur observare regulam, cum declarationibus Nicolai III. et Clementis V. ac VIII. In Ecclesiis vero, quas nunc habent, vel in posterum habebunt, et acceptabunt; sive Fratrum de familia, sive quavis alia concessione obtinebunt, in quibus essent hujusmodi organa, et paramenta, ac vasa eisdem Ecclesiis applicata, conceditur, quod sine scrupulo aliquo, et conscientiae onere possint ea tenere, et illis uti, donec duraverint: Clemens VIII. apud Cherubin. *in Bullar. Rom. tom.* 3. *Const.* 84. quae incipit *Sanctissimus*. 37

Sub excommunicationis latae sententiae (reservata Papae absolutione) ac privationis vocis acti- 38

vae, et passivae poenis per contrafacientes eo ipso incurrendis interdicitur, et prohibetur, ne quisquam vasa, calices, candelabra, lampades, et alia paramenta, et ornamenta ecclesiastica, aut quamcumque supellectilem sacram ad Ecclesias Congregationis Coelestinorum Ordinis S. Benedicti spectantia, aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, aut locis piis, seu quibusvis commodare, sive sub quovis quaesito colore ex quacumque dictarum Congregationis hujusmodi Ecclesiarum extrahere, et asportare, vel ut commodentur, aut extrahantur, et asportentur permittere, aut consentire audeat, seu praesumat: Alex: VII. *in Bullar. Roman. tom.* 5. *Constit.* 40. quae incip. *Conservationi.*

39 Fratres Minores de Observantia sub gravissimis poenis prohibentur aliis commodare Paramenta, ornamenta, vasa, et hujusmodi suarum Ecclesiarum, et ad id datur per extensum Constitutio Innocentii XI. confirmativa decreti Sacrae Congreg. Episcop. et Regul.

Innocentius Papa XI. ad futuram rei memoriam. « Alias ad supplicationem tunc existentia » Commissarii Generalis Curiae Ord. Fratrum Min. » S. Francisci de Observantia nuncupatorum, emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum » Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, et con» sultationibus Episcoporum, et Regularium prae» posita, decretum tenoris, ut sequitur.

» Sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. » Cardinalium, negotiis, et Consultationibus Epi» scoporum, et Regularium praeposita, spectabili » cultui, et decoro ornatui Ecclesiarum Ordin. » Fratrum Min. S. Francisci de Observantia pro» vide consulens, injungendum censuit, prout prae» sentis decreti tenore injungit omnibus, et sin» gulis dicti Ordinis Superioribus Provincialibus » localibus, eorumque subditis, sub poena priva» tionis officiorum Ordinis immediata incurrenda, » ne ullo unquam tempore, quavis occasione, vel » praetextu ad instantiam, et preces cujusvis in» dulgeant, aut consentiant, supellectilem, vasa, » ornamenta, vestes, atque omnis generis res spe» ctantes aliquo modo ad praefatas eorum Eccle» sias, capellas, oratoria, sacristias, extra illa ad » usum, vel officium ceterorum distrahi, asporta» ri, seu alias ab ipsis Minoribus Observantibus » commodari, quin prius accesserit consensus sal» tem ultra duas partes Capituli cujuslibet respe» ctive Conventus per secreta suffragia singulis vi» cibus praestandus, nec non a ministro provin» ciae authentice confirmandus, et ita observari » mandat. Non obstantibus etc. Datum Romae 4. » Martii 1680.

» Cum autem sicut dilectus filius Franciscus » Diaz a S. Bonaventura, carissimi in Christo filii » nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici con» cionator, et theologus, ac pro Ultramontana fa» milia Fratrum dicti Ordinis Vice-Commissarius » Generalis Nobis exponi nuper fecit, eo quod ipse » decretum hujusmodi (quo firmius subsistat, et » servetur exactius) Apostolicae confirmationis » nostrae patrocinio communiri desideret; Nos » ipsius Francisci Vice-Commissarii Generalis vo» tis hac in re (quantum cum Domino possumus) » favorabiliter annuere volentes, et eum a qui» busvis excommunicationis, suspensionis, inter» dicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, et poenis » a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel » causa latis (si quibus quomodolibet innodatus » existit) ad effectum praesentium dumtaxat con» sequendum, harum serie absolventes, et abso» lutum fore censentes, supplicationibus ejus no» mine super hoc nobis humiliter porrectis incli» nati, decretum praeinsertum auctoritate Apo» stolica tenore praesentium approbamus, et con» firmamus, illique inviolabiliter Apostolicae fir» mitatis robur adjicimus etc.

» Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub » annulo Piscatoris die 16. Septemb. anno 1683. » Pontificatus anno IX.

Leo X. Constitution. incip. *Merentur*, declaravit, et decrevit, quod Fratres Minores de Observantia sint tantum custodes, et non possessores paramentorum, et ornamentorum, ac vasorum, quae ad ministerium sacramenti Altaris habent: et propterea illis, etiam pretiosis, absque suae professionis macula, aut violatione, uti, et potiri, libere, et licite eos posse, cum deceat juxta solemnitatum celebritatem, decentioribus paramentis divinam honorare majestatem. 40

Paramenta sacra, vestes, et vasa ad ministerium divinum consecrata, non debent commodari ad usus laicales, et profanos: *c. Ad nuptiarum* 43. *de consecr. dist.* 1. et communia Doctorum. 41

Alia ad rem, Vide verb. *Utensilia.*

ADDICTIONES EX ALIENA MANU.

Usum paramentorum sacrorum Ecclesiae Cathedralis deberi Episcopo vulgo traditur. Sed ne in errores incidamus plures notandi sunt casus. 42

Porro non est dubium, quin usus paramentorum sacrorum debeatur Episcopo in ipsa Ecclesia cathedrali celebranti, et quidem sive Pontificaliter, sive private, ut respondit *Rot. in Spoletana Paramentorum super exequutione Brevis* 22. *Junii* 1722. §. *Quoniam*, et in confirmatoria 14. *Maii* 1723. §. *Ex his autem, cor. bon. mem. Crispolto.* 43

Idemque juris est, si Episcopus celebret in cappella palatii Episcopalis, modo tamen inibi non private, sed Pontificaliter celebret: *Rot. in dict. Spoletana, Paramentorum super exequutione Brevis* 14. *Maii* 1723. §. *Quo vero*, et rursus §. *Inutiliter, cor. bon. mem. Crispolto.* 44

Quod procedit, sive palatium Episcopi sit finitimum, sive sit remotum ab Ecclesia Cathedrali, ut prosequitur *Rot. in dict. Spoletana, Paramentorum super exequutione Brevis* 14. *Maii* 1723. §. *Absque eo quod, cor. bon. mem. Crispolto*, et 45

in terminis palatii Episcopalis distantis ab Ecclesia Cathedrali 400. pass. rescripsit. *Congr. Particularis in Alben.* 19. *Septemb.* 1710.

46 Controversia vero est, an hic ipse usus debeatur Episcopo Pontificaliter celebranti extra Ecclesiam Cathedralem, tum extra cappellam proprii palatii? Et negative respondit *Rot. in dicta Spoletana, Paramentorum super exequutione Brevis* 22. *Junii* 1722. §. *Quoniam*, et in confirmatoria 15. *Maii* 1723. §. *Eoque fortius, cor. bon. mem. Crispolto*, et resolutum fuit *a Congregatione particulari in Casalen.* 11. *Martii* 1708. tum ab altera *Congregatione particulari in dicta Alben.* 19. *Septembris* 1710.

Quinimo Rota *in dicta Spoletana* 22. *Junii* 1722. §. *Et licet*, id admisit, tametsi ageretur de paramentis sacris non expensis Capituli factis, sed comparatis ex legatis Episcoporum antecessorum. 47

Quid vero, si Episcopus habere consueverit hunc usum extra Ecclesiam Cathedralem, cappellamque proprii palatii? In dubio usum hunc referendum esse ad meram conniventiam Capituli, adeoque nullum ipsi Episcopo praestare titulum, sensit *Rota in dicta Spoletana, Paramentorum super exequutione Brevis* 22. *Junii* 1722. §. *Longe minus*, et in confirmatoria 14. *Maii* 1723. §. *Nec Episcopo, coram bon. mem. Crispolto.* 48

PARENTES

SUMMARIUM

1. Parentes tenentur gravi obligatione Juris naturalis conservationem, et educationem liberorum curare. — 2. Hinc parentes tenentur alere prolem suam. — 3. Nec solum prolem legitimam, sed etiam spuriam. — 4. Mater tenetur alere prolem suam, primo triennio, et post triennium tenetur pater usque ad emancipationem. — 5. Mater tenetur proli suae praebere solum lac, et si alia alimenta subministraverit sine animo donandi, potest repetere a patre. — 6. Si Mater nequeat ipsa lac praebere proli, tenetur pater suis impensis nutricem conducere; si vero possit ipsamet, tenetur praebere, vel suis impensis nutricem conducere. — 7. In defectum patris tenetur alere prolem avus paternus, vel alii ascendentes; et in defectum ascendentium paternorum, haec obligatio devolvitur ad matrem. — 8. Deficiente autem Matre, tenetur prolem alere Avus, aliique ascendentes materni. — 9. Supradicta de praestandis alimentis proli, intelligi debent, si proles non possit habere aliunde, unde se alat. — 10. Parentes tenentur filiis legitimis relinquere integram Legitimam nulla aggravatam onere. — 11. Quaenam pars, seu portio bonorum debeatur Filiis pro legitima? — 12. Parentes nequeunt Filios legitimos privare legitima eis debita, nisi concurrat aliqua ex quatuordecim causis assignatis in Jure. — 13. Parentes de rigore juris possunt relinquere extraneis id, quod in suis bonis habent supra legitimam Filiis debitam. — 14. Attamen id non debent facere sine gravi, et justa caussa. — 15. Immo nec debent totam haereditatem suam relinquere Ecclesiae, seu pio loco. — 16. Quinimmo parentes neque licite possunt absque justa caussa ex inordinato affectu erga liberos successionis inaequalitatem inter eos instituere, et assignantur ad id justae caussae. — 17. Parentes universim tenentur Filiis procurare educationem corporalem, scilicet providentiam vitae, victus, et status. — 18. Et insuper strictissima tenentur procurare eis bonam educationem spiritualem. — 19. Assignatur, quando peccent parentes contra debitam educationem corporalem, et signanter contra debitam providentiam vitae. — 20. Assignatur, quomodo peccent parentes contra debitam providentiam victus. — 21. Parentes, qui exponunt Filios ex mera necessitate, vel ex mero timore infamiae, si adhibita cautione vitae spiritualis, et corporalis eos exponant, tunc non peccant. — 22. Si autem, nulla interveniente mera necessitate, nec ullo timore infamiae, eos in viis publicis, aut in publicis Hospitalibus exponant, ultra peccatum mortale, quod committunt, graviter arbitrio Judicis sunt puniendi. — 23. Parentes propter detestandam crudelitatem, quam in Filios exercent, eos exponendo, privantur patria potestate, sive ipse Pater Filium exponat, sive alius, eo consentiente, vel ratum habente. — 24. Nec Pater ex eo, quod amittat patriam potestatem, eximitur ab onere dotandi v. g. Filiam, aut alimentandi ipsam, vel Filium, vel ab obligatione refundendi expensas. — 25. Parentes, si quando Filios exposuerunt, erant vere pauperes, nec peccarunt, nec tenentur ad restitutionem. — 26. Si autem, quando Filios exposuerunt, erant Divites, quo ad istos variae sunt Doctorum sententiae. Et prima sententia tenet, quod parentes, quantumvis divites, expensas restituere non teneantur. — 27. Secunda sententia docet, quod Parentes divites non teneantur restituere expensas Hospitali de Justitia, et Jure stricto, sed solum ex aequitate. — 28. Tertia sententia communior defendit teneri parentes divites ad has expensas restituendas, ac posse ab Hospitali repeti. — 29. Quarta sententia vult esse attendendam mentem Fundatoris Hospitalis, et dicit, quod si fundavit Hospitale simpliciter absque aliqua expressione, seu declaratione, parentes divites tenentur refundere expensas. Si autem Fundator Hospitalis expresserit, aut ex verbis ejus clare concipiatur voluisse, ut reditus illi liberaliter expenderentur in alendis expositis, inspecta solum eorum praesenti necessitate absque aliqua consideratione ad parentes licet divites, ad nihil tenentur. — 30. Parentes divites exponentes filios in locis, qui aluntur expensis Reipublicae, seu Communitatis, tenentur omnino ad ipsas restituendas, et ad omnia damna resarcienda. — 31. Item parentes divites exponentes Filios ad Ostium alterius, qui ideo facere debet expensas, tenentur ad ipsas restituendas. — 32. Qui autem invenit infantem ante Ostium suum, et illum ponit ad Ostium alterius, qui ea de caussa tenetur facere expensas, non tenetur ad ipsas restituendas: Immo aliquando id potest fieri etiam sine delicto. — 33. Assignatur, quando peccent parentes contra debitam providentiam status. — 34. Assignatur, quando peccent Parentes contra debitam Filiis bonam educationem spiritualem. — 35. Parentes nequeunt licite occidere Filias in adulterio deprehensas. — 36. Parentes nequeunt licite occidere Filios suos bannitos, nisi aliter ab armis contra patriam averti non possint. — 37. Parentes in casu necessitatis, si nullus alius existat, possunt baptizare proprios Filios sine solutione conjugii, seu absque debiti Matrimonialis praejudicio. — 38. Parentes peccant graviter Filios etiam consentientes castrando, ut evadant praestantiores Musici. — 39. Parentes dubitantes an proles adulterinae, seu non

legitimae sint a se genitae, vel ab aliis, quam obligationem contrahant? — 40. Parentes an, et in qua necessitate sint e suis Filiis subveniendi praeferenter ad alios? — 41. Parentes ut subveniantur, in qua necessitate, et quomodo possint, vel debeant Filii exire de Religione? — 42. Parentes quo jure, et in qua necessitate possint vendere suos Filios? — 43. Parentes quando, et quibus modis amittant patriam potestatem super Filios? — 44. Parentes spirituales an teneantur alere suos Filios spirituales in defectum parentum naturalium? — 45. Parentes an, et ob quas caussas possint Filios exhaeredare? — 46. Parentes contrahentes sponsalia pro liberis nedum septennibus invalide contrahunt, nisi liberi septennio majores approbaverint. — 47. Parentes etiam invalide contrahunt pro impuberibus septennio majoribus. — 48. Parentes possunt per se loquendo esse testes Matrimonii prolium suarum. — 49. In multis tamen casibus sunt suspecti, et munus testis implere non possunt. — 50. Parentes, quamvis non teneantur benedicere Filiis suis benedictione materiali, tenentur tamen eis benedicere benedictione formali. — 51. Hinc parentes maledicentes Filiis suis maledictione formali peccant graviter, vel leviter juxta gravitatem mali Filiis imprecati. — 52. Parentes maledicentes Filiis solum materialiter, peccant tantum venialiter. — 53. Datur Episcopo facultas absolvendi pro suo arbitrio in forma privata ob carcerationem Clerici factam per ejus parentes. — 54. Subnect. Addit. ex alien. man. ad n. 57.

1 Parentes, quo nomine etiam intelliguntur a-
scendentes; v. g. avus, proavus etc. tenen-
tur gravi obligatione juris naturalis conser-
vationem, et educationem liberorum curare:
2 *Communis.* Hinc parentes tenentur alere prolem
suam, *l. Si quis a liberis* 5. *de agnoscendis*, *et*
alendis liberis; leg. Unusquisque 2. *Cod. de infan-*
3 *tibus expositis.* Non solum prolem legitimam, sed
etiam spuriam, seu ex coitu damnato ortam. Vid.
verb. *Filius Filii num.* 127.
4 Cum hac tamen advertentia, quod mater te-
netur alere prolem suam primo triennio, et post
triennium tenetur pater usque ad emancipatio-
5 nem; Vide dict. verb. *Filius num.* 129. Nomine
alimentorum aliud intelligitur respectu patris, et
aliud respectu matris. Respectu enim matris in-
telligitur solum lac; plus enim quam lac non te-
netur proli exhibere; Unde si proli alia necessa-
ria subministraverit sine animo donandi, potest
repetere a Patre: *l. Alimenta, Cod. De negotiis ge-*
stis, et cit. l. Si quis a liberis 5. *ff. de agnoscend.*
6 *et alend. liberis* §. *Si Mater alimenta.* Si autem
nequeat ipsa lac praebere proli, tenetur pater suis
impensis nutricem conducere; Si vero possit ipsa-
met, tenetur praebere, vel suis impensis nutricem
conducere; Vide d. *verb. Filius num.* 130.
7 In defectu patris, si is videlicet pauper sit, te-
netur alere prolem avus paternus, vel alii ascen-
dentes, et in defectu ascendentium paternorum,
haec obligatio devolvitur ad matrem, uti colligi-
tur *ex cit.* l. *Si quis a liberis* 5. *ff. de agnoscend.*
et alend. liberis §. *Utrum autem*, *et Authent. Si*
pater, *Cod. De divortio in fine.* Vide dict. verb.
8 *Filius n.* 131. Deficiente autem matre, tenetur pro-
lem alere avus, aliique ascendentes materni: *l.*
Non quemadmodum 8. *ff. De agnoscend. et alend.*
liberis, et cit. l. Si quis a liberis §. 5. *ff. eod.* Vide
9 dict. verb. *Filius num.* 132. Supradicta tamen de
praestandis alimentis proli intelligi debent, si pro-
les non possit habere aliunde, unde se alat; *cit. l.*
Si quis a liberis 5. *ff. de agnoscend. et alend. libe-*
ris §. 7. Vide d. verb. *Filius n.* 135.
10 Parentes tenentur filiis legitimis relinquere in-
tegram legitimam nullo aggravatam onere: *Comm.*
11 Vide verbum *Legitima.* Quaenam autem pars, seu
portio bonorum debeatur Filiis pro legitima? Vi-
de dict. verb. *Legitima.* Parentes nequeunt filios 12
legitimos privare legitima eis debita, nisi occur-
rat aliqua ex quatuordecim causis assignatis in Ju-
re, et adductis sub verb. *Exhaeredatio.* Vide *ibi.* 13
Parentes, quamvis de rigore juris possint relin-
quere extraneis id, quod in suis bonis habent su-
pra legitimam filiis debitam, ut tenent communi-
ter Doctores; Tamen sine gravi, et justa causa non 14
debent suam haereditatem alienis, seu extraneis
relinquere, quia juxta monitum Spiritus Sancti
Proverb. cap. 13. *num.* 22. *Bonus relinquit hae-*
redes filios, et nepotes.

* Item dicendum esset si pater gravi percitus
odio contra matrem, relicta tantum legitima filio,
eumdem reliqua haereditate privet. Iniquum enim
in jure reputatur, ut quis ob odium tertii praegra-
vetur; ideoque hujusmodi testamentum, in quo fi-
lius ob odium matris in sola legitima institutus a
patre sit, irritum remanet, et talis filius succedit
patri in universa haereditate tamquam ab intesta-
to. Ita magistraliter Rota in terminis in *Fulginaten.*
nullitatis Testam. Maii 1780. §. 3. ibi: « Ex pu-
» rissimis juris fontibus aequissima manet senten-
» tia illa, quae monet contra leges praegravari fi-
» lium, qui ex odio transversali in tertium in so-
» la legitima a Patre instituitur, proptereaque e-
» jusmodi testamentum non valere » *.

Immo nec debent totam haereditatem suam re- 15
linquere Ecclesiae, seu pio loco, *cap. Quicumque*
43. *caus.* 17. *quaest.* 4. ibi: » Quicumque vult,
exhaeredato filio, haeredem facere Ecclesiam, quae-
rat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, im-
mo, Deo propitio, neminem inveniet ». Et in ejus
Summario expresse dicitur. « Non debet Ecclesia
suscipere, quae, filio exhaeredato, sibi offeruntur ».
Quinimmo parentes neque licite possunt absque 16
justa causa, ex inordinato affectu erga liberos, suc-
cessionis inaequalitatem inter eos instituere: Ju-
stae autem causae hujus inaequalitatis erunt me-
rita, et majora obsequia: Si pupilli magno sumptu
in studiis ali debeant: Si qui plus egere videan-
tur, et hujusmodi: Diana *par.* 1. *resolut.* 83. Bu-
semb. *lib.* 3. *par.* 1. *c.* 4. *dub.* 5. §. *His adde.*
La Croix *ibid.* et alii.

17 Parentes universim tenentur filiis, procurare educationem corporalem, scilicet providentiam vitae, victus, et status: *Communis*. Et insuper strictissime tenentur procurare eis bonam educationem spiritualem, scilicet eos recte instruere per se, vel per alios in omnibus ad salutem animae necessariis: *Communis*.

18

19 Contra debitam educationem corporalem, et signanter contra debitam providentiam vitae peccant Parentes, et quidem graviter, si tempore menstrui, aut alias, impuris, et importunis commixtionibus vacant, cum evidenti periculo abortus, aut prolis vitiatae, et monstruosae concipiendae, vel generandae. Item patres nimia saevitia proprias praegnantes uxores vexantes, et percutientes in gravissimum damnum foetus in utero existentis; Item matres post conceptam prolem immoderate saltantes, currentes, nociva bibentes, aut comedentes, et hujusmodi cum praeviso, vel praevideri debito periculo abortus: Item peccant saltem venialiter matres illae, quae sine rationabili causa filios proprio lacte, seu per se non lactant, *c. Ad ejus* 4. *dist.* 5. Ibi: « Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eosque ad nutriendum aliis mulieribus tradant, quod videlicet ex sola carnis incontinentia videtur fuisse inventum, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare, quos gignunt ». Si autem ad id moveat, seu concurrat rationabilis aliqua causa, v. gr. matris imbecillitas, mos patriae, vel gentis (*), nullum erit peccatum. Item peccant graviter parentes, qui sine debito, et sufficienti repagulo pueros suos tenellos cum probabili periculo suffocationis secum in lecto recumbendo retinent. Unde merito pluribus in dioecesibus est casus reservatus.

20 Contra debitam providentiam victus peccant graviter parentes, qui filiis in aetate infirma, aut alias gravi, vel extrema necessitate pressis, victum, vestitum, aliaque necessaria denegant, nisi filii aliunde se providere possint: Item Parentes, qui excessivis ludis, lusibus, commessationibus, donationibus, superfluis, et excessivis aliis expensis, omnia dilapidant, ita ut filii mendicare cogantur: Item Parentes, qui sine legitima causa filium aliquem exhaeredant, vel dotem alicui filiae negant: Item Parentes, qui, cum possint, filios captivos non redimunt: Item Parentes, qui, seclusa vera necessitate, in viis publicis, aut in hospitalibus publicis filios alendos exponunt.

21 Circa hoc ultimum tamen est breviter advertendum; quod Parentes, qui exponunt filios ex mera necessitate, cum non habeant, unde eos alant, vel ex mero timore infamiae, si adhibita cautione vitae spiritualis, et corporalis eos exponant, tunc non peccant, ut advertunt Barbosa *de offic. et potest. Episcop. par.* 3. *alleg.* 15. *n.* 147. Amostaz *de causis piis lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 78. Monac. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 7. *n.* 14. Sporer *tom.* 1. *tract.* 3. *in IV. praecept. Decal. cap.* 5. *sect.* 2. *n.* 41. et alii passim: 22 Si autem nulla interveniente vera necessitate, nec ullo timore infamiae, eos in viis publicis, aut in publicis hospitalibus exponant, ultra peccatum mortale, quod committunt, graviter arbitrio judicis sunt puniendi; *l. Sancimus* 4. *Cod. de infantibus expositis*, Menoch. *de Arbitr. cas.* 496. Vela *de delict. cap.* 9. Bossius *in praxi tit. de homic. n.* 7. Barbosa *loc. cit. n.* 144. Monacell. *loc. cit. n.* 5. Amostaz *de causis piis tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 77. Quae quidem poena aliquando poterit extendi usque ad mortem, scilicet quando in expositione secuta est mors; dicuntur enim jure Civili hujusmodi crudeles, et feri parentes partum occidere, dum filium sic periculose exponunt; *l. Necare* 4. *ff. de cognoscendis, et alendis liberis*, ibi: « Necare videtur non tantum is, qui partum praefocat; sed et is, qui abjicit, et qui alimoniam denegat, et is, qui publicis locis misericordiae causa exponit, quam ipse non habet »; et concordat *cit. l. Sancimus* 4. *Cod. de infantibus expositis*, ibi in fine: « Velut omni refertis inhumanitate, et crudelitate, quae tanto quovis homicidio pejor est, quanto miserioribus eam inferunt »: *et cap. Si expositus* 9 *dist.* 87. Decian. *tract. crim. lib.* 9. *cap.* 8. *n.* 9. Vallensis *in Rubr. de infant.* n. 1. Velasco *de privileg. pauper.* 2. 2. *part. qu.* 65. §. 2. *a n.* 1. Amostaz *cit. n.* 77. et alii.

23 Parentes propter detestandam crudelitatem, quam in filios exercent, eos exponendo, privantur patria potestate, sive ipse pater filium exponendo, sive alius, eo consentiente, vel ratum habente: *l. Unusquisque* 2. *Cod. De infantibus expositis, et cap. Si a patre unic. de infantibus, et languidis expositis*, ibi: « Si a patre, sive alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expositus extitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus »; Non enim convenit, ut qui sic crudeliter, et inhumaniter se gessit cum filio, adhuc in eo jura habeat. Sic Doctores communiter. 24 Nec pater, ex eo, quod amittat patriam potestatem, eximitur ab onere dotandi v. g. filiam, aut alimentandi ipsam, vel filium, vel ab obligatione refundendi expensas, quia solum perdit patriam potestatem quoad ea, quae sunt sibi utilia, non autem circa sibi onerosa, et damnum afferentia: « Ne videatur de sua malitia commodum reportare »; ut de simili dicitur *in cap. Intelleximus* 7. *de judiciis*, quia ut habetur *in l. Nemo ex tuo, ff. de Regul. Juris*: « Nemo ex suo

(*) De causis legitimis, quibus Matres a lactandis proprio lacte filiis excusantur, legi potest Daniel Concina lib. VI in Decal. Dissert. unic. De honorandis Parentibus, cap. II. quaest. IX. ubi cum quaesivisset: *Levemne, an gravem culpam contrahant feminae nobiles, quae renuant lactare filios suos?* respondet: « Culpam committere ejusmodi matres, mihi certum est: praecisum vero culpae gradum penitus ignoro. Lethalem non esse communis Theologorum sententia est. Inter venialia vero crimina reputatur grave ».

delicto meliorem sua conditionem facere potest »: Gratianus *discept. forens. c.* 267. *a n.* 54. Amostaz *loc. cit. n.* 78. Barbosa *loc. cit. n.* 146. Homobon. *de examine Ecclesiastico p.* 10. *c.* 4. *q.* 4. *supp.* 1. et alii.

25 An autem Parentes exponentes filios in hospitali, vel alio loco ad id erecto, seu deputato, teneantur ad restitutionem expensarum pro ipsis alendis, et vestiendis factarum? respondetur cum distinctione. Vel Parentes, quando filios exposuerunt, erant vere pauperes, vel divites: Si erant vere pauperes, nec peccarunt, ut dictum est *supra num* 21. nec tenentur ad expensas, quia intentio fundatoris ea fuit, ut ibidem filii Parentum pauperum alerentur. Unde Parentes filios exponentes ob inopiam in hospitali, vel alio loco ad id destinato, ad nihil tenentur, quia id ex pietate concessum est similibus infantibus, ut de communi testantur Monaceli. *loc. cit. num.* 14. Amostaz *loc. cit. num.* 66. Lugo *tom.* 1. *disput.* 13. *n.* 4. et alii; *arg. l. Cum deditis* 1. *Cod. de latina libertate tollenda.*

26 Vel parentes, quando filios exposuerunt, erant divites, et quoad istos variae sunt Doctorum sententiae. Prima sententia tenet, quod Parentes, quantumvis divites, expensas restituere non teneantur, ex eo, quia hospitalia ista intuitu pietatis, et misericordiae alimenta expositis praebeant propter Dei amorem, et non animo repetendi: Sic Glossa *in cap. Si expositus* 9. *dist.* 87. Acunna *ibidem nu.* 13. Diana *par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 40. et alii.

27 Secunda sententia docet, quod Parentes divites non teneantur restituere expensas Hospitali de justitia, et jure stricto, sed solum ex aequitate, quatenus Hospitale absque causa illas expendit, dum expositus Patrem habet divitem, licet eas det, ne Patres Filios necent, aut aliud malum perpetrent: Sic Henriquez relatus a Bossio *de alimentis c.* 9. §. 1. *n.* 606. et Amostaz *de causis piis tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 68.

28 Tertia sententia communior defendit teneri Parentes divites ad has expensas restituendas, ac posse ab Hospitali repeti, quia horum Hospitalium institutio est ad nutriendos pauperes expositos, qui non habent parentes divites, qui possint eos alere; adeoque Parentes divites tenentur expensas restituere, et Hospitale potest illas repetere: Sic Leoncilius *de privileg. pauper. par.* 1. *q.* 3. *nu.* 67. Truilench. *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 3. *nu.* 2. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *lib.* 14. *nu.* 4. Carpio *de execut. lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 31. Bossius *cit.* §. 1. *num.* 607. Bonacina *de contract. disput.* 6. *quaest. unic. punct.* 6. §. 1. *proposit.* 2. *num.* 6. Sanchez *consil. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 4. *num.* 16. Villalobos *in Summa par.* 2. *tract.* 41. *difficult.* 7. *num.* 10. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 259. Lugo *tom.* 1. *disp.* 13. *num.* 4. ubi cum multis aliis dicit esse communem.

29 Quarta sententia vult, esse attendendam mentem Fundatoris Hospitalis; et dicit, quod si fundavit Hospitale simpliciter absque aliqua expressione, seu declaratione, Parentes divites tenentur refundere expensas, quia praesumitur tantum fundasse pro egenis, utpote opus magis pium, et Deo gratius: Molina *de justitia tract.* 3. *disp.* 103. *n.* 4. Amostaz *loc. cit. num.* 70. et in hoc conveniunt omnes citati pro tertia sententia, aliique passim. Si autem Fundator Hospitalis expresserit, aut ex verbis ejus clare concipiatur voluisse, ut redditus illi liberaliter expenderentur in alendis expositis, inspecta solum eorum praesenti necessitate absque aliqua consideratione ad Parentes, tunc Parentes, licet divites, ad nihil tenentur, quia liberaliter expensae illae donatae fuerunt expositis: Sic Villalobos *loc. cit. difficult.* 7. *num.* 10. Amostaz *loc. cit. num.* 70. ubi *num.* 71. subjungit, quod est gravis conjectura donandi liberaliter has expensas expositis, si Hospitale fuerit ditissimum, quia compensatione non indiget: Layman *lib.* 3. *de justitia tract.* 2. *c.* 14. *n.* 4. *vers. Dico* 3. Sporer *tom.* 1. *tract.* 3. *in IV. praecept. Decalog. cap.* 5. *sect.* 2. *num.* 41. Quod Lessius *de justitia lib.* 2. *cap.* 19 *dub.* 2. *n.* 69. et alii admittunt, nisi expresse Fundator dicat pro pauperibus fundare.

Parentes divites exponentes Filios in locis, ubi 30
aluntur expensis Reipublicae, seu Communitatis, tenentur omnino ad ipsas restituendas, et ad omnia damna resarcienda, quia Parentes tenentur, quantum possunt, sine aliorum gravamine providere Filiis alimenta, et quae necessaria sunt ad illorum educationem, et disciplinam: *l. Si quis a liberis ff. De agnoscendis, et alendis liberis, l. Unusquisque* 2. *Cod. De infantibus expositis.* Unde Parentes divites tenentur omnino refundere expensas omnes, quas pro alendis, et educandis suis Filiis expositis fecit Respublica, seu Communitas cum gravamine tot pupillorum, viduarum, et aliorum innocentium ad ipsas expensas non obligatorum: *Communis*, et a fortiori omnes Doctores citati supra pro tertia sententia; V. verb. *Adulterium art.* 5. *a num.* 27. *ad* 30.

Item Parentes divites exponentes Filios ad O- 31
stium alterius, qui ideo facere debet expensas,
tenentur ad ipsas restituendas: *Communis.* Qui 32
autem invenit infantem ante ostium suum, et illum ponit ad ostium alterius, qui ea de causa facere debet expensas, non tenetur ad ipsas expensas ipsi restituendas, quia non peccat contra justitiam, cum hunc non inducat in obligationem justitiae ad providendum tali infanti, quia ad id non tenetur neque ex caritate, cum possit illum inde mittere ad publicum Hospitale pro iis infantibus erectum, vel ad Ecclesiae cunabula, et licet teneretur ex caritate ei providere de alimentis, si non esset alius modus illi subveniendi, adhuc non peccaret contra justitiam, quia non est contra justitiam dare alteri occasionem, qua debeat opera caritatis ex necessitate exercere. Immo nec

videtur peccare contra caritatem in illum, ad cujus ostium illum infantem exponit, sicut nec esset contra caritatem, si pauperem in extrema necessitate existentem ad illum mitteret ex industria, ut ipse ex caritate teneretur illi succurrere: Sanch. *lib.* 1. *Consil.* c. 5. *dub.* 5. *a num.* 70. Bossius *loc. cit. cap.* 9. §. 2. *per tot.* Lugo *tom.* 1. *disp.* 18. *num.* 114. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 160. Amostaz *loc. cit. num.* 72. ubi dicit id praesertim posse fieri sine delicto, quando aliquis timet infamiam, ver. gr. si sit Sacerdos, aut altera persona gravis, quia pessimi, et malitiosi dicerent Filium ipsius esse, et idem dicendum, quando non haberet superfluum naturae, sibi, et suis.

33 Contra debitam providentiam Status peccant graviter Parentes, si non adhibeant diligentiam, saltem mediocrem, secundum suam conditionem, ut acquirant, seu saltem conservent bona, quibus Filii alantur, habeantque haereditatem secundum suum statum. " Hinc, si parentum dolo, vel culpa damnum aliquod illatum sit filiis, actione utili in factum possunt parentes a filiis conveniri, quibus tamen, seclusa reverentia, qua filii tenentur colere parentes, competeret etiam actio de dolo malo: Cujac. *comment. in tit. ff. de dolo malo ad leg. non debet* 11. " Item peccant graviter, si bona dilapidando impotentes se reddant ad liberos honeste secundum suum statum educandos, et dotandos. Item graviter peccant Parentes, si Filios, vel Filias invitos cogant ad ingrediendum Religionem; vel statum Clericalem assumendum. Unde merito a Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 18. *de Regularibus* lata est sententia excommunicationis contra eos, qui feminas ad Religionem cogunt. Item graviter peccant, si Filios, vel Filias a Religionis ingressu sine justa causa impediant. Item si Filios, vel Filias absque justa causa compellant ad Matrimonium ineundum, seu a Matrimonio contrahendo impediant, et abstinere cogant.

34 Parentes, contra debitam Filiis bonam educationem spiritualem graviter peccant, si Filios in bonis moribus, et necessariis ad salutem per se, vel per alios instruere non curent; Item, si occasiones peccandi ab ipsis non removeant, vel in locis, aut domibus suspectis, et periculosis habitare permittant, aut alias peccaminosam vitam agere sinant. Item si consilio, aut malo exemplo eos ad peccata perducant. Item, si Filios, aut Filias dissolutas pro posse non corrigant, et juxta exigentiam non puniant: in his enim Parentes non tantum peccant contra virtutem caritatis, sicuti quivis alii proximum delinquentem corrigere negligentes, sed etiam contra virtutem justitiae, quia Parentes Jure Divino naturali obligantur Filios educare ad bonum, et avertere a malo. Unde Parentes Catholici in illis Regionibus, ubi Catholici contrahunt Matrimonia cum Acatholicis, si moraliter possint, tenentur sub mortali curare, ut proles educentur Catholice, ut ex aliis notant Busembaum *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 7. La Croix *ibidem num.* 95. *et* 100.

Parentes nequeunt licite occidere Filias in adulterio deprehensas; Vide verb. *Adulterium art.* 2. *a num.* 10. *usque ad finem.* 35

Parentes nequeunt licite occidere Filios suos bannitos, nisi aliter ab armis contra patriam averti possint, quia in tali casu praevalet bonum universale patriae, quae est communis omnium mater: Ita Layman *lib.* 3. *par.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. La Croix *leg.* 3. *part.* 1. *num.* 792. et alii passim; *arg. l. Minime* 35. *de Relig. et sumpt. fun.* 36

Parentes in casu necessitatis, si nullus alius existat, possunt baptizare proprios Filios sine solutione conjugii, seu absque debiti Matrimonialis praejudicio; Vid. verb. *Baptismus art.* 4. *num.* 41. 37

Parentes peccant graviter Filios etiam consentientes castrando, ut evadant praestantiores Musici; Cum enim nemo sit Dominus membrorum sui corporis, tanto minus erunt Parentes domini membrorum corporum suorum Filiorum, adeoque etc. Sic Laym. Tanner. Bonac. Lezana, et alii, quos affert, et sequitur Diana *part.* 6. *tract.* 8. *resol.* 36. Quarti *de Sacris Benedictionib. tit.* 3. *sect.* 17. *difficult.* 4. Busemb. *l.* 2. *part.* 1. *tr.* 4. *c.* 1. *dub.* 1. *resolut.* 2. et alii passim. 38

Parentes dubitantes, an proles adulterinae, seu non legitimae sint a se genitae, vel ab aliis, quam obligationem contrahant? Vid. verb. *Adulterium art.* 5. *a num* 20 39

Parentes an, et in qua necessitate sint a suis Filiis subveniendi praeferenter quoad alios? Vid. verb. *Filius a num.* 91. *ad* 99. 40

Parentes ut subveniantur, in qua necessitate, et quomodo possint, vel debeant Filii exire de Religione? Vide d. verb. *Filius a num.* 100. *ad* 104. 41

Parentes, quo jure, et in qua necessitate possint vendere suos Filios? Vid. d. verb. *Filius a num.* 105. *et* 112. 42

Parentes quando, et quibus modis amittant patriam potestatem super Filios? Vid. d. verb. *Filius a num.* 118. *ad* 125. 43

Parentes spirituales, an teneantur alere suos Filios spirituales in defectu Parentum naturalium? Vid. d. verb. *Filius num.* 136. 44

Parentes an, et ob quas causas possint Filios exhaeredare? Vide verb. *Exhaeredatio.* 45

Parentes contrahentes sponsalia pro liberis necdum septennibus invalide contrahunt, nisi liberi septennio majores approbaverint; *cap. Unic. de desponsat. impuber. in* 6. Sic *Communis Doctor.* teste La Croix *lib.* 7. *part.* 3. *num.* 118. Parentes etiam invalide contrahunt pro impuberibus septennio majoribus; *cit. c. Unic. de Desponsat. impub. in* 6. La Croix *loc. cit.* et alii communiter. 46 47

Parentes possunt per se loquendo esse testes 48

Matrimonii prolium suarum: Vid. verb. *Matrim. quoad Impedimenta art.* 2. *num.* 88. In multis autem casibus sunt suspecti, et munus testis im-
49 plere non possunt; Unde Card. de Luca *de Matrimonio disc.* 3. *num.* 16. citans Passer. Alex. Menoch. Mascard. docet, si verb. gr. Pater agat pro valore Matrimonii, ut salvet honorem Filiae, tunc talem Patrem potius esse partem interessatam, et principalem in causa; ideoque non posse implere munus testis. Hinc Joannes Kugrel *de Matrimonio, et sponsalibus numer.* 343. La Croix *lib.* 6. *part.* 4. *numer.* 757. et alii dicunt Parentes in multis casibus merito esse suspectos, nec sufficere.

* Quin immo parentibus omnino testimonium dicere pro filiis, vel filiis pro parentibus omnino interdictum esse, tenet Cujac. *comment. in tit. ff. de Testibus in princ.* *

50 Parentes, quamvis non teneantur obligatione aliqua particulari benedicere propriis Filiis Benedictione materiali, idest expressa verbis, et signis externis, cum haec solum ex beneplacito, et in signum benevolentiae soleat conferri a Parentibus propriis Filiis; Tenentur tamen eis benedicere Benedictione formali in ordine ad finem, ad quem dirigi solet, videlicet, ut bene sit Filiis quoad animam, et corpus, idest procurare, et a Deo precari bona, quae sunt filiis necessaria ad salutem animae, et corporis, quia jure naturali tenentur eorum curam habere, quoad eorum majus bonum
51 spirituale, et temporale: *Communis.* Hinc peccant Parentes maledicentes Filiis suis maledictione formali, idest imprecantes eis vere ex animo malum sub ratione mali, cum vero desiderio, ut illud malum eis eveniat, adeoque tenentur Parentes hanc circumstantiam in Confessione explicare, quia in hoc casu maledictio continet specialem malitiam contra virtutem pietatis, quae malitia erit mortalis, si malum filiis imprecatum sit grave: et venialis, si malum imprecatum sit leve ratione parvitatis materiae: *Sic Communis Doctorum*, cum S. Thoma *secund. secundae*, *quaestione* 76. *articulo primo.*

52 Si Parentes maledicant Filiis solum materialiter idest non ex animo, ut malum aliquod illis eveniat, sed ex ira quadam, et impatientia, peccant solum venialiter, quia tunc maledictio, ultra quam quod non est ex animo deliberato, non opponitur caritati, cujus obligatio gravis est, sed mansuetudini, vel patientiae, quae virtutes levius obligant: Sic Molina, Navarr. et alii, quos affert, et sequitur Laym. *lib. secundo tractatu tertio, capite octavo* et alii passim. (*)

* Quamvis parentes nequeant maledicere filiis, possunt tamen eosdem cum convitio instituere *l. his verbis* 48. §. 1. *ff. de haeredibus instituendis* Non enim prohibetur patri, quominus ipse in filium maledicta in ultimo elogio objiciat, licet hoc aliis interdictum sit: Cujac. *comment. in tit. ff. de liber. et posthum. haered. ad leg. quid sit* 1. *et l. nominatim. circa med.* Sed quod non licet parentibus contra filios, nec filiis contra parentes permissum est. Hinc si quis filius erga parentes non modo pietatis, et obsequii neglexerit officia, sed aliquid contra pietatem commiserit, juxta naturam commissi varie coercetur. Si parentes *maleficos* appellet, militia indignus reputatur ex *l.* 1. §. *ult. ff. de obseq. parent. et patron. praestan.* Quod si eosdem contumeliis afficiat, vel impias in eos inferat manus, arbitrio Praefecti urbis punitur, quin excusetur, etiamsi miles sit l. 1. *in princ. et* §. *penult. ff. eod. l. si filius.* 3. *l. congruentius* 4. *Cod. de patria potestat.* Anton. Matthaeus *de Crimin. lib.* 48. *lib.* 6. *cap.* 2. *nu.* 16. Leeuwen *cons. for. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 14. *Voet. in pandect. lib.* 37. *tit.* 15. *in fin.* Etenim parentes omni genere pietatis, et obsequii a nobis colendi sunt, non modo quousque vivunt, sed etiamsi mortui sint, ut quaedam Solonis lex statuit, *ut mortuis nullus impune malediceret*, et ita tenet Cujac. *comment. in Cod. lib.* 6. *tit.* 6. *de obseq. Patron. praestan. in fin.*

Datur Episcopo facultas absolvendi pro suo arbitrio in forma privata ob carcerationem Clerici 53
factam per eius Parentes; *Sacra Congregatio Immunitatis in una Civitatis Ducalis* 19. *Februar.* 1695. lib. 2. *Decret. Valleman. pag.* 171.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De jure occidendi, vendendi, tum exponendi 54
Liberos secundum jus Civile Romanorum, vide contraria inter se scripta Noodt in libro singulari *Julius Paulus*, *sive de partus expositione*, *et nece apud veteres*, Bynckerhoek in opusculo, *De jure occidendi, vendendi, et exponendi liberos apud veteres Romanos*, tum ejusdem Noodt in Amica Responsione ad difficultates *Julii Pauli*, sive libri *de partus expositione*, *et nece* nuper motas a Viro Amplissimo Cornelio Bynkersoek.

Hoc ipsum argumentum illustravit etiam, et 55
quidem accomodate tum ad theoriam, tum ad praxim *A. Caranza, de partu cap.* 4. *per tot.* ubi de moribus, modisque exponendi, de conditionibus expositorum, de poenis exponentium, de cura in expositos adhibenda, de sumptuum in eosdem erogatorum causa, et repetitione, et demum de sanguinolentis tractat. Consule eum ubi res postulat.

* Post tam anxie demandatam parentibus curam, 56
et sollicitudinem in alendis, et educandis filiis, iisdem parentibus, qui hanc curam, et sollicitudinem adhibuissent, jura nostra constituerunt praemia. Statutum quippe fuit, ut parentes filiis succederent, satis reputando unicum etiam filium a

(*) E. R. Etsi Parentes materialiter filiis maledicant, possunt peccare mortaliter ratione scandali, seu mali exempli, et pravi habitus.

parentibus usque ad pubertatem fuisse educatum. Quin immo licet nullos suscepissent filios, tamen impetrato jure liberorum, tot scilicet liberorum, quot sufficiunt capacitati assis, tamen illis jus liberorum inde sublatum fuit: Cujac. *paratit. in Cod. lib.* 8. Corain. *ibid. tit.* 58. Hinc parentes olim apud acta profitebantur natos: Cujac. *Comment. in Cod. lib.* 4. *tit.* 21. *de fide instrumen. in princ.*

57 Hic dubitari posset, an parentes, qui in bonis allodialibus succedunt liberis, succedant etiam in eorumdem feudis. In libris sane feudalibus nihil de hoc constitutum legitur, ideoque sicuti semper, deficiente jure particulari, ad jus commune, et regulas generales confugimus, ita successionem feudalem a jure communi metientes, eamdem quoque concedere parentibus debere videremur, nisi tamen obstet consuetudo excludens parentes a successione in feudis filiorum, quae caeterum fere utrobique viget. Ita tenent Marta *de succes. regul. par.* 2. *quaest. artic.* 1. *n.* 18. *et seq.* Cujac. *in comment. de feud. lib.* 2. *in princ. tit.* 1. *in digres. de feudis lib.* 38. *n.* 57. ubi ponit etiam alios casus, in quibus pater succedere potest filio in feudis, ut si feudum refutatum sit a patre; item si filius contemplatione patris acquistaverit feudum: Zues. *de feud. cap.* 10. *num.* 38. Schraderus *de feudis part.* 7. *cap.* 6. *num.* 3. 4. *et* 5. Vultejus *de feudis lib.* 1. *cap.* 9 *num.* 207. Gudelin. *de feudis part.* 3. *cap. num.* 3. *

PAROCHIA, PAROCHIALIS, PAROCHIANUS

SUMMARIUM

1. Parochia sumitur dupliciter, scilicet stricte, seu proprie, et large, seu improprie. — 2. Parochia large, et improprie sumpta quae sit? — 3. Parochia stricte, et proprie sumpta quae sit? — 4. Parochia unde dicta? — 5. Parochia vocatur etiam *Paroecia*, et quid *Paroecia* impartet? — 6. Nec primum parochia, sed paroecia est appellata. — 7. Parochiae antiquitus non erant distinctae. — 8. Dionysius Papa XXIV. post S. Petrum primo eas distinxit. — 9. Quamvis aliqui existimaverint ab ipsismet Apostolis fuisse prius factam divisionem parochiarum. — 10. Parochias erigere, et dividere, praeter Papam, solus potest, et debet Episcopus. — 11. Ad Constitutionem parochiae, seu ad hoc, ut aliqua Ecclesia dicatur, sit, et probetur parochialis, plura requiruntur, primo enim requiritur, ut auctoritate Papae, vel Episcopi sit erecta. — 12. Secundo, requiritur certum Territorium, seu certus locus, ac districtus cum certis limitibus ab Episcopo determinatis. — 13. Tertio, requiritur, quod in ipso designato loco, seu districtu sint saltem decem Domus, aut Familiae. — 14. Quarto, requiritur, ut unum solum, ac perpetuum Rectorem, seu parochum habeat cum cura Animarum, et potestate Fori poenitentialis ipsi soli competente. — 15. Quinto, requiritur, quod non facta aliqua electione sepulturae per defunctos, et non existentibus sepulturis Majorum in dicta Ecclesia, corpora ibi sepeliantur tamquam in parochiali, in qua concurrentibus praedictis, defuncti debent sepeliri. — 16. Novae Parochiae erectio, et antiquae dismembratio quomodo, et quando, et quibus concurrentibus fieri possit, et debeat? *remissive*. — 17. Pluribus in locis adsunt parochiae, quae non distinguuntur per Domos materiales, et per determinatos districtus locorum, sed per populos, et familias, et istae vocantur parochiae gentilitiae. — 18. Parochialis Ecclesia dicitur, quae habet jus consistens in cura Animarum parochianorum, ipsis Sacramenta ministrans, et proprium habens Rectorem, seu parochum; parochialitas enim nihil est, quam Cura Animarum. — 19. Parochialis Ecclesia, ut probetur, non sufficit, quod Rector administret Sacramenta, nisi etiam ostendat, quod de necessitate administret, et populus ab eodem de necessitate recipiat. — 20. Parochialis Ecclesia de jure non praesumitur, sed est probanda. — 21. Unde in dubio est plene, et concludenter probanda ab eo, qui talem esse asserit, et se fundat in ea. — 22. Jura parochialis Ecclesiae, et parocho competentia assignantur. — 23. Alias ad jura parochialia spectabat, quod parochiani diebus Dominicis, et Festivis Missam audirent in Ecclesia parochiali; Secus autem nunc. — 24. Alias ad jura parochialia spectabat etiam, quod parochiani semel in anno sua peccata proprio Parocho confiterentur; Secus autem nunc. — 25. An autem Benedictiones, et distributiones Candelarum, Cinerum, et palmarum sint de juribus mere parochialibus? *remissive*. — 26. An Benedictiones mulierum post partum, Fontis Baptism. ignis, seminis, ovorum, et similium sint de juribus mere Parochialibus? *remissive*. — 27. An functiones omnes Hebdomadae Sanctae sint de juribus mere parochialibus? *remissive*. — 28. An celebratio Missae solemnis feria quinta in Coena Domini sit de dictis juribus parochialibus? *remissive*. — 29. An prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto sit de juribus parochialibus? *remissive*. — 30. An celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro Defunctis, sit de dictis juribus parochialibus? *remissive*. — 31. An expositio quadraginta Horarum, et Benedictio, quae fit super populum, sit de dictis juribus parochialibus? *remissive*. — 32. An expositio, quae fit cum Reliquiis, vel Sacris imaginibus, et Benedictio, quae fit cum eis super populum, sit de dictis juribus parochialibus? *remissive*. — 33. Parochianus alicujus parochiae, ut quis efficiatur, sufficit solum habitationis principium, nec requiritur, quod illibi pro majori anni parte habitaverit. — 34. Intellige tamen de eo, qui contrahit domicilium animo non recedendi, secus vero si de tali animo nullibi constet. — 35. Efficitur tamen parochianus illius parochiae, qui ad habitandum in ea se contulit ad evitanda impedimenta, quae parentes suo Matrimonio praebere intendunt. — 36. Et quoad hoc habentur plures casus sic decisi a Sacra Congregatione Concilii, *remissive*. — 37. Quando quis habitat in confinio duarum Ecclesiarum parochialium, censetur parochianus illius, in qua Domus aditum magis frequentatum habet. — 38. Parochianus, si in una Ecclesia solet audire Missam, in altera vero recipere Sacramenta, Canonica portio debetur ei, a qua recipit Sacramenta. — 39. Parochiani non sunt necessario vocandi in unione parochialium. — 40. Parochialitatis suppressio, et curae translatio sustinetur, quando ex justa caussa, et cum Superioris permissione facta fuit. — 41. Parochianus ex justa caussa eximi potest pro determinato tempore a jurisdictione sui Parochi. — 42. Alia ad rem cum addit. ex alien. man. ad n. 80.

1 Parochia sumitur dupliciter, scilicet stricte, seu proprie, et large, seu improprie: *Communis*.

2 Parochia large, et improprie sumpta intelligitur pro tota Dioecesi, ut clare patet ex *c. Si quis ordinatus* 5. *dist.* 92. ibi: « Si quis ordinatus Episcopus ad parochiam, cujus est electus etc. »: *et ex cap. Si quis Episcopus* 5. *ead. dist.* 91. ibi: « Si quis Episcopus ordinatus ad Parochiam, cujus est electus etc. »; *et ex cap. Si qui Episcopi* 6. *ead. dist.* 92. ibi: « Si qui Episcopi ordinati sunt, neque recepti ab illa Parochia, in qua fuerant denominati: et ex cap. ». *Ad Apostolicae Sedis regimen* 20. *de decimis*, ibi: « De Parochia unius Episcopi in Dioecesi alterius transferatur etc. » Unde etiam Parochianos pro Dioecesano sumitur *in cap. Nullus Episcopus* 3. *de Parochiis*, ibi « Nullus Episcopus alterius Parochianum judicare praesumat ».

3 Parochia stricte, et proprie sumpta est certus territorii districtus per Papam, vel Episcopum determinatus, habens unum Rectorem stabilem, cum potestate populum ibidem existentem regendi, et judicandi, eique Sacramenta, aliaque Divina ad-
4 ministrandi: *Est in re communis*. Parochia ita nuncupatur quasi partitio Curae: Rota *rec. part.* 15 *dec.* 39. *num.* 10. Abbas *in Rubr. de Parochiis num.* 1. Archidiaconus *in cap. Ecclesias* 1. *caus.* 13. *qu.* 2. Fagnan. *in cap. Litterae* 1. *de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae num.* 12. Barbosa *de Officio*, *et potest. Parochi par.* 1. *cap.* 1. *num.* 16. cum pluribus ibi citatis: *Parochia* enim Graece, Latine *Partitio* dici-
5 tur, Fagnan. *loc. cit.* et alii. Et sic Parochia dicitur, quasi Partitio curae, quia Parochus, seu Rector Ecclesiae curam habere debet animarum totius populi intra limites Ecclesiae sibi assignatae congregati: *cap. Ecclesias* 1. *caus.* 13. *qu.* 1. c. *In Ecclesiis* 1. *de Capellis Monachor. cap. Cum*
6 *singula* 32. *de Praebend. in* 6. cum similibus. Parochia vocatur etiam *Paroecia*, hoc enim nomine usos fuisse antiquos Christianos demonstrat S. Augustinus *lib.* 14. *de Civ. Dei* his verbis: « Fuit Praesbyter nomine Restitutus in Paroecia Calamensis Ecclesiae »: Paroecia *autem latine* Accolarum conventus, seu habitatio, aut Cura dicitur: Barbosa *l. c* Calvin. *in magno lexico Jurid. verb. Parochia*; ubi ex aliis notat non primum *Parochias*, sed *Paroecias* appellatas esse.

7 Parochiae antiquitus non erant distinctae, sed Episcopus curam Animarum totius Dioecesis per Sacerdotes pro suo libitu missos, et ad nutum amovibiles administrabat, assignatis cuilibet laboranti Sacerdoti iis sustentationis mediis, quae Episcopus pro tali judicabat sufficientia, ut propterea tota Dioecesis merito diceretur Parochia: *arg. cit. Juribus sub num.* 2. Successu tamen temporis 8
cum populus Christianus magis, magisque in dies augeretur, Dionisius Papa XXIV. post. S. Petrum, *secatis, et partitis dioecesibus in plures Ecclesias Parochiales, seu Parochias, singulas has Parochias singulis Sacerdotibus assignavit, ut unusquisque proprium haberet territorium, seu certum districtum, ab hac partitione, ut supra dictum fuit, appellatum *Parochia*, intra cujus fines, ac limites populum inibi existentem in spiritualibus debite pasceret, ac regeret, nec nous alterius fines, et limites ingrederetur, ut expresse habetur in *cap. Ecclesias* 1. *caus.* 13. *qu.* 1. ubi dictus Papa Dionysius sic ait: « Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus, Parochias, et Caemeteria eis divisimus, et unicuique Jus proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius Parochiae terminos, aut jus invadat, sed sit unusquisque suis terminis contentus, et taliter Ecclesiam, et Plebem sibi commissam custodiat ». Et quod prima Parochiarum divisio facta fuerit a Dionysio Papa, habetur etiam *in c. Pastoralis* 9. *de his, quae fiunt a Praelatis sine consensu Capituli*, ibi: « Cum auctoritate Dionysii fuerint Parochiae limitatae »: et testantur passim Doctores, et signanter plurimi congesti a Barb. *de Offic. et potest. Episcop. cit. par.* 2. *cap.* 1. *num.* 18. Quamvis, 9
ut ibi ipse notat Card. Baron. *Annal. Eccles. tom.* 3. *ad annum* 325. *Vers. Unde hic*, et Theoph. *Parochialis par.* 1. *conc. Paroch. art.* 1. *pag.* 4. existimaverint ab ipsismet Apostolis factam divisionem Parochiarum.

* Liber Pontificalis si inspiciatur, videtur haec parochiarum divisio contigisse ann. 268. sedente adhuc Dionysio: Baronius enim dicti Pontificalis verba ad dictum annum §. 17. ita exponit: « Dionysii opus fuit parochias a Decessoribus suis distinctas limitibus certis, Presbyterisque divisas, quas persecutio Valeriani turbaverat, iterum dividere, ac pro ratione distribuere, caemateriisque singulis consignare: » Vide etiam *Blanchinum in notis ad Anastasium Bibliothecarium tom.* 2. *pag.* 23. *et* 231. Sed si fides habenda est *Murator. Annal. tom.* 2. *ad annum* 268. non potuit haec parochiarum divisio anno 268. contigisse, cum mortem Pontificis Dionysii referat ad dictum annum 268. De parochiis tamen vide *Thomasin. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 21. *de Beneficiis*, et laudatum *Murator. dissert. sopra l' antichità Italiane tom.* 3. *dissert.* 74. (*).

10 Parochias erigere, et dividere, praeter Papam, solus potest, et debet Episcopus: *cap. Nullus* om-

(*) Sive ut apud Anastasium Bibliothecarium XXVI. de quo quidem in vitis Rom. Pontificum Anastasio Bibliothecario attributis Edit Rom. 1731. Tom. I. pag. 21. « Hic Presbyteris Ecclesias divisit, et coemeteria, Parochias, et Dioeceses instituit »: quae verba qua ratione intelligenda sint, explicatur in *Notis* varior. ad illam sect. Tom. II: Part. II. pag. 228. seqq. Epistola autem Dionysii, ex qua testimonium hoc ipso numero assertur, supposititia est.

nino 11. *caus.* 16. *q.* 7. et docet ibi Barbosa cum communi Doctorum. Accedit Concilii Tridentini dispositio in *sess.* 21. *de reformat. cap.* 4. *et sess.*
11 24. *de reformat. cap.* 13. Ad Constitutionem Parochiae, seu ad hoc, ut aliqua Ecclesia dicatur, sit, et probetur Parochialis, plura requiruntur. Primo igitur requiritur, ut auctoritate Papae, vel Episcopi sit erecta, ut patet ex dictis *numero antecedenti*; Erecta tamen praesumitur auctoritate Papae, vel Episcopi, ex lapsu temporis, quo Rector Ecclesiae publice Divina Officia peregit, Sacramenta administravit, ac reliqua Parochialia praestitit, et recepit: Barb. *loc. cit. num.* 39. Afflict. *decis.* 368. *num.* 5. Lancell. Gallia *cons.* 124. *num.* 6. *vol.* 1. et alii passim.

12 Secundo reqniritur certum territorinm, seu certus locus, ac districtus cum certis limitibus ab Episcopo determinatis; *arg. cit. c. Ecclesias* 2. *caus.* 13. *q.* 1. *et cit. sess.* 21. *de reform. c.* 4. *et sess.* 24. *de refor. c.* 13. Rota recent. *par.* 2. *dec.* 228. *num.* 5. *et seq. et par.* 18. *tom.* 1. *dec.* 32. *num.* 2. *et seq.*

* 13 Tartio requiritur, quod in ipso designato loco, seu districtu sint saltem decem mancipia, seu, ut alii legunt, municipia, idest decem domus, aut familiae: *cap.* 3. *Unio* 3. *caus.* 10. *quaest.* 3. ubi statuitur, « Ut Ecclesia, quae decem habuerit mancipia, super se habeat Sacerdotem, quae vero minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Ecclesiis »: Barbosa *loc. cit. num.* 20. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal.* 28. *num.* 9. Carat. *de juribus Paroch. titul.* 3. *cap.* 3. *in fin.* Pacian. *de probat. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 23. et alii cum Rota recentior. *par.* 11. *decis.* 348. *num.* 38.

14 Quarto requiritur, ut unum solum, ac perpetuum Rectorem, seu Parochum habeat cum Cura Animarum, et potestate Fori Poenitentialis ipsi soli competente, ita ut jure ordinario nullus alius, sed solus, ac unicus Parochus praedictam habeat curam, et potestatem: Conc. Trid. *sess.* 24. *de refor. cap.* 13. ibi: « Cuicumque Parochiae suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignet, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta suscipiant », *c. Cum non ignores* 15. *de Praebendis*, ibi: « Cum non ignores, quod una Ecclesia unius debeat esse Sacerdotis », *et c. Extirpandae* 30. *eod. tit.* §. *Qui vero*, ibi: « Qui vero Parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per se ipsum illi deserviat, in ordine ad quem ipsius Ecclesiae cura requiritur, nisi forte Dignitati, vel praebendae Parochialis Ecclesia sit adnexa, in quo casu concedimus, ut qui talem habet praebendam, vel Dignitatem, cum oporteat eum in majori Ecclesia deservire, in ipsa Ecclesia Parochiali idoneum, et perpetuum habeat Vicarium Canonice institutum ». Rota rec. *pag.* 18. *tom.* 1. *dec.* 32. *num.* 2. *et seq.* * Si tamen ob nimiam populi frequentiam Rector electus nequeat ecclesiastica ministrare sacramenta, et impar sit divino cultui peragendo, tot sibi debet ad hoc munus perficiendum adjungere sacerdotes juxta dispositionem *Concilii Tridentini sess.* 21. *cap.* 4. *de reformat. Barbos. ibid. verb. ut unus rector.* 1. *Leuren. for. benefic. part.* 3. *quaest.* 958. *num.* 4. Caeterum, hac seclusa circumstantia, unico rectori inesse debet necessitas ministrandi sacramenta, et habitantibus eadem suscipiendi: *Corrad. prax. benefic. lib.* 3. *cap.* 5. *Barbos. jur. eccles. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 18. Qui vero hodie vocantur Cappellani, vel Vice-curati, non nomine proprio, prout opus est, sacramenta ministrant, sed alieno, nempe Rectoris, ideo cooperatores, non rectores debent appellari, licet curam animarum exerceant: at quod dicitur unicum esse debere rectorem, intelligi debet, de jurisdictione ordinaria, non delegata, qualis est jurisdictio capellani, vel vicecurati. Si enim cum ordinaria jurisdictione duo, vel plures alicui Ecclesiae praeficiantur, Curati, vel Rectores nequeunt appellari: *Ricc. in prax. for. Ecclesiast. resolut.* 561. *Leuren. for. Benefic. part.* 1. *qu.* 146. *

Quinto requiritur, quod non facta aliqua electione sepulturae per defunctos, et non existentibus sepulturis Majorum in dicta Ecclesia, corpora ibi sepeliantur tamquam in Parochiali, in qua, concurrentibus praedictis, defuncti debent sepeliri: *cap. Ex par.* 5 *de Sepulturis*; Rota in *Florentina Parochialis* 22. *Maii* 1630. *coram Coccino Decano*; Barbosa *loc. cit. num.* 30. et alii. 15

Novae Parochiae erectio, et antiquae dismembratio quomodo, et quando, et quibus concurrentibus fieri possit, et debeat? Vide verb. *Dismembratio, a num.* 10. *usque in finem.* 16

Pluribus in locis adsunt Parochiae, quae non distinguuntur per Domos materiales, et per determinatos districtus locorum, sed per populos, seu familias, et istae vocantur Parochiae Gentilitiae earumdem familiarum, ita ut etsi eaedem familiae commorentur in districtu alterius Parochiae, subsunt nihilominus jurisdictioni suae Parochiae Gentilitiae, et has Parochias non extendi ad alias familias diversas ab illis, pro quibus erectae fuerunt, ad longum probat Ursaya *tom.* 8. *part.* 1. *discept.* 24. *per tot.* 17

Parochialis Ecclesia dicitur, quae habet Jus consistens in Cura Animarum Parochianorum, ipsis Sacramenta ministrans, et proprium habens Rectorem, seu Parochum; Parochialitas enim nihil aliud est, quam Cura Animarum: Rota recent. *par.* 15. *dec.* 49. *num.* 3. Barbosa *loc. cit. num.* 26. Abbas in *Rub. de Paroch.* Carat. *de juribus Paroch. tit.* 1. *cap.* 3. Bellemer. *consil.* 38. *num.* 18
8. Guttier. *alleg.* 8. *num.* 6. et alii passim. Pa- 19
rochialis Ecclesia, ut probetur, non sufficit, quod Rector administret Sacramenta, nisi etiam ostendat, quod de necessitate administret, et populus ab eodem de necessitate recipiat; Glossa in *Clementin. Dudum, de sepulturis, verb. Impendat*, et ibi Imola *num.* 32. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 6. *num.* 36. Mantica *dec.* 48. *num.*

5. P. Greg. decis. 387. *num.* 7. Barb. *loc. cit.* n. 28. et alii cum Rota recent. *par.* 2. *dec.* 228.
20 *n.* 4. *et par.* 9. *t.* 1. *dec.* 110. *n.* 21. Parochialis Ecclesia de jure non praesumitur, sed est probanda; Rota recent. *par.* 2. *dec.* 228. *n.* 3. *dec.* 300. *n.* 5. Barbosa *loc. cit. n.* 36. cum pluribus ibi ci-
21 tatis. Unde in dubio est plene, et concluduntur probanda ab eo, qui talem esse asserit, et se fundat in ea: Rota recent. *part.* 2. *dec.* 228. *nu.* 3. *par.* 11. *dec.* 345. *n.* 9. *par.* 13. *decis.* 37. *n.* 2. Barbosa *loc. cit. n.* 36. et alii plures apud ipsum. * Hinc si incidat quaestio, an in quadam Ecclesia recipientes sacramenta ad id compellantur necessitate juris, tunc haec sunt inspienda. I. Quod habeat populum sibi deputatum certis limitibus distinctum. II. Quod populus ibidem audiat Missam diebus festis. III. Quod ibidem recipiat sacramenta. IV. Quod ibi sepeliantur etiam non facta electione sepulturae. V. Quod in ea Ecclesia asservetur Eucharistia, uti in parochialibus debet, et in aliis nequit, nisi ex indulto Apostolico, quo pollent Regulares: *Clement. I. de privileg. Piasec. in prax. Episc. par.* 2. *cap.* 3. *n.* 7. VI. Quod ibi fiant oblationes VII. Quod recipiat decimas, *Leuren. for. benefic. par.* 1. *qu.* 150. Notandum tamen, quod jus baptizandi, decimandi, oblationes recipiendi, et sepeliendi, non semper parochialem evincunt, cum haec omnia alio titulo competere possint: *Dec. in cap. ad aures num.* 10. *Corrad. for. benefic. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 5. *Imol. in Clement.* 1. *de baptis. Azor. par.* 2. *lib.* 3. *c.* 12. *quaest.* 3.

Plures autem sunt parochialium Ecclesiarum species. Aliae alias habent inferiores Ecclesias tamquam adjutrices. Aliae, distinctos fines, et populum habent. Aliae fines non habent distinctos, sed tantum familias. Aliae neglecta quacumque distinctione finium, et familiarum, cuilibet promiscue universo populo, et accedentibus sacramenta ministrant, quam tamen speciem reprobat, et Episcopis mandat ut tollatur *Conc. Tridentin. sess.* 24. *cap.* 13. *circ. fin. de reformat.* Aliae matrices, aliae filiales appellantur, quae tamen, ut plurimum aequalem habent jurisdictionem, et quoad curam animarum filiales nullam habent a matricibus dependentiam, servata tantum matrici praeminentia quadam adinstar Decani, et primae Dignitatis in Capitulo. Quod si filiales omnimode sint matricibus subordinatae, tunc amplius dici non poterunt parochiales, sed tantum Ecclesiae adjutrices: *Card. de Luc. de Paroch. dis.* 32. *et seq. de decimis dis.* 12. *n.* 12. *in Miscell. disc.* 1. *n.* 31. *Leuren. loc. cit. qu.* 151 *.
22 Jura Parochialis Ecclesiae, ut Parocho competentia, ultra potestatem Fori Poenitentialis, sunt sequentia. I. Quod Parochiani proles suas proprio Parocho teneantur baptizandas offerre; *arg. Conc. Florent. in Decreto Eugenii IV.* et tenet Barbosa *de offic. et potest. Parochi par.* 1. *cap.* 18. *nu.* 1. Layman. *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7, *n.* 2. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decret. tit,* 29. *n.* 9. et ipsis testibus, alii communiter: dicentes Parochianum graviter peccasse, si absque licentia proprii Parochi prolem suam baptizandam alieno offerat; Intellige tamen ubi non reperitur specialis Ecclesia Baptismalis assignata pro omnibus baptizandis cujuscumque Parochiae, quia tunc Presbyter ibi ad hoc deputatus habetur pro proprio omnium Parocho quoad collationem Baptismi. II. Ut saltem in Paschate Eucharistiae Sacramentum suscipiant in propria Ecclesia Parochiali; *c. Omnis utriusque sexus* 12. *de poenitet. et remiss.* Unde, si quis communicaret in Ecclesiis Regularium infra tempus Paschale animo satisfaciendi praecepto Ecclesiae, non satisfaceret, quia in Canone *Omnis utriusque* praecipitur a proprio Parocho Eucharistiam sumi: *Sacra Congreg. Concilii* 23. *Jan.* 1588. Immo Regulares non possunt in die Paschatis administrare Saecularibus Eucharistiam, neque per modum devotionis, etiamsi tales personae saeculares in alia die satisfecerint praecepto, ut respondit *Sac. Congregat. Conc. in Burdigalen.* 9. *Jun.* 1644. *in Senonen.* 11. *Jun.* 1650. *et in Mechlin.* 31. *Jan.* 1682. III. Ut solum a proprio Parocho Sacramentum Extremae Unctionis percipiant: *Clement.* 1. *de privilegiis*, ubi etiam exemptis, et privilegiatis Regularibus, sub poena excommunicationis prohibetur, ne absque licentia Parochi Sacramentum hoc alicui Parochiano administrent. IV. Quod mortui in Parochiali Ecclesia sepeliri debeant, nisi alibi sepulturam Majorum habeant, vel propriam eligant: *arg. cap. Nos Instituta* 1. *c. Ex par.* 5. *et cap. In nostra* 10. *de sepulturis* juncto *c.* 1. *et* 3. *eod. in* 6. Et si alibi sepulturam Majorum habeant, vel propriam eligant, debent Canonicam portionem, vulgo *Quartam funeralem*, Parochiae, *cit. cap. Nos instituta* 1. *cap. Fraternitatem* 3. *cap. de his* 4. *cap. Cum supra* 8. *cap. Certificari* 9. *cap. In nostra* 10. *de sepulturis*, cum similibus. V. Quod in Ecclesia parochiali coram proprio Parocho Matrimonia solemni ritu celebrentur, *c.* 1. *de Clandest. desponsat. cap.* 1. *caus.* 30. *quaest.* 5. juncto *Concil. Trident. sess.* 24. *de reform. Matrim. cap.* 1. VI. Quod Parocho solvi debeant decimae, primitiae, et oblationes. V. v. *Decimae*, et v. *Oblationes*. V. Append. post art. 4. v. *Parochus*.

Alias ad jura Parochialia spectabat, quod Paro- 23
chiani diebus Dominicis, et Festivis Missam audirent in Ecclesia Parochiali, *c. Ut Dominicis* 2. *de Parochiis*. Nunc autem possunt Parochiani Missas audire in Ecclesiis Regularium, et aliis non Parochialibus, et ibi satisfacere praecepto de audiendo Missam, ut dictum est sub verb. *Missa art.* 16. *n.* 9. 10. *et* 11.

Alias ad jura Parochialia spectabat etiam, quod 24
parochiani semel in anno sua peccata proprio Parocho confiterentur. *cap. Omnis utriusque* 12. *de poeniten. et remiss.* ibi: « Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno proprio confiteatur Sacerdoti »; Nunc autem certo satisfa-

cluunt, qui confitentur Regularibus, aliisque Confessariis ab Ordinario approbatis, ut patet ex *Clement. Dudum* 2. *de Sepulturis* §. *Statuimus etiam*, Extrav. Joann. XXII. *Vas electionis. de Haereticis;* Extravagant. Bened. XI. *Inter cunctas*, *de Privilegiis*, ex Const. Leonis X. incip. *Dum intra mentis arcana* §. 6. ex Constitut. Pauli III. incip. *Licet debitum*, ex Constit. Clementis VIII. incip. *Significatum fuit Nobis*. Hinc dicentes nunc, quod Confessi Religiosis ab Episcopo approbatis teneantur iterum eadem peccata proprio Parocho confiteri, suspecti sunt de Haeresi, et possunt per Inquisitores puniri, quibus sunt denuntiandi; Diana *par*. 4. *tract*. 8. *resolut*. 102. Nicol. *in Floscul. verb. Confessio n*. 7. Viva ad propositiou. 21. ex damnatis ab Alexand. VIII. *n*. 1. ubi ex Joanne de La Cruz *de statu Religioso lib*. 2. *cap*. 6. advertit id fuisse statutum a Sixto IV.

25 An autem benedictiones, et distributiones Candelarum, Cinerum, et Palmarum sint de Juribus mere Parochialibus; Vide verb. *Confraternitas artic*. 2. *n*. 4. *in responsione ad* 5. *dubium*.

26 An benedictiones mulierum post partum, Fontis Baptismalis, ignis, seminis, ovorum, et similium sit de juribus mere Parochialibus, Vide *ibid. in responsione ad* 6.

27 An functiones omnes hebdomadae Sanctae sint de juribus mere Parochialibus? Vide *ibidem in resp. ad* 7.

28 An celebratio Missae solemnis feria quinta in Coena Domini sit de dictis Juribus Parochialibus? Vide *ibidem in resp. ad* 8.

29 An prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto sit de juribus Parochialibus? Vid. *ibidem. in resp. ad* 9.

30 An celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis Juribus Parochialibus? Vide *ibidem in resp. ad* 10.

31 An expositio quadraginta Horarum, et benedictio, quae fit super populum, sit de dictis juribus arochialibus? Vide *ibidem in responsione ad* 11.

32 An expositio, quae fit cum Reliquiis, vel Sacris Imaginibus, et benedictio, quae cum eis fit super populum, sit de dictis juribus Parochialibus? Vide *ibid. in responsione ad* 12.

33 Parochianus alicujus Parochiae ut quis efficiatur, sufficit solum habitationis principium, nec requiritur, quod illibi pro majori anni parte habitaverit: Rota recentior. *par*. 4. *decis*. 629. *n*. 3. *et* 9. *par*. 15. *decis*. 252. *n*. 20. Barbosa *de offic. et potest. Parochi par*. 2. *cap*. 2. *nu*. 35. *et seq*. cum pin-
34 ribus ibi citatis. Intellige tamen de eo, qui contrahit domicilium animo non redeundi, secus vero, si de tali animo nullibi constet: Rota recent. *part*. 4. *tom*. 3. *decis*. 629. *nu*. 3. *et* 9. *par*. 11. *decis*. 348. *num*. 3. *et seq. part*. 11. *decis*. 162.
35 *num*. 21. Efficitur tamen Parochianus illius Parochiae, qui ad habitandum in ea se contulit ad evitanda impedimenta, quae parentes suo Matrimonio praebere intendunt: Rota rec. *par*. 15. *decis*. 60. *n*. 28. Et quoad hoc habentur plures 36
casus sic decisi a Sacra Congregatione Concilii, et referuntur sub verb. *Matrimon. quoad Impedim. art*. 2. *n*. 77. Vide *ibi*. Plures aliae quoad hoc resolutiones dictae Sacrae Congregationis Concilii referuntur a Barbosa *de Offic. et potestate Parochi part*. 2. *c*. 21. et ab Ursaya *tom*. 2. *p*. 1. *disc*. 10.

Quando quis habitat in confinio duarum Ecclesiarum Parochialium, censetur Parochianus illius, 37
in qua Domus aditum magis frequentatum habet; Aloysius Riccius *in praxi rerum Fori Ecclesiastic. decis*. 333. *in* 1. *edit*. alias *resolut*. 510. *in* 2. *edit*. Barbosa *de offic. et potestat. Parochi par*. 2. *cap*. 21. *num*. 43. *et offic. et potest. Episcop. par*. 2. *allegat*. 32. *num*. 71. et alii. Parochia- 38
nus, si in una Ecclesia solet audire Missam, in altera vero recipere Sacramenta, Canonica portio debetur ei, a qua recipit Sacramenta; *c. Non instituta* 1. *de Sepultur*. Barbosa *de offic. et potestat. Parochi par*. 3. *cap*. 25. Silvester *in Summa*, *verb. Canonica portio num*. 11. Fr. Emmanuel. *qu. Regul. tom*. 1. *q*. 39. *art*. 5. et alii.

Parochiani non necessario sunt vocandi in unione Parochialium: *Sacra Congregatio Concilii in* 39
Fulginaten. 30. *Januar*. 1723. Parochialitatis 40
suppressio, et Curae translatio sustinetur, quando ex justa causa, et cum Superioris permissione facta fuit: *Sacra Congr. Concil. in Cesenat*. 31. *Jul*. 1723.

Parochianus ex justa causa eximi potest pro determinato tempore a Jurisdictione sui Parochi: 41
Sic in una Romana 5. *Apr*. 1690. ut refert Ursaya *tom*. 1. *par*. 1. *decis*. 10. *a n*. 90.

Parochiales Ecclesiae dignioribus sunt conferendae: Bened. XIV. Constitut. 68. incip. *Cum* 42
illud §. 1. *et* 7. Parochialium Ecclesiarum collatio, praevio concursu, et examine, fieri debet: Idem 43
ib. Vide tom. 2. verb. *Concursus*, et tom. 3. verb. *Examen*. In electione dignioris in Parochialium 44
provisione potest Episcopus procedere ex informata conscientia: Idem *ib*. §. 14. *et* 16. Si autem 45
appellatum fuerit, causas sibi notas significabit Judici Superiori per litteras familiares: Idem *ibid*. 46
Vel Cardinali Praefecto Congregationis Concilii: Idem *ib*.

Quando Parochialis collatio spectat ad Datariam 47
Apostolicam, concursus ab Ordinario indici, et compleri potest, non petita venia: Idem *ibidem* §. 48
19. Electio autem dignioris ab eo fieri potest, si agatur de Beneficiis Curatis reservatis ratione mensium; nec tenetur trasmittere acta concursus, nisi postulata fuerint: Idem *ibid*. Si vero Beneficium 49
alia qualibet ex causa reservatum fuerit, acta transmittet, nec digniorem pronunciabit: Idem *ibidem*.

Parochiales Ecclesiae conferri nequeunt Canonicis Regularibus Lateranensibus absque Indulto A- 50
postolico: Idem Constit. 134 incip. *Quod inscrutabili, per tot*. Vide tom. 2. verb. *Beneficia*, et ad verb. *Canonici Regulares*. Nec Presbyteris, sive 51
Clericis Congregationis Missionis, Idem Constit.

69. incip. *Quo magis* §. 4. Vide tom. 5. verb. *Missionarii*.

52 Frequentia populi ad Ecclesiam Parochialem turbari non debet per celebrationem solemnitatum in aliis Ecclesiis: Idem Constitut. 42. incip. *Etsi mi-*
53 *nime* §. 15. Ante Missam Parochialem celebrari non debent Missae in Ecclesiis ruralibus Parochiae
54 proximis: Idem *ibidem* §. 14. In remotioribus autem Sacerdos celebrans Doctrinam Christianam po-
55 pulo tradere debet: Idem *ibid*. Parochiali Ecclesiae vacanti Vicarius ab Episcopo deputari statim debet: Idem Constit. 68. incip. *Cum illud* §. 16.

56 Parochiae Grecorum committi debent, iis, qui in Seminariis Italo-Grecorum, seu Albanensium trium ad minus annorum spatio versati sunt: Idem
57 Constitut. 17. incip. *Etsi Pastoralis* §. 5. Possunt tamen Ordinarii Latini alios Praesbyteros idoneos Parochis Graecis velut Coadjutores adjungere: Idem
58 *ibidem*. Nunquam tamen Monachis Graecis, seu Calogeris animarum Cura debet committi, nisi ex necessitate, vel alia justa causa: Idem *ibid*. §. 9.

59 Parochiae Italo-Graecorum committi non debent Italo-Graecis a Latino Dioecesano Episcopo Latine ordinatis, sed ipsis praefici debent Graeci, vel Albanenses, catholici tamen, sive advenae, sive indigenae Greco ritu viventes: Idem *ibidem* §. 9

60 Parochialia munia in Graecos Melchitas soli exercere possunt Fratres Ordinis Minorum Custodiae Terrae Sanctae in defectu Parochi Ritus Grae-
61 ci: Idem Costit. 87. Incip. *Demandatam* §. 13. Parochialia emolumenta jure percipiuntur a Missionariis exercentibus Curam animarum in defectu Parochi Catholici nationalis: Idem *ibidem*.

62 Parochiales Ecclesiae Regularium in Indiarum Regionibus subsunt Episcoporum jurisdictioni: Id.
63 tom. 2. Constit. 1. incip. *Quamvis*. Parochi Ecclesiarum Regularium, sive Regulares, sive saeculares sint, subsunt jurisdictioni Episcopi in iis,
64 quae animarum Curam respiciunt: Idem *ibid*. Parochi Regulares Curam animarum assumere nequeunt, sine examine, approbatione, et consensu Episcopi: Idem *ibid*.

65 Ad vacantem Ecclesiam Parochialem tenetur Patronus Ecclesiasticus, etiam in foro externo, praesentare magis idoneum, seu digniorem ex approbatis ab Examinatoribus; utrumque enim forum respiciunt verba Conc. Trid. *cap* 18. *sess*. 24. ibi. « Quem Patronus digniorem inter approbatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo praesentare teneatur »: Ben. XIV. *de Synodo Dioecesana lib*.
66 4 *c*. 8. *n*. 8. Episcopus debet judicio Patroni acquiescere, et instituere sic a Patrono praesentatum, si ex approbatis ab Examinatoribus nullus reclamet; cum Concilium Tridentinum dixerit sine ulteriori indagine instituendum, quem Patro-
67 nus tamquam digniorem praesentaverit. Sed si aliquis ex approbatis de judicio Patroni conqueratur, et hac de causa ad Episcopum provocet, debet Episcopus Judicis partes assumere, et diligenter inquirere, an rectum fuerit judicium a Patrono latum, de sui praesentati meritorum supra reliquos ex approbatis praestantia: Idem *ibidem*. Si 68
quis appellet a sententia Episcopi, cujus judicium sit conforme judicio Patroni, appellatio est admittenda solum in devolutivo. Si vero sit difforme, 69
est admittenda etiam in suspensivo, et interim nullus est instituendus usque ad sententiam Judicis appellationis, et Parochialis est administranda ab Oeconomo: Idem *ibidem*. Quod totum statuit *tom*. 2. *Bullar. Constitut*. 4. *incip. Redditae*.

Si Parochialis Ecclesia fuerit jurispatronatus 70
Laicorum, vel mixti, admittendus est sine concursu praesentatus a Patrono, et idoneus ab Examinatoribus repertus: Conc. Trid. *loc. cit*. ibi: Quod si juspatronatus Laicorum fuerit, debeat qui a Patrono praesentatus erit, ab iisdem deputatis, ut supra examinari, et non nisi idoneus repertus fuerit, admitti »: Idem *in citat*. *c*. 8. *n*. 9. ubi subjungit, quod idem declaratum fuit *a Sac. Congregatione Concilii* 5. *Feb*. 1628. de Parochiali jurispatronatus mixti, idest partim Ecclesiastici, et partim Laicalis, ne jura Laici ob consortium cum Ecclesiastico ulla ex parte laederentur. Si autem 71
ab uno, aut pluribus Patronis Laicis, gaudentibus aequali jure, plures ad vacantem Parochialem sint nominati, et Episcopo praesentati, neque ullus ex praesentatis retulerit a Patronis plures voces, quam caeteri, tenetur Episcopus indicere concursum inter eosdem praesentatos, atque illum eligere, quem ex approbatis ab Examinatoribus Synodalibus judicaverit magis idoneum, ut decrevit *eadem Sacra Congreg. Concil*. apud ipsum *cit*. *n*. 9. et Barbosam *de offic. et Potest. Parochi part*. 1. *cap*. 2. *n*.
130. Episcopi jus eligendi digniorem in praedictis 72
omnibus, Sede Episcopali vacante, transit ad Capitulum, et ab hoc ad Vicarium Capitularem sine ulla poenitus reservatione: Idem *cit. cap*. 8. *n*. 10. ex Decreto *Sacrae Congregationis Concil. in Elven*. 1. *Decemb*. 1736. et ex pluribus aliis jam ad id allatis tom. 2. verb. *Capitulum art*. 3. *a n*. 58. *ad* 64. Vide *ibi*.

Parochiae, aliaque Curata Beneficia, et Officia 73
Indiarum Occidentalium, sublato asserto privativo jure Regularium, saecularibus Sacerdotibus canonice conferuntur; Benedict. XIV. Constit. incip. *Cum alias* §. 2. 3. Immo si ob defectum Sacerdotum saecularium iisdem praeficiantur Regulares, hi tamquam amovibiles ad nutum, possunt, nulla expressa causa, ab Ordinario, vel etiam a Superiore Regulari removeri: Idem *ibid*. §. 2. Et jam id statuerat ad instantiam Regis Catholici in alia sua Constitutione incip. *Cum nuper*, confirmata, et declarata in hac ultima *Cum alias*.

Parochialibus Ecclesiis Basilicae Assisiensi San- 74
cti Francisci unitis, praeficiendi sunt Vicarii saeculares ad nutum amovibiles: Bened XIV. Const. incip. *Fidelis Dominus* §. 16.

Canonici Regulares Praemonstratenses possunt 75
obtinere, et retinere perpetuo sine Apostolica dispensatione Ecclesias Parochiales, etiam saeculares,

et Vicariis; Sic declaravit Benedictus XIV. die 1. Septembris 1750. Constitution. incip. *Onerosa*.

NOVAE ADDITIONES EX ALIENA MANU.

76 De etymologia verborum *Parochia Parochianus*, *Parochus* non sum sollicitus. Vide de ea, si lubet, varias opiniones apud *Bohemer. Jur. Paroc. sect.* 1. *c.* 1. §. 1. *et plur. seq.*

77 Nec sum sollicitus de origine Parochiarum, an ea Tito in Creta, an Evaristo, an Anacleto, an Dionysio sit attribuenda: Confer itidem *Bohemer. Jur. Parochial. dict. sect.* 1. *c.* 2. *per tot.*

78 Parochia est « Societas quaedam publica Ecclesiastica ex Parochis, et Parochianis composita in certo districtu, constitutis, et certis limitibus circumscriptis, vi cujus Parochiani Ecclesiae in illo restrictu sitae obligantur ad peragenda ibi Sacra, et ad onera tum Parocho, tum Ecclesiae praestanda, Parochus vero ad illa, quae sui officii sunt ». In Parochia igitur considerari debent Parochus, Ecclesia Parochialis, et Parochiani.

Facile autem est hinc dignoscere, quid requiratur, ut Ecclesia dici queat parochialis. Sed vide, si materiae plenam discussionem desideres, Rot. in *Polycastren. Jurium Parochialium* 10. *Januarii* 1729. *cor. clar. mem. Cincio, et in Sabinen. Jurium Parochialium* 8. *Maji* 1733. *cor. clar. mem. Calcagnin. et* 8. *Junii* 1736. *cor. clar. mem. Millin.* 79

At non ita facile est breviter tradere, quia discendus sit Parochianus ad omnes praesertim effectus, tum si una in Civitate, de qua agitur sit Parochia, tum et maxime si plures sint in ea Parochiae. Adi *Bohemerum Juris Parochial. sect.* 3. *c.* 4. *per tot.* qui argumentum hoc illustravit. 80

PAROCHUS

ARTICULUS I.

PAROCHUS QUOAD EA, QUAE CONCERNUNT EJUS NOMENCLATURAM, ELECTIONEM, ATQUE APPROBATIONEM.

SUMMARIUM

1. Parochi apud Ethnicos dicebantur illi, qui Legatis publice Romam missis salem, et ligna praeparabant. — 2. Parochi in Ecclesia sunt Sacerdotes, auctoritate Episcoporum Ecclesiis praefecti, ut Plebibus, sive populis omnia necessaria ad pascendas Animas subministrent. — 3. Parochus dictus est quasi Paroecus; Paroecus autem Graecis est incola, sive habitator in loco. — 4. Parochus, seu Paroecus dicitur a *Parochia*, seu *Paroecia*, sicut et Parochiani seu Paroeciani. — 5. Ex Parochis aliqui vocantur *Plebani*, qui videlicet curam exercent animarum in Plebania habente sub se plures Ecclesias, vel Cappellas. — 6. Plebani sunt dicti sic a Plebe, vel populo, qui sub eorum cura regitur. — 7. Aliqui appellantur *Rectores*, qui Plebem, ut Populum sibi commissum cum cura regunt, et eorum Beneficium vocatur *Rectoria*. — 8. Aliqui vocantur *Cappellani*, et sunt illi qui in Ecclesia Monachorum curam Animarum exercent. — 9. Aliqui vocantur *Sacerdotes proprii* Sacerdos enim proprius vocatur cujuslibet parochiae Rector. — 10. Aliqui vocantur simpliciter *Curati* sic dicti a Cura, quam de regendis Ovibus susceperunt, Qui Curati alicubi sunt insigniti nomine *Archipresbyteri*, et alibi nomine *Praepositi*, et hujusmodi — 11. Pro Parocho, quocumque nomine nuncupetur, eligi debet persona idonea, quae in propria parochia residere, et per se ipsam Animarum Curam exercere valeat. — 12. Idonea persona in hac materia dicitur praedita aetatis maturitate, morum gravitate, et litterarum scientia. — 13. Hinc Parochi debent eligi ad praescriptum Concilii Tridentini *sess.* 24. *de reform. cap.* 18. et Constit. S. Pii V. incip. *In conferendis Beneficiis*. — 14. Nempe per examen, et concursum coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, et saltem tribus Examinatoribus Synodalibus. — 15. Quomodo autem, quando, ubi, et a quibus sit indicendus concursus pro Parochis eligendis? *remissive*. — 16. In Parochos eligendi, et promovendi sunt sub gravi culpa meliores, seu digniores. — 17. Parochus in Ecclesia exempta Animarum Curam exercere intendens, prius approbandus, et examinandus est ab Episcopo. — 18. Examen, et approbatio Vicariorum ad Curam Animarum positorum in Ecclesiis unitis Ordini S. Joannis Hierosolymitani ad Episcopum pertinet. — 19. Parochus pro Cura Animarum non potest deputari, nisi de consensu Episcopi, et praevio examine. — 20. Examinato, et approbato in Urbe ad Curam Animarum non possunt ab Episcopo Ordines denegari sub praetextu insufficientis litteraturae. — 21. An, et quatenus Episcopus possit Parochos rite, ac recte semel approbatos iterum ac pluries examinare? *ad num.* 28. — 29. Alia ad rem ad n. 37.

1 Parochi apud Ethnicos olim dicebantur illi, qui Legatis publice Romam missis salem, et ligna praeparabant, idest illi, qui omnia necessaria Legatis Regum, Principum, ac Rerum publicarum hospitio receptis, suppeditabant, teste Acrone in illud Horatii *lib.* 1. *Serm. Sat.* 5. ibi:

Proxima Campano ponti, quae villula tectum
Praebuit, et Parochi, quae debent ligna, salemque.

Et sic referunt Calvinus in *Magno Lexico juridico tom.* 2. *verb. Parochus;* Petrus Gregorius *Syntag. Juris lib.* 36. *cap.* 30. *n.* 9. Barbosa *de Offic. et potest. Parochi part.* 1. *cap.* 1. *n.* 1. et alii.

2 Unde quidam censent adinstar istorum dictos esse
Parochos in Ecclesia Catholica, eo quod sint Sa-
cerdotes auctoritate Episcoporum Ecclesiis prae-
fecti, et plebibus, sive populis omnia necessaria
ad pascendas animas subministrent. Alii vero exi-
stimant Parochum dictum esse quasi Paroecum.
3 Paroecus autem Graecis est incola, sive habitator
in loco, ut habetur *in l. Pupillus* 239. *ff. De ver-
bor. significat.* ibi: « Incola est qui in aliquam re-
gionem domicilium suum contulit, quem Graeci
Paraecon (idest juxta habitantem) appellant »:
Ita Azorius *Instit. moral. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 12.
q. 1. Barbosa *loc. cit. n.* 3. et alii.
4 Parochus, seu Paroecus dicitur a *Parochia*, seu
Paroecia, sicut et Parochiani, seu Paroeciani: Bu-
daeus, citatus, et sequutus a Barbosa *loc. cit. n.*
5 14. Calvin. *l. c. verb. Parochia.* Ex Parochis ali-
qui vocantur *Plebani*, *ut in cap. Scriptum est* 40.
de elect. qui videlicet curam exercent Animarum
in Plebania habente sub se plures Ecclesias, vel
Cappelias; *c. Statutum* 1. *Ne Clerici, vel Monachi*
6 *in* 6. Et sunt sic dicti a plebe, vel populo, qui sub
eorum cura regitur, et habet se Plebanus cum ce-
teris Curatis unius Plebis, sicuti Archiepiscopus
cum suffraganeis suae Provinciae: Barbosa *loc. cit.*
n. 5. et alii passim.
7 Aliqui vero appellantur *Rectores*, quia plebem,
et populum sibi commissum cum Cura regunt, jux-
ta *cap. Ut quisque Presbyter* 3. *de vita, et hone-
state Clericor. et cap. In Ecclesiis* 1. *de Capellis
Monachor.* et eorum Beneficium vocatur *Rectoria*,
c. Cum olim 28. *de Praebend.* Aliqui vocantur *Ca-
pellani*, et sunt illi, qui in Ecclesia Monachorum
8 Curam Animarum exercent, *ut in cap. in Eccle-*
9 *siis* 1. *de Capellis Monachorum.* Aliqui vocantur
Sacerdotes proprii; Sacerdos enim proprius vocatur
cujuslibet Parochiae Rector, *c. Omnis utriusque*
10 *sexus* 12. *de poenit. et remiss.* Aliqui vocantur
simpliciter *Curati* sic dicti a Cura, quam de re-
gendis Ovibus susceperunt: Qui curati alicubi sunt
insigniti nomine *Archipresbyteri*, et alicubi nomi-
ne *Praepositi*, et hujusmodi.
11 Pro Parocho, quocumque nomine nuncupetur,
eligi debet persona idonea, quae in propria Paro-
chia residere, et per se ipsum Animarum Curam
exercere valeat, ut colligitur *ex c. In Parochia* 31.
causs. 16. *q.* 1. *c. Cum in cunctis* 7. *de elect. c.
Eam te decet* 4. *de aet. et qualitat. cap. Quia non-
nulli* 3. *de Clericis non resident. cap. Grave nimis*
28. *de Praebend. cap. Licet. Canon.* 14. *de ele-
ction. in* 6 cum similibus, juncto Conc. Trident.
sess. 7. *de reformat. cap.* 3.
12 Idonea persona in hac materia dicitur praedita
aetatis maturitate, morum gravitate, et littera-
rum scientia, *cap. Cum in cunctis* 8. *de election.
§. Inferiora.* ibi: « Alia, quae Curam Animarum
habent annexam, nullus omnino suscipit, sed nec
Parochialis Ecclesiae regimen, nisi qui eum 25.
annum aetatis attigerit, et scientia, et moribus
commendandus existat »; cum similibus.

Hinc Parochi debent eligi, et institui ad prae- 13
scriptum Concilii Tridentini *sess.* 24. *de reform.
cap.* 18. et Constit. S. Pii V. incip. *In conferen-
dis Beneficiis:* Nempe per examen, et concursum 14
coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, et sal-
tem tribus Examinatoribus Synodalibus: Concil.
Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 18. *de reformat.*

Quomodo autem, quando, ubi, et a quibus sit 15
indicendus concursus pro Parochis eligendis? Vide
verb. *Beneficia art.* 4. *a n.* 21. verb. *Concursus
per tot.* verb. *Examinatores a num.* 25. *usque in
finem.*

In Parochos eligendi, et promovendi sunt sub 16
gravi culpa meliores, seu digniores. Vide verb.
Electio art. 3. *per tot.* et signanter. *n.* 15.

Parochus in Ecclesia exempta Animarum Cu- 17
ram exercere intendens, prius approbandus, et e-
xaminandus est ab Episcopo juxta dispositionem
cap. Exemptionem, de privileg. in 6. *Sacra Con-
greg. Concilii in Caputaquen.* 23. *Junii* 1639.

Examen, et approbatio Vicariorum ad Curam 18
Animarum positorum in Ecclesiis unitis Ordinis
S. Joannis Hierosolymitani, ad Episcopum perti-
net: *Sacr. Cong. Conc. in Augustana* 4. *Dec.* 1631.

Parochus pro Cura Animarum non potest de- 19
putari, nisi de consensu Episcopi, et praevio exa-
mine: *Sacr. Congr. Concil. in Pictavien.* 4. *Junii*
1627.

Examinato, et approbato in Urbe ad Curam A- 20
nimarum non possunt ab Episcopo Ordines dene-
gari sub praetextu insufficientis litteraturae: *Sac.
Congreg. Episc. et Regul. in Sutrina* 26. *Januarii*
1590.

An, et quatenus Episcopus possit Parochos ri- 21
te, ac recte semel approbatos, iterum, ac pluries
examinare? Respondendum est cum distinctione:
Aut enim agitur de Parochis examin., et approba-
tis ab eod. Episc. vel ab antecess. Si agatur de Pa-
rochis examinatis, et approbatis ab eodem Epi-
scopo, non potest idem Episcopus eos iterum exa-
minare, nisi novis supervenientibus vehementibus
indiciis, etiam extrajudicialibus, de eorum im-
peritia, seu defectu necessariae scientiae ad suum
obeundum, et adimplendum officium: Sic expres-
se Rota recent. 19. *tom.* 1. *decis.* 257. *nu.* 1. *et
seq.* cum pluribus ibi adductis, Monacell. *tom.* 1.
tit. 10. *Formul.* 15. *n.* 2. cum Gonzalez, Garcia,
Barbosa, et Cardin. de Luca ibi allegatis, Pigna-
tell. *tom.* 1. *consult.* 133. *num.* 7. *et seq.* Et sic
censuit *Sacr. Congreg. Concilii. in Pampilonensi*
apud Pignatell. *loc. c. n.* 8. ubi cum quaereretur.

Primo: « Utrum Episcopus possit examinare 22
Parochos, et Rectores semel approbatos ad Curam
Animarum exercendam, quando ex rationabili, et
legitima causa habetur vehemens suspicio de illo-
rum imperitia ad Sacramenta ministranda, et mu-
nus suum adimplendum; et clarius cognita illo-
rum illiteratura, detur illi Coadjutor benemeritus
cum assignatione alicujus portionis fructuum pro
ejus congrua sustentatione?

Secundo: « An possit hoc examen facere non solum in actu Visitationis, sed etiam extra illam respectu alicujus Parochi, de cujus imperitia habetur certa notitia?

Tertio: « An ad ejusmodi examen faciendum requiratur, quod imperitia talis Parochi examinandi probetur juridice per testes deponentes; an vero sufficiat talem imperitiam constare Episcopo extrajudicialiter, vel quia expositum fuit illi per personas fide dignas, quae nolunt juridice deponere propter metum, respectum, vel aliam rationem, vel quia ipsemet Episcopus ex aliquibus actionibus, quas videt, et notat in ipso Parocho, et ex verbis, quae occurrunt, facit conjecturam fere evidentem de imperitia illius. His igitur scrupulis anxiatus supplicat pro declaratione, ut salutare pabulum suis Ovibus praebere, suoque muneri satisfacere possit »;

Sacra Congreg. etc. die 16. *Januar.* 1667. *censuit ad omnia respondendum, Affirmative.*

23 Cumque ab eodem Episcopo Pampilonensi iterum die 22. *Septembris* 1668. quaesitum fuisset, an in actu Visitationis Ordinario liceret examinare Parochos, quamvis contra illos suspicio imperitiae non urgeret; Sacra Congregatio absolute respondit *Negative*: Sic Rota *l. c. decis.* 166. *n.* 1.

24 Et sic etiam censuit *Eadem Sac. Congr. Concilii in Tridentina juris examinandi* 18. *Aprilis* 1671. Consulta enim, « An possit idemmet Ordinarius examinatos, et ad Confessiones audiendas, ac Curam Animarum exercendam, Ecclesiasque Parochiales obtinendas idoneos repertos, et approbatos, ad novum examen vocare, quando nulla adest rationabilis suspicio de illorum imperitia? *Respondit*, servandam esse declarationem alias editam sub die 22. Septembris 1668. in Pampilonensi, quae non potest esse, et intelligi nisi de Episcopo approbante, de quo in Tridentina quaerebatur, alias Sacra Congregatio ad eam non remisisset: Sic expresse Rota *l. c. decis.* 257. *a n.* 18.

25 Et quod possit idem Episcopus iterum examinare a se ipso jam examinatos, et approbatos Parochos, quos probabiliter judicaverit insufficientes, eo quod non vacaverint studio, et scientiam, quam prius habebant, deperdiderint, colligitur aperte ex Concilio Tridentino *sess.* 21. *c.* 5. decernente, quod possit Episcopus Rectoribus Parochialium illitteratis dare Coadjutores; Nam si non posset examinare, aut non posset dare Coadjutores, sic redderetur inane dictum Decretum Concilii; aut dando, fieri posset, quod iis quoque daret, quia revera essent litterati, et sufficientes; adeoque ad haec inconvenientia evitanda, dicendum est, quod Episcopus possit reexaminare a se ipso jam examinatos, et approbatos Parochos, quos ex supervenientibus vehementibus indiciis vere probabiliter judicaverit illiteratos, et insufficientes, ex quo non exculta scientia in ipsis defecerit: Opinio enim insufficientiae est veluti quaedam accusatio, seu denunciatio.

Si autem agatur de Parochis examinatis, et approbatis ab Episcopo antecessore, non solum potest Episcopus successor eos examinare cum probabiliter ex vehementibus indiciis eos judicat illitteratos, ac insufficientes, sed etiam sine talibus indiciis pro sola quiete conscientiae suae: Sic Rota recent. *part.* 19. *tom.* 1. *cit. decis.* 258. *a n.* 3. cum pluribus ibi citatis, Solorz. *de Jure Indiarum* c. 17. *n.* 2. *t.* 2. *lib.* 3. Diana *part.* 4. *resol.* 49. Barbastren. *de Paroch. p.* 1. *c.* 2. *n.* 4. *tract.* 10. et alii. Et ratio est, quia Episcopus tenetur ex munere suo curare, et attente prospicere, ut Ecclesiae sibi subditae recte administrentur, et Oves propriae accurate pascantur; *cap. Qui autem Episcopatum* 11. *caus.* 8. *qu.* 1. id autem praestare non potest, nisi per examen inquirendo, an Parochi scientiam semel acquisitam amiserint, vel eam amplius excoluerint, ideoque eos examinare potest, et non alieno, sed proprio judicio deferre: Glossa *ad cap. Cum secundum Apostolum* 16. *de Praebend. verb. liceat*, ibi: « Sed Successor potest, et ita semel approbatus iterum probatur, et reprobatur sicut Medicus »; quod et ante notaverat *ad cap. Accepimus* 35. *de aetate, qualitat. et ordin. praeficiend. verb. Examinare.* Unde si in examine eos insufficientes, ac illiteratos reperiat, sufficientem eis Coadjutorem assignare tenetur, ne Oves suae fame pereant; Quam ob rem Christus ipse Ecclesiasticos alloquens, praesertim Parochos *Matth.* 5. dicit; « Vos estis sal terrae, quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras ». Et *Malachiae* 2. inquit Deus: « Labia Sacerdotis custodient scientiam, et Legem requirent ex ore ejus; Vos autem recessistis de via ». Et *Oseas* 4. dicit: « Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi ». 26

Enimvero S. Pius V. Const. incip. *Rom. Pontificis*, ubi statuit, Regulares confessiones secularium audire non posse, nisi praevio examine fuerint ab Ordinario approbati insuper addit *ibid.* §. 2. « Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Civitate, vel Dioecesibus suis praevio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari; Ceterum ab Episcopo successore pro majori conscientiae suae quiete examinari de novo poterunt, etiamsi sint Lectores, et in Theologia graduati ». Quae sane verba nullam requirunt causam in Successore, ut possit examinare Regul approbatos ab Antecess. nisi ob solam propriae conscientiae quietem, et proinde S. Pont. Lectores, et Graduatos in Theologia noluit excipere, in quibus suspicio imperitiae facile considerari non potest, sed eos pro sola quieta conscientiae suae a Successore examinari posse sancivit. Unde conficitur argumentum a multo magis *Authent. Multo magis. Cod. de Sacrosanctis Eccles.* Si enim Successor Episcopus Regulares adeo a S. Sede Privilegiatos, semel a Praedecessore approbatos, licet Lectores, et Graduatos in Theologia, potest pro recta, et tuta Sacramenti 27

Poenitentiae administratione ad examen vocare, multo magis poterit Parochos a se numquam examinatos examinare, ut experiatur, an exculta duret scientia, et peritia, de qua cognovit Praedecessor, ut sic consulat quieti conscientiae suae, quam ratiocinationem indnxit Capon. *Controv.* 42. *n.* 8. post. Joann. Sanchez *in select. Sacrament. disp.* 48. et sic censuit *Sacra Congr. Concilii in Placentina* 28. *Augusti* 1628. his verbis: « Examinare iterum potest Episcopus, tam in Visitatione, quam extra super doctrina, et litteratura Parochos approbatos ab Antecessoribus tempore provisionis Parochialium », apud Barbosa *in Summa Apostolic. decis verb. Examinare n.* 11. Hactenus Rota cit. dec. 257. *a n.* 5. *ad* 17.

28 Recta tamen concludit Monacell. *cit. t.* 1. *tit.* 10. *formul.* 15. *n.* 3. quod Episcopus sententiam hanc ad praxim non debet deducere, nisi raro, cum magna cautela, et non nisi praecedente diffamatione, seu conjectura imperitiae Parochi, ne *bonam famam, quae impinguat ossa*, *Proverb. cap.* 15. *num.* 30. amittat. Immo Pignatell. *cit. tom.* 1. *consult.* 133. *num.* 12. absolute dicit, quod extra hos casus, nempe notae imperitiae, et illiteraturae Parochorum, seu erroris in administratione Sacramentorum, non potest Episcopus vocare ad examen Parochos; Habent enim intentionem fundatam, ut ad exercitium Curae Animarum, et ad Sacramentorum administrationem admittantur; Cum hoc veniat in consequentiam approbationis ab Examinatoribus de eorum persona factae, ut Sacra Congregatio resolvit *in Nucerina die* 6. *Octobris, et* 10. *Novemb.* 1617. Quia cum eorum approbatio se habeat per modum sententiae decernentis de idoneitate, quam de Jure possidet, et ideo non potest sine causa revocari in dubium ipsa possessio, sicuti revocaretur, si jam approbatus iterum ad examen vocaretur. Hactenus ipse, qui *ibidem num.* 19. subjungit, quod tota difficultas reducitur, an fidendum sit arbitrio Episcopi, qui praetextu inhabilitatis Parochos divexare poterit; et *num.* 20. concludit, se existimare proinde, quod constare debeat Episcopo, examinandos vere esse illiteratos, vel quia tales fuerint antequam ad Curam Animarum admitterentur, vel propter aliam causam, quae supervenire potuerit: juxta *cap. Accepimus* 15. *de aetate, et qualitat. et ordin. praeficiendor.* ibi: « Nisi forte postquam promoti fuerint, reddiderint se indignos »; Utque id constet, non debet attendi attestatio ejusdem Episcopi, sed requiruntur necessario diligentes investigationes in scriptis reducendae, juxta Felinum *in cap. Ex litteris* 11. *de Constitutionibus num.* 7. ibi: *Per diligentiorem investigationem*, quae licet fuerint extrajudiciales, attamen ex iis apparere poterit, an constet de illiteratura, et imperitia. Quod sentire videtur Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellariae gloss.* 4. *num.* 96. Idque, ut possint Superiores dignoscere, an Episcopus jure, meritoque processerit, secundum Rotam *part.* 2. *recent. decis.* 25. Esto itaque, quod causa substiterit, ea deberet probari: *ex l. Cum hi* 8. §. *ultim. juncto princip. ff. de Transactionibus*. Vel ex eo maxime, quia revocatio pertinet ad Forum externum, et versatur in adimendo jure quaesito. Hactenus ille (*).

* Parochum Regularem suo munari deficientem 29
potest punire Episcopus cumulative cum Superio-

(*) Non abs re putamus afferre, quae hac super re per Benedictum XIV. tradita sunt *in Synodo Dioecesana lib.* 13 *cap* 9 n. 21. suntque tenoris ut sequitur.

« Saepe contingit, ut ii ipsi Parochi, qui vel a Patronis laicis nominati, *examine facto*, idonei, *et* habiles ab Episcopo reperti sunt, vel, si Parochialis Ecclesiae provisio per concursum facta est, in ipso concursu doctiores, aptioresque judicati, ideoque caeteris competitoribus praelati fuerunt, temporis decursu, indocti, *et* inhabiles comperiantur, aut tales evadant, cum post adeptam animarum curam necessarium studii exercitium omnino reliquerint. De hoc actum fuit in dicta Congr. Conc. dum nos illic Secretarii officium gereremus, instantibus nonnullis Episcopis, et praecipue Legionensi, in *relatione* status Ecclesi*ae* suae; cui, re discussa in Congregatione diei 15. Decembris anni 1725. responsum fuit, *observanda esse antiqua decreta*; quae quidem ad sequentia reducuntur »:

« Nimirum, prudenti Episcopo in re tam gravi non esse inconsiderate procedendum; non esse praebendas nimis faciles aures fallacibus vulgi vocibus, clamantis, imperitum Parochum esse, et administrandae Paroeciae ineptum; si vero de *ejusdem* imperitia, et ignorantia probabiles notitiae, et gravia argumenta suppetant, tunc in potestate Episcopi esse, etiam extra visitationem, omni judicii forma seclusa, hujusmodi Parochum ad examen revocare, quamvis alias ab eodem Episcopo in praecedenti examine approbatus fuerit.

« *Ita olim* Sacra Congregatio respondit Episcopo Pampilonensi die 22. Septembris anni 1668. sicuti legitur *in libro decretorum* 26. *pag.* 108. *Cum sub die* 15. *Januarii* 1667. *ad instantiam Episcopi Pampilonen. ab hac Sacra Congregatione resolutum fuerit: primo, posse Episcopum examinare Parochos, et Rectores semel approbatos ad curam animarum, quando adest vehemens suspicio de illorum imperitia; secundo, posse ad hujusmodi examen procedere etiam extra visitationem; tertio, ad dictum examen faciendum, haud necesse esse, ut judiciales probationes imperitiae praecedant: nunc supplicat Episcopus ipse, per hanc Sacram Congregationem ulterius declarari, an in actu visitationis dioecesis possit Episcopus examinare Parochos, quotquot visitat; etiamsi contra illos, vel aliquem ipsorum, non vigeat suspicio imperitiae:* et Congregatio respondit: *Negative* ».

« Cumque ex vehementi suspicione, sive ex semiplena probatione imperitiae, liceat Episcopo ad examen revocare Parochum illum, quem ipsemet olim ad animarum curam approbavit; multo magis id agere poterit, si agatur de Parochis in hujusmodi officio a praedecessoribus Episcopis constitutis. Qua de re multa sunt Congregationis responsa. Primum est diei 26. Augusti 1628. *lib.* 13. *decretorum pag* 520. a *terg. Sacra etc. censuit, Episcopos successores posse, superveniente rationabili causa, iterum ex officio, etiam extra visitationem, examinare Parochos alias ad Ecclesias Parochiales approbatos.* Secundum diei 13. Januarii 1634. *lib.* 15. *decretorum pag.* 146. *a terg. Sacra etc. respondit, Episcopos successores, superveniente rationabili causa, posse etiam ex officio iterum examinare tam in visitatione, quam extra, Parochos, quamvis Regulares, approbatos tempore provisionis Parochialium* ». — Et in hoc sensu Episc. potest Parochos iterum ad examen vocare *sub poena privationis: S. C. Conc. in una Lucerina* 13 *Jan.* 1594. *et in una Interamnen* 1. *Oct.* 1602 apud Pignat. *T.* 1. *Cons* 133. Edit. Cas.

re Regulari: ita tamen, ut si aliter statuat superior Regularis, aliter Episcopus, standum sit Episcopi mandato. Ita statuit Benedictus XIV. in Bulla *Firmandis*, Bull. *tom.* 1. *num.* 109. Si removeri debeat, potest tam Episcopus sine Superiore, quam hic sine illo id praestare. *Ibid.* §. 11.

30 Parochi jurisdictionem habent ordinariam in foro interno, non vero externo, quidquid alii censuerint, ut proinde nullam excommunicationis sententiam ferre possint, ut ex communiori, et in praxi recepta sententia. *De Synod. dioeces. lib.* 5. *cap.* 4. §. 2.

31 Episcopi successores ex rationabili causa, etiam extra visitationem, possunt examinare Parochos ad Ecclesias Parochiales alias approbatos, ut in decreto S. Congr. Concil. *Institut. Eccles.* 9. §. 16. Quin et hoc potest praestare pro libitu, et ex sola quiete animae, suae, quamvis nihil habeat suspicionis; *ib.* Vide Adnotationem sub *n.* 28. h. art.

32 Si vero Episcopus velit iterum examinare, quos ipse approbavit, requiritur saltem extrajudicialis infamatio de inscitia. Quamvis hoc non requiratur ab iis, quos laicus Patronus nominavit ad Beneficium curatum, cum probati non fuerint in concursu, ut ex S. Rota, et ex Card. de Luca. *ibid.*

33 Parochus habendus est, quoad crimen complicitatis, ille, qui peccat cum famula sua, quae in ejus domo inhabitat, quamvis in alia Parochia habeat paternam domum. Et reipsa quidem praeceptum paschale tenetur illa impiere in Paroecia, ubi famulatum habet, *Institut. Eccl.* 82. §. 22.

34 Tolerari potest, ut Parochus habeat in domo mulieres sibi conjunctas in primo, et secundo gradu consanguinitatis, et etiam affines in primo gradu cum ancillis earum, quae tamen minores non sint annis quadraginta. Ita decretum est a S. Congregatione Concilii pro Dioecesi Bononiensi. *Institut. Eccles.* 82. per tot., quamvis hoc decretum respiciat famulas cum uno tantummodo Parocho cohabitantes; quae vero munus suum praestant propinquis ejusdem Parochi, minoris etiam aetatis permittuntur, dummodo tamen testimonium bonae famae suae habeant. Vid. secundam appendicem post art. 4. v. *Parochus.*

35 * Dictum fuit supra, eam idoneam ad consequendas Parochias esse personam, quae sit aetatis maturitate praedita, sed quaenam sit haec aetas, neque a longe indicatum. S. Trident. Concil. duo distinguit dignitatum genera, quae animarum curam habent adnexam. Aliae in Ecclesiis praesertim Cathedralibus, in quibus aetatem viginti quinque annorum requirit *sess.* 24. *cap.* 12. *de refor. in princ.* ibi: « Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum suae aetatis annum attigerit ». Ad ceteras vero minores dignitates in Capitulo, quae nullam habent curam animarum adnexam, minor sufficit aetas viginti duo annorum: *Concil. Trident. loc. cit.* « Ad ceteras autem dignitates, vel personatus quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei etc. *et* 22. *annis non minores adsciscantur* »; et hoc licet sermo sit de Canonicatu, cui unita sit Parochialis: Barbos. *in dict. Concil. loc. cit. in verb. et* 22. *annis.* Cum vero haec aetas sufficiens non sit ad omnia parochialia munera implenda, hinc merito per Canonicas sanctiones statutum est, ut ad Parochiam promotus, vel ad aliam dignitatem in Collegiata, vel Capitulo, debeat infra annum ad Sacerdotium quoque promoveri. Sic expresse de Parochis in *capite licet, et in capite Cum ex eo de elect. in sext.* Rebuf. *tit. de non promotis infra annum in princ.* Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. *quaest.* 2. De obtinentibus vero in Cathedrali, vel Collegiata Seculari, vel Regulari quascumque dignitates, vel Beneficia adnexum habentia Sacerdotium, vel alium ordinem tradit *Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 4. *de Refor.* Clement. *ut ii* 2. *de aetat. et qualitat.* Navarr. *de aetat. et qualit. lib.* 1. *Consil.* 45. De Abbatibus, et Praelatis Regularibus, ex non Sacerdotibus forte promotis *in cap. Cum in cunctis, et cap. Licet de electione in* 6. Layman. *in cap. Commissa de electione num.* 3. Navarr. *Comment.* 3. *de Regularibus num.* 23.

Quod si ad Parochias promoti negligant intra praefinitum tempus Sacerdotium suscipere, ipso jure, nulla etiam praemissa interpellatione, Parochia privati declarantur, *a cit. c. Licet de electione.* « Intra annum a sibi commissi regiminis tempore numerandum se faciat ad Sacerdotium promoveri. Quod si intra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa, nulla etiam praemissa monitione, sit praesentis constitutionis auctoritate privatus ». Hic vero annus ex illo incipit tempore, quo regimen Ecclesiae commissum fuit Rectori, ipsiusque pacificam nactus fuit possessionem, vel per eum stetit, quominus eam nancisceretur, dummodo non fuerit interea justo impedimento detentus. Cum enim poenalis haec constitutio sit, suum consequi effectum non debet, nisi termino praefinito penitus elapso: Layman *in cap. Commissa num.* 2. *et in Theologia Morali lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 12. Azor. *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. *quaest.* 10. Quod si quis malitiose Ecclesiam Parochialem recipiat animo tantum recipiendi unius anni fructus, et inde renuat Sacerdos ordinari, tunc non modo Ecclesia privatur, sed condemnatur insuper ad integros restituendos fructus, quos fraudolenter percepit, et non restituendo peccat mortaliter: Castropal. *part.* 2. *tract.* 13. *dist.* 14. *part.* 7. *num.* 6. quod extenditur etiam ad eos, qui cum dubio, vel conditionate cogitant suscipere infra annum sacerdotium: Castrop. *loc. cit. num.* 5. Azor. *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 9. *quaest.* 3. Pass. *cap.* 25. *nu.* 397. *et* 400. Ad hoc etiam tenetur pro indemnitate Ecclesiae, qui eam contulit personae, quam non credebat ad hujusmodi ordinem promovendam: c. *Commissa de Electione* 36

in 6. Ab hac tamen lege exemptas declarat *text. in c. Statutum* 22. *de Electione* in 6. « Collegiatas Ecclesias, etiamsi alias Parochiales extiterint, et assumptos ad earum regimen ». Item Parochiales Ecclesiae dum in Cathedrales eriguntur, Decanatus, Praepositura, Archidiaconatus, Ecclesiae curatae; Parochia unita principaliter beneficio simplici, Parochus non habens curam fori poenitentialis, sed solum contentiosi, Parochus demum solum habitu, hoc est actu non habens Parochianos: Sanch. *lib.* 2. *opus. cap.* 2. *dub.* 22. *n.* 7. *et* 8. Rebuf. *loc. cit. n.* 24. 29. *et* 31. Leuren. *for. beneficial. par.* 1. *quaest.* 320. *num.* 1. *et* 4. *cum seqq.* vide etiam apud eumdem *loc. cit. n.* 2. *et* 3. ubi mirifice quaestionem expendit super restitutione fructuum, et casus distinguit, in quibus negligens, vel renuens suscipere Sacerdotium mortaliter peccet, vel non, retinendo fructus indebite perceptos.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De qualitatibus, quas Sacri Canones in Parochis 37
requirunt, plene tractant Canonistae *ad Tit. de vit. et honest. Clericor.* sed cum primis adeundus est Daniel Hannibal Fabrottus *de vit. et honest. Clericor.* Confer etiam Barbos. *de offic. et potest. Parochi par.* 1. *cap.* 2. ubi plena manu totam hanc materiam sistit, quae omnia sub examen revocare non iubet.

ARTICULUS II.

PAROCHUS QUOAD EA, QUAE CONCERNUNT EJUS RESIDENTIAM, PRAECEDENTIAM, ET PRAEDICATIONEM.

SUMMARIUM

1. Parochus tenetur de jure Divino residere in Parochia. — 2. Affertur ratio ex Concilio Tridentino. — 3. Adducitur, et solvitur objectio. — 4. Non est tamen explicite definitum a Concilio Tridentino tamquam Dogma Fidei. — 5. Parochus residere tenetur, quamvis Parochialem tenuem habeat. — 6. Item Parochus residere tenetur, etiamsi in Parochia remanserint tantum tres, vel quatuor incolae. — 7. Parochus, si duas habet Ecclesias unitas, residere tenetur in digniore. Si vero non constet, quae sit dignior, in frequentiori Sed si una fuerit extra, et altera intra Urbem, residere debet in ea, quae est intra. — 8 Unde, si populus dividatur, et una pars habitet in Civitate, et altera extra, Parochus residere debet in Civitate — 9. Immo Parochus residere debet prope Ecclesiam in Civitate, licet major pars Parochianorum longe habitet in Oppidis, succurrendo illis, qui longe habitant secundum loci antiquam consuetudinem. — 10. Parochus habens Parochiales duas unitas perpetuo invicem aeque principaliter, et non unam alteri accessorie, ambasque pares, itaut una non sit dignior, et principalior altera, potest, in qua maluerit, residere — 11. Parochus habens ex legitima dispensatione parochialem Ecclesiam cum Canonicatu, residere debet in parochiali. — 12. Unde Parochus residens in parochiali, quae non longe abest a Collegiata, in qua Canonicatum obtinet, diebus ferialibus ad Ecclesiam Collegiatam accedere, et in ea Divinis inservire potest: dummodo omnibus diebus, et horis suis, et congruis parochiali inserviat, et nihil prorsus relinquat ex debito servitio ipsius parochialis. — 13. Parochus residere debet in loco, ubi sita est Ecclesia parochialis, etiamsi ei esset datus Coadjutor ratione infirmitatis — 14. Parochus, qui non habet Domum propriam in loco ubi residere tenetur, aliquam conducere debet. — 15. Parochus non excusatur, quin intra parochiam residere debeat, quamvis non adsit commoda Domus parochialis, et sit magna aeris intemperies, et retineat Cappellanum in parochia, et ipse accedat singulis diebus Festis. — 16. Parochus cogendus est habitare in Domo Ecclesiae, vel si Ecclesia eam non habeat, in propinquiori intra limites parochiae; Quod si non habitaverit, tenetur ad restitutionem fructuum, de quibus *in Decret. Tridentin. sess* 23. *cap.* 7. *de reform.* — 17. Parochus, parochiali domo relicta, poterit in paterna, vel Cognatorum Domo intra fines parochiae habitare, si in ea possit residentiae muneri satisfacere. Immo id poterit etiamsi talis Domus sit extra fines parochiae, dummodo parum distet. — 18. Parochus tenetur residere personaliter, nec satisfacit praecepto residentiae, suaeque conscientiae, si totam Curam relinquat Cappellano, nulla per se ipsum munia parochialia obeundo. — 19. Parochi cogendi sunt ad subeunda per se ipsos, et non per substitutos ea munia, ad quae tenentur. Tolerandi autem, ut per substitutos suppleant in illis tantum casibus, in quibus expressis verbis Canonum, et Decretorum Concilii, permissum est eis, ut per Vicarios Coadjutores possint Officio suo fungi. — 20. Potest tamen Parochus pro meliori Cura animarum, atque officiorum parochialium executione, et aliquali sua quiete, unum, vel plures cooperatores habere; dummodo simul ipsemet Parochus, cessante juste impedimento, aliqua etiam munia Pastoralia, praesertim principaliora, personaliter praestare non intermittat. — 21. Parochi non possunt abesse a suis parochiis neque per duos menses ipsis a Concilio concessos absque licentia Episcopi; quamvis alii contrarium sentiant. — 22. At veritas nostrae conclusionis clare habetur ex verbis Concilii, et ex declaratione Sacrae Congregationis ejusdem Concilii. — 23. Immo ad hoc, ut Parochi possint etiam per bimestre a Concilio concessum abesse, non sufficit licentia petita, nisi etiam fuerit obtenta, et in scriptis data. — 24. Si autem Parocho postulanti Praelatus, seu Episcopus renueret licentiam concedere, posset haberi recursus ad Superiorem illius Praelati, seu Episcopi, et, subsistente rationabili caussa, posset idem Superior compellere Praelatum inferiorem ad eam licentiam concedendam. — 25. Occurrente tamen caussa aliqua gravi, et necessaria subito abscedendi, tunc Parochus, relicto idoneo Vicario, discedere poterit absque praehabita licentia Ordinarii, dummodo, quum primum poterit, certioret Ordinarium de tali suo discessu, atque necessitate urgente; nisi brevi sit reversurus. — 26. Parochus non potest abesse a sua parochia, etiam relicto in ea idoneo Vicario approbato cum congrua mercede, ut doceat in Civitate Grammaticam, etiamsi non inveniretur alius idoneus ad legendum, et ipse singulis diebus Festis ad suam Ecclesiam accedere vellet. — 27. Parochus autem habens in Civitate suam Ecclesiam, potest inibi in publica Universitate Sacram Scripturam legere, ita tamen, ut Cura Animarum per ipsum exercenda nihil detrimenti patiatur. — 28 Parochus ex alio loco oriundus, non potest propter intemperiem aeris extra parochiam habitare, quamvis in ea relinquat Vicarium ap-

probatum. — 29. Parochi tempore pestis residere omnino tenentur in suis parochialibus, possunt tamen per alium idoneum ministrare parochianis suis peste infectis Sacramenta Baptismi, et Poenitentiae; et si non resederint, contra eos procedendum est, servata forma c. 1. *in fine sess* 23. *de reform* — 30 Parochus non potest per hebdomadam abesse a sua Ecclesia, non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo ab ipso Ordinario approbato. — 31. Immo nec potest abesse ultra duos dies, si adsit Constitutio Episcopi prohibens Parochis, ne ultra biduum sine sua licentia a propriis Ecclesiis absint. — 32. Quinimmo potest Episcopus prohibere Parochis sub poena pecuniaria arbitraria, quae tamen dimidiam non excedat, ne ultra biduum ab Ecclesia sua possint abesse; Non tamen id prohibere potest sub poena Excommunicationis latae sententiae. — 33. Ubi autem non adsit talis Constitutio Episcopi, potest Parochus ex caussa sibi visa legitima per unum, vel alterum diem abesse, dummodo interim idoneum Vicarium ab Ordinario approbatum relinquat. — 34 Immo Barbosa, et alii docent, posse Parochum sine licentia Episcopi, ex caussa sibi legitime visa, abesse per sex, aut septem dies; Dummodo interim idoneum Vicarium in illo Episcopato admissum pro administratione Sacramentorum relinquat. — 35. Parochis possunt Ordinarii aliquibus justis de caussis, juxta Tridentini formam, licentiam concedere recedendi a parochiali ad aliquid tempus, modo ea utantur intra limites praescriptos a Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.* 1. *de. reform.* — 36. Pro Ordinariis, qui talem licentiam concedere possunt, veniunt etiam Ordinarii Episcopo inferiores, ut Abbates, et alii similes habentes Jurisdictionem, et proprium Territorium. — 37. Ordinarii possunt concedere Parochis licentiam abessendi ad bimestre tempus ob quamcumque justam caussam; veluti recreationis, aut visendi amicos, et hujusmodi. Ultra bimestre autem non possunt illam concedere, nisi ob aliquam gravem caussam — 38. Graves caussae, ob quas potest concedi Parochis licentia abessendi ultra bimestre, sunt praecipue quatuor assignatae a Tridentino, scilicet *Christiana Charitas*, *urgens necessitas*, *debita Obedientia*, *ac evidens Ecclesiae*, *vel Reipublicae utilitas.* — 39. Quid intelligatur per *Christianam Charitatem*? — 40. Quid per *urgentem necessitatem*? — 41. Quid per *debitam Obedientiam*? — 42. Quid per *evidentem Ecclesiae*, *vel Reipublicae utilitatem*? — 43 Parochis non licet caussa studiorum a suis Parochialibus Ecclesiis post Concilium abesse, nec Episcopus licentias ad id concedere potest; illaeque, si concessae fuerint, non suffragantur — 44. Nec Episcopus potest uti opera Parochi in Visitatione, vel alio servitio suae Ecclesiae, nisi pro tempore duorum mensium a Concilio Tridentino permissorum. — 45. Item non potest Parochus per Episcopum occupari in sui, vel Ecclesiae Cathedralis servitio, ut nempe sit Vicarius, Visitator, Secretarius, Fiscalis etc. Vide, *num seq.* — 46 Parochus habens curam animarum, an possit esse Vicarius Generalis Episcopi, vel Capituli sede vacante? — 47. Parochus non excusatur a residentia propter Officium Inquisitoris. — 48 Parochus justa de caussa absens, sive cum Superioris licentia, sive absque, per aliquot dies, semper tenetur relinquere idoneum Vicarium. — 49. Abesse non potest Parochus, si Episcopus licentiam deneget judicans minus aequam caussam, licet de facto sit vera, et sufficiens, sed tunc potest habere recursum ad Superiorem. — 50. Parochus obtinens licentiam abessendi fingendo caussam justam, quam revera non habet, peccat mortaliter, et tenetur restituere fructus in tali absentia perceptos — 51. Parochus absque legitima caussa, et licentia non residens in sua parochia, praeter culpam mortalem, quam incurrit (nisi modicitas temporis eum excuset) pro rata absentiae fructus non facit suos, ut eos restituere tenetur. — 52. Restitutio hujusmodi fructuum pro rata non factae residentiae amissorum, facienda est Fabricae Ecclesiae, vel pauperibus, nec obtineri potest compositio — 53. Parochus restituere tenetur statim in conscientia hujusmodi fructus amissos ob non factam residentiam, etiam ante ullam Judicis sententiam. — 54. Parochus Juris remediis, etiam usque ad privationem, compelli potest ad residentiam. — 55. Parochus non residens, etiam monitus, non est hodie ipso jure privatus parochiali. — 56. Ad privationem Parochi ob non residentiam non est necessarium, quod prius procedatur per alias poenas, nempe per Censuras Ecclesiasticas, ac sequestrationem, et subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, sed relinquitur arbitrio Episcopi, qui potest procedere ad privationem, tametsi illa temporum intervalla non fuerint observata. — 57. Praecedentia inter ipsosmet Parochos, seu Curatos Ecclesiarum parochialium, sive sint Saeculares, sive Regulares, datur secundum praerogativam Regulae. — 58. Parochus indutus superpelliceo in processionibus praecedit omnibus Rectoribus, et presbyteris. — 59. Parochus in funeralibus non praecedere Canonicis Cathedralis, sed bene omnibus aliis presbyteris, qui non sunt de Cathedrali — 60 Parochus, sive Curatus, aut Sacrista Cathedralis, etiam quod sint amovibiles, quando intervenit Capitulum dictae Cathedralis, debent praecedere proprio Parocho defuncti — 61. Parochus amovibilis Cathedralis, in processionibus debet incedere cum Capitulo dictae Cathedralis super Priores, Plebanos, et Curatos perpetuos Beneficiatos. — 62 Praecedentia in funeralibus debetur Archipresbytero Parocho ratione Stolae, et non Archidiacono primae Dignitatis. — 63. Canonicis Collegiatarum Ecclesiarum supra Parochum semper, et ubique competit praecedentia, etiam in associandis funeribus Defunctorum propriae ipsius parochiae. Jus tamen faciendi Officium circa corpus defuncti ad Parochum in sua Parochiali Ecclesia spectat, *ad num.* 65. — 66. Parochus locum habet in funeribus a Canonicis sine propria Cruce, et sine consessu Capituli incedentibus — 67. Vicarius Foraneus sedet primus in illis, quas ipse facit, Congregationibus. — 68. Vicarius Foraneus nullam habet praecedentiam super alios ipso antiquiores in Clero ratione hujus Officii. — 69. Parochus, tamquam caput Ecclesiae parochialis, thurificandus est ante Dominum loci. — 70. Parochi tenentur per seipsos, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascere praedicatione verbi Dei. — 71. Parochi, qui raro, aut nunquam concionem habent ad populum, peccant mortaliter etiam praecisa gravi populi necessitate. Et si populus graviter indigeat praedicatione, peccant toties contra Divinum praeceptum, quoties populus graviter indiget ipsa praedicatione. — 72. Hinc graviter peccant Parochi, si tribus mensibus totius anni discontinuis per se, vel per alios non concionentur — 73. Nec Parochi Officio suo satisfaciunt quoad Deum, praedicationes totius anni aliis committentes. — 74 Quamvis dum praedicat Episcopus, silere debeant alii Concionatores, il isque possit praecipere, ut eo tempore a praedicatione se abstineant. — 75. Possunt tamen Parochi per se ipsos inter Missarum solemnia sermonem habere, etiam quando Episcopus ipse praedicat. — 76. Parochi si per se velint munus praedicationis obire, non debent impediri. Immo tempore Quadragesimae possunt de mane in suis Ecclesiis praedicare, non obstante consuetudine, quod in sola Matrice, vel alio concionetur. — 77. Parocho per se ipsum concionanti minime licet praetextu cujuscumque paupertatis praetendere sibi praestari eleemosynam solitam dari praedicatoribus ab Universitate electis. — 78. Parochi prohibentur in suis Ecclesiis admittere Concionatores ab Ordinario non approbatos, etiamsi praedicare vellet aliquis Episcopus. — 79. Possunt tamen parochi dare licentiam alicui viro docto, et noto, etiam Regulari, ut bis, vel ter concionetur in suis Ecclesiis sine Episcopi approbatione. — 80. Et a fortiori possunt, immo debent parochi concedere approba-

tis ab Ordinario licentiam praedicandi in suis parochiis — 81. Parochi non naturales Indiarum, sive Saeculares, sive Regulares sint, tenentur omnino habere apud se Cappellanum naturalibus, et origine Indum pro Confessionibus audiendis, et diebus Festis hortationibus ad populum lingua vernacula habendis. — 82. Parochi in Concionibus caveant ab allegatione Doctorum, et Auctorum modernorum, praesertim viventium. — 83. Parochi etanter specialiter in Concionibus Catechismo Romano, maximasque utiles, et Auditorum Capacitati adaequatas simpliciter, et clare explicent, at populus libenter audiat, frequenter concurrat, et fructuose discedat. — 84. Parochi an, et quando teneantur praestare alimenta Praedicatoribus? *remissive* — 85. Alia ad rem *ad* n. 94.

1 Parochus tenetur de jure Divino residere in sua Parochia: Colligitur aperte ex Concilio Trid. sess. 23. *de reform. cap.* 1. ubi sic expresse habet: « Cum praecepto Divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum Cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum Curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere, quae omnia nequaquam ab iis praestari, et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, Sacrosancta Synodus eos admonet, et hortatur, ut Divinorum praeceptorum memores, factique forma Gregis in judicio, et veritate pascant, et regant ». Per quae verba licet Concilium loquatur de Episcopis, tamen *ibidem* subjungit, et vult eadem omnino esse intelligenda etiam de Parochis, ibi: « Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et poenas de curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod Curam Animarum habens obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, et decernit etc. ».

2 Ex quibus verbis sic argumentari licet: Episcopi, et ceteri Curati tenentur jure Divino *Oves suas agnoscere*, aliaque a Concilio specificata munera obire; sed haec praestare nequeunt illi, *qui gregi suo non assistunt*, idest personaliter non resident, ut dicit ipsummet Concilium *loc. cit.* ibi: « Quae omnia nequaquam ab iis praestari, et impleri possunt, qui Gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt; *et sess* 6. *de reform. cap.* 1. *ibi:* Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si Greges sibi commissos mercenariorum more deserant »; ergo etc. Et hanc sententiam tenent Garcias *part.* 3. *de Beneficiis cap.* 2. *num.* 16. Pirhing *lib.* 3. *decretal. tit.* 4. *num.* 11. Valiensis *ibidem num.* 1. Zoesius *ibid. num.* 2. Reiffenst. *ibid. nu.* 58. Bernardus Sannig *de residentia Parochor. cap.* 1. *n.* 4. Navarrus *cap.* 29. *Manual. nu.* 121. *vers. Ex quo obiter:* Lessius *lib.* 2. *de justit. et jur. c.* 24. *dubitat.* 29. *num.* 153. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 53. *num.* 2. *et de Offic. et potest. Parochi part.* 1. *cap.* 8. *num.* 1. *et super Concil. Tridentin. sess.* 2. *de reform. cap.* 1. *num.* 3. cum innumeris aliis citatis, Fagnan. *lib.* 3. *Decretal. in cap. Ex parte* 8. *de Clericis non residentib. num.* 25. ubi alios plurimos citat, et asserit hanc sententiam teneri ferme ab universa Schola Theologorum.

Nec valet objicere, quod Papa saepe saepius dispensat in residentia Episcoporum, et Parochorum, quod non posset facere, si eorum residentia esset de jure Divino, cum Papa in iis, quae sunt de jure Divino, dispensare non possit, ex *c. Sunt quidam* 6. *caus.* 25. *q.* 1. cum similibus. Non valet, inquam, quia Papa in similibus casibus non dispensat proprie tollendo vinculum, quo Episcopus, seu Parochus obstrictus est ad residentiam, sed justa, et legitima existente causa, declarat vinculum illud cessare ob rationabilem causam, quae supervenit, et Parochum non teneri in aliquibus casibus residere, et Dei voluntatem esse, ut tunc non cogatur ad residentiam; et quando Pontifex id facit, Deus talem declarationem ita approbat, ut ab obligatione praecepti Divini hominem ipso facto liberet. Unde Papa non dispensat, ut agens principale, sed ut agens instrumentale, seu ministeriale, quatenus ex Officio, et cum auctoritate declarat esse justas causas, ob quas Deus relaxat obligationem; et ita Deus tunc, ut agens principale, tollit illam obligationem; Vide verb. *Dispensatio num.* 20. 3

Tum quia, ut notant Fagnanus *in cit. cap. ex parte num.* 18. *et* 19. Pirhing *loc. cit. num.* 12. Reiffenst. *loc. cit. num.* 11. et alii, Concil. Trid. *loc. cit.* noluit definire hunc articulum, tamquam Dogma Fidei, alioquin enim disertis verbis eumdem posuisset inter Canones ad Dogmata Fidei pertinentes, prout moris est, non autem inter Decreta Reformationis; Unde, si quis de facto affirmaret etiam pertinaciter, praeceptum residentiae Episcoporum, et Parochorum esse tantum de jure positivo Ecclesiastico, ipse non condemnaretur ut Haereticus. Et de facto Ecclesia neminem hactenus condemnavit, ex quo docuerit, vel affirmaverit etiam cum pertinacia, residentiae praeceptum esse tantum de jure positivo Ecclesiastico; et tamen secus esset, si ejusmodi articulus esset ab Ecclesia definitus; *c. Sicut* 1. *dist.* 15. *c. Cum Christus* 7. *de Haereticis*, et docet S. Th. *in* 2. 2. *q.* 4. *art.* 3. Fagn. *loc. cit. num.* 19. 4

Parochus residere tenetur, quamvis Parochialem tenuem habeat. Barb. *de offic. et potest. Episc. par.* 3. *alleg.* 53. *n.* 70. *et de offic. et potest. Parochi par.* 1. *cap.* 8. *n.* 4. *et super Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. c.* 1. *n.* 26. Rebuf. *in tract. nominat.* 5

q. 8. *n.* 27. Valer. Reginald. *in praxi Fori poenit. lib.* 30. *n.* 294. *vers. Si objices*, et alii passim.

6 Item Parochus residere tenetur, etiamsi in Parochia remanserint tantum tres, vel quatuor Incolae: Nicolaus Garcias *de Beneficiis par.* 3. *c.* 2. *n.* 179. Armendar. *in addit. ad recopilat. legum Navarrae lib.* 2. *tit.* 23. *lib.* 2. §. 2. *sub tit. Sed an Parochi debeant residere? n.* 142. Barbosa *de offic. et potest. Paroch. loc. cit. n.* 4. *et super Trid. n.* 27. et alii.

7 Parochus, si quas habeat Ecclesias unitas, residere tenetur in digniore; si vero non constet quae sit dignior, in frequentiori: sed si una fuerit extra, et altera intra Urbem, residere debet in ea, quae est intra. Sic decisum fuisse referunt Garcias *loc. cit. n.* 179. *in declarat.* 14. Armendar. *loc. cit. n.* 142. Barb. *de offic. et potest. Parochi part.* 1. *c.* 8. *n.* 9.

8 Unde, si populus dividatur, et una pars habitet in Civitate, et altera extra, Parochus residere debet in Civitate. Garcias *loc. cit. n.* 179. *in declaratione* 15. Armendar *loc. cit. n.* 143. Barb. *loc.*
9 *cit. n.* 10. Immo Parochus tenetur residere prope Ecclesiam in Civitate, licet major pars Parochianorum longe habitent in Oppidis, succurrendo iis, qui longe habitant, secundum loci antiquam consuetudinem, per *c.* 4. *sess.* 21. Sic decisum referunt Garc. *l. c. n.* 179. in 20. *declarat.* Armendar. *l. c. n.* 248. Barbosa *in Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. c.* 1. *n.* 46.

10 Parochus habens Parochiales duas unitas, perpetuo invicem aeque principaliter, et non unam alteri accessorie, ambasque pares, ita ut una non sit dignior, et principalior altera, potest in qua maluerit, residere. Sic decisum referunt Garcias *loc. cit. c.* 2. *n.* 179. *in* 16. *declarat.* Armendar. *loc. cit. n.* 145. Barbosa *in Conc. Trid. sess.* 23. *c.* 1. *n.* 39.

11 Parochus habens ex legitima dispensatione Parochialem Ecclesiam cum Canonicatu, residere debet in Parochiali, cum prima, et praecipua debeat esse Cura Animarum, juxta Constit. S. Pii V. incip. *Cupientes*, et percipere fructus Praebendae, solum ejus distributiones quotidianas perdit. Sic decisum fuisse referunt Armendar *loc. cit. n.* 135. et Barbosa *in Conc. Trid. loc. cit. n.* 40. subdentes, quod si Canonicatus est in eodem loco, ubi Parochialis est, potest utrique servire, et quotidianas distributiones percipere, citaturque Garc. *loc. cit. n.* 179. *in septima declaratione.*

12 Unde Parochus residens in Parochiali, quae non longe abest a Collegiata, in qua Canonicatum obtinet, diebus Ferialibus ad Ecclesiam Collegiatam accedere, et in ea Divinis inservire potest, dummodo omnibus diebus, et horis suis, et congruis Parochiali inserviat, et nihil prorsus relinquat ex debito servitio ipsius Parochialis: Sic decisum referunt Garc. *l. c. n.* 179. *in* 8. *declarat.* Armendar. *l. c. nu.* 136. Barb. *in Conc. Trid. loc. cit. nu.* 40.

Parochus residere debet in loco, ubi sita est Ecclesia Parochialis, etiamsi esset datus Coadjutor ratione infirmitatis: *Sacr. Congr. Conc.* apud Garciam *loc. cit. n.* 178. et Barbosam *in Summa Apostolic. decis. verb. Parochus quoad residentiam n.* 1. 13

Parochus, qui non habet domum propriam in loco, ubi residere tenetur, aliquam conducere debet. *Sac. Cong. Conc.* apud Garciam *loc. cit. nu.* 179. et Barbosam *loc. cit. n.* 2. 14

Parochus non excusatur, quin intra Parochiam residere debeat, quamvis non adsit commoda domus Parochialis, et sit magna aeris intemperies, et retineat Capellanum in Parochia, et ipse accedat singulis diebus Festis: *S. Cong. Conc. in Sarzanen.* 13. *Nov.* 1627. 15

Parochus cogendus est habitare in Domo Ecclesiae, vel si Ecclesia eam non habet, in propinquiori intra limites Parochiae: *S. Cong. Conc. in Fulginaten.* 19. *Novembris* 1718. *et* 13. *Januarii* 1720. in cujus casu nulla habita fuit ratio contrariae observantiae per annos 43. nec aetatis Parochi, qui erat annor. 70. Quod si non habitaverit, tenetur ad restitutionem fructus de quibus *in Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Sic *Sac. Congr. Conc.* apud Garciam *loc. cit. n.* 4. Vide Fagnan. *lib.* 3. *Decretal. in cap. Extirpandae*, §. *Qui vero a n.* 13. *ad* 16. 16

Parochus, Parochiali domo relicta, poterit in paterna, vel cognatorum Domo intra fines Parochiae habitare, si ex ea poterit residentiae muneri satisfacere: Possevin. *tract. de offic. Curati c.* 1. *n.* 7. Barbosa *de offic. et potest. Parochi par.* 1. *c.* 8. *n.* 37. et alii passim. Immo Beja *par.* 4. *casu* 21. *sub fin.* Maranta *controv. Jur. respons.* 29. *n.* 2. *ad fin.* Ventrigl. *tom.* 1. *annot.* 20. §. 1. *n.* 2 *et* 4. Bonacina *tom.* 1. *de onere Resident. n.* 2. *et* 4. Ricc. *par.* 4. *dec.* 41. *per tot.* Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 156 *in fin.* La Croix *lib.* 3. *par.* 1. *n.* 745. et alii plures id sustinent, etiamsi talis domus sit extra fines Parochiae, dummodo non distet ultra miliare Italicum. 17

Parochus tenetur residere personaliter, et non alio modo satisfacit muneri suo, etiamsi populo per alium aeque bene, at forte melius serviatur. Unde Parochus non satisfacit praecepto residentiae, suaeque conscientiae, si resideat quidem personaliter in Parochiali, sed totam Curam relinquat Capellano, nulla per se ipsum munia Parochialia obeundo: Barb. super Trid. *loc. cit. n.* 47. *et de offic. et potest. Parochi par.* 1. *c.* 8. *n.* 41. cum aliis ibi citatis. Possevin. *de offic. Curati c.* 1. *n.* 10. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 4. §. 3. *nu.* 18
85. Engel *ibidem n.* 15. et alii; Parochi enim co- 19
gendi sunt ad subeunda per se ipsos, et non substitutos ea munia, ad quae tenentur. Tolerandi autem, ut per Substitutos suppleant in illis tantum casibus, in quibus expressis verbis Canonum, et Decretorum Concilii, permissum est eis, ut per Vicarios Coadjutores possint Officio suo fungi. Sic

censuit *Sac. Cong. Conc.* **in una Nullius 3. Jul.** 1591. apud Garciam *loc. cit. n.* **53.** Reif. *loc. cit. n.* 85. Barb. *in Conc. Trident. loc. cit. n.* 48 **Residere enim**, est Ecclesiae deservire per se ipsum; *c. Quia nonnulli* 3. *et cap. Relatum* 4. *de Clericis non residentibus*. Unde in c. *Extirpandae* 30. *de Praebend.* §. *Qui vero*, expresse sic statuitur: *Qui vero Parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium* (Capellanum, sive Cooperatorem) *sed per se ipsum illi deserviat, in Ordine, quem ipsius Ecclesiae Cura requirit.* Vide Monacell. *par.* 2. *tit.* 16. *formul.* 2. *n.* 2.

20 Potest tamen Parochus pro meliori Cura animarum, atque Officiorum Parochialium executione, et aliquali sua quiete unum, vel plures Cooperatores habere, et ipsi, seu ipsis relinquere munera magis ardua, ut ire de nocte ad infirmos, peragere Divina Officia in Ecclesiis filialibus distantibus, Confessiones multas audire, et hujusmodi: dummodo simul ipsemet Parochus, cessante justo impedimento, aliqua etiam munia Pastoralia, praesertim principaliora, personaliter praestare non intermittat, et quando nominatim vocatur a Parochianis, ad ipsos, praesertim infirmos, ire non recuset: Barbosa *de offic. et potest. Parochi loc. c. n.* 41. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *loc. cit n.* 86. et alii passim, docetque hoc recepta consuetudo, *quae est optima legum interpres, c. Cum dilectus* 8. *de consuetudine.*

21 Parochi non possunt abesse a suis Parochiis, neque per duos menses ipsis a Concilio concessos, absque licentia Episcopi: Garcias *l. cit. n.* 23. Armendar. *loc. cit. n.* 155. Reiffenstuel *loc. cit. nu.* 67. Barb. *In Summa Apostolic. decis. verb. Parochus quoad residentiam n.* 6. Fagnan. *lib.* 3 *decretal. in c. Relatum* 4. *de Clericis non resident. n.* 32. qui omnes referunt, Sacram Congregationem Concilii censuisse, quod Parochi non possunt sic abesse per duos menses, immo nec per hebdomadam absque licentia Episcopi, quae, causa cognita, et in scriptis concedenda est. Et sic tenet etiam Piasecius *par.* 2. *prax. Episcop.* c. 3. *art.* 3. n. 55. Lessius *lib.* 2. *de justitia, et jure cap.* 34. *dubitat.* 29. *n.* 259. Ugolin. *de offic. Episcopor.* c. 14. §. 5. *nu.* 2. Possevin. *loc. cit. c.* 1. *nu.* 11. Barbosa *de offic. et potest. Episcopi par.* 3. *alleg.* 53. *n.* 96. *et de offic. et potest. Parochi par.* 1. c. 8. *n.* 55. *et super Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 1. *n.* 67. cum aliis ibi citatis contra Navarr. in *Manual. cap.* 25. *n.* 121. et alios apud Barbosam *locis citatis*, existimantes in duobus mensibus a Concilio concessis posse Parochum ex justa causa abesse continue, vel divisim sine licentia Episcopi.

22 At veritas nostrae conclusionis clare patet ex verbis Concil. *in cit. sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. ubi dicit, quod quandocumque eos abesse contigerit, debere causam esse prius cognitam, et probatam per Episcopum, ibi; « Quandocumque eos causa prius per Episcopum cognita, et probata abesse contigerit .... discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant »: quae verba satis clare indicant, etiam pro primo bimestri a Concilio concesso, non posse abesse sine licentia Episcopi. Et idipsum declarasse Sacram Congregat. Conc. *ad cit.* c. 1. *sess.* 23. *de reform.* refert Gar. *loc. cit. n.* 23. Aliamque talem declarationem refert idem Garc. *part.* 9. *de Beneficiis* c. 2. *n.* 295. asserens, quod cum Episcopus Abulensis de anno 1693. dictam Sac. Congreg. inter alia consuluisset: « Secundo, an Parochi possint abesse duos menses absque Ordinarii licentia, ex causa, quae sibi videtur justa? ut tradit Navarrus in Manual. *cap.* 25. *n.* 121. Respondit: Ad secundum, de licentia Parochorum censuit Congregatio eos minime abesse posse absque amplitudinis tuae (sive Episcopi) *licentia* ». Sic ex ipso refert etiam Reiffenstuel *loc. cit. n.* 68.

Immo ad hoc, ut Parochi possint, etiam per bimestre a Concilio concessum abesse, non sufficit licentia petita, nisi etiam fuerit obtenta, et in scriptis data. Ita Abbas *in c. Relatum* 4. *de Clericis non resident. n.* 5. Fagnan. *ibidem num.* 12. Reiffenst. *loc. cit. n.* 74. et alii id desumentes ex verbis Concilii *loc. cit.* ibi; « Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam » etc. ex quibus patet, quod non sufficit licentiam illam dumtaxat peti, sed oportet, eam etiam concedi, et quidem in scriptis. Si autem Parocho postulanti Praelatus, seu Episcopus renueret licentiam concedere, posset haberi recursus ad Superiorem illius Praelati, seu Episcopi, et subsistente rationabili causa, posset idem Superior compellere Praelatum inferiorem ad eam licentiam concedendam, prout censuit *Sacr. Congr. Conc.* ut referunt, ac tenent Fagnan. *loc. cit. n.* 13. Reiffenst. loc. c. *n.* 74. Garcias *par.* 3. *de Beneficiis cap.* 2. *n.* 37. *et seq.* et alii. 23 24

Occurrente tamen causa aliqua gravi, et necessaria subito abscedendi, quae tantam celeritatem requirat, ut non patiatur dilationem, seu sit periculum in mora petendi, et expectandi licentiam, tunc Parochus, relicto idoneo Vicario, discedere poterit absque praehabita licentia Ordinarii, quia necessitas non habet legem; *c. Quoniam* 1. *q.* 7. c. *Sicut* 11. *dist.* 1. *de consecrat. cap. Consilium* 2. *de observat. Jejunior.* c. *Omnes* 1. *de Feriis*, c. *Consuluisti* 3. *de celebrat. Missar. c. Quod non est licitum* 4 *de Regul. Jur.* Ita tamen, ut hujusmodi Parochus, quamprimum poterit, teneatur certiorare Ordinarium de tali suo discessu, atque necessitate urgente, ut is de causa cognoscat, et licentiam concedat, nisi sit brevi reversurus: Abbas *loc. cit. n.* 6. Fagnan. *loc. cit. n.* 14. 33. et 45. Garcias *loc. cit. n.* 34. et alii passim. Et sic declarasse Sac. Congregat. Conc. referunt Garcias *loc. cit. nu.* 34. Barbosa *in Summa Apostolicar. decis. verb. Parochus quoad residentiam n.* 9. 25

Parochus non potest abesse a sua Parochia, etiam relicto in ea idoneo Vicario approbato cum 26

congrua mercede, ut doceat in Civitate Grammaticam, etiamsi non inveniretur alius idoneus ad legendum, et ipse singulis diebus Festis ad suam Ecclesiam accedere vellet: *Sacr. Congregat. Conc.* testibus Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 6. *n.* 255. Barbosa *loc. cit. n.* 12. *et de Offic. et potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 53. *n.* 76. Armendar.
27 *loc. cit. n.* 134. Parochus autem habens in Civitate suam Ecclesiam, potest inibi in publica Universitate Sacram Scripturam legere, ita tamen, ut Cura Animarum per ipsum excercenda nihil detrimenti patiatur: *Sacr. Congr. Conc.* apud Sellium in *Selectis Canonic. c.* 18. *n.* 25. et Barbosam *loc. cit. in Summa n.* 17.

28 Parochus ex alio loco oriundus non potest propter intemperiem aeris extra Parochiam habitare, quamvis in ea relinquat Vicarium approbatum: *Sac. Cong. Conc.* testibus Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *verb. Residentia* §. 7. Barbosa *loc. cit. n.* 13. Armendar. *loc. cit. n.* 132. Nisi accedat Ordinarii consensus ex justa causa, *ibid. n.* 180.

29 Parochi tempore pestis residere omnino tenentur in suis Parochialibus; possunt tamen per alium idoneum ministrare Parochianis suis peste infectis Sacramenta Baptismi, et Poenitentiae, et si non resederint, contra eos procedendum est, servata forma c. 1. *in fine sess.* 23. *de reform. Sac. Congr. Concil.* in *Mediolanen.* 10. *Octobr.* 1576. apud Barbosam *loc. cit. in Summa n.* 16. Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 13. c. 19. §. 2. *nov. edit.*

30 Parochus non potest per hebdomadam abesse a sua Ecclesia, non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo ab ipso Ordinario approbato: *Sacra Congreg. Conc.* apud Garciam *loc. cit. n.* 23. *in tertia declarat.* Armendar *loc. cit. n.* 157, Barbosa *loc. cit. in Summa n.* 11. *et de of-*
31 *fic. et potest. Parochi loc. cit. n.* 56. Immo nec potest abesse ultra duos dies, si adsit Constitutio Episcopi prohibens Parochis, ne ultra biduum sine sua licentia a propriis Ecclesiis absint; tunc enim Parochi, etiam stante causa rationabili, et constituto idoneo Vicario, non possunt ultra biduum abesse sine licentia Ordinarii; Reiffenst. *loc. cit. n.* 84. et alii passim. Valet enim Constitutio Episcopi, ne Parochi possint abesse ultra duos dies sine licentia, ut declaravit *Sacr. Congr. Conc.* apud Garc. *loc. cit. in n.* 23. *in* 1. *declaratione*; Barbosam *loc. cit in Summa n.* 6. *et de offic. et potest. Parochi loc. cit. n.* 57. Armendar. *loc. cit. n.* 155.

32 Quinimmo potest Episcopus prohibere Parochis sub poena pecuniaria arbitraria, quae tamen dimidiam non excedat, ne ultra biduum ab Ecclesia sua possint abesse. Non tamen id prohibere potest sub poena excommunicationis latae sententiae: Sic declaravit *Sac. Cong. Conc. ad cit. sess.* 23. c. 1. *de reform.* testibus Garc. *loc. cit. n.* 23. in 2. *declaratione.* Barb. *loc. cit. in Summa n.* 7. Armendar. *loc. cit. n.* 156. et sub poena pecuniaria esse permissum censuit *ead. Sac. Congreg. Conc. in Trevirensi* 11. *Febr.* 1628. apud Barb. *de offic. et potest. Paroch. par.* 1. *c.* 8. *n.* 45. et apud alios mox citatos.

Ubi autem non adsit talis Constitutio Episcopi, 33
potest Parochus ex causa, quae sibi legitima videatur, per unum, vel alterum diem abesse sine licentia Ordinarii; dummodo interim idoneum Vicarium ab Ordinario approbatum relinquat: *Communis.* Sic enim docet universalis recepta consuetudo, quae est optima Legum interpres, *cap. Cum dilectus* 8. *de consuetudine.* Nec immerito, « quoniam qui aliquantis per tantum absunt ex veterum Canonum sententia, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt », uti loquitur idemmetipsum Conc. Trid. *cit. sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Unde in simili, *brevi reversa Uxor nec divertisse videtur*, juxta textum expressum *in l. Quidquid in calore, ff. de Regul. Juris.* Immo Barbosa *de offic. et potest. Parochi loc. cit. nu.* 52. *et de offic. et potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 53. *n.* 106. Reiffenstuel *loc. cit. nu.* 79. *et seq.* et alii docent posse Parochum sine licentia Episcopi ex causa sibi legitima visa abesse per sex, aut septem dies: dummodo interim idoneum Vicarium in illo Episcopatu admissum pro administratione Sacramentorum relinquat, ita, sicuti fatetur ibi Barbosa, declarante consuetudine universali. 34

Parochis possunt Ordinarii, aliquibus justis de causis, juxta Conc. Trident. formam, licentiam concedere recedendi a Parochiali ad aliquod tempus, modo ea utantur intra limites praescriptos a Concilio *sess.* 23. *de reform.* c. 1. quia facultas hujusmodi non fuit ipsis Ordinariis ablata per motum proprium S. Pii V. publicatum de mense Junii 1568. super residentia Canonicorum habentium Parochiales: *Sac. Cong. Concil.* testibus Garcia *loc. cit. n.* 179. Armendar. *loc. cit. n.* 87 Barbosa *l. cit. in Summa n.* 16. Et pro Ordinariis, qui talem licentiam concedere possunt, veniunt etiam Ordinarii Episcopo inferiores, ut Abbates, et alii similes habentes Jurisdictionem, et proprium Territorium, sicuti et Capitulum, Sede vacante: Sanctarell. *variar. resolut. quaest.* 5. *n.* 64. Azorius *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 10. *quest.* 4. Possevin. *de offic. Curati cap.* 1. *n.* 28. *et* 29. Barbosa *de offic. et potestat. Parochi par.* 1. *cap.* 8. *n.* 73. et alii. 35 36

Ordinarii possunt concedere Parochis licentiam 37
abessendi ad bimestre tempus ob quamcumque justam causam, veluti recreationis, aut visendi amicos, et hujusmodi. Ultra bimestre autem non possunt illam concedere, nisi ob aliquam gravem causam. Colligitur clare ex Conc. Trident. *c. sess.* 23. *de reform. cap.* 1. ibi: « Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant ». Garcias *cit. part.* 3. *de Beneficiis c.* 1. *n.* 22. Fagnan. *in cit. cap. Relatum n.* 21. *et* 29. Barbosa *de offic. et potest. Parochi loc. cit. nu.* 58. 59. *et seq.* Reiffenstuel *loc. cit. n.* 77. et alii passim.

Graves autem causae, ob quas potest concedi 38

Parochis licentia abessendi ultra bimestre, sunt praecipue quatuor assignatae a Conc. Trident. *l. c.* scilicet « Christiana Caritas, Urgens necessitas, Debita Obedientia, ac evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas » ; Barbosa *de officio et potest. Parochi loc. cit. a n.* **45**. La Croix *lib.* **3**. *part.* **1**. *n.* **747**. et alii passim.

39 *Christiana caritas* intelligitur, cum quis abest ob proximorum utilitatem, ut ad juvandam aliquam Ecclesiam in magno periculo Haeresis versantem, ad dirimendas lites, controversias, et odia; Dummodo ex tali absentia in propria Ecclesia non sequatur notabile detrimentum, quia esset contra ordinem caritatis: Sanctarell. *variar. resolut. q.* **2**. *n.* **1**. Moifesius *in summa Theolog. moral. tract.* **6**. *cap.* **11**. *n.* **29**. Azorius *part.* **2**. *lib.* **6**. *cap.* **4**. Barbosa *de offic. et potestat. Parochi loc. cit. n.* **47**. *et de offic. et potestat. Episcopi part.* **3**. *allegat.* **53**. *n.* **6**. *et in Conc. Trid. loc. cit. n.* **7**. Reiffenstuel *loc. cit. a n.* **90**. La Croix *loc. cit. n.* **747**.

40 *Urgens necessitas* intelligitur, cum quis abest ob morbum curandum, vel propter aliquam persecutionem, bellum, hostium incursus, pestem saevientem, aeris intemperiem, vel ob inimicitias, aut ob Principis, et populi furorem declinandum. Dummodo tamen non immineat detrimentum Ovium in spiritualibus; nam si illud immineret, ex nulla causa posset abesse, quia bonus Pastor animam suam pro ovibus ponit, ut habetur *Joan.* **10**. Ita citati Doctores, et alii.

41 *Debita obedientia* intelligitur, cum quis abest ex mandato Papae, vel ut occupetur in servitio Sedis Apostolicae, et Reipublicae. Sic citati Doctores, et alii.

42 *Evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas* intelligitur, cum quis abest ad Synodum Generalem, vel Provincialem, aut Dioecesanum rite, et legitime vocatus. Vel cum quis abest pro tuendis juribus suae Ecclesiae, aut pro obtinenda a Superiore reformatione in variis emergentibus, vel ut, id exigente Reipublicae utilitate, fungatur Legatione apud aliquem Saecularem Principem. Ita citati Doctores, et alii.

43 Parochis non licet causa studiorum a suis Parochialibus Ecclesiis post Conc. Trident. abesse, nec Episcopus licentias ad id concedere potest, illaeque, si concessae fuerint, non suffragantur: *Sac. Cong. Conc. sub die* **8**. *Maii* **1595**. apud Garc. *loc. cit. num.* **1**. Barb. *loc. cit. in Summa num.* **18**.

* Licet antea liceret per quinquennium *Cap. ult. de Magistris.* Tunc enim propter presbyterorum deficientiam cum locus non esset electioni doctiorum, ita expediebat magis, ut animarum cura intermitteretur, quam quod eadem esset indoctis presbyteris commissa.

Nec Episcopus potest uti opera Parochi in Visitatione, vel alio servitio suae Ecclesiae, nisi pro tempore duorum mensium a Concilio Tridentino *cit. sess.* **23**. *cap.* **1**. *de reform.* permissorum. Sic declaravit *Sac. Cong. Conc.* testibus Gonz. *ad Regul.* **8**. *Cancell. gloss.* **6**. *num.* **258**. Pignatell. *tom.* **7**. *consult.* **4**. *num.* **3**. et Garcias *loc. cit. n.* **42**. Barbosa *loc. cit. in Summa nu.* **21**. *et de offic. et potest. Episcopi alleg.* **53**. *num.* **86**. 44

Item non potest Parochus per Episcopum occupari in sui, vel Ecclesiae Cathedralis servitio, ut nempe sit Vicarius, Visitator, Secretarius, Fiscalis etc. Sic decrevisse Sac. Congregat. Concil. referunt Gonzal. *loc. cit. num.* **258**. Barbosa *loc. cit. in Summa num.* **22**. *et cit. alleg.* **53**. *nu.* **86**. *et* **87**. Garcias *loc. cit. nu.* **42**. Pignatell. *loc. cit.* Vide *num. seq.* 45

Parochus habens curam Animarum non potest esse Vicarius Episcopi, vel Capituli Sede vacante: *Sac. Cong. Conc. sub die* **12**. *Maii* **1629**. apud Barbosam *in summa Apostolicar. decision. loc. cit. num.* **23**. et Sellium *in Select. Canonic. c.* **18**. *n.* **26**. Nam generaliter esse Parochum, et Vicarium sunt Officia male compatibilia in eadem persona: *Sac. Cong. Episcop. et Regul. in Messana* **19**. *Januarii* **1603**. Ex eo, quod, ut quis bene exerceat alterum ex dictis Officii, alteri necessario deesse cogitur: *Ead. Sac. Cong. Episcop. in Sutrina* **16**. *Nov.* **1640**. apud Nicol. *in Floscul. verb. Vicarius Generalis num.* **37**. Haec tamen Decreta esse intelligenda de Parocho Rurali, et extra Civitatem, et non de Parocho intra Civitatem, respondisse *Sac. Cong. Episcop. in Orien.* **19**. *Julii* **1619**. testatur, et tenet Monaceli. *tom.* **1**. *tit.* **10**. *formul.* **18**. *num.* **5**. Et Nicolius *loc. cit.* ex Decretis Sacrae Congregationis Episcopor. dicit, quod non potest Parochus esse Vicarius Generalis, maximo si habet curam Animarum extra Civitatem, et multo magis, si extra Dioecesim. 46

* Hactenus dictis consonat opinio *Navar. cons.* **15**. *de Cleric. non resid.* ubi docet Parochum, etiam post Tridentin. posse cum licentia sui Ordinarii munus Vicarii Generalis, non modo proprii, sed etiam alterius Episcopi obire (*), quod idem admittit Pirhing *comment. ad tit. de Cleric. non resid. num.* **41**. dummodo alii ad hoc munus non reperiantur idonei, secus contrariam tuetur sententiam *supra num.* **16**. quod nempe Parochus nullimode possit eligi in Vicarium generalem. Haec sane verior videtur opinio juxta declarationes *Sacri Conc. Trident. ad cap.* **1**. *sess.* **23**. *a Congregatione ipsius Concil.* habitas quas ad verbum recitat *Garcias de Benef. part.* **3**. *cap.* **2**. *num.* **42**. quarum prima sic habet. « Episcopus non potest uti opera Parochi in visitatione, vel alio servitio suae Dioecesis, nisi pro tempore duorum mensium

(*) Cave credas, post Trident. Parochos de licentia sui Ordinarii Vicarii Gener. munus in aliena Dioecesi obire posse. Quippe cum in c. 1. *Sess.* **23**. *de Reform*, eosdem a stricte ad residentiam obligatos esse statuerit, non est putandum Ordinarios in hujusmodi Statuto Conciliari posse dispensare. V. 4. Append. post. v. *Parochus* Edit. Casin.

a Concilio permisso ». Altera vero prout infra: « Congregatio Concilii respondit, non licere Episcopo suorum, vel etiam Cathedralis Ecclesiae negotiorum causa permittere, ut Curati extra ipsorum curam maneant, etiam constituto Vicario idoneo ». Hanc eamdem sententiam sequitur *Concil. Bononien. tit. 6. de resid. §. de Causis excusantibus a residentia Curatos vero penult. et Concil. Provinc. Mediolanen. 5 part. 3. tit. de Resid.* « neve ad Seminarii quidem curam, vel ad Vicarii munus, vel ad Sanctae etiam Inquisitionis Officium, nec vero ad aliud quidquam opera Sacerdotis curam animarum gerentis Episcopus ita utatur, ut ab Ecclesia, Beneficiove in ejus curam tradito diutius absit, ac muneri debitae residentiae personalis desit ». Textus vero, et auctoritates, quae in contrarium possunt adduci, non de Parochis, sed de Canonicis loquuntur tantum, qui eligi possunt in Vicarium Capitularem: *Barbos. Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 38. Ventrigl. *tom.* 2. *ann.* 15. *num.* 15. Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 4. *n.* 6. *et Sac. Congreg. praeposita negotiis Episcop. et Regul. in una Orien.* 19. *Maii* 1619. *apud Barbos.* ideo extendendae non sunt ad alios, maxime Curatos cum agatur de damnosa Ecclesiis, et curae animarum eo vel magis quia ipse Pignat. *l. cit. num.* 6. *in fin.* omnino tenet Parochi, et Vicarii officia esse male compatibilia in eadem persona ex mente dictae Sacrae Congregationis in supra allegata ab auctore *Messana* 19. *Jan.* 1603. Caeterum super hac re vide *Leuren. for. beneficial. quaest.* 54. *et* 558. ubi refert interdum a Sacr. Congreg. concedi, ut Parochus Vicarii Generalis munus exercere valeat, sed id tantum intelligi debere, quando Parochia destituta Parochianis est, adeo ut animarum cura nullo affici possit detrimento. *

47 Parochus non excusatur a residentia propter Officium Inquisitoris: *Sac. Cong. Conc.* apud Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancellar. Gloss.* 6. *n.* 275. Barbosa *loc. cit. in Summa num.* 24.

48 Parochus justa de causa absens, sive cum Superioris licentia, sive absque ea per aliquot dies, semper tenetur relinquere idoneum Vicarium in suo Episcopatu admissum pro administratione Sacramentorum, qui interim pro se populo inserviat: Sic expresse statuit Concil. Trid. *cit. sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. §. *Eadem omnino*, ibi: « Quandocumque eos... abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum debita mercedis assignatione relinquant ».

49 Parochus habens justam causam abessendi extra Parochiam per duos, aut tres menses, non satisfacit suae conscientiae, si petat licentiam, jurans se habere gravem causam, quam non expedit manifestare, ut sic petita licentia abesse possit, licet Episcopus non concedat. Similiter abesse non potest in casu, quo causam rationabilem expresserit, sed rigidus Praelatus minus aequam judicat, et licentiam denegat, vel quia movetur suspicione, quod ficta sit, cum tamen sit vera, sed tunc potest habere recursum ad superiorem: *Sac. Congr. Conc.* apud Garc. *loc. cit. num.* 57. Armendar, *loc. cit. n.* 155. Barbosa *l. cit. in Summa n.* 14.

Parochus obtinens licentiam abessendi, fingendo causam justam, quam revera non habet, peccat mortaliter, et tenetur restituere fructus in tali absentia perceptos; nam Conc. *l. cit.* requirit duo ad justitiam absentiae, scilicet causam justam, et ejus approbationem, ut acquirantur fructus in absentia; Unde cum sit falsa prima, erit etiam inutilis secunda, maxime, cum tota ratio acquirendorum fructum dependeat a justa causa: Sanctarell. *var. resol. quaest.* 4. *num.* 15. Possevin. *de Offic. Curati c.* 1. *n.* 24. Azorius *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 10. *q.* 5. Barbosa *de offic. et potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 53. *n.* 9. *et de offic. et potest. Parochi part.* 1. *c.* 8. *num.* 60. et alii passim. 50

Parochus absque legitima causa, et licentia non residens in sua Parochia, praeter culpam mortalem, quam incurrit (nisi modicitas temporis absentiae eum excuset, uti limitat Fagnan. *in cit. cap. Relatum* 4. *de Clericis non residentibus num.* 41.) pro rata absentiae fructus non facit suos, et eos restituere tenetur; Sic expresse statuit Concilium Tridentinum *cit. sess.* 23. *de reform. cap.* 1. §. *Si quis autem*, ibi: « Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus Decr. dispositionem abfuerit; statuit Sacrosancta Synodus praeter alias poenas adversus non residentes sub Paulo III. impositas, et innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiae fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse; sed teneri, aut ipso cessante, per superiorem Ecclesiasticum illos Fabricae Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventione, vel compositione, quae pro fructibus male perceptis appellantur, ex qua etiam praedicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscumque privilegiis cuicumque loco, aut Fabricae concessis ». 51

Quae dispositio licet loquatur de Episcopis, eadem tamen statim extenditur etiam ad Parochos, ut expresse subjungit Concilium, ibi: « Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum et poenas de curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum curam Animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, et decernit ».

Restitutio hujusmodi fructuum pro rata non factae residentiae amissorum, facienda est Fabricae Ecclesiae, aut pauperibus; nec obtineri potest compositio, prout habetur expresse ex allatis verbis Concilii, ibi: « Illos Fabricae Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventione, vel compositione ». Et sic decisum fuisse a Sac. Congregatione Concilii, referunt Garcias *loc. cit. num.* 27. Armendar. *loc.* 52

cit. num. 158. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 52. *num.* 101.

53 Parochus restituere tenetur statim in conscientia hujusmodi fructus amissos ob non factam residentiam, etiam ante ullam Judicis sententiam; sic habetur expresse ex allatis verbis Concilii, ibi: *Etiam declaratione non secuta*: nec ad id requiri citationem, vel monitionem. Sic decisum fuisse a *Sacra Congreg. Concilii* referunt Garcias *loc. cit. num.* 27. Armendar. *loc. cit. num.* 259. Barbosa *loc. cit. num.* 102.

54 Parochus Juris remediis: etiam usque ad privationem, compelli potest ad residentiam. Sic expresse statuit Concilium Tridentinum *loc. cit.* ibi: « Quod si per Edictum citati etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis per Censuras Ecclesiasticas, et sequestrationem, et subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem compellere. Nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exceptione, etiam ratione cujuscumque Beneficii, pactione, statuto, etiam juramento, vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quae potius corruptela censenda est, sine appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianae Constitutionis suspendi posse ».

55 Ex quo satis clare patet, quod Parochus non residens, etiam monitus, non est hodie ipso jure privatus Parochiali. Quamvis enim olim Parochus non residens esset ipso jure privatus Beneficio Parochiali, ut patet ex *cap. Conquerente* 6. *cap. Ex p.* 8. *de Clericis non residentibus* cum aliis similibus, et signanter *cap. Extirpandae* 30. §. *Qui vero, de Praebendis*, ibi: « Alioquin *non residens* illa (scilicet Ecclesia Parochiali) se sciat auctoritate hujus decreti privatum, libere alii conferenda ». Hodie tamen Parochus non residens, etiam monitus, non est ipso jure privatus sua Parochiali, alias enim statim procedendum esset ad declarandum illum privatum, et non esset in arbitrio Episcopi, quo remedio ex relatis in *d. c.* 1. *Tridentini* uti vellet, quod non est dicendum; quia Sacra Congreg. Concilii apud Fagn. *lib.* 3. *Decretal. in cap. Ex tuae* 11. *de Clericis non residentib. num.* 18. generaliter consulta; « An sit ad arbitrium Episcopi, qua via, et quo remedio uti voluerit contra non residentes, nempe vel censuris, vel sequestratione, et subtractione fructuum, vel privatione »? Respondit *ita esse*. Et ita tenent Barbosa *de Offic. et potest. Parochi part.* 1. *c.* 8. *num.* 72. *et in Concilio Trid. cit. sess.* 23. *de reform. cap.* 1. *num.* 7. Garcias *de Beneficiis par.* 2. *cap.* 2. *num.* 139. referentes etiam ipsi sic declarasse *Sacram Congregationem Concilii*, et sic alii passim.

56 Ex quibus manifeste patet, quod ad privationem Parochi ob non residentiam, non est necessarium, quod prius procedatur per alias poenas, nempe per Censuras Ecclesiasticas, ac sequestrationem, et subtractionem fructuum, aliaque juris remedia; Nam licet id de jure communi requiri videretur; *cap. Ex tuae devotionis* 11. *de Clericis non residentibus* cum similibus, tamen Tridentinum *cit. sess.* 23. *de reform. cap.* 1. id relinquit arbitrio Ordinarii, ibi: *Liberum esse vult Ordinariis*, ut expresse etiam respondit *Sacr. Congr. Concilii*, adducta *numero antecedenti*. Et hoc modo Domini de Rota apud Manticam *dec.* 66. *num.* 9. dixerunt intelligendum etiam esse idem Concilium *sess.* 24. *de reformat. cap.* 12. *vers. Praeterea*. Quemadmodum per Sacram Congregationem Concilii fuit declaratum, ut non afficiat Episcopos, qui possunt procedere ad privationem ob non residentiam, tametsi illa temporum intervalla non fuerint observata. Sic refert. et tenet Barbosa *de Offic. et potest. Parochi p.* 1. *cap.* 8. *n.* 74. et ita docent Fagnan. *in cit. cap. Ex tuae Devotionis num.* 18. Garcias *loc. cit. n.* 139. Flamin. Parisius *lib.* 1. *de resignat. benefic. cap.* 10. *num.* 61. Castropalao *tract.* 3. *de Benefic. disp.* 5. *punct.* 3. *num.* 10. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 4. *num.* 64. Barbosa *in Concil. Trident. cit. sess.* 23. *cap.* 1. *num.* 74. et alii contra alios volentes procedendum esse contra Parochos non residentes, primo per Censuras, secundo per sequestrationem, et subtractionem fructuum, et postea, si haec remedia non prosint, possit contra eos procedi per privationem, prout, dicunt ipsi, videtur declarasse *Sacram Congregationem Concilii die* 6. *Decembris* 1565. dum asseruit, quod contra Parochos tempore pestis non residentes, praemisso Edicto, seu monitione, sit procedendum, prout Concilium mandat *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Sic refert Fagn. *lib.* 3. *decret. in cap. Clericos* 17. *de Clericis non residentibus num.* 41. *et seq.* Qui tamen est contrariae opinionis, ut clare docet *in cit. cap. Ex tuae devotionis* 11. *de Clericis non residentibus num.* 18. ubi dicit non obstare illam declarationem *Sacrae Congregationis Concilii de die* 6. *Decembris* 1565. quia ipsa loquitur de casu speciali, seu de Parochis non residentibus tempore pestis, de quibus cum olim fuisset controversum inter Theologos, et Canonistas: An eo tempore Parochi personaliter residere tenerentur: noluit Sacra Congregatio statim contra absentes procedi posse per privationem Beneficii, nisi prius aliae poenae per ordinem praemitterentur. Verum extra illud tempus generaliter consulta eadem Sacra Congregatio: « An sit ad arbitrium Episcopi, qua via, et quo remedio uti voluerit contra non residentes, nempe, vel censuris, vel sequestratione, et subtractione fructuum, vel privatione »? Respondit: *Ita esse*. Hactenus Fagnanus *ibi*.

Praecedentia inter ipsosmet Parochos, Curatos Ecclesiarum Parochialium, sive sint Saeculares, sive Regulares, datur secundum praerogativam suarum Ecclesiarum, et non secundum praerogativam Regulae: *Sacra Congreg. Rit. in Asten.* 21. 57

Mart. 1609. apud Barbosam *in Summa Apostolicar. dec. verb. Parochus quo ad praecedentiam.* De praeced. in funer. vid. Addit. in fin. h. art.

58 Parochus indutus superpelliceo in Processionibus praecedit omnibus Rectoribus, et Praesbyteris: *Sacr. Cong. Rit. in Firmana Terrae Sanctae Victoriae* 31. *Mart.* 1618. apud Sellium *in Selectis Canonicis c.* 59. *n.* 50. et Barbosa l. *c. n.* 2.

59 Parochus in funeralibus non debet praecedere Canonicis Cathedralis, sed bene omnibus aliis Praesbyteris, qui non sunt de Cathedrali: *Sac. Congr. Rit. in Viterb.* 25. *Junii* 1611. apud Sellium *loc. cit.* et Barbosam *loc. cit. num.* 4. (*)

60 Parochus, seu Curatus, aut Sacrista Cathedralis, etiam quod sint amovibiles, quando intervenit Capitulum dictae Cathedralis, debent praecedere proprio Parocho defuncti: *Sacra Cong. Rituum in Pisaurien.* 22. *Martii* 1631. apud Barbosam *loc. cit. num.* 7.

61 Parochus amovibilis Cathedralis in Processionibus debet incedere cum Capitulo dictae Cathedralis super Priores, Plebanos, et Curatos perpetuos Beneficiatos: *Sacr. Congr. Rit. in Callien.* 9. *Aprilis* apud Barbos. *loc. cit. num.* 6.

62 Praecedentia in funeralibus debetur in Archipresbytero Parocho ratione Stolae, et non Archidiacono primae Dignitati: *Sac. Cong. Rit. in Nullius, seu Trojana* 12. *Martii* 1612. *et* 4. *Maji* 1613. apud Jul. Lavorium *variarum Lucubration. tom.* 1. *tit.* 2. *cap.* 3. *num.* 211. et Barbosam *loc. cit. verb. Archidiaconus num.* 13. *et verb. Archipresbyter num.* 16.

63 Canonicis Collegiatarum Ecclesiarum supra Parochum semper, et ubique competit praecedentia, etiam in associandis funeribus Defunctorum propriae ipsius Parochiae. Jus tamen faciendi Officium circa corpus Defuncti ad Parochum in sua Parochiali Ecclesia spectat. Sic pluries decrevit *Sacra Congr. Rit.* et signanter *in Sutrina* 30. *Augusti* 1602. *et* 2. *Augusti* 1603. *et in Meliten.* 18. *Novemb.* 1606. *et in alia Ostien. Terrae Cori* 9. *Maii* 1617. *et in alia Praenestina Cavarum* 14. *Augusti* 1618. *Et Sacr. Cong. Concil. in Derthonen. in causa oppidi Novarum* 3. *Decembr.* 1718. *ad* 10. *dub.* Et expresse, quod Canonici hujusmodi praecedere debeant omnibus Rectoribus, Curatis, Plebanis, ac Praesbyteris Ecclesiarum Parochialium in publicis Processionibus, et Functionibus etiam Synodalibus, censuit *eadem Sacr. Congr. in Verul.* 11. *Decembr.* 1613. *et in Senogallien.* 23. *Martii* 1619. 5. *Aprilis* 1620. Etiamsi ante erectionem in Collegiatam mixtim incederent cum dictis Rectoribus, ut declaravit *Eadem Sacr. Congr. in Syracusana* 20. *Decembris* 1601. vel inferiores Ecclesiae essent antiquiores, et fuissent in quasi possessione praecedendi ante erectionem: *Ead. Sac. Cong. in Ilerden. Praeeminentiarum* 26. *Jun.* 1602. ubi dicitur hoc procedere, etiamsi in erectione adsit clausula: *sine praejudicio alicujus.*

Nec obstant contrariae declarationes ejusdem 64
Sacrae Congregationis, quae ab aliquibus adducuntur, et signanter *in una S. Angeli Saxiferrati* 24. *Oct.* 1609. *in Eugubina* 15. *Jul.* 1614. *et in alia Praenestina Cavarum* 13. *Jul.* 1619. ubi dicitur fuisse declaratum, quod Parochus debeat

(*) » Canonici, et presbyteri Ecclesiae Cathedralis de-
» bent praecedere omnibus curatis Parochialium Ecclesia-
» rum in omnibus processionibus, et functionibus: *Sacra*
» *Congreg. Rituum in Pisauren* 23 *Maji* 1603. *et in Su-*
» *trina* 2. *Augusti* 1603. etiam in propriis ipsorum Cura-
» tarum Ecclesiis, et procedit, licet Curati cotta, et stola
» induti sint: *ead. Sac Congr. Rit. in Ripana* 30. *Julii*
1606 *et in Viterbien* 25. *Jun.* 1611. apud Barbosam *summa Apost. decision.* V. *Canonici quoad locum, et praecedentiam*, num. 25.

Lubet per extensum referre citat. Decretum *in Viterbien.* 25. *Jun.* 1611. in haec verba.

» In Sac. Cong. expositum fuit, oriri differentias inter Ca-
» nonicos, et Clerum Cathedralis Viterbien ex una, et e ju-
» dem Civitatis Parochos ex alia partibus, dum simul ad
» funus alicuius defuncti associandum accedunt; praeten-
» dentibus Parochis stola, et cotta indutis praecedentiam in
» casu proposito super universum Ecclesiae Cathedralis
» Clerum, et Capitulum, Archidiacono, et Archipresbytero
» dumtaxat exceptis, et e contra non convenire existiman-
» tibus dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis, ut
» simplex Parochus supra Clerum, et Canonicos Ecclesiae
» Cathedralis, qui simul cum Archidiacono, et Archipres-
» bytero unum corpus constituunt, locum obtineat. Qui-
» bus auditis, eadem Sacra Congreg. e decretis factis in
» similibus non esse recedendum censuit, nempe et locus
» dignior in funeralibus semper relinquatur *Capitulo*, *et*
» *Clero Ecclesiae Cathedralis*. Parochum vero defuncti,
» vel Parochum Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defer-
» tur, digniorem locum obtinere debere, et praecedere
» quibuscumque aliis presbyteris, non autem Ecclesiae
» Cathedralis. In Ecclesia vero, ubi corpus defuncti sepe-
» litur, ad Parochum ipsius Ecclesiae pertinere officium
» facere, et expresse declaratum fuit *in una Pisauren. sub*
» *die* 20. *Decembris* 1603. et sic in Civitate Viterbiae ser-
» vandum esse censuit, nisi alias immemorabilis consuetu-
» do ad favorem Parochorum legitime probetur, et ita de-
» claravit die 25. Junii 1611. ». Apud eund. Barbosam *de Canonicis, et dignitatibus cap.* 18 *num.* 59. *et seqq.*

Ao vero a Parocho in associandi cadaver. interveniente Capitulo Cathedralis, stola deferri possit, respond. » quod
» in defunctorum associatione, si Capitulum Cathedralis in-
» vitetur, ipsum solum, et non alia Parochia defert cru-
» cem... neque stolam; nec tantum ex eo, quia Cathedralis
» dicitur Parochia totius Civitatis, et dioecesis... sed quia
» minor judex, seu Sacerdos non exercet officium, et juris-
» dictionem praesente majore, nisi major assentiet...

» Verum cum stola concedatur Parochis non tantum in
» signum jurisdictionis, sed ut discernantur ab aliis presby-
» teris... sed etiam in signum Parochialis dignitatis, quo
» etiam in aliena jurisdictione licet uti... non autem ad
» denotandam superioritatem; ideo posset concedi sine
» praejudicio, ut illam Parochi deferre possent praesen-
» te Capitulo, ne viderentur incedere uti simplices Cleri-
» ci .. ». Sic Baruffaldus *ad Rituale Roman. Tit.* 36. nu. 41. 42. 45. 46. Et S. Cong. in allat. Decret. jam supponebat *de facto* Parochos in funeribus, et aliis process. cum stola incedere.

Imo, et docet Ventriglia; « Parochus non debet prohiberi
» intervenire funeri cum *stola*, *et Cruce*, etiam quod in illo
» interveniat Capitulum Ecclesiae Cathedralis, dummodo
» tamen omnis praecedentia detur ipsi Capitulo ». *Prax. For. Eccles. Tom.* 2. *Annot.* 31. n. 41. Vide v. *Crux*, et v. *Stola*. Editores Casinenses.

praecedere Canonicis Collegiatae Ecclesiae in associandis funeribus defunctorum propriae Ecclesiae. Quibus concordare videtur Rituale Rom. *tit. de exequiis pag.* 150. ubi Parochus in omnibus funeribus praecedit incedendo ante feretrum.

65 Non obstant, inquam, quia omnes ipsas, quas adducit Barb. *de offic. et potest. Parochi par.* 1. *c.* 9. *num.* 8. solvit infra *sub num.* 11. praecisis his verbis : « Ad illam *S. Angeli Terrae Saxiferrati*, in qua videtur declaratum, illum Presbyterum, seu Curatum, aut Priorem, qui defert stolam, et ad ejus Ecclesiam funus defertur aliis omnibus praecedere debere, et sic etiam Canonicis Ecclesiae Collegiatae; potest responderi, non loqui de praecedentia, quando funus defertur ad Ecclesiam ejus, qui Stolam defert, sed quando ab eo fit Officium in sua Ecclesia, in qua praecedentiam habere debet. Ad illam vero *Eugubinam* respondetur habere locum inter Curatum Cathedralis, et Curatum S. Petri Monachorum Olivetanorum, non autem inter Capitula Collegiatarum. Ad Rituale Romanum respondetur, habere locum inter Presbyteros ejusdem Ordinis, et alios praerogativam non habentes, cujusmodi non sunt Canonici Collegiatarum Ecclesiarum, in quibus terminis loquitur etiam Stephan. Gratian. *Discept. Forens. tom.* 2. *c.* 298. *num.* 83. *et tom.* 3. *c.* 492. Et dico Parochum debere praecedere ratione Officii, quando est inter pares, non autem quando est inter Majores. Item quod, dum incedit per viam, non videtur exercere Officium, sed sociare una cum aliis ». Hactenus Barb. *loc. cit. num.* 11. Et sic pluribus adductis tenet Panimoll. *dec.* 1. *adnot.* 9. *a num.* 14. *ad* 20. ubi multa habet ad rem. Immo Canonici Collegiatae debent praecedere etiam Parocho Ecclesiae Matricis, ut patet ex sequentibus ejusdem Sac. Rituum Congregation. allatis a Pignatell. *tom.* 6. *cons.* 84. *sub num.* 2. ibi :

I. « An Parochus, et Clerici Parochiali Ecclesiae Matrici addicti sint praeferendi Capitulo, et Canonicis Collegiatae » ?

II. « An Parochus, uti Protonotarius, possit uti Almutia » ?

III. « An Parochus Protonotarius Apostolicus possit uti habitu Praelatitio in processionibus, et functionibus Ecclesiasticis » ?

IV. « An Capitulum, quamvis non invitatum, interesse possit generalibus processionibus » ?

V. « An Parochus Matricis Ecclesiae possit ad suum libitum incboare generales processiones, non expectatis Canonicis Collegiatae; vel potius eligenda sit conveniens hora » ?

VI. « An Decreta alias per dict. Sac. Congreg. emanata, quod Capitulum Collegiatae in omnibus sit praeferendum Archipresbytero Matricis Ecclesiae, quamvis Archipresbyteralis Ecclesia sit unica Parochialis, et Collegiata animarum cura penitus careat; et cum Capitulum invitatum fuerit ad levanda funera, debeant omnes tam saeculares quam Regulares convenire in Ecclesiam Collegiatam, ut sub unica Cruce Capituli incedant; debeant servari etiam in processionibus generalibus, in quibus inceditur etiam sub Cruce Parochiali, et nullum afferri potest praejudicium juribus Parochialibus, et Parocho; Et quis debeat facere functiones benedicendi campis, et maledicendi animalia, et a quo debeat praescribi, et intimari hora hujusmodi processionum » ?

VII. « An Archipresbyter in propria Parochia assistens tam in Vesperis, et Missis decantatis, quam in Concionibus uti possit habitu Protonotarii » ?

VIII. « An dum Capitulum fuerit invitatum ad funus, et illud renuat Parochus levare, possit idem Capitulum ab haeredibus requisitum illud levare, praevia tamen protestatione Parocho facienda » ?

IX. « An Capitulum Collegiatae, dum non habet jus funerandi, at corpus est sepeliendum in ejus Ecclesia ex electione Defuncti, possit erigere Crucem intra limites Parochiae, cujus jurisdictio, et territorium spectat ad Archipresbyterum » ?

X. « An Officium faciendum in Ecclesia Archipresbiterali circa funus ad eamdem delatum pro sepultura, spectet ad Archipresbyterum; at Capitulum postquam illud associavit ad portam Ecclesiae, teneatur recedere » ?

XI. « An Officium faciendum in Collegiata circa funus ad eamdem delatum pro sepultura spectet ad Parochum, vel potius ad dignitatem Collegiatae » ?

« Sacra Rituum Congreg. anno 1666. mense Augusti respondit » :

Ad I. « Capitulum, et Canonicos Parocho Matricis Ecclesiae in omnibus esse praeferendos ».

Ad II. « Non posse ».

Ad III. « Non posse uti habitu Praelatitio in processionibus Ecclesiasticis ».

Ad IV. « Non solum posse, sed etiam esse laudandum ».

Ad V. « Non posse, sed spectare ad Collegiatam; et indicenda est hora conveniens ».

Ad VI. « Affirmative; Et functiones benedicendi spectare ad Parochum, et hora debet praescribi, et intimari a prima Dignitate Collegiatae ».

Ad VII. « Posse ».

Ad VIII. « Posse, requisito, et expectato Parocho, et renuente venire ».

Ad IX. « Posse ».

Ad X. « Spectare ad Archipresbyterum; Capitulum vero posse expectare, vel recedere ».

Ad XI. « Spectare ad dignitatem uti in propria Ecclesia ».

Parochus locum habet in funeribus a Canonicis sine propria Cruce, et sine consessu Capituli incedentibus. *S. Cong. Rit.* 20. *Nov.* 1603. apud Gavant. verb. *Praecedentia in addit. num.* 10. 66

Vicarius Foraneus sedeat primus in illis, quas ipse facit, Congregationibus: *Sac. Cong. Rit.* 20. 67

Decemb. 1603. apud Gavant. *in Manual. verb. Vicarius Foraneus num.* 6.

68 Vicarius Foraneus nullam habet praecedentiam super alios ipso antiquiores in Clero, ratione hujus Officii: *Sacra Cong. Rit.* 30. *Junii* 1620. apud Gavant. *verb. Vicarius Foraneus num.* 2.

69 Parochus tamquam Caput Ecclesiae Parochialis thurificandus est ante Dominum loci: *Sacra Rituum Congregat. in Turritana* 14. *Februarii* 1672. apud Barbosam *in Summa Apostolicar. decision. verb. Parochus quoad praecedentiam num.* 8.

70 Parochi tenentur per se ipsos, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascere praedicatione verbi Dei. Sic expresse Concilium Tridentinum *sess.* 5. *de reform. c.* 2. ibi: « Archipresbyteri quoque, Plebani, et quicumque Parochiales, vel alias Curam Animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant. Id vero, si quis eorum praestare negligat, etiamsi ab Episcopi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse praetenderat, etiamsi Ecclesiae quovis modo exemptae dicerentur, aut alicui Monasterio etiam extra Dioecesim existenti forsan adnexae, vel unitae, modo re ipsa in Dioecesi sint, provida Pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit; ne illud impleatur, Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. Itaque ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiamsi ei sic expedire visum fuerit, ex Beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens Officium suum impleat ». Et idem repetit *sess.* 22. *de Sacrific. Miss. c.* 8. his verbis: « Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiae antiquo, et a Sacra Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, et Magistra probato ritu, ne Oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit, qui frangat eis, mandat Sancta Synodus Pastoribus, et singulis Curam Animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios ex iis, quae in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera Sanctissimi hujus Sacrificii Mysterium aliquod declarent, diebus praesertim Dominicis, et Festis ». Atque idipsum in parte replicavit *sess.* 23. *de reform. cap.* 1. in haec verba: « Cum praecepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique Divini praedicatione, Sacramentorum administratione, et bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia Pastoralia incumbere etc. ». Et licet ibi loquatur de Episcopis, inferius tamen intelligit omnia etiam de Curatis.

Parochi, qui raro, aut numquam Concionem habeant ad populum, peccant mortaliter, etiam praecisa gravi populi necessitate; Et si populus graviter indigeat praedicatione, peccant toties contra Divinum praeceptum, quoties populus graviter indigeat ipsa praedicatione; Cum ex Dei praecepto teneantur oves suas verbi Divini praedicatione pascere, ut expresse habet Tridentinum *sess.* 23. *de reform. c.* 1. per verba numero antecedenti adducta, ibi: *Cum praecepto Divino mandatum sit etc.* Barbosa *de Offic. et potest. Parochi part.* 1. *c.* 14. *n.* 8. et alii passim. Hinc graviter peccant Parochi, si tribus mensibus totius anni discontinuis, per se, vel per alios non concionentur, cum sit materia gravis; Conc. enim Trid. *sess.* 5. *de reform. c.* 2. per verba adducta supra *sub n.* 69. decernit, Parochos, si ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, cogendos esse per Censuras, et alias poenas. Unde Concilium supponit saltem trium mensium spatium esse notabile, et gravem culpam, cum Ecclesiasticae Censurae imponi non soleant, nisi graviter peccantibus (*). Barbosa *loc. cit. sub n.* 8. et apud Bonacina, Trullench, et alii. 71 72

Nec Parochi Officio suo satisfaciunt quoad Deum praedicationes totius anni aliis committentes; Barbosa *loc. cit. n.* 9. cum pluribus aliis ibi adductis. Vide *supra n.* 18. *et* 19. 73

Quamvis *in una Bituntina die* 2. *Maii* 1629. *Sacra Congreg. Concilii* de mandato Urbani VIII. statuerit, quod dum praedicat Episcopus, silere debeant alii Concionatores, illisque possit praecipere, ut eo tempore a praedicatione se abstineant: possunt tamen Parochi sermonem habere inter Missarum solemnia per se ipsos, etiam quando Episcopus ipse praedicat. Sic censuit *Ead. Sac. Cong. Concilii in Terulen.* 11. *Junii* 1631. ubi subdit id non intelligi respectu Parochorum in Ecclesia Parochiali. Ita apud Barb. *de Offic. et potest. Parochi p.* 1. *c.* 14. *n.* 3. 74 75

Parochi, si per se vellnt munus praedicationis 76

(*) In Editionibus Romanis haec not. his verbis subjecta legitur: « Ecclesiasticae Censurae non semper inducunt peccatum mortale, et viceversa mortale peccatum non semper Censuris, aliisve poenis Ecclesiasticis coercetur ». Ceterum ex gravitate poenarum, quae constitutae sunt in Parochos, qui trium mensium spatio Dei verbum populo eorum curae credito non enunciant, illos graviter peccare Lucius noster recte intulit. Nam Ecclesia tam severe in eosdem animadvertendum esse non statuisset, si illa omissio levis esset, ut cuilibet rem ipsam consideranti patet.

obire, non debent impediri: *Sac. Congreg. Conc. ad c.* 2. *sess.* 5. *de reformat.* in haec verba: « Si curatores animarum per se velint munus praedicationis obire, non debent impediri ». Sic refert Barbosa *loc. cit. n.* 5. Immo tempore quadragesimae possunt de mane in suis Ecclesiis praedicare, non obstante consuetudine, quod in sola Matrice, vel alia concionetur: *Sacra Congregat. Concilii in Florentina Juris praedicandi* 26. *Januar.* 1697. apud Monaceli. *tom.* 1. *tit.* 10. *form.* 18. *n.* 4.

77 Parocho per se ipsum concionanti minime licet praetextu cujuscumque paupertatis praetendere sibi praestari eleemosynam solitam dari Praedicatoribus ab universitate electis: *Sacra Congr. Concilii in Vestana* 10. *Martii* 1621. apud Sellium in *Select. Canon. cap.* 23. *num.* 18. et apud Barbosam *loc. cit. num.* 7. *et in Summa Apostolic. Decision. verb. Parochus quo ad praedicationem n.* 3. *et in Trid. sess.* 5. *de reform. c.* 2. *n.* 15.

78 Parochi prohibentur in suis Ecclesiis admittere Concionatores ab Ordinario non approbatos, etiamsi praedicare vellet aliquis Episcopus. Et ita jam hodie nullus etiam a Parocho invitatus praedicare poterit sine licentia Episcopi, ut declarasse Clementem VIII. referunt Zip. *in analitica postremi Juris Eccles. enarrat. lib.* 3. *tit. de Parochis n.* 3. Berti Lucens. *in praxi crim. Regular. cap.* 34. *de Visitat. Eccles. Parochial. num.* 1. *vers. Regulares*, Barbosa *de Offic. et potest. Parochi p.* 1. *cap.* 14. *n.* 8. in *Trident. sess.* 24. *n.* 7.

79 Possunt tamen Parochi dare licentiam alicui viro docto, et noto, etiam Regulari, ut bis, vel ter concionetur in suis Ecclesiis, sine Episcopi (*) approbatione. Navar. *in Manual. cap.* 25. *num.* 141. Ugolin. *de Officio Episcopi cap.* 42. §. 1. *num.* 3. Hieronym. Rodriq. in *Compendio quaestion. Regular. resol.* 112. *num.* 4. Berti Lucens *loc. cit.* Barbosa *de Offic. et potest. Parochi loc.*
80 *cit. n.* 8. *et in Trident. loc. cit. n.* 9. et alii. Et a fortiori possunt, immo debent Parochi concedere approbatis ab Ordinario licentiam praedicandi in suis Parochiis. Sic decisum fuisse a *Sacra Congreg. Concilii* referunt Galet. in *Margarita casuum conscientiae, verb. Parochus* 3. et Barbosa *in Trident. sess.* 24. *de reformat. c.* 4. *n.* 8.

81 Parochi non naturales Indiarum, sive Saeculares, sive Regulares sint, tenentur omnino habere apud se Capellanum natalibus, et origine Indum, pro Confessionibus audiendis, et diebus Festis hortationibus ad populum lingua vernacula habendis, ne tali auxilio destituti, in ea, qua initiati sunt, Orthodoxa Fide langueant, ac paulatim deficiant, iisque pro sustentatione, et labore, ubi populus ipse id sponte non praestiterit, congruum suppeditent stipendium: Clemens IX. Constit. 38. *incip. In excelsa.*

Parochi in Concionibus caveant ab allegatione Doctorum, et Auctorum modernorum, praesertim viventium: *Congreg. S. Officii* 27. *Octobris* 1649. apud Pittonum *Const. et decis. ad Parochos spectantes n.* 539. 82

Parochi utantur specialiter in Concionibus Catechismo Romano, Maximasque utiles, et Auditorum capacitati adaequatas, simpliciter, et clare explicent, ut populus libenter audiat, frequenter concurrat, et fructuose discedat Clemens XI. *die* 16. *Martii* 1703. *in littera circulari ad quintum.* 83

Parochi an, et quando teneantur alimenta praestare Praedicatoribus? Vide verb. *Alimenta a n.* 114. *ad* 116. 84

Attendendum est sequens decretum Sacr. Congreg. *super disciplina Regular.* quo Officium Prioratus Conventus S. Marcelli de Urbe Ord. Serv. B. M. V. declaratur incompatibile cum cura animarum ejusdem Ecclesiae; hincque statutum, duo praedicta munia, tamquam incompatibilia in omnibus Conventibus cujuscumque Ordinis, Societatis, et Instituti seorsim, distintisque personis fore demandanda. 85

» Mature discussa in Sacra Congregatione super disciplina Regular. habita sub die 28. Maii currentis Anni 1715, causa incompatibilitatis Prioratus Conventus S. Marcelli de Urbe Ord. Serv. B. M. V. et curae animarum ejusdem Ecclesiae, unitim in persona P. Hieronymi Allegri, EE. PP. auditis partibus unanimiter censuerunt, praedicta duo munia esse inter se incompatibilia, et insuper nominationem Praefati P. Allegri in Priorem dicti Conventus esse nullam. Mandantes insimul, Sanctissimo Domino N. approbante, ut enunciata duo Officia seorsim provideantur in omnibus, et singulis Conventibus cujuscumque Ordinis, Societatis, aut Instituti, quibus cura Animarum incombit, aut incumbere contigerit. Et ita perpetuo, et inviolabiliter observetur, sub poenia arbitrio ejusdem Sac. Congregationis.

I. R. CARD. IMPERIALIS PRAEFECTUS.

F. de Vico Secretarius.

* Parochus ad residentiam materialem, et formalem obstringitur tempore pestis (ut supra traditum *n.* 29.) etiam cum periculo morbi contrahendi, ut ex rescriptis Sac. Congreg. a Gregorio XIII. approbatis. Idque verum est: licet Sacerdotem idoneum provideat, ut se absente ejus vicibus fungatur: Bened. XIV. *De Synodo Dioeces.* l. 13. *cap.* 19. §. 2. *nov. edit.* 86

(*) Cum in Provincialibus, Dioecesanisque Synodis ex Concilio Tridentino, ac Romanorum Pontificum Constitutionibus cautum sit, ne cui verbum Dei praedicare liceat, cui Episcopus praedicandi potestatem non fecerit, fas Parocho non est, ulli, *sine Episcopi approbatione*, in sua Ecclesia concionandi *licentiam dare*. Hinc Giraldi ad Barbosam *loc cit. de Offic. et Potest. Parochi.* « Attenta Declaratione Clement. VIII. sive Praedicator vir Parocho notus, sive semel, vel bis praedicare velit, numquam ei licebit sine licentia Episcopi ».

87 Fas est equidem Parocho propter inimicitias, et persecutiones a residentia recedere ex *cap. Ad supplication. de Rescript.* quia tunc periculum inimicitiarum soli Parocho imminet: quare potest alium Sacerdotem substituere, qui sine suo periculo ejus munus adimpleat (*). At in peste omnibus aeque periculum imminet, ideoque convenientius est, ut id discriminis subeatur a Parocho, quam ab alio Sacerdote: *Ibid.* Quae de Parocho dicta hic sunt, valent etiam pro Episcopo.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Complectitur hic articulus residentiam, et praecedentiam Parochi, tum praedicationem ejusdem.

88 Quod concernit residentiam, Parochum debere habitare in Ædibus Parochialibus, praeter allegatos *ab Auctore n.* 16. firmavit *Rot. in Tarraconen. Juris residendi* 16. *Martii* 1734. §. 3. *coram. bon. mem. Harrach*, nec recipi potest opinio Doctorum *ab Auctore nu.* 17. allegatorum tenentium posse Parochum, Domo Parochiali deserta, in Domo propria, vel Paterna, vel Conjunctorum habitare, si ex ea possit suo muneri satisfacere, ut rescripsit Sacra Congregatio Concilii interpres in *Pontis Curvi Residentiae* 20. *Decembris* 1755. Dubium enim ita erat conceptum: « An Abbati Curato Lucernari liceat habitare in domo paterna sita in Regione Civita »? Et licet probatum fuerit, potuisse ex ea Parochum onus suum implere, fuit tamen *negative* rescriptum.

89 Quid si in districtu Parochiae sit Ecclesia aliqua filialis, in qua Sacramenta administrentur, in eaque vellt Parochus habitare, deserta domo Parochiali? Nec posse sensit *Rota in dicta Tarraconen. Juris residendi* §. 7. *et seq. et* 11. et quidem etiamsi prope Ecclesiam illam filialem habitet major pars Parochianorum.

90 Neque potest Episcopus potestatem facere Parocho extra domum Parochialem habitandi, nisi *ad breve tempus*, et quidem dummodo haec altera domus sit proxima domui Parochiali, ut firmavit idem Sacrum Tribunal in dicta *Tarraconen. Juris*

91 *residendi* §. 8. *et* 9. Idque procedit, etiamsi pro aeris intemperie nequeat Parochus in Parochiali domo habitare; nam nec concurrente hac, vel alia causa, potest Episcopus licentiam Parocho dare extra domum Parochialem *in perpetuum habitandi*. Confer. *Rot. in dict. Tarraconen. Juris residendi* §. 11.

92 Quod vero attinet ad praecedentiam, Parochus, exceptis iis, quae sunt sui officii, nullam regulariter praecedentiam, et praeminentiam habet, atque hinc est, quod Parochus in Choro locum altiorem, et ornatiorem habere nequit, quam caeteri Presbyteri inibi assistentes; *Rota in Pamplionen. manutentionis* 10. *Maii* 1707. *coram bon. mem. Cafarello*, ubi quod nec in Sede, sed in scamno sedere debet, si caeteri in scamnis sedeant.

Huc etiam pertinet, quod ait *Rota in Alexanen.* 93
28. *Aprilis* 1747. §. 11. *coram Reverendissimo Cortada*. « Nihilominus (sunt ejus verba) aequum haud erit, Rectorem eo usque praeminere supra Presbyteros, ut, seclusis diebus Festis solemnioribus, non permittatur Caetui Presbyterorum, absente Parocho, inchoare per ipsorum Hebdomadarium Sacram Psalmodiam, et celebrationem Missae postquam tinnierit signum aeris Campani, et congruum subinde effluxerit tempus; Nam moderatio Chori non habentis verum cum Dignitate Praelatum, ordinem mutuatur, et regulam a Capitularibus, per organum Hebdomadarii, sive alterius de gremio, prout fert consuetudo cujusque Ecclesiae ».

De praedicatione adi *Van-Espen. Jur. Eccles. Univers. part.* 1, *tit.* 3. *cap.* 4. *et plur. seq.* ibique *per tot.*

Responsio Auctoris Romanis additoribus.

Quo ad residentiam, cui obligatur Parochus, 94
sententia mea, a qua non recedo, fuit a me tradita *n.* 16. immediate antecedenti, ubi inter alia adduco ad id duo decreta *Sacr. Congr. Conc.* Opinio autem Doctorum *n.* 17. allegatorum adducitur a me ad eruditionem, et pro iis locis, in quibus ex immemorabili consuetudine, quae est optima legum interpres, *L. si de interpretatione* 37. *ff. de legibus*, *c. cum dilectus* 8. *de consuetudine*, Parochi, relicta domo Parochiali, nullo contradicente, pacifice resident in domo propria, vel paterna, vel Conjunctorum, et aeque commode ex ea omnimoda munus suum adimplent, ut pluribi adhuc in dies videtur, ut notum est, tacentibus, seu consentientibus, aut tolerantibus Ordinariis, sine ullo detrimento, et clamore Parochianorum. Eo vel maxime, quod allatum decretum in *Pontis Curvi Residentiae* 20. *Decemb.* 1755. « loquitur in casu etc. ibi; An Abbati Curato Lucernari liceat habitare in domo paterna sita in Regione Civita, in casu etc. *Negative*. In quo casu concurrerant circumstantiae alibi non concurrentes, ut patet in expositione casus Eminentissimi Furietti tunc S. C. Secretarii, ubi inter alia sic exponit. Auditus Episcopus, respondit (contra adversum assertum) limites esse Parochiae, neque defecturam domum Parochialem, si eam Lucernarius non alienasset,

(*) Contrarium tamen ex declaratione, ut ait *Sac. Congr. Episcop.* tenet *Paxiord lib.* 10. *tit.* 40. *num.* 53. *apud Leuren. for. benef. part.* 1. *quaest.* 385. ubi utitur etiam ad hoc probandam auctoritate *Zerol. in prax. part.* 1. *verb. Privatio Benef. de onere, et oblig. beneficiat-part.* 5 *num.* 2. Immo ubi Parochus non est Populo, vel plebi acceptus, nec sit spes reconciliationis inter Parochum, et Populum, tunc sponte renuncians Parochus admitti debet ad renunciationem Parochiae, et si renunciare recuset, cogi debet ad renunciandum, sed tamen ad aliam transferri debet Ecclesiam, vel alio modo pro Ecclesia compensari, *Paris. lib.* 5. *q.* 3. *n.* 125. *aliique plures apud Leuren. for. benef. par.* 3. *q.* 405 *n.* 6. — Nullam contrariet. inter doctrin. sub n. 87, et praes. not. videmus. Edit. Cas.

nec illam cogeretur habitare, eamque ampliorem, et commodiorem facile a Parocho reddi potuisse uberibus Parochiae redditibus, ni magno Parochianorum detrimento maluisset in propria domo habitare, ex qua praesto esse nequit nocturno praesertim tempore Parochianis suis, tum ob loci distantiam, tum ob difficultatem viarum ». Resolutio autem S. C. cum clausula *in casu de quo agitur*, non potest allegari pro aliis causis, in quibus ipsae circumstantiae non concurrunt; ut recte doctissimus Pitonius tradit *p.* 4. *disc.* 109. *n.* 8. sic expresse dicens, ut in puncto advertit Monacel. in *Form. For. Ecclesiast. p.* 2. in epistola ad lectorem; ibi: quoties enim S. C. judicat, suum decretum adaptari non posse, nec debere, nisi casui proposito, solet rescribere *Negative, seu Affirmative in casu etc.* Haec, inquam, sunt illa decreta, quae allegari non possunt ad decisionem caussarum, nisi concurrant ipsae circumstantiae, quae referebantur in casu particulari proposito, nam decisio casus circumstantiati non est universalis, sed particularis in concreto illarum circumstantiarum, in quibus emanavit; Card. de Luca *in annotat. ad Conc. discurs.* 1. *num.* 11. Pignatel. *consultat.* 1. *nu.* 18. *tom.* 1. *et Ego scripsi disceptat. Eccl.* 50 *num.* 19. *et dixit Rota in Romana Pensionis* 15. *Martii* 1694. §. *non potest curam Eminentissimo Priolo.* Sic expresse eruditissimus Franciscus Maria Pitonius *dict. part.* 4. *disceptat.* 102. *num.* 8.

APPENDIX EDITORUM CASINENSIUM

(ad num. 57. h. art.)

In materia praecedentiae Paroch.

« Quoad praecedentiam unius Parochi, in cujus Ecclesia quis est mortuus, respectu alterius Parochi Ecclesiae, ad quam defunctus sepeliendus effertur, extat optima dispositio inter Acta Ecclesiae Mediolanensis *p.* 2. *Tit. de funere ducendo, vers. cum ex Parochia, pag.* 286. ubi sic legitur ; « *Cum ex* Parochia, cui Secularis Sacerdos praesit, mortuus effertur, ut in Parochiali Ecclesia sepeliatur, cui Regularis sit praefectus, vel e contra, tunc utrique Parochi Superpelliceo, et Stola induti pares progrediantur, reliqui vero Regulares eum locum teneant, quem in generalibus processionibus tenere consueverunt, non obstante quacumque consuetudine, vel pactione, quam inter se fecerant ». Idem vidi Romae servari, ubi quoque praecedentia datur Parocho illius Ecclesiae, ad quam defunctus defertur ». Sic in terminis Barbosa *de Offic. et potest. Parochi, part.* 1. *cap.* 9. *num.* 8. Sed vide tert. Append. post 4. Art. v. *Parochus*, ubi plura ad rem.

ARTICULUS III.

PAROCHUS QUOAD EA, QUAE CONCERNUNT MISSAM SACRAMENTA, FUNERALIA.

SUMMARIUM

1. Parochus diebus Festis Missam celebrare debet in propria Ecclesia, et non in alia, quacumque consuetudine in contrarium non obstante. — 2. Paroche concedere potest Episcopus ob defectum Sacerdotum, ut diebus Festis, urgente necessitate, bis celebret — 3. Regulares possunt in suis Ecclesiis Missas celebrare eodem tempore, quo parochi celebrant in suis. — 4. Regulares possunt pulsare Campanas ad Missam, antequam pulsetur Campana majoris Ecclesiae, praeterquam in die Sabbati Sancti. — 5. Immo possunt Regulares etiam celebrare Missas priusquam parochi celebrent. — 6 Nec Episcopi possunt illis prohibere, ne campanas pulsent, et Missas celebrent in suis Ecclesiis, ante pulsationem campanae, et celebrationem Missae in Ecclesia parochiali. — 7. Potest tamen Episcopus Decreto Synodali statuere, ut diebus Festis de praecepto Missae celebrari non debeant in Oratoriis, et Ecclesiis Ruralibus, nisi celebrata Missa in Ecclesia parochiali. — 8. Maxime si Oratoria, et Ecclesiae rurales parum distent a parochiali Ecclesia, quia alias adest Decretum Sac. Cong. quod *Parochus non potest prohibere, ut absque ejus licentia celebretur in Cappella Ruri aedificata per Laicum, antequam celebretur in parochiali, et Matrice.* — 9. Servari debet Decretum, ne in Oratoriis confraternitatum celebretur in Festis ante parochiam, dummodo parochus celebret hora competenti. — 10 Parochorum de consensu liberum est Regularibus celebrare in eorum Ecclesiis parochialibus, absque Ordinarii loci licentia. — 11. Parochus non tenetur subministrare cappellanis, seu Presbyteris in suis Ecclesiis parochialibus celebrare volentibus paramenta, et alia necessaria ; Nec ad id possunt per Episcopos cogi, sed tantum hortari. — 12. Parochi an, et quando teneantur applicare Sacrificium Missae pro suis parochianis ? *remissive.* — 13. Sacramenta administrare non licet parocho Cathedralis in alia parochia. — 14. Neque etiam licet parocho Cathedralis ministrare Sacramenta infirmis Canonicis ejusdem Cathedralis, sed hoc spectat ad parochum Domicilii. — 15. Ad parochum spectat ministrare Sacramenta famulis, et famulabus inservientibus Monasteriis Monialium, quamvis exemptarum, non autem ad confessarium earumdem Monialium. — 16. Non debet Ordinarius sine causa valde gravi, et relevanti auferre a propriis curatis celebrationem Baptismorum, et Matrimoniorum ; eaque ipse ministrare, vel aliis delegare. — 17. Parochi non possunt accipere aliquid etiam a sponte dantibus pro administratione Sacramentorum ; possunt tamen accipere, quod sponte pro eleemosyna offertur. — 18. Unde parochus nihil petere debet pro administratione Baptismi, nec antea investigare, quid sibi donare velint. — 19. Item parochus nihil potest percipere pro Matrimonio contrahendo. — 20. Item parochus pro publicationibus Matrimoniorum, et Ordinum nihil exigere potest ; pro fide vero decimam partem unius Scuti ; Nec potest parochus cogere parochianos, ut deferant pro Matrimonio contrahendo solita munuscula. — 21. Parochus potest simplici Sacerdoti licentiam concedere administrandi Sacramenta in sua parochia, excepta poenitentia. — 22. Curati Regulares tenentur adesse Benedictioni Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto, si alii teneantur. — 23. Curatus Regularis

debet juxta solitum accedere ad assistendum in Matrice Benedictioni Fontis, indeque aquam accipere, projecta in Sacrarium ea, quam ipse contra solitum benedixerat. — 24. Parochus nequit approbare confessarios non approbatos ab Ordinario ad audiendas confessiones suorum parochianorum. — 25. Immo parochus ne quidem potest sibi in confessarium eligere simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. — 26. Parochus potest suorum parochianorum confessiones audire, etiam in aliena Dioecesi, sine approbatione Episcopi illius Dioec. — 27. Pro hac conclusione facit resolutio S. Congregat. Conc. Vid. addit. in fin. h. art. — 28. Parochus, dimisso Beneficio parochiali, non potest absque nova approbatione confessiones audire. — 29. Parochus ex obligatione justitiae tenetur ministrare Sacramenta suis parochianis tempore gravis necessitatis, etiam cum certo periculo vitae suae. — 30. Principes, et Magistratus non possunt impedire parochos, et Sacerdotes ministrare Sacramenta tempore pestis. Poterunt tamen parochos, et alios ministrantes infectis prohibere a sanorum commercio. — 31. Immo potest Episcopus tempore pestis praecipere parochis, etiam cum mortis periculo, ne a sua parochia discedant, et quod necessaria Sacramenta petentibus administrent. — 32 Parocho ministranti Viaticum etiam praetextu invaletudinis, neque de nocte, neque de die permitti debet pileolus. — 33. Parochum dolose cogentes ad assistendum Matrimoniis excommunicantur ipso facto in septima Synodo Provinciali Mediolanensi, et in decima Synodo Dioecesana Beneventana — 34. Alia de parocho quoad Sacramentum Matrimonii, *remissive*. — 35. Parochus violenter rapiens, et spolians funus, antequam veniat ad manus eorum, quibus debetur, perdit jus, quod habet, et Quartam Canonicam, teneturque restituere cum corpore quidquid accepit. — 36. Occasione funerationis cadaverum alterius Dioecesis, aut parochiae in Ecclesiis Regularium, potest proprius parochus defuncti ad effectum deferendi processionaliter cadavera ad dictas Ecclesias, libere transire per quascumque Dioeceses, et parochias Stola, et Cruce elevata, etiam irrequisitis earumdem parochis. — 37. Parochus occasione transitus unam per parochiam cadaveris alterius parochiae, et Dioecesis nequit praetendere aliquam partem cerae, aut pecuniarum pro Quarta funerali, aut alio titulo ab haeredibus defuncti — 38 Parochus consequi nequit, neque praetendere ab haeredibus defuncti, qui sepelitur in Ecclesiis Regularium, duplicem Quartam, seu aliquam portionem majorem solito. — 39 Haeredes defuncti in associando cadavere tam ad Ecclesiam parochialem, quam ad aliam Ecclesiam, possunt vocare majorem numerum Regularium, quam sint Sacerdotes Saeculares. — 40. Adducitur ad id decr. Innoc. XI. neo non resolutio Sacrae Congregat. Episcoporum et Regularium. — 41. Haeredes defunctorum pro illis ad sepulturam associandis numerum cerae sibi benevisum, quolibet contrario praetextu per parochum adducto non obstante, subministrare valent. — 42. Haeredes defunctorum possunt vocare numerum Religiosorum sibi benevisum in deferendis cadaveribus ad Ecclesias. — 43. Et tunc destinatos Clericos ab eis, et non alios vocare debet parochus. — 44. Si vero dicti haeredes nullos destinaverunt, tunc, et eo casu jus advocandi alios Sacerdotes pro obeundis funeribus parocho competet. — 45. Parochus potest ad libitum vocare ad funus Clericos, quos voluerit, nec cogitur vocare viciniores, nisi aliter disponant haeredes. — 46. Parochi contra voluntatem haeredum defunctorum nequeunt impedire Regulares, aliosque Clericos vocatos, ne veniant ad funus. — 47. Parochi non possunt cogere haeredes, seu executores testamentarios, ut pro defunctis, qui tumulantur in Ecclesiis Regularium, in Ecclesiis etiam parochialibus celebrari faciant Officia, Novenalia, et Anniversaria, prout celebrantur in Ecclesiis Regularium, in quibus cadavera, sepeliuntur. — 48. Parochi licentia, seu interventus requiritur ad hoc, ut Regulares possint defunctorum cadavera in ejus parochia levare, nisi ipse requisitus venire expresse omnino recuset. — 49. Vocato enim parocho, et ipso renuente intervenire, vel alterum mittere, tunc possunt Regulares absque parocho deferre cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda — 50. Parochus proprius nullatenus est excludendus, quamvis ad sepeliendum cadaver Regulares dumtaxat a defuncto accersiri jubeantur. — 51. Ad parochum spectat declarare per quam viam sit exportandus defunctus, et facere omnia necessaria usque ad januam Ecclesiae Regularium, ubi sepeliendus est — 52. Vocati omnes ad funus debent convenire ad parochialem defuncti. Excipiuntur tamen Canonici Cathedralis capitulariter intervenientes. — 53. Regulares extra claustra decedentes possunt ad eorum Ecclesias deferri inconsultis parochis. — 54. Parochus facere debet Officium supra corpus defuncti, etiamsi adsint Canonici Cathedralis in sua parochiali Ecclesia. — 55. Canonicus Cathedralis decedens, non electa sibi sepultura, debet sepeliri in Cathedrali, si in ea adsit sepulcrum proprium Canonicorum: sin minus in sepulcro majorum. — 56. Pro sepultura Canonicorum Cathedralium debetur Quarta funeralis parocho Domicilii; non vero parocho Cathedralis, neque parocho, ubi adest sepulcrum suorum Majorum. — 57. Ubi parochiae distinctae sunt per familias, administratio Sacramentorum spectat ad proprium parochum dictarum familiarum etiam pro exteris ducentibus uxores de dictis familiis, et pro advenis famulatum praestantibus iisdem. — 58. An, et quando parochus incedere debeat sub Cruce Regularium in delatione cadaveris ad eorum Ecclesiam? — 59. Adducuntur varia quaedam ulterius respectu parochi decisa, *ad num.* 65. — 66. An parochi possint cum Stola, et Cruce elevata ingredi Ecclesias Regularium occasione associationis cadaverum? *ad num.* 69. — 70. An Confessarii approbati ab Ordinario possint Confessiones Sacramentales excipere sine licentia parochorum in suis respective paroeciis? *ad num.* 74 — 75 Parochi associantes funus nequeunt praetendere candelam majorem illa, quae datur Superioribus Regularium; Neque alii Sacerdotes, et Canonici majorem illa, quae datur Regularibus. — 76 Afferuntur ad rem varia Decreta Sacrae Congregationis Concilii. — 77 Attendenda est ad rem Constitutio Innocentii XIII. — 78. Alia ad rem, *remissive*. — 79. Alia notanda cum additionibus ex alien. manu ad *n.* 104.

1 Parochus diebus Festis Missam celebrare debet in propria Ecclesia, et non in alia, quacumque consuetudine in contrarium non obstante: *Sacr. Congreg. Concilii in Lucana* 16. *Septembris, et* 17. *Novembris* 1629. apud Sell. *in Selectis Canonic. cap.* 59. *n.* 34. et Barbosam *in Summa Apost. dec. verb. Parochus quoad Missam.*

2 Parocho concedere potest Episcopus ob defectum Sacerdotum, ut in diebus Festis, urgente necessitate, bis celebret: *Sacr. Congr. Concilii sub die* 17. *Augusti* 1627. apud Sellium *cit. cap.* 59. *n.* 30. et Barbosam *loc. cit. n.* 6. Vide verb. *Missa art.* 5. *a n.* 24. et Barbos. *de offic. et potest. Parochi*, ubi dicit de hac re melius esse eamdem Sac. Cong. consulere.

Regulares possunt in suis Ecclesiis Missas cele- 3

brare eodem tempore, quo Parochi celebrant in suis. Vide dict. verb. *Missa artic.* 5. *n.* 29.

4 Regulares possunt pulsare Campanas ad Missam, antequam pulsetur Campana Majoris Ecclesiae, praeterquam in die Sabbati Sancti. Vide *ib. n.* 30.

5 Immo possunt Regulares etiam celebrare Missas, priusquam Parochi celebrent. Vide *ib. n.* 31.

6 Nec Episcopi possunt illis prohibere, ne Campanas pulsent, et Missas celebrent in suis Ecclesiis ante pulsationem Campanae, et celebrationem Missae in Ecclesia Parochiali: *Sac. Congr. Concilii* 2. *Julii* 1620. apud Pittonum *Constitut. et decis. ad Parochos spectantes n.* 319. Vide *d. verb. Missa art.* 5. *n.* 32.

7 Potest tamen Episcopus Decreto Synodali statuere, ut diebus Festis de praecepto Missae celebrari non debeant in Oratoriis, et Ecclesiis ruralibus, nisi celebrata Missa in Ecclesia Parochiali;

8 Vide *dict. verb. Missa artic.* 5. *n.* 33 Maxime si Oratoria, et Ecclesiae rurales parum distent a Parochiali Ecclesia, quia alias adest Decretum *Sac. Congregationis Concilii in Calaritana* 18. *Septembris* 1627. ubi fuit decisum, quod « Parochus non potest prohibere, ut absque ejus licentia celebretur in Capella Rure aedificata per Laicum, antequam celebretur in Parochiali, et Matrice »: Sic refert Barbosa *in Summa Apostolic. decis. verb. Parochus quo ad Missam n.* 3. et Sellius *citat. c.* 59. *num.* 36. Et adest etiam simile Decretum *Sacrae Congregationis Rituum in Capuana* 31. *Martii* 1629. ubi fuit decisum, quod « non potest prohiberi celebratio Missae in Oratorio ruri aedificato per Laicum, ante celebrationem Missae Parochialis ». Sic refert Pittonus *loc. cit. n.* 467. Barbosa *de offic. et potest. Parochi part.* 1. *cap.* 11. *n.* 23.

9 Gavant. verb. *Missa Parochial. in addit.* Servari debet Decretum, ne in Oratoriis Confraternitatum celebretur in Festis ante Parochialem, dummodo Parochus celebret hora competenti: *Sac. Congr. Episcop. in Senogallien.* 29. *Jan.* 1613. apud Pitton. *l. c. n.* 299.

10 Parochorum de consensu liberum est Regularibus celebrare in earum Ecclesiis Parochialibus absque Ordinarii loci licentia: *Sacr. Congr. Episcop. et Regul.* 10. *Januarii* 1617. apud Barbosam *loc. cit. in Summa n.* 5.

* Hanc tamen licentiam Parochi Regularibus concedere nec debent, nec possunt, nisi ad normam Decretorum, sive Constitutionum *De Sacerdotibus ignotis etc.* ad Sacrificii Missae celebrationem non admittendis: legumq. Synodalium Dioecesis, ad quam pertinent *.

11 Parochi non tenentur subministrare Capellanis, seu Presbyteris in suis Ecclesiis Parochialibus celebrare volentibus paramenta, et alia necessaria; Nec ad id possunt per Episcopos cogi, sed tantum hortari: *Sacra Congreg. Episcopor. et Regular. in Montis Alti* 15. *Maii* 1699. non obstante solito: *Sacra Congregat. Rituum in Egitanien.* 10. *Junii* 1602. confirmata *in Suanen.* 13. *Maii* 1698. apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 10. *form.* 18. *n.* 6.

Parochi an, et quando teneantur applicare Sacrificium Missae pro suis Parochianis; Vide verb. *Missa art.* 3. *a n.* 1. *ad* 11. 12

Sacramenta administrare non licet Parocho Cathedralis in aliena Parochia: *Sac. Cong. Concilii in Eugubina* 20. *Sept.* 1628. apud Barb. *in summa Apostolic. decis. verb. Parochus quoad Sacramenta num.* 2. et Sellium *in Selectis Canonicis c.* 59. *nu.* 39. Neque etiam licet Parocho Cathedralis ministrare Sacramenta infirmis Canonicis ejusdem Cathedralis, sed hoc spectat ad Parochum Domicilii: *Sac. Cong. Episc. et Regul. in Tiburtina* 12. *Maii* 1685. *in responsione ad primum.* Vide verb. *Canonicus art.* 8. *num.* 14. ubi refertur integrum Decretum, et sic censuit etiam *Sacra Cong. Concil. in Novarien.* 17. *Sept.* 1695. *et in Narnien.* 26. *Sept.* 1699. apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 10. *formul.* 18. *sub num.* 4. 13 14

Ad Parochum spectat ministrare Sacramenta famulis, et famulab. inservientib. Monasteriis Monialium, quamvis exemptarum, non autem ad Confessarium earumdem Monialium, ut respondit *Sacra Cong. Conc. in una Lodien.* 14. *Apr.* 1685. et in alia Spoletana 19. *Aprilis* 1691. inter famulas Monialium S. Matthaei Congregationis Lateranens. quae habitabant in domo extructa intra Cortile, sive Atrium Monasterii, et Parochum S. Martini, intra cujus Parochiae limites Monasterium existit: apud Monacell. *tom.* 1. *tit. XI. formul.* 20. *num.* 2. Et iterum *in Ulixbonen. Occidentalis* 19. *Sept.* 1722. apud Ursayam *in Miscellan. sacro, et profano litt. M. num.* 160. 15

Non debet Ordinarius sine causa valde gravi, et relevanti auferre a propriis Curatis celebrationem Baptismi, ac Matrimoniorum, eaque ipse ministrare, vel aliis delegare: *Sacra Congr. Episcop. et Regul. in Neapolit.* 17. *Sept.* 1604. apud Pitton. *loc. cit. num.* 267. 16

Parochi non possunt accipere aliquid a sponte dantibus pro administratione Sacramentorum; possunt tamen accipere quod sponte pro eleemosyna offertur: *Sac. Cong. Conc. sub die* 5. *Febr.* 1593. apud Barbosam *loc. cit.* et Sellium *cit. cap.* 59. *num.* 31. 17

Unde Parochus nihil petere debet pro administratione Baptismi, nec antea investigare, quod sibi donare velint: *Sac. Cong. Episc. et Regul. in Tropien.* 5. *Junii* 1582. apud Pitton. *l. c. n.* 38. 18

Item Parochus nihil potest percipere pro Matrimonio contrahendo: *Sac. Cong. Conc.* 17. *Martii* 1619. apud Barbos. *loc. cit. nu.* 7. et Sellium *loc. cit. num.* 33. 19

Item Parochus pro publicationibus Matrimoniorum, et Ordinum nihil exigere potest. Pro Fide vero decimam partem unius Scuti. Nec potest Parochus cogere Parochianos, ut deferant pro Matrimonio contrahendo solita munuscula, ut ad haec respondit *Sacr. Congr. Episc. et Regul. referente* 20

Eminentissimo Acciajolo in Sanctae Severinae emolumentor. 6. *Augusti* 1700. apud Monacell. *t.* 1. *tit.* 10. *num.* 8.

21 Parochus potest simplici Sacerdoti licentiam concedere administrandi Sacramenta in sua Parochia, excepta Poenitentia: *Sac. Cong. Episc. et Regul. in Castellaneten.* 20. *Augusti* 1602. apud Sellium *cit. cap.* 59. *num.* 32. et Barbos. *loc cit. num.* 4.

22 Curati Regulares tenentur adesse Benedictioni Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto, si alii tenentur: *Sac. Cong. Episc. et Regul.* 12. *Decembris* 1595. apud Pitton. *loc. cit. num.* 182.

23 Curatus Regularis debet juxta solitum accedere ad assistendum in Matrice Benedictioni Fontis, indeque aquam accipere, projecta in Sacrarium ea, quam ipse contra solitum benedixerat: *Sacra Cong. Episc. et Regul. in Ariminen.* 6. *Septembris* 1625. apud Pitton. *loc. cit. num.* 432.

24 Parochus nequit approbare Confessarios non approbatos ab Ordinario ad audiendas Confessiones suorum Parochianorum: *Communis*, et colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.* 15. et expresse declaravit *Sac. Cong. Episc. et Regul.* 20. *Augusti* 1602. Vide verb. *Approb. art.* 1. *n.* 25.

25 Immo Parochus nequidem potest sibi in Confessarium eligere simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario; Nam Alexander VII. die 24. Septembris 1665. damnavit expresse hanc propositionem 16. in ordine: « Qui Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario ».

26 Parochus potest suorum Parochianorum Confessiones audire, etiam in aliena Dioecesi sine approbatione Episcopi illius Dioecesis, quia in eos ordinariam habet Jurisdictionem, et eum actus audiendi Confessiones sit Jurisdictionis voluntariae, potest etiam in alieno territorio exerceri, *lib.* 1. *ff. de Offic. Proconsul.* Glossa *in cap. Novit*, *de Officio legati*, Fagnan. *lib.* 5. *decret. in cap. Ne pro dilatione* 16. *de poenit. et remiss. num.* 10. cum aliis ibi citatis, Piasec. *Prax. Episc. part.* 2. *c.* 1. *art.* 2. *num.* 5. Barbos. *in Trid. sess.* 23. *c.* 15. *num.* 20. *et de Offic. et potest. Parochi part.* 2. *cap.* 19. *et de Offic. et potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 25. *num.* 18. cum plurimis ibi citatis, et alii contra Matthaeucc. *Officialis Curiae c.* 6. *n.* 16. *et in cautela Confessarii lib.* 1. *c.* 9. *proposit.* 13. *ab Alex. VII. etc. num.* 4. et alios.

27 Et pro nostra conclusione facit resolutio *Sacr. Cong. Concilii* 3. *Decembris* 1707 *in una Posnanien.* in qua fuerunt proposita, et resoluta haec dubia ut sequitur.

I. « An Curati unius Dioecesis vocati a Parochis alienae Dioecesis, possint in ista audire Confessiones tam suorum subditorum, quam alienorum absque licentia Episcopi » ?

II. « An Sacerdotes approbati ad Confessiones audiendas in una Dioecesi, vocati a Parochis alterius Dioecesis possint in ista audire Confessiones quorumlibet absque approbatione Episcopi loci ? Et quatenus negative ad utrumque ».

III. « An, et quomodo in casibus praedictis sit consulendum, si agatur de magno concursu Populi, et magna distantia adeundi pro approbatione Episcopum Dioecesanum » ?

Quibus dicta die responsum fuit.

Ad I. « Affirmative quoad subditos; Negative quoad alios ».

Ad II « Negative ».

Ad III. « Arbitrio, et prudentiae Ordinariorum » ?

Sic refert et tenet Monacell. *t.* 4. *Supplem. ad tom.* 1. *num.* 172 *et seq.* Vid. Addit. in fin. h. art.

Parochus, dimisso Beneficio Parochiali, non potest absque nova approbatione Confessiones audire; Facultas enim ad absolvendum est connexa cum assecutione Parochiae, adeoque, ista dimissa, facultas cessat, quia sicuti statim, ac consequitur Beneficium Parochiale, modo sit Sacerdos, et non sit suspensus, consequitur etiam approbationem ad audiendas Confessiones in sua Parochia, ita statim dimissa Parochia, desinit etiam approbatio, et facultas; Barbosa *in Trident. loc. cit. n.* 21. *et de offic. et potest. Parochi cap.* 19. *num.* 6. cum pluribus ibi citatis, Piasec. *loc. cit.* et alii passim. 28

Parochus ex obligatione justitiae tenetur ministrare Sacramenta suis Parochianis tempore gravis necessitatis, etiam cum certo periculo vitae suae. Ubi enim detrimentum Ovium suarum imminet in spiritualibus, non potest nec propter pestem, nec alium morbum contagiosum, aut aeris intemperiem, seu ob inimicitias, aut Principis, et populi furorem se excusare, nisi per alios idoneos Ministros sufficienter id praestet: S. Thom. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 5. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 72. *sect.* 3. *col.* 1. Fagundez *in quinque Ecclesiae praecepta praecept. lib.* 3. *num.* 1. Barbosa *de offic. et potest. Parochi part.* 2. *cap.* 17. *num.* 12. et alii communiter. 29

Principes, et Magistratus non possunt impedire Parochos, et Sacerdotes administrare Sacramenta tempore pestis; poterunt tamen Parochos, et alios ministrantes infectis prohibere a sanorum commercio; Marta *de jurisdictione part.* 4. *cas.* 73. Barbosa *loc. cit. nu.* 16. et alii passim. Immo potest Episcopus tempore pestis praecipere Parochis etiam cum mortis periculo, ne a sua Parochia discedant, et quod necessaria Sacramenta petentibus administrent: Duard, *in Commentar. ad Bullam in Coena Domini l.* 1. *cap.* 2. *q.* 2. *conclus.* 4. Chapeaville *de administrat. Sacrament. tempore pestis cap.* 1. *qu.* 4. Barbosa *loc. cit. n.* 17. ubi subjungit, quod de hac re *Sacra Congregatio Concilii*, instante S. Carolo Borromeo *sub die* 10. *Decembr.* 1576. censuit, « Parochus tempore pestis teneri omnino residere in suis Paro- 30 31

chialibus; posse tamen per alium idoneum ministrare Parochianis suis peste infectis Sacramenta Baptismi, et Poenitentiae, et si non residerint, contra eos procedendum esse, servata forma *cap.* 1. *in fine sess.* 23. *de reform.* ».

32 Parocho ministranti Viaticum, etiam praetextu invaletudinis, neque de nocte, neque de die permitti debet pileolus, ut contra Parochum Ecclesiae SS. Laurentii, et Damasi respondit *S. Cong. Rit. in Romana* 13. *Augusti* 1695. *et* 22. *Januarii* 1696. apud Monacell. *to.* 4. *ad Supplem. ad tom.* 2. *num.* 10.

33 Parochum dolose cogentes ad assistendum Matrimoniis excommunicantur ipso facto *in septima Synodo Provinciali Mediolanens. et in decima Synodo Dioecesana Benevent. tit.* 12. *cap.* 1. et de qua *in Synodic. part.* 1. *fol.* 194. Sic apud Ursayam in *Miscellaneo Sacro, et profano* 1. *littera P. num.* 35.

34 Alia de Parocho quoad Sacramentum Matrimonii, Vide verb. *Matrimonium quoad impedimenta art.* 6. *a num.* 59. *usque ad num.* 102.

35 Parochus violenter rapiens, vel spolians funus, antequam veniat ad manus eorum, quibus debetur, perdit jus, quod habet, et quartam Canonicam, teneturque restituere cum Corpore, quidquid accepit: Barbosa *de Offic. et potest. Parochi part.* 3. *cap.* 26. *num.* 27. cum aliis ibi citatis, Et sic pluries censuit *Sacra Congregatio*, et signanter *Sacra Congreg. Rit. in Bituntina* 21. *Julii* 1607. *et Sacra Congreg. Episcop. et Regul. in Calaritana* 12. *Martii* 1660. confirmata ab Alex. VII. *die* 30. *Aprilis* 1660. Constit. incip. *Alias*, *pro parte*, *et Sac. Cong. Concilii in Alexandrina Restitutionis Cadaveris* 27. *Julii* 1680. Vide verb. *Cadaver n.* 11. ubi dictae decisiones referuntur.

36 Occasione funerationis Cadaverum alterius Dioecesis, aut Parochiae in Ecclesiis Regularium, potest proprius Parochus Defuncti ad effectum deferendi processionaliter Cadaver ad dictas Ecclesias libere transire per quascumque Dioeceses, et Parochias stola, et Cruce elevata, etiam irrequisitis earumdem Parochis: *Sic Sac. Cong. Episc. et Regul. in Placentina* 24. *Novemb.* 1713. *in responsione ad primum*, et pluries alibi.

37 Parochus occasione transitus per suam Parochiam Cadaveris alterius Parochiae, et Dioecesis, nequit praetendere aliquam partem Cerae, aut pecuniarum pro Quarta funerali, aut alio titulo ab haeredibus defuncti: *Eadem Sac. Cong. in dicta Placentina in responsione ad secundum*; et pluries alibi.

38 Parochus consequi nequit, neque praetendere ab haeredibus Defuncti, qui sepelitur in Ecclesiis Regularium duplicem Quartam, seu aliquam portionem majorem solito: *Ead. Sac. Cong. in dicta Placentina in responsione ad tertium*, et pluries alibi.

39 Haeredes Defuncti in associando Cadavere tam ad Ecclesiam Parochialem, quam ad aliam Ecclesiam possunt vocare majorem numerum Regularium, quam sint Sacerdotes saeculares: *Ead. Sac. Cong. in dicta Placentina in responsione ad quartum*, et pluries alibi, et signanter *in Alexandrina* 10. *Septembris* 1688. Quod Decretum reperitur authenticum in Archivio hujus Conventus S. Bernardini Alexandriae, et refertur ad litt. sub verb. *Haeres num.* 36. Vide *ibi*, ubi insuper ad id citantur Constitution. Alexandri VII. et Bened. XIII. et anterius decretum in Albinganensi, non obstante Synodo Provinciali, et concordia.

Hinc ad confirmanda hucusque dicta, adducitur 40
sequens decretum Sac. Cong. Conc. confirmatum ab Innocentio XI. ut sequitur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Conventus loci de Binasco Papien. Dioecesis, Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quod ipsi alias a Congregatione tunc existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, obtinuerunt decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: *Papien. funerum.* Regulares Minores strictioris observantiae S. Francisci Dioecesis Papien. ob aliqua inconvenientia orta occasione defunctorum, qui ad eorum Ecclesiam deferuntur, ubi habent proprias sepulturas, supplicant declarari: Primo, An Curatus unius Dioecesis, quaecumque sit, in transitu cadaveris, quod processionaliter defertur ad Ecclesiam Regularium ab alia Dioecesi, transeundo per propriam jurisdictionem, et Parochiam, possit aliquam partem cerae, et pecuniarum ab haeredibus Defuncti praetendere: Secundo, An proprius Parochus Defuncti transeundo per Parochiam unius Parochi alterius cujuscumque Dioecesis, ad effectum deferendi processionaliter Cadaver ad Ecclesiam Regularium, possit libere, et licite per eamdem cum stola, et Cruce elevata transire, etiam irrequisito Parocho? Die XXVIII. Novembris MDCLXXI. Sacra etc. ad primum respondit Negative; ad secundum Affirmative. In quorum fidem etc. Romae XIV. Novembris MDCLXXVI. J. M. Brancaccius Episcopus Viterb. Sacrae Congregationis Concilii Secretarius. — Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel caussa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum se-

rie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum auctoritate Apostolica, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium, decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque judices Ordinarios, et delegatos, etiam caussarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 11. Decembris MDCLXXVI. Pontificatus nostri anno primo.

Juvat etiam adducere in terminis resolutionem *Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium in d. Placentina* 24. *Novembris* 1713. Quae Authentica pariter habetur in Archivio hujus Conventus S. Bernardini Alexandriae, et est ut sequitur.

« In causa Placentina Funerum vertente inter Fratres Conventus Clastidii Min. Observ. S. Francisci ex una, et Parochum dictae Terrae Clastidii partibus ex altera, de, et super infrascriptis dubiis, nempe.

Primo, « An occasione funerationis cadaverum alterius Dioecesis, aut parochiae in Ecclesia S. Mariae Angelorum Provinciae S. Didaci Minor. Observant. Terrae Clastidii possit proprius Parochus Defuncti ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad dictam Ecclesiam, libere per eamdem parochiam Clastidii transire Stola, et Cruce elevata, etiam irrequisito Parocho Clastidii?

Secundo, « An dictus Parochus Clastidii occasione transitus cadaveris alterius parochiae, et Dioecesis possit aliquam partem cerae, aut pecuniarum praetendere pro Quarta funerali, aut alio titulo ab haeredibus Defuncti »?

Tertio, « An dictus Parochus consequi possit ab haeredibus Defuncti, qui sepelitur in dicta Ecclesia S. Mariae Angelorum, duplicem Quartam, nempe duos philippos, aut integram ceram, et unum philippum, seu potius debeatur unica Quarta unius philippi, aut solius cerae »?

Quarto, « An haeredes ejusdem Defuncti in associando cadavere tam ad Ecclesiam parochialem, quam ad aliam Ecclesiam possint vocare majorem numerum Regularium, quam sint Sacerdotes Saeculares in casu etc ».

« Sacra Congregatio Eminentissimorum, et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, audita relatione Episcopi Placentini, referente Eminentissimo Grimaldo, censuit ad suprascripta dubia infrascriptum in modum respondendum, videlicet ».

« Ad primum Affirmative. Ad secundum, et tertium Negative. Ad quartum Affirmative. Romae 24. Novembris 1713. ».

G. CARD. CARPINEUS.

Loco ✠ Sigilli.

F. A. Nizanus Secret.

Haeredes Defunctorum pro illis ad sepulturam 41 associandis numerum Cerae sibi benevisum, quolibet contrario praetextu per Parochum deducto non obstante, subministrare valent: *Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Cassanen.* 5. *Maii* 1617. apud Barbos. *de Offic. et potest. Parochi part.* 3. *cap.* 26. *num.* 57.

Haeredes Defunctorum possunt vocare numerum 42 Religiosorum sibi benevisum in deferendis Cadaveribus ad Ecclesias: *Sac. Cong. Rit. in Camerinen.* 21. *Novemb.* 1627. *et* 14. *Januarii* 1649. 43 Et tunc destinatos Clericos ab eis, et non alios vocare debebit Parochus, ut censuit *Sac. Congr. Rit. in Lauden.* 30. *Augusti* 1601. Si vero dicti 44 haeredes nullos destinaverunt, tunc, et eo casu Jus convocandi alios Sacerdotes pro obeundis funeribus Parocho competet: Rota *in Alexandrina Funeralium* t. *Julii* 1630. *coram Merlino*. Et ideo dicta 45 *Sac. Congregatio Rit. in una Ferrarien.* 7. *Septemb.* 1631. censuit, Parochum posse ad libitum vocare ad funus Clericos, quos voluerit, nec cogitur vocare viciniores, nisi aliter disponant haeredes defuncti, quorum voluntas est servanda; apud Barbosam *loc. cit. num.* 60.

Parochi contra voluntatem haeredum defuncto- 46 rum nequeunt impedire Regulares, aliosque Clericos vocatos, ut veniant ad funus: *Sacr. Congr. Rit. sub die* 23. *April.* 1633. apud Barbosam *in Summa Apostolic. decis. verb. Parochus quoad funeralia num.* 14.

Parochi non possunt cogere haeredes, seu Exe- 47 cutores testamentarios, ut pro defunctis, qui tumulantur in Ecclesiis Regularium, in Ecclesiis etiam Parochialibus celebrari faciant Officia, Novennalia, et Anniversaria, prout celebrantur in Ecclesiis Regularium, in quibus Cadavera sepeliuntur: *Eadem Sac. Cong. Rit. sub dicta die* 23. *Aprilis* 1633. apud Barbosam *loc. cit. num.* 15. et Sacr. Cong. Concil. in Novarien. 15. *Martii* 1705. *in responsione ad* 7. Vide verb. *Quarta funeralis sub num.* 32.

Parochi licentia, seu interventus requiritur ad 48 hoc, ut Regulares possint defunctorum cadavera in ejus Parochia levare, nisi ipse requisitus vani-

re expresse omnino recuset: *Sac. Congr. Rit.* in *Catanien. civitatis Platiae* 18. *Octobris* 1619. *et in Vercellen. Terra Crescentini* 26. *Februarii* 1621. apud Sellium *in Selectis Canonic. cap.* 69. *num.*
49 48. et Barbos. *loc. cit. num.* 3. Vocato enim Parocho, et ipso renuente intervenire, vel alterum mittere, tunc possunt Regulares absque Parocho deferre Cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda: *Sac. Congreg. Rit. in Senogallien.* 22. *Junii* 1675. *in responsione ad sextum:* et sic fuit iterum decisum ab eadem Sac. Congregatione ad instantiam Ordinis Minorum de Observantia S. P. Francisci *die* 13. *Julii* 1675. Et ita jam fuerat decisum *a Sac. Congr. Episcop. et Regul.* 14. *Januar.* 1639. quod Decretum fuit confirmatum ab Alexandro VII. 30. Aprilis in Constit. incip. *Alias pro parte.*

50 Parochus proprius nullatenus est excludendus, quamvis ad sepeliendum Cadaver Regulares dumtaxat a Defuncto accersiri jubeantur: *Sac. Cong. Episcopor. et Regular. in una Montis pilosi de anno* 1581. apud Sellium in selectis Canonic. *cap.* 69. *n.* 51. et Barbosam *loc. cit. n* 8.

51 Ad Parochum spectat declarare, per quam viam sit exportandus Defunctus, et facere omnia necessaria usque ad januam Ecclesiae Regularium, ubi sepeliendus est: *Sacr. Cong. Episcop. et Regul. in Castellaneten.* 3. *Januarii* 1594. apud Barbosam *loc. cit. n.* 9.

52 Vocati omnes ad funus debent convenire ad Parochialem Defuncti: *Sacr. Congr. Rit. in Bononien.* 9. *Decemb.* 1617. *et in Tropien.* 16. *Februarii* 1631. apud Barbosam *de Offic. et potest. Parochi part.* 3. *cap.* 26. *n.* 63.

Excipiuntur tamen Canonici Cathedralis capitulariter intervenientes, pro quibus servanda est sequens dispositio Sac. Congr. Rit. In Æsina, ubi cum nomine Capituli ejusdem Cathedralis supplicatum fuisset pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

Primo: An iidem Regulares teneantur accedere ad Cathedralem ad levandum Capitulum pro associando Cadavere Defuncti sepeliendi etiam in Ecclesia Regularium, licet Defunctus non sit de Parochia Cathedralis?

Secundo: An Plebanus S. Petri, seu Curatus S. Nicolai d. Civitatis pro associando Cadavere sui proprii Parochiani defuncti, in alia tamen Ecclesia, etiam Regularium, sepeliendi, teneatur pariter accedere ad Ecclesiam Cathedralem, quando intervenerit Capitulum ejusdem; et idem servandum sit, si praedictum Cadaver per modum depositi existat in sua propria Ecclesia Parochiali, vel in alia sita intus, vel extra dictam Parochiam?

Tertio: An dicti Curati teneantur accedere ad d. Cathedralem, quando Capitulum intervenit, si praefatum Cadaver sit sepeliendum in aliqua ex dictis Parochialibus Sancti Petri, et Sancti Nicolai.

His omnibus eadem Sac. Congr. *affirmative* respondit, ex declaratione in similibus facta proponente Emin. Brancacci *in Nicien. die* 9. *Augusti*, quando Capitulum Cathedralis capitulariter intervenit, et ab ipso incipiendam esse Processionem in praefatis omnibus casibus. *Hac die* 29. *Januarii* 1671. M. Episcop. Portuen. Cardin. Ginettus. Loco ✠ Sigilli. Bernardinus Casalius Sacr. Rit. Congregat. Secret. Sic refert Joannes Baptista Bassi *in Tractatu de Sodalitiis quaest.* 5. *sub numer.* 19. impress. ad calcem Amostaz de causis piis.

Regulares extra Claustra decedentes possunt ad eorum Ecclesias deferri inconsultis Parochis, ut declaravit *Sac. Cong. Conc. sub die* 2. *Julii* 1620. Nec id iisdem Regularibus prohiberi potest sub praetextu, quod debeant prius Jus sepulturae solvere, quia ab hujusmodi praetensionibus Parochos abstinere debere mandavit *Sacr. Congr. Episc. et Reg. in Puteolana* 22. *Maii* 1615. 53

Parochus facere debet Officium supra Corpus Defuncti, etiamsi adsint Canonici Cathedralis, in sua Parochiali Ecclesia: *Sac. Cong. Rit. in Ostien. Ceren.* 28. *April.* 1607. *in Viterbien.* 25. *Junii* 1611. *et in Praenestina Cavarum* 18. *Augusti* 1618. apud Barbos. *loc. cit. in Summa num.* 1. et Sellium *loc. cit. cap.* 69. *num.* 45. 54

Canonicus Cathedralis decedens, non electa sibi sepultura, debet sepeliri in Cathedrali, si in ea adsit Sepulcrum proprium Canonicorum. Sin minus, in Sepulcro Majorum: *Sacr. Congr. Concilii in Tiburtina* 14. *Maii* 1685. *in respons. ad secundum.* 55

Pro sepultura Canonicorum Cathedralium debetur Quarta funeralis Parocho Domicilii, non vero Parocho Cathedralis, neque Parocho, ubi adest sepulcrum suorum Majorum: *Ead. Sacr. Congr. Concil. in d. Tiburtina in respons. ad tertium.* Vide verb. *Canonicus art.* 8. *a n.* 11. *ad* 14. ubi refertur decretum ad litteram. 56

Ubi Parochiae distinctae sunt per determinatas familias, administratio Baptismi, aliorumque Sacramentorum spectat ad proprium dictarum familiarum Parochum, et non ad Archipresbyterum Collegiatae, seu Matricis: *Sac. Congr. Concil. in Bojanen. Jurium Parochialium* 24. *Maii* 1732. *in responsion. ad VII. dub. Et ibid. ad VIII. dub.* respondit, quod ceteri uxorem ducentes de familiis Ecclesiarum Rectoralium possint eligere Ecclesiam Rectoralem familiae uxoris pro futura administratione Sacramentorum, in exclusionem Ecclesiae Archipresbyteralis. Item *ad IX. dub.* respondit, quod advenae famulatum praestantes Oppidanis de familiis Ecclesiarum Rectoralium censeri debeant de iisdem familiis, ita ut subjaceant pro administratione Sacramentorum Ecclesiae Rectorali familiae, cui inserviunt, privative quo ad Archipresbyterum: Sic apud *Thesaurum Resolutionem Sac. Congr. Concil. tom.* 3. *fol.* 325. *et* 326. quae Resolutiones prostant Venetiis apud Joann. Baptistam Recurti. 57

58 Parochus debet incedere sub Cruce Regularium si cadaver ad eorum Ecclesiam deferatur; excepto casu, quo Capitulum Cathedralis, vel Collegiatae funeris associationi intersit; Tuoc enim inceditur sub Cruce Capituli. Sic pluries declaravit *Sac. Congreg. Concil.* et signaoter io *Fossanen.* **21.** *Julii* **1645.** *in Aretina* **22.** *Decemb.* 1697. *in Aquen. Jurium Parochialium* 9. *Junii* 1708. *et* 2. *April.* 1709. *ad* 3. *dub. in Nullius Atinae* 7. *Septembr.* 1710. *ad* 2. *dub. in Civitatis Castelli juris funerandi* 16. *Aprilis* 1732. ad 5. *dub. in Volaterrana* 16. *Martii* 1726. *et in Sabinen.* 20. *Januar.* 1735. Nisi tameo alicubi tam Parochi, quam Regulares erigant propriam Crucem ex legitima coosuetudine, quae est servaoda; cum ipsa sit altera Lex, et pro Lege servari debeat, *cap. Dilecti* 4. *de Arbitris l. de quibus* 32. *ff. de Legibus. L. Et ab antiquis* 31. *cod. de Testament.* et ipsa sit optima legum interpres, textu expressu in *cap. Dilectus* 8. *de consuetud. L. Si interpretatione* 37. *ff. de Legibus.*

59 Parocho jus funerum cum Cruce, et stola non competit, sed privative ad Coofessarium Monialium pertinet occasione delationis cadaverum ad Ecclesiam exteriorem Monialium: *Sacr. Congr. Concil. in Navarien.* 22. *Aug.* 1726. *ad* 1. *dub.*

60 Parocho non licet in Sabbato Sancto benedicere Collocutoriis, aut Januae Mooasterii Mooialium: *Sac. Cong. Conc. in d. Nouvarien. ad* 3. *dub.*

61 Parochus non potest in Ecclesia Monialium assistere Matrimoniis, vel eorum denunciationes facere, aut benedictiones mulierum post partum, vel similes impertiri: *Sacr. Congreg. Conc. in d. Navarien. ad* 4. *dub.*

62 Parocho praestare non tenetur Confraternitas eleemosynam, vel alteri per eum deputando Missam celebranti, tam pro consecratione, quam pro consummatione Sanctissimi exponendi, occasiooe, qua exercitia spiritualia peraguntur: *Sacr. Cong. Concil. in Bononien.* 15. *Maii* 1728. *ad VIII. dubium.*

63 Parochus, qui dat benedictionem cum Venerabili Eucharistiae Sacramento in Ecclesia Confraternitatis, nihil omnino exigere potest, sed id gratis agere debet: *Sac. Cong. Conc. in d. Bononien. ad IX. dub.*

64 Parocho Cathedralis noo licet ministrare Sacramenta quibuscumque Clericis, et Sacerdotibus infirmis, et in alienis Parochiis commoraotibus, sed id competit privative Parochis domiciliariis: *Sac. Cong. in Eugubina Jurium Parochialium* 2. *April.* 1729.

65 Parochus non tenetur invitare Regulares ad officia, quae in Parochiali peraguntur: *Sacr. Cong. Concil. in Volaterrana* 16. *Mart.* 1726. *ad VIII. dub.*

66 Non posse Parochos cum stola, et Cruce elevata ingredi Ecclesias Regularium occasione associationis cadaverum ad illorum Ecclesias, pluries fuit resolutum a Sacris Coogregationibus tum Concilii, tum Episcoporum, et Regularium, tum Sacrorum Rituum, et confirmatum a pluribus Summis Pontificibus; Et omissis, brevitatis gratia, antiquioribus resolutionibus dictarum Sacrarum Congregatiooum, sic expresse respondit *Sacra Congregat. Concil.* 22. *April.* 1625. apud Novar. *in Summa Bullar. par.* 1. *commentar.* 91. *et in Lauden.* 2. *Maii* 1711. *in respons. ad* 1. apud Ursayam *tom.* 1. *par.* 2. *disceptat.* 14. *n.* 137. Item *Sac. Congregat. Episcop. et Regular. in Placentina* 16. *Decembr.* 1661. expresse coofirmata a Clemente X. Constit. incip. *Nuper* edita ad instantiam Procuratoris Generalis Ordinis Minorum de Observantia in *Sutrina die ultima Februarii* 1708. *in Brictinorien.* 16. *Martii* 1717. Item *Sacr. Rit. Congregat. in Vaden.* 3. *Augusti* 1698. *in Avenionen.* 3. *Dec.* 1701. *in Camerinen.* 1. *Septembris* 1708. Ita etiam per viam Legis confirmando aliquas ex citatis, et quamplures alias dictarum Sacrarum Congregationum resolutiones, ad Instantiam nostri Ordinis Minorum Regularis Observaotiae demandarunt Alexander VII. Constitut. 95. iocip. *Alias*, et Clemens X. Constit. 57. iocip. *Nuper*, et alia 58. incip. *Alias*. Et Innocent. XI. speciali Indulto concesso Carmelitis Excalceatis Congregationis Italiae, et relato ab Ursaya *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 14. *n.* 4. Vide infra o. 88

Econtra vero posse Parochos cum stola, et Cruce elevata ingredi dictas Regularium Ecclesias, fuit etiam pluries resolutum ab iisdem Sacris Congregationibus, et signanter a *Sacr. Congr. Episcop. et Regul. in Firmana* 29. *Nov.* 1641. *in Placentina* 9. *Nov.* 1693. *et* 7. *Dec.* 1668. *et in Parmen.* 21. *Mart.* 1720. *et* 5. *Nov.* 1721. apud Ursayam *tom.* 4. *par.* 2 *discept.* 6. *nu.* 188. Item a *Sacr. Congr. Rit. in Eugubina* 12. *Maii et* 5. *Julii* 1613. *in Placentina* 23. *Maii* 1619. *in Catanien. civitatis platiae* 12. *Oct. ejusd. anni* 1619. Et *in Spoletana* 1. *Julii* 1702. favore Parochi Castri Vissi adversus PP. Minores Conventuales, apud Ursayam *t.* 4. *part.* 1. *discept.* 11. *n.* 16. ibi: « An Parocho Terrae Vissi liceat deferre stolam in Ecclesiis Regularium occasione cadaverum in casu etc. Sacr. Congreg. respoodit, Affirmative, dummodo non peragat Officium ». Ita etiam per viam Legis expresse statuit Benedictus XIII. Constitut. iocip. *Pretiosus*, derogando omnibus in contrarium facientibus, etiam consuetudinibus immemorabilibus, et declarando, ac decernendo, quod talis Crucis erectio, stolae delatio, et ingressus in Ecclesias, nullam penitus jurisdictionem importet, aut minimum in aliquo praejudicium cuicumque irroget, aut quandocumque, et quomodocumque irrogare, et inferre possit. Quae Benedictina sanctio esset utique ubique servanda, nisi videretur revocata a Clemente XII. Constitut. incip. *Romanus Pontifex*, in qua dictam Benedicti XIII. Constitut. Incip. *Pretiosus* una cum variis aliis ad favorem diversarum Religiooum emanatis, moderatur, ac reducit ad terminos juris communis, 67

Concilii Tridentini, et Constitut. Apostolicarum, statuendo quod dictae Benedictinae Constitut. habendae sint in omnibus judiciis, etiam in foro conscientiae, perinde ac si illae non emanassent.

68 Quid autem, attentis tot allatis contrariis resolutionibus, et decisionibus concludendum sit? mihi videtur standum esse cujusque loci legitimae consuetudini, cum ipsa sit optima Legum interpres, textu expresso *in cap. dilectus* 8. *de consuetudine. L. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus.* Immo ipsa sit altera lex, et servari debeat, *cap. Dilecti* 4. *de Arbitris, l. De quibus* 32. *ff. de Legibus*, l. *Scaevola* 26. *ff. de aqua, et aquae pluviae arcendae, l. Et ab antiquis* 31. *Cod. de Testament.* cum similibus; Eo vel maxime, quod plures ex praedictis resolutionibus emanarunt cum addito *Salvo jure probandi immemorabilem consuetudinem.*

69 Nisi tamen declaretur, ut satis probabile, et consonum est, quod Clemens XII. in dicta sua Constitutione *Romanus Pontifex* revocaverit illas ad favorem Regularium a Benedicto XIII. emanatas, solum quo ad maxima privilegia, indulta, gratias, exemptiones, et facultates in eis contenta, et concessa, uti videtur colligi ex verbis ipsiusmet suae Constitut. §. *Quamvis*, ibi: « Itaut in posterum supradicti Ordines Regulares earumdem Litterarum, et Constitutionum usu, commodo, et effectu penitus carere debere intelligantur». Non autem voluerit revocare dictam Bened. XIII. Constitutionem *Pretiosus*, etiam quo ad hanc dispositionem, et declarationem de ingressu Parochorum cum Stola, et Cruce elevata in Ecclesias Regularium, factam omnino provide, ac laudabiliter ad tollendum Fidelium scandalum, et nimis frequentium controversiarum originem, ut loquitur ipsa Constitutio, quae proinde quo ad hoc est magis ad favorem, et commodum Parochorum, quam Regularium, ut de se patet. Unde hoc stante, quod, uti dicebam, satis probabile, et valde consonum est, cum ratio legis, sit anima Legis, l. *Cum ratio* 7. *de bonis damnatorum*, possent Parochi cum stola, et Cruce elevata libere ingredi in Ecclesias Regularium, non obstante quacumque in contrarium immemorabili consuetudine, cum Benedictus XIII. in dict. Constitutione *Pretiosus* §. *Et ad tollendum* derogaverit omnibus in contrarium facientibus, et etiam consuetudinibus immemorabilibus.

70 Parochi frustra repugnant, si Episcopus dederit Confessario absolutam facultatem audiendi Confessiones suorum dioecesanorum. Confessarius enim, qui absolutam facultatem obtinuit ab Episcopo audiendi Confessiones in alterius Parochia independenter a voluntate, et consensu Parochi, non indiget de rigore juris, sed solum ex quadam aequitate, consensu Parochi. Et ratio est, quia singuli Parochiani sunt subditi Episcopo tamquam Pastori universali omnium, etiam ipsorum Parochorum; Episcopus enim habet absolutam jurisdictionem in tota sua Dioecesi independenter a Parochis, et potest ipsis invitis saluti suarum ovium, prout melius sibi videbitur expedire, consulere. Ita Bonacina *tom.* 1. *de Poenitentiae Sacramento disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. §. 1. *num.* 17. ubi proposito hoc praeciso quaesito: « Utrum Sacerdos, qui fuit ab Episcopo approbatus, ab eoque facultatem obtinuit audiendi Confessiones, petere debeat novam licentiam a Parochis, in quorum Parochia vult Confessiones, juxta facultatem sibi ab Episcopo concessam, audire »? *Respondeo*, dicit ibi: « Negative, nisi Episcopus concesserit facultatem sub conditione, vel cum onere facultatis a Parocho impetrandae; Ratio est; quia Episcopus jurisdictionem habet concedendi facultatem dependenter, et independenter a Parocho ». Sic etiam Suarez *disp.* 27. Henriquez *lib.* 3. *de Poenitent. cap.* 12. Reginald. *lib.* 3. *num.* 46. *et* 67. Cronich. *disp.* 8. *dub.* 4. *num.* 3. *et* 29. Zerola *in praxi cap.* 15. *qu.* 2. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1513. Sayrus *de Poenit. cap.* 22. *num.* 1. ubi refert Panormitanum, et alios in contrarium, uti videtur sensisse, saltem quo ad esse licitum, etiam Pontas *verb. Approbatio casu* 17.

An autem posito, quod Episcopus concedat ap- 71
probationem pro Confessionibus excipiendis cum supradicta conditione, scilicet *de licentia, seu consensu Parochi*, possit Confessarius ipsas valide excipere, tali licentia non requisita? Bonacina *loc. cit. num.* 18. cum aliis probabilius existimat posse dictum Confessarium adhuc Confessiones ipsas valide excipere sine licentia, et consensu Parochi; quia dicit ipse, Sacerdos approbatus per dictum loquendi modum certior tantummodo fit de modo, quem debet saltem ex aequitate servare; Nec obstat, quod dictus loquendi modus, ut volunt aliqui, tamquam ablativus absolutus, videatur importare conditionem ad aliquid valide agendum, sed aliquando connotat modum ad aliquid licite praestandum (*).

Nota Romani Theologi.

(*) Periculosa censoribus Romanis videtur Bonacinae opinio, quando licentia Episcopi sit conditionata, quare in praxi non est attendenda. Idem dicendum de Confessariis Regularibus. * Neque vero his Pontificiae Constitutiones sub initium num. 72 indicatae suffragantur. Nam quae ante Concilium Tridentinum editae fuerant, nunc praesidio esse Regularibus non possunt, cum amplissima privilegia Mendicantibus concessa excipiendi ubique Christianorum hominum Confessiones, non modo Parochis repugnantibus, sed etiam facultate ab Episcopis Dioecesanis non impetrata, a Tridentinis Patribus sublata fuerint: in aliis autem Constitutionibus sermo fiat de Regularibus illis, quibus Episcopi Confessionum excipendarum veniam *absolute* fecerint. Hinc tenenda est sententia ab Auctore nostro num. 73. tradita. Jam vero quod attinet ad formulas concedendi facultatem Confessionum excipendarum *de licentia Rectorum*, Romae quidem in litteris patentibus, pro facultate audiendi Confessiones, quae Regularibus dantur, haec apponuntur: « Ut Sacramentales omnium Christifide» lium.... non tamen Monialium, Oblatarum, Puellarum, » aliarumque in Monasteriis, aut Conservatoriis degentium

72 Quod de sic approbatis Confessariis Regularibus absolute tenet cum multis aliis mox citandis Barbosa *de offic. et potest. Parochi par*. 2. *cap*. 19. *n*. 22. expresse dicens, quod Fratres Minores, ex privilegio ab Alexand. IV. sibi concesso, possunt Confessiones audire, assensu Parochorum minime requisito, ut refertur in *Compendio privilegiorum verb. Absolutio quo ad saeculares* 2. §. 2. Et idem alii posteriores Pontifices concesserunt; Sicque ipsos, ac alios Regulares cum eis in privilegiis communicantes posse Parochis contradicentibus saecularium Confessiones audire. Ita F. Emanuel *in explicat. Bullae Cruciatae* §. 9. *num*. 145. *et et* §. 12. *num*. 4. *et sequent. et quaestion. Regul. tom*. 1. *q*. 60. *art*. 4. Miranda *in manual. Praelat. tom*. 1. *qu*. 44. *art*. 14. *conclus*. 2. Joannes a Cruce *de statu Relig*. l. 2. *cap*. 6. *dub*. 1. *concl*. 3 Fagundez *in quinque Eccles. praecepta, praecept*. 2. *lib*. 1. *cap*. 5. Tamburin. *de jure Abbat. to*. 2. *disp*. 7. *quaest*. 63. qui omnes asserunt procedere hanc resolutionem, etiamsi Episcopi in licentiis Regularibus concessis dicant, quod eis, Parocho renitente, non utantur, quia ipsi Ordinarii, dicunt ipsi, Summorum Pontificum hac in re concessa privilegia tollere, aut limitare non possunt, *arg. cap. Inferior* 4. *dist*. 21. *c. Cum inferior* 16. *De majorit. et obedient. Clement. Ne Romani* 2. *de elect*. Haec ille *loc. cit. nu*. 22. qui *num*. 23. insuper addit, quod nec etiam Parochi ipsi impedire possunt Confessarios Regulares, quo minus Confessiones audire possint in domibus poenitentium aegrotorum, quando ab eis vocantur, dummodo eorumdem infirmorum Parochos de audita Confessiones eodem die certiores reddant, ut censuit *Sacra Congr. Visitationis Apostolicae* apud Lezanam in *Summa Quaestion. Regular. cap*. 10. *n*. 32. *et Sac. Cong. Episcop et Regul*. 2. *Julii* 1587. 5. *Julii* 1606. *et in Senogallien*. 22. *Januar*. 1616. *ac in Anconitana* 6. *Octobr*. 1640. et saepissime alibi, et expresse statuit Clemens X. Const. incip. *Superna*.

73 At vero quo ad illos Confessarios sive saeculares, sive Regulares, quibus ab Episcopo concessa est solum conditionata facultas excipiendi saecularium Confessiones cum hac, vel simili conditione, « de licentia tamen Rectorum in Ecclesiis earum, seu solum consentiente Rectore Ecclesiae »: Ego sentio, nisi aliter constet de mente Episcopi quoad vim istius conditionis, quod non possint dictas Confessiones excipere in Ecclesiis Parochorum, nisi accedat eorum licentia, aut consensus, saltem tacitus, aut implicitus; quia conditio in tali concessione videtur apposita tamquam forma; et conditionale nihil ponit in esse, nisi purificata conditione *arg*. §. *Sub conditione* 5. *Institut. de verbor. obligationibus, l. Legata sub conditione* 41. *ff. de conditionib. et demonstration. et l. Unic*. §. *Sin autem, Cod. de caducitat. tollendis*; Suspenditur enim ejus valor usque ad eventum conditionis; *l. Is cui* 42. *ff. de actionib. et obligationib. et cit. l. Legata sub conditione* 41. *ff. de conditionib. et demonstrationib*. cum similibus Tum quia ex Tridentino *sess*. 23. *cap*. 15. *de reformat*. nullus, quamtumvis privilegiatus, potest Confessiones saecularium audire absque approbatione Episcopi, ut fuit dictum sub verb. *Approbatio art*. 1. *n*. 44. *et sequent*. Et ne quidem Romae approbati, quicumque sint, possunt in aliis Dioecesibus sine expressa approbatione suorum respective Ordinariorum dictas Confessiones recipere, ut expresse statuit Urbanus VIII. *die* 17. *Septembr*. 1628. Constitut. incipient. *Cum sicut accepimus*. Dicti autem Confessarii, ut supra, sic conditionate approbati, non censentur vero approbati, nisi sub tali conditione, nisi, ut dicebam, aliter constet de mente Episcopi quo ad vim illius conditionis, adeoque, etc.

Parochi associantes funus sive una cum Capitu- 74
lo, sive non, nequeunt praetendere candelam majorem illa, quae datur Superiori Regularium associato ab aliis suis Religiosis: Sic expresse decrevit *Sac. Conc. Cong. in Novar*. 15. *Martii* 1604. *in responsion. ad* 3. apud Monacell. *tom*. 2. *tit*. 13. *formul*. 1. *sub n*. 92. Sicque neque alii Sacerdotes, ac Canonici, sive Capitulariter, sive seorsim interveniant, nequeunt praetendere candelam majorem illa, quae datur Regularibus, ut expresse defendit D. Ursaya *tom*. 2. *p*. 1. *discep*. 15. *n*. 13. ubi ad id adducit Decreta, et Doctores. Et ratio clara, ac convincens est, quia si Parochi, qui portant pondus diei, et aestus, praestando omnimodam assistentiam, ac Sacramenta suis Parochianis toto tempore vitae suae, nequeunt praetendere candelam majorem illa, quae datur Superioribus Regularibus, qui eis ordinarie non ministrant Sa-

» neque in domibus privatis, nisi infirmorum dumtaxat, sed » in Ecclesiis tui Ordinis, et in aliis de licentia Rectorum, » Confessiones etc.. .. audire valeas ». In litteris autem patentibus pro Sacerdotibus Secularibus. « Ut Confessiones » Sacramentales omnium Christifidelium... non tamen Mo» nialium, Oblatarum, Puellarum, aliarumque in Monaste» riis, vel Conservatoriis degentium, neque in domibus pri» vatis, nisi infirmorum, et tunc de licentia Parochi, sed » tantum in ... non autem in aliis Ecclesiis etiam de con» sensu quorumcumque Rectorum audire etc. » Quamobrem in *Praxi Secretariae Tribunalis Eminentissimi Cardinalis Vicarii cap*. XXII. inter requisita, *quae de stylo Urbis praerequiruntur in iis, qui ad audiendas Confessiones petunt admitti*, num. VII. recensetur: « Ut obtinuerint » deputationem, seu placitum illarum Ecclesiarum, in qui» bus Sacramentales Confessiones audire velint ». Benedictus quoque XIV. Institut. LXXXVI. num. 14. de Confessariis, et Parochis Bononiensis Dioecesis agens inquit ». » Ea tamen conditio semper interveniat necesse est, ut » Confessarius Rectorem Ecclesiae adire non praetermit» tat, ubi Sacramentum Poenitentiae administrare debet. » Idem officium praestandum est a Dioecesis Parocho, si » in Urbe, et a Confessario Urbano, si in Dioecesi Confes» siones audire velint: Hoc enim institutum, ac disciplina » diuturna consuetudine in hac Civitate, ac Dioecesi fir» mantur, eamque consuetudinem probari Clericatus testa» tur *de Poenitentia decis*. 37. *num*. 12. » *

cramento, ac parvam, et interdum nullam assistentiam praestant, tanto minus Canonici, ac alii Sacerdotes poterunt illam praetendere majorem ea, quae datur Regularibus, cum ipsi parvam, et ordinarie nullam eis praestent assistentiam, ubi Regulares indefesse ipsis assistunt, cum in eorum Sacramentalibus Confessionibus excipiendis, tum in eorum ultimo agone suas animas diu, noctuque Deo commendando.

75 Et quoad Canonicos, et Capitula varia ad rem sunt edita Decreta a Sacra Congreg. Concilii, et signanter *in Trojana Funerum* 7. *et* 21. *Mai* 1701. ubi ad v. dubium: » An candela gestanda per Canonicos in associatione funeris debeat esse ponderis ad minus quatuor librarum, vel arbitrio haeredum; et an Canonici, ultra dictam candelam, praetendere possint unum ducatum Regni pro quolibet Canonico? Dicta Sac. Cong. Conc. ad v. respondit: Negative quoad primam partem, sed remittendum arbitrio haeredum; Quo vero ad secundam partem, Negative ». Item decrevit, quod Capitulum, Canonici, et Parochi nequeunt praetendere majorem portionem funeris, quando Cadaver sepelitur in Ecclesiis Regularium extra Civitatem, ac extra Parochiam, quamvis sita intra Civitatem, quam acciperent, si cadaver in illorum Ecclesia sepeliretur. *Ead. Sacra Congr. in d. Trojana in respons. ad VII.* Item, quod Capituli Cruce interveniente in funere ducendo ad Ecclesiam Regularium una cum Abbate, vel alio Sacerdote, Capitulum nequit exigere emolumentum eo modo, quo exigeret, si totum Capitulum interveniret: *Eadem Sacra Congregat. ibid. in respons. ad VIII.* Sic apud Thesaurum Resolutionum S. Congr. Concil. anni 1740. Tom. 9. ubi in fine dicti Tomi referuntur etiam resolutiones ab anno 1700. ad an. 1718.

76 Et in Nullius, seu Montis Casini die 26. Januarii 1726. fuerunt inter alia ab ead. S. Cong. Concil. edita sequentia Decreta, ubi ad VIII. dubium, «An haeredes defunctorum possint adhibere circa cadavera defunctorum quantitatem cerae sibi benevisam, seu potius constet de aliqua consuetudine quoad quantitatem cerae, eaque sit servanda? *Respondit*, Ad VIII. esse statuendam taxam ab Ordinario, auditis interesse habentibus, et taxa ab eodem transmittatur ad Sacram Congregationem. Et ad IX. «An liceat haeredibus defunctorum vocare, ultra Parochum, Presbyteros sibi benevisos, et excludere integrum Capitulum Ecclesiae Matricis ab associatione cadaverum tam in ipsa Ecclesia Matrice, quam in aliis Ecclesiis, in quibus fuerit electa sepultura»? *Respondit*, Licere haeredibus defunctorum solum Parochum vocare, sed quatenus alios Presbyteros vocare velint, esse praeferendos illos Ecclesiae Matricis in numero ipsis haeredibus beneviso. Et ad X. «An, et quae quantitas cerae, et quod emolumentum cuilibet ex dictis Presbyteris debeatur pro simplici, et pura associatione cadaverum, tam ad alias Ecclesias, quam ad Ecclesiam Matricem»? *Respondit*, Servetur quantitas praescripta in concordia. Et ad XV. « An Presbyteri dictae Ecclesiae valeant prohibere sonum campanarum, tam de tempore obitus, quam de tempore delationis cadaveris ad aliam Ecclesiam, et quod emolumentum ab haeredibus defunctorum Sacristiae debeatur in casu etc. »: *Respondit*. « Negative quo ad tempus obitus, et pro sonitu nihil deberi; Quoad tempus vero delationis cadaveris, pulsandas esse campanas, si haeredes velint, soluta competenti mercede taxanda ab Ordinario ». Alia jam posita sunt *n.* 59. *ad* 65.

Attendenda est ad rem Constitutio Innocentii XIII. incip. *Emanarunt nuper*, edita 24. Augusti 1722. in qua confirmantur Decreta Sacrae Congregat. Episcoporum et Regularium super Quarta Funerali, et ingressu Parochorum cum Stola, et Cruce in Ecclesias Regularium, absque tamen aliquo exercitio; Et id in *Parmensi*, ubi aderat consuetudo, ut vicissim possent Regulares cum Stola, et Cruce elevata ingredi in Ecclesias Parochorum, et Parochi in Ecclesias Regularium. 77

Alia ad rem. Vide verb. *Quarta Funeralis*, et verb. *Sepultura*. 78

Parochi exercitiis spiritualibus quotannis vocare debent: Bened. XIV. tom. 1. Const. incip. *Ubi primum* §. 3. Parochi proprii assistentia in celebratione Matrimoniorum non est temere omittenda: Idem Const. 85. incip. *Nimiam* §. 9. Parochi Missam applicare debent pro populo diebus Festis: Idem Constitut. 103. incip. *Cum semper*. Vide tom. 5. verb. *Missa art.* 3. 79 80

Parochus duarum Ecclesiarum unitarum Curam exercens, quando Missam eadem die iterare possit: Vide *dict. verb. Missa*, ex declaratione ejusdem Pontificis in Constitut. 3. incip. *Declarasti*. Parochus relinquere non potest Animarum Curam, inconsulto Episcopo: Idem Constitut. 25. incip. *Ex quo*. Quod si Religionem ingredi voluerit, Episcopus ipsi licentiam denegare nequit: Idem *ibid.* 81 82 83

Parochi, aliique Curam animarum habentes tradere debent Doctrinam Christianam juxta dispositionem Concilii Tridentini omnibus diebus Festis: Idem tom. 1. Constit. 42. incip *Etsi minime* §. 3. *et* 4. Quae Doctrina Christiana tradenda est etiam a Sacerdotibus celebrantibus in Ecclesiis ruralibus non Parochialibus: *ibid.* §. 14. 84 85

Parochi ante, vel post Missam Parochialem recitare debent elata voce actus Fidei, Spei, et Charitatis, populo verba iterante: Bened. XIV. Constit. incip. *Cum religiosi*. §. 4 Parochi, etiam extra Dioecesim, possunt audire Confessiones suorum Parochianorum: Idem Const. incip. *Apostolicum ministerium*. §. 22. Vide supra n. 26. et 27. 86 87

Quod dicta supra nu. 66. *et seqq.* concludendum est, non amplius suffragari Parochis pro ingressu cum Cruce et Stola in Ecclesias Regularium Constitut. Benedict. XIII. incip. *Pretiosus*, haec enim revocata fuit a Clemente XII. Constitut. incip. *Romanus Pontifex*, quae ad litteram adducitur infra verb. *Privilegium art.* 3 *num.* 64. ad 88

cujus revocationis tramitem omnia Urbis Tribunalia hodie decidunt, ut videre est in celebri *Baren. Juris tumulandi, coram Aldrovando* **12.** *Januarii* **1723.** *et* **29.** *Novemb.* **1743.** *coram Vajo*, ac in *Melevitana funerum coram Millino* **23.** *Novembr.* **1744.** et novissime ita etiam decisum fuit **4.** *Februarii* 1757. *a Cong. Episc. et Regul.* in Pientina funerum pro Minoribus Conventualibus, licet eorumd. Conventus subesset jurisdictioni Ordinarii ob defectum praescripti numeri Religiosorum.

89 * Parochi Ecclesiarum filialium interesse tenentur benedictioni Fontium diei Sabbati Sancti, ex saepe repetitis Sacrae Congregationis Concilii decretis: *Institut. Eccles.* **1.** **§.** **2.** *et sequent.*

90 Parochi alienae Dioecesis non possunt in altera audire confessiones sine approbatione Ordinarii illius loci, nisi tantum suorum subditorum: Ita ex decret. S. Congreg. Concilii. *Institut. Eccles.* **86.** **§.** **7.**

91 Parochi per concursum provisi censentur idonei ad audiendas Confessiones in tota Civitate, vel oppido, ubi Parochi constituuntur, non vero in tota dioecesi Episcopi approbantis, ut ex Decretis S. Congreg: *ibid.* **§.** **13.** Ex consuetudine tamen Parochi Civitatis Confessiones audiunt in dioecesi, et viceversa: *Ibid.* **§.** **13.** Si Parochus beneficium renunciet, indiget nova facultate audiendi confessiones, ut ex communi Doctorum: *Ibid.*

92 Parochus habens redditus tenues, et populum frequentem, ut per se sufficere nequeat audiendis confessionibus, tenetur sibi adjungere alium Sacerdotem adjutorem, cui, si ipse nequeat, populus necessaria ad sustentationem subministrare tenetur: Ita ex Decret. Sac. Congr. Concilii. *Inst. Eccles.* **94.** **§.** **7.**

93 Parochus ex privata scientia noscens alterum ex sponsis matrimonium celebraturis haereticae sectae occulte adhaerere, assistere Matrimonio non potest, quemadmodum nequit, si sciret impedimentum etiam impediens: *De Synodo Dioec. lib.* **6.** *cap.* **7.** **§.** **6.** et **7.**

94 Parochus tempore pestis, et eo morbo infectis tenetur ministrare Sacramenta Baptismi, et Poenitentiae; imo et Viaticum, ne tanto bono in illa necessitate Parochiani priventur, nisi in eo rarissimo casu, in quo rarus esset Sacerdos, vel Parochus; ex quo fieret, ut post administratum Sacramentum Poenitentiae uni, non superesset spatium, ut aliis morituris Poenitentiae Sacramentum administraretur; vel si eo Sacramento administrando mortem vitare non posset, et sic populus destitueretur Sacerdotibus, ut ex Doctrina Suarii: *De Synodo Dioeces. lib.* **3.** *cap.* **19.** **§.** **18.** **19.** *nov. edit.*

95 In ordine ad Extremam Unctionem, ex Doctrina ejusd. Suarii, tunc tenetur Parochus illam administrare, quatenus valeat absque morali periculo: *Ibid.*

NOVAE ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Mirum, quod *Auctor* tametsi Regularis *nu.* 67. videatur sentire, quod ex Constitutione Benedicti XIII. quae incipit *Pretiosus*, fas sit Parochis associantibus Cadavera suorum parochianorum cum stola, et Cruce elevata ingredi in Ecclesias Regularium. Nulla enim potest amplius haberi ratio de mox dicta Benedict. Constitutione, utpote quae, non diffitente ipso *Auctore num.* 67. a Clemente XII. in Constitutione, cui est initium *Romanus Pontifex*, fuit reducta ad terminos Juris communis, Concilii Tridentini, et Apostolicarum Constitutionum. Nec facit ad rem, quod revocata dici debet Benedictina Constitutio, in quantum Regularibus est favorabilis. Sciendum enim est, quod ubi Constitutio statuit, ut fas esset Parochis associantibus Cadavera suorum Parochianorum ingredi cum Stola, et Cruce elevata in Ecclesias Regularium, ibi simul statuit, ut et vicissim fas esset Regularibus invitatis ad funera cum Cruce elevata ingredi in Ecclesias Parochiales. Nulla autem aequi, bonique ratio patitur, ut, ea revocata, dicatur in favorabilibus Regularibus, non item in favorabilibus Parochis, quando unum alterius gratia concessum est. 96 97 98

De hac igitur quaestione judicium ferendum est, seposita praefata Constitutione Benedictina. Certum autem est, quod, ea seposita, ubi « agitur (sunt verba Rotae *in Valentina Funerum* **7.** *Decembris* **1731.** **§.** **4.** *et seq. cor. feliciter regnante Summo Pontifice* inter impressas *dec.* 30. *nu.* **2.** *et plur. seq.*) de Cadaveribus tumulandis in Ecclesia Regularium ratione exemptionis, qua ipsi fere omnes peculiari Sedis Apostolicae Beneficio fruuntur in suis Ecclesiis, et Monasteriis, quamvis intra limites Parochiae positis, Rector pastorali Jurisdictione, et praeeminentia tam actu, quam habitu adeo est destitutus, ut si velit in associatione Cadaverum cum Stola, et Cruce per dictas Ecclesias incedere, vel exequias Ecclesiastico ritu celebrare, vel alios quoscumque actus ab officio, et potestate Parochiali simili modo dependentes ibidem exercere, positivam Juris resistentiam potius habere dicatur, sitque omnino excludendus etc. Sed tenetur terminare preces associatorias ante januam Ecclesiae, ibique benedicere, et dare ultimum vale ». 99

Sentit vero Rota in dicta *Valentina Funerum loc. cit.* quod ex immemorabili consuetudine, vel alio legitimo titulo, possint Parochi Jus acquirere ingrediendi Ecclesias Regularium, non obstante ipsarum exemptione, cum Stola, et Cruce elevata, inibique faciendi officium funebre. Adeoque sentit necessariam esse consuetudinem immemorabilem, ut in specie ejus causae prodesse haud crediderit consuetudinem, propterea quod de ea testificati haud fuere Testes cum notissimis requisitis *Glossae in c.* **1.** *verb. Memoria, de Praescript. in* **6.** 100 101

102 At non immerito dubitari de hac opinione potest; Idque quia Regulares nituntur tantummodo privilegiis exemptionis, et non dispositioni Juris Communis, contra vero Parochi pro se habent assistentiam juris communis; immemorabilis autem, vel centenaria, vel quadragenaria cum titulo colorato nunquam requiritur tunc cum agitur adversus eos, qui non dispositioni juris communis, sed privilegiis nituntur; presertim si praescribentes habeant pro se juris communis assistentiam.

103 Caeterum excludi Parochi ab ingressu in Ecclesias Regularium nequeunt, si declarent « expeditum, ac privativum exercitium functionum funebrium illis (idest Ecclesiis Regularium) relicturos, ac insuper oblata conditione dimittendi propriam Crucem, quae ingressum praefatum longe faciliorem reddit, removetq. obstaculum tam Sacrarum Congregationum, quam Sacr. Rotae obsistentium hujusmodi ingressui, quae intelligendae sunt in casu ingressus cum Cruce elevata; secus ea inclinata »: sunt verba Rotae *in Molevitana Funerum super ingressu in Ecclesias Regularium* 23. *Nov.* 1744. §. 3. *cor. clar. mem. Millino.* Confer etiam Pignatell. *consult. canon. tom.* 3. *consult.* 48. *fer. per tot.*

Responsio Auctoris.

104 Quid mirum, si nullius partis studio abreptus ego *loc. cit.* visus sum sentire, quod ex Constitutione Benedicti XIII. incip. *Pretiosus*, fas sit Parochis associantibus Cadavera suorum parochianorum cum Stola, et Cruce elevata ingredi in Ecclesias Regularium? Visus sum, inquam; nam quae *ibi* adduco, dubitantis in modum adduco, ut legenti patet; sententiamque meam potius sub *nu.* 68. in medium profero hisce verbis: Quid autem, attentis tot allatis contrariis resolutionibus, et decisionibus, concludendum sit? Mihi videtur standum esse cujuscumque loci legitimae consuetudini, cum ipsa sit optima legum interpres... Nisi tamen (ut subjungo *ibid. n.* 69.) declaretur, ut satis probabile, et consonum est, quod Clemens XII. in dicta sua Constitut. *Romanus Pontifex* revocaverit illas ad favorem Regularium emanatas solum quo ad maxima privilegia etc. Regularibus concessa, non autem quo ad hanc dispositionem etc. sed quidquid senserim *cit. loc.* nunc attendenda sunt quae tradidi sub sequenti *n.* 88. prout videre est supra in hoc eodem articulo.

ADDITIONES CASINENSES.

(*Ad num.* 27. *h. art.*)

« Dubitatur: An Parochus vocatus ab alio Parocho ejusdem dioecesis, possit in ejus Parochia confessiones audire? Id affirmant Bonacina..., et Croix... cum communiori, imo Palaus, et Mazzotta.. communem sententiam vocant. Sed oppositam sententiam tenent Barbosa in Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. *nu.* 19. cum Homobon. et Piasec... ex declaratione Sacr. Congregat. Concilii, quam referunt Barbosa *loc. cit.* et Piasec.. ubi ad quaesitum: « An provisus de Parochiali per concur» sum consensus sit approbatus idoneus minister » ad audiendas confessiones in illa dioecesi, in » qua illam Parochialem obtinet »? Sacra Congr. respondit: « Censeri ad audiendas confessiones » dumtaxat in ea Civitate, vel Oppido, ubi sita » sit Parochialis, non autem passim per totam » Dioecesim ». Et ratio hujus sententiae est, quia Parochus non approbatur ab Ecclesia pro Ecclesia universali, sed tantum ab Episcopo, juxta Episcopi voluntatem; unde nisi constet aliunde de diversa voluntate Episcopi, Parochus, censetur approbatus tantum pro Parochia, ad quam eligitur; potest enim Episcopus aliquem judicare idoneum pro uno loco, et non pro alio. Recte vero dicunt Bonac. Clericat. *de poenitent. dec.* 37. *nu.* 12. idque admittit Benedict. XIV. *in Notificat,* 86. *n.* 613. quod sententia opposita locum habere potest in iis locis ubi talis adsit consuetudo, quae jurisdictionem bene conferre valet. Imo Wigandt *tr.* 3. *nu.* 83. primam opinionem approbat, *ex praxi*, ut asserit *variarum Dioecesum* ». Ita in terminis D. de Ligorio *Theol. Moral. de Sacram. Poenitent. num.* 544.

ARTICULUS IV.

PAROCHUS QUOAD EA, QUAE CONCERNUNT IMMUNITATEM.

SUMMARIUM

1. *Parochus* post delictum commissum confugiens ad propriam domum Parochialem, gaudet immunitate. — 2. Parochus captus pro debito in propria domo Parochiali, gaudet immunitate, et est restituendus, *ad n.* 3. — 4 Episcopus potest extrahere Parochum a propria domo Parochiali ad correctionem tantam. — 5. Parochus repertus in fragranti delicto cum muliere in domo parochiali, extrahi potuit per Episcopum ad effectum correctionis, *ad n.* 9. — 10. Parochum conjectum in Carceres nimis asperos Sacra Congregat. mandat Episcopo, ut faciat caritative tractari, *ad n* 14. — 15 Domus praepositurae contigua Ecclesiae gaudet immunitate. — 16. Domus Parochialis gaudet immunitate, *ad n.* 20.

1 Parochus post delictum commissum confugiens ad propriam domum Parochialem gaudet Immunitate *Sacr. Cong. in Mutin.* 18. *Febr.* 1631. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 96.

2 Parochus captus pro debito in propria domo Parochiali gaudet Immunitate Eccles. et est restituendus: *Ead. Sac. Congr. in Ariminen.* 2. *Maii* 1661. *lib. decret. Rocci p.* 331.

3 Parochus captus in propria domo Parochiali, etiamsi distante ab Ecclesia, gaudet Immunitate; et restitueuda ei sunt ablata, seu quae solvit, ne deduceretur ad Carceres: *Ead. Sacr. Congregat. in Portuen.* 24. *Maii* 1672. *lib.* 1. *decret. Altoviti p.* 692.

4 Verum Episcopus potest extrahere Parochum a propria domo Parochiali ad correctionem tantum: *Eadem Sac. Congregat. in Interamnen.* 27. *Maii* 1640. *lib.* 3. *Dec. Paul. p.* 14.

5 Sic Parochus repertus in fragranti delicto cum muliere in domo Parochiali, extrahi potuit per Episcopum ad effectum correctionis: *Eadem Sacra Congr. in Aretina* 31. *Aug.* 1648. *lib.* 4. *decret. Paul. p.* 86.

6 Circa Parochum inobedientem, iterato Episcopi praecepto de dimittenda e domo sua Parochiali muliere malae famae, cum de mandato ejusdem Episcopi extractus fuisset e dicta domo simul cum muliere, et conjectus in Carceres; Sacra Congregatio pronunciavit, bene extractum fuisse ad correctionem, et retinendum arbitrio Episcopi ad eumdem effectum, nec dimittendum, nisi renovato praecepto de non conversando cum muliere: *Ead. Sacr. Congr. in Aretina* 15. *Novembris* 1689. *lib. Decret. Martelli p.* 526.

7 Attamen Parochus nulliter extractus jussu Pro-Vicarii per Curiam Laicam e domo Parochiali, et successive detentus in Carceribus a Vicario Generali nomine Ecclesiae est restituendus: *Ead. Sac. Congr. in Nonantulana* 22. *April.* 1698. *lib.* 2. *Decret. Vallem. p.* 140.

8 Aliquando datur Episcopo facultas extrahendi cum debita decentia, et interventu Personae Ecclesiasticae ad formam Bullae e domo Parochiali, tum Parochum, tum mulierem, qua sub praetextu famulae revera ut concubina utebatur, ad effectum retinendi in carceribus per aliquod tempus nomine Sacr. Congr. ad correctionem tantum: *Eadem Sac. Congr. in Feretrana* 10. *Dec.* 1692. *lib.* 1. *decr. Vallem. pag.* 9.

9 Item datur facultas Episcopo carcerandi in Ecclesia, et quocumque loco immuni Parochum pravae, incorrigibilis, et scandalosae qualitatis, qui post barbaram occisionem sui Pensionarii, qui ei resignavit Curam, ac ejus servae, fugitus e carceribus habitabat cum suis in domo Parochiali, et celebrabat Sacrum suo populo, et datur etiam facultas ejiciendi ab Ecclesia, et domo Parochiali consanguineos ejusdem, et alias Personas ibidem confugitas pro dicta causa: *Ead. Sac. Cong. in Asculano* 26. *Sept.* 1679. *lib.* 2. *Decret. Altoviti pag.* 1847.

Parochum, seu Curatum conjectum in Carceres nimis asperos Sacr. Congr. mandat Episcopo, ut faciat caritative tractari: *Ead. Sac. Cong. in Pisana* 19. *Febr.* 1695. *lib.* 1. *Decretor. Vallemani pag.* 172. 10

Quoad Parochum suspensum ab Episcopo in contumaciam, injungitur eidem Episcopo, ut procedat ad reintegrationem bonorum, et suspensis Censuris per duos menses, dictus Parochus compareat coram Episcopo, qui caritative recipiat, et nullo modo molestet: *Ead. Sac. Congr. in Aquen.* 7. *Jul.* 1699. *lib.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 229. 11

Eodem recusante camparere, ac denuo suspenso a Curia Episcopali, Sacra Congregatio decrevit, suspensa suspensione per tres menses, Episcopus transmittat omnia acta: *Ead. Sac. Cong. in ead.* 8. *Jun.* 1700. *ibi p.* 293. 12

Extractus ab Ecclesia ob violentiam illatam Parocho jubetur restitui Ecclesiae, praestita idonea fidejussione de non offendendo eumdem Parochum: *Ead. Sac. Cong. in Spoletana* 9. *Maii* 1690. *lib. Decret. Mart. pag.* 610. 13

Vicarius Generalis ordinans carcerationem Parochi in loco immuni, suspenditur arbitrio Sacrae Congregationis: Sic. *Sac. Cong. Immunit. in Albanen.* 12. *Septembr.* 1684. *lib.* 3. *Decretor. Altoviti pag.* 363. 14

Domus praepositurae contigua Ecclesiae gaudet Immunitate, etiam respectu bonorum ibidem existentium, quamvis pars ejusdem domus sit Laico locata: *Sac. Cong. Immun. in una Castri Durantis, sive Urban.* 19. *Aug.* 1630. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag* 54. 15

Domus Parochialis gaudet Immunitate: *Ead. Sac. Cong. Immunit. in Comen.* 25. *Febr.* 1698. *lib.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 138. 16

Etiamsi ab Ecclesia distans, modo non sit locata, at inhabitata a Laicis: *Ead. Sac. Congreg. Immun. in Cesenat.* 17. *Novemb.* 1654. *lib.* 5. *Decret. Paul. pag.* 24. 17

Attamen distans ab Ecclesia Parochiali spatio circiter tertiae partis milliarii, non gaudet Immunitate: *Ead. Sac Cong. Immun. in una Civitatis Castelli* 4. *Jul.* 1673. *l.* 1. *Decret. Altoviti p.*817. 18

Domus, quae habitatur a Parocho, sed non est Parochialis, idest de pertinentia Parochiae, non gaudet Immunitate: *Ead. Sac. Cong. Immun. in Alatrina* 5. *Maii* 1699. *lib.* 2. *Decret. Vallemani pag.* 217. 19

Domuncula de juribus Ecclesiae Parochialis, ab ea tamen, et a domo Parochi distans circa triginta passus, quae solum inservit pro usu, et servitio Parochi, non gaudet Immunitate: *Ead. Sac. Cong. Immun. in Feretrana* 27. *Jul.* 1683. *lib.* 3. *Decret. Altoviti pag.* 209. 20

APPENDIX EDITORUM CASINENSIUM

De Juribus Parochialibus.

ad n. 22. v. Parochia hic supra.

1 Opportunum ducimus Functiones *privative* Parochi, duce Monacello, enumerare, qui sic habet.

« Verum hodie functiones privativae, quae ad Parochos spectant, et quae in viridi observantia sunt, ad pauca reducuntur, nempe Primo, ad de-
2 lationem Stolae in processionibus funeralibus, *Sac. Congreg. Rituum* apud Pignateil. *consult.* 73. *nu* 110. *tom.* 8. *Sacr. Congregat. Concilii in Ebrunden. in responsione ad* 11. 25. *Junii* 1695 ».

3 « Secundo, ad benedictionem Domorum in Sabbato Sancto: Barbos. et alii . . . . , Romag. *ad Synod. Gerunden. lib.* 3. *tit.* 11. *c.* 6. ».

4 « Tertio, ad perceptionem Decimarum, *cap. Cum contingat, cap. Quoniam Nobis de Decim.* ».

5 « Quarto, ad administrationem Sacramenti Eucharistiae tempore Paschatis, *c. Omnis, utriusque Sexus, de Poenit. et remiss.* et infirmitatis, etiam Canonicis Cathedralis: *Sac. Congregat. Concil. in Tiburtina* 12. *Maji, et in Novarien.* 17. *Septemb.* 1695. *et in Narnien.* 26. *Septemb.* 1699 ».

6 « Quinto, ad retentionem Clavis Tabernaculi, et rerum, quae pertinent ad Sacramenta, *cap.* 1. *de cust. Euchar. Sacr. Congregat. Concilii in Pignina Praeeminentiarum* 18. *Novembr.* 1690. *et* 13. *januarii* 1691. *et in Neapolitan.* 11. *Novemb.* 1693. ».

7 « Sexto, ad benedictionem Sponsorum, et Cadaverum Defunctorum antequam e Domo leventur; Lezana *oper. moral. tom.* 2. *et verb. Benedictio num.* 18. Rota coram Zarat. *decis.* 45. *num.* 40. *et seq.* Sacr. Congreg. Concil. *in Bononien.* 14. *Februar.* 1694. ».

8 « Septimo, ad publicationem Matrimoniorum, Excommunicationum, et Indulgentiarum: *Sacr. Congregat. Episcop. in Firmana* 3. *Julii* 1615. *in responsione ad* 8. ».

9 « Haec inquam nonnisi a Parocho, vel de ejus licentia exerceri, et expleri non valent, ut firmant jura, et Decreta allegata. Adde Benedictionem Fontis Baptismalis, et quod Parochus tempore Quadragesimae potest de mane in sua Ecclesia praedicare, non obstante consuetudine, quod in sola Ecclesia Matrice, vel alia concionetur: *Sacr. Cong. Concil. in Florentina juris Praedicandi* 26. *Januar.* 1697. ». Haec Monacellus *formul. legal. pract. Tom.* 1. *Tit.* X. *Formul.* 18. *n.* 4. *p.* 299.

10 Functiones autem *non mere Parochiales* sunt benedictio, ac distributio Candelarum, Cinerum, et Palmarum, benedictio Fontis Baptismalis, ignis, seminis, ovorum, et similium, receptio Mulierum ad purificationem post partum (*), functiones Hebdomadae Sanctae, celebratio Solemnis Missae in Feria V. Coenae Domini, aliaeque celebrationes Missarum per annum, sive pro vivis, sive etiam pro defunctis, expositio quadraginta horarum, Sacrarum Reliquiarum, aut Imaginum, ac benedictio cum illis fieri solita super populo, nec non processiones intra ambitum Ecclesiae: Haec inquam omnia non sunt de juribus mere Paroch. ut responsum fuit per *Sac. Congreg. Rituum* 10. *Decembris* 1703, *in responsionibus ad* 5. 7. 8. 10. 11. 12. 21. *dub.* — De Fargna *de jure patronatus part.* 1. *can.* 4. *cas.* 9. *n.* 4. Quod decretum d. Cong. approbatum fuit a Summo Pontifice Clemente XI. quodque legere est per extensum in opere Lucii nostri, V. *Confraternitas, art.* 2. *n.* 4.

« Hisce positis « Parochus non potest impedire 11
» celebrationem Missarum, et alia Spiritualia in » Oratorio, seu Ecclesia (sita intra limites Parochiae), sub praetextu jurium Parochialium, » quia Parochus, quoad Missam, et alia Spiritualia » obsequia omnibus communia, non habet jus prohibendi, ut resolvit Sacra Congregatio Concil. in » *Savonen.* 15. *Decembris* 1685. *Mutinen.* 29. » *Novemb.* 1687. *et in Fulginaten. Oratorii* 1. *Jul.* » 1696. de Fargna *ibid. num.* 13.

Idem die de aliis functionibus non mere Parochialibus. Vide Decreta. Sac. Cong. Conc. infra adducenda.

Atque ut rite procedamus, expendendum est, 12
an Ecclesia, aut Oratorium Patronale, sive liberum situm intra limites Parochiae sit sub dominio, et subiectione Parochi: R̸. « Oratorium publi- » cum, seu Ecclesiam sitam intra limites Paro- » chiae, sive sit libera, sive de Jurepatronatus, » habere quidem dependentiam a Parochis quoad » functiones, seu jura parochialia, consistentem » in eo, quod Parochus possit prohibere, ne ex- » erceantur in ea a Cappellano, aut Rectore jura » Parochialia; non vero quoad functiones non Pa- » rochiales. Habemus enim constantem omnium » Doctorum opinionem unanimiter firmantium, » quaslibet Ecclesias, etsi sitas intra fines Eccle- » siae Parochialis, esse in functionibus non Paro- » chialibus a Parocho omnino independentes, quia » eidem nullatenus subiectas ». *de Fargna loc. cit. num.* 4.

« Ecclesiae siquidem (ut optime ratiocinatur » Cardinalis de Luca) intra alicujus Parochiae li- » mites fundatae, non dicuntur ipsius Parochiae » subditae, neque ab ea aliquam habent depen- » dentiam, *nisi ex lege fundationis, aut legitima* » *consuetudine*, seu *alias* id specialiter probet ». *de Parochis discurs.* 31. *num.* 6.

Atque ita firmavit Rota *decis.* 2089. *num.* 10.

(*) In Decreto S. Congregat. Rituum 10 decembris 1703. de quo fit mentio inferius in eod. » 10. ad 6. dub. « An » benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, » ignis Seminis, ovorum, et similium sint de juribus mere Parochialibus »; Responsum fuit *Negative*; additum vero: « *Sed benedictiones mulierum, et fontis baptismalis fieri debere a Parochis* ».

et 13. coram Coccin, et *in Civitatis Plebis Jurium Parochialium* 5. *Jul.* 1700. §. *Sicuti*, coram Reverendiss. Molines, et 6. *Junii* 1708. coram *R. A. Ansaldo*; Apud eundem de Fargna *loc. et n. citat.*

13 « Unde Parochus Ecclesiae Parochialis non potest benedicere Candelas, Cineres, et Palmas, facere benedictiones Mulierum post partum, Fontis baptismalis, seminis, ovorum, nec functiones Hebdomadae Sanctae, aliasque functiones non Parochiales peragere in Ecclesia Patronali, sed istae functiones non Parochiales, si fiant a Parocho, facienda sunt ab ipso in propria Ecclesia Parochiali .... Ita ut non ad Parochos, sed ad dictarum Ecclesiarum Rectores spectet facere benedictiones Ovorum, seminis Palmarum, Aquae benedictae, et alias functiones non Parochiales peragere » *de Fargna ibidem n.* 6. *et* 9.

14 Et sic resolutum fuit ab eadem Sacra Rota *in Neapolitana Jurium Parochialium* 13. *Martii* 1711. §. *ex abundanti*, coram Ansaldo. Apud d. *de Fargna ib. cit. n.* 9.

15 Limita vero, ubi agatur de Ecclesiis, seu Oratoriis fundatis, constructis, aut dotatis ex bonis Ecclesiae Parochialis, quippe in hac hypothesi eidem Ecclesiae Parochiali subjecta merito censentur, Unde in talibus Ecclesiis, et Oratoriis, utpote recognoscentibus Parochialem Ecclesiam in Matricem, atque idcirco *Filialibus* nuncupatis, dominium, et jurisdictionem libere exercere valent Parochi: *de Fargna loc. cit. num.* 8.

16 « Insuper Parochus non potest quaestuare pro Sanctissimo Sacramento in Ecclesia Patronali sita intra limites Parochiae non subjecta, vel quae habeat proprium Rectorem, cui in titulum confertur, nec potest retinere Capsulam eleemosynarum, sive claves ipsius Ecclesiae, vel ibi *privative* quoad Rectores, benedicere mulieres post partum, *sive Missam celebrare in diebus solemnibus, aut ferialibus, aut pacem Populo dare*, ut fuit resolutum a S. Congregat. Concil. *in Foroliviеn. Jurium, Parochialium* 18. *Novembris* 1684. Ubi propositis dubiis:

1. » An Parocho Ecclesiae S. Joannis in Vico, *privative* quoad Rectorem Ecclesiae S. Mariae de Populo, sitae intra limites dictae Parochiae liceat quaestuare etc. ».

2. « An eidem Parocho liceat retinere claves Capsulae elemosynarum existentis in d. Ecclesia S. Mariae »:

3. ....

4. « An in d. Ecclesia S. Mariae solus Parochus valeat Missas celebrare in diebus Solemnibus, et ferialibus, et pacem populo dare ».

Sacra Congreg. respondit. *Non competere Parocho quaestuare in Ecclesia S. Mariae. Ad* 2. *Negative. Ad* 4. *Negative.* Apud de Fargna *loc. cit. num.* 12.

17 Imo Parocho non licet explere nequidem *functiones Parochiales* in Ecclesiis Patronalibus, sitis intra limites Parochiae, ad sui libitum, independenter a Patronis, et iis invitis, ut resolutum fuit per S. Congregat. Concil. *in Cominen. Jurium Parochialium* 9. *Junii* 1714. ubi ad 2. et 3. Dubium nempe.

2. » An liceat Parocho dictae Ecclesiae Parochialis independenter a Patronis explère functiones Parochiales in Ecclesia, seu Oratorio publico S. Joannis Bapt. de jure Patronatus fratrum de Tricanis, ad sui libitum, iis invitis:

3. » An retentio Clavis dicti Oratorii spectet solum ad Patronos, seu personam ab iis deputandam, vel potius Patroni teneantur tradere alteram Clavem Parocho »:

« Sacra Congregatio respondit: *Ad secundum, Negative. Ad tertium, Clavem esse retinendam a Cappellano pro tempore, non autem a Parocho, et Amplius.* Apud Pitonium *de Controvers. Patronorum Allegat.* 54. *num.* 50. *in fin.*

Unde idem cl. scriptor sic habet: « Oratorium, vel Ecclesia de jurepatronatus fundata intra limites Parochiae non subjacet Parocho, praeterquam quoad jura Parochialia ..... Haec autem subjectio quoad jura Parochialia, seu functiones Parochiales, non intelligitur, ut Parochus, invito Patrono Ecclesiae sitae intra suos limites, possit ibi docere doctrinam Christianam, Sacramentare Populum Parochiae, praedicare, tenere ibidem Sanctissimum viaticum pro deferendo ad infirmos, et in summa occupare sibi usum illius Ecclesiae pro explendis suis functionibus Parochialibus: esset enim servitus, quae, invito Patrono, obtineri non potest ». *cit. Allegat.* 54. *num.* 50 *in fin.* 18

Quae omnia sane obtinent pro aliis Ecclesiis liberis, et publicis Oratoriis sitis intra limites Ecclesiae Parochialis. Hinc Sacr. Congregat. Rit. cit. decr. 10. Decembris 1703. *ad* 17. *dub.* « An Parochus, invitis Confratribus, docere possit doctrinam Christianam in dictis Ecclesiis, et Oratoriis publicis, vel privatis, et a Parochiali divisis, et separatis ». Resp. *Negative.* 19

Lubet nunc sequentes S. Congregat. Concilii Resolutiones afferre, utpote ad rem quam maxime facientes. 20

TELESINA ANNIVERSARII, ET MISSAE SOLEMNIS.

die 9 *Februar.* 1732.

1. » An celebratio Missae solemnis pro defunctis cum anniversario in Ecclesia S. Nicolai sita intra limites Parochialis, et Collegiatae Ecclesiae S. Martini Civitatis Cerreti, spectet ad Archipr. et Canonicos dictae Collegiatae privative quo ad omnes, sive potius ad Cappellanum dictae Ecclesiae, cum facultate assumendi in di-

» cta Missa, et anniversario presbyteros sibi bene » visos » :

2. » An celebratio Missae solemnis cum primis, » et secundis Vesperis die festo S. Nicolai spectet » ad dictum Archipresbyterum, vel potius ad Cap» pellanum dictae Ecclesiae, independenter, et si» ne licentia Parochi, et cum facultate assumendi » presbyteros, quos voluerit in casu etc. ».

Sacr. Congregat. respondit :

Ad utrumque *Negative* quoad primam partem, et *affirmative* quoad secundam, et amplius. — *In Thesaur. Resolut. S. C. Concil. Tom.* 5. *p.* 212. *et* 222.

FIRMANA JURIUM PAROCHIALIUM

die 2. *Junii* 1736.

1. » An sacerdotes deputandi ab asserta socie» tate *Suffragii* possint solemniter canere Missas » in Ecclesia, seu Oratorio sub titulo *suffragii*, » absque licentia Parochi S. Mariae, vel potius » Missae solemnes, quatenus in dicta Ecclesia, » seu Oratorio canendae sint, celebrari debeant » ab eadem Parocho, etiam invitis Confratribus »:

2. » An in dicta Ecclesia, seu Oratorio exponi » possit Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum » publicae adorationi cum sola scientia Ordinarii, » sine interventu Parochi praedicti; et quatenus » affirmative ».

3. » An eidem Parocho S. Mariae competat sal» tem jus benedicendi populum cum Sanctissimo » Sacramento in dicta Ecclesia, seu Oratorio, » etiam invitis Confratribus ».

4. » An Parochus SS. Joannis, et Pauli, de con» sensu Parochi S. Mariae possint dictas functiones » explere in dicta Ecclesia, seu Oratorio, etiam » invitis Confratribus ».

5. « An Cadavera defunctorum tumulari possint » in dicta Ecclesia, seu Oratorio, invitis Parochis, » quatenus aliquis elegerit in eodem Oratorio tu» mulari in casu etc. ». Sac. Congreg. respondit.

« Ad I. *Affirmative* quoad primam partem de li» centia Episcopi (*), et *negative* quoad secundam.

« Ad 2. *Affirmative*. Ad 3. et 4. *Negative*. Ad » 5. *Affirmative*, salvis juribus Parochialibus » — *In Thesaur. Resolut.* ut supra *tom.* 7. *pag.* 218. *et seq.*

HORTANA JURIUM PAROCHIALIUM.

Die 5. *Julii* 1738.

1. « An in Ecclesiis Confraternitatum laica» lium Terrae Suriani expleri possint functiones « non Parochiales, et signanter celebrationis Mis» sarum cum assistentia Diaconi, et Subdiaconi, » independenter a Parocho in solemnioribus ea» rumdem Ecclesiarum festivitatibus ».

2. » An in dictis Ecclesiis possint Parochi pe» ragere functiones tam Parochiales, quam non « Parochiales, irrequisitis Officialibus, et Cappel» lanis dd. Ecclesiarum ».

3. « An Cappellani dd. Ecclesiarum recitare » possint Officium defunctorum, et canere Missam » ad praescriptum Ritualis, antequam sepeliantur » cadavera illata in dd. Ecclesiis, seu potius pri» vative id spectet ad Parochos ».

4. « An occasione tumulationis defunctorum in » dd. Ecclesiis debeantur Parocho omnia intorti» cia, et cerae, seu potius debeatur sola quarta funeralis in casu etc. » :

Sacra Congregatio respondit :

» Ad 1. *Affirmative*. Ad 2. *Negative*. Ad 3. *Af*» *firmative* quoad primam partem, et *negative* » quoad secundam (**). Ad 4. *Servetur* solitum ad » formam Const. San. Mem. Benedicti XIII. ».— *In praedicto Thesaur. Resolut. S. Cong. Concilii tom.* 8. *part.* 2. *pag.* 104. *et seq.* 107. *et seq.*

HORTANA JURIUM PAROCHIALIUM.

Die 1. *Augusti* 1739.

» Exoptantes Praefecti plurium Confraternita» tum, quarum Publica Oratoria intra fines Paro» chiae Oppidi Suriani erecta reperiuntur, plures » dirimi controversias, quae inter ipsos, et Recto» res dictae Parochiae in solidum, ut ajunt, Ani» marum curam exercentes jam fuerunt exortae, » ac reliquas anteverti, quae in posterum facile » excitari possent, quatuor dubiorum decisionem » ab hoc Supremo Consessu efflagitarunt ».

1. » An in Ecclesiis Confraternitatum Laica» lium terrae Suriani expleri possint functiones » non Parochiales, et signanter celebrationis Mis» sarum cum assistentia diaconi, et subdiaconi, » independenter a Parochis, in solemnioribus ea» rumdem Ecclesiarum Festivitatibus » :

2. » An in dictis Ecclesiis possint Parochi pe» ragere functiones tam parochiales, quam non » Parochiales, irrequisitis officialibus, et Cappel» lanis dictarum Ecclesiarum » ;

3. « An Cappellani dictarum Ecclesiarum reci» tare possint Officium defunctorum, et canere » Missam ad praescriptum Ritualis, antequam se» peliantur Cadavera illata in dictis Ecclesiis, seu « potius privative id spectet ad Parochos » (***).

(*) Videtur hic agi non de Missis solemnibus in festivitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiae, vel Oratorii publici, sed de aliis Missis solemnibus per annum. Siquidem in supra laudat. Decreto S. Congreg. Rit. 10 Decembris 1703. Ad X. dub. « An celebratio Missarum solemnium per an» num, sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de juribus » Parochialibus » : Respondit : « *Negative* prout jacet : » sed licere Confratribus dumtaxat in festivitatibus solem» nioribus ejusdem Eccles. vel Oratorii ». V. Decr. subseqq.

(**) Vide notam sub subsequenti Decreto.

(***) Quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium, ad eumdem spe-

4. « An occasione tumulationis defunctorum in » dictis Ecclesiis debeantur Parochis omnia intortitia, et cerae, seu potius debeatur sola quarta » funeralis in casu etc. ».

« Quibus propositis sub die 5. Julii superioris » anni, rescriptum fuit ».

« Ad 1. *Affirmative* Ad 2. *Negative* Ad 3. *Affirmative* quoad primam partem, *et Negative* » quoad Secundam. Ad 4. *servetur* solitum ad formam Constitution. S. M. Bened. XIII ».

« Cum autem Rectoribus antedictae Parochiae » facta postmodum fuerit potestas experiendi jura » sua, quae in anteacta causae propositione neglexerunt adducere, oportet hodie, resumpto folio » sub memoratam diem 5. Jul. distributo, perpensisque rationum momentis eorumdem Rectorum nomine circumferendis respondere ».

« An, et in quibus sit standum, vel recedendum » a decisis in casu etc. ».

« Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem. » Ita in terminis in *praed. Thesaur. Resolut. S. C. Conc. Tom.* 9. *pag.* 83. *et seq.*

Nullum amplius prodiit Responsum.

COMEN. FUNCTIONUM.

Die 17. *Maii* 1749.

1. . . . .

2. « An ven. sacramentum exponi possit in di- » cta Ecclesia (in Ecclesia libera, et non subjecta » Parocho), sola impetrata licentia Episcopi, et » independenter ab eodem Parocho » :

3. . . . .

4. . . . .

5. « An ibidem de licentia Episcopi, et independenter a Parocho haberi possint panegiricae » conciones ».

6. « An Anniversaria, et Officia pro defunctis » ad libitum celebrari valeant independenter a » Parocho in eadem Ecclesia » :

7. « An, et cui competat jus peragendi exequias, » et Officium funebre super cadaveribus, quae tumulantur in Sepulcro dictae Ecclesiae ».

Sacra Congr. Concilii respondit.

« Ad 2. *Affirmaive*.

Ad 5. et 6. *Affirmative*. Ad 7. *competere Parocho*. Apud Lucium Ferraris *ad Calcem T.* 8. *Edit. Barbiell.* 285. (*).

etat facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis. Sic memorat. Decret. S. Cong. Rit. 10. Decemb. 1703. in resolut. ad 20. dub. Huic quidem conforme est Decretum Sacr. Cong. Conc. *in Comen. Functionum* 17. *Mart.* 1749. post hoc *in Hortona* in propria serie adducendo, ubi ad 7. dub. circa jus peragendi exequias, et Officium funebre super cadaveribus tumulandis in Ecclesia intra limites Parochiae, dict. Sacra Congreg. respondit, hujusmodi jus competere Parocho.

Hisce decretis adversari videtur Resolutio hic supra in 1. *Hortona*, ad dub. 4. et in 2. *Hortana* ad 3. Dubium, ubi responsum fuit, recitare officium, et canere Missam defunctorum, antequam sepeliantur cadavera illata in Eccl. ejusm. intra limites Parochiae, non spectare privative ad Parochos, sed ea a Cappellanis earumdem Eccles. peragi posse.

Et de Fargna tenet; « non esse de juribus Parochialibus » facere officium super Cadaveribus, postquam ista sunt » illata in Ecclesiam existentem intra limites Parochiae ». *De Jur. Patronat. can.* 4. *cas.* 9. *num.* 2. *et* 9. Citatque ad assumptuam firmandum *Rot. decis.* 2089. n. 18. *et* 19. Coram Coccin *et in Neapolitana Jurium Parochialium* 13. *Mart.* 1711. Coram Ansaldo. *ibid.* n. 10.

Nos citata decreta, et decisiones conciliaturi, in eam videmur ire posse sententiam, nempe, quoties tumulandus est subjectus Parocho, tunc officium funebre per eumdem esse faciendum in d. Ecclesiis intra ambitum Parochiae: Competere vero ejusmodi jus Cappellano, seu Rectori praed. Ecclesiarum, si tumulandus non esset Parochi *Filianus*.

(*) Pignatellus *Tom.* 6. *Consultat* 68. putavit, antiquioribus decretis S. Congreg. Rituum innixus, Parochos, seclusa legitima consuetudine, vel privilegio Apostolico, posse peragere functiones, etiam Sacerdotales in Ecclesiis, et Oratoriis publicis sitis intra limites suae Parochiae. At vero de Fargna *de jure patronatus Can.* 4. *cas.* 9. *num.* 7. hujusmodi Resolutiones a Pignatello allegatas applicat pro Ecclesiis, seu Oratoriis non sejunctis, et subjectis Ecclesiae Parochiali, eo quod fundata, et constructa, aut dotata fuerint ex ejus bonis, et redditibus, aut ei unita; minime vero pro Ecclesiis, et Oratoriis sejunctis, et nullatenus subjectis Ecclesiae Parochiali, quippe fundatis, constructis, aut dotatis de bonis propriis laicorum.

Caeterum quo tempore scribebat Pignatellus, saepius memorat. decretum S. Congr. Rituum 10. *decemb.* 1703. Pontificia auctoritate roboratum, nequaquam prodierat, multoque minus alia posteriora decreta Sac. Congreg. Concil. a nobis hic supra allata, ex quorum norma res, de qua sermo est, diudicanda venit.

Monacellus quidem antedictum Decretum 1703. prae oculis habuit, illudque per extensum inseruit in suo opere *formul. legal. pract. To.* 2 *Titul.* 13 *Formul.* 1. *n.* 46. At ibid. *num.* 54. *et seqq* in eam ivit sententiam « quod » praeter jura mere Parochialia, adsunt quoque functiones Parochiales ita dictae, quia ad Parochum pertinent, » vel propter affinitatem, connexionem, et dependentiam, » quam habent a juribus mere Parochialibus, vel ratione officii pastoralis in regimine Curae Animarum ». Hoc pacto Cinerum, Palmarum, et Candelarum solemnis benedictio, Missae celebratio in Coena Domini, expositio publica Eucharistiae, Missarum solemnium celebratio, et aliae similes functiones, etsi peragantur in Ecclesiis Confraternitatum, ex ejus sententia non nisi per Parochos explenda sunt: *cit. num.* 54. *et* 66. ibid.

« Attamen (inquit Sapientissimus Benedictus XIV. *Instit. Eccles.* 105. nn. 102.) huic sententiae adhaerere » nullo modo possumus, eo quod labefactare prorsus videtur decreta prudentissime confecta, et Summa Pontificis » auctoritate confirmata (nempe saepe laud. decret. S. » Cong. Rit. 1703). Equidem S. Congregatio ea decreta » promulganda censuit *ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos, et Confraternitates » Saeculares, earumque Capellanos, et Officiales super » juribus Parochialibus, et functionibus Ecclesiasticis, » nonnullisque praeeminentiis, seu praerogativis frequenter exoriri solent.* Sed haec utilitas minima sequeretur, » nec ullum finem haberent dissidia, si postquam Sacr. » Congr. constituit, *aliquid non esse de juribus Parochialibus*, illud peragendum a Cappellanis Sodalitatum non » concederetur ».

APPENDIX ALTERA EDITORUM CASINENSIUM.

De Parochis habitantibus cum mulieribus, vel consanguineis, vel servitio sibi addictis.

Cum in articulo 1. v. Parochus nu. 34. de famulabus Parochorum breviori calamo agatur, placet Institutionem 82. Bened. XIV. heic ex parte transcribere, ut hioc, quid huius rei sit, lector exactius assequatur. Est porro huiusmodi.

« Commendandum procuidubio magis esset, si Parochi nullis mulieribus suum domicilium commune esse permitterent, licet cognationis vinculo conjungantur; tamen inhaerentes recentiori disciplinae, concedimus, ut in societatem contubernii recipiant eas mulieres tantum, cum quibus cognatio intercedit in primo, et secundo gradu, nempe cum matre, avia, amita, ac matertera, cum neptibus etiam, sive ex fratre, sive ex sorore; item cum mulieribus affinibus in primo gradu, nempe cum noverca, cum nuru, et cum uxore fratris, sive ipse inter vivos agat, seu vita decesserit; tandem concedimus, ut iidem contubernium habeant cum mulieribus, cum quibus affinitatis secundus tantum gradus intervenit, *si alter alteri reverentiam debeat;* uti tradunt Scriptores; inter has mulieres uxor defuncti avunculi adnumeratur ».

« Certissimum est non licere Parochis vitam agere, nisi cum illis mulieribus, quas nuper indicavimus; cum tamen ea consuetudo invaluerit, ut famula pro obeundis ministeriis domi habeatur, ideo permittimus, ut non solum mulieres consanguineae, sed illarum quoque famulas in domicilium suum Parochi accipiant. Quod si famulus etiam uxorem duxerit, et in Parochi domo moretur, uxor etiam in iisdem Parochi aedibus ex nostra facultate detineatur. Sin autem Parochus nec mulieres consanguineas, nec ullum famulum secum habeat, unam, vel etiam duas famulas in domum recipiat, modo tamen has conditiones observet. Primum constet, opera famulae alicujus ipsum necessario indigere. Neque enim novum, aut inusitatum videri debet, si opera sui consanguinei, vel consanguineae domi utatur, vel etiam affinis, quae gradus attingat, quos superius memoravimus; opus est etiam, ut Parochus virtutis fama, ac praesertim honestatis erga famulas opinione palam commmendetur: nec satis est ostendere vitae anteactae rationem, moresque ita immutatos, ut novam disciplinam, novumque vivendi institutum susceperit. Siquidem non decet, eam mulierem diutius in Parochi domicilio retineri, de qua suspicio aliqua in populum pervasit. Neque ipsi facile permitti potest, ut novam famulam conducat, nisi prius ad tuendam Parochi existimationem cautiones aliquae adhibeantur ».

« Honestae pariter esse debent, et communi opinione probatae mulieres, quae consanguineis Parochi inserviunt in ipsius domicilio; idem statuendum est de uxore famulorum, ac de ancillis Parochi, quibus idem cum Parocho contubernium permittitur. Ipsarum quoque aetas cognita sit, itaut Parochi famulae, qui consanguineis careat, quadraginta saltem annos jam absolverint; aliter tamen decernendum est, si cum Parocho etiam mulieres consanguineae versentur, aut si famulae servis in matrimonium datae fuerint, aut tandem si aliqua ex Parochi consanguineis curam domus gerat, si tamen iis gradibus cum Parocho juncta fuerit, quos superius enumeravimus. Magnum sane discrimen interest, cum plures simul mulieres, aut mulier una cum viro suo, aut consanguinea cum Parocho eadem domo continentur; diverso tamen modo se res habet, cum sola mulier, nulla sanguinis propinquitate, sed famulae tantum conditione accita, cum Parocho versatur, qui fortasse per hyemem longissimam noctis spatium non precibus, aut libris impendit, sed cum ipsa famula prope ignem vanis colloquiis insumit. Itaque necesse est, ut eaedem mulieres testimonio sui Parochi, cui subjectae sunt, omnino commendentur; sin autem ad eumdem Parochum spectent, qui ipsas mulieres famulas accersit, testimonium vicinioris Parochi, aut Vicarii Foranei requiritur. Pro aetate illarum cognoscenda testimonium obsignatum Baptismi proferatur ».

« Qui disciplinam, et instituta Ecclesiae penitus non ignorat, facile intelligit, illud consilium a Nobis haud susceptum esse, ut gravissimum jugum Clero nostro superaddamus, sed potius, ut leviorem reddamus eam disciplinam, quam indicere constituimus, quae nullam sane novitatem continet, sed usu recepta semper fuit, et postoriori hoc tempore solum negligi coepit. Illud tamen expresse declaramus, si Parochi mulieres consanguineae infamia aliqua notentur, non licere cum ipsis in eodem domicilio vitam degere, irritasque facultates omnes, quas antea ob evulgatam mulierum honestatem obtinuerint. Idem sancimus de ancillis etiam plusquam quadragenariis, si rumor aliquis excitetur, qui ipsarum, vel Parochi nomen offendat. Ingenue pariter fatemur, nullam a Nobis rationem, vel excusationem probandam contra ea, quae his litteris decernimus, cum de negotio agatur maximi momenti, ac ponderis ».

Sic praeland. scriptor *loc. cit.*

» Nam Parochi semper id impedire possent Cappellanis, » ob eam causam, quod illud quidem non est *de juribus* mere » *Parochialibus*, sed tamen adscribitur inter functiones, » quae a solis Parochis exerceri debent: Idem prorsus con» tingeret, si post Decreta Urbis, et Orbis anno 1703. lice» ret repetere contraria decreta, quae ante illud tempus » edita fuerunt, cum S. Congregatio, post diuturnum, et » accuratum examen, aliqua ex ipsis penitus abrogaverit, » alia vero confirmaverit, et alia nova condiderit, ut pristi» nis controversiis optatus finis, certaque in posterum nor» ma super hac re statueretur ». Sic praeland. Bened. XIV. *loc. cit.*

APPENDIX 3 EDITORUM CASINENSIUM.

Addit. ad art. 2. v. *Parochus* in fine.

De praecedentia Parochi in respectu alterius Parochi in Funeralibus.

Liceat hic de praecedentia Parochi in respectu alterius Curati, sequentia scitu digna notare ex Benedict. XIV. *Instit. Eccles.* 105. nu. 24. 25. 26. 27. 53. 54. Ubi simul occasione consuetud. Bononiensis non pauca in materia funeralium exponuntur, et illustrantur, in haec quidem verba.

« Cum ab aedibus, (loquitur de consuetudine Bononiensi) sive ab Ecclesia Parochiali cadaver effertur, tot Crucis vexilla praeferuntur, quot accitae fuerunt Sodalitates, ut cadaver ipsum prosequantur. Ita omne Sodalitium erigit vexillum suum, et singuli Ordines Regularium Crucis signum quoque deferunt eo prorsus modo, qui in publicis supplicationibus praescribitur. Idem institutum servatur, etiamsi Capitulum hujus Metropolitanae accersitum fuerit. Singuli enim Ordines Crucem suam praeferunt, at illa Capituli, quam sequuntur Canonici, locum propiorem cadaveri sibi sumit. Quod si Ecclesia, ubi tumulus eligitur, inter Parochiales adnumeretur, tunc ipsius vexillum praefertur, non vero Parochiae, ad quam defunctus pertinebat. Uterque Parochus Crucem eamdem sequitur Parochiae, ubi cadaver sepulturae committendum est, ita tamen, ut Rector Parochiae *a qua*, dexterum latus obtineat, donec per ditionem Parochiae suae incedit, vel etiam per alienas Parochias, quae interponuntur, usque ad confinia Parochiae *ad quam*, et statim ac eos terminos attigerit, locum suum Rectori Parochiae, *ad quam*, concedit, et ipse latus sinistrum occupat ».

« Si vero Ecclesia tumulando cadaveri proposita nullo Parochiae titulo praedita sit, vexillo Crucis non utitur, sed illud Ecclesiae Parochialis *a qua* solum praefertur. Insuper, si Ecclesia non Parochialis, ubi cadaver sepeliri debet, addictum sibi proprium Sacerdotem habeat, veluti Praefectum Regularis Conventus, ubi defunctus tumulum sibi constituit, aut Capellanum Sodalitii, in cujus Sacris aedibus cadaver condendum est, tunc Sacerdotes ejusmodi proprium sibi locum desumunt, atque ita Praefectus Conventus incedit cum suis Regularibus, si ipsi ad supplicationem funebrem interveniant: Capellanus autem Sodalitium suum prosequitur, si illud accitum fuerit, ut funebrem pompam comitetur; et tum Rector Parochiae *a qua* reliquis omnibus solus anteponitur ».

« Si hanc consuetudinem diligenter expendamus, nonnulla juri communi consentanea, alia vero prorsus aliena deprehenduntur. Ac primum juri cohaeret, quod Sodalitates, vel Ordines Regularium, quae ad pompam funebrem vocantur, ad Parochiam defuncti prius se conferant, et inde ad ipsius domicilium, sive ad eam Ecclesiam, ubi cadaver expositum fuerit. Porro id contingit, cum defunctus ita jusserit, vel ipsius haeredes ita decernunt. Equidem saepius constitutum, ac sancitum fuit, haud opus esse, ut cadaver in Ecclesia Regularium, aut alia quacunque sepeliendum, in Parochiali Ecclesia prius deponatur, nisi forte defunctus ipse, sive haeredes id statuerint. Petitum fuit a Sacra Congregatione die 14. Martii anno 1722. *In Lucana funerum*: « An cadavera defunctorum sepelienda in Ecclesia Patrum Minorum de Observantia terrae Petrae Sanctae, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad Parochialem, et eorum ibidem debeat fieri expositio usque ad horam sepulturae » ? Sacra autem Congregatio respondit *negative*: *lib.* 72. *Decretor. pag.* 94. Eadem sententia die 16. Martii 1726. *lib.* 76. *Decretor. pag.* 122. atque iterum die 6. Februarii anno 1734. *in Tolentina Funerum* confirmata fuit. Insuper ex jure communi desumitur, quod Cappellanus Sodalitii, in cujus Ecclesia tumulum sibi defunctus elegit, si ad pompam funebrem veniat, post Sodales suos locum teneat: *Bassius de Sodalitiis quaest.* 5. *n.* 9 ».

« Juri pariter valde accommodatum videtur, quod cadaver ab aedibus suis minime efferatur, neque ab Ecclesia, ubi collocatum fuerit, nisi Parochus intersit, ad cujus ditionem pertinet defunctus; nisi forte idem Parochus accitus venire recusaverit, nec alios in locum suum Sacerdotes sufficere velle declaraverit. Decreta super hac re Passarinus *De statu hominum tom.* 2. *quaest.* 187. *art.* 4. *num* 153. *et* 154. Donatus. *Rer. Regular. tom.* 3. *tract.* 10. *quaest.* 12. *et* 13. Lantusca *In Theatro regularium ad vocabulum associatio cadaverum*, ac Pignatellus. *Consult.* 49. *Tom.* 3. fuse commemorant, et ob eadem decreta Scriptores unanimes idem docent: *Samuel de Sepulturis tract.* 1. *controv.* 5. *concl.* 5. *Pirhing. ad tit. Decretal. de Sepultur* §. 1. *num.* 34. *et seqq. Monacellus in Formular. legali practico tom.* 1. *tit.* 5. *formul.* 7. *num.* 34. *et seqq. Ursaya tom.* 2. *suarum discept. part.* 2. *discept.* 30. *num.* 84. *et seqq.* »

« Sed abhorret a jure communi tot Cruces deferri in pompa funebri, quot Sodalitates, vel Ordines Regularium accersiri contingerit : siquidem Ecclesiae, ubi defunctus terrae mandatur, solum elevandum vexillum die 16. Martii an. 1726 Sac. Congregatio constituit, omissis aliis sententiis, quae eadem Congregatio haud dissimiles olim promulgavit. Siquidem *in Volaterrana* petitum fuit: «An Archipresbyter associando cadavera sepelienda in Ecclesia Patrum Conventualium, teneatur incedere sub illorum Cruce, seu potius valeat propriam Crucem elevare » ? *Responsum est*: « affirmative quoad primum, et negative quoad secundam partem: *Lib.* 79. *Decretor pag.* 122 ».

« Congruit alia quoque sententia, quam die vigesima nona Ianuarii an. 1735. Sa. Congreg. edi-

dit, cum *Sabinensis causa funerum* proposita fuisset. Sed alienum magis a jure videtur, quod Sodalitia, vel Ordines Regularium suas Cruces praeferant, cum Metropolitanae Ecclesiae Capitulum ad funebrem pompam invitatur: nam ipsius solum vexillum tunc elevandum est, et omnes, qui ad exeqnias celebrandas acciti fuerunt, illud sequi debent, uti a Sacris Congregationibus Romae toties decretum fuit: *Monacellus in loco cit. n.* 38. *et* 39. *Ursaya tom.* 7. *suarum discept. part.* 1. *discept.* 6. *n.* 65. *et seqq. et tom.* 9. *part.* 1. *discept.* 36. *n.* 79. *et seqq.* ».

« Cum ob antiquam consuetudinem in hac civitate, ac dioecesi minime id observetur, sed tot vexilla Crucis ferantur, quot Sodalitates, vel Ordines Regularium pompae funebri interfuerint, quemadmodum ab Archiepiscopali Cardinalis Gabrielis Paleoti *pag.* 185. primi hujus urbis Archiepiscopi deprehenditur, iiis verbis: « Expresse praecipimus, ut omnes, et singuli statis horis simul convenire debeant sub suis quique Vexillis, et Crucibus in locum, ubi defunctus erit, ut sepeliri possit»; qnod institutum quidem tenetur, etiamsi Capitulum Metropolitanae Ecclesiae accesserit: *Hieronymus Prediera de funerib. associand.* Ideo vetustatis gratia nihil novi statuendum volumus, et consuetudines a Decessoribus nostris jam inductas permittemus, ea tamen conditione, ut aliae quaecumquae Sodalitates, Ordines Regularium, et Capellani conductitii prius ad Metropolim conveniant, quoties ejus Capitulum funeribus associandis intervenerit, et in eo loco pompa funebris incipiat usque ad domicillum defuncti, sive ad Ecclesiam, ubi cadaver fuerit expositum .... ».

« Quae cum ita sint, quoties cadaver ab Urbe in Dioecesim, vel a Dioecesi in Urbem transferri contigerit, nobis statuendum reservamus, an Rector Dioecesanus praelata Cruce in Urbem se conferre debeat, et an Parochus Urbanus praelata Cruce a Civitate proficisci. Quod si nemo pro re declaranda nos convenerit, decernimus, privatim a Dioecesano Parocho Civitatem esse subeundam, qui deinde aedes defuncti, sive templum petat, ubi cadaver ipsius depositum est, consuetum officium Urbano Rectori persolvat, atque, praelata Cruce, ambo induti superpelliceo, stolaque cadaver associent. Idem praecipimus urbano Parocho, cum defunctus in Dioecesi ad suam Ecclesiam efferendus est: quippe indecorum est sepulchro cadaver inferri, nisi vexillum Crucis praeferatur. Juri autem communi maxime consentaneum superius ostendimus, quod in funebri pompa Crux ejus Ecclesiae sola praecedat, ubi defunctus sepelitur. Accedit, quod veteri consuetudine, institutoque hujus Urbis, ac Dioecesis, vexillum illius tantum Ecclesiae deferri solet, ubi cadaver tumulo committitur, si tamen inter Parochias recenseatur, non vero Crux alterius Parochiae, ubi aegrotus vitam expiravit.

« Parochus primum locum semper occupat, donec in sua ditione versetur: *Card. de Luca de Praeeminentis disc.* 16. *num.* 3. *et* 4. Quare urbanus Parochus dextero incedet latere, donec Parochi Dioecesani limites attigerit. Tunc enim ipsi primum locum concedet. Eodem pacto, cum Parochus urbanus cadaver efferre debebit ex Dioecesi, tum Rector Dioecesanus in sua Parochia dexterum latus occupabit, donec ad fines alterius Dioecesis pervenerit. Hunc ordinem per urbem, ac Dioecesim tenebunt, donec venerint ad Ecclesiam, ubi defunctus sepulturae mandatur. Aliquod sane discrimen intercedere cognoscimus in his officiis, quae modo praescripsimus; sed ita decernendum putamus, et aliquid urbanis Parochis prae Dioecesanis esse tribuendum ». Sic Bened. XIV. *loc. et numer. citatis.*

APPENDIX 4. EDITORUM CASINENSIUM *AD N.* 46. *ART.* 2. *V. PAROCHUS.*

De Parocho *quoad Residentiam.*

In cit. Art. 2. V. *Parochus, sub n.* 46. notatum per nos fuit, contra id, quod ibi sub *d. n.* assertur, Parochos nequaquam abesse posse de sola licentia proprii Ordinarii, ad abeundum munus Vicarii Generalis in aliena Dioecesi, eo quod S. Concil. Tridentinum eosdem stricte ad residentiam obligaverit. Neque illa est sententia Lucii nostri, sed Additoris anonymi. Hic vero, pro sua opinione firmanda, provocat ad auctoritatem Navarri, et Pirbingii, qui postremus ad *Tit. ex. de Clericis non residentibus nu.* 41. (non in sensu indeterminato Additoris) haec tantummodo habet.

« Quaeritur secundo. An sit sufficiens causa, ut Parochus ab Ecclesia sua ultra duos menses, adeoque etiam ad longum tempus absit, eo, quod ipsi ab Episcopo Visitatoris, vel Vicarii Generalis, vel aliud officium in sua Dioecesi sit demandatum. Negat Garc. *cap.* 2. *n.* 40. Piasec. in *Praxi Episcop. part.* 2. *cap.* 3. *art.* 3. *n.* 27. sed contrarium tenet Navar. *lib.* 3. *Consil.* 15. *h. t.* Quia etiam jure antiquo licito potuit Parochus ex justa, et gravi causa abesse a sua Ecclesia, etiam ad longum tempus; non est autem recedendum a jure antiquo, nisi ei per novum jus contrarium, et expressum sit derogatum. Atqui Concilium Trident. *cit. c.* 1. *sess.* 23. *de Ref.* hoc jus antiquum non abrogavit, cum permittat, ut Episcopus ex gravi causa, licentiam dare possit Parocho discedendi a propria Ecclesia ultra duos menses. Hujusmodi gravis causa occurrere potest, si in aliqua Dioecesi ad aliquod tempus non adsint alii idonei, qui munere visitatoris, vel Vicarii Generalis, aut fiscalis fungantur, et sine detrimento Ecclesiarum, loco Parochorum, Vicarii temporales constitui possint: non enim mens Concilii fuit vello impedire majus bonum cujusque Dioecesis; quamvis non facile, aut ob levem causam, Parochi a suis Ecclesiis avocari, et aliis Dioecesis Officiis applicari debeant, ita ut

Parochiae interim per Vicarios administrentur, si elit Clerici ad ea munera idonei haberi possunt ».

Sed huic opinioni, etsi cum clausula *ad aliquod tempus*, nequaquam nos subscribimus. Enim vero « Episcopus non potest Rectorem Ecclesiae Parochialis extrahere e servitio Parochialis, et illum occupare in servitio ipsius Episcopi, et Ecclesiae Cathedralis, ut exerceat Officium Vicarii, Visitatoris, vel Secretarii, seu in alio ministerio occupetur, ut censuit S. Congr. Concilii »: ita Gonzalez *super Regul.* 8. *Cancell. Gloss.* 6. *num.* 258. « Unde hodie (addit is idem » scriptor) non est securum *Consilium* 15. Navarri. . . . dum contrarium dixit ». *loc. cit.* » *n.* 259.

« Intantum autem (ut prosequitur Piasecius) » obligatur Curatus ad residentiam, ut ne quidem » pro servitio Episcopi possit abesse ultra duos » menses, quod in diversis casibus fuit declaratum » a Sac. Congregatione Concilii ... in haec verba

« An si Episcopus judicaverit expedire uti opera » alicujus Curati pro Secretario, vel pro Vicario » Foraneo, possit abesse, vel excusetur a residentia, dummodo cura suae Ecclesiae diligenter » exerceatur: Congregatio censuit, *Non posse* ». Et iterum.

« Episcopus non potest uti opera Parochi in visitatione, vel alio servitio suae Dioecesis, nisi » pro tempore duorum mensium, et idoneus Vicarius deputetur ». Sic apud Piasec. *Prax. Episc. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 27.

Quae eadem Decreta referuntur in terminis a Barbosa *in summa Apostolic. Decis.* v. *Parochus quoad Residentiam, n.* 21. *et seqq.*

Si igitur ex Sac. Congr. Concil. Oraculo, Episcopus non potest uti opera Parochorum pro servitio suae Dioecesis, nisi pro tempore duorum mensium, nullo pacto concipere valemus, praedictum Ordinarium posse veniam facere Rectori hujusmodi animarum abessendi a propria Ecclesia, gerendi causa munus Vicarii in aliena Dioecesi, ut ut *ad aliquod tempus*, juxte phrasim ipsius Pirhingii; quae dictio importare procul dubio videtur temporis intervallum, non quidem paucorum dierum, aut unius, aut alterius mensis, sed aliquid ultra.

Verum quidem est, Concil. Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 1. *de Reformat.* Episcopis reliquisse, posse concedere licentiam Parochis abessendi, etiam ultra duos menses, causa legitima intercedente; ibi: « Discedendi autem licentiam ultra bi» mestre tempus, nisi ex gravi causa non obti» neant ». Sed haec verba ex modo relatis Sac. Congreg. Decretis, cum limitationibus ut ibi, intelligenda veniunt. Praeterea, necessitas, de qua loquitur Pirhing, methaphysica potius, quam realis censenda videtur; quippe supponit veluti *extremum* necessitatis, quo casu, Parochus alienae dioecesis Vicarii Generalis Officium penes alium Episcopum impleat. At cum Romani Pontificis sit *pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, sollicitudo universae Ecclesiae ex muneris sui Officio*, ut ex ipsissimis verbis Tridentini *citat. sess.* 14. *de Sacr. Poenit. cap.* 7. *sess.* 24. *de Reformat. cap.* 1. non videmus, quare, concurrente necessitate in aliena Dioecesi in sensu Pirhingii, Ordinarius veniam abessendi a propria Ecclesia alicui curato dioecesano concedere valeat; et non potius, et rectius, et verius Apostolica Sedes sit in tali casu consulenda, ab eaque licentia hujusmodi impetranda.

Illud vero heic monendum, ex dictis minime nos adversari velle sententiae Monacelli, de qua apud Lucium nostrum v. *Parochus art.* 2. *n.* 46. vide *ibi*. Quippe talis opinio, quam nos etiam sequitur, nil commune habet cum Navarri, et Pirhingii doctrina, a qua utiq. recedendum putamus, Sac. Congregat. Concilii Decretis, auctoritatique Fagnani (*ad cap. Relatum ex de Clericis non Residentibus nu.* 21. *et seqq.*) Barbosae (*de Officio Parochi cap.* 8. *n.* 58. *et seq.*) Garciae (*p.* 3. *cap.* 2. *n.* 22. *et seq. de benefic.*) Zerolae, Reiffenstuel, aliorumque, necnon gravioribus rationum momentis innixi. Ceterum Additor ipse opinionem, quam prius plusquem genericam praemonstrabat, in fine suae additionis coarctare, licet confuse, visus est.

PAROCHI PRÆSENTIA QUOAD MATRIMONIA

VIDE VERB. *MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA AR.* 6. *A N.* 60. *AD* 113.

PARRICIDIUM

De Parricidio haec sub seqq. num. notanda.

1 Filius occidens proprium Patrem naturae crudelis, saepe saepius indiscrete percutientem ipsum filium bonae indolis, restituitur Ecclesiae, a qua fuit extractus, nec condemnatur ad poenam extraordinariam, ut petebatur: *Sac Congreg. Immun. in Fulginat.* 18. *Jul.* 1690. *lib. Decret. Martelli pag.* 636.

2 In causa parricidii Sanctissimus tribuit Archiepiscopo Ravennae licentiam consignandi Curiae Legationis Urbini processum constitutum a Notario subdito ejus jurisdictioni: *Ead. Sac. Congreg. Immun. in Pisauren.* 21. *April.* 1694. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 117.

Matricida extractus ab Ecclesia gaudere debet 3
Immunitate Ecclesiastica: *Ead. Sac. Congreg. Immun. in Ariaven.* 15. *Nov.* 1661. *lib. Decret. Rocci pag.* 267. * sed non amplius gaudet immunitate Eccles. post Constit. Bened. XIII. *Ex quo*; Clem. XII. *In supremo* et Bened. XIV. *Officii nostri*; vide verb. *Immunitas art.* 2. *n.* 90. *n.* 156. *n.* 157.

Parricidii poena quae sit? Vide verb. *Poena art.* 4
2. *a n.* 28. *ad* 133.

PARVULI

SUMMARIUM

1. Parvuli Originale tantum peccatum habent — 2. Parvuli utiliter baptizantur, licet non credant — 3. Parvulis in Baptismo fides aliorum sufficit, ad n. 4. — 5. Parvuli baptizati dicuntur fideles, non quia actu credunt, sed quia recipiunt Sacramentum fidei, scilicet Baptismum — 6. Parvuli baptizati morientes salvantur — 7. Sine Baptismo enim non possunt salvari, sive moriantur nati, sive in utero Matris — 8. Quid de Parvulis decedentibus sine Baptismo? — 9. Parvulis baptizatis non est necessaria Poenitentia — 10. Alia ad rem ad n. 12.

1 Parvuli originale tantum peccatum habent: *Cap. Majores* 3. *de Baptismo* ibi: *Qui peccato tantum originali tenentur.*

2 Parvuli utiliter baptizantur, licet non credant; Ipsis enim in Baptismo deletur originale peccatum: *cit. c. Majores* 3. *de Baptismo.*

3 Parvulis in Baptismo Fides aliorum sufficit: *cap. In Ecclesia dist.* 4. *de consecrat.* ibi: *In Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt*: et in ejus Summario expresse dicitur: *Aliorum Fides in Bap-*

4 *tismate parvulos salvat.* Fiunt enim Fideles per fidem offerentium: *Cap. parvuli Fideles* 138. *dist.* 4. *de consecrat.* ibi: « Parvuli Fideles recte vocantur, qui Fidem per verba gestantium quodammodo confitentur »: et in ejus Summario expresse dicitur: *Offerentium Fides parvulos facit fideles.*

5 Parvuli baptizati dicuntur fideles, non quia actu credunt, sed quia recipiunt Sacramentum Fidei, scilicet Baptismum; *cap. Nihil est aliud* 76. *dist.* 4. *de consecr.*

6 Parvuli baptizati morientes salvantur, *c. cap. Majores* 3. *de Baptismo.*

7 Sine Baptismo enim non possunt salvari, sive moriantur nati, sive in utero Matris, *c. Firmissime* 2 *et c. Nulla* 142. *dist.* 4. *de consecr.* ibi: « Nulla praeter Baptismum salus promittitur infantibus, quia infantes, si per Sacramentum, quod ad hoc est Divinitus institutum, in credentium numerum non transeunt, in tenebris manent ».

Parvuli decedentes sine Baptismo, quomodo pu- 8
niantur juxta sententiam S. Augustini, sive potius S. Fulgenti Rospensis in Canone *Firmissime tene*, 2. *dist.* 4. *de consecrat.* vide *ibi.* At observa responsionem data sub verb. *Peccatum n.* 72.

Parvulis baptizatis non est necessaria Poeniten- 9
tia; *cap. Tres sunt* 81. *dist.* 1. *de poenit.*

Parvuli carentes usu rationis non tenentur ad 10
Eucharistiam de necessitate salutis. Non tamen damnari debent Patres antiqui, qui eam dabant: Conc. Trid. *sess.* 21. *cap.* 4. *et Canon.* 4.

Parvulorum sepulcrum ab aliis debet esse sepa- 11
ratum; *Sac. Congr. Rit. in una Civitatis Castellanae* 12. *Decemb.* 1620. apud Aldan. *in Compendio Canonic. resolut.* l. 1. *titul.* 36. *num.* 2. et Barbosa *in summa Apostol. decis. verb. Parochus num.* 1.

Parvulorum corpora possunt sepeliri in Eccle- 12
sia Regularium, si ibi est sepulchrum Majorum, vel si, concurrente consuetudine, Pater ibi eligit sepulturam. *Eadem Sac. Congr. Rit. in d. causa Civitatis Castellanae* 12. *Decemb.* 1620. apud eosdem *loc. cit. et Sacra Congreg. Conc. in Navarien.* 15. *Martii* 1704. *in respons. ad primum.* Vide verb. *Quarta funer. n.* 32.

PASCHA, PASCHALIS COMMUNIO

SUMMARIUM

1. Pascha in nno die, et tempore por universam Ecclesiam celebrari debet. — 2. Pascha celebrari non potest aote aequinoctium vernale cum Jodaeis. Id faciens debet ejici ab Ecclesia. — 3. Pascha celebrari dobet die Dominico post luoam 14. — 4. Datur praeceptom, ot Fideles omnes adepti usum rationis communicent singulis annis ad minus in Paschate. — 5. Ad satisfaciendum tali praecepto sufficit Eucharistiam sumere in hebdomada saneta, vel infra Octavam Paschae Resurrectionis. — 6. Potest tamen tempus Paschale extendi in longius tempus ex Episcopi, aut Parochi dispensatione rationabili. — 7. Eucharistia pro adimplenda praecepta Communionis Paschalis est sumenda in propria Parochia. — 8. Communicans in Ecclesiis Regularium infra tempus paschalo animo satisfaciendi praecepto Ecclesiae, non satisfacit. — 9. An communicans in Ecclesia Cathedrali satisfaciat? — 10 Sacerdos satisfacit pro Communione Paschali, ubicumque celebret Missam, tamen, si non celebret, tenetur communicare in Parochia. — 11. Vagi, Peregrini, et Advenae possunt ubilibet praecepto Paschali satisfacere, etiam in Ecclesiis Regularium. — 12. Fratres, et Sorores Tertii Ordinis, necnon Mantellati, Corrigiati, Pinzonchere, Cordellati, et alii similes quocumque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes debent pro satisfaciendo praecepto Ecclesiae Paschali Eucharistiam recipere a proprio Parocho, et non a Regularibus. — 13 Famuli domestici, et continui Commensales in Monasteriis Regularium degentes satisfaciunt praecepto Paschali recipiendo Eucharistiam ab ipsis Regularibus. — 14 Hoc tamen privilegio non gaudent Saecalares illi, qui tantum ipsis Monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de Familia, nec continui Commensales, et cum Saecularibus exteris extra Monasteria habitant. — 15. Nec hoc privilegio gaudent Advenae, qui in Monasteriis Regularium infirmantur. — 16 Regulares non possunt in die paschatis administrare Saecularibus Eucharistiam. — 17. Etiamsi tales personae in alia die satisfecerint praecepto. — 18. Per communionem Sacrilegam non satisfit praecepto. — 19. Qui culpabiliter non adimplet praeceptum Paschale, vivens interdicitur ingressu Ecclesiae, et moriens privatur Ecclesiastica sepultura. — 20. Ipso tamen non adimplens praeceptum Paschale non est ipso jure interdictus, sed interdicendus; Unde si ante declarationem moriatur, non est privandus Ecclesiastica sepultura, nisi tamen intermissio esset notoria, vel adesset statutum Synodale in contrarium. — 21. Qui ex malitia, vel impotentia non communicavit in Paschale, probabilius, et in praxi debet statim post communicare quum primum poterit. Quod tamen varii alii negant. — 22. Affertur ratio nostrae conclusionis. — 23. Qui praevidet tempore Paschali se impediendum, probabiliter non tenetur praevenire, si jam semel eo anno communicaverit, vel brevi post Pascha esset communicaturus. — 24. Qui tamen nec ante communicasset, nec postea habiturus esset occasionem, teneretur praevenire, ut satisfaceret praecepto Communionis annuae. — 25 Qui tempore Paschatis Eucharistiam ex negligentia non suscipit, potest ab Ordinario excommunicari. — 26. Immo potest etiam mulctari poena pecuniaria alicui Pio loco applicanda. — 27. Non expedit tamen, quod Episcopus talium absolutionem sibi reservet. — 28 Excommunicati paulo ante Pascha, non sunt molestandi, si non communicant in Paschate. — 29. Communio an, et quomodo possit dari pueris, mutis, et surdis a nativitate, energumenis, epilepticis, semifatuis, stolidis, phraeneticis et amentibus, aliisque infirmis. — 30. Studiosi scholas frequentantes extra parochiam satisfaciant praecepto Communionis paschalis communicando in Ecclesiis Regularium, et aliorum, apud quos scholas frequentant. Ubi tamen Ordinarii, et Parochi contradicerent, essent mittendi studiosi singuli ad suas respective parochias. — 31. Qui fuerunt interdicti declarati ex eo, quod in Paschate non communicaverunt in Parochia, si postea ibi communicent, debent absolvi, et Cedulones amoveri. — 32. Episcopus non debet procedere contra eos, qui in Paschate communicaverunt Romae. — 33. Alia ad rem ad num. 35.

1 Pascha iu uno die, et tempore per universam Ecclesiam celebrari debet: *Conc. Roman. sub Victore I. cap. Paschae 22. et cap. De Observatione Paschae 25. dist. 3. de consecr.* (*).

2 Pascha celebrari non potest ante aequinoctium vernale cum Judaeis. Id faciens debet ejici ab Ecclesia: *Conc. quod dicitur Apostolor. c.* 8. ubi sic habetur: « Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus Sanctum Paschae diem ante vernalem aequinoctium celebraverit, abjiciatur; *Lib.* 6. *Constitut. Apostol. c.* 16. ubi sic statuitur: « Oportet ergo, fratres, ut qui pretioso Christi Sanguine redempti estis, dies Festos Paschae accurate, et omni diligentia post aequinoctium celebretis... Neque amplius cum Judaeis tempus celebrandi Pascha observetis; nulla enim nobis nunc cum eis communitas est (**).

3 Pascha celebrari debet die Dominico post lunam 14. *Concilium Romanum sub Victore I.* ubi sic habetur statutum: « Decretum est, Pascha non decima quarta Luna primi mensis, sed potius die Dominico post 14. Lunam, et vernale aequinoctium occurrente, prout ab Apostolis traditum est, celebrandum esse. *Conc. Roman. III. sub Silvestro c.* 1. ibi. Omnibus Episcopis, et Presbyteris praeceptum est Paschae observantiam custodire a Lu-

(*) Quae ex Romano Victoris Concilio Auctor hausit, certius statui poterant Arelatensis Synodi Canone I., et ex Nicaeno Concilio, cujus sanctionem etiam ad Episcopos, qui non interfuerant, misit Constantinus Imperator scripta ad eos epistola.

(**) Vide gravissimum hac de re Antiocheni Concilii a 341. seu potius ex Balleriniorum sententia a. 332 celebrati decretum *Can. I.* Caeterum de Victoris Papae cum Asianis Episcopis controversia, cujus caussa Romae, ac lete per diversas Ecclesias habitas fuisse Synodos ex Eusebio novimus *liber V. histor. Eccles. cap.* 23. licet horum Conciliorum, quae circumferuntur acta, dubiae fidei sint, de illa, inquam, Victoris controversia, Legesis, Zaccariam diss. 1. *de jure Liturgico cap.* IV. *e n.* 3. *tom* 1. ejus Bibliothecae Ritualis praemissa.

ne 14. usque ad vigesimam primam, ita ut Dominicus dies coruscet. Et dixerunt Episcopi, placet; *cap.* Nosse 21. *dist.* 3. *de consecr.* ibi: « Nosse vos volumus, quod Pascha Domini die Dominico annuis temporibus sit celebrandum; istis enim temporibus Hermes Doctor Fidel, et Scripturarum effulsit inter nos. Et licet nos idem Pascha praedicto die celebremus, quia tamen inde quidam dubitaverunt, ad corroborandas animas eorum eidem Hermeti Angelus Domini apparuit in habitu Pastoris, et praecepit ei, ut Pascha Domini die Dominico ab omnibus celebraretur; Unde et Nos Apostolica auctoritate instruimur omnes eadem servare debere, quia et Nos eadem servamus, neque debetis a Capite quoquo modo dissidere ».

4 Datur praeceptum, ut Fideles omnes adepti usum rationis communicent singulis annis ad minus in Paschate; *cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Poen. et remiss.* Idem declarando statuit Trident. *sess.* 13. *Can.* 9. sub v. *Eucharistia art.* 1. *n.* 8.

5 Ad satisfaciendum tali praecepto sufficit Eucharistiam sumere in hebdomada sancta, vel infra octavam Paschae Resurrect. V. v. *Eucharistia a.* 1. *n.* 9.

6 Potest tamen tempus Paschale extendi in longius tempus ex Episcopi, aut Parochi dispensatione rationabili. Vide d. verb. *Eucharistia ib. n.* 10.

7 Eucharistia pro adimplendo praecepto Communionis Paschalis, est sumenda in propria Parochia. Vide d. verb. *Eucharistia cit. art.* 1. *n.* 10.

8 Communicans in Ecclesiis Regularium infra tempus Paschale animo satisfaciendi praecepto Ecclesiae, non satisfacit. Vide d. v. *Euchar. ib. n.* 12.

9 An communicans in Ecclesia Cathedrali satisfaciat. Vide d. verb. *Eucharistia n.* 13. *et n.* 90. *ib.*

« * Non satisfacit huic praecepto, qui in Paschate extra Parochiam sine consensu Pastoris communicat, ut habent Navar. Azor. et alii communi. nisi tamen communicet in Cathedrali Ecclesia; hunc enim satisfacere praecepto censet Bonacina; sed negat Card. de Lugo *lib.* 1. *Resp. mor.* nisi Episcopus expresse, vel tacite consentiat, (*Sed opinio Bonacinae nescio, an sit probabilis, nisi adsit in aliquo loco communis usus, qui consensum Episcopi praesumere faciat; Oves enim a proprio Pastore agnosci debent*) » Busembaum *apud* D. de Ligorio, *Theol. Moral. de Eucharistia, n.* 300 *.

10 Sacerdos satisfacit pro Communione Paschali ubicumque celebret Missam; tamen, si non celebret, tenetur communicare in Parochia. Vide d. verb. *Eucharistia loc. cit. n.* 14.

11 Vagi, Peregrini, et Advenae possunt ubilibet praecepto Paschali satisfacere, etiam in Ecclesiis Regularium. Vide d. verb. *Euchar. n.* 15. *.

Nota Romani Theologi.

Debent semper vagi, peregrini, et advenae in Ecclesia Parochiali pracepto Paschalis Communionis satisfacere.

Responsio Auctoris.

Cum Paschalis Communio debeat fieri in propria Parochia, et vagi, peregrini, et advenae nullam habeant Parochiam, stat mea conclusio suffulta, nedum classicis Auctoribus, sed etiam Constitutione Julii II. incip. *Dum ad Sacrum* §. 37. relata a Lantusca in *Theatro Regularium*, verb. *Eucharistia n.* 6. *Edit. Rom.* et novissime meam conclusionem defendit ut communissimam D. Alphonsus de Liguori *nell'Istruzione, e Pratica per li Confessori*, italico idiomate, impressa Venetiis 1759. qui *tom.* 1. *cap.* 12. *punto* 2. *num.* 42. sic expresse tradit: « I Pellegrini, quali si trovano lungi dalla Parrocchia propria, possono far la Comunione in qualunque Chiesa; nè sono tenuti a farla nella Parrocchia del luogo, dove si trovano: così comunissimamente Gaet. Soto, Azor, Suarez, Lugo, Sanchez, Bonacina, Castropalao. Salm. contro Barbosa, Torn. e Roncaglia. La ragione è, perchè essi non hanno allora il proprio Pastore, che debba riconoscerli, onde cessa affatto il fine di comunicarsi in Parrocchia ».

Fratres, et Sorores Tertii Ordinis, nec non Mantellati, Corrigiati, Pinzocherae, Cordellati, et alii quocumque nomine nuncupati in propriis Domibus habitantes, debent, pro satisfaciendo praecepto Paschali, Eucharistiam recipere a proprio Parocho, et non a Regularibus. Vide d. verb. *Eucharistia cit. art.* 1. *num.* 16. 12

Famuli, Domestici, et continui commensales in Monasteriis Regularium degentes, satisfaciunt praecepto Paschali, recipiendo Eucharistiam ab ipsis Regularibus. Vide d. verb. *Eucharistia n.* 17. 13

Hoc tamen privilegio non gaudent Saeculares illi, qui tantum ipsis Monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de familia, nec continui commensales, et cum Saecularibus exteris extra Monasteria habitant. Vide d. verb. *Eucharistia num.* 18. 14

Nec hoc privilegio gaudent Advenae, qui in Monasteriis Regularium infirmantur. Vide d. verb. *Eucharistia num.* 19. *ibid.* 15

* Famuli, famulaeque communicare debent in Parochia Dominorum, penes quos habitant; Bened. XIV. *Inst. Ecclesiast.* 83. *n.* 22. Id quod pro solo implemento praecepti communionis in Paschate limitandum venit, cum caeteroquin a proprio Parocho dependentiam habeant v. g. in matrimonio contrahendo, in funeribus: *ibid. l. c. et Inst. Eccles.* 33. *n.* 17. *.

Regulares non possunt in die Paschatis administrare Saecularibus Eucharistiam. Vide d. verb. *Eucharistia num.* 20. *eod.* 16

Etiamsi tales personae Saeculares in alia die satisfecerint praecepto. Vid. v. verb. *Eucharist. n.* 21. 17

Per Communionem sacrilegam non satisfit Praecepto. Vid. d. verb. *Eucharistia num.* 22. 18

Qui culpabiliter non adimplet praeceptum Pascale, vivens interdicitur ab ingressu Ecclesiae, et moriens privatur Ecclesiastica sepultura. Vide d. verb. *Eucharistiam.* 23. *l. cit.* 19

Ipse tamen non adimplens praeceptum Pascha- 20

le, non est ipso jure interdictus, sed interdicendus; Unde si ante declarationem moriatur, non est privandus Ecclesiastica sepultura, nisi tamen intermissio esset notoria, vel adesset statutum Synodale in contrarium. Vide d. verb. *Eucharistia num.* 24.

21 Qui ex malitia, vel impotentia non communicavit in Paschate, probabilius, et in praxi debet statim post communicare, quam primum poterit: Ita S. Thomas, Navarr. Suarez, Vasquez, Azor. Coninch, Silvester, Fagund. Layman, Hurtadus, Lugo, Bernal, Avers. Illsung, Platel, citati, et secuti a La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 644. et plures alii contra S. Antoninum, Victoriam, Tolet. Medin. Gran. Praeposit. Valent. Henriq. aliosq. cum Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 41. dicentes, non amplius ipsum obligari pro tali anno, quia Communio videtur per praeceptum fuisse alligata isti determinato tempori, uti obligatio audiendi Missam alligatur certae diei, qua transacta, non est amplius obligatio.

22 At ratio pro nostra conclusione est, quia tempus Paschale est designatum, non ad terminandam, sed ad urgendam obligationem, quod colligitur ex verbis praecepti, nam *cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Poenit. et remiss.* dicit: *Ad minus in Paschate*, et Concil. Trid. *sess.* 13. *Canon.* 9. dicit: *Saltem in Paschate;* Tum quia praeceptum communionis Paschalis videtur esse virtualiter duplex, et continere in primis praeceptum communicandi semel in anno, deinde communicandi circa Pascha ob venerationem Festi, et commemorationem Coenae Domini; Unde quamvis hoc posterius non possit amplius impleri, tamen prius, si nondum impletum est, adhuc impleri potest: adeoque etiam debet impleri, sicuti qui ex poenitentia debet jejunare die Sabbati, si ex negligentia, vel impotentia non jejunet tali die, tenetur jejunare tempore sequenti, et idem probat Carden. *in* 1. *Crisi* d. 52. dicens esse moraliter certum.

23 Qui praevidet tempore Paschali se impediendum, probabiliter non tenetur praevenire, si jam semel eo anno communicaverit, vel brevi post Pascha esset communicaturus; Suarez, Lugo, Castropal. Bernal., Burg. Plateil. Illsung citati, et secuti a La Croix l. 6. *part* 1. *num.* 642. et alii

24 plures. Qui tamen nec ante communicasset, nec postea habiturus esset occasionem, teneretur praevenire, ut satisfaceret praecepto Communionis annuae: *Omnes citati Doctores*, et alii.

25 Qui tempore Paschatis Eucharistiam ex negligentia non suscipit, potest ab Ordinario excommunicari: *Sac. Cong Concil.* 28. *Januarii* 1587. *in responsione ad primum.*

26 Immo potest etiam mulctari poena pecuniaria alicui pio loco applicanda: *Eadem Sacra Congreg. Concil. in responsione ad secundum.*

Non expedit tamen, quod Episcopus talium absolutionem sibi reservet: *Ead. Sac. Cong. in responsione ad tertium.* Vide verb. *Euchar. n.* 25. ubi afferuntur d. dubia cum respons. Sac. Congr. 27

Excommunicati paulo ante Pasca non sunt molestandi, si non communicant in Paschate. Vide d. verb. *Eucharistia num.* 26. 28

Communio an, et quando possit dari pueris, mutis, et surdis a nativitate, energumenis, epilepticis, semifatuis, stolidis, phraeneticis, et amentibus, aliisque infirmis; Vide d. verb. *Eucharistia a num.* 30. *ad* 33. 29

Studiosi Scholas frequentantes extra propriam Parochiam, satisfaciunt praecepto Communionis Paschalis, communicando in Ecclesiis Regularium, et aliorum, apud quos scholas frequentant; Gobat *tom.* 1. *tract.* 4. *num.* 77. *consuetudine*, inquit, *fere ubique id obtinente.* La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *num.* 636. et alii dicentes, quod ideo conniveant prudenter Ordinarii, et Parochi; quia Professores longe facilius observant defectum, et ad Confessionem, et Communionem urgent. Ubi tamen Ordinarii, et Parochi contradicerent, essent mittendi studiosi singuli ad suas respective Paroecias, quia ex supra adductis tenentur omnes pro satisfaciendo praecepto Communionis Paschalis communicare in propria respective Parochia, nisi alibi communicent ex dispensatione, vel permissione Ordinarii, seu Parochi. 30

Nota Romani Theologi.

Falsa videtur haec opinio Censoribus, Ordinario etiam. et Parocho non contradicentibus (*).

Responsio Auctoris.

Nescirem quomodo, si admittatur haec opinio, seu censura *Romani Theologi*, possunt sine gravi culpa Ordinarii, et Parochi id scientes, talem gravem transgressionem tolerare, et nullimode contradicere, cum facile possent, et tenerentur. Unde ad ipsos, aliosque eximendos a gravi culpa, dicendum est, quod non contradicendo, sed id tolerando, accedat eorum, si non expressa, saltem tacita facultas, seu permissio: taciti autem, et expressi eadem est virtus, ac idem judicium; *L. cum quid* 3. *ff. de rebus creditis, cap. ex part.* 2. de Rescriptis. Et frustra exprimitur, quod jam intelligitur, *L. Cornelius* 69. *ff. de Heredibus instituendis;* Et *L. Haec verba* 3. *ff. de legatis* 1. Habetur enim pro expresso, quod facile subintelligitur; *L. Fideicommissa* 11. *ff. de legatis* 3. §. *Si filio;* maxime, ut inquit Gobat, *tom.* 1. *tract.* 4. *num.* 67. *Consuetudine fere ubique id obtinente*, cum ipsa sit optima legum interpres; *L. Si interpretatione* 37. *ff. de legibus cap. Cum dilectus* 8. *de consuetudine:* sicque, his stantibus, sistit in suo robore mea conclusio * Consule notam. *.

(*) Rectius putamus, Studiosos hujusmodi in Parochia penes quam degunt, communicare debere: colligitur ex Inst. Eccles. 82. Bened. XIV. n. 22. Edit. Casin.

31 Qui fuerint interdicti declarati ex eo, quod
tempore Paschatis non communicaverunt in Parochia, si postea ibi communicant, debent absolvi, et Cedulones amoveri: *Sac. Congreg. Episcop. in Trojana* 30. *Aprilis* 1613.

32 Episcopus non debet procedere contra eos, qui in Paschate communicaverunt Romae: *S. Congr. Episcop. in Castrensi* 24. *Maii* 1624.

33 Paschale tempus pro Communione Paschali a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis concluditur, nec potest ab Episcopo prorogari, praesertim in sua Synodo usque ad Festum v. g. Ascensionis Dominicae, vel Sanctissimae Trinitatis, inconsulta Sacra Congregatione: Benedictus XIV. *de Synodo Dioecesana lib.* 7. *cap.* 69. *nu.* 9. ubi dicit, quod si ejusmodi Synodalis constitutio ederetur, corrigenda foret, quia non decerneret, quod est a jure praetermissum, sed contra jus limites

ampliaret, ab ipso jure jam praefinitos. Quo circa 34
Cardinalis Cantelmus Archiepiscop. Neapolitanus probe noscens sibi non competere facultatem prorogandi dictum tempus usque ad diem Ascensionis, illam sibi concedi petiit a Sacra Congregatione, quae ob ingentem numerum populi Neapolitanam Urbem incolentis, petitam prorogationem concessit *Die* 20. *Martii* 1694. quam idem Cardinalis in suam inseruit Dioecesanam Synod. eodem anno celebratam. Quod idem praestitum fuit ab ejus successore Cardinali Pignatello in Synodo ab ipso celebrata anno 1726. Haec ille.

Superiores Regulares, et non Parochi, debent 35
exquirere a suis familiarib. et continuis commensalibus, eisque actu inservientibus, an praecepto Paschalis communionis satisfecerint: Sic S. Cong. Conc. ex Bullario Ordinis Praedicatorum *t.* 7. *p.* 322. Constit. 69.

PASCUA

SUMMARIUM

1. Pascua unde nomen deducant? — 2. Pro pascuis intelliguntur illa loca, in quibus pecora, aliaque similia animalia pastum sumere solent. — 3. Pascua, et silvae de Jure communi spectant ad Communitatem. — 4. Adeo ut communia sint omnibus Pascua publica. — 5. Et sic Dominus loci potest et ipse sua animalia mittere ad pascua. — 6. Intellige tamen jus mittendi propria animalia ad Pascua publica competere quidem Domino loci, tamquam Civi illius loci. — 7. Non autem tamquam Domino. — 8. Hinc si ex causa publica per Communitatem fuit prohibita pasculatio, tunc nec ipse Dominus loci potest mittere sua animalia in loco prohibito pasculari. — 9. Jus pascendi in bonis communibus competit Communitati, et dictum jus potest communitas exercere in iis tantum, quae sub Dominio Universitatis esse censentur. — 10. Adeo ut hujusmodi jus prohiberi non possit a Domino Castri ratione jurisdictionis, quam in eo exercet. — 11. Dominus enim loci prohibere non potest incolis usum pascendi, lignandi, et hujusmodi. — 12. Etiamsi Domino loci per Principem esset concessum expresse Feudum cum nemoribus, Silvis, et forestis exemptum ab omni onere. — 13. In aliis vero Pascuis, quae non sunt juris Communitatis, sed ipsius Domini Castri, vel privatorum, Communitas non potest, illis invitis, Animalia ad pastum mittere. — 14. Dominus enim prohibere potest pastionem in suo. — 15. Unde si alicujus Animalia depascant in loco, in quo a Domino fundi jus pascendi sit interdictum, ad resarciendum damnum inde emergens tenetur ipse Animalium Dominus. — 16. Jus pascendi potest acquiri quinque modis, qui assignantur. — 17. Ad praescribendam servitutem juris pascendi requiritur immemorabilis, seu centenaria; vel requiritur, quod probetur quadragenaria cum titulo. — 18. Qui sine ullo ex dictis quinque titulis animalia sua pascit in interdicto fundo alieno, peccat graviter, vel leviter, juxta gravitatem, vel levitatem damni causati, et tenetur ad restitutionem. — 19. Item, qui sua animalia pascit in Pascuis Communitatis locatis alicui privato, tenetur restituere damnum datum. — 20. Qui pascit animalia sua in Pascuis Communitatis non locatis alicui particulari, non peccat, nisi fortasse essent Pascua divisa, et assignata singulis pro parte, ut pluribi solet fieri de Silvis singulis assignatis pro parte, quia tunc pascendo in Pascuis assignatis aliis, graviter peccaret, vel leviter juxta gravitatem, vel levitatem damni dati, et teneretur ad restitutionem. — 21. Qui pascit animalia sua in Pascuis spectantibus ad Communitatem, cujus ipse non est pars, secundum aliquos non peccat, nec tenetur ad restitutionem, maxime si pascat in Pascuis Communitatis vicinae. Opinio contraria est probabilior, et communior. — 22. Quae dicta sunt de pascuis, intelligenda sunt etiam de lignatione in Silvis. — 23. Recte tamen monent Doctores, quoad ista attendendas esse consuetudines, et Leges diversis Provinciis, ac Locis proprias. — 24. Alia ad rem ad n. 32. — 33. Subnectuntur Add. ex aliena manu ad n. 41.

1 Pascua nomen et originem ducunt a pascendo: *Communis*.

2 Unde pro pascuis intelliguntur illa loca, in quibus pecora, aliaque similia animalia pastum sumere solent: *Communis*.

3 Pascua, et silvae de jure communi spectant ad Communitatem, *l. Omnes* 12. *Cod. de operibus publicis; l. Omne territorium* 4. *Cod. de Censibus* cum similibus, Rota *par.* 4. *recent. tom.* 1. *decis.*
4 275. *nu.* 2. Adeout communia sint omnibus Pascua publica; *l. In tantum* 9, *ff. De divisione rerum §. Universitatis sunt; l. Cum nulla* 1. *et l. Insignis* 2. *Cod. De Pascuis publicis*: Rota *par.* 3.
rec. dec. 433. *num.* 1. Et sic Dominus loci potest 5
et ipse sua animalia mittere ad Pascua: Rota *cit.*
dec. 433. *num.* 1. Intellige tamen jus mittendi 6
propria animalia ad Pascua publica competere quidem Domino loci tamquam Civi illius loci: Rota
loc. cit. num. 1. Non autem tamquam Domino, 7
cum ratione Dominii, et jurisdictionis nullum habeat jus in publicis Pascuis: Rota *loc. cit. num.* 1.
Hinc sequitur, quod si ex causa publica per 8

Communitatem fuerit prohibita pasculatio, tunc
nec ipse Dominus loci potest mittere sua anima-
lia in loco prohibito pasculari, cum talis pascula-
tio sibi non competat tamquam Domino, sed tam-
quam Civi, et propterea debet subjacere Legibus
aliorum Civium. Unde cessat quod dicitur, Leges
inferiorum non ligare Superiorem, quia hoc est
intelligendum respectu illius, in quo est Superior,
et Dominus: Rota *cit. dec.* 433. *num.* 2.
9 Jus pascendi in bonis communalibus competit
Communitati, et dictum jus potest Communitas
exercere in iis tantum, quae sub dominio Univer-
sitatis esse censentur: Rota rec. *par.* 2. *dec.* 300.
10 *num.* 1. Adeout hujusmodi jus prohiberi non pos-
sit a Domino Castri ratione jurisdictionis, quam
in eo exercet: Rota *loc. cit. n.* 2. Dominus enim
11 loci prohibere non potest incolis usum pascendi,
lignandi et hujusmodi: Card. de Luca *de servitut.*
disc. 42. *per tot. et disc.* 36. *n.* 11. Etiamsi Do-
12 mino loci per Principem expresse concessum es-
set Feudum cum nemoribus, silvis, et forestis e-
xemptum ab omni onere: Card. de Luca *cit. disc.*
42. *n.* 2.
13 In aliis vero Pascuis, quae non sunt juris Com-
munitatis, sed ipsius Domini Castri, vel privato-
rum, Communitas non potest, illis invitis, anima-
lia ad pastum mittere: Rota rec. *cit. dec.* 300. *n.*
14 3. Dominus enim potest prohibere pastionem in
suo: Rota *loc. citat. num.* 4. *et Communis Docto-*
15 *rum.* Unde si alicujus animalia depascant in loco,
in quo a Domino fundi jus pascendi sit interdictum,
ad resarcendum damnum inde emergens tenetur
ipse animalium Dominus, jure naturali id suaden-
te, et juribus scriptis id demandantibus; textu ex-
presso *in l. De his* 6. *Cod. de Lege Aquilia*, ibi:
De his, quae per injuriam depasta contendis, ex sen-
tentia Legis Aquiliae agere minime prohiberis; l. Si
Quadrupes 1. *ff. Si quadrupes pauperiem fecisse*
dicatur, ibi: *Si quadrupes pauperiem fecisse dica-*
tur, actio ex Lege 12. *tabularum descendit;* et con-
cordant *l. Si quis* 1. *Cod. de fundis*, *et saltibus*
Rei Dominicae; l. Insignis 2. *et l. Prata* 3. *Cod.*
de pascuis publicis.
16 Jus pascendi potest acquiri quinque modis. Pri-
mo institutione, vel alia ultima voluntate, si jus
pascendi relinquatur. Secundo, stipulatione, pa-
ctione, vel emptione, donatione, et simili con-
tractu. Tertio, Sententia. Quarto, Lege, vel sta
tuto. Quinto, praescriptione: Caepol. *de servit.*
rustic. praed. cap. 91. *a n.* 6. *usque ad* 31. ubi
late de omnibus; Panimol. *dec. civil. Moral. Cri-*
minal. par. 1. *dec.* 25. *adnotat.* 2. *n.* 2. et alii.
17 Ad praescribendam tamen hanc servitutem juris
pascendi requiritur usus immemorabilis, seu tan-
tum tempus, cujus initii memoria non extet in
contrarium, seu centenaria: Caepol. *loc. cit. nu.*
32. Panimol. *loc. cit. n.* 3. Rota rec. *par.* 9. *t.*
1. *dec.* 320. *n.* 8. *et par.* 9. *tom.* 2. *dec.* 337. *n.*
17. Vel requiritur, quod probetur quadragenaria
cum titulo: Rota *par.* 9. *t.* 1. *cit. dec.* 300. *n.* 10

Qui sine ullo ex dictis quinque titulis animalia 18
sua pascit in interdicto fundo alieno, peccat gra-
viter, vel leviter juxta gravitatem, vel levitatem
damni causati, et tenetur ad restitutionem, sicuti
si in alia re damnificasset: *Communis.* Item qui 19
sua animalia pascit in Pascula communitatis alo-
catis alicui privato, tenetur restituere damnum
datum, non aliter ac si ad personam privatam
spectarent talia pascua, quia Communitas illa lo-
cando dictae personae privatae, transtulit totum
suum jus in illam, non aliter ac si pro tempore
vendidisset: *Communis.*
Qui pascit animalia sua in Pascuis Communita- 20
tis ab ipsa non elocatis alicui personae particula-
ri, sed relictis communibus omnibus incolis, et
Civibus, nullimode peccat, nisi fortasse essent Pa-
scua divisa, et assignata singulis pro parte, ut
pluribi solet fieri de silvis ad ratam singulis assi-
gnatis pro parte, quia tunc non posset animalia
sua pascere, nisi in Pascuis sibi pro sua parte as-
signatis, et pascendo in Pascuis assignatis aliis,
peccaret graviter, vel leviter juxta gravitatem,
vel levitatem damni dati, et teneretur ad restitu-
tionem, ac si pasceret in interdicto fundo alieno,
maxime si repartitio, et divisio talium pascuorum
sit juste, et recte facta, quia quisque in parte sibi
juste a Communitate assignata habet jus strictum,
tamquam in Pascuis propriis; *Communis.*
Qui pascit animalia sua in Pascuis spectantibus 21
ad Communitatem, cujus ipse non est pars, se-
cundum Dicastill. et alios cum Burg. *Centur.* 3.
caus. 77. non peccat, nec tenetur ad restitutio-
nem; Quod admittunt Illsung *tom.* 4. *dec.* 2. *n.*
284. Sanchez *in Consil. lib.* 1. *cap.* 5. *dec.* 1. *n.*
21. *et* 35. et alii, si pascat in Pascuis Communi-
tatis vicinae, quia talia damna mutuo compensan-
tur in Oppidanis vicinis; Unde videntur ista licite
per consuetudinem, aut saltem tantum sub poena
prohiberi, vel per pacta disjunctiva, ut vel non
pascant, vel si pascant, et deprehendantur, sol-
vant poenam: Opinio tamen contraria est proba-
bilior, et communior cum Bonacina citat. et se-
cut, a la Croix *lib.* 3. *par.* 2. *n.* 255. quod nem-
pe in hoc fiat injuria, possitque etiam peccari
mortaliter, si attingatur materia gravis; nam quae-
vis Communitas habet ad sua Pascua jus strictum
contra alias Communitates, neque scitur, quod ad-
sint talia mutua pacta: Neque potest dici, quod
talia damna mutuo compensentur, quia, ut recte
dicit Vasquez *cap.* 5. *de restitutione* §. 4. *dub.* 1.
compensatio debet fieri in bonis ejusdem, qui dam-
num intulit, et non in bonis alterius innocentis,
prout in hoc casu frequenter fieret; cum non fiat
ex bonis propriis ejus, qui damnum intulit, sed
communibus aliorum, qui nihil debent.
Quae dicta sunt de Pascuis, intelligenda sunt 22
etiam de lignatione in silvis, ut tradunt commu-
niter Doctores. Qui insuper docent, quoad ista at- 23
tendendas esse consuetudines, et Leges, diversis
Provinciis, ac locis propriis.

24 Gabella imposita ab Universitate super Pascuis non comprehendit animalia Ecclesiasticorum: *Sac. Congreg. Immun.* 14. *Sept.* 1675. *lib.* 1. *Decret. Altoviti pag.* 1148.

25 Pro pasculatione animalium Ecclesiasticorum nihil solvendum, si hucusque ita fuit observatum: *Sac. Cong. Immun. in Laquedonen.* 2. *Jul.* 1630. *l.* 2. *Decret. Paul. pag.* 51.

26 Statutum Laicorum prohibens moram, et ingressum animalibus in Pascuis, non comprehendit Ecclesiasticos: *Sacr. Cong. Immun. in una Montis Falisci* 24. *Jan.* 1646. *l.* 3. *decret. Paulucci p.* 243.

27 Si territorium sit proprium Communitatis, non intrat Immunitas Ecclesiasticorum circa Pascua: *Sac. Cong Immun. in Amerina* 7. *Oct.* 1631. *lib.* 2. *decret. Paul. pag.* 92.

28 Verum Pascua provenientia, non ex tenuta particulari Communitatis, sed totius territorii proprii Ecclesiarum, et particularium Civium reduci debent ad pristinum statum Libertatis, tam quoad Laicos, quam quoad Clericos: *Sacr. Cong. Immun. in Faventina* 26. *Jun.* 1628. *lib.* 2. *decret. Paul. pag.* 97.

29 Laici pro belluis ab Ecclesiasticis eis traditis sub specie cujusdam contractus nominati Census revera transferentis dominium ipsarum belluarum in Laicos, tenentur ad solutionem Fidae, seu Pasculi, et in hoc Decreto Sacra Cong. recessit a jam decisis, quod non tenerentur: *Sacr. Cong. Immun. in Larinen.* 24. *Septemb.* 1697. *lib.* 2. *decret. Vallem. pag.* 113.

30 Circa Edictum Episcopi, an obliget Clericos ad solvendum pro Pascuis aliquam summam minorem, quam Laici? Sac. Congr. remittit causam ad A. C. *Sac. Cong. Immun. in Marsicen.* 7. *Jul.* 1699. *lib.* 2. *decret. Vallem. pag.* 113.

31 Super controversiis inter Abbatem Commendatarium, et Baronem Loci Laterzae, Sacra Congr. respondit: Firma remanente restitutione Jacci, omnia quoad Pascua, seu praetensam Fidam remittuntur ad A. C. cum facultatibus Sacrae Congregationis: *Sacr. Congr. Immun. in Acheruntina* 2. *Decret.* 1704. *l.* 3. *decr. Vallem. p.* 632.

32 Cum jus supra Pascua animalium competat Archiepiscopo Regien. ratione Dominii temporalis, injungitur Episcopo Boven. ut informet, et interim nihil innovet: *Sac. Congr. Immun. in Boven.* 3. *Sept.* 1695. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 213.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

33 De jure pascendi, et quando ipsum secum ferat prohibitionem immutandi culturam, tum restringendi, non incongrue hic disquiritur.

34 Potest jus pascendi competere vel in propriis agris aliis concessis ad percipiendos fructus dumtaxat industriales, uti est tunc, quum competit *ju-*
35 *re dominii fundiarii*, vel in agris alienis. Priori sane casu non est dubitandum, quin possessores agrorum nequeant immutare culturam, et restringere, quum dominium nude provenit libertas immutandi culturam, et restringendi, non sit apud possessores agrorum, sed apud illum, qui jus habet pascendi: Cardinal. de Luc. *de Servit, discurs.* 37. *n.* 10. Capyc. Latr. *consult.* 83. *num.* 34. *et plur. seq.*

At posteriori casu non semper eodem modo se res habet. Porro si jus pascendi in agris alienis competat *jure servitutis verae, et propriae*, ut est dum ab uno praedio alteri praedio debetur, et sic talia pascantur Animalia, quae praedii vicini instrumento continentur, adeuque praedii accessoria sunt, in hoc pariter casu non est in arbitrio possessorum agrorum, quamvis Dominorum, immutare culturam, et restringere; Surd. *consil.* 27. *num.* 10. Caepoll. *de servit. rustic. praed. cap.* 9. *num.* 40. Oter. *de Pascuis cap.* 16. *num.* 2. Antunez *de Donat. Reg. tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 9. *nu.* 78. Cohel. *de Bon. Regim. cap.* 10. *n.* 198. 36

Quod si jus pascendi in alienis agris competat *non jure servitutis verae, et propriae, sed abusivae et impropriae*, prout est quum non praedio, sed personae, et quidem indefinite, et generaliter pro quibuscumque animalibus debetur, et in hoc disparato casu, si acquisitum ostendatur titulo expresso, eoque *oneroso*, nec in potestate est Possessorum agrorum licet dominorum culturam immutare, et restringere: Rot. *in Veliterna Juris pascendi* 9. *Jun.* 1755. §. 4. *cor. Eminentis. Bussio.* 37

Sin autem acquisitum sit titulo quidem expresso, sed *liberalis concessionis*, puta *statuto, privilegio etc.* liberum est Possessoribus agrorum vi dominii immutare culturam, et restringere, quum concessum intelligendum sit, quamdiu ipsi agri aperti remaneant, prout erant de tempore ipsius liberalis concessionis, ne alias propria cuique liberalitas noceat: Calcan. *consil.* 50. *n.* 4. *seq.* Casanatt. *consil.* 22. *nu.* 10. Capiblanc. *de Baron. pragm.* 11. *n.* 115. Corradin. *de Jur. Praelat. qu.* 74. *n.* 17. *et duob. seq.* Thomat. *decis. Maceraten.* 234 *n.* 31. *et* 34. Rot. *coram Molin. decis.* 774. *n.* 16. *et seq.* 38

Idemque juris est, si acquisitum sit consuetudine, seu praescriptione. Quum consuetudo haec, seu praescriptio proveniat « ex natura campestri, et aperta agrorum, tamquam ex cessante murorum, vel sepium, aut fovearum impedimento »: ut sunt verba Card. de Luc. *de servit. discours.* 37. *n.* 6. et adamussim conveniunt Capiblanc. *de Baron. Prag.* 11. *n.* 30. Antonell. *de Tempor. legal. cap.* 110. *n.* 4. Carol. Anton. de Luc. *ad de Franch. decis.* 301. *n.* 6. Thomat. *dec. Maceraten.* 234. *n.* 34. Hinc est, quod impediri haud valet, quominus Possessores eorumdem agrorum, virtute dominii, culturam immutent, et restringant; Rocc. *disp. jur. select. c.* 169. *n.* 23. Bonden. *ad Oter. de Pasc. cap.* 16. *n.* 5. Panimoll. *dec.* 25. *adnot.* 2. *n.* 33. Rot. *in Praenestina Herbarum* 27. *Junii* 1736. §. *Ast, cor. clar. mem. Calcagnino.* 39

40 Idque procedit, etiamsi agatur de consuetudine, seu praescriptione immemorabili. Tametsi enim vigore consuetudinis, seu praescriptionis immemorabilis allegari regulariter queat quicumque titulus magis utilis; ea tamen in casu, uti habens *certam originem* ex mox dicta *natura campestri, et aperta agrorum*, operari haud valet praesumptionem tituli utilis, adeoque inefficax est ad immutationem culturae, et restrictum; Rot. *in Signina Juris pascendi* 25. *Jun.* 1725. §. *fin. cor. clar. mem. Aldovr. in Carpentoraten. Territorii super damnis* 16. *Junii* 1747. §. 2. *et in confirmatoria* 2. *Decemb.* 1750. §. 4. *cor. Reverendis. Molin. et in Balneoregien. Juris pascendi super bono jure* 25. *Januar.* 1751. §. 3. *cor. Eminentiss. Bussio.*

41 Solumque consuetudo, seu praescriptio immemorabilis efficax esse potest ad impediendam immutationem culturae, et restrictum, si illi, qui ex ea acquisiverunt jus pascendi, simul prohibuerint, quominus possessores agrorum immutarent culturam, et restringerent, et hi acquieverint. Caeterum, secluso concursu talis prohibitionis, talisque acquiescentiae, nequit consuetudo, seu praescriptio immemorabilis impedire immutationem culturae, et restrictum, eo quia fieret transitus *ab affirmativo jure pascendi ad negativum*, illudque longe diversum *jus prohibendi* immutationem culturae, et restrictum, qui sane transitus non permittitur; Rota *in Balneoregien. Juris pascendi super bono* 1751. 25. *Januarii* 1751. §. 6 *coram Eminentiss. Bussio*, *in Sutrina Juris pascendi quoad facultatem faciendi restrictum super reservatis* 27. *Martii* 1752. §. 3. *et* 16. *Martii* 1753. §. 3. *coram Eminentis. Elephant. et in Veliterna Juris pascendi* 9. *Junii* 1755. §. 4. *et seq. cor. Eminent. Bussio.*

PATER

SUMMARIUM

1. Pater, et filius dicuntur una persona. — 2. Dicuntur tamen una, et eadem persona non vere, sed ficte, seu juris fictione. — 3. Nomine patris venit etiam Avus, et proavus paternus respectu Nepotum, et pronepotum, seu respectu Neptum, et proneptum, si fuerint sub potestate Avi, et proavi. — 4. Pater filios Avi, vivente eodem Avo, non habet jus in suos filios, nisi habitu. — 5. Pater, decedente Avo, acquirit actu potestatem in suos Filios. — 6. De jure communi Pater ob transitum ad secundas nuptias non privatur usufructu bonorum filiorum prioris Matrimonii. — 7. Adducitur, et solvitur objectio de paritate Matris. — 8. Pater non potest Beneficium habere in una Eccl., et filius in alia, quando ambae sunt sorores: v. n. 23. — 9. Pater, et filius possunt celebrare in eadem Ecclesia. — 10. Pater legitimus nulla indiget dispensatione ad obtinendum immediate Beneficium filii, licet filius, quamvis legitimus, dispensatione egeat ad obtinendum immediate Beneficium Patris. — 11. Pater enim non prohibetur obtinere immediate Beneficium filii sui legitimi. — 12. Pater, reclamantibus filiis, etiam minoribus, Uxore mortua, potest Professionem in aliqua Religione emittere. — 13. Pater, qui dormiens in lecto filium suffocavit, efficitur irregularis. — 14. Pater percutiens filium in Sacris constit., excommunicat. incurrit: * Sed v. ibi *remissive* *. — 15. Immunitas duodecim filiorum non conceditur patri propter adoptivos. — 16. Talis immunitas non tollitur per emancipationem aliquorum ex filiis. — 17. Nec tollitur ex nuptiis filiarum — 18. Nec tollitur per Professionem aliquorum ex filiis in Religione. — 19. Alia, *remissive*. — 20. Pater an, et quando teneatur ad restitutionem mutui sine suo consensu accepti a filio? — 21. An, et quo sensu patris iniquitas transfundatur in filium? Ad n. 22. — Subnect. Addit. ex aliena manu ad n. 30.

Sublata distinctione dominorum, et servorum, praecipua personarum divisio ea est, quae patres-familias a filiis-familias distinguit: « Nam Civium Romanorum quidam sunt patres-familiarum, alii filii-familiarum, quaedam matres-familiarum, aliae filiae-familiarum. Patres-familiarum sunt, qui sunt suae potestatis, sive puberes, sive impuberes; simili modo matres-familiarum, filii-familiarum, et filiae, quae sunt in aliena potestate ». *L.* 4. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*: Non satis constat, quomodo Ulpianus matres-familiarum eas simili modo appellet, quo patres-familiarum. Nam pater-familias tunc talis incipit vocari, cum a patria exiit potestate: At mater-familias non modo ea vocatur, quae sui juris est, sed et ea, quae in mariti manum venit, licet alterius potestati subjecta: *l.* 44. *ff. de adopt.* Etenim ut arbitratur *Aulus Gel. noct. Att. lib.* 18. *c.* 6. « probabilius, est, matrem-familias appellatam esse eam solam, quae in mariti manu, mancipioque, aut in ejus, in cujus maritus manu, mancipioque esset, quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, et in sui haeredis locum venisset »; quae mater-familias mariti certe potestati subjecta est. Quare non alio modo allatus Ulpiani textus intelligi potest; nisi ibidem sermonem haberi de iis mulieribus, quae postquam in mariti manum venerunt, defuncto viro, in ejus familia remanserunt, nullo alio superstite, in cujus potestate reversurae sint: *l.* 20. 34. *ff. solut. matrim. l.* 5. *ff. de bonis damnat.* Notandum tamen, quod haec distinctio in patres, et filios-familias minime observatur, ubi agitur de publicis causis, et muneribus: « Nam filius-familias in publicis causis loco patris-familias habetur, veluti ut magistratum gerat, vel tutor detur: » *l.* 9. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris.*

Pater, et Filius dicuntur una persona, et habe- 1

tur expresse in juribus, tam Civilibus, quam Canonicis; In Civilibus, *in l. Si quis duobus*, 11. *cap. de impuberum, et aliis substitionibus*, ibi: *Cum, et natura Pater, et Filius eadem esse persona pene intelliguntur*, et saepe alibi. In Canonicis *in c. Contradicimus* 21. *caus.* 35. *q.* 3. §. 1. ibi: *Cum una caro probetur Pater, et Filius*, et saepe
2 alibi. Dicuntur Pater, et Filius una, et eadem persona, non vere, sed ficte, seu juris fictione, * ob quosdam juris effectus, ut in contractibus, successionibus, aliisque de quibus opportuno loco disputandum: profecto ita * statuunt Baldus *in l. de tutela* §. *si duo, ff. de legitim. tutel.* et alii communiter.

3 Nomine Patris venit etiam Avus, et Proavus Paternus respectu Nepotum, et Pronepotum, seu respectu Neptum, et Proneptum, si fuerint sub potestate Avi, et Proavi; *l. Cum oportet* 6. *Cod. de bonis, quae liberis in potestate etc.* cum simili-
4 bus. Pater filius Avi, vivente eodem Avo, non habet jus in suos Filios, nisi habitu, *l. Nam Civium* 4. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*, ibi: « Nam qui ex me, et Uxore mea nascuntur, in potestate mea sunt, item qui ex Filio meo, et Uxore ejus, idest Nepos meus, et Neptis aeque in mea sunt potestate » * Sed non solum liberi nostri patriae nostrae potestati subjiciuntur; sed et nostrae uxores cum in manum nostram convenerunt, item nurus, et pronurus. Est enim talis uxor nobis loco filiae: nurus autem, et pronurus sunt nobis loco neptis, et proneptis. Haec discimus ex *lib.* 3. *instit. Caii*, qui apud *collatorem Mosaicarum, et Romanarum legum tit.* 16. *de legitima successione* ita se habet: « Uxor quoque, quae in manu ejus est, ei sua haeres est, quia filiae loco est, item nurus, quae in filii manu est; nam et haec neptis loco est. Sed ita demum erit sua haeres, si filius, cujus in manu erit, dum pater moritur in potestate ejus non sit. Idem dicimus et de ea, quae in nepotis manu matrimonii causa sit, quia proneptis
5 loco est ». * Pater, decedente Avo, acquirit actu potestatem in suos Filios; *l. Nepotes* 5. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*, ibi: « Nepotes ex filio, mortuo Avo, recidere solent in Filii potestatem, hoc est Patris sui ».

6 De jure communi Pater ob transitum ad secundas nuptias non privatur usufructu bonorum Filiorum prioris Matrimonii: Gomez ad *leg.* 48. *Tauri num.* 1. *in fine*, Paschalis *de viribus Patr. potest. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 37. Ascanius Clemens *de patria potest. cap.* 7. *et sect.* 2. *num.* 40. *vers Amplia decimo tertio.* Castillus *de usufructu cap.* 3. *num.* 26. Sanchez *consil. moral. lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 28. *in fine*, Joannes Angelus Bossius *de patr. potest. cap.* 7. *num.* 170. *et in tractat. de contractu Matrimonii cap.* 11. *num.* 276. *et* 325. et innumeri alii ibi ab ipso citati. Et ratio est, quia Filiifamilias ex priori Matrimonio nati, per transitum Patris ad secundas nuptias, non desinunt esse sub patria ipsius potestate, ut omnes concedunt, ergo nec eorum bona desinent esse sub ipsius administratione, et usufructu; jura etenim, quae non diffidunt quoad personam, nec diffidere videntur quoad bona; Hoc idem evincitur ex *l. Generaliter* 5. *et l. Hac edictali* 6. *Cod. de secundis nuptiis.*

Nec valet objicere, quod sicuti Mater transiens 7
ad secundas nuptias privatur jure educationis, et tutelae Filiorum prioris Matrimonii, ita Pater transiens ad secunda vota debet privari usufructu bonorum Filiorum prioris Matrimonii. Non valet, inquam, quia non currit paritas quoad hoc de Matre, et Patre; Mater enim nec habet Filios sub sua patria potestate, nec gaudet usufructu in eorum bonis, sed solummodo exercet munus tutelae, quod est quid diversum a munere patriae potestatis, et cum ipsa quodammodo transeat sub potestate secundi Mariti, non est aequum, quod Filios prioris apud se retineat: Quae omnia considerari non possunt in Patre transeunte ad secundas nuptias.

Pater non potest Beneficium habere in una Ec- 8
clesia, et Filius in alia, quando ambae sunt sorores, ita ut residens in una censeatur in alia residero, quarum aliquae reperiuntur in Hispania: *Sac. Congreg. Concil.* apud Nicol. Garciam *de Benefic. part.* 7. *in addit. ad c.* 3. *nu.* 75. et Barbos. *in Summa Apost. dec. verb. Pater n.* 3. V. *in fine n.* 23.

Pater, et Filius possunt celebrare in eadem Ec- 9
clesia: *Sacr. Congr. Concilii sub die* 31. *Jan.* 1603. apud Sellium *in Selectis Canonicis c.* 92. *nu.* 7. Barbosa *loc. cit. n.* 4.

Pater legitimus nulla indiget dispensatione ad 10
obtinendum immediate Beneficium Filii: Licet Filius, quamvis legitimus, dispensatione egeat ad obtinendum immediate Beneficium Patris: *Sac. Congregat. Concil.* apud Nicol. Garciam *addit. ad dict. part.* 7. *c.* 3. *n.* 29. et Barbosa *loc. cit. num.* 5. *et* 6.

Pater enim non prohibetur obtinere immediate 11
Beneficium Filii sui legitimi: *Sac. Congr. Conc. sub die* 30. *Maii* 1602. *et in Maceraten.* 18. *Novemb.* 1628. apud Sellium *c.* 92. *n.* 8. et Barbosam *loc. cit. n.* 7.

Pater, reclamantibus Filiis, etiam minoribus, 12
Uxore mortua, potest Professionem in aliqua Religione emittere: *Sacra Congregatio Concilii in Casalen. educationis Filiorum* 26. *Augusti, et* 26. *Decembris* 1719. de qua late Ursaya *tom.* 4. *part.* 1. *disceptat.* 15.

Pater, qui dormiens in lecto, Filium suffocavit, 13
efficitur Irregularis propter culpam, vel negligentiam, quae homicidium praecessit, ut est textus *in cap. Quaesitum*, et ibi DD. *de poenit. et remiss. cap. Consuluisti* 2. *q.* 5. *cap. ult.* cum ibi notatis, *de iis, qui Filios occiderunt*; Fagnan. *lib.* 5. *Decret. in c. Si constiterit* 12. *de accusationib. n.* 39. Silvester in verb. *Homicidium nu.* 15. *in* 23. *quaestion.* et alii passim.

Pater percutiens Filium in Sacris constitutum 14
Excommunicationem incurrit, ut efficaciter pro-

bat textus e contrario sensu *in c. Cum voluntate* §. *fin. de sent. Excommun.* Cum enim percutientes correctionis causa propinquos inferiorum gradnum, idest Minorum Ordinum, in sententiam Excommunicationis non incidant, ut ibi deciditur, utique a contrario sensu in hujusmodi Excommunicationem incidunt, qui percutiunt propinquos superiorum gradnum, idest in Sacris constitutos, et ita videtur sentire ibi Glossa final. et tenent expresse Hostiens. *n.* 13. Butrius *n.* 25. et Abbas *n.* 8. *vers. Item quoad percussionem.* Idem firmant Hostiens. *in c. Indecorum* 3. *de aetat. et qualit. n.* 8. *vers. Item quoad nimiam violentiam,* Jo. Andreas *n.* 13. *vers. Item quoad violentiam,* Fagn. *n.* 48. et ipso teste, reliqui omnes.

'Sed vide Addit. Casin. ad v. *Magister.* '

15 Immunitas duodecim Filiorum non conceditur Patri propter adoptivos; Si enim per Statutum, seu Constitutionem dispositum sit, quod Pater habens duodecim Filios, gaudeat Immunitate quoad onera communia, ut in statu Mediolanensi, et pluribus aliis Provinciis habetur concessum, ne nimio gravemine in alendis tot liberis prematur Pater, qui in procreatione tot liberorum sic favorabilis videtur Reipublicae, ut notatur per textum *in leg. Cum ratio naturalis* 7. *et* §. *Si plures filios, ff. de bonis damnator. et leg.* 2. *C. de indicta viduitate;* tunc si Pater non habeat complementum Filiorum duodecim, nisi computatis adoptivis, talis immunitas eidem non competit, *arg. leg. Sextum* 2. *ff. de vacatione, et excusatione munerum,* §. *Adoptiv. Filii*, ibi: « Adoptivi Filii in numerum non proficiunt eorum liberorum, qui excusare parentes solent; et *Inst. de excusationibus Tutorum in princ.* ibi: Sed adoptivi liberi non prosunt »: Rosignol. *de patr. potest. discept.* 2. c. 10. *n.* 4. et alii communiter.

16 Immunitas duodecim Filiorum Patri concessa non tollitur per emancipationem aliquorum ex Filiis; Roland. *cons.* 52. *n.* 5. *vol.* 2. Menoch. *consil.* 486. *n.* 6. Rosignol. *loc. cit. discept.* 6. *cap.* 23. *n.* 3. ubi pluribus adductis testatur de comm.

17 Nec talis Immunitas tollitur ex nuptiis Filiarum, licet enim plures ex Filiabus nubant, non cessat privilegium in Patre duodecim liberorum, ut definivit « Excellentissimus Mediolani Senatus per litteras patentes in casu Joannis Petri de Mutina dicti Othonae » *die* 7. *Maii* 1552. teste Rosignolo *loc. cit. n.* 5.

18 Item nec talis Immunitas tollitur per Professionem aliquorum ex Filiis in Religione: *Communis,* teste Rosignolo *loc. cit. n.* 6.

19 Alie, Vide verb. *Filius,* verb. *Parentes.*

20 Pater en, et quando teneatur ad restitutionem mutui sine suo consensu accepti a Filio? Vide verb. *Mutuum a n.* 1. *ad* 19.

21 Patris iniquitas transfundi potest in Filium quoad poenam, seu punitionem temporalem, non quoad culpam, seu defectum moralem: quoad poenam quidem, ut exponunt SS. Patres: *Exodi c.* 20. *vers.* 5. « Visitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam, et quartam generationem »; *et idem c.* 34. *vers.* 7. *ac n.* 14. *vers.* 18. ut etiam multoties Deus propter unius peccatum populum totum punivit; ita *lib.* 2. *Reg. c.* 24. *vers.* 15. propter Davidis peccatum pestem in populum Israeliticum immisit in tantum, quod tribus diebus septuaginta hominum millia mortui sunt: immo id etiam quandoque contigit propter privati hominis peccatum; sic *Josue cap.* 7, accidit propter furtum Acham filii Charmi in Jericho. Praefata tamen dubio procul a Deo praestita sunt, et praestantur sanctissime: siquidem poena in insonte ordinatur in patientiae exercitium, virtutumque excitamentum, etque incrementum; Accedit, quod *Exodi cap.* 34. *vers.* 7. nullus apud Deum per se innocens est, proindeque poena illa in proprii piaculi expiationem cedere potest.

At Patris iniquitatem transfundi non posse quoad culpam in Filium, patet *Ezech.* 18. *v.* 20. « Anima, quae peccaverit, ipsa morietur; Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum »; et idem *Deuteron. c.* 24. *vers.* 16. *Regum lib.* 4. *cap.* 16. *vers.* 9. *Paralip. lib.* 2. c. 25. *vers.* 4. Quod si Filii Adam oedum malum poenae, sed etiam malum culpae peccati originalis contraxerunt: *Psalm.* 50. *vers.* 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum etc. et ad Rom.* c. 5. *vers.* 12. « Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt »: Id sane, quia Dei infinita Sapientia, et Voluntate aequissima, fuit Adamus totius generis humani Caput creatus, tum physice, tum moraliter; ac omnium voluntates in Protoparente, tamquam in Capite, et principio totius posteritatis, repositae fuerunt; sicque, ut justitia originalis participanda erat, si Supremi Numinis mandatum observasset, ita contrahendum originale, quoties violasset, de quo tamen non plus aequo, et temere explorandum, sed potius firma mente incessanter volvendum, quod justa judicia Domini, et in seipsis justificata; atque non minus grato corde jugiter meditandum, Hominem primum, ac in eo omnes peccavisse, et Filium Dei de Coelis descendisse, amictumque carne Sanguinem, et vitam in copiosam Redemptionem profudisse. 22

NOVAE ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Quod ait *Auctor num.* 8. scilicet non posse habere Beneficium Patrem in una Ecclesia, et Filium in altera Ecclesia sororia, id intellige de filio illegitimo. Caeterum filius legitimus non prohibetur habere Beneficium non solum in Ecclesia sororia, sed et in eadem Ecclesia, in qua pater habet Beneficium, solumque prohibetur immediate succedere in Patris Beneficium; Confer Murg. *de Benefic. qu.* 3. *subsect.* 2. *num.* 649. 23 24

25 Quaenam vero Ecclesiae dicantur *sororiae*, tum quid requiratur, ut Ecclesiae possint esse sororiae, tradit Rota *in Caesaraugustana Canonicatus* 2.
26 *Julii* 1742. *coram Eminentiss. Bussio*, ubi quod si proponatur qualitas sororia ad omnes juris effectus, requiritur vel privilegium apostolicum, vel consuetudo immemorabilis, secus vero, si ea
27 proponatur ad simplicem illum effectum, ut Beneficiarii unius Ecclesiae possint promiscue interesse divinis officiis in altera.

28 Ut autem prohibeatur filius illegitimus obtinere beneficium in Ecclesia sororia, non est probanda qualitas sororia ad omnes effectus, sed satis eam probare ad effectum illum, ut possint Beneficiati Ecclesiae, in qua Pater habet Beneficium, interesse divinis Officiis in altera illa Ecclesia; Rota *in d. Caesaraugustana Canonicatus* §. 2. *et* 3.

29 Quod si Filius illegitimus jam obtinuerit Beneficium in una Ecclesia, tunc Pater prohibetur obtinere, vel in eadem, vel in sororia Ecclesia alterum Beneficium. « Ratio hujus est (inquit Murg. *de Benefic. quaest.* 3. *subsect.* 1. *num.* 624.) quia quum simul post Concilium Tridentinum beneficia obtinere nequeant in eadem Ecclesia, congruentius erit prohibere Patrem, ne acquirat de novo, quam compellere Filium ad dimittendum jam quaesitum, et possessum ».

Responsio Auctoris.

Quod mea conclusio intelligenda sit de filio il- 30
legitimo, jam patet ex iis, quae tradidi in verb. *Filius num.* 67. ubi sic expresse conclusi: Filius illegitimus nequit in Ecclesia, ubi Pater ejus beneficium habet, vel habuit, quodcumq. beneficium obtinere; id probando ex Sacris Canonibus, et Concilio Tridentino, ut *ibi* videre est. Hic autem paucis refero sensum Declaration. *Sac. Cong. Concil.* prout refertur a Garcia, et Barbosa *loc. cit.* Quod autem subjungitur hic ab *Additore num.* 7. jam tradidi *ibi num.* 10. *et* 11. ex Declaratione *Sac. Cong. Concil.*

SANCTI PATRES

SUMMARIUM

1. Sanctorum Ecclesiae Patrum nomine latius sumpto venire possunt quicumque primarii Ecclesiae Pastores, ac Doctores etc — 2. At communi, probatoque Ecclesiae usu, SS. Patrum nomine pressius accepto, intelliguntur ii, qui post Apostolorum tempora, his tamen paulo saltem viciniores, aut eminentis doctrinae, sanctitatisque fama magis celebres, Ecclesiam qua voce, qua libris ad posteros transmissis illustrarunt, ad n. 3. — 4. Scripta, quae sub SS. Ecclesiae Patrum nomine circum feruntur, triplicis sunt generis, ad n. 5. — 6. de Auctoritate, rectoque usu Patrum ad n. 18.

1 Sanctorum Ecclesiae Patrum nomine latius sumpto, venire possunt quicumque primarii Ecclesiae Pastores, ac Doctores, qui speciali lumine a Deo perfusi, ac insigni sanctitate conspicui, Ecclesiae plantandae, vel salubri Fidei, morumque doctrina irrigandae, sedulam magis operam collocarunt. Quo in amplo significatu Ecclesiae Patres dici possunt, tum ipsi Apostoli, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam, etiam sanguine suo; tum ipsorum successores Episcopi quivis, sapientia, sanctimoniaque singulari illustres, qui suis scriptis eumdem in scopum impensius collimarunt, quibus S. Augustinus applicat verba Psalmistae: Pro Patribus tuis nati sunt tibi Filii, idest, inquit S. Praesul, pro Apostolis Episcopi.

2 Verum, quia priores illi clarioribus aliis titulis resplendent, et e posterioribus complures ab istorum aetate sunt remotiores, hinc communi, probatoque Ecclesiae usu, SS. Patrum nomine pressius accepto, dumtaxat intelliguntur ii, qui post Apostolorum tempora, his tamen paulo saltem viciniores, aut eminentis doctrinae, sanctitatisque fama magis celebres, Ecclesiam, qua voce, qua libris ad posteros transmissis illustrarunt: atque ita, exemplo Apostol. filios quam plurimos in Christo Jesu per Evangelium, ejusque Fidei, ac Doctrinae legitimam expositionem genuerunt.

Iidem etiam Ecclesiae Doctores appellantur, ne- 3
que privati dumtaxat, sed universales, ac publici, inter illos proinde venerandi, quos Deus, post Apostolos, posuit in Ecclesia Doctores: quippe, qui Ecclesiam universam sapientiae, sanctitatisque suae radiis collustrarunt. Sunt tamen ex illis quidam, qui, speciali etiam honoris praerogativa, prae caeteris nuncupantur Ecclesiae Doctores; eo quod, praeter eminentem scientiam, et virtutem, qua omnibus, qui in domo Dei sunt, praeluxere, publico Ecclesiae ipsius testimonio pro talibus agniti, ac declarati fuerint: cujusmodi ex antiquioribus Graecis quidem sunt: SS. Basilius, Athanasius, Gregor. Nazianz. Chrysostomus: e Latinis praecipue quatuor: SS. Gregorius M. Augustinus, Ambrosius, et Hieronymus, quibus recentius accessere Sanctus Bernardus, dictus Doctor Mellifluus, Div. Thomas Aquinas, et Sanctus Bonaventura, hic Seraphici, ille Angelici Doctoris titulo insignis. Doctoris quoque nomen in Ecclesiae precibus obtinent SS. Anselmus, Isidorus, Hispalensis, Petrus Chrysologus etc.

4 Scripta, quae sub SS. Ecclesiae Patrum nomine circumferuntur, triplicis sunt generis. 1. Etenim alia sunt certo genuina, seu eorum propria, quorum nomine inscribuntur. 2. Alia indubie spuria, vel ex toto, vel ex parte: quia vel Librarii ignorantia, aut incuria unum nomen suppositum pro altero; vel ab illo, aut alio Auctore quamvis Catholico, ad conciliandum operi pretium, sub nomine celebris alicujus Patris, edita: vel denique fraude Haereticorum supposita, aut quibusdam, seu insertis, seu expunctis, corrupta, quibus suos errores tali patrocinio tuerentur, aut saltem obtegerent. 3. Alia sunt incerta, aut dubia; eaque iterum vel ejusmodi, ut, etsi non omnino constet, esse genuina, versimilius tamen habeantur pro talibus, vel istiusmodi, ut quamquam non certo constet esse spuria, sint tamen fidei admodum ambiguae.

5 In Sanctorum Patrum scriptis, etiam genuinis, duo in primis universim rerum genera occurrunt, de quibus tractant: aliae enim sunt res Sacrae, quae maximam istarum lucubrationum partem occupant: aliae profanae, quas identidem, saltem obiter, in decursu immiscent; veluti sunt Quaestiones Philosophicae, vel Mathematicae, et aliae, quae solo naturali lumine investigari solent. De his posterioribus, utpote ab instituto nostro alienis, id dumtaxat advertere sufficiat, quod licet a SS. Patribus plures naturalibus etiam disciplinis egregie fuerint exculti, quia tamen sublimioribus addicti toti, inferiores istas quaestiones, ubi nullam cum Fidei, morumque doctrina connexionem habebant, ex proposito non tractarunt, eorum in his determinandis auctoritas fortius non suppeditat argumentum, quam ipsorum perspecta talium materiarum major, vel minor peritia, aut rationis, ab ipsis adductae, robur persuaserit. Deinde. Quaestionum Sacrarum duae rursum species sunt, quas versant SS. PP Aliae pertinent ad Fidei, Morumve Dogmata: Aliae materiam tangunt, salva Fidei, Morumque Christianorum puritate, inter ipsos Orthodoxos controversam. Hujus discriminis meminit S. Augustin. « Alia sunt, *ait*, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimi regulae Catholicae defensores, salva Fidei compage, non consonant; alia vero, quae ad ipsa Fidei pertinent Fundamenta ». Est et hoc in SS. Patrum operibus observandum, alia reperiri ad erudiendos Christianos in Fide, et moribus aut revincendos, convellendosque Haereticos presse, rigideque prolata, alia ad populum dicta pro Concione, subinde non sine aliqua exageratione Oratoribus sat familiari.

6 Duo committi solent, praecipue ab Haereticis, peccata contra SS. Patrum auctoritatem: Alii, praesertim eum illos, sibi manifestius adversantes experiuntur, eam nimium deprimunt, immo penitus contemnunt, uti facere solent *Lutherici*, et *Calvinistae*: quamquam sicubi specie tenus in aliqua, a contextu decerpta lacinia favere videantur, avide illam pro se arripiant, et cum triumpho ostentent. Ipsi adeo *Sociniani*, ut vel ipsas Concilii *Nicaeni* de Verbi Divinitate Decisiones infringant, vel eludant, vetustissimorum Patrum auctoritatem, veiut illis contrariam, audacter obtendunt. Alii SS. Patrum auctoritatem nimium extollunt, adeo ut vel unum ex illis, velut irrefragabilem, ipsius etiam apertis Ecclesiae definitionibus anteponant; uti faciunt Janseniani, qui S. *Augustini* auctoritati adeo tenaciter adhaerent, ut ejus, uti praetendunt Doctrinam, ab ipsis haud secus ac olim ab Adrumetinis quibusdam Monachis, aliisve male intellectam, omnibus Pontificum Decretis, etiam ab Universa Ecclesia Orthodoxa receptis, ante habeant.

Quid hac in re Catholicum virum sentire deceat, ut explicemus, primum, generatim loquendo, magna semper fuit in Ecclesia SS. Patrum quoad res ad Fidem, moresque spectantes Auctoritas. Primum, quia semper habiti sunt ab Orthodoxis omnibus tamquam Orbis magistri, qui propius e fonte Fidei, morumque dogmata hauserunt, coaevi testes antiqui Spiritus Ecclesiae, ejusque Doctrinae, ac Disciplinae: fidi Custodes Apostolicarum traditionum, quas vel a Majoribus, qui Apostolorum temporibus viciniores fuere, acceperunt, vel in Synodis, quibus interfuere, didicerunt. Deinde quia propterea CC. et SS. Pontifices, quoties de traditione, aut Scripturarum expositione actum fuit, Patrum mentem ex ipsorum monumentis solerter indagarunt, ac, saltem ubi uniformis fuit, secundum illam, sententiam tulerunt. Sic *Ephesinum*: « *in tali sensu*, inquit, SS. PP. fuisse, comperimus. *Item* » Sequentes itaque SS. Patrum Confessiones, et intentioni eorum aequis vestigiis insistentes, profitemur etc. « *Et Chalcedonense* »: Sequentes igitur SS. PP. docemus etc. *Iterum*: « Haec est Fides Patrum etc. »; utque de ceteris Conciliis nihil memorem, quae in suis Decretis formandis semper ad PP. eorumque effata respexere, *Justinianus* Imp. in Concil. *Constantinop. II.* « *sequimur*, inquit, in omnibus SS. PP. et Doctores S. Dei Ecclesiae, idest Athanasium, Hilarium, Basilium etc. ». Demum ipsimet SS. PP. posteriorum saeculorum in rebus Fidei, et morum soliti sunt anteriorum sententiam ex ipsorum Scriptis sedulo explorare, et libenter sequi; probe memores illius *Sapientis* Oraculi: « Sapientiam omnem antiquorum exquiret Sapiens... narrationem virorum nominatorum conservabit ». Hinc merito sunt explodendi Novatores illi, qui SS illos Doctores superbe fastidiunt, vel impie aspernantur; e quibus *Lutherus*, pro more suo, impudentissime effutire non erubuit: « Non curo mille Augustinos, mille Cyprianos etc. ». Contra SS. PP. etiam calamum effraenem strinxere *Rivetus*, et *Dallaeus Calvinianus*, *L. de usu Patrum*, quem redarguit *Natalis Alexander*. Speciatim *S. Augustin.* petulantissime aggressus est, sub ementito nomine Joannis *Pherepon* latitans, *Leclerc*, 7

quem egregie confutavit, pariter sub assumpto *Lamindi Pritandi* nomine tectus, Cl. *Muratorius L. de ingen. moderat. in negot. Religion.*

8 Deinde singuli e SS. Patribus non habent irrefragabilem auctoritatem in quaestionibus Fidei, et morum dirimendis. 1. Quia nullibi legitur singulis appromissa S. Spiritus assistentia, neque necesse est, ad conservandum Fidei depositum, eam cuivis illorum esse promissam. 2. Quia liquido constat ex Historia Ecclesiastica, quosdam illorum nonnulla docuisse, quae postea fuerunt improbata ab Ecclesia, uti jam saepius diximus de opinione *S. Cypriani*, quoad rebaptizandos Haereticos; idemque patet in quorumdam aliorum opinationibus de Millenario Christi in terris Regno, et differenda Sanctarum animarum beatitudine. 3. Quia ex ipsis SS. Patribus quidam expresse scribunt, nolle sibi irrefragabilem Auctoritatem attribui; Nam, praeter *S. Hieronymum* apud Card. *Gotti*, *S. Augustinus ad Hieronymum*, scribens, « Solis, *inquit*, iis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate, doctrinaque praepolleant, non ideo vero putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi, vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt ». *Et iterum:* « Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit: nam propterea nunc facio libros; in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem ». Addit alibi, omnia Episcoporum, et Doctorum scripta, sola excepta S. Scriptura, posse reprehendi, non tamen temere, et per quemlibet privatum Doctorem; sed « per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, et per aliorum Episcopor. graviorem auctoritatem, doctioremque prudentiam, et per Concilia ».

9 Ex his tria fluunt Corollaria. Primum est, hallucinari Jansenianos, dum unius *S. Augustini* auctoritatem, quem, omnium fere Haereticorum more, a se stare perperam buccinant, ipsius Ecclesiae auctoritati anteferendam praedicant: etenim recte quidem *Vasquez*, ait, *S. Augustinum* in materia de Gratia, et Praedestinatione inter ceteros Ecclesiae PP. non aliter quam Sol, inter minora Sydera praefulgere. Et *Suarez* ejus sententiam semper esse praeferendam, nisi cum major Patrum, aut Ecclesiae auctoritas obstare videtur, quod raro, vel numquam continget. Attamen ejus auctoritas non est irrefragabilis, nisi quoad puncta a CC. et Pontificibus approbata ut vera, quae habentur in Ep. *Caelestini I.* ad Epp. Galliae; unde idem Pontifex ait, se non asserere profundiores partes quaestionum, quas *Augustinus*, et alii pertractarunt, qui Haereticis restiterunt. Merito igitur damnata ab *Alexandro VIII.* fuit haec Propositio: « Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam ».

Alterum Corollarium est, culpandos quoque 10 merito esse Novatores alios, qui ex humili illa *S. Augustini*, et aliorum Patrum, se errori obnoxios esse, candide agnoscentium confessione, ansam arripiunt, quaelibet illorum scripta, vel effata, novis suis erroribus adversantia, temere, et impudenter carpendi, sugillandi, asperuandi. Audiant hi eumdem S. Praesulem, cujus auctoritate, ad hanc ipsam spernendam improbe abutuntur, postquam humiliter dixisset, se in omnibus suis litteris non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desiderare, ita mox disserentem: « verumtamen, sicut lectorem meum nolo mihi esse deditum, ita correctorem nolo sibi. Ille me non amet amplius, quam Catholicam Fidem, iste se non amet amplius, quam Catholicam veritatem. Sicut illi dico: noli meis litteris, quasi Scripturis Canonicis, inservire: sed in illis, et quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede; in istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere: ita illi dico: noli meas litteras ex tua opinione, vel contentione, sed ex Divina lectione, vel inconcussa ratione corrigere ».

Tertium Corollarium est, uti Catholico cuivis 11 omnino recedendum est a sententia unius, vel alterius Patris, quam quidem is innoxie, ac impune docuit, cum nondum ab Ecclesia fuisset aperte saltem reprobata, uti postea fuit; cujusmodi sunt ea, quas paullo ante *num.* 166. retulimus; ita fas esse Theologo Orthodoxo, in quaestionibus nondum ab Ecclesia decisis, a quorumdam opinione discedere, praesertim, quae singularis sit, et ab aliorum Patrum mente aliena. Sic piaculo sibi non ducunt plures dissentiri opinioni, quae tribuitur M. Augustino, de poena parvulorum absque baptismo decedentium; item ab ejusdem expositione libri Geneseos, ubi hujus Mundi creationem uno die absolutam indicat, per ordinem ad diversam cognitionem Angelicam, veluti septempliciter multiplicato.

Interim Viri Catholici, et probi, tres hic me- 12 rito cautiones observant. Prima est, quam suggerit *Facundus Hermaniensis* apud *Petavium*, ut videlicet *errores Patrum* intueantur veluti « luminarium defectus, quae licet nonnumquam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amittant luminaria esse, quod sunt ». Quapropter, etsi quidam in uno, vel altero etiam Fidei puncto, praesertim innocue, decepti fuerint, nil eorum arbitrentur detractum auctoritati in ceteris, uti de *S. Cypriano* ostendit *S. Augustinus*. Altera cautio est. ut ne temere illos, ac nisi magno cum judicio notemus erroris, adeoque ubi privata Patris alicujus opinio apertus error non est, non facile illi aperte, ac rotunde contradicamus, minus pro-

terve contemnamus, vel expiodamus; sed, si quid minus consone dictum videtur, reverenter, ac benigne interpretemur, si quid ambiguum, quod ex aliis eorum sententiis explicari, excusarique possit, excusemus potius, quam illis errorem adscribamus. Quemadmodum enim, ut monet laudatus *Facundus Herman*. calumniantium Haereticorum est, ex dubiis, et obscuris, quae certa, et manifesta sunt male interpretari (ut idem animadvertit in *Nestorianis*, qui Clarissimos Ecclesiae DD. suae parti volentes applicare, et in suam detorquere sententiam, sententias eorum suo Dogmati contrarias ex aliis minus apertis obscurare conabantur) ita prudentiae, et pietatis est Catholicae, ex indubitatis, atque evidentibus et firmare ambigua, et latentia declarare, ac quae dubia videntur in eorum dictis, melius interpretari ex his, quae certa sunt, denique non tam secundum verborum sonos, quam secundum mentis intentionem dicta Majorum judicare. Cautio tertia est, ut sive ab erronea alicujus Patris sententia, sive a singulari aliqua ipsius opinione discedamus, id faciamus modeste, et non sine honorifica praefatione, *salvaque*, ut loquitur *S. Augustinus honorificentia*, quae illis debetur hominibus. Hujus cautelae exemplum nobis hic idem S. D. exhibuit, cum adversus *Donatistas* de opinione *Cypriani* circa rebaptizandos Haereticos disputans, numquam, nisi bonorifice de eo loquitur; nec sine praefatione veniae, non tam eum, quam opinionem ipsam, in quam incautus, ac nesciens impegerat, refellit, et arguit. « Reddens, inquit, debitam reverentiam, dignumque honorem, quantum valeo, persolvens pacifico Episcopo, et glorioso Martyri Cypriano, audeo tamen dicere, eum aliter sensisse de Schismaticis, vel Haereticis baptizandis, quam postea veritas prodidit etc. ». Quamquam vero Patres ipsi, inter se disputantes, interdum paullo acrius se mutuo redarguerent, cujus exemplum nobis praebet longa illa contentio ipsum *S. Augustinum* inter, et *Hieronymum* ad annos fere 14. propagata, observatione tamen dignum est quod notat Baronius « istos Deo dilectos filios pacis, Ecclesiae Magistros eo animo fuisse in altercando, ut inter ipsos verborum ictus verberibus graviores, se mutuo complecterentur, peterentque furtivis osculis caritatis ».

13 Etsi vero auctoritas unius, vel alterius Patris in iis quaestionibus, quae circa Fidem, Moresve versantur, sed nondum ab Ecclesia definitae sunt irrefragabilis non sit: magnum tamen pondus habet, praecipue si non fuerit plane singularis, neque a Patribus aliis communiter fuerit illi contradictum. Fundatur hoc Principium tum in 1. supra stabilito: tum in insigni Doctrina, et sanctitate ejusmodi Doctoris, quae idonea utique est per se loquendo ad conciliandam fidem, et extorquendum assensum propositioni ab ipso assertae. Ceterum illud auctoritatis pondus neque in singulis Patribus est aequale, cum unus alteri, sicut Sanctitate, sic et Doctrina praestet; neque etiam par in singulis, quas pertractant, materiis. Hinc recte observat Illustrissimus *Du Plessis*, eorum, quos Deus in sua Ecclesia posuit, ut Catholicam Doctrinam contra Haereses sui saeculi defenderent, maximam esse auctoritatem circa ea Dogmata, quae propugnanda suscepere: veluti *Athanasii*, *et Hilarii* circa Verbi divinitatem, et cum Patre consubstantialitatem contra *Arianos*; *S. Augustini* circa liberum arbitrium, Gratiam, et alia contra *Manichaeos*, *Pelagianos*, *Donatistas* etc.

Auctoritas plurium SS. Patrum, immo majoris partis illorum, communi consensu aliquid in Quaestionibus Fidei, vel morum adhuc inter Orthodoxos libere controversis, ex instituto asserentium, aliis tamen, etsi paucis reclamantibus, quorum opinio nondum fuit improbata ab Ecclesia, multo gravioris quidem ponderis est, sed nondum plane irrefragabilis. Prima Pars liquet a fortiori ex praecedente principio: Altera ex eo, quod opinio contraria, licet paucorum, quamdiu non reprobatur ab Ecclesia possit remanere probabilis, immo firmioribus rationibus niti; consequenter illa Communior plurium sententia non est omnino certa, saltem ea certitudine, quae ad sphaeram divinae Fidei pertingat, uti patet in iis sententiis, quae adversantur quibusdam opinionibus singularibus *S. Augustini* supra indicatis. 14

Unanimis SS. Patrum consensus in rebus ad Fidem, vel mores pertinentibus, saltem cum aliquam Doctrinam aperte, constenterque proferunt, tamquam communem Ecclesiae Fidem ab Apostolis descendentem, aut contrariam, velut Haereticam impugnant, est authoritatis prorsus irrefragabilis. Hoc Principium jampridem expressit *Vincentius Lyrin* dum, loquens de SS. Patribus, qui diversis licet temporibus, et locis, in unius tamen Ecclesiae Catholicae Communione, ac Fide permanserunt, aut, quidquid non unus, aut duo tantum, sed omnes pariter uno, eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse, dignoscuntur, id nobis absque ulla dubitatione credendum esse. Stabiliit hoc suum Principium in Concilio *Ephesino*, cui, inquit, divinitus placuit, nihil aliud Posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens SS. Patrum tennisset antiquitas. Idem placuit aliis Synodis Œcumenicis, *Chalcedonensi*, Synodo VI. VII. VIII. *Florentinae*, item et *Tridentinae*, quae postrema speciatim cavit, ut nemo in rebus Fidei, et morum, ad aedificationem Doctrinae Christianae pertinentium, contra unanimem consensum Patrum Scripturam S. interpretari audeat. Exemplo praeivere eadem CC. et SS. Pontifices, qui, quoties aliquid circa Fidem occurrebat determinandum, diligenter praecedentium Patrum monumenta scrutari consueverunt; et ubi concordes illos invenerunt, secundum eorum sententiam definitionem protulerunt. 15

Id ipsum ratione Theologica fulcitur, eaque 16

praecipue dupiici. Prima est, quod viri illi Sapientia, ac Saoctitate illustres, qui, diversis iocis, et temporibus viventes, in ejusdem Dogmatis assertionem tam unanimiter omnes consenserunt, illudque tamqnam Dogma Catholicum proposuerunt, non aliud sensisse, prudenter credendi sint, quam qnod ipsa sentiebat, ac credebat Catholica Ecclesia: *quod* enim *invenerunt in Ecclesia*, inquit S. August. *tenuerunt*. Quapropter esto consensus iste non sufficeret ad Fidem ingenerandam *a priori*, super modum causae; sufficit tamen ad minimum *a posteriori*, per modum signi, et argumenti, ex quo coiligimus id, quod omnes PP. veiut Dogma Cathoiicum proponunt, reipsa Doctrinam esse a Christo, vel Apostoiis ejus nomine traditam Ecclesiae.

17 Altera ratio est, qnia credibiie non est, tot tantosque Patres, quos Deus posuit in Ecclesia Doctores, tempore, iocoque adeo dissitos, in unam, eamdemque sententiam circa Fidei, morumque dogmata Fidelibus explananda, uno animo convenire potuisse, nisi Spiritu S. Auctore. Maxime, cum si omnes in ejusmodi dogmate errassent, simul in eodem amplectendo errassent reliqui Fideles, qui juxta *Ephesinum* id crederent, *quod Sacra sibi consentiens SS. Patrum tenuit antiquitas*. Igitur errasset, adhucque erraret universa Cbristi Ecclesia. Quod cum, stantibus Christi promissis, sit adynaton, quid mirum, si ii, qui uniforme SS. Patrum Sententiam in materia dogmatica contempsere, in turpissimos errores, manifestasque haereses prolapsi sint, et pro Haereticis ab Ecclesia reputati? Ut de aliis nil hic commemorem, de *Luthero*, et *Calvino* supra diximus: de *Abailardo* queritur *S. Bernardus*, quod spernat communem Patrum sententiam, et glorietur, se habere meliorem, non veritus contra Praeceptum Sapientis transgredi *terminos antiquos, quos posuerunt Patres nostri*. Eamdem viam ingressus pridem fuerat *Paulus Samosatenus*, teste *Eusebio*; eamdem *Origenes*, de quo *Vinc. Lyrin.* postquam ejus ingenium, et eruditionem extulisset: « *hic* idem, inquit, tantus, ac talis, dum Gratia Dei abutitur, dum ingenio suo nimium tribuit, dum se plus cunctis sapere praesumit, dum Ecclesiasticas Traditiones, et Veterum Magisteria contemnit etc. Nempe, ut Fulbertus Carnotensis pridem adnotavit, dum ejusmodi superbi spiritus noiunt esse discipuli veritatis, fiunt Magistri erroris ». Quamobrem verissime *Augustin.* dixit, eum, qui ab unanimi Patrum consensione discedit, ab universa Ecclesie recedere; ut vel inde patescat, cum idem S. D. Scriptores qnoscumque, exceptis Canonicis, pronuntiat errori obnoxios, ipsum de singulis loqui, non de omnibus in nnum aliquod Fidei dogma uniformi sententia concordantibus: « Hos etenim, ut rursus Vinc. Lyrio. in Ecclesia Dei divinitus per tempora, et ioca dispensatos, quisquis in sensu Catholici Dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum ».

Patrum notitia hauriende praesertim ex aureo 18
Ven. Card. Roberti Bellarmini libello *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, praesertim collato cum P. Phiiippi Labbei Dissertatione Historica. Exstat etiem alius preeciarus P. Caroli Sardagna Liber Ratisbonae editus an. 1772. hoc titulo: « Indiculus Patrum, ac veterum Scriptorum Ecclesiasticorum, qui a primordiis Christianae Religionis, ad tempora usque B. B. Thomae Aquinatis, et Bonaventurae Ecclesiam scripsit suis illustrarunt ». Qui plura voluerit, adeat Possevini *apparatum*, et magnum opus D. Ceillieri Benedectini. Protestantes Caveus, Oudinus, Joannes Albertus Fabricius, praeter Rivetum, et Cocum, in eodem argumento versati sunt; sed parce iegendi sunt, nec nisi ab illis, qui facultatem habeant, et doctrina satis polleant, ne erroribus, quibus horum iibri scatent, misere imbuantur. Du Pinium omisi, ejus enim lectio periculosior fit, quod quum Catholicum se esse credi velit, ex Haereticorum fraudibus, totus compositus sit, Patribus contnmeliosus, totisque Ecclesiae dogmatibus pessime meritus *.

PATRIA POTESTAS

SUMMARIUM

1. Patria potestas rigorose capta quid eil? — 2. Patria potestas radicaliter oritur a Jure naturae corrobarata Lege Divioa. — 3. Quoad modom autem, quo utimur, dicta patria potestas oritur a Jure Civili. — 4. Definitio tradita de patria potestate procedit solem de ipsa rigorosa capta, quae oritur ex vi naturalis, et legitimae generatioois. Unde ipsa solum radicaliter aritur a Jure naturae corroborato Lege Divina Quae antem aritur per adoptionem, vel per quid aliud, origioem habet a Jure Civili. — 5. Ad acquirendam patrium potestatem rigorose captam, requiritur, ut proles procedat ex justis nuptiis. — 6. Patria potestas extenditur ad omnes Filios legitimos, sive fuerint masculi, siva foeminae. — 7. Etiam ad conjugatos, et senes, si adhuc eorum pater, seu Avus vixerit. — 8. Filii, Nepotes, et Pronepotes, quantumvis coojugati, dicuntur Filii familias, et vivunt sub potestate Avi, seu Proavi adhuc viventis. — 9. Pater, Filius Avi, viveote eodem Avo, non habet patriam potestatem in suos Filios, nisi habita. — 10 Decedente autem Avo, Pater acquirit actu patriam potestatem in suos Filios. — 11. Decedeote vero Proava, et remanente Ava, et ejus Filio patre Nepotum, tunc Filii non recidunt actu in patriam potestatem sui patris, sed in potestatem Avi primi descendeotis — 12. Patria potestas, mortua patre, non traosit in Matrem. — 13. Mortuo Filio soluto patria potestatē, ejus Filii non reciduot in potestatem Avi. — 14. Filii nati ex Filio illegitimo, sed ex legitimis nuptiis, ooa transeunt in patriam potestatem Avi, qui oon ex legitimis nuptiis, sed fornicarie genuit huno patrem, sed traoseunt immediate sub potestate patris sui, licet illegitimi — 15. Patria potestas acquiritur non solum per procreationem ex justis nuptiis, sed de

jure communi acquiritur etiam per legitimationem prolis, eut per adoptionem hominis liberi. — 16 Legitimatio prolis fit, vel per subsequens Matrimonium inter parentes ejus legitime contractum, vel per Rescriptum Principis. — 17. Per quale subsequens Matrimonium, et per quale Rescriptum Principis legitimatur proles? — 18. Adoptio quid sit? — 19. Adoptio est duplex, una propria, et perfecte, quae *Adrogatio* dicitur, et alia impropria, et imperfecta, quae *Adoptio simplex, et in specie* vocatur. — 20. Quaenam sit utraque, et in quibus differant? — 21. Per simplicem, seu impropriam, et imperfectam adoptionem adoptans regulariter non acquirit patriam potestatem in adoptatum. — 22. Excipe tamen, nisi Filius legitimus datus fuerit in adoptionem Avo materno Filii, vel etiam si ipse pater legitimus fuerit emancipatus a suo patre, et Filium suum in adoptionem dederit suo patri, et respective Avo sui Filii paterno. — 23. Per adoptionem vero propriam, et perfectam, seu per *Adrogationem* Adrogans patriam potestatem in Adrogatum ecquirit. — 24. Adoptare, seu Adrogare possunt solum Mares, non autem Foeminae, nisi ex speciali concessione Principis. — 25. Adoptantes, seu Adrogantes debent esse majores natu adrogatis, et ipsos decem et octo annis praecedere. — 26. Adoptantes, seu Adrogantes debent esse potentes saltem physice, et naturaliter ad generandum; Unde Castrati adoptare non possunt. — De Jure communi, quamvis non possunt adoptare *Castrati*, possunt tamen *Spadones*. Et qui veniant nomine *Spadonum*, et nomine *Castratorum*? — 28. Sacerdotes, et alii Sacris Ordinibus initiati possunt adoptare. — 29. Adoptantes, seu Adrogantes debent esse sui juris. — 30. Adoptari, seu Adrogari possunt tam masculi, quam Foeminae. — 31. Adoptari possunt solum legitimi, et legitimae. — 32. Adoptari possunt solum inferiores aetate saltem 18. annorum adoptante, seu Adrogante. — 33. Patria potestas quando, et quibus modis amittatur e patribus super Filios; et qualis fuerit penes Romanos, et qualiter tollebatur? — 34. Alia ad rem *ad* n. 39. — 40. Subnect. Addit. ex alien. man. *ad num.* 41.

1 Patria potestas, rigorose capta, est jus radicaliter a natura inditum, et per jura Civilia modificatum, quod habet Pater in Filios, eorumque bona ex vi legitimae generationis; Bosign. *de Patr. potest. c.* 2. *n.* 3. Mising. *Instit. lib.* 1. *tit. de Patria potest. in princip. n.* 1. Sanchez *Opuscul. moral. lib.* 1. *c.* 1. *dub.* 11. et in
2 re alii passim. Unde, ut vides, Patria potestas radicaliter oritur a jure naturae corroborato Lege Divina, ut evincitur ex Aristotele *lib.* 1. *Politicor. cap.* 8. ubi sic habet: « Naturae lege, ac praecepto liberos parentum imperio subesse; quod enim procreavit, et gennit, id ut praesit, ei amicitiae ratio, et senectutis postulat »: et ex quarto Decalogi praecepto *Honora parentes*, quod praeceptum Doctores communiter asserunt esse juris natura-
3 lis corroboratum Lege Divina. Quoad modum vero, quo utimur, dicta Patria potestas oritur a jure Civili, ut evincitur *ex* §. *Jus autem potestatis* 2. *et* §. *Qui igitur* 3. *Inst. de Patria potest. et leg.* « Item 3. *de his, qui sui, vel alieni juris sunt*, ibi: Item in potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex justis nuptiis procreavimus, quod jus proprium Civium Romanorum est ».
4 Dicta autem definitio tradita procedit de Patria potestate, ut fuit dictum, *rigorose* capta, quatenus oritur ex vi naturalis, et legitimae generationis; nam quae oritur, vel per adoptionem, vel per quid aliud, non est proprie talis, sed solum per quamdam accomodationem, nec proprie habet originem a natura, sed solummodo a jure Civili, per quod inducta est adoptio.
5 Unde ad acquirendam Patriam potestatem rigorose captam, prout oritur ex vi naturalis, et legitimae generationis, requiritur, ut proles procedat ex justis nuptiis, nempe ex masculo, et foemina conjunctis per verum, et legitimum Matrimonium, de quibus loquitur textus *Inst. de patria*
6 *potest. in princ.* Hinc Patria potestas extenditur ad omnes Filios legitimos, sive fuerint masculi, sive foeminae, ut colligitur expresse *ex* §. *Qui igitur* 3. *Inst. de patria potest.* ubi fit mentio aeque de masculis, ac de foeminis, ibi: « Nepos tuus, et Neptis aeque in tua sunt potestate, et Pronepos, et Proneptis ». Etiam ad conjugatos, et se- 7
nes, si adhuc eorum Pater, seu Avus vixerit; *cit.* §. *Qui igitur* 3. *Inst. de patria potestate*, ibi: « Qui igitur ex te, et uxore tua nascitur in tua potestate est. Item, qui ex Filio tuo, et Uxore ejus nascitur, idest Nepos tuus, et Neptis aeque in tua sunt potestate, et Pronepos, et Proneptis, et deinceps caeteri: et l. *Nam Civium* 4. *ff. de his, qui sui vel alieni Juris sunt*, ibi: « Nam qui ex me, et Uxore mea nascuntur, in potestate mea sunt. Nam qui ex Filio, et Uxore ejus, idest nepos meus, et neptis aeque in mea sunt potestate ». Filii enim, 8
Nepotes, et Pronepotes, quantumvis Conjugati, dicuntur adhuc Filii familias, et vivunt sub potestate Avi, seu Proavi adhuc viventis, nisi fuerint emancipati, cum Avus, et Proavus habeant patriam potestatem in Nepotes, et Pronepotes descendentes per lineam rectam masculinam, per textum *in cit.* §. *Qui igitur* 3. *Inst. de Patria Potestate, et l. Si Maritus* 7. *Cod eod.* ibi: « Si Maritus tuus licet militans in Patria potestate constitutus Filium ex legitimis suscepit nuptiis, eum in potestate Avi perseverasse non ambigitur ».

* Inopportunum hoc loco non est inquirere tempus, quod requiritur, ut justae dici possint nuptiae, ut patriae potestatis effectus locum habeant. In dubium verti nequit, ad hoc requiri, ut justae fuerint nuptiae eo tempore, quo concepti sunt filii. Unde *Paulus respondit*: « eum, qui, vivente patre et ignorante, de conjunctione filiae conceptus est, licet post mortem avi natus sit, justum filium ei, ex quo conceptus est, esse non videri ». *l.* 11. *ff. de stat. hom.* Nam cum nuptiis non consensisset pater, prout jure Romanorum requirebatur, non erant justae nuptiae eo tempore, quo conceptus est; nec refert, quod cum natus est, fuerint justae

utpote mortuo avo, nam tempus conceptionis inspicitur *.

9 Unde Pater Filius Avi, vivente eodem Avo, non habet patriam potestatem in suos Filios, nisi habitu, per textum in *cit.* §. *Qui igitur* 3. *Inst. de Patria potestate*, et. *cit. l. Maritus* 7. *Cod. eod.* et *cit. l. Nam Civium* 4. *ff. de his*, *qui sui vel alieni Juris sunt*, cum similibus.

10 Decedente autem Avo, Pater acquirit actu patriam potestatem in suos Filios, textu expresso *in l. Nepotes* 5. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*, ibi: « Nepotes ex Filio, mortuo Avo, recidere solent in Filii potestatem, hoc est Patris sui. ».

11 Decedente vero Proavo, et remanente Avo, et ejus Filio Patre Nepotum, tunc Filii non recidunt actu in patriam potestatem sui Patris, sed in potestatem Avi primi descendentis; §. *Permissum est, Institut. de Tutelis, et cit.* §. *Qui igitur* 3. *Instit. de patria potestat.*, *et cit. l. Nepotes* 5. *ff. de his*, *qui sui*, *vel alieni juris sunt*. Et ratio est, quia sicuti, mortuo Proavo, pater ipse remanet in potestate Avi, ita in ejusdem Avi potestate remanere debent Filii, seu Nepotes ex Filio, cum non possit alios in sua potestate habere, qui non est suae potestatis, textu expresso *in l. Sic evenient*, 21. *ff. ad L. Juliam, de Adulteriis*, ibi: « In sua enim potestate non videtur habere, qui non est suae potestatis ».

12 Patris potestas, mortuo Patre, non transit in matrem; evincitur expresse ex textu *in* §. *Caeteri* 3. *Instit. de Haeredum qualitate, et differentia*, ibi: *Quia foeminae in potestate liberos non habent.* * Hujus rei rationem validiorem habes infra sub *n.* 40. novissime adjectam. * *Et ex* §. *Foeminas* 10. *Instit. de adopt.* ibi; *Foeminae quoque adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in sua potestate habent.* Rota recent. *part.* 5. *tom.* 1. *dec.* 329. *n.* 15. et Doctores passim.

13 Mortuo Filio soluto patria potestate, ejus Filii non recidunt in potestatem Avi, quia soluto Patre a Patria potestate sui Patris, etiam ejus Filii intelliguntur soluti ab ipsa, cum non ex alio capite subjiciantur Nepotes patriae potestati Avi, nisi ex quo dictae potestati remanet subjectus eorum Pater, adeoque ipso ab ea soluto, solvuntur et ipsi, nec eo mortuo videntur in eamdem recidere, sed remanent sui juris absolute; *arg. l. Nepotes* 5. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*. Sic Glossa in *d. l. Nepotes verb. in familia;* Sanchez *lib.* 1. *consil. moral. cap.* 1. *dub.* 12. *n.* 4. Joan. Angelus Bossius *de patria potestat. c.* 1. *n.* 84. Rosignol. *de patria potestat. discept.* 4. *c.* 40. *n.* 1. *et* 3.

14 Filii nati ex Filio illegitimo, sed ex legitimis nuptiis, non transeunt in patriam potestatem Avi, qui non ex legitimis nuptiis, sed fornicarie genuit hunc Patrem, sed transeunt immediate sub potestate Patris sui, licet illegitimi: *Communis*. Et ratio est, quia in tantum Filii Filiorum non transeunt in potestatem suorum Patrum, sed Avorum, et ascendentium, in quantum et Patres ipsorum non sunt sui juris, sed sub potestate Patrum suorum, per jura adducta *sup. n.* 7. *et seq.* sed in hypothesi, de qua loquimur, Patres istorum Filiorum, utpote geniti fornicarie, non sunt sub potestate sui Patris fornicarii, ad terminos *Inst. de patr. potest. in princ.* ibi: « In potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex justis nuptiis procreavimus, et cit. §. *Qui igitur* 3. Inst. sub eodem de patria potestate, et cit. leg. *Nam Civium* 4. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*; ergo nec Filii istius transeunt in potestatem Patris illegittimi sui Patris, sed immediate in potestatem sui Patris, quamvis illegitimi, quia quamvis ipse sit illegitimus, legitime tamen eos genuit ex justis nuptiis, quas praecise requirunt supraecitata jura ad inducendam patriam potestatem.

* Acquiritur etiam patria potestas in liberos cum in nostram potestatem recidunt, mortuo eo, cujus potestati eos quaesiveramus, si tamen pater in familia mansit. *l.* 5. *ff. de his, qui sui, vel alieni juri sunt* « Nam si pater filium, ex quo nepos illi est in potestate emancipaverit, et postea eum adoptaverit, mortuo eo, nepos in patris non revertitur potestatem, Nec his nepos in patris revertitur potestatem, quem Avus retinuerit filio dato in adoptionem, quem denuo readoptaverit ». *l.* 41. *ff. de adopt. et emancip.* Nam hic filius, et nepos per emancipationem passus est irrevocabilem deminutionem capitis, quod in familia habebat, et cum postea adoptatus est, factus est quidem filius hujus familiae, sed novus filius, non idem, qui erat ante. Novum jus in familia quaesivit, nec potuit hoc, quod ante habuerat, et per quod liberi ipsius in ejus potestatem recidissent, recuperare, cum fuerit irrevocabiliter amissum per emancipationem *.

Patria potestas acquiritur, non solum per procreationem ex justis nuptiis, seu legitimo Matrimonio, sed de jure communi acquiritur etiam per legitimationem prolis, aut per adoptionem hominis liberi: *Communis* per jura infra adducenda. 15

Legitimatio prolis fit, vel per subsequens Matrimonium inter parentes ejus legitime contractum: *c. Conquestus* 1. *et c. Tanta* 6. *Qui Filii sint legitimi*; *l. Divi Constantini* 5. *l. Nuper* 11. *leg. Cum quis* 18. *C. natural. liber.* cum similibus. Vel per Rescriptum Principis §. *Si quis sane non habens Filios legitimos*, *et* §. *Sit igitur licentia*, *Auth. Quibus modis naturales efficiantur legitimi*, *et Auth. Praeterea*, *et Auth. Item sine, Cod. de naturalib. liber. c. per venerabilem* 13. *Qui Filii sint legitimi*, cum similibus. 16

Per quale autem subsequens Matrimonium, et per quale Rescriptum Principis legitimetur proles? Vide verb. *Filius a n.* 32. *ad* 56. 17

Adoptio quid sit? Vid. verb. *Matrim. quoad Impedimenta art.* 1. *n.* 74. 18

Adoptio est duplex, una propria, et perfecta, quae *Adrogatio* dicitur; et alia impropria, et imperfecta, quae *Adoptio simplex*, *et in specie* vocatur; *l.* 1. *de Adoption.* Quaenam sit utraque? et in 19 20

quibus differant? Vid. verb. *Matrim. quoad Impedimenta art.* 1. *n.* 7. *et seq.*

21 Per simplicem, seu imperfectam, et impropriem adoptionem Adoptans regulariter non acquirit Patriam potestatem in Adoptatum: *Communis* per textnm *in* §. *Sed hodie* 2. *Instit. de Adoptionibus*, ibi: « Sed hodie ex nostra Constit. cum Filius-Familias a Patre naturali extraneae personae in Adoptionem datur, jura Patris naturalis minime dissolvuntur, nec quidquam ad Patrem Adoptivum transit, nec in potestate ejus est ». Et ratio est clara, quia qui remanet sub alterius potestate, non potest transire sub potestate Adoptantis, sed dum fit simplex Adoptatio, Adoptatus remanet adhuc sub potestate ejus, sub quo prius erat, ut patet ex ejus definitione, *et ex* §. *Adoptio.* 1. *et cit.* §. *Sed hodie* 2. *Instit. de Adoptionibus*; *et l. Generalis* 2. *ff. de Adoptionibus*, ergo etc.

22 Excipe tamen, nisi Filius naturalis, et legitimus datus fuerit in adoptionem Avo materno Filii, vel etiam si ipse Pater naturalis, et legitimus fuerit emancipatus a suo Patre, et Filium suum in Adoptionem dederit suo Patri, et respective Avo sui Filii paterno; Tunc enim ipse Avus maternus, et paternus respective ad casus propositos acquirerent in Nepotem patriam potestatem, per textum *in cit.* §. *Sed hodie* 2. *Instit. de Adoptionibus, et l. cum in adoptivis Filii* 10. *Cod. de Adoptionibus*, addite ratione, quod in hoc casu copulantur jura naturalia.

23 Per adoptionem vero propriam, et perfectam, seu per *Adrogationem* Adrogans acquirit Patriam potestatem in Adrogatum: *Communis*, per textum in §. *Adoptio.* 1. *Instit. de Adoptionibus, et l. Generalis* 2. *ff. eod. tit.* Cum enim sic Adrogetus sit sui juris, vel ex eo qnod Ascendentes per lineam masculinam non habeat, vel ex eo quod sit emancipatus, si alia serventur, quae ad legitimam, et propriam Adrogationem requiruntur, certum est, quod transeat in patriam potestatem Adrogantis, per citata jura.

24 Adoptare, seu adrogare possunt soli mares, seu masculi, nam foeminae adoptare non possunt, nisi ex speciali concessione Principis: §. *Foeminae* 10. *Instit. de Adoptionibus*, ibi: « Foeminae quoque adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in sua potestate habent, sed ex indulgentia Principis ad solatium liberorum amissorum adoptare possunt ».

25 Adoptantes, seu Adrogantes, debent esse majores natu adrogatis, et ipsos decem, et octo annis praecedere, textu expresso in §. *Minorem* 4. *Instit. de Adoptionibus*, ibi: « Minorem natu, majorem non posse adoptare, placet; Adoptio enim naturam imitatur, et pro monstro est, ut major sit Filius, quam Pater; debet itaque is, qui sibi Filium per Adoptionem, vel Adrogationem facit, plena pubertate, idest decem, et octo annis praecedere ».

26 Adoptantes, seu Adrogantes debent esse potentes saltem physice, et naturaliter ad generandum; Unde Castrati adoptare non possunt §. *Sed, et illud* 9. *Instit. de adoptionibus*, ibi: « Sed et illud utriusque adoptionis commune est, quod et ii, qui generare non possunt, (quales sunt Spadones) adoptare possunt, Castrati autem non possunt ».
27 Ubi, ut vides, Textus dicit, quod Spadones possunt adrogare, non autem Castrati; Nomine autem *Spadonum*, ut notat Glossa *ibid. in verb. Spadones*, veniunt ii, quibus testiculi, vel genitalia abscissa sunt cultello, vel spatha: nomine vero *Castratorum* veniunt ii, qui sic nati sunt, et ab origine sunt inepti ad generationem; Ratio autem cur possint adoptare Spadones, non autem Castrati, ea est, quam adducit Glossa *ib* quia scilicet naturae fortius est impedimentum, quam accidentium, per textum in *l. Sed est quaesitum*, §. 1. *et* 2. *ff. de liber. et posth.* Et sic tenent Mysingerius in *d.* §. *Sed et illud*, 9. *Instit. de Adoptionibus*, Piccardus *in d.* §. *Minorem* 4. *eod. tit.* Rosignol. *de Patria potest. disceptat.* 2. *cap.* 1. *num.* 10. et alii. Vulgo tamen Castrati, Spadones, et Eunuchi pro sinonymis solent accipi. Advertendum autem est, quod Sacri Canones Castrationem voluntariam expresse vetant, et sic Castratos irregulares declarant. *cap. Si quis* 4. *cap. Hi qui* 5. *cap. Qui partem* 6. *cap. Si Evangelica* 13. *dist.* 55. *cap.* 1. *de Cleric. pugnant. in duell. cap. ult. de homicid. in* 6. *Clem. unic. eod. tit.* cum similibus. Rationes autem quare Sacri Canones castrationem detestentur, enumerat Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 66. et Ursaya *Inst. crim. lib.* 2. *tit.* 5. *a num.* 162. I. Scilicet, quia pomorum amoris abscissio magno vite periculo peragitur. II quia vigor etiam mentis interit, et malignitas quaedam, pusillitasque accedit, ipsaque corpora deteriora fiunt, qnod in belluis experientia manifestum est; et III. quia voluptatum voluntas nullatenus exscinditur, sed potius incrementum accipit, praecipue ex parte mulierum, ob remotionem periculorum gravidationis, juxta lepidum dictum Anton. Abbat, *nelle Frascher. fol.* 198. ibi: et apud Ursayam *loc. cit. nu.* 165. Vide ipsum *ibi*, ubi *n.* 223. *et* 224. aliqua refert lepida carmina.

28 Sacerdotes, et alii Sacris Ordinibus initiati possunt adoptare, quia isti non a natura, seu physice, sed per accidens, et moraliter tantum inhabiles sunt ad generandum: Abbas in *cap. si qui* 1. *de cognatione legali nu.* 4. Hostiens. *ibidem.* nu. 4. Rosign. *loc. cit. num.* 11. et alii.

29 Adoptantes, seu Adrogantes debent esse sui juris, et majores 25. annis, quia alias nondum habent administrationem suorum bonorum. Quae omnia, et alia habentur *tot. titul, ff. et Cod. de adoptionibus, et Institut. eodem.*

30 Adoptari, seu adrogari possunt tam masculi, quam feminae, textu expresso in §. *Adoption.* 1. *Institut. de Adoptionib.* ibi: *Qualis est Filius, Filia, Nepos, Neptis, Pronepos, Proneptis.*

31 Adoptari possunt solum legitimi, et legitimae; spurii enim, et etiam solum naturales excluduntur; *L. Legem 7. vers. In posterum, Cod. de naturalibus liberis, §. Oportet enim semper, Authent. Quibus modis natural. efficiant. sui.* Sic Joann. Angelus Bossius *de Patria potest. cap. 1. n. 59.* Ascanius Clemens *de Patria potest. cap. 1. nu. 7.* Decius *consil.* 288. et alii.

32 Adoptari possunt solum inferiores aetate, saltem 18. annorum Adoptante, vel Adrogante, textu expresso in *§. Minorem 4 Inst. de adoptionibus* per verba adducta *n.* 25.

33 Patria potestas quando, et quibus modis amittatur a patribus super Filios: Vide verb. *Filius a n. 121. ad* 128. Hic autem ad uberiorem notitiam insuper accipe, quod patria potestas tanta erat apud Cives Roman. quod lex XII. Tab. sic praecipiebat: *In liberos suprema Patrum auctoritas esto: Venundare. occidere liceto.* A Patris autem potestate liber efficiebatur, ac sui juris, Paterque familias Filius constituebatur post triplicem venditionem mox declarandam; Leg. cit *Si Pater filium ter venunduit, Filius a Patre liber esto* Hinc praehabendum, emancipationem in jure Romano esse actum, quo Pater e manu, seu mancipio, idest ex potestate, et dominio Filium etiam impuberem, et Tutore indigentem dimittebat: Purcb. *part.* 2. *Ethicae cap.* 19. *ad Tit.* 9. *de Patria potestat.* ubi etiam tradit apud Gal. emancipationem esse actum, quo minor 25. annis, altero, vel utroque parente orbatus, ex consanguineorum consilio, auctoritate Principis judicibus cognita tutoris potestate dimittitur, ut suorum bonorum usumfructum habeat sub curatoris auctoritate, donec completo anno 25. plenum habeat rerum suarum dominium.

Liberorum igitur emancipationes veteri jure Romano fiebant per tres imaginarias venditiones, et totidem manumissiones (est autem manumissio idem, ac de manu missio, sive datio libertatis, ut rigorose loquendo est respectu servorum, de quibus in verb. *Servitus*). Pater itaque naturalis adibat Praetorem cum aliquo sibi amico, cui maxime fidebat, ac idcirco Pater fiduciarius appellatur. Huic vendebat, seu mancipabat Filium sic: Pater fiduciarius coram Praetore, et quinque testibus, ac Libripende, sic vocato, quod libram, seu stateram ferret, Patri naturali dabat in simulitudinem pretii unum, vel duos nummos, quos ferebat Libripens, sicque Filius in illius transibat potestatem; illico tamen eum manumettebat, ac iterato in Patris naturalis potestatem recidens, rursus ab eo mancipabatur, et a Patre fiduciario manu mittebatur ut supra bis, et tertio; quibus expletis, Filius a patria potestate dimittebatur.

His successit 1. Emancipatio Anastasiana, quae fiebat ex rescripto Principis, ut constituerat Imperat. Anastasius *l.* 1. *Cod. de emancipationibus.* 2. Justinianaea quae fiebat coram Magistratu, prout statuit Justinianus *l.* 6. *Cod. eod. tit.* Item patria potestas jure Rom. solvebatur per summam Filii dignitatem, aut patris, et filii mortem civilem. Haec autem erat capitis diminutio, idest status prioris mutatio, quaeque triplex distinguitur, nempe minima, media, et maxima; 1. est tantum Familiae mutatio, salva Civitate, et libertate, ut in adoptivis, qui in aliam transibant Familiam; 2. est amissio Civitatis, et consequenter Familiae, retenta tamen libertate, ut iis accidebat, quibus aqua, et ignis interdicebatur, sive qui, ut postea mos obtinuit, ob maleficium in insulam deportabantur; quae poena major erat Relegatione: deportati namque Civitatem amittebant, et Peregrini fiebant, retentis dumtaxat iis, quae de jure Gentium. Relegati vero cives Romani persistebant, juribus Rom. gaudebant, videlicet testamenti factione, jure connubii, patriae potestatis etc. 3. est amissio libertatis Civitatis, et Familiae, ut eveniebat iis, qui majores 20. annis ad pretium participandum venumdari patiebantur, vel qui servi poenae efficiebantur, idest qui ob maleficia ad metallum e fodinis eruendum damnabantur, aut bestiis subjiciebantur. Media, et maxima capitis diminutione solvebatur patria potestas, non tamen minima, ut nec etiam solvebatur, sed solum suspendebatur per captivitatem Patris propter jus postliminii, quo scilicet fingebatur Patrem numquam abfuisse, postliminio autem reversus dicebatur, qui ab hostibus captus ad Patriam remeabat: Praelaud. Purcb. *loc. cit.*

Patria potestas neque Divino, neque naturali, aut Gentium jure inducta est, sed Legibus Romanorum: Benedict. XIV. tom. 2. Constitut. incip. *Postremo mense* §. 9. Ea ab Imperatore Antonino ad omnes Imperii Romani subditos ampliata est, et consequenter ad Judaeorum nationem: Idem *ibi.* Et amittitur a parentibus, si liberos exponant, et abjiciant: Idem *ibid.* Patria potestas residet apud Patrem, non vero apud Matrem: Idem *ib.* §. 15. Ut tamen infidelium filius licite baptizetur, sufficit, quod a Matre ad Baptismum offeratur, etiam dissentiente Patre: Idem *ib* §. 16. Patria potestas non officit, quin baptizetur filius adultus, sive adolescens, qui sponte Baptismum petit: Id. *ib.* §. 36.

34
35
36
37
38
39

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

40 Jam in additionibus ad verbum *Mater* dictum est, quod, inspecto jure naturae, potestas in filios aeque Matri, ac Patri competit. Jure vero Romano competit solummodo Patri, et quidem in immensum.

* Rationem affert Gajus, ob quam jus patriae potestatis solis masculis competat. *Nam foeminarum liberos in familia earum non esse palam est:* (adeoque nec in potestate; in eos enim solos patriam acquirimus potestatem, qui in familia nostra nascuntur, aut per adoptionem nasci intelliguntur) *quia qui nascuntur, patris, non matris familiam sequuntur.* Ita Cajus in *l.* 196. §. 1. *ff. de verb. signif.* Quod si ex injusta conjunctione nascun-

tur in nullius familia sunt, sed sunt suae familiae caput *.

41 Num autem hodiernis moribus effectus omnes patriae potestatis secundum jus Romanum obtineant, non inutilis est disquisitio. Confer tamen Stryk. *de usu modern. Pandect. lib.* 1. *tit.* 6. *per tot.* qui rem pro dignitate tractat, confutatis *Groenvegg. Gudelin. Bugnyon*, aliisque tenentibus omnes patriae potestatis effectus hodie cessasse.

* Diximus supra olim consuevisse jus patriae potestatis acquiri in uxores, nurus, et pronurus, quam ob rem non abs re erit, hic breviter indicare modos, quibus haec patria potestas acquirebatur. Acquirebat nempe vir jura patriae potestatis tribus modis; scilicet Farre, seu confarreatione, Coemptione, et usu. De coemptione, et usu testem habemus *Ciceronem in Oratione pro Flacco cap.* 24. Et ut a confarreatione incipiamus, Ulpianus inquit *in fragm. tit.* 9. « Farre convenitur in manum certis verbis, et testibus decem praesentibus, et solemni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibitus ». Hic confarreatione ritus antiquissimus fuit, et diu viguit, sed sensim exolevit, et jam Tiberii tempore raro frequentabatur: Tacit. *Annal. lib.* 4. *cap.* 16.

Diutius viguit coemptio, quae sine ullo sacrificio adhibitis verbis solemnibus, nec non aere, et libra fiebat: Scilicet per mancipationem. Pater enim filiam suam viro mancipabat, de qua mancipatione alibi. Mulier viceversa sibi virum, virique Lares coemebat, qua de causa « Asses tres ad maritum veniens solebat afferre, atque unum, quem in manu tenebat, marito dare, alterum quem in pede habebat, in foco Larium familiarum ponere, tertium, quem in sacciperio condiderat, in compito vicinali resonare », seu potius resignare: Ita *Nonius de propriet. serm. lib.* 12. *cap.* 50. Saccipérium erat crumena quaedam, in qua reponebatur argentum. Quid autem *compitum vicinale*? Heineccius antiquit. Rom. *lib.* 1. *tit.* 10. arbitratur, fuisse maceriam horti, in quo sponsa domum deducenda aliquamdiu commorabatur: ita ut tertio illo nummo quasi aditum sibi in domum mariti patefaceret.

Denique usu in manum mariti mulier deveniebat, quae cum sine confarreatione, et coemptione nupsisset, postea a viro usucapiebatur, nimirum si tutore auctore, (nam veteri jure mulieres in perpetua tutela erant, nec poterant nubere, nisi tutore auctore, ut infra) cum viro annum unum confecerat, nec ante finem anni usurpatum iverat, id est tribus noctibus a viro non abfuerat; haec enim absentia videbatur usurpatio, idest interruptio usus, ec possessionis mariti. De hac re fusius Gell. *noct. attic. lib.* 3. *cap.* 2. Sicut in uxores nostras, sic et in nurus, pronurusque cum his modis in manum liberorum, quos in potestate habemus conveniunt, jus patriae potestatis acquirimus. Sed haec attigisse sufficiat, cum haec veteri tantum jure obtinerent, et postea paulatim exoleverint: nam jure Justinianeo nulla amplius uxor est in potestate mariti *.

ARTICULUS II.

DE EFFECTU PATRIAE POTESTATIS.

Expenditur ex jure Romano Patria Potestas in liberos, eorumque bona, item Potestas maritalis.

1 Patria potestas Romanorum in liberos tanta jure antiquo erat, quanta dominorum in servos, liberique, respectu parentum non personae habebantur, sed res, quarum dominium ex jure Quiritium parentes habebant. Hinc parentes eos directa actione in rem petere poterant, adjecta tamen hac causa ex jure Romano, ut videndum infra de rei vendicatione. Hujus potestatis duo sunt praecipui effectus, primus, ut pater de persona liberorum suorum posset tamquam de re sua ad arbitrium disponere, alter, ut quidquid liberi acquirerent, patri tamquam ex re sua profectum acquireretur.

2 Quoad primum ex ipsius Romuli instituto pater potest jure suae potestatis liberos in carcerem conjicere, flagris caedere, vinctos ad opus rusticum detinere, occidere, quin etiam eos vendere. Valerius Maximus ad hanc rem *lib.* 5. *cap.* 8. Cassii exemplum refert, qui judicio domestico filium verberari, ac necari jussit; item Fulvii, qui filium in Castra Catilinae euntem necari imperavit. Similiter Quintilianus declamat. 3. Fabii Eburni mentionem facit, qui filium impudicum, cognita causa, domi necavit. Hujus juris mentio est in lege XII. tabularum *tabula* 4. *c.* 2. *Endo liberis jus vitae, necis, venumdandique potestas esto.* Videndus de hac re Dionys. Halicarnas. *lib.* 2. *cap.* 4. qui fuse hoc idem describit, et insuper addit discrimina, quae intercedebant inter patriam potestatem, quae exercebatur a Romanis, et eam, quae apud caeteras gentes in usu erat. Non eo tamen porrigebatur hoc jus venumdandi liberos, quod habebat pater, ut eos venumdando, posset in servilem conditionem detrudere, verum salvis ingenuitatis, civilisque libertatis juribus, ei cui venundati erant, servire tenebantur. Hinc Costantinus: « Libertati a Majoribus tantum impensum est, ut patribus, quibus jus vitae in liberis, necisque potestas olim erat

permissa, libertatem eripere non liceret » : *l.* 10. *Cod. de patr. potest.* Ab hoc jure Numa eos liberos exceperat, qui, volente patre, uxores duxissent, ut refert idem *Dionys Halicar. loc. cit.*

3 Sed paulatim hoc jus venumdandi filios exolevit, nec, praeter quam in casu extremae necessitatis, parentibus servatum est. Et quidem « qui contemplatione extremae necessitatis, aut alimentorum gratia filios suos vendiderint, statui ingenuitatis eorum non praejudicant: homo enim liber nullo pretio aestimatur. Iidem nec pignori ab his aut fiduciae dari possunt, ex quo facto sciens creditor deportatur: operae tamen eorum locari possunt ». *Paul. recept. sentent. lib.* 5. *tit.* 1. §. 1. Extra hunc casum necessitatis « liberos a parentibus neque venditionis, neque donationis titulo, neque pignoris jure, aut alio quolibet modo, nec sub praetextu ignorantiae accipientis in alium transferri posse manifestissimi juris est » *l.* 1. *Cod. de patr. qui fil. suos.* Etiam in casu necessitatis Constantinus recens natorum dumtaxat venditionem permittit. Ita ille. « Si quis propter nimiam paupertatem egestatemque, victus causa filium, filiamve sanguinolentos (idest recens natos adhuc a matre rubentes) vendiderit, venditionem in hoc tantummodo casu valente, emptor obtinendi ejus servitii habeat facultatem: liceat autem ipsi, qui vendidit, vel qui alienatus est, aut cuilibet alii ad ingenuitatem eum propriam repetere, modo si aut pretium offerat, quod potest valere, aut mancipium pro ejusmodi praestet. » *l.* 2. *Cod. eod tit.*

4 Modum etiam accepit jus, quod pater habebat occidendi liberos, et quidquid in eos saeviendi. Nam « Divus Hadrianus fertur, eum in venatione filium suum quidam necaverat, qui novercam adulterabat, in insulam eum deportasse, quod latronis magis, quam patris jure eum interfecit. Nam patria potestas in pietate debet non atrocitate consistere»: *l.* 5. *ff. ad legem Pompei.* Ante Hadrianum «Divus Trajanus filium, quem male contra pietatem pater adficiebat, coegit emancipare »: *l. fin. ff. si a parente quis manumiss.* Deinde parentibus relicta est modica dumtaxat castigatio liberorum. Si quid autem gravius commiserint, quod majori animadversione dignum esset, debet Magistratus adiri, qui circa poenam irrogandam obtemperabit, ut statuit Alexander *in l.* 3. *Cod. de patria potest. et l.* 2. *ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* Constantinus denique parricidii poena puniri voluit, qui aliquem ex liberis occidisset: *l. unic. Cod. de his, qui parent. vel lib. occid.*

5 Alter effectus patriae potestatis est, ut quidquid filius acquirit, non sibi, sed ei, in cujus potestate est, acquirat. Ab eo jure sub imperatoribus exceptum est peculium castrense, idest quidquid occasione militiae liberi acquisivissent. Postea ad instar peculii Castrensis factum est quidquid ex professione liberalium studiorum, et quidquid in Ecclesiae militia acquisivissent, quod peculium dictum est quasi castrense. De utroque peculio alibi fusius actum est.

Aliam peculii speciem introduxit Constantinus: 6 voluit, enim, ut bonorum maternorum, quae filio obvenirent, proprietas penes ipsum esset, usufructu tantum in his bonis patri servato: *l.* 1. *Cod. de Bon. Matern.* Gratianus autem, Valentinianus, et Theodosius jus illud porrexerunt ad bona omnium cognatorum materni generis: *l.* 6. *Cod. Theod. de bon. matern.* Idem jus postea ad lucra nuptialia, et sponsalitia porrectum est *legib.* 1. 4. 5. *Cod. de bon. quae liberis.* Denique Justinianus hoc porrexit ad omnia, quae liberi aliunde, quam ex re patris acquirerent: *l.* 6. *eod. tit.* Hoc peculium dictum est *adventitium*, et valde differt a castrensi, nam praeterquam quod ususfructus in eo est patri servatus, liberi de eo testari non possunt, sicut possunt de Castrensi, ut infra notabimus *de testamentis*, ubi expendendae erunt personae, quae testamentum facere possunt, et bona, de quibus quis testari potest. Praeterea cum pater emanciparet liberos, tertiem olim hujus peculii adventitii partem retinebat. Ex constitutione autem Justiniani dimidiam solum ususfructus retinet partem *d. l.* 6. §. 3. *Cod. de bon. quae liber.*

Diximus, patrem usum fructum habere bonorum 7 adventitiorum: Hoc ita intelligendum est, nisi fuerit donatum quid sub ea lege, ne pater usumfructum haberet; quin immo ne administrationem quidem rerum sic donatarum pater habebit, si filius minor sit, sed is administrabit, quem donator designaverit, aut, si neminem designavit, is, quem Praetor dederit curatorem: Novell. 117. cap. 1. Ex his liquet jus antiquum patri servatum esse in his dumtaxat, quae ab ipso patre ad liberos proficiscuntur, quod peculium profectitium dicitur.

Quae de potestate patris in liberos diximus, ea- 8 dem de potestate mariti, quamdiu haec potestas in usu fuit, dicenda sunt. Sicut enim parentibus in liberos, ita maritis jus vitae, et necis in uxores, quae in manum ipsarum convenerant, competebat: judicio domestico de facinoribus earum una cum ejus propinquis cognoscebant, ut discimus ex Dion. Halicar. lib. 11. cap. 4. Hujus juris vestigium aliquod videre est apud *Tacit. Annal. lib* 13. *cap* 32. ubi refertur quaedam Pomponia superstitionis externae rea Plautii mariti sui judicio permissa. Isque prisco instituto propinquis coram de capite, famaque conjugis cognovit, et insontem nuntiavit. Item quidquid habebant illae uxores, et bona earum quaelibet, acquirebantur viro dotis nomine etc. *in Topic. lib.* 4. Et haec est origo dominii dotis, quod marito competit. Viceversa uxor fiebat marito haeres sua, quasi loco filiae. Haec tamen omnia immutata sunt a juribus praecipue municipalibus, quae cum varia sint ut plurimum, ita ea omittimus. In hoc omnes conveniunt, circa nempe dotes, et lucra dotalia in genere; cum in specie in hoc etiam varia sint pro varietate locorum *.

PATRIARCHA

SUMMARIUM

1. Quid Patriarchae nomen; ad n. 2. — 3. De numero Patriarcharum in Ecclesia Christi, et quid amplius notandum ad rem, ad n. 7. — Vide insuper Additiones Casinenses v. *Indulgentia* Tom. 4. pag. 384.

1 Patriarcha non dicitur is, qui sit *πατρίας ἔξαρχος*, idest rector dioecesis, quod Salmasio visum est: nec etiam *ἐπαρχία*, nec *πατρία* Patriarchis nomen fecit, sed *πατρία*, hoc est, tribus, et familia. Quis enim nesciat in sacris litteris eos, qui cujusque, aut tribus, aut familiae Principes erant, et quos Hebraei lingua sua *primos Patres* appellabant, a Graecis interpretibus *πατριάρχας*, fuisse, et *ἀρχιπατριώτας* nuncupatos? id sane ex veterum documentis compertum est, Unde 1. Paralip. c. 9. legere est: *οἱ ἄρχοντες πατριῶν πατριάρχαι*.

2 Primum igitur nomen illud datum est iis, a quibus populus Dei et propagatus est, et in lege tum naturali, tum Mosaica eruditus, deinde dum Christiana res adolesceret, Judaicae sectae Principibus: erant enim post Templi excidium, et Alexandriae, si Vopisco credimus, et Tiberiade, ut Auctores sunt Origenes apud Hieronymum, et Epiphanius, Judaeorum Patriarchae, quorum haec jura fuisse memoriae proditum est: a Judaeis ubi ubi essent, aurum coronatum per Apostolos exigere; Primates imponere Provinciis; de litibus inter Judaeos ortis cognoscere, eamque dignitatem haereditario jure transmittere ad posteros. Hi duo Patriarchae, sed Alexandrinus potissimum, *Spectabiles*, *Clarissimi*, *et Illustres* ab Imperatoribus interdum vocitati: donec anno Christi circiter CCCC. et a Theodosio Juniore in Oriente, et in Occidente ab Honorio potestas omnis sublata illis est, collectumque ab Apostolis vectigal Imperatoris aerario addictum.

3 Ab illis Judaeorum tum antiquis, tum recentioribus Patriarchis in Ecclesiam vox illa *Patriarchae* deducta est; et ad illorum exemplum *Patriarchae* dicti sunt Principes Episcopi, earum in primis sedium, ex quibus ad caeteras Christiana Religio propagata est, ut Romanae, ut Antiochenae, ut Alexandrinae, quoniam inter Ecclesias olim, cur una alteri, aut praeesset, aut subesset, haec maxima ratio fuit. Summa enim religione servatum est, ut quae ab aliis prima Fidei semina susceperant, hac illarum ductu regerentur, has illae tanquam a se institutas suo sibi jure vindicarent. Hinc Primatum, et Patriarcharum edita distinctio: inde Alexandrinus toti Ægypto praefuit, inde Antiochenus Orienti, et Occidenti universo Romanus.

4 Hisce tribus Patriarchis duo aliquanto post Hierosolymitanus, et Constantinopolitanus additi; illi tres Palaestinae attributae, huic tres Dioeceses, Pontica, Asiana, et Thracica: ut quemadmodum corpus humanum quinque sensuum organis; ita Ecclesia quinque Patriarcharum auctoritate, et nutu regeretur: iis tamen nec idem honor habitus est, nec idem jus fuit, ut Patriarchae dicerentur: *Desideratis nosse*, inquit Nicolaus I. *quot sint veraciter Patriarchae: veraciter sunt illi Patriarchae, qui sedes Apostolicas per Successiones Pontificum obtinent..... Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam.... Constantinopolitanus autem, et Hierosolymitanus Antistites, licet dicantur Patriarchae, non tantae tamen authoritatis, quantae superiores existunt.*

5 Duo illic, nisi fallor sum, requirit, ut quis, et dicatur, et sit verus Patriarcha: unum, ut illius Sedes ab Apostolis, vel eorum discipulis institutа sit; alterum, ut ipse, vel uni praesit dioecesi, vel pluribus. Primum defuit Constantinopolitano Praesuli, Hierosolymitano alterum. Integram obtinuit dioecesim Patriarcha, tum Alexandrinus, tum Antiochenus: ille Ægyptum, hic Orientem; partem unius tantum Hierosolymitanus; multas simul et Constantinopolitanus, et Romanus, qui eo longè praestat ceteris, quod regat et plures dioeceses, ut Patriarcha, et universam Ecclesiam ut Summus Pontifex. Unde in Chalcedonensi Synodo Sancto Leoni acclamatum, *Leoni Patriarchae.* Licet ii quinque saepe vocarentur *Patriarchae*, usus tamen obtinuit apud Graecos, posterioribus potissimum saeculis, si Balsamoni credimus, ut Pontifex Romanus saepius diceretur *Papa*; Constantipolitanus, *Patriarcha Oecumenicus;* Antiochenus, *Patriarcha;* Alexandrinus *Archiepiscopus.* Horum quinque Patriarcharum historiam qui nosse cupiat, praeter *Orientem Christianum* P. Le Quien, adeat Bollandianorum opus, in quo Papebrochius Hierosolymitanorum, Sollerius Alexandrinorum, Boschius Antiochenorum, Cuperus Constantinopolitanorum Patriarcharum historiam Chronologicam dedit. Neque omisero, historiam Alexandrinorum Patriarcharum a Renaudotio quoque editam fuisse.

6 Non ita tamen peculiare fuit harum quinque Sedium Episcopis *Patriarchae* nomen, quin aliis etiam interdum, sive Primatibus, sive Metropolitanis, tum apud Graecos, tum apud Latinos delatum sit; eaque notione, et a Socrate, et a Justiniano in novellis usurpatur: quorum ille dioeceses Ponticam, Asianam, Tracicam, *πατριαρχίας*;

hic vero illorum Primates *πατριάρχας ἑκάστης διοικήσεως* appellat, qui alludit, opinor, ad decretum illud Chalcedonensis Synodi, quo jubentur *πατριάρχαι ἑκάστης διοικήσεως* unum, aut alterum sibi Episcopum ex sua quisque dioecesi ad componendam fidei formulam adsciscere. Idem de Armeniorum Patriarchis dictum est, qui tamen, more apud aliquot Graecorum ecclesias recepto, *Catholici* vocari solent. Non eodem tamen illi jure, quo alli quinque, *Patriarchae* dicti sunt; quod Justinianus ipse tum ubique passim nos docet, tum maxime Novella 123. *cap.* 3. *Jubemus*, inquit *ut Archiepiscopi, et Patriarchae, hoc est, senioris Romae, et Constantinopolis, et Alexandriae, et Theopolis, et Hierosolymorum, in ordinatione sua ea solum praebeant, quae praeberi mos est.* Illi etiam Gregorius Magnus consensisse videtur, dum de electione sua, ut moris erat, ad quatuor scribit *Patriarchas*, praeterea nemini.

7 Apud Latinos *Patriarchae* nomen diu Romani Episcopi proprium fuit; nobilium tandem Civitatum Metropolitani, quod tandem quam apud Graecos, et rarius, et serius factum est, *Patriarchae* appellati sunt, ut Nicetius Lugdunensis a Gregorio Turonensi, ut Honoratus Mediolanensis, et Paulinus Aquilejensis a Paulo Diacono, ut Rodulphus Bituricensis a Nicolao I. Suppressus tamen fuit a. 1755. a Benedicto XIV. Patriarchatus Aquilejensis, in duosque Archiepiscopatus dissectus, alterum Utini, quae Forojulii Veneti princeps Urbs est, alterum Goritiae in Caesarea ditione constitutum. Erepta tamen jam ab anno 1450. fuerat Patriarchae Aquilejensi Gradensis Ecclesia, Patriarchatus et ipsa nomine olim donata, atque a Nicolao V. Veneto Episcopo cum Patriarchae titulo adtributa. Novus quoque hoc Saeculo Patriarchatus in Occidente emersit, Ulyssiponensi Sede in Patriarchalem erecta. Cur vero nomen istud in Occidente aliis, quam Romano Praesuli datum sit; duplex potissimum causa perhibetur: una, quod vim eamdem huic voci subesse, quae *Archiepiscopi* vocabulo, crederetur; altera, quod Isidorus in Decretalibus fictitiis Pontificum epistolis, *Patriarcham*, et *Primatem* confundere visus sit, dum jubet, ut, qui pluribus praeest Provinciis, is vel *Primas*, vel *Patriarcha* appelletur. Eo tamen nomine illis Metropolitanis nihil aut potestatis, aut juris collatum est; quare non eadem eorum dignitas erat, quae Graecorum quatuor, de quibus supra diximus: hi enim Romano Pontifici suberant tantum ut Papae; illi vero ut et Papae, et Patriarchae.

PATRICIUS

De dignitate, et muniis Patriciatus pro temporum diversitate.

1 Patriciatus alia aliis temporibus et ratio fuit, et dignitas: cujus triplicem, vel gradum, vel aetatem assignare licet. Prima a Romulo ad Augustum pertinet: altera ab Augusto Ad Constantinum: tertia a Costantino ad octavi saeculi finem. De prima agunt, qui de Romanorum antiquitatibus agunt, ut Cantelius de *Romana Republica lib.* III: de secunda, et tertia hic disserendum.

2 Augustus Caesar jam senex, primum mensibus singulis Senatores adscivit quindecim, quorum consilio in regenda publica re uteretur: deinde viginti, qui annui essent, a Senatu petiit, ea conditione, ut quae cum illis, cum Consulibus, cum Tiberio, nepotibus, aliisque pro arbitrio evocandis, statuisset, ea proinde rata forent, ac si ab Universo Senatu essent decreta. Ii, quod, et una cum Principe de causis tum publicis, tum privatis cognoscerent, et soli in Senatu dicerent sententiam, aliter ab aliis nuncupati sunt, *Summi Senatores, Comites Consistoriani, Patricii*, quos Adrianus apud se habitare jussit; et Alexander Severus ad quinquaginta adhibuit in consilio, ut eorum sententiis Senatus consulta fierent.

3 Ex his cuivis intelligere est, non institutam a Constantino *Patriciorum* dignitatem, quod Zosimo visum est, sed multis auctam honoribus, ita ut post Caesares, vel ante Praefectos Praetorio loci praerogativa iis data sit: nulla tamen illis praecipua potestas permissa est, nullaque attributa jurisdictio; nisi quis forte ad regendas Provincias mitteretur. Sed hic omnibus est a Principe habitus honor, ut si bellum hostibus inferendum, si sanciendum foedus, si quid, quod ad publicam Imperii rem spectaret, gerendum esset; quae eorum mens, quid darent Consilii, diligenter exquireret: tantique fuit *Patricium* esse, ut non a Romanis solum ea dignitas, sed ab exteris etiam Principibus fuerit vehementer appetita. Ita Theodorico Gothorum Regi datam legimus a Zenone, a quo edictum illud perhibetur, ne quis deinceps legeretur in *Patricium*, nisi qui prius Consul fuisset, aut Magister Militum, aut Praefectus, sive Praetorio, sive Urbi.

Patriciis, aut Justiniani tempore, aut aliquanto post, et pauperum, et Ecclesiae tuendae cura 4
demandata est, quod nos docet ea, quam refert Paulus Diaconus, creandi Patricii formula. Ubi enim dignitatis illius candidatus Imperatoris pedes, genu, osque ipsum erat deosculatus, ipsum

tamquam adjutorem regendi Imperii eo nomine adscisci moris erat, ut Ecclesiis, et pauperibus leges diceret, tum *mantum*, ut vocant, injectum humeris ab Imperatore, in dextro indice insertus annulus, datum scriptum bombycinum, aureusque circulus impositus capiti: tum haec verba profatus Imperator, *Esto Patricius misericors, et justus*, illum dimittebat.

5 Est tamen cur quis, nec immerito dubitet, an ista formula adversus *Patricios* omnes usurpata sit, an in iis tantum, quibus una cum Patriciatu data provinciae regendae potestas est. Usus enim diu fuit, ut Patricii et Provinciis praeessent, et bellis: ita Ægidius, et Aetius Galliis; Longinus Ravennae Exarchatui, et alii aliis Provinciis praepositi. Unde apud Historicos interdum legere est: *Patricius Italiae, Siciliae, Africae*, quod ii, qui eas regebant Provincias, essent *Patricii*. Quin etiam qui clarissimis Urbibus, ut Costantinopoli, ut Romae, praefecti erant, ii ut plurimum *Patricii* fuerunt: unde quivis intelligat, cum Pippino, cum Carolo Magno a Summis Pontificibus, populoque Romano Patriciatus honos delatus est, iis nihil datum esse aliud, quam tuendi populi, hostis repellendi, et Ecclesiae protegendae potestatem.

6 Hinc Hadrianus (ep. 97. al. LXXXV). Carolum M. Romanae ditionis Patricium, Exarchatus vero, ac Pentapolis D. Petrum; *Honor*, inquit, *Patriciatus vestri a nobis irrefragabiliter conservatur, etiam, et plus amplius honorifice honoratur; Simili modo ipse Patriciatus B. Petri fautoris vestri tam a S. Rec. Domno Pippino Magna Rege genitore nostro in scriptis in integra concessus, et a nobis amplius confirmatus, irrefragabili jure permaneat.* « Quidnam vero hac comparatio-
» ne Patriciatus velit, per se patet, inquit Cl.
« Cennius (Codic. Carol. T. 1. pag. 294). Petrus
» enim in Coelis habitans, nonnisi Protector, aut
» Defensor sui Successoris in administratione pro-
» vinciarum esse poterat. Talemque fuisse Caro-
» lum Romae, et Ducatus immensa Testium inte-
» gerrimorum serie comprobari posset: satis ta-
» men erunt duo apud Ducangium in Glossario
» (*V. Patricius*): In Capitulari 1. *an.* 769. *et A-*
» *quisgran. an.* 789. Carolus dicitur: *Rex, Re-*
» *gnique Francorum Rector, et devotus S. Eccle-*
» *siae defensor. atque adjutor in omnibus Aposto-*
» *licae Sedis.* Hugo Flavinacien in Chron. *pag.* 223.
» *Non debere Regem Imperatoris filium. qui non*
» *sine causa gladium portaret, qui Romanae Reip.*
» *Patricius, tutor, et defensor esse deberet, tan-*
» *tam pati Ecclesias Dei conculcationem.* Idcirco
» Pontifex in laudata epistola eumdem honorem
» exigit a Carolo erga Patriciatum D. Petri, quo
» ipse Caroli Patriciatum prosequebatur. Deinde
» pergit dicere; *Quia sicut nos semper vestros Ho-*
» *mines suscipientes commonemus, ut in vera fide,*
» *atque puritate cordis talis eorum viribus in ve-*
» *stro maneant servitio, ita et vos simili modo qui-*
» *cumque ex nostris hominibus ad vos veniunt etc.*
» Nam summam eamdem fidem, ac benevolentiam
» erga Apostolorum Principem tutorem, et de-
» fensorem Donationis Pippinianae ab eo confir-
» matae servandam esse ait a Carolo, quam ipse
» Carolo servabat tutori, ac Defensori Apostolicae
» Sedis, ut perspicue Paulus I eum appellat: *Ec-*
» *clesiae tutorem* (ep. 27. al. XXXVII.), et alibi
» passim protectorem, ac defensorem.

« Quod si forte aliquando Carolus quidquam ju- 7
» ris sibi arrogari tentavit *pro sui Patriciatus ho-*
» *nore*, ut suggestum ei fuerat ab Adversariis A-
» postolicae Sedis, Pontifex suaviter restitit, suos-
» que terminos Patriciatum excedere non permi-
» sit. Rei exemplum suppetit ex iisdem Hadriani
» epistolis (93. *al.* LXXI.) Suggerebatur Carolo,
» Ravennae Archiepiscopum eligi debere coram
» Misso Regio. Negat Pontifex: et ad Patricia-
» tus honorem quod attinet: « Nullus homo, in-
» quit, esse videtur in Mundo, qui plus pro ve-
» strae Regalis Excellentiae decertare moliatur
» exaltatione, quam nostra Apostolica assidua de-
» precatio; et sicut in nostris praecordiis, nisibus
» totis ubique super omnes, vos honoravimus, et
» honoramus; ita amplius, ac amplius honorem
» Regni vestri praecellere omnibus, qui in mundo
» esse noscuntur: verumtamen et de ipsa benevo-
» lentia, quam in vestrum gerimus culmen hono-
» ris, in universo innotuit mundo, sicut nempe
» omnibus patet, quia die, noctuque in Confessio-
» ne fautoris vestri B. Petri non intermittimus
» fundere preces ». Hujusmodi alia et in praede-
» cessorum, et in Hadriani epistolis multa inve-
» niuntur. Quare evidens est, Patriciatum, quem
» alibi videre est appellatum *vestram regalem tui-*
» *tionem (ep. 83. al. LXXXIV.)* in eo situm fuis-
» se, ut S. Sedes defenderetur spe praemii Coele-
» stis (quod nostri aevi eruditis aliquot extra Ita-
» liam, terrena sapientibus, modicum videtur), et
» de adversariis victoriae in hoc mundo per San-
» cti Apostolorum Principis adjutorium, assiduis,
» publicisque Pontificis, et Romanorum precibus
» ante ejus Confessionem imploratum. Hac una
» spe inlectos Pippinum, et Carolum Francorum
» Reges longe, lateque amplificasse Apostolicae Se-
» dis ditionem invenio: at dominii quicquam si-
» bi aut arrogasse, aut reservasse, praeterquam
» in Spoleti, et Tusciae ducatibus, nunsquam le-
» gitur ».

Diu apud Romanos in honorem fuit *Patricii*, 8
et appellatio, et dignitas; quae et sublata saepius, et restituta est. Quis enim non noverit celebratissima illa Alberici, Crescentis, Jordanis nomina, quorum frequens apud Hugonem Flaviacensem, Helinandum, Othonem Frisingensem, mentio est. Anno tandem MCLII. ab Eugenio III. pax ea lege cum Romanis inita est, ut abrogato Patriciatu, Praefectus qui Urbem regeret, revocaretur.

A Romanis ad exteras etiam gentes Patriciatus 9

dignitas propagata est, maxime apud Francos, Burgondiones, Anglo-Saxones: Unde Dynamius Gallarum *Patricius* a Gregorio Magno dicitur, Mummolus a Gregorio Turonensi, et ab aliis alii. *Patriciorum* etiam meminit Charta Regis Inae, cujus testamento Principes, Senatores, et *Patricii* subscribunt. Ipsi etiam rerum gestarum gloria, et generis nobilitate insignes viri *Patricii* nomen honoris ergo sibi adsciscebant, ut Richardus ille, qui Normannorum se et Ducem, et *Patricium* nuncupat.

PATRIMONIUM

SUMMARIUM

1. Ad titulum Patrimonii, vel pensionis ordinari posthac non possunt nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum. — 2. Necessitas, vel saltem utilitas Ecclesiae pro admittenda Patrimonio, vel pensione regulariter concurrit, et alterum adesse censetur, quoties agitur de promovendo viro docto, vel nobili, seu potente, probatae vitae, et integritatis. — 3. Patrimonium, seu pensio debet vere, et realiter ab ordinando pacifice obtineri; et debet esse sufficiens ad suam honestam sustentationem. — 4. Unde Clericus suscipiens Ordines Sacros cum patrimonio ficto, sicuti etiam cum ficto Beneficio, suspensionem incurrit. — 5. Non esset tamen suspensus ipse Ordinatus, si bona fide, et sine ulla fraude, et dolo absque legitimo titulo ordinetur. — 6. Et sic ordinatus in Subdiaconum ad titulum patrimonii ipsi a Patre assignati, si postea habuit notitiam prioris obligationis dicti patrimonii, nullas incurrit poenas statutas a Tridentino. — 7 Donans fraudulenter, vel ficte promittens patrimonium, deprehensa fraude, et constito, quod promissio patrimonii fuit ficta, vel donatio tantum verbalis, debet propter fraudem commissam contra Ecclesiam puniri per sententiam Judicis amissione patrimonii. — 8. Unde patrimonium pro ordinando semel constitutum non potest amplius revocari praetextu, quod fuerit fictitie constitutum, et donatum; nec admittitur constituens, aut donans ad allegandam, et probandam fictionem, sed cogitur illud libere Ordinato consignare. — 9. Patrimonium Clerici non dicitur fictum, neque fiduciarium, neque insufficiens, si Patri una cum Fratribus insimul donantibus nihil remaneat pro eorum victu; dummodo donatio sit realis, firma, legitima facta, et tot bonorum, et fructus ascendant ad summam praescriptam in Dioecesi. — 10. Non potest tamen solus pater donare uni Filio Clerico pro patrimonio in praejudicium aliorum filiorum, non relicta eis legitima portione. — 11. Donatio patrimonii facta a patre filio, ut ad Sacros Ordines promoveri possit, non conferri debet, nec imputari in legitimam. — 12. Donatione facta, et secuta traditione bonorum donatorum pro patrimonio ad suscipiendos Ordines Sacros, si Clericus moriatur ante susceptos Ordines, non obstat Decretum Concil. Trident. *cit. sess.* 21. c. 2. quin donans recuperet eadem bona, si, attento Jure communi, restituenda forent — 13. Non desunt tamen, qui teneant contrariam. — 14. Patrimonium donatum per parentes ea conditione, et filius usumfructum habeat, donec Beneficium aliquod, aut bona alia ad ejus congruam sustentationem sufficientia acquisierit, est sufficiens, et ad illius titulum potest ordinari. — 15. Talis autem Clericus non spoliatur dicto patrimonio, quamvis Beneficium, vel bona acquirat, sed viget patrimonium ut prius, non obstante dicta conditione, donec ab Episcopo non fiat subrogatio. — 16. Tale patrimonium assignatum Clerico a consanguineis cum clausula: *Donec fuerit de Beneficio provisus*, non comprehendit officium Organistae, et Magistri Cappellae. — 17. Patrimonium debet constitui super re immobili. — 18. Item patrimonium debet esse res certa, et fructifera. — 19. Patrimonium pro ordinando Clerico potest constitui super bonis Emphyteuticis. — 20. Patrimonium constitui potest etiam in censibus, dummodo etc. — 21. Patrimonium constitui non potest in bonis hypothecatis — 22. Potest tamen in ipsis bonis hypothecatis constitui, quando bona hypothecata, deductis oneribus, sufficiant ad congruam sustentationem. — 23 Item potest in ipsis bonis hypothecatis constitui, quando donator, vel assignator patrimonii aliis hypothecati promisit evictionem, et habet alia bona libera, de quibus eam praestare potest, et multo magis quando ipsa bona donata, vel assignata, sufficiunt ad congruam sustentationem. — 24. Patrimonii quantitas, ad quod quis promoveri possit, non taxatur, sed remittitur ad terminos Concilii. — 25. Patrimonii examen pertinet ad Episcopum privative quoad alios. — 26. Taxa patrimonii Sacri extra Urbem in summa scutorum quadragiata Monetae Romanae non dicitur excessiva, nec est reducenda. — 27 Ultra taxam non possunt in patrimonium assignari alia bona. — 28. Impetrato Beneficio, bona assignata in patrimonium redeunt ad primaevum statum, etiam pro rata Beneficii obtenti, facta tamen prius subrogatione per Ordinarium. — 29. Patrimonium ordinandi inserviens solum pro supplemento defectus redditurum Beneficii, non admittitur, nisi Ecclesiae utilitas, aut necessitas id exigere Episcopo videatur. — 30. Facilius tamen Ordinandus admittitur ad hunc titulum, quam si haberet patrimonium simplex sine admixtione Beneficii. — 31. Obtinens Breve extra tempora cum clausula: *Ut ad titulum patrimonii tui promoveri licite possis*, non censetur dispensatus super necessitate, vel commoditate Ecclesiae a Concilio Tridentino requisita ad hoc, ut quis ad titulum patrimonii possit ordinari. — 32. Episcopus non potest ordinare suum Familiarem triennalem ad titulum patrimonii, vel Pensionis ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiae; sed requiritur Beneficium. — 33. Patrimonium Clerici, ad cujus titulum fuit ad Sacros Ordines promotus, non potest capi in executionem ob illata vulnera alicui ad reficiendas Curationis expensas a Judice condemnatas, etiamsi nihil aliud praeterea possideat. — 34. Sine patrimonio, aut Beneficio non possunt promoveri ad Sacros Ordines Clerici Religiosi more Regularium in communi viventes, qui nunquam, vel nonnisi ad certum tempus Professionem emittunt, et interim ad Saeculum redire possunt. — 35. Patrimonium, an tale sit, quod sufficiat, relinquitur arbitrio Ordinarii propter diversitatem locorum, cum in uno loco sufficiat, quod in alio non erit sufficiens. — 36. Patrimonium, seu pensio, posthac sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus potest, donec ordinati Beneficium Ecclesiasticum sufficiens suo statui sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint. — 37. Unde patrimonii titulus non extinguitur, etiamsi Ordinatus acquirat alia bona, donec ab Episcopo loco patrimonii subrogentur. — 38. Neque Ordinatus potest absque expressa licentia Episcopi donare patrimonium libere constitutum, reservato sibi usufructu ad vitam. — 39. Neque potest absque dicta licentia Episcopi illud in Emphyteusim concedere, reservato desuper annuo Canone fructibus correspondente. — 40. Neque patrimonium potest sine licentia Episcopi alienari, etiamsi Ordinatus consequatur Beneficium. — 41. Prohibitio Concilii Tridentini alienandi patrimonium extenditur ad Fi-

dejunctionem Ordinati, et quomodo in tali casu providea tur Creditori? — 42 Venditio, Hypothecatio, extinctio patrimonii, vel pensionis subsequens promotionem est invalida. — 43. Patrimonii Sacri permutatio sine Episcopi consensu nulla est. — 44. Ad uberiorem notitiam adducitur hic Epistola Encyclica Sacrae Congreg. Concilii super patrimonio Ordinandorum. — 45. Alia ad rem notabilia, cum additionibus ex aliena manu, ad num. 76.

1 Ad titulum Patrimonii, vel Pensionis ordinari posthac non possunt, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum: Sic expresse Concil. Trid. *sess.* 21. *de reformat. cap.* 2. ibi: « Patrimonium vero, vel Pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum »: et novissime de mandato Innocentii XI. *Sacra Congregat. Conc.* 3. *Mart.* 1679.

2 Necessitas autem, vel saltem utilitas Ecclesiae pro admittendo Patrimonio, vel Pensione regulariter concurrit, et utrumque adesse censetur, quoties agitur de promovendo viro docto, vel nobili, seu potente, probatae vitae, et integritatis, quibus valde indiget Ecclesia; *cap. Super specula* 5. *de Magistris, cap. Cum ex eo* 34. *de election. in* 6. Riccius *prax. For. Eccles. tom.* 3. *resolut.* 458. *num.* 3. Ventrigl. *tom.* 1. *adnotat.* 44. §. *Unico, num.* 29. Monaceil. *tom.* 1. *tit.* 3. *formul.* 17. *num.* 3. ubi addit: « Quod nota pro captando arbitrio Episcoporum, qui non semel rerum cortici haerendo, excusatione deficientiae Beneficii, etiam hos ab Ordinatione repellunt »; *et eod. tom.* 1. *in Appendice ad litteram Sac. Cong. Concilii super Patrimonio Ordinandorum num.* 7. ubi citat etiam Garciam.

3 Patrimonium, seu Pensio debet vere, et realiter ab Ordinando pacifice obtineri, et debet esse sufficiens ad suam honestam sustentationem: Sic expresse Concil. Trident. *cit. sess.* 21. *cap.* 2. ibi: *Eo quoque prius perspecto, Patrimonium illud, vel Pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint.*
4 Unde Clericus suscipiens Ordines Sacros cum Patrimonio ficto, sicuti etiam cum ficto Beneficio, suspensionem incurrit; Vid. v. *Ordo art.* 2. *nu.*
5 90. Ubi jura, et Decreta ad id adducuntur. Non esset tamen suspensus ipse Ordinatus, si bona fide, et nulla fraude, et dolo absque legitimo titu-
6 lo ordinaretur. Vide verb. *Ordo n.* 91. Et sic ordinatus in Subdiaconum ad titulum Patrimonii ipsi a Patre assignati, si postea habuit notitiam prioris obligationis dicti Patrimonii, non incurrit poenas statutas a Trident. *cit. sess.* 21. *cap.* 2. quia ab initio fuit in bona fide. Sic decisum fuisse a *Sacra Cong. Concilii sub die* 26. *Junii* 1621. referunt Seilius in *Selectis Canonic. cap.* 3. *nu.* 17. et Barbosa *in Concil. Trid. loc. cit. num.* 72.

7 Donans fraudulenter, vel ficte promittens Patrimonium, deprehensa fraude, et constito, quod promissio Patrimonii fuit ficta, et donatio tantum verbalis, debet propter fraudem commissam contra Ecclesiam puniri per sententiam Judicis amissione Patrimonii: Nicol. Garcias *de Benef. par.* 2. *cap.* 5. *num.* 152. Sanchez *de Matrimon. lib.* 6. *disp.* 32. *num.* 8. *ad med.* Fr. Emmanuel *in Summa tom.* 2. *cap.* 15. *num.* 7. Petrus de Ledesma *in Summa par.* 1. *de Sacrament.* ubi *de Sacramento Ordinis cap.* 7. *conclus.* 6. *definit.* 5. Avila *de Censur. part.* 3. *dis.* 5. *dub.* 5. *vers. Tertia Conclusio.* Rodericus a Cunha *in Commentar. ad c.* 1. *num.* 23. *dist.* 70. Barbosa *in Concil. Trident. cit. sess.* 21. *cap.* 2. *n.* 70. et alii.

8 Patrimonium pro Ordinando semel constitutum non potest amplius revocari praetextu, quod fuerit fictitie constitutum, et donatum, nec admittitur constituens, aut donans ad allegandam, et probandam fictionem, sed cogitur illud libere Ordinato consignare: Sic respondit *S. Cong. Episc. in una Januen.* 6. *Septemb.* 1697. *proponente Eminentissimo Colloredo.*

9 Patrimonium Clerici non dicitur fictum, neque fiduciarium, neque insufficiens, si Patri una cum Fratribus insimul donantibus, nihil remaneat pro eorum victu, dummodo donatio sit realis, firma, legitime facta, et tot bonorum, ut fructus ascendant ad summam praescriptam in Dioecesi: *Sacra Congreg. Episcop. in Aretina* 10. *Aprilis* 1590. citat. et secut. a Nicolio *Lucubrat. Canonic. lib.* 1. *tit.* 1. *post n.* 23. *vers. Et quod Patri,* et a Monaceil. *tom.* 1. *titul.* 3. *formul.* 13. *nu.* 5. Tales autem donationes non debent recipi, nisi prius constet, parentes aliunde habere, unde honeste pro status qualitate sustentari queant: *S. Cong. Conc. in Caesenaten. Synodi* 26. *Febr.* 1695. apud Monaceil. *tom.* 3. *tit.* 2. *formul.* 2. *n.* 4.

10 Non potest tamen solus Pater donare uni Filio Clerico pro Patrimonio in praejudicium aliorum Filiorum, non relicta eis legitima portione, sed tantum rejicta debita portione aliis Filiis, ita ut talis donatio in praejudicium aliorum Filiorum, nec juramento firmetur; Gabriel *de donationibus conclus.* 4. *nu.* 5. Marius Antonius de Macerata *Variar. resolut. lib.* 1. *resolut.* 88. *nu.* 9. *vers. tertio,* Nicolius *Lucubrat. Civil. lib.* 2. *tit.* 7. *de donat. inter virum et Uxorem, et inter Patrem et Filium n.* 15. *vers. Immo Filius,* Monacell. *tom.* 1. *tit.* 3. *formul.* 13. *n.* 6. Ventriglia *tom.* 1. *adnotat.* 42. §. 1. *n.* 24. subdens, quod hinc bene servant nonnullae Curiae Ecclesiasticae informationem capiendo super numero Filiorum, et bonis Donantis.

11 Donatio Patrimonii facta a Patre Filio, ut ad Sacros Ordines promoveri possit, non conferri debet, nec imputari in legitimam, quia talis donatio non dicitur ob causam, cum non habeat necessitatem, ut est donatio causa Dotis, nec respiciat commodum donantis; Tum quia Patrimonium non est libere assignatum, ut de illo possit Clericus ad libitum disponere, cum non possit vendi, nec alienari, quod requiritur in legitima, adeoque etc. Gratian. *discept. Forens. cap.* 159. *n.* 31. Squillant. *de privileg. Cleric. cap.* 12. *n.* 25. cum aliis ibi citatis. Ventriglia *loc. cit. n.* 22. Barbosa *de off. et potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 19. *a nu.* 64. *ad* 69. cum innumeris ibi citatis contra plures alios citatos *ibid. n.* 70.

12 Donatione facta, et secuta traditione bonorum donatorum pro Patrimonio ad suscipiendos Ordines Sacros, si Clericus moriatur ante susceptos Ordines, non obstat Decretum Concilii Trident. *cit. sess.* 21. *cap.* 2. quin donans recuperet eadem bona, si, attento jure communi, restituenda forent. Sic decisum fuisse a *Sac. Cong. Concilii in Mutinen.* 11. *Junii* 1631. referunt Sellius in *Select. Canon. cap.* 3. *n.* 3. et Barbosa in *Concilii Trid. loc. cit. n.* 43. Ventriglia tamen *loc. cit. nu.* 23.

13 cum Riccio, Antonio de Marinis, Donat. ibi adductis dicit, quod si haec donatio facta pro suscipiendis Sacris Ordinibus non habuerit effectum suum, quia donatarius discesserit e vita ante susceptionem Ordinum, adhuc donatio ad haeredes donatarii transit, et non ad Donantem revertitur.

14 Patrimonium donatum per parentes ea conditione, ut Filius usumfructum habeat, donec Beneficium aliquod, aut bona alia ed ejus congruam sustentationem sufficientia acquisierit, est sufficiens, et ad illius titulum potest ordinari. Sic decisum fuisse a *Sacra Congr. Episcop. et Regul. in Eugubina* 22. *Maii* 1590. referunt Sellius *loc. cit. cap.* 3. *n.* 2. et Barbosa *loc. cit n.* 41, Vide *in-*

15 *fra n.* 28. Talis autem Clericus non spoliatur Patrimonio, quamvis Beneficium, vel bona acquirat, sed viget Patrimonium ut prius, non obstante dicta conditione, donec ab Episcopo non fiat subrogatio. Vide verb. *Ordo art.* 2. *n.* 93. ubi afferuntur ad id Decreta Sacrae Congregationis.

16 Tale autem Patrimonium assignatum Clerico a Consanguineis cum clausula: *Donec fuerit de Beneficio provisus etc.* non comprehendit Officium Organistae, et Magistri Capellae; *S. Congregat. Concilii* 26. *Junii* 1621. apud Barbos. in *Summa Apostolic. decis. verb. Patrimonium n.* 10.

17 Patrimonium super re immobili constitui debet; *Communis* cum Barbosa in *Concil. Trid. sess.* 21. *cap.* 2. *n.* 36. *et de Offic. et potest. Episcop. par.* 2. *allegat.* 19. *n.* 55. cum pluribus ibi cita-

18 tis. Item Patrimonium debet esse res certa, et fructifera. Sic decisum referunt Garcias *de Beneficiis par.* 2. *cap.* 5. *n.* 96. et Basbosa in *Trid. loc. cit. n.* 37. *et in Summa loc. cit. n.* 4.

19 Patrimonium pro ordinando Clerico potest constitui super bonis Emphyteuticis: *Sacr. Congregat. Concilii in Lucana* 7. *Septembris* 1630. apud Barbosam in *Summa Apostolic. decis. loc. citat. n.* 12.

Patrimonium constitui potest etiam in Censibus, dummodo constituentes tale Patrimonium in forma juris valida se obligent, quod in casu redemptionis pro sufficienti Ordinati victu providebunt, donec iterum investiantur: *Sacra Congr. in Nullius* 21. *Junii* 1629. *l.* 13. *decretor. p.* 109. 20

Patrimonium constitui non potest in bonis hypothecatis, quia ordinatus non poterit ex illis bonis sustenteri, si Creditor de iis sibi satisfieri voluerit, nam transierunt cum onere hypothecae: *Sacra Congregat. Episcop. in Ugentina* 6. *Octobris* 1717. Potest tamen in ipsis hypothecatis constitui, quando bona hypothecata, deductis oneribus, sufficiunt ad congruam sustentationem: *Eadem Sacr. Congreg. Episcop. in Faventina* 9. *Martii* 1614. et etiam *Sacra Congreg. Concil.* apud Nicol. *Lucubrat. Canonic. lib.* 1. *tit.* 11. *n.* 25. *vers. Quod tamen.* Item potest in ipsis bonis hypothecatis constitui, quando donator, vel assignator Patrimonii aliis hypothecati promittit evictionem, et habet alia bona libera, de quibus eam praestare potest, quia tunc ratio cessat, et multo magis, quando ipsa bona donata, vel assignata, deductis oneribus, sufficiunt ad congruam sustentationem: *Eadem Sacra Congregat. Episcopor. in dicta Faventina* 9. *Maii* 1614. apud Nicol. *loc. cit. vers. Limitandum tertio.* 21 22 23

Patrimonii quantitas, ad quod quis promoveri possit, non taxatur, sed remittitur ad terminos Concilii; *Sac. Congreg. Concilii* penes Garciam *de Benefic. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 113. et Barbos. in Tridentin. *sess.* 21. *cap.* 2. *num.* 37. *et jur. Eccles. univers. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 155. *et in Summa loc. citat. num.* 3. 24

Patrimonii examen pertinet ad Episcopum privative quoad alios: *Sac. Cong. Conc. in Placentin.* 16. *Martii* 1630. apud Barbos. *in Trid. loc. cit. num.* 39. *et in Summa loc. cit. num.* 11. *et jur. Eccles. univers. loc. cit. num.* 156. 25

Taxa Patrimonii Sacri extra Urbem in summa Scutorum quadraginta Monetae Romanae non dicitur excessive; nec est reducenda: *Sacra Congregat. Concil. in Senogallien. pro Terra Rocchae contradae* 20. *Junii* 1705. *in responsion. ad primum dubium.* 26

Ultra taxam non possunt in Patrimonium assignari alia bona: *Eadem Sacra Congregatio Concilii in dicta Senogallien. in respons. ad tertium dubium.* 27

Impetrato Beneficio, bona assignata in Patrimonium redeunt ed primaevum statum, etiam pro rata Beneficii obtenti, facta tamen prius subrogatione per Ordinarium: *Eadem Sacra Congregatio Concilii in dicta Senogallien. in responsione ad* 4. *et* 5. *dubium* juxta alia Decreta in *Terracinen.* 20. *Julii* 1619. *et in Tolentinaten.* 10. *Maii* 1692. in quibus responsum fuit, Titulum, et Privilegium 28

Patrimonii Ordinati non extingui, quamvis Ordinatus acquirat Beneficium, nisi fiat ab Episcopo subrogatio.

29 Patrimonium Ordinandi inserviens solum pro supplemento defectus reddituum Beneficii, non admittitur, nisi Ecclesiae utilitas, aut necessitas id exigere Episcopo videatur: *Sacra Congregatio Concilii in Asculana* 13. *Martii* 1693. *l.* 23. *Decret. fol.* 62. *et in Tridentina* 1. *Martii* 1687.

30 Facilius tamen ordinandus admittitur ad hunc Titulum, quam si haberet Patrimonium simplex sine admixtione Beneficii: Monacell. *tom.* 1. *in Appendic. ad litteram Sacrae Congregationis Concilii de Patrimon. Ordinandorum num.* 16. *et tom.* 4. *supplement. ad tom.* 3. *num.* 185. Quarant. *in Summ. Bullar. verb. Ordo vers. Secundo extende.* Riccius *Prax. For. Eccles. tom.* 1. *resolut.* 458. *n.* 3. ubi declarationem Sacrae Congregationis affert.

31 Obtinens Breve extra tempora cum clausula: *Ut ad titulum Patrimonii tui promoveri licite possis*, non censetur dispensatus super necessitate, vel commoditate Ecclesiae a Conc. Tridentin. requisita ad hoc, ut quis ad titulum Patrimonii possit ordinari: *Sac. Congregatio Concilii in Parmen.* 10. *Junii* 1648. *et in S. Agathae Gothorum eodem die, et anno.*

32 Episcopus non potest ordinare suum Familiarem triennalem ad titulum Patrimonii, vel Pensionis ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiae; sed requiritur Beneficium, ut declaravit *Sac. Congregatio Concilii in Tricarien.* 27. *Julii* 1697. in qua, proposito dubio: *An, stante novissima Constitutione Sanctissimi D. N. possit Episcopus Familiarem triennalem ad titulum Patrimonii promovere ad Sacros Ordines ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiae, nullo collato Ecclesiastico Beneficio;* Respondit *Negative*, et est contra Barbosam *in Summa loc. cit. n.* 2. Gargiam *de Benefic. p.* 2. *cap.* 5. *n.* 81. et alios citantes antiquum Sacr. Congregat. Decretum.

33 Patrimonium Clerici, ad cujus titulum fuit ad Sacros Ordines promotus, non potest capi in executione ob illata vulnera alicui ad reficiendas curationis expensas a Judice condemnatas, etiamsi nihil aliud praeterea possideat, quia ejus alienatio interdicta est Decreto Concilii *cap.* 2. *sess.* 21. *de reform. Sacra Congreg. Concilii* 5. *Februarii* 1604. apud Barbosam *in Summa loc. cit. num.* 9. *et libr.* 1. *juris Eccles. univers. cap.* 33. *num.* 160.

34 Sine Patrimonio, aut Beneficio ad Sacros Ordines promoveri non possunt Clerici Religiosi more Regularium in communi viventes, qui nunquam, vel nonnisi ad certum tempus Professionem emittunt, et interim ad saeculum redire possunt: S. Pius V. Constit. 75. incip. *Romanus Pontifex.*

35 Patrimonium an tale sit, quod sufficiat? relinquitur arbitrio Ordinarii propter diversitatem locorum, cum in uno loco sufficiat, quod in alio non erit sufficiens: *S. Cong. Conc.* apud Barbosam in *Summa l. c n.* 2.

Patrimonium, seu Pensio posthac sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus potest, donec Ordinati Beneficium Ecclesiasticum sufficiens suo statui sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint. Vide verb. *Ordo art.* 2. *n.* 92. 36

Unde Patrimonii titulus non extinguitur, etiamsi Ordinatus acquirat alia bona, donec ab Episcopo loco Patrimonii subrogentur. Vide d. verb. *Ordo art.* 2. *n.* 93. 37

Neque Ordinatus potest absque expressa licentia Episcopi donare Patrimonium libere constitutum, reservato sibi usufructu ad vitam. Vide dict. verb. *Ordo art* 2. *n.* 94. 38

Neque potest absque licentia Episcopi illud in Emphyteusim concedere, reservato desuper annuo Canone fructibus correspondente. Vid. d. verb. *Ordo art.* 2. *n.* 95. 39

Neque Patrimonium potest sine licentia Episcopi alienari, etiamsi Ordinatus consequatur Beneficium. Vide d. verb. *Ordo art.* 2. *n.* 96. 40

Prohibitio Conc. Trid. alienandi Patrimonium extenditur ad Fidejussionem Ordinati: Et quomodo in tali casu provideatur Creditori: Vide d. verb. *Ordo n.* 97. 41

Venditio, hypothecatio, extinctio Patrimonii, vel Pensionis subsequens promotionem est invalida, quia dictio illa Concilii: *Nullatenus possint*, importat nullitatem actus ipso jure; Barbosa *in Concil. Trident. cit. sess.* 21. *cap.* 2. *nu.* 60. *et seq.* cum pluribus ibi citatis, et alii communiter. 42

Patrimonii Sacri permutatio sine Episcopi consensu nulla est: *Sacra Congreg. Concilii in Fanen. Patrimonii Sacri* 2. *Augusti* 1717. *ad primum dubium.* 43

Ad uberiorem notitiam juvat hic afferre Epistolam Encyclicam Sacrae Congregationis Concilii super Patrimonio Ordinandorum, quae est ut sequitur. 44

» Etsi Sacra Congregatio Concilii Tridentini *c.* » 2. *sess.* 21. *de reformat.* diserte caveat, ne quis » Clericus Saecularis, quamvis alias sit idoneus » moribus, et scientia, et aetate, ad Sacros Or» dines promoveatur, nisi prius legitime constet, » cum *Beneficium Ecclesiasticum*, quod sibi ad vi» ctum honeste sufficiat, pacifice possidere; Pa» trimonium vero, vel Pensionem obtinentes or» dinari non possint, nisi illi, quos Episcopus ju» dicaverit assumendos pro necessitate Ecclesia» rum suarum; Temporis tamen cursu animadver» sum est, nonnullos Episcopos ab hac ordinandi » norma, absque ullo discrimine deflexisse, passim » quoscumque ad Patrimonii titulum ad Sacrum » Ministerium admittendo. Quantum ex hoc jactu» rae in Ecclesiastica disciplina acceptum fuerit, » manifestum est. Quare Sanctissimus Dominus » Noster pro suo insigni zelo malis hujusmodi pro» vide obviaturus, praedictae dispositionis exactis-

» simam observantiam in Urbe in primis instau-
» ravit, deinde per hasce circulares litteras Ordi-
» nariis omnibus Tridentini Decretum in memo-
» riam reduci mandavit, quatenus omnes illud san-
» cte custodiant, sciantque non aliter eum ordi-
» nandum ad titulum Patrimonii, et Pensionis,
» nisi cum Ecclesiae *necessitas*, vel *commoditas*
» ita exigat, qua in re prudens Ordinarii, timo-
» ratorumque judicium versari debebit. Domina-
» tio igitur tua Sanctitatis suae exemplio, et man-
» dato sese conformare non omittat, dum ei om-
» nia prospera precamur a Domino. Romae 3.
» Maii 1679 ».

Uti Frater.

F. CARD. COLUMNA PRAEFECTUS.

« *S. Archiepisc. Brancacius Episcopus Viterb Secretarius.*

45 Bona assignata in Patrimonium Clericorum pro Ordinibus suscipiendis non sunt subjecta, nisi oneribus certis realibus, et invariabilibus, quando tempore assignationis erant subjecta similibus oneribus: *Sacra Congregatio Immun. in una Montis Regalis* 11. *Augusti* 1638. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 69.

46 Patrimonia, ad quorum titulum Clerici sunt ordinati, sunt immunia ab impositionibus, et Gabellis: *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Alban.* 14. *Septembris* 1626. *lib.* 1. *Decret Paul. pag.* 15. *et in Faventina* 24. *Martii* 1627. *ibi pag.* 42.

47 Limita tamen quousdusque Clerici non obtineant Beneficium legitime subrogatum loco Patrimonii: *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Fundana* 25. *Septembris* 1627. *eodem* l. *pag.* 66. 13. *Nov.* 1629. *lib.* 2. *decret. Paul. pag.* 62. *in Aquilana* 27. *Apr.* 1638. *lib.* 3. *decret. Paul. pag.* 58. *in Lycien.* 26. *Augusti* 1636. *ibi pag.* 12. *in Nucerina* 23 *Jan.* 1674. *lib.* 1. *Decret. Alt. pag.* 891. *in Firmana* 14. *Maii* 1675. *d. lib. p.* 197.

48 Licet Patrimonia Clericis sint assignata pro assumendis Sacris Ordinibus, non est permittendum gaudere exemptione Patrimonii Ecclesiastici, nisi post assumptionem Sacrorum Ordinum; gaudere tamen debent exemptione bonorum Clericorum, si vere cum effectu fuerint in Clericum translata: *Eadem Sacra Congregat. Immunit. in Aquilana* 5. *Martii* 1641. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 138.

49 Bona integre assignata Clerico in Patrimonium non gaudent Immunitate Patrimonii Sacri ab oneribus laicis, nisi a die suscepti Ordinis Sacri: *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Aquilana* 4. *Augusti* 1627. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 58. *in Aprutina* 2. *Julii* 1630. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 47. *in Nazarena* 2. *Aprilis* 1669. *lib.* 1. *decret. Altov. pag.* 336. *in Neritonen.* 12. *Jul.* 1689. *lib.* 1. *Decret. Martelli pag.* 493. *in Pedemontana* 22. *Novemb.* 1692. *lib.* 1. *Decret. Vallem. p.* 4. *in Aquilana* 11. *Aprilis* 1693. *d. l. p.* 36.

Restituenda sunt quaecumque fuerunt a Clerico indebite exacta per Ministros Laicos super bonis, ad quorum titulum fuit ordinatus: *Ead. S. Cong. Immun. in Caputaquen.* 30. *Mart.* 1694. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 114. 50

Amplia I. Etiamsi ille promotus fuisset ad Ordines Sacros incoepto jam semestri, in cujus fine collectae solvendae erant: *Eadem Sacr. Congreg. Immun. in Æsina* 5. *Octobris* 1688. *lib. Decret. Martelli pag.* 357. excipe tamen onera privilegiata, *ibidem*. 51

Amplia II. Etiam quoad Collectas Camerales: *Eadem Sacra Congr. Immun. in Camerinen.* 7. *Octobris* 1631. *lib.* 2. *decret. Paul. pag.* 93. *in Forosempronien.* 13. *Aug.* 1647. *lib.* 4 *Decret. Paul. pag.* 23. *in Mantie alti* 14. *Octobris.* 1630. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 62. 52

Amplia III. Quod bona Patrimonii Clericalis sunt exempta ab onere subsidii triennalis: *Eadem Sac. Congreg Immun. in Anagnina* 13. *Aug.* 1632. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 166. 53

Amplia IV. Quamvis in assignatione Patrimonii apposita fuisset clausula: Donec, et quousque obtinuerit Beneficium Ecclesiasticum, vel de aliis fructibus provisus fuerit, quibus se alere possit: *Eadem Sac. Congreg. Immun. in una Civitatis Castelli* 2. *Martii* 1700. *lib.* 2. *Decret. Vallemani pag.* 275. 54

Amplia V. Quod bona subrogata loco bonorum, ad quorum titulum quis fuit ordinatus, si subrogatio legitime facta fuerit, gaudent exemptione: *Ead. Sacr. Congr. Immun. in una S. Severini* 26. *Aug.* 1636. *lib.* 3 *Decret. Paul. pag.* 13. *et in una S. Angeli in Vado* 12. *Julii* 1686. *lib. Decret. Martelli pag.* 495. 55

Amplia VI. Quod etiam bona acquisita a Clerico, et subrogata in Patrimonium sunt exempta. 56

Amplia VII. Quod bona assignata pro Patrimonio Clerici delenda sunt de Catastico Laicorum, et describenda inter bona Ecclesiastica: *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Squiliacen.* 21. *Jan.* 1676. *l.* 1. *Decret. Altov. pag.* 1202. 57

Amplia VIII. Nec possunt confiscari, et ideo restituenda sunt: *Ead. Sac. Congreg. Immun. in Mutinen* 15. *Junii* 1638. *lib.* 3. *Decret. Paul. p.* 64. *et* 13. *Junii* 1640. *d. lib. pag.* 127. 58

Amplia IX. Quod bona assignata in Patrimonium ad Sacros Ordines suscipiendos gaudent exemptione a Collectis impositis per Æs, et libram pro eo tempore, quo Ordinatus non habuit sufficiens Beneficium: *Ead. Sacr. Congr. Immun. in una Civitatis Plebis* 10. *Novemb.* 1674. *lib.* 1. *Decret. Altov. pag.* 1022. 59

Amplia X. Quod etiam bona assignata pro supplemento Patrimonii, juxta taxam factam in Synodo, gaudent exemptione: *Ead. Sac. Congr. Immun. in Recineten.* 18. *Decemb.* 1668. *lib.* 1. *Decr. Altovitii pag.* 300. 60

61 Amplia XI. Quod bona assignata in Patrimonium Clerici sunt immunia a Bonatenentia; illa vero transeunt cum suis hypothecis, pro quarum liberatione Clericus agere potest contra assignantem: *Eadem S. Cong. Immun. in Sulmonen.* 19. *Novembr.* 1630. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 66.

62 Sacerdos, cui fuit evicta possessio, super qua erat constitutum Patrimonium, si subrogavit aliam possessionem legitime cum auctoritate Episcopi, gaudet pro subrogata, exemptione a Collectis: *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Æsina* 21. *Januarii* 1676. *lib.* 1. *Decret. Altovit. pag.* 1158.

63 Injungitur Episcopis status Sabaudiae, ut circa assignationes pro Patrimoniis Clericorum obvient fraudibus, observando Sacros Canones, Concilia, et Constitutiones Apostolicas in illorum Constitutione: *Eadem S. Congr. Immunit. in Taurinen.* 15. *Martii* 1650. *l.* 44. *Decret. Paul. pag.* 101.

64 Injungitur Episcopis status Pedemontis, ut sedulo curent, ne fiant fraudes circa Patrimonia assignanda Clericis in praejudicium Communitatum et ne eadem Patrimonia excedant quantitatem sufficientem pro quolibet Ordinandorum Episcopi arbitrio juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini: *Eadem S. Congr. Immunit. in Pedemontana* 28. *Februarii* 1658. *lib. Decret. Rocci pag.* 70.

65 Verum quando Pater habens plures Filios assignat duobus omnia sua bona in Patrimonium, Episcopus provideat, ne subrepant fraudes, et informet: *Ead. S. Congr. Immunit. in Squillac.* 9. *Junii* 1704. *lib.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 592.

66 Patrimonii loco ad suscipiendos Ordines sacros a Graecis assignari nequit dos uxoris: Bened. XIV. t. 1. Constit. 57. incip. *Etsi pastoralis* §. 7.

67 *Constitui non debet Patrimonium in industria Clerici, ut si sit Musicus, Ludimagister etc. ut respondit Sacra Congregatio in una *Segunt. mense Oct.* 1589. Sicuti nec constitui potest in bonis mobilibus, et semoventibus, ut respondit Sac. C. Concil. 29. *Nov.* 1670. *Inst. Eccles.* 26. §. 7.

68 Patrimonium admissurum se profitetur Benedictus XVI. dum erat tantum Archiepiscopus Bononien. in Capellania amovibili, dummodo Patronus obligasset fidem suam nunquam ab Ordinato removendi illam Capellaniam, quoadusque ille vixisset, vel quoadusque ordinandus non obtinuisset aliud sive Beneficium, sive patrimonium, et idem Patronus, vel alius se pariter obstrinxisset ad alimenta ordinato praestanda, si forte impediretur a celebratione Missae: *Ibid.* §. 11.

* Utique consensus Patroni requiritur, ad effectum, ne ordinatus ad titulum Capellaniae amovibilis removeatur, eoque accedente, potest quia ad h. Titulum ordinari; modo tamen juspatron. esset haereditarium, nam alias, non posset Episcopus ordinare, etiam accedente consensu Patronorum, qui non possent ligare manus successorum in jurepatr. Gentilitio, nisi isti essent haeredes eorum, qui consensum dedissent ordinationi, et promissioni de non removendo; quippe tunc ex juris principiis tenerentur praestare factum Auctorum, cujus forent successores*. Amostaz. *de caus. piis. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 49. Piton. *de Controv. Patron. Allegat.* 24. *n.* 33.

Item admisit in censibus perpetuis, dummodo debitores census, si voluissent illum restituere, obligassent sese ad deponendam pecuniam in loco tuto, ad hoc ut in novis censibus, vel stabilibus impenderetur: *Ib.* §. 12. Tunc autem curae erit ordinato sub poena suspens. de investienda pecunia. 69

Si quis voluerit assignare de suo patrimonium sufficiens ordinando, dummodo haec liberalitas sit vera, et alienabilis absque licentia Ordinarii, id ubique admitti poterit ex variis responsis Sacrae Congregationis: *Ibid.* §. 13. Curandum est tamen ut bona illa adeo libera sint ab aliis oneribus, ut remaneant ex iis sufficientia alimenta ordinato: *Ibid.* §. 14. Dummodo etiam absit omnis pactio tacita, vel expressa extra instrumentum, ut possessio bonorum remaneat apud assignantem. Non valet assignatio patrimonii facta a patre respectu filii, cui in praejudicium legitimae reliquorum filiorum omnia sua tribuit. Sicut nec admittitur, si pater transferat omnia sua in filium cum onere, ut se alat, nisi id expressum candide fuerit in instrumento patrimonii: *Ibid.* 70

Si quis fictum patrimonium suum sciat, et nihilo secius ordinationem recipiat, manet suspensus, ut ex Can. *Neminem*, et Canon. *Cunctorum, dist.* 70. et ex decreto Sacrae Congregationis anni 1610. Si vero id nesciat, sciat autem Ordinarius, et tamen ordinet, Ordinarius quidem suspensionem non incurrit, tenetur tamen de suo ordinatum alere ex vi eorumdem Canonum, et sensu Sacrae Congregationis Concilii: *Ibid.* §. 16. 71

Patrimonii alienatio absque Ordinarii licentia ipso jure nulla est, ut ex decretis Sacrae Congregationis: *ibid.* §. 28. Nec commutari potest in alia bona, vel in aliud pariter beneficium sine facultate Ordinarii, ut ex similibus decretis: *Ibid.* §. 29. Nec tandem obligari possunt bona patrimonii adeo ut si forte accidat, ut debitum solvendum sit, nulla fieri executio poterit, nisi supra eorum bonorum partem, quae alimentis ordinati superfluit. Fas est tamen creditori recipere in solutum, seu vendere jus, quod post mortem transiret ad haeredes. Ita ex decretis Sacrae Congregationis, *ibidem* §. 30. 72

Denique ordinati ad titulum Beneficii resignare illud nequeunt, nisi facta mentione tituli, qui Beneficio resignando adjacet, et concludentibus probationibus demonstretur aliam suppetere resignanti viam, qua commode sibi de victu provideat. Ita ex decretis Sacrae Congregationis *ibidem* §. 30. 73

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Ad titulum patrimonii non posse ordinari, nisi eos, qui necessarii, vel utiles sunt Ecclesiae, communiter traditur. At non in eo omnes conveniunt, quinam dicendi sunt vel utiles, vel necessarii Ecc. 74

75 Stimo utili alla Chiesa (*recte inquit* Auctor Notarum in novissima Concordata inita S. Sedem inter et Serenissimum Regem Neapolis *c.* 4. *art.* 2. *n.* 2.) quelli, i quali si promovono allo stato ecclesiastico chiamati dai Sign. non già per ambizione, o per altro rispetto, o vantaggio umano, e che fanno sperare, che coi di loro buono esempio, o dottrina possano edificare i Popoli, o servire i Parochi, assistere ai Vescovi, ed adempire alle parti, che sono proprie del loro istituto. Necessarj poi si considerano a riguardo del bisogno delle Chiese, e del comodo de'Popoli, accadendo che in un luogo, benchè numeroso di Popoli, per mancanza di Beneficj, Cappellanie, servizj di Chiese, e simili, necessiti minor numero di Ecclesiastici, e che all'incontro maggior numero si richiegga quantunque meno numeroso di popoli, e ciò per soddisfare ai servizio delle Chiese Collegiali, Cattedrali, ed altre Chiese, che hanno bisogno del cotidiano servizio del Coro, o per adempire all' obbligo delle Messe, o simili fondazioni; o concorrendovi l'utilità delle Chiese, i Vescovi devono essere più facili, perchè mai fu superfluo, e molto meno odioso il numero di buoni, e santi Ecclesiastici, ma piuttosto da nostri popoli desiderato ».

Recteque idem Auctor ubi supra n. 4. monet, 76 quod: « basta che per detto effetto vi concorra l'una, o l'altra, cioè, la comodità, o sia l'utilità, o la necessità della Chiesa »: idque quia disjunctive loquitur Conc. Tridont. *sess.* 21. *c.* 2. *de Reform.*

PATRINUS

VIDE VERB. *BAPTISMUS ART.* 7. *A N.* 4. *AD* 43 (*).

PATRONUS PATRONATUS

MONITUM EDITORUM CASINENSIUM

Sub v. *Jus Patronatus*, polliciti sumus heic sub v. *Patronatus*, *Patronus* inserere de hac materia lucubrationem ad formam tractatus pluribus sectionibus distinctam. Sed cum moles addit. ea sit, ut unus, et alter *Fasciculus* ad id minime satis sit; idcirco, ne ab edendis Lucii nostri articulis nimium divertamus, disquisitiones ad rem post finem operis, tamquam in separato libello, collocabimus.

PATRONI BENEFICIORUM

1 Patronus Ecclesiasticus tenetur praesentare ad Beneficium Curatum illum, quem digniorem putat inter approbatos ab examinatoribus, ex vi Tridentini *sess.* 24. *cap.* 18. etiamsi de praelectione dignioris non fuerit et facta interpellatio: Benedict. XIV. tom. 2. Bull. Constit. 4. incip. *Redditae Nobis.*

2 Patroni Ecclesiastici judicium in electione dignioris sequi tenetur Episcopus, si nemo adversus Patroni judicium reclament. Secus vero si inter approbatos ab examinatoribus sit, qui reclamet a praeelectione Patroni: Idem *ibid.* Vide infra verb. *Praesentatio.*

3 * Patronus laicus praesentare tenetur digniorem ad Beneficium curatum, ut ex S. Thoma 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 3. aliisque Theologis firmatur *Instit. Eccles.* 7. §. 5. 8.

(*) Unum adde, Patrinos olim Sacris Ministris lautum parasse convivium, quod coercuit Moguntinum Concilium II. can. 16.

4 Patronus, si promiserit conferre alicui Beneficium ex motivo aliquo temporali, nempe quia sibi sit conjunctus sanguine etc. non obligatur servare, quod spopondit, tum praesertim, cum nondum Beneficium vacat: Ita ex S. Thoma, *Instit. Eccles.* 23. §. 28. *

5 Patroni praesentare possunt Canonicos Regulares Lateranenses, et SS. Salvatoris ad Beneficia Saecularia Curata, et residentialia, cum praeservatione Beneplaciti Apostolici, aliisque conditionibus latius expressis, et per extensum positis a Benedicto XIV. *tom.* 1. *Constit.* 135. *incip. Quod inscrutabili*, §. 17. *et* 18. Vide infra verb. *Praesentatio.*

6 Ex stylo Datariae, si lis inter Patronos intra tempus praefixum finiri nequeat, provisio Beneficii reservata est Papae, ex allegatis per Rigant. *tom.* 3. *pag.* 279. *n.* 191. *in Regulam* 42. *Cancellariae.*

7 Si Patronus Beneficii Rectorem interficiat, ipse, et omnes ad patronatum jus habentes illud a-

mittunt, ex cap. *In quibusdam, de poenis.* Ben. XIV. *De Synodo Dioec. lib.* 13. *cap.* 24 §. 21. 'Sed vide libellum Edi. Cas. *de Jure Patron.* in fine h. operis.

Alia ad rem, vide sub verb. *Beneficia art.* 3. *a n.* 69. *et art.* 5. *a n.* 31. et verb. *Juspatronatus* per tot. et signanter. *art.* 4. 8

PATRONI SANCTI

SUMMARIUM

1. Electio Sanctorum in Patronos facienda est juxta Decretum a Sacra Congregatione Rit. editam de mandato Urbani VIII die 23. Martii 1630. — 2. Hoc Decretum est in viridi observantia. Recurrentibus enim ad Sacram Congregationem Rit. pro approbatione electionis in Patronum alicujus Sancti, solet rescribi, quod doceant de servato Decreto Urbani VIII. — 3. Et si in electione requisita dicti Decreti observaverint, et locus non sit celebris notae, solet concedi approbatio cum clausula: *Dummodo alium principalem Patronum, seu Protectorem non habeant.* — 4 Electio Patroni non confirmatur a Sacr. Congreg. Rituum ex solo motivo Devotionis, sed ex aliis causis hic recensitis. — 5. In electione Sancti in Patronum non debent fieri promissiones, et Vota servandi Diem Festum ejusdem de praecepto, et jejunandi in ejus Vigilia. — 6. Excipitur tamen Festum unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, et venerari contigerit; Nam tale Festum est de praecepto observandum. — 7. Excipiuntur etiam electiones Sanctorum Patronorum factae ante emanationem supra allati Decreti Urbani VIII. Tale enim Decretum, licet irritet electiones postea factas, vel faciend., non irritat tamen electiones jam antea celebratas. — 8. Regulares tenentur celebrare Festum, et Officium de Patrono principali Civitatis, et Regni, aut Provinciae sub ritu duplici primae Classis, et sine Octava. — 9. Ad Officia vero de Patronis minus principalibus, ac de Sanctis Dioecesum non tenentur, nisi sint descripta in Kalendario, et tunc non sub alio ritu, quam ibi assignato. — 10 Ad hoc autem, ut Regulares teneantur ad Officia Patronorum principalium, et Clerici saeculares etiam ad Officia Patronorum minus principalium, debent esse electi in Patronos juxta conditiones requisitas in dicto Decreto Urbani VIII. — 11. Regulares exempti, et utentes Breviario Romano an possit recitare Officia de Patronis minus principalibus, et de Festis Dioecesum solitis recitari a Clero saeculari? — 12. Regulares sub ritu primae Classis, sed sine Octava, tenentur recitare Officium Sanctorum, qui Provinciis ipsorum Regularium praesunt tamquam eorum Patroni, seu Titulares — 13. Officium Patroni principalis loci tenentur omnes recitare sub ritu duplici primae Classis; Clerici quidem Saeculares cum octava, Regulares autem sine octava. — 14. Si in locis Dioecesis nullus reperiatur electus patronus, tenetur Dioecesis non solum ad Festum de Patrono Civitatis, sed etiam ad octavam. — 15. In Patronorum, sive protectorum praecedentia servandus est Ordo Hierarchiae Ecclesiae, et inter ordinem Hierarchicum, anterioritas in electione. — 16. Alia ad rem *ad n.* 18. — 19. Subnect. Add. ex alien. man. *ad n.* 30.

1 Electio Sanctorum in Patronos debet fieri juxta Decretum a Sacra Congregatione Rituum editum de mandato Urbani VIII. quod ut ab omnibus prae oculis habeatur, hic ad litteram datur.

Decretum super electione Sanctorum in Patronos a Sacr. Rituum Congr. de ordine S. D. N. URBANI PP. VIII. emanatum die 23. *Mart.* 1630.

« Sacra Rituum Congregatio, annuente Sanctiss. D. N. in electionem Patronorum mandavit infrascripta in posterum servari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla sit ipso jure ».

« Primo, quod eligi possint in Patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatorum dumtaxat.

« Secundo, quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat per secreta suffragia a populo mediante consilio generali illius Civitatis, vel Loci, non autem ab Officialibus solum, et quod accedere debeat consensus Episcopi, et Cleri illius Loci ».

« Idemque servari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia a populo singularum Civitatum Provinciae ».

« Et quod Repraesentantibus Regnum, Civitatem, vel Provinciam nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et ulterius interveniat consensus Episcopi; et Cleri dictarum Civitatum ».

« Et tertio, quod causae electionis novorum Patronorum debeant in Sacra Congregatione deduci, et ab ea examinari, ac demum cognita, ab eadem Congregatione approbari, et confirmari ».

« Et ne praemissorum ignorantia ullo unquam tempore possit allegari; Eadem Sacr. Rituum Congregatio supradictum Decretum imprimi, et publicari mandavit ».

Hoc decretum est in viridi observantia, nam recurrentibus Universitatibus ad Sacram Congregationem Rituum pro approbatione electionis in Patronum alicujus Sancti, si preces dictis requisitis sunt destitutae, rescribi solet: *Doceat de servato Decreto Urbani VIII.* prout non semel se vidisse testatur Monacell. *tom.* 2. *tit.* 16. *formul.* 10. *n.* 11. vel *Pro concessione, servata forma Decreti Urbani VIII.* 2

Aliis vero, qui in electione requisita Decreti observarunt, si locus non sit celebris notae, solet concedi approbatio cum clausula: *Dummodo alium* 3

principalem Patronum, *seu Protectorem non habeant, ut in una Mazzarien.* 30. *Martii* 1697. *pro Universitate Castri Veterani*, et in alia *Lycien.* 11. *Julii* 1699. *pro Universitate Terrae Monteroni*.

4 Hinc edoceri debet Clerus, et populus, quod electio Sancti in Patronum non debet fieri ex solo motivo devotionis, sed vel quia loci primus Episcopus fuit, vel quia ibi corpus humatum reperitur, quia oriundus, et Civis fuit, vel quia in necessitatibus mirabiliter populum protexit, et adjuvit, vel tandem ob alias similes, et congruentes causas, quae in Concilio Universitatis exprimi debent, prout expresse ex Gavant. notat Monacell. *l. c. num.* 12. afferens insuper Decretum *Sacrae Congregat. Rituum in Alessanen.* 6. *Septembr.* 1698.

5 Item edoceri expedit Clerum, et populum, quod in hujusmodi Patronorum electione fieri non debent promissiones, et vota, quae frequenter fieri solent ab Universitatibus, servandi diem Festum Patroni electi tamquam de praecepto, ac jejunandi in ejus Vigilia: Nam has promissiones, et vota Sacra Congregatio Rit. non admittit, nec approbat, sed rejicit, et tantum ex devotione servari posse concedit; ut respondit *in Theatina* 15. *Martii* 1689. pro Clero, et populo nonnullorum Oppidorum, ut refert Monacell. *loc. cit. num.* 12. et d. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *n.* 15. ubi dicit, se pluries vidisse, supplices Libellos hac in re Sacrae Congregationi Rituum porrectos pro confirmatione hujusmodi promissionum, et votorum fuisse rejectos, et praecise *in Urbevetana* 6. *Octob.* 1696. *in Messanen. loci Milazzi* 26. *Januarii*, *et in Alessanen. Terrae Corsani* 6. *Sept.* 1698. Hactenus Monacell.

6 Excipitur tamen Festum unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, et venerari contingerit. Nam tale Festum est de praecepto observandum, ut expresse statuit Urbanus VIII. Constitution. incip. *Universa* §. 2.

7 Excipiuntur etiam electiones Sanctorum Patronorum factae ante emanationem supra allati Decreti Urbani VIII. quia tale Decretum, licet irritet electiones postea factas, seu faciendas, non irritat tamen electiones jam ante celebratas, ut respondit *Sacra Rit. Congregat. in Trojanensi Patronatus* 15. *Junii* 1633. *et in Pampilonensi Patronatus Sancti Francisci Xaverii*, in qua fuit approbata electio facta in Comitiis Regni Navarrae; quae resolutio tamquam juridica fuit per Rotam, proponente Reverendissimo Decano, approbata, considerato solum, quod ad evitandum praejudicium electionis antiquissimae S. Firmini, debet uterque tamquam Patronus coli, quod certo praesupponit validitatem electionis: *Et in Neapolitano Patronatus ejusdem Sancti Francisci sub die* 16. *Septemb.* 1656. Et in terminis electionis Patroni, qui ab Ecclesia universali titulo Sancti nondum celebratur, post dictum Decretum fuit observatum in admissione Beati pro tunc, et nunc Sancti Jacobi de Marchia, cujus electio *anno* 1620. atque adeo ante Decretum editum, celebrata fuit, et deinde *anno* 1647. admissa, et solemni repositione statuae in Thesaurum Neapolitanum comprobata.

Regulares tenentur celebrare Festum, et Officium de Patrono Principali loci Conventus, ac de Patrono, seu Protectore principali Civitatis, Regni, aut Provinciae sub ritu duplici primae Classis, et sine Octava: *Sacra Congregat. Rituum* 3. *Junii* 1682. *et* 20. *Martii* 1683. ut patet in *Rubricis particularibus nostri Breviarii Franciscani* n. 78. *et* 80. Ad Officia vero de Patronis minus principalibus, ac de Sanctis Dioecesum non tenentur, nisi sint descripta in Kalendario, et tunc non sub alio ritu, quam ibi assignato; *Cit. Rubr. particul. d. n.* 78. ex decreto S. Congregationis Rit. ibi adducto. 8 9

Ad hoc autem, ut Regulares teneantur ad Officia Patronorum principalium, et Clerici Saeculares etiam ad Officia Patronorum minus principalium, debent esse electi in Patronos juxta conditiones praescriptas in d. Decreto Urbani VIII. adducto *supra n.* 1. 10

Regulares exempti utentes Breviario Romano an possint recitare Officia de Patronis minus principalibus, et de Sanctis Dioecesum, seu solitis recitari in Dioecesibus in quibus existunt? Vide veb.° *Officium divinum art.* 3. *n.* 86. 11

Regulares sub ritu primae Classis, sed sine Octava, tenentur recitare Officium Sanctorum, qui Provinciis ipsorum Regularium praesunt, tamquam eorum Patroni, seu Titulares: *Rubr. particular. nostri Breviarii Franciscani n.* 77. 12

Officium Patroni principalis loci tenentur omnes recitare sub duplici primae Classis; Clerici quidem Saeculares cum Octava; Regulares autem sine Octava. *Sacr. Cong. Rit.* 27. *Maii* 1628. et pluries in aliis Decretis. 13

Si in locis Dioecesis nullus reperiatur electus Patronus, tenetur Dioecesis non solum ad Festum de Patrono Civitatis, sed etiam ad Octavam: *Sac. Rit. Congreg.* 28 *Sept.* 1658. 14

In Patronorum, sive Protectorum praecedentia servandus est ordo Hierarchiae Ecclesiae, et inter ordinem Hierarchicum anterioritas in electione: *Sac. Rit. Cong.* 12. *Martii* 2690. 15

Patronus Civitatis Nationis, et hujusmodi non constituitur *Sanctus* aliquis, nisi ab Ecclesia universa titulo Sancti colatur: Benedict. XIV *tom.* 2 Constit. 29. incip. *Jampridem* §. 22. Patroni principales plures Sancti, ad sedandas Populorum controversias, interdum a Sede Apostolica conceduntur: Idem *ibid.* Patroni principales Urbis Romae denominandi sunt SS. Apostoli Petrus et Paulum: Idem *in Appendic. n.* 4. *pag.* 29. 16 17 18

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

19 Sacrum Tribunal Rotae « in Tarentina celebrationis Festivitatis super Processione 26. Junii 1754. §. 6. coram Reverendiss. P. D. Canillac Decano, in medio reliquit: an approbatio, (sunt ejus verba) seu confirmatio Apostolica in electione S. Patroni necessaria dumtaxat sit ad certos principaliores effectus; ex. gr. vel ad effectum concedendi Officium, et Missam propriam, vel ad effectum recitandi Officium sub ritu duplici secundae classis, vel denique ad effectum determinandi Festum de praecepto, quod alias non esset; non autem requiratur ad alios, et quoscumque effectus, licet minus principales, qualis reputatur ille celebrandi cum exteriori pompa, et solemnitate diem a S. Sede in honorem ejusdem sancti consecratum, quum catholicae gentis pietatem, ac devotionem fovere quoquo modo deceat, ac nutrire ».

Illud tamen ex mente ejusdem supremi Auditorii in *d. Tarentina celebrationis Festivitatis super Processione* §. 6. certum est, quod si actus electionis Sancti in Patronum praecesserit Decretum Urbani VIII. quo necessitas haec approbationis Sac. Congregationis Rituum imposita est, ea non requiratur, tametsi actus ille post Decretum hoc fuerit innovatus, et confirmatus. Praesumitur itidem haec approbatio S. Congregationis Rituum ex centenaria observantia, ut firmavit idem Tribunal *in d. Tarentina celebrationis Festivitatis super Processione* §. 7. (*). 20

PAUPERTAS

VIDE VERB. *VOTUM ART*. 2. *N*. 43. *AD* 116.

PAX

SUMMARIUM

1. Pax est vinculum Charitatis, et spiritualis virtus. — 2. Pacem cum alio facere nullus est compellendus, sed sufficit pro foro conscientiae intus injuriam remittere. — 3. Pacis osculum viris Ecclesiasticis in Choro sedentibus, non cum instrumento, sed osculo oris dandam est. — 4. Pacis osculum nulli etiam Praesidenti, vel Regio Consiliario dandum est ante Episcopum. — 5. Pax, et Thus debet dari Domino loci juxta formam libri Caeremonialis. — 6. Pax non debet dari Domino loci, et aliis Laicis, nisi post datam pacem omnibus de Choro, et tunc debetur non a Beneficiato, sed ab aliquo Ministro Cotta induto, non cum osculo, sed cum instrumento. — 7. Pax mulieribus non detur. Et aliquando an danda sit, remittitur arbitrio Episcopi.

1 Pax est vinculum Charitatis, et spiritualis virtus, qua salvamur, et in bono pacis consistit Universorum salus: Leo X. Const. 20. incip. *Pastor*.

2 Pacem cum alio facere nullus est compellendus, sufficit enim pro foro conscientiae intus injuriam remittere: *Sac. Congr. Episcop. et Regular.* in *Cajetana* 15. *Novemb.* 1588. apud Sellium *in selectis Canon. cap.* 17. *num.* 24. et Barbosam in *Summa Apostolicar. Decision. verb. Pax num.* 2. Signis tamen externis animus remittentis ostendi debet, prout notavit Rom. Theol. in *Edit. Rom.* 1768. Ego quidem retuli Decretum *Sac. Cong. Episc.* ad litteram prout jacet *loc. cit.* ceterum probe sciens cuique esse compertum, quod veniam legitime petenti, tenetur quilibet non tantum interius injuriam remittere, sed etiam externa remissionis signa ei ostendere. Videantur ad rem quae tradidi sub verb. *Virtus a num.* 54. *ad* 59.

Pacis osculum viris Ecclesiasticis in Choro sedentibus, non cum instrumento, sed cum osculo oris dandum est: *Sac. Cong. Rit. in Messanen.* 8. *Julii* 1620. apud Sellium *loc. cit. num.* 25. et Barbos. *loc. cit. num.* 3. 3

Pacis osculum nulli, etiam Praesidenti, vel Regio Consiliario dandum est ante Episcopum: *Sac. Cong. Rit. in Granaten.* 9. *Maii* 1606. apud Sellium *loc. cit. num.* 26. et Barb. *loc. cit. num.* 4. 4

Pax, et Thus debet dari Domino loci, juxta formam libri Caeremonialis: *Sacr. Congreg. Rit.* 5

(*) Praeter Sanctos locorum patronos, de quibus hactenus Auctor egit, sunt et alii plures sancti, quibus pietas Christiana praefecturas super certis vitae generibus, et negotiis, vel etiam malis certis arcendia adscripsit. Confer Raynaudum *Tom. VIII. operum*, ubi de *titulis cultus Sanctorum specialibus*, et si licet, Fabricii *Bibliographiam antiquariam p* 362 *seqq.*, ubi tamen Protestantium more hujusmodi patronatus insectatur, et irridet. In his *quatuordecim* opitulatores, seu *auxiliatores* generales in quocumque calamitatis genere implorandi sunt, sancti Blasius, Dionysius, Erasmus, Pantaleo, Vitus, Georgius, alii Gregorium appellant, Cyriacus, Christophorus, Achatius, Eustochius, Ægidius, Sancteeque Barbara, Catherina, et Margarita, de quibus Martinus Crusius in *Corona anni T. II. p.* 280. *seq.*

in Strongolen. 4. *Martii* 1606. *apud Sellium loc. cit. num.* 29. et Barbosam *loc. cit. num.* 6.

6 Pax non debet dari Domino loci, et aliis Laicis, nisi post datam pacem omnibus de Choro, et tunc debetur non a Beneficiato, sed ab aliquo Ministro Cotta induto, non cum osculo, sed cum instrumento: *S. Cong. Rit. in Pacen.* 21. *Martii* 1509. *et in Calagurit.* 5. *Jul.* 1614. apud Sell. *loc. cit. num.* 30. et Barb. *loc. cit. num.* 7.

Pax mulieribus non datur. *Sac. Cong. Rit. in Lucerin.* 3. *Junii* 1637. et aliquando an danda sit? remittitur arbitrio Episcopi. *Eadem Sacr. Congreg. Rit. in Pacen.* 28. *Januarii* 1612. apud Sellium *loc. cit. num.* 11. et Barbos. *l. c. n.* 8. 7

PAX RELIGIOSA

Brevis expositio Conventionum circa Materias Relig. cum Protest. initarum.

1 Inno 1517. Martinus Lutherus Monasticae vitae, et Religionis Catholicae desertor, nova contra avitam fidem dogmata spargere coepit, quem proin non solum Leo X. Summus Pontifex, sed etiam Imperator Carolus V. per edictum Wormatiense anno 1521. die 8. Meii datum, « tamquam membrum ab Ecclesia Dei separatum, perniciosi schismatis auctorem, pertinacemque haereticum damnavit ». Cui edicto quum Imperator, et Status Imperii in sequentibus Comitiis saepius inhaererent, Sectatores Lutheri, contra intentatas poenas protestando, *Protestantium* nomen adepti sunt. Doctrinam eorum Philippus Melanchton formula quadam complexus est, quae a loco ubi, anno 1530. exhibita fuit, *Augustana Confessio* dicitur, ab Imperatore in publicis Comitiis rejecta.

2 Salutem bucusque Novatores quaerebant in mora, appellando identidem ad Concilium Generale, vel Nationale: demum fortius praesidium in armis quaerendum rati, Foedus Schmalcaldicum in finibus Thuringiae inierunt. Carolus autem Imperator multum remisit a primo suo zelo, quod testatur transactio Norimbergensis anno 1532. ejusque Confirmatio in Comitiis Ratisbonensibus. Sed ferociores inde expertus est Confessionis augustanae asseclas, aperto bello ab iis petitus. Duces praecipui erant *Johannes Fridericus* Elector Saxoniae, et *Philippus Landgravius Hassiae*: prior in pugna Milhlbergensi captus est: alter seipsum spontenea deditione captivum stitit anno 1547.

3 Mitius, quam rei opportunitas expetere nonnullis videbatur, victoria usus est Carolus. Unde sequenti anno 1548. in Comitiis Augustanis processum est famosum illud *Interim*, seu Decretum per viginti sex articulos declarans quid in causa Religionis interim tenendum sit, donec controversiae per Concilium Generale finirentur, quod jam Tridenti anno 1545. initium sumpserat, sed anno 1547. Bononiam translatum, et demum per aliquot annos suspensum. Postquam vero illius reassumptio a Julio III. Pontifice indicta fuerat, Status Imperii rursus controversiarum Fidei decisionem Concilio submittendam statuerunt.

4 Sed mox novas turbas inopinato excitavit *Mauritius* Saxoniae Elector, ipso Electoratu, aliisque plurimis beneficiis ab Imperatore ornatus. Unde *Ferdinandus* Romanorum Rex nomine Fratris sui Caroli Imperatoris, aliis bellis distenti, intervenientibus quibusdam Principibus Imperii, cum Mauritio, et Foederatis *Transactionem Passavii* iniit 2. Augusti 1552. Ubi quantum ad rem nostram spectat, conventum fuit, ut intra semestre celebrarentur Comitia, in quibus de via componendi dissidia Religionis per Concilium Generale, aut Nationale etc. deliberaretur: interim Confessioni Augustanae addictis nulla in Imperio molestia, violentia, aut contemptus propter Religionem inferretur, sicut vicissim nec illis, qui veteri Religioni adhaererent.

Transactio ista demum anno 1555. confirmata fuit Augustae Vindelicorum in publicis Comitiis, *Pace Religionis*, ut vulgo vocatur, 25. Septembris ibidem conclusa. En ejus capita ex Francisci Ignatii. Wedekin dissertatione historica Juridica Fuldae edita 1738. et a P. Schmidt in Tomum X. sui *Thesauri Juris Ecclesiastici* illata p. 425. 5

I. Nullus status Imperii propter Augustanam Confessionem invadatur, laedatur, opprimatur, neque invitus ab illa, ejusque fide, ritibus, ordinationibus, quas instituerunt Protestantes, vel instituturi sunt, in suis Principatibus, ac Dominiis repellatur, gravetur, aut contemnatur.

II. Vicissim Status Augustanae Confessionis contra Catholicos nihil attentent.

III. Controversa Religio aliter, quam Christianis, amicis, ac pacificis viis, et mediis non componetur.

IV. Qui alterutri harum religionum addicti non sunt, hac pace non comprehendantur.

V. Si Archi-Episcopus, Episcopus, Praelatus, aliusve quispiam Ordinis Ecclesiastici a Catholica Religione recesserit, Ecclesias, ac beneficia cum fructibus absque mora quidem, sed sine detrimento honoris sui relinquat.

VI. Bona Ecclesiastica, ante transactionem Passaviensem occupata, quae ad immediatos Imperii non pertinent, neque intra, neque extra Judicium repetentur.

VII. Ecclesiastica Jurisdictio adversus Augustanam Confessionem, ejusque Ministros, ritus, ordinationes, quas instituerunt, aut instituent, quiescere, atque suspensa esse, et manere debet.

VIII. Catholicis redditus, census, pensiones sal-

vae maneant, salvis Juribus Saecularibus ejus Status, in cujus Territorio isthaec sita sunt; Ecclesiarum quoque Ministeriis, Parochiis, Scholis, Eleemosynis, Hospitalibus, ex iis bonis provideatur, non attento Religionis discrimine.

IX. Si super his praestationibus lites oriantur, per arbitros componantur.

X. Nullus Status alium, ejusque Subditos ad suam Religionem compellat, nec eos arte aliqua ad se attrahat, aut contra Magistratum suum in tutelam suscipiat, aut ullatenus defendat.

XI. Si aliqui Religionis ergo ex statuum, seu Catholicorum, seu Protestantium Provinciis alio migrare velint, emigratio, bonorumque distractio consueto emigrantium tributo, et si mancipia fuerint, lytro persoluto, absque impedimento, et honoris, obligationumque praejudicio concedatur:

XII. Si compositio Religionis in Concilio Generali, aut Nationali, aut tractatione Imperiali Comitiorum non sequatur, nihilominus Pax ista secundum omnes supra dictos articulos vigorem obtineat, usque ad finalem Religionis compositionem, atque ita modo jam dicto, et alias undequaque constans, absoluta, sive inconditionata, et perpetua Pax constituta, et decreta sit, ac maneat.

XIII. In hac Pace libera quoque nobilitas Caesari immediate subjecta comprehendatur.

XIV. In Civitatibus Imperii utraque Religio, ubi aliquamdiu viguit, etiam imposterum ita maneat; et neutra pars alterius Religionem, et ritus abroget, vel ad eam deserendam alios compellat, sed utraque pacifice, et quiete cohabitet.

XV. Constitutiones Imperii, vel aliae ordinationes contrariae nihil huic Paci derogent, neque declaratio in contrarium dari, impetrari, acceptari possit, data vero, impetrata, acceptata nullius sit roboris, sive in judicio, sive extra.

XVI. Hos Articulos Caesar, Rex, eorumque Successores inviolate observabunt, nec contra, seu ex potestatis plenitudine, seu ex alio praetextu agent, neque suo nomine agi permittent; idem praestabunt Principes, Praelati, Comites, et Civitates Imperii, eorumque Successores, et Haeredes sub obligatione Caesareae, Regiae, et Principalis dignitatis, fidei, et fidelitatis in verbo veritatis, omni dolo secluso.

XVII. Ex utraque parte nec Caesar, nec ullus Status alterum quocumque modo per se, vel per alios gravet, opprimat, laedat. Si quis adversus hanc pacem alteri vim, aut molestiam intulerit, Caesar, aliique Status, id facienti non solum Consilium, auxilium, patrocinium nullum praestabunt, sed contra alteram partem, auxilio, et patrocinio juvabunt.

XVIII. Camerae Imperialis Praeses, et Assessores secundum hanc pacem, non attenta Religione, partibus Jus dicant, neque contra haec processum, aut mandatum decernant, vel alio modo, agant.

In istis Pacis articulis nullum Confessionis Augustanae dogma approbatur, aut discutitur: sed solummodo intenditur tranquillitas publica, *tractatu de Religione in aliud opportunum tempus dilato*. Eventus autem docuit, occasione hujus Pacis, errores latius esse sparsos, quietem Imperii magis turbatam. Nam quum in conventione ista nihil statueretur de modo, quo status Imperii in causa Religionis erga Subditos se gerere deberent; hinc Principes protestantes, et qui aequali cum Principibus Jurisdictione in Imperio gaudent, ex Jure reformandi, quod sibi competere credebant, opprimebant subditos suos Catholicos, occupabant Ecclesias, Monasteria, ejectis Presbyteris, et Religiosis; imo integros Archi-Episcopatus, Episcopatus, ac immediatas Abbatias ad se trahebant: et quidem sine ullo Juris remedio; quum Protestantes circa has causas nec in Camera Imperiali jus experiri, nec majoribus Comitiorum votis stare vellent. 6

Spes etiam componendi dissidia Religionis omnino praecisa videbatur, dum Protestantes Generali Concilio, ad quod antea saepius provocarant, jam Tridenti Congregato, se submittere renuebant. Agendum erat de causa Religionis mediis amicabilibus, pacificis; sed quibus? Rejecto, nisi ad praescriptum Protestantium celebraretur, Concilio Generali, aliquando praeplacuit via Colloquii: mox ea inutilis ad intentum finem agnita. Certe concordia in dissidiis Religionis identidem in aliud tempus rejecta fuit. 7

PAX VESPHALICA

Summaria expositio Tract. Vestphalici.

1 Post Pacem Religiosam, de qua nuper, adeo compositae res in Germania non fuere, ut bellum eruperit. Diviso enim in factiones Imperio, Lutherani in *Unionem* Halae Suevorum, Catholici in *Ligam* Herbipoli coeunt anno 1610. Accedunt tumultus Bohemici, electo in Regem Friderico V. Palatino contra Ferdinandum Austriacum: cumulum addidit foedus Protestantium cum Suecia, Gallis, Batavis, Anglis etc. Res Catholicorum eo perducta fuit, ut fere solus Imperator, et elector Bavariae vires aliquas possent opponere, contra tot Hostes vix suffecturas. Ex Catholicis Principibus aliqui induciis, successione, singularibus pactis, aut medio statu, sive neutralitate rebus suis melius consultum credebant: alii hostilibus armis fracti, attriti, et pene subacti

erant: aliis imminens Suecorum exercitus ultima quaeque, si se moverent, minabatur. Hispani Gallico bello impediebantur: Italiae Principes a Caesare de periculo Catholicae Religionis admoniti negabant auxilia ob motus Turcarum adversus Rempublicam Venetam.

2 Igitur post triennale bellum varia fortuna gestum, vastatis Provinciis, exhaustis aerariis, exercitibus clade, lue, omnique malorum genere diminutis, demum anno 1648. Pax concluditur In Westphalia a Ferdinando III. Imperatore, et Foederatis, Osnabrugae quidem cum Suecis, et conjunctis; Monasterii autem cum Gallis. Duplex igitur habemus Pacis Westphalicae Instrumentum, scilicet Caesareo Suecicum, et Caesareo-Gallicum. Nostra solummodo interest, ut ea referamus, quae Juris Canonici Forum attingunt, et potissimum in Articulo quinto Instrumenti Caesareo Suecici continentur, omissis tamen iis, quae jura Religionis in privatis quibusdam Civitatibus concernunt.

3 Osnabrugae igitur conventum, et transactum est.

I. Transactio Passaviensis, et Pax Religionis Augustanae inviolabiliter observetur: praesens Transactio pro perpetua dictae Pacis declaratione habeatur, donec per Dei gratiam de Religione ipsa conventum fuerit: nec contra eam nulla jura, protestationes, transactiones, sententiae, privilegia, aut aliae quaecumque exceptiones unquam allegentur, audiantur, aut admittantur: si quid dubii incidat, de eo in Conventibus Imperii nonnisi amicabili ratione transigatur, non attenta votorum pluralitate.

II. Inter utriusque Religionis Status sit exacta aequalitas, ita ut quod uni parti justum est, alteri quoque sit justum. Praeter Catholicos, et Augustanae Confessioni adhaerentes, comprehendantur etiam reformati, seu Calvaniani, ita, ut praeter istas tres Religiones, nulla alia in Imperio recipiatur, vel toleratur.

III. Prohibetur omnis violentia, aut via facti, Pace profana ad materiam Religionis extensa: nemo ob Religionem suam despicaiui habeatur, nec a Mercatorum, Opificum etc. communione, multo minus publicis Coemeteriis, honoreve Sepulturae arceatur.

IV. Terminus *a quo* restitutionis in Ecclesiasticis, sit dies prima Januarii anni 1624. fiatque reductio ad statum dicti anni, et diei in omnibus, quoad Praelaturas, et Beneficia immediata, et mediata, Jura, redditus etc. item quoad numerum Canonicorum, et exercitium Religionis in Ecclesiis mixtis.

V. *Reservatum Ecclesiasticum*, de quo in *Pace Religionis*, extenditur etiam ad Acatholicos, qui Praelaturas Ecclesiasticas obtinent. Jura eligendi, et postulandi illibata retineantur, ut tantum nihil contineant Augustanae Confessioni adversum: spondeantque eiecti, se Praelaturas nequaquam haereditario Jure possessuros.

VI. Imperator per primarias preces praesentet ejusdem Religionis consortem cum defuncto: Investiat postulatos Protestantes post praestita Juramenta: nulla executio decernatur pro exactione Annatarum etc.

VII. Statibus immediatis cum jure territorii competit jus reformandi exercitium Religionis: subditi tamen retineant exercitium an. 1624. quacumque anni parte habitum. Qui dicto anno modernae suae Religionis exercitium non habuerint, his conceditur Jus emigrandi: si nec sua sponte emigrare voluerint, nec a Territorii Domino jussi fuerint, patienter tolerentur conscientia libera domi devotioni suae privatim vacare.

VIII. Jus Dioecesanum, et tota Jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Augustanae Confessionis Status, eorumque Subditos suspensa esto, et intra terminos territorii cujusque se contineat.

IX. Inter Ecclesias, quae non ex possessione anni decretorii, sed ex aliis rationibus nominatim Protestantibus traditae sunt, praecipuae sunt hae. 1. Coronae Suecicae praeter alia decernitur Archi-Episcopatus Bremensis, et Episcopatus Verdensis. 2. Electori Brandeburgico Archi-Episcopatus Magdeburgicus, Episcopatus Caminensis, Halberstadiensis, et Mindanus. 3. Megapolitano Duci Episcopatus Suerinensis, et Racenburgensis. 4. Domui Brunswicensi Alternativa cum Catholicis in Episcopatu Osnabrugensi praeter Abbatiam Walckenried, et Groningen. 5. Domui Hasso-Casselanae Abbatia Hirschfeldensis. 6. Domui Wirtembergicae restituuntur variae Ecclesiae Collegiatae, Abbatiae, Praepositurae, et Monasteria.

Hoc Pacis Instrumentum dictos, pluresque Articulos continens, in proximis Comitiis receptum, 4
confirmatumque est tamquam lex fundamentalis Imperii, et perpetua Regula, ac norma judicandi inviolabiliter observanda. Nec destiterunt Protestantes, donec, quantum in suae Religionis favorem erat, rigorosa executio fuerit secuta. Quasdam tamen Provincias non omnibus Pacis Westphalicae Constitutionibus subjacere experientia docuit.

Quanto antem animi dolore tantam rei Catho- 5
licae stragem senserit *Innocentius* X. Romanus Pontifex, abunde constat ex ejusdem Bulla *Zelo Domus Dei*, data 20. Novembris 1648. in qua omnia Transactionis Westphalicae Capita, quae in praejudicium Religionis, et Ecclesiarum vergunt, damnat, reprobat, irritat, cassat, annullat, viribusque, et effectu avacuat, et contra illa, deque eorum nullitate coram Deo protestatur. His vestigiis insistunt Innocentii Successores, uti videre est in Brevibus Clementis XI. quibus damnat, reprobat, et annullat, tum recessum Capituli Hildesiensis anno 1711. cum Principe Acatholico initum; tum Postulationem Ernesti Augusti Brunswicensis Ducis in Episcopum Osnabrugensem anno 1716. juxta Instrumentum Pacis celebratum.

6 Non obstantibus his Pontificum Constitutionibus, ut videre est apud P. Zech. in suis *Praecognitis Juris Canonici* §. 400. controvertitur inter Doctores Germaniae, an haec pacta fuerint a Statibus Catholicis licite inita, eosdemque obligent? Ut ut est, celebris liber Bar. de Ickstadt Dissertationem vulgavit omnino legendam *de justa, et efficaci Summi Pontificis protestatione adversus Pacem Religiosam, et Westphalicam.* Hujus Dissertationis Compendium exhibuit P. Schmidt T. I. sui *Thesauri Juris Ecclesiastici pag.* 515. *seqq.* quem vide. Historiam hujusce Pacis longe accuratissimam, ac perelegantem dedit Gallice Parisiis P. Bougeant.

PECCATUM

SUMMARIUM

1 Peccatum generalissime sumptum potest esse vel naturae, vel artis, vel moris. — 2. Peccatum sic generalissimo sumptum definitur, quod sit *transgressio Legis.* — 3. In hoc sensu etiam natura dicitur peccare in suis affectibus, quando producit monstra, aliaque naturaliter defectuosa, et imperfecta, et appellatur *peccatum naturae.* — 4. Item in hoc sensu etiam artifex dicitur peccare, quando errat in operibus suis, illa non faciendo juxta regulas artis, et vocatur *peccatum artis.* — 5. In proposito autem non est sermo de peccato naturae, vel artis, sed solum de peccato moris, quod proprie dicitur culpa, in quantum est transgressio Legis per carentiam rectitudinis debitae inesse actibus moralibus. — 6. Peccatum moris interdum sumitur pro caussa, vel effectu peccati. Interdum sumitur pro materia, circa quam versatur peccatum. Interdum sumitur pro Hostia in expiationem peccati; Hic autem nos agimus de peccato moris, sive morali stricte, et rigorose sumpto. — 7. Peccatum moris, sive morale stricte, et rigorose sumptum varie definitur a Patribus, et Doctoribus, sed in re omnes conveniunt, et adducuntur praecipuae Definitiones — 8. Explicatur per singulas particulas illa tradita a Divo Augustino, cum qua omnes aliae in re conveniant. — 9. Peccatum, et sic, varie dividitur. Primo enim dividitur in peccatum Originale, et peccatum personale, et quid sit utrumque? ac breviter de justitia originali, vulneribusque peccati originalis. — 10. Secundo peccatum personale subdividitur in actuale, et habituale; et quid sit utrumque? — 11. Tertio peccatum personale actuale dividitur in peccatum Commissionis, et Omissionis; et quid sit utrumque? — 12. Quarto peccatum personale dividitur in peccatum carnale, et spirituale, et quid sit utrumque? — 13. Quinto peccatum personale dividitur in mortale, et veniale; et quid sit utrumque? datur salutare monitum circa veniale. — 14. Sexto aliqui dividunt peccatum personale etiam in philosophicum, et Theologicum; et quid sit utrumque? — 15. At revera non datur peccatum philosophicum re ipsa, et in praxi a Theologico separatum. — 16. Et affertur ratio. — 17 Ad contrahendum quodcumque peccatum actuale, sive mortale, sive veniale, tres requiruntur conditiones, quae assignantur. — 18. Item tria requiruntur potissimum ad peccatum mortale, quorum si unum desit, jam non erit peccatum mortale, sed ad summum veniale; et assignantur, ac ubertim elucidantur, *ad num* 23. — 24 Peccatum mortale potest esse triplex. Primo mortale *ex genere suo* Secundo mortale *ex praecepto*. Tertio mortale *ex accidenti, vel circumstantia*; et quid sit unumquodque? — 25. Peccatum veniale etiam triplex esse potest. Primo veniale *ex genere suo*. Secundo veniale *ex imperfectione actus.* Tertio veniale *ex parvitate materiae*, et quid sit unumquodque? — 26. Peccatum mortale ex genere suo fit veniale per accidens in individuo potissimum quatuor modis, qui assignantur. — 27. Peccatum veniale ex genere suo potest per accidens fieri mortale potissimum sex modis, qui assignantur. — 28. Peccatum formaliter acceptum non consistit in positivo, sed in privativo. — 29. Sic tenent aperte plurimi Sancti Patres, qui adducuntur. — 30 Et affertur ratio. — 31. Distinctio specifica moralis peccatorum omissionis desumitur ex actibus debitis, quorum sunt omissiones. — 32. Distinctio specifica moralis peccatorum commissionis desumitur ex diversis specie virtutibus, seu diversis ejusdem virtutis rectitudinibus, quibus privant. — 33. Unde ad distinctionem specificam moralem peccatorum sufficit, ut vel diversis specie virtutibus opponantur, vel opponantur eidem virtuti, secundum diversas specie honestates, et rectitudines — 34. Distinctio numerica moralis peccatorum desumitur ex distinctione numerica actuum voluntatis moraliter interruptorum. — 35. Actus voluntatis interni quando moraliter interrumpi censeantur? — 36. Hinc resolves primo, quod peccata interna, quae solo animo perficiuntur, toties multiplicantur numero, quoties actus ipse internus renovatur. — 37. Resolves secundo, quod peccata, quae opere externo perpetrantur, toties numero multiplicantur, quoties actus ipsi exteriores peccatum illud consummantes repetuntur. — 38. Resolves tertio, quando actus sunt ordinati ad unum numero actum, seu finem principalem, omnes illi actus non sunt tot peccata distincta ab ipso actu finali, sed unum duntaxat peccatum. — Resolves quarto, quod quando actus sunt disparati, ita ut unus non dependeat ab alio, nec ordinetur ab ipsum, tunc tot sunt numero peccata, quot sunt actus in se completi, et consummati. — 40. Peccatum originale deletur in infantibus per solum Baptismum in re susceptum. — 41. In adultis autem peccatum Originale deletur per Baptismum sive in re, sive in Voto. Immo in ipsis adultis per Baptismum delentur insuper omnia peccata personalia ante ipsum Baptismum commissa, non solum quoad culpam, sed etiam quoad totam poenam. — 42 Peccatum mortale post Baptismum commissum remittitur solum per Sacramentum Poenitentiae in re, vel in Voto. — 43. Unum autem peccatum mortale in hac providentia remitti non potest sine alio — 44. Neque de facto unquam remittitur peccatum veniale sine remissione peccati mortalis — 45. Potest tamen econtra remitti peccatum mortale, quin remittatur veniale. — 46 Peccatum veniale post Baptismum commissum remittitur universim duobus modis. Primo ex opere operantis, secundo ex opere operato per Sacramenta, et aliquatenus per Sacramentalia. — 47. Ex opere operantis quomodo remittantur peccata venialia? *ad num.* 50. — 51. Ex opere operato quomodo remittantur peccata venialia? — 52. Per Sacramentalia quomodo remittantur peccata venialia? — 53. Sacramentalia quare sic appellentur? — 54 Sacramentalia enumerantur, et explicantur, *ad num.* 60. — 61. De poena debita decedentibus cum solo peccato Originali, quinque sunt diversae sententiae: et assignatur, quid sentiat prima. — 62. Assignatur, quid sentiat secunda — 63. Assignatur, quid sentiat tertia. — 64. Assignatur, quid sentiat quarta. — 65. Assignatur, quid sentiat quinta. — 66 Ex enumeratis sententiis prima, et secunda, non solum falsae, sed etiam sunt haereticae. — 67. Quarta sententia, licet non careat sua probabilitate, tamen a nobis non admittitur. — 68. Quinta

sententia, licet non videatur aperte ab Ecclesia Catholica reprobata, rejicitur tamen passim in Scholis. — 69. Secundum tertiam sententiam, quam sequimur, pueri decedentes cum solo peccato Originali nullam patiuntur poenam sensus. Nec post diem judicii passuri sunt alias corporis afflictiones, sed tantum patiuntur, et patientur solam poenam damni sine ullo dolore interno, et externo, seu sine ullo prorsus dolore, vel tristitia de amissione Beatitudinis. — 70. Probatur prima pars quod scilicet tales pueri nullam patiantur poenam sensus, nec post diem judicii passuri sint alias corporis afflictiones. — 71. Probatur secunda pars, quod scilicet tales pueri patiantur, et passuri sint perpetuo poenam damni, *ad num.* 72. — 73. Probatur tertia pars, quod scilicet tales pueri patiantur, et passuri sint perpetuo poenam damni sine ullo dolore, interno, et externo, seu sine ullo prorsus dolore, vel tristitia de amissione Beatitudinis. — 74. Affertur, et solvitur prima objectio, *ad num.* 75. — 76. Affertur, et solvitur secunda objectio, *ad num.* 77. — 78. Affertur, et solvitur tertia objectio, *ad num.* 79. — 80. Adducitur distinctio locorum in quibus recipiuntur animae ex hoc mundo decedentes. — 81. Poena debita decedentibus cum peccato actuali mortali est poena aeterna, tam damni, quam sensus. — 82. Poena debita decedentibus cum solis peccatis venialibus non est aeterna, sed solummodo temporalis. — 83. Peccatum veniale conjunctum cum mortali punitur in inferno poena temporali. — 84. Affertur, et solvitur instantia. — 85. Assignatur verus sensus illius Catholici axiomatis, quod *in Inferno nulla est redemptio.* — 86. Circumstantiae peccati, *remissive.* — 87. Peccatum lethale mortua constituit bona opera, quae in eo fiunt, et jam facta reddit mortificata, *remissive.* — 88. Alia ad rem *ad n.* 97.

1 Peccatum generalissime sumptum potest esse
vel naturae, vel artis, vel moris. *Communis.*
2 Peccatum sic generalissime sumptum definitur a S. Augustino *lib.* 2. *de consensu Evangelistarum cap.* 3. dicendo: *Peccatum est transgres-*
3 *sio Legis.* In hoc enim sensu etiam natura dicitur
peccare in suis effectibus; quando producit monstra, aliaque naturaliter defectuosa, et imperfe-
4 cta, et appellatur *Peccatum naturae.* Item in hoc
sensu etiam Artifex dicitur peccare, quando errat
in operibus suis, illa non faciendo juxta regulas
5 artis, et vocatur *Peccatum Artis.* In proposito autem non est sermo de peccato naturae, vel artis,
sed solum de peccato moris, quod proprie dicitur
culpa, in quantum est transgressio Legis per carentiam rectitudinis debitae inesse actibus moralibus.
6 Peccatum moris interdum sumitur pro causa, vel
effectu peccati, uti ad *Romanos c.* 7. *n.* 17. ibi:
Quod habitat in me peccatum, idest fomes peccati,
seu concupiscentia; Interdum sumitur pro materia, circa quam versatur peccatum, uti *Deuteronom. c.* 9. *n.* 11. ibi: *Peccatum autem vestrum,
quod feceratis, idest vitulum, arripiens igne combussi;* Interdum sumitur pro hostia in expiationem peccati, uti 2. *ad Corinth. cap.* 5. *nu.* 21.
dicitur, quod Christus factus sit *pro nobis peccatum,* idest Hostia pro nostro peccato. Hic autem
nos agimus de peccato moris, sive morali, stricte,
et rigorose sumpto.
7 Peccatum moris, seu morale stricte, et rigorose sumptum varie definitur a Patribus, et Doctoribus, sed in re omnes conveniunt. Sanctus enim
Joannes Apostolus *in sua prima Epistola cap.* 3.
n. 4. dicit quod *Peccatum est iniquitas.* S. Ambrosius *lib. de Paradiso cap.* 8. sic habet: « Quid est
peccatum, nisi praevaricatio Legis Divinae, et caelestium inobedientia praeceptorum »? S. Augustinus *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 27. eumque
secutus S. Thomas 1. 2. *q.* 71. *art.* 6. ita definiunt actuale peccatum, dicendo: « Peccatum est
dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem
Dei ». Scotus *in* 2. *dist.* 37. *qu.* 1. dicit, quod
« Peccatum est carentia rectitudinis debitae inesse
actui ». Alii passim dicunt, quod « Peccatum est
actio, vel omissio voluntaria contra Legem Divinam (*).
Unde hic explicatur per singulas particulas de- 8
finitio illa tradita a Divo Augustino, cum qua omnes aliae in re conveniunt. Dicitur autem primo:
Dictum, vel factum, vel concupitum ad denotandum triplex peccatum, quod committi potest, scilicet cogitatione, verbo, et opere; Et quamvis talia videantur comprehendere sola peccata commissionis, et non omissionis, tamen; quia *affirmatio,
et negatio reducuntur ad idem genus,* ut notant
communiter Doctores, et constat etiam ex l. *Si
mora* 9. *juncta Glossa verb. Facto, ff. Soluto Matrimonio,* vere comprehenduntur etiam peccata omissionis: per ly enim *dictum,* vel *factum* etc. intelliguntur etiam horum negationes, scilicet *non
dictum, non factum,* et sic peccata omissionis reducuntur ad peccata commissionis, ut expresse dicit D. Thomas *de veritate q.* 15. *ar.* 4. *ad* 10. ibi:
« Agere, et non agere, cum quis agere debet, ad
idem genus actus reducuntur, secundum quod peccatum omissionis ad peccatum actus reducitur ».
Et idemmet S. Augustinus *de perfect. Just. cap.*
3. dicit: « Duobus modis constat esse peccatum,
si aut fiant illa, quae prohibentur, aut illa non
fiant, quae jubentur ». Dicitur secundo *contra Legem,* in quo consistit formale peccati; Est enim
peccatum terminus concretus dicens pro materiali
ipsam actionem, vel omissionem, pro formali inobedientiam, seu actum contra Legem. Dicitur tertio contra *Legem Dei* simpliciter, quia peccans
contra Legem humanam, peccat saltem mediate
contra Divinam, cum transgressio Legis humanae,
sive Canonicae, sive Civilis, non aliter sit pecca-

(*) E. R. Verbum, quo utitur Joannes Apostolus epistol. 1. cap. 3. ver. 4. significat *Transgressionem Legis, discrepantiam a Lege.* Est enim *Anomia,* ex a priv. et *Nomos* Lex. Ideoque definitiones Ambrosii, Augustini, et Thomae eodem recidunt.

tum, nisi quia est contra Legem Dei volentis, ac praecipientis, ut nostris legitimis Superioribus aliquid juste praecipientibus obediamus. « Ad Hebraeos enim *cap.* 13. *nu* 17. habetur expresse: Obedite Praepositis vestris, et subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris redditurí ». Et ad Rom. *cap.* 13. *n.* 2. praecise dicitur: *Qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit.* Et sic sufficit, quod S. Augustinus posuerit in definitione verba illa *contra Legem Dei*, nec fuit necesse addere *contra Legem humanam.*

9 Peccatum ut sic vario dividitur. Primo enim dividitur in peccatum Originale, et peccatum Personale. *Peccatum Originale* est carentia justitiae Originalis transfusa ab Adamo per virtutem seminalem, seu carnalem propagationem in posteros; Siquidem juxta illud Apostoli *Ad Romanos cap.* 5. *n.* 12. « Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt »: quod de peccato Originali est intelligendum, prout communiter docent SS. Patres, et Theologi, et ipsum Concilium Tridentinum *sess.* 5. *in Decret. de peccat. Originali.* Ut autem peccati originalis descriptio perfecte percipiatur, ad mentem breviter revocandum est, per justitiam originalem dona illa omnia supernaturalia designari, per quae homo rectus efficiebatur, per quae scilicet portio, sive pars inferior hominis, videlicet appetitus sensitivus portioni, sive porti superiori, nempe Rationi perfecte subjiciebatur; ast (proh dolor!) Homo, cum in tanto honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. Hinc ultra exclusionem a vita aeterna, secum traxit originalia praecipua quatuor vulnera, quibus saeve sauciamur, et sunt ignorantia intellectus, malitia voluntatis, seu pronitas ad malum, concupiscentia carnis adversus spiritum, et infirmitas corporis aggravantis animam, ac voluntatis ad tentationes vincendas, et ad bonum arduum aggrediendum; et haec vulnera neque per Baptismum tolluntur, unde PP. et Theologi docent, semper in nobis fomitem peccati manere, puta perduellionem appetitus sensitivi contra rationem etc. *Peccatum Personale* est illud, quod a propria cujusque voluntate contrahitur; atque a propria (ut ita dicam) cujusque persona committitur, unde et *Personale* nuncupatur, *Communis.*

10 Secundo, *Peccatum Personale* subdividitur in actuale, et habituale. *Peccatum actuale* est actualis transgressio Legis Divinae; Et sic tunc committitur peccatum actuale, quando actualiter violatur Lex Divina, sive eliciendo actum ab ipsa prohibitum, sive omittendo actum ab ipsa praeceptum: *Communis.* Peccatum habituale est macula relicta in anima de peccato actuali moraliter permanente; Unde peccatum habituale nihil aliud est, quam peccatum actuale, cujus commissio physice jam praeteriit, moraliter tamen permanet, donec per veram Poenitentiam expietur. *Communis.*

Tertio, Peccatum personale actuale dividitur in peccatum commissionis, et omissionis. *Peccatum commissionis* est, quo fit id, quod a Lege divina prohibetur. *Communis. Peccatum omissionis* est, quo omittitur id, quod a Lege Divina praecipitur. *Communis.* Unde S. Augustinus *de perfect. just. cap.* 3. ad rem sic dicit: *Duobus modis constat esse peccatum: si aut fiant illa, quae prohibentur, aut illa non fiant, quae jubentur.* 11

Quarto, Peccatum personale dividitur in peccatum carnale, et spirituale, juxta illud Apostoli 2. *ad Corinth. cap.* 7 « Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, et spiritus ». Peccatum carnale est illud, quod in concupiscentia carnis, seu in inordinata delectatione carnis consistit, uti sunt gula, et Luxuria, et diversae peccatorum species ad haec duo peccata reducibiles. *Communis. Peccatum spirituale* est illud, quod in concupiscentia, seu in inordinata delectatione spirituali perficitur, et consummatur, uti sunt superbia, inanis gloria, et hujusmodi. *Communis* Quinimmo S. Gregorius *lib.* 31. *moral. c.* 31. dicit, quod capitalium vitiorum quinque sunt spiritualia, scilicet Superbia, Invidia, Avaritia, Ira, et Acedia, duo vero carnalia, scilicet Gula, et Luxuria. 12

Quinto, peccatum personale dividitur in mortale, et veniale. *Peccatum mortale* est defectus contra Legem, vel praeceptum, cujus observantia necessaria est simpliciter ad consequendam gratiam, et salutem finalem consequendam; Unde dicitur *mortale*, quia ob sui gravitatem solvit penitus amicitiam, et gratiam cum Deo, poenamque meretur aeternam, quae est mors secunda; Et de hoc dicitur *Sapient.* 16. *Homo per malitiam occidit animam suam* (*) *Et Ezechiel.* 18. *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur.* Et ad Romanos 6. *Stipendia peccati mors.* Et Jacobi 1. *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* Peccatum veniale est defectus contra Legem, vel praeceptum, cujus observantia non est simpliciter necessaria, sed tantum secundum quid, ad melius, et citius salutem finalem consequendam; Unde dicitur veniale, quia licet fervorem Caritatis minuat, non tamen penitus amicitiam, et gratiam cum Deo solvit, nec meretur poenam aeternam, adeoque ob sui levitatem veniam facilius consequitur; Et de hoc intelligitur illud *Proverb.* 24. *Septies enim cadet justus, et resurget, et Jacob. c.* 3. *In multis offendimus omnes*, et hujusmodi. Sic in re *Communis Doctorum.* Praetereundum autem non est 13

(*) Sapientiae Cap. XVI. vers. 14. haec habentur; « Homo... occidit quidem per malitiam, et cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quae recepta est »: quemadmodum anima recepta revocari potest a Deo, de quo ibid. vers. 13. « Tu es... Domine, qui vitae, et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis ».

commiserandum valde fore, quod multi parum timeant, aut nihil sibi a venialibus caveant; minime advertentes grandia mala, ad quae paulatim disponunt; immo per venialia pedetentim non paucos in ruinam fuisse prolapsos; Unde Eccl. *cap.* 19. *v.* 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Eccles. *cap.* 10. *v.* 18. « In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus ». Apoc. *cap.* 3. *v.* 16. « Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo ». D. Bern. *de ordin. vit. et morum instit.* ait. « A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt ». S. Chrys. *hom.* 87. *in Matth.* « Mirabile quidem, et inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam non tanto studio magna videri esse peccata vitanda, quanto parva et vilia: illa enim ut aversemur ipsa peccati natura efficit; haec autem hac ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt; et dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generose insurgere: unde cito ex parvis maxima fiunt negligentia nostra». D. Bonavent. *de profect. relig.* l. 5 *cap.* 10. « Ex minimis guttis multiplicatis inundationes aquarum fiunt, quae etiam magna aliquando maenia subruunt: per modicam rimam aqua latenter in navem influit, donec submergatur. S. August. *in Psalm.* 39. *v.* 13. Praecavisti magna; de minutis quid agis? sn non times minuta? projecisti molem, stude ne arena obruaris. Quare concludendum cum Eccles. 7. *v.* 19, qui timet Deum, nihil negligit ».

14 Sexto, aliqui dividunt peccatum personale in Philosophicum, et Theologicum. *Peccatum Philosophicum*, dicunt ipsi, est actus humanus disconveniens tantum naturae rationali, seu rationi. *Peccatum vero Theologicum* est actus humanus Dei offensivus ut disconveniens ejus Legi aeternae: Unde primum dicitur *Philosophicum*, quia consideratio rationis, et virtutis moralis, naturalis est Philosophi; Secundum vero dicitur *Theologicum*, quia consideratio Dei, ejusque Legis aeternae, est Theologi; hinc homicidium v. g. innocentis consideratum ut contrarium naturae rationali, seu principio naturali rationis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, dicitur Peccatum *Philosophicum*; consideratum autem ut contrarium voluntati Dei, et ejus Legi aeternae dicitur Peccatum *Theolog.*

15 Ast tamen revera, et ex natura rei idem peccatum v. g. idem homicidium innocentis est simul Philosophicum, et Theologicum, quia eo ipso, quod adversatur rationi naturali, indispensabiliter adversatur Deo, ejusque Legi aeternae, adeoque est offensa Dei, et Peccatum Theologicum; cum quande attingitur peccatum, ut disconveniens naturae rationali, attingatur imprsecisibiliter, ut prohibitum a Deo, atque adeo ut Dei offensivum, ex quo in actibus ab intrinseco malis malitiae philosophicaesit naturaliter, et inseparabiliter adnexa malitia Theologica, seu offensa Dei; Unde non detur peccatum Philosophicum ipsa re, et in praxi a Theologico separatum; Immo implicat peccatum, quod solum sit Philosophicum, et non etiam Theologicum.

Et ratio est, quia peccatum de sua ratione adversatur formaliter dictamini rationis; Implicat autem, quod rationis dictamini adversetur, et non adversetur simul Legi aeternae, cum dictamen rationis sit veluti praeco indicens nobis Divinam voluntatem, sive praeceptivam, sive prohibitivam sive permissivam, ut docent Doctores communissime ex S. Augustino *sermon.* 6. *de verbis Domini* cum S. Thoma *part.* 3. *q.* 91. *art.* 2. ubi dicit lumen rationis nihil aliud esse, quam impressionem Divini luminis in nobis, juxta illud Regii Psaltis *in Psalm.* 4. qui cum interrogasset: *Quis ostendit nobis bona?* ut scilicet ea sequamur, statim respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Hinc Apostolus *ad Romanos cap.* 2. *num.* 14. scribit: « Gentes, quae Legem non habent, naturaliter ea, quae Legis sunt, faciunt ejusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex, qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis ». Et Cicero 1. *de Legibus*, Legem naturalem definit, quod sit: « Ratio summa insita in natura, quae jubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria ». Unde revera implicat peccatum, quod solum sit Philosophicum, et non etiam simul Theologicum, cum implicet, quod dari possit homo Legis naturalis invincibiliter ignarus. Hinc merito ab Alexandro VIII. die 24. Augusti 1690. damnata fuit sequens propositio in ordine 2. « Peccatum Philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturae rationali, et rectae rationi; Theologicum vero, et mortale est transgressio libera Divinae Legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque poena aeterna dignum ». 16

Ad contrahendum quodcumque peccatum actuale, sive mortale, sive veniale, tres requiruntur conditiones. Prima est, ut sit voluntarium, idest, ut fiat a voluntate consentiente. Unde S. Augustinus *lib. de vera Religione c.* 4. dicit: « Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium ». Secunda est, ut sit liberum, idest, ut sit in potestate voluntatis illud facere, vel non facere; Non enim sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate, idest potentia indifferens, tum ad ponendum, tum ad omittendum actum; Hinc ab Innocentio X. pridie Kalend. Junii anno 1653. damnata est sequens propositio Jansenii tertia in ordine: « Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione ». Nec etiam sufficit qualiscumque libertas in causa, seu mediata, sed peccatum debet dependere a propria libertate operantis. Unde ab Alexandro VIII. die 7. Decembris 1690. damna- 17

ta fuit sequens propositio prima in ordine: « In statu naturae lapsae ad peccatum mortale, et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua peccato Originali, et voluntate Adami peccantis ». Et quamvis damnatio dicat *Ad peccatum mortale*, tamen eadem ratio est etiam de peccato veniali; hinc additur, et *demeritum*, quod etiam veniali convenit. Tertia conditio est, ut advertatur malitia peccati. *Communis*.

18 Item tria requiruntur potissimum ad peccatum mortale, quorum si unum desit, jam non erit peccatum mortale, sed ad summum veniale. Primo igitur ex parte intellectus requiritur plena advertentia, et deliberatio; Secundo ex parte voluntatis requiritur perfectus consensus. Tertio requiritur gravitas materiae. *Communis*. Ad pleniorem au-

19 tem horum captum est advertendum. 1. Plenam, et perfectam advertentiam in eo consistere, quod intellectus per plenum, et firmum judicium cum libero, et expedito interiorum sensuum usu de malitia objecti deliberet expendendo singula; econtra vero esse semiplenam, et imperfectam adver-

20 tentiam ad mortale insufficientem: 2. plenum et perfectum voluntatis consensum situm esse in plena, et perfecta voluntatis approbatione plenam intellectus advertentiam praesupponente; econtra vero esse semiplenum, et imperfectum consensum item ad lethale insufficientem: ex quibus consequens est cum plena advertentia compati posse imperfectum consensum, est enim voluntas semper libera; et cum imperfecta advertentia minime stare posse plenum consensum, nil namque volitum, quin praecognitum: atque adeo si objecti malitia sit imperfecte repraesentata, non potest esse perfe-

21 cte volita. 3. Quod tres in voluntate spectantur motus, videlicet primo primus, qui vel omnem rationis usum, et malitiae advertentiam praevenit, vel ex vehementissima passione sensitiva, et distractione rationem perturbante ita celer est, ut cohiberi non possit: unde motus primo primus libertate non potitur: 2. motus secundo primus, qui advertentiam supponit aliqualem, vel majorem, adhuc tamen ita imperfectam, ut solum semiplene liber haberi possit; denominantur autem praefati actus primo primus, et secundo primus respective ad plenam advertentiam, quam suo ordine praeveniunt. 3. motus perfectus, et plene deliberatus, est, qui supponit rationem plene expendentem singula, et non perturbatam, vel vehementissima passione libertatem simpliciter tollente, nec vehementi eam diminuente, proin est actus consensus perfecte liber.

22 Ulterius magis, magisque dicta elucidantur adducendo juxta communes conjecturas, signa valde utilia imperfectae advertentiae, imperfectique consensus, per quae quisque tute adjudicare potest se non habuisse plenum consensum, ac proinde memoriae committendae pro serenitate conscientiae, ut advertit Fel. Pot. *cap.* 4 *de peccatis*; ex quo ut sequitur. Signa igitur imperfectae advertentiae sunt. 1. Si remisse, et ut ita dicam, ad similitudinem semidormientis rei malitiam apprehendis. 2. Si postea melius considerans, judicas te id non fuisse facturum, si apprehendisses. 3. Si vehementi passione, apprehensione, vel distractione laborasti, vel turbatus fuisti, itaut fere nescires quid ageres. * Confer Antoine in Tractatu de Peccatis cap. II. quaest. v. ubi recensitis indiciis, quibus in dubio de consensu sufficienti ad mortale cognosci potest datum fuisse, vel non, subdit. « Ceterum cum hae omnes conjecturae veritatem » non ostendant, est obligatio confitendi consen» sum illum dubium ». *

Signa imperfecti consensus sunt. 1. Si quando actionem alias graviter malam quis fecit, non fuit plene sui compos, sed quasi semidormiens, distractus etc. ita ut judicet, se id non fuisse facturum, si plene vigilasset; immo addit Mastr. in Theol. Moral. disp. 15. de peccatis, quod si quis post factum dubitet, an id fecerit in somno, vel in vigilia, num esset sui compos, vel non? non est leve indicium id fecisse sine plena advertentia, et sine pleno consensu: nam quae cum plena advertentia fiunt, facilius sic facta cognoscuntur, quia plena advertentia praeterita liberam permittit homini de suis actibus cognitionem, nisi forte temporis mora aliquam induxerit oblivionem. 2. Si quis dubitet, an plene consenserit, et timoratae sit conscientiae, peccatum mortale abhorrens, eique dissentire solitus, praesumendus est non plene consensisse, licet aliquam in repellendis tentationibus negligentiam admiserit; secus est judicandum de viro perdito tentationibus succumbere solito: ratio utriusque est, quia ex juris peritis valida praesumptio, et probabilitas ex consuetis desumitur. 3. Si quis valde timide, et suspense se processisse meminit. 4. Si comperias, te fuisse sub tali dispositione, talibusque circumstantiis, ut faciliter potuisses peccatum exequi, non tamen sis exequutus, immo cum tui plene compos es, pro viribus respuis, praesumere potes, te non plene consensisse; quia non ita faciliter affectus deliberatus mutatur. Hinc ut advertit, *Tamb. cap.* 1. *de pecc.* §. 3. quando motus pravus tempore imperceptibili insurgit, et paulo post ut advertis, curas expellere, est signum nullius, aut certe dumtaxat imperfecti consensus praestiti. 5. Si quis soleat ita esse affectus, ut animum firmum, et saepe repetitum non committendi mortale habeat, praesumere potest non plene consensisse peccato, hic enim non consensit faciliter, et quod est multoties odio habitum, si postea plene ametur, facillime cognoscitur.

Postremo circa gravitatem materiae est eam agnosci, vel ex horrore rei, et gravi conscientiae remorsu, vel ex eo quod deprehendatur rem esse contra legem graviter obligantem; legem vero graviter obligare dignoscitur, vel ex modo loquendi Sac. Scripturae, ut si poenam aeternam v. g. com- 23

minetur, vel ex declaratione Ecclesiae, vel ex communi sensu Doctorum.

24 Peccatum mortale potest esse triplex. Primo mortale *ex genere suo*, quod scilicet ex ipso objecto secundum se habet intrinsecam malitiam mortalem, seclusa prohibitione Legis, ut blasphemia, adulterium, et hujusmodi. Secundo mortale *ex praecepto*, quod ideo solum mortale est, quia Lege positiva prohibetur, ut comedere carnes diebus Veneris, et Saturni, opera servilia facere diebus Festis, et hujusmodi: Tertio mortale *ex accidente, vel circumstantia*, quod licet secundum se, neque ex objecto, neque ex praecepto mortale sit, sed vel veniale, vel omnino indifferens, tamen ex accidente, vel circumstantia aliqua malitiam mortalem contrahit, ut ratione conscientiae erroneae, ratione mortalis finis adjuncti, ratione contemptus, *et hujusmodi*, ut clarius infra. *Sic Communis Doctorum.*

25 Peccatum veniale etiam triplex esse potest. Primo, veniale *ex genere suo*, quod scilicet ex natura sua, et proprio objecto ita levis est malitiae, ut, seclusa malitia alterius speciei, non possit excrescere in peccatum mortale, ut est verbum otiosum, mendacium jocosum, vel officiosum, vana cogitatio, et hujusmodi. Secundo, veniale *ex imperfectione actus*, quod scilicet, quamvis ex genere suo sit mortale, tamen ex defectu plenae advertentiae, et perfectae deliberationis evadit hic et nunc in individuo veniale, ut est subitus, et non plene deliberatus motus odii, luxuriae, superbiae, invidiae, et hujusmodi. Tertio, veniale *ex parvitate materiae*, quod scilicet, quamvis ex genere suo sit mortale in sufficienti materia, evadit veniale ratione parvitatis, ut est furtum unius obuli, aut alterius rei levis, et hujusmodi. *Sic Doctores communiter.*

26 Peccatum mortale *ex suo genere* fit veniale *per accidens* in individuo potissimum quatuor modis. Primo, *ex conscientia erronea* (*), quando scilicet quis ex errore invincibili putat peccatum aliquod esse veniale tantum, quod revera mortale est, ut perjurium assertorium in re levi, tunc enim is solum venialiter peccat; Secundo, *ex causa excusante*, quando scilicet, quamvis non adsit plena causa excusans a peccato in toto, adest tamen aliqualis causa excusans in modico sui defectu a mortali, et veniale constituens, ut ignorantia invincibilis excusat a toto peccato, ignorantia tamen aliqualiter vincibilis, et leviter culpabilis excusat a mortali, et constituit veniale; Item metus gravioris morbi excusat omnino a jejunio, vel ab auditione Sacri; metus autem morbi non ita gravis excusat a mortali, et venialem efficit transgressionem, et sic de similibus: Tertio, *ex imperfectione actus*, quando scilicet, nec ex parte intellectus adest perfecta advertentia, nec ex parte voluntatis plenus consensus, quorum unum si desit, et adsit solum imperfecta advertentia, vel semiplenus consensus, erit solum peccatum veniale ex imperfectione actus in quacumque materia, lege, seu praecepto; Sic omnis actio de se mortaliter peccaminosa, quae fit a semidormiente, semiebrio, distracto, vel turbato vehementi passione, ita ut ad id, quod agit, ejusque malitiam advertere plene non possit, nec plenum, et perfectum consensum praebere ratione imperfectae advertentiae, et imperfecti, seu non pleni consensus, erit solum peccatum veniale; dummodo non fuerit mortale in causa; Quarto, *ex parvitate materiae*, quando scilicet aliquid, quod ex genere suo in sufficienti materia esset mortale, hic et nunc evadit veniale ratione parvitatis materiae, ut furtum unius oboli, aut alterius levis rei, et hujusmodi. *Sic communis Doctorum.*

Nota Romani Theologi.

Cave ne putes, metum levem quoque excusare hominem a mortali culpa, levis enim metus est vanus, ac lex aliunde obligat saltem, cum aliquo incommodo, etsi Ecclesiastica sit. Hinc regula juris habet, *vani timoris justa excusatio non est.*

Responsio Auctoris.

At haec ipsa est mea opinio: etenim sub verb. *Metus n.* 27. tradidi expresse, quod metus gravis cadens in constantem virum excusat a praecepto positivo, tam divino, quam humano. Vide ibi *n.* 27. et 28. Scio enim ego, quod *vani timoris justa excusatio non est*, per textum expressum in L. *vani timoris* 184. ff. de divers. regul. jur. sine ullo numero allegata ab Antoine, a quo *Theologus* noster ipsam sine citatione desumpsit.

Peccatum *ex genere suo* veniale potest per accidens fieri mortale potissimum sex modis. Primo, *ex conscientia erronea*, quando scilicet quis ex errore invincibili credit peccatum aliquod esse mortale, licet de se revera non sit, nisi veniale, ut credens erronee, quod mendacium jocosum sit mortale, si jocose mentiatur cum tali errore invincibili, peccat mortaliter. Secundo, *ex fine mortaliter malo*, quando scilicet ratione finis mortalis adjuncti, quod est de se leve, evadit mortaliter grave, ut si quis leviter, vel officiose mentiatur, ut foeminam inducat ad fornicationem, vel adulterium, ipsum mendacium de se veniale fit mortale ratione talis pravi finis. Tertio, *ex contemptu*, quando scilicet transgressio aliqua, seu inobedientia de se venialis committitur ex formali contemp- 27

(*) E. R. Animadvertas velim, mi Lector perraro contingere, in praeceptis praesertim divinis, et naturalibus, peccatum mortale, *ex conscientia erronea*, veniale evadere. Haec enim praecepta talia sunt, ut ignorantiam invincibilem a culpa excusantem haud facile admittant.

in Legis, vel Legislatoris, tunc enim licet materia Legis obligantis sub veniali sit levis, contemptus tamen Legis, seu Legislatoris est gravis. Quarto, *ex scandalo*, quando scilicet ratione gravis scandali, quod peccator secuturum praevidit, aut praevidere potuit, ac debuit, aliqua sua actio venialis cedit directe in grave proximorum scandalum, seu ruinam spiritualem; Sic levitates de se veniales Religiosorum coram saecularibus exinde graviter scandalizandis evadunt mortales. Quinto, *ex ultimo fine constituto*, quando scilicet ex nimio affectu ad aliquod peccatum de se veniale constituit quis in eo ultimum finem, ut si quis ita inordinate afficiatur ad fabulas, ad verba otiosa, seu jocosa, ad lusum, et hujusmodi, ut propterea paratus sit potius quamcumque Legem Dei transgredi, vel Deum quomodolibet offendere, et non raro transgrediatur, seu offendat, quam illis privari, tunc enim is graviter peccat, quia in ipsis peccatis de se venialibus constituit ultimum finem, cum plus creaturam, quam Deum diligat. Sexto, *ex periculo*, quando scilicet advertitur in aliqua actione de se veniali tantum, aut etiam indifferenti, adesse periculum proximum labendi in mortale, juxta illud *Ecclesiastici cap.* 3. *n.* 27. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Sic si quis excedendo in potu, etsi venialiter tantum, certo praevideat, se inebriando in pollutionem, alludve peccatum lapsurum, si frequentando conversationes de se non mortaliter malas, certe ex experientia praevideat se mortaliter peccaturum, et hujusmodi, eo ipso peccat mortaliter.

28 Peccatum formaliter acceptum non consistit in positivo, sed in privativo, idest in carentia, seu privatione debitae rectitudinis, seu conformitatis ad Legem Divinam: S. Bonaventura in 2. *dist.* 37. *art.* 1. *quaest.* 2. Scotus in 2. *dist.* 37. *qu.* 1. et Scotistae passim cum plurimis aliis contra varios alios.

29 Nostram tamen conclusionem videntur aperte tenere plurimi Sancti Patres: Sanctus enim Dionysius, sive potius Auctor libri *de Divinis nomin. c.* 4. *circa finem* sic ait: *Relinquitur ergo, malum imbecillitatem, atque privationem boni esse.* S. Ambrosius *lib. de fuga saeculi cap.* 4. sic habet: *Non inveniet in me malitiam, quia malitia nihil est.* S. Augustinus *tract.* 1. *in Joann.* sic habet: *Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines cum peccant.* S. Damascenus *lib.* 7. *de Fide cap.* 4. sic expresse dicit: *Nihil aliud est malum, nisi boni privatio*; quae verba habet etiam S. Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum cap.* 11. S. Anselmus *lib. de concordia praescientiae, et praedestinationis cap.* 1. aperte pronunciat: *Non est injustitia qualitas, aut aliqua essentia, sed tantum absentia debitae justitiae.*

30 Et probatur ratione, quia, si peccatum non consisteret in privativo, sed in positivo, haberet causam sui efficientem: sed non habet causam sui efficientem, ut expresse docet Sanctus Augustinus *lib.* 7. *de Civitate Dei cap.* 7. ibi: *Nemo ergo quaerat efficientem causam malae voluntatis: Non enim est efficiens, sed deficiens; quia nec illa effectio est, sed defectio*, adeoque etc. Tum quia eodem modo se habet peccatum ad Legem, sicut malitia moralis ad dictamen rationis; sed malitia moralis consistit formaliter in privatione conformitatis, seu convenientiae ad dictamen rationis; ergo peccatum consistit in privatione rectitudinis, seu conformitatis ad Legem; Unde S. Thomas 1. 2. *quaest.* 85. *art.* 4. dicit, quod ordinatio actus sit quoddam bonum, et subdit; *Hujus privatio est essentialiter ipsum peccatum.* Tum etiam, quia si peccatum formaliter consisteret in positivo, sequeretur, quod Deus per se, et directe esset causa peccati: quia omne positivum per se, et immediate efficitur a Deo: *Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil; Joan.* 1. Quod autem Deus per se, et directe sit causa peccati, est falsissimum, quia Deo, qui nihil odit eorum, quae fecit, *odio sunt impius, et impietas ejus. Sapient.* 14. adeoque etc.

Distinctio specifica moralis peccatorum omissionis desumitur ex actibus debitis, quorum sunt omissiones; Unde omissiones illae sunt peccata specie distincta, quae privant actibus debitis secundum speciem moraliter distinctis. *Communis.* Hinc omissio Missae die Festo audiendae distinguitur specie ab omissione praecepti jejunii, quia auditio Missae, et observantia jejunii sunt actus debiti specie distincti; E contra omissio Missae in die Dominico, et omissio Missae in die Festo non distinguuntur specie moraliter, quia neque actus praeceptus auditionis Missae in praedictis distinguitur specie. 31

Distinctio specifica moralis peccatorum commissionis desumitur ex diversis specie virtutibus, seu diversis ejusdem virtutis rectitudinibus; quibus privant. Sic Scotus in 2. *dist.* 37. *quaest.* 1. et Scotistae passim, aliique tenentes, peccatum actuale formaliter consistere in privativo, et non in positivo. Et ratio est, quia peccatum formaliter sumptum est privatio rectitudinis debitae, seu debitae conformitatis praecepto; ergo ubi reperitur diversitas specifica privationum, reperitur et diversitas specifica peccatorum, licet sit unicus actus, vel plures; Atqui ubi actus privatur diversis specie rectitudinibus debitis, adsunt diversae specie privationes, cum privationes specificentur a formis, quibus privant, ergo etc. 32

Dicitur autem notanter sub disjunctione *ex diversis specie virtutibus, seu diversis ejusdem virtutis rectitudinibus*, quia ad distinctionem specificam moralem peccatorum sufficit, ut vel diversis specie virtutibus opponantur, ut v. g. Furtum, et Mollities, quorum prius opponitur virtuti justitiae, et alterum virtuti Castitatis; Vel opponantur eidem virtuti secundum diversas specie honestates, et rectitudines, ut verb. gr. Mollities, Sodomia, et Bestialitas, quae, non obstante, quod opponantur eidem virtuti Castitatis, et eidem ip- 33

simet naturae, tamen quia ipsi opponuntur secundum diversas honestates, et rectitudines, propterea distinguuntur specie, non solum in genere entis, sed etiam in genere moris; Unde merito ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. fuit damnata sequens propositio 24. in ordine; « Mollities, Sodomia, et Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae, ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem ».

34 Distinctio numerica moralis peccatorum desumitur ex distinctione numerica actuum voluntatis moraliter interruptorum; Unde tot sunt numero distincta peccata, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti, et repetiti. *Communis.* Et ratio est, quia cum voluntas sit principium actuum moralium bonorum, et malorum, nec ullum sit peccatum, nisi in quantum ab ipsa voluntate deliberata procedit, hinc sequitur, quod tot peccata numero distincta multiplicentur, quot actus pravi ipsius voluntatis moraliter interrupti repetuntur.

35 Actus autem voluntatis interim moraliter interrumpi censentur, quoties nec formaliter, nec virtualiter perseverant, idest quoties nullus effectus assignari potest, in quo virtualiter prior ejusmodi actus permanere censeatur. Et ita actus internus voluntatis moraliter interrumpitur per retractationem, seu voluntatem contrariam. Item moraliter interrumpitur actus internus voluntatis per cessationem ab illo voluntariam, et liberam, Immo aliqui, inter quos Vasquez 12. *disp.* 75. *cap.* 3. Diana, et alii tenent actum internum peccaminosum moraliter interrumpi etiam per cessationem involuntariam, et naturalem, sive ea fiat per somnum, sive per distractionem ad alia.

36 Hinc resolves primo, quod peccata interna, quae solo animo perficiuntur, ut odium Dei, vel proximi, Haeresis, Delectatio venerea morosa, et hujusmodi, toties multiplicantur numero, quoties actus ipse internus peccati renovatur, quia quilibet talis actus internus in se est completus, et posterior actus nullam habet dependentiam, vel connexionem cum priori. *Communis.*

37 Resolves secundo, quod peccata, quae opere externe perpetrantur, toties numero multiplicantur, quoties actus ipsi exteriores peccatum illud consummantes repetuntur, quia interveniunt plures actus mali, quorum unus ad alterum non ordinatur, nullamque cum ipso habet connexionem, cum quilibet eorum in se sit completus actus. *Communis.*

38 Resolves tertio, quod quando actus sunt ordinati ad unum numero actum, seu finem principalem, omnes illi actus non sunt tot peccata distincta ab ipso actu finali, sed unum dumtaxat peccatum, quia unitatem numericam desumunt ab ipso actu principali, et finali; Unde oscula, tactus, verba impudica, et alii actus copulam praecedentes, comitantes, et subseqnentes unum numero peccatum integrant cum actu principali, seu finali, nempe cum copula; quae sola est explicanda in Confessione. *Communis.* * Generatim tamen eorum numerus exprimendus est, eo quod multum aggravant peccatum, *quod tanto gravius est, quanto plura concurrunt*, ut docet Antoine in tractatu de peccatis cap. 1. in resp. ad quaest. VI. num. 4. ubi haec addit: « Si quae tamen circumstantiae extraordinariae per se malae, illis adjungerentur, speciatim explicandae sunt, ut monet Suarez. Dixi, *similis malitiae*: nam si media assumpta, vel actus habeant malitiam specie diversam a malitia finis, seu actus principalis, sunt plura specie peccata exprimenda. Delectationes vero morosae, tactus, et verba impudica, quae subsequuntur copulam, sunt peccata inter se, et a copula distincta. *Ita Suarez, Vasquez, et alii.* Quia sunt ex se inchoationes, ac dispositiones ad novam copulam. Et quia actus subsequentes actum principalem, ac consummatum, neque sunt partes, aut dispositiones, nec proprietates prioris actus, neque etiam ejus complementum, cum ipse actus sit consummatus, et ex se completus, neque in illo expresse intelliguntur, cum ei tantum per accidens ex malitia operantis adjungantur ».

Resolves quarto, quod quando actus sunt disparati, ita ut unus non dependeat ab alio, nec ordinetur ad ipsum, tunc tot sunt numero peccata, quot sunt actus in se completi, et consummati, quia quilibet actus habet terminum definitum, et limitatum, in quo completur, et terminatur, adeoque de se independenter ab alio est peccatum; Unde qui plures homines successive occidit, plura commisit homicidia numero distincta: qui plures fornicationes commisit eadem nocte etiam cum eadem muliere, et voluntate continuata per totam noctem fornicandi, plura commisit peccata fornicationis numero distincta in Confessione explicanda. *Communis.* 39

Nota Romani Theologi.

Etiamsi non successive, sed unica actione, seu ictu occideret, plura homicidia committeret numero distincta.

Responsio Auctoris.

Haec nota non percutit meum assertum. An autem plures occidens unica actione, seu ictu, plura revera homicidia committat, eorum teneo opinionem, qui affirmant, praesertim si unica actione, seu ictu plures intendat occidere, et revera occidat.

* Pariter ut scribit Antoine loc. cit. si actus similis malitiae « subordinati non referantur per intentionem peccantis ad eumdem actum principalem, sunt multiplex peccatum. Quia tunc non uniuntur, nec in aestimatione prudenti

» censentur una moraliter actio, et ad actum sub» bordinatum, et actum principalem requiritur » duplex, etiam moraliter, deliberatio, et determi» natio. Sic si Petrus primo voluisset tantum vul» nerare Paolium, et postea ex ira fervescente » eum occideret, sunt duo peccata speciatim ex» plicanda. Item si Titius oscula, et tactus exer» cens non intendat copulam, sive haec postea ob » libidinem auctam sequatur, sive non, debet » numerum tactuum, et osculorum confiteri. Imo » actus sibi subordinati, et ad eumdem finem or» dinati, sunt plura moraliter peccata, si inter » illos intercedat magna mora temporis: quia » tunc censentur moraliter interrumpi nec con» tinuari ». *

40 Peccatum originale deletur in infantibus per solum Baptismum in re susceptum; *cap. Majores* 3. *de Baptismo cap. Firmissime* 2. *et cap. Nullo proeter* 142. *dist.* 4. *de consecr.* ibi: « Nulla praeter Baptismum salus promittitur infantibus, quia infantes, si per Sacramentum, quod ad hoc est Divinitus institutum, in credentium numerum non transeant, in tenebris manent »: cum similibus juncto Concilio Florentino *in Decreto Eugenii* §. *Primum omnium*, et Concilio Tridentino *sess.* 5. § 5. *et sess.* 6. *cap.* 14. *et sess.* 14. *cap.* 8. * Nota, quod ubi noster Auctor ait, *per solum Baptismum in re susceptum*, loquitur de Baptismo sive fluminis, sive sanguinis, ut cohaereat haec doctrina cum iis, quae alibi dicta sunt, verb. *Baptismus*

41 *art.* 1. *num.* 16. et verb. *Martyrium, num.* 13. *et* 14. * In adultis autem peccatum Originale deletur per Baptismum sive in re, sive in voto. Immo in ipsis adultis per Baptismum delentur insuper omnia peccata personalia ante ipsum Baptismum commissa: non solum quoad culpam, sed etiam quoad totam poenam: sic expresse Concilium Florentinum *in citat. Decret. Eugenii* §. *Primum omnium*, his verbis, « Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpae Originalis, et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur; propterea baptizandis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum Caelorum, et Dei visionem perveniunt ». Et hoc idem definivit Concilium Tridentinum *sess.* 5. §. 5. ubi docet, homines per Baptismum renasci Deo innocentes, immaculatos, puros, innoxios, Deo dilectos, haeredes Dei, et cohaeredes Christi, *Ito ut nihil prorsus eos ab ingressu Coeli remoretur*: et expressius *sess.* 6. *cap.* 14. ubi dicit, in Sacramento Poenitentiae non semper totam poenam remitti, ut in Baptismo fit; quod latius repetit *sess.* 14. *cap.* 8. ubi in hoc constituit discrimen inter justificationem, quae per Baptismum, et per Sacramentum Poenitentiae fit.

42 Peccatum mortale post Baptismum commissum remittitur solum per Sacramentum Poenitentiae in re, vel in voto, idest per Sacramentum Poenitentiae vere, et realiter susceptum, aut per Contritionem cum voto tale Sacramentum auscipiendi. Sic ultra varia Sacrae Scripturae testimonia, expresse Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. 2. *et* 4. *et ibidem Can.* 1. 2. *et* 3. Unum 43
autem peccatum mortale in hac providentia remitti non potest sine alio; expresse enim deducitur, tum ex Sacra Scriptura, quae nonnisi integram peccatorum remissionem promittit pro integra poenitentia, ut patet *Ezechiel cap.* 18. *num.* 21. ibi: « Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est . . . omnium iniquitatum ejus, quae operatus est, non recordabor ». Unde si poenitens de uno solo peccato complacentiam haberet, jam esset prorsus indignus remissionis aliorum, juxta illud *Jacobi cap.* 2. *num.* 10. ibi: *Quicumque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*; Tum ex Doctrina Concilii Tridentini *de justificatione sess.* 6. *et de Poenitentias sess.* 14. ubi justificationem declarat per modum vivificationis, et liberationis a morte juxta modum loquendi Sacrae Scripturae. Haec autem non habetur, nisi per integram omnium peccatorum mortalium remissionem, nam per unum solum peccatum mortale, quod in anima remaneret, homo non esset justus, sed impius, non esset vivus, sed mortuus spiritualiter, demum non esset in statu salutis, sed damnationis aeternae». *Sic Communis Catholicorum*.

Neque de facto unquam remittitur peccatum 44
veniale sine remissione peccati mortalis. *Communis Catholicorum* cum S. Thoma 3. *por. quoest.* 87. *art.* 4. Et ratio est, quia nullum etiam veniale peccatum remittitur de facto sine infusione gratiae sanctificantis; sed gratia sanctificans non potest de facto consistere cum peccato mortali, ergo etc. Tum quia inconveniens, et absurdum est, quod Deus reconcilietur in re levi illi, a quo manet graviter offeosus, et cum quo graves adhuc gerit inimicitias, ut est peccator perseverans in peccato mortali. Potest tamen econtra remitti pec- 45
catum mortale, quin remittatur peccatum veniale, quia potest haberi dolor de mortali, quin habeatur dolor de veniali, immo adsit complacentia de ipso veniali, quod infusionem gratiae sanctificantis non impedit. *Communis*.

Peccatum veniale post Baptismum commissum 46
remittitur universim duobus modis, primo ex opere operantis, secundo ex opere operato per Sacramenta, et aliquatenus per Sacramentalia. *Communis*.

Ex opere operantis remittuntur peccata venia- 47
lia per Contritionem, et quidem omnia quorum displicentiam continet, seu de quibus in genere saltem habetur Contritio. *Communis ac certo*; Cum enim Contritio perfecta sufficiat ad tollenda peccata mortalia; multo magis sufficiet ad tollenda venialia. Item ex opere operantis peccata venia- 48
lia delentur in homine justo per Attritionem de iisdem conceptam, utpote quod Deum offendendo

venialiter, sit peccator poenas Purgatorii, aliasque poenas temporales promeritus. Item privationis majoris gratiae, gloriae etc. Suarez *part.* 3. *tract.* 4. *disp.* 11. *sect.* 3. *n.* 11. Mastrius *Theol. moral. disp.* 11. *quaest.* 4. *n.* 82. et ipso teste omnes Scotistae, Coninch. *dis.* 2. *dub.* 4. Reiffenstuel *Theol. moral. tract.* 3. *de peccatis dist.* 1. *quaest.* 3. *nu.* 28. Sporer *tom.* 3. *Theol. Sacramental. part.* 3. *cap.* 2. *sect.* 4. *nu.* 37. et plures alii contra Vasquez, et quosdam recentiores in homine justo ad delectionem venialium extra Sacramentum requirentes Contritionem formalem, vel saltem virtualem; Et ratio nostrae conclusionis est, quia ex opposita sententia sequeretur, quod magis, vel aeque rigorosa satisfactio exigeretur pro peccato levi, seu veniali, ac pro peccato gravi, seu mortali, quod non convenit justitiae; sed Contritio formalis, seu virtualis necessario extra Sacramentum exigitur ad deletionem peccati mortalis, ergo talis satisfactio non necessario exigitur ad deletionem venialis, praesertim in homine justo, sed minor sufficiet, qualis est Attritio, cum minor offensa sit venialis, quam mortalis.

49 Item ex opere operantis peccata venialia delentur in homine justo per omne opus meritorium propter Deum factum in ordine ad deletionem peccatorum venialium, seu saltem in ordine ad deletionem omnium suorum peccatorum, ut sic a Deo ad talem finem acceptetur: Sic Scotus *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. §. *In ista quaestione*, Mastrius *loc. cit. n.* 83. et, ipso teste, Scotistae omnes, Suarez *loc. cit.* et plurimi alii: Et ratio desumitur ex illa Salvatoris promissione *Lucae c.* 6. *Dimittite*, et *dimittemini*, quae promissio habetur similiter de actibus aliarum virtutum, ac praesertim Misericordiae, ssepe saepius in Sacra Scriptura; Tum quia Concilium Tridentinum *sess.* 14 *c.* 5 dicit, quod peccata venialia multis aliis remediis expiari possunt, ibi: *Multisque aliis remediis expiari possunt*; Unde S. Augustinus, aliique Sancti Patres, et Doctores dicunt, quod peccatorum venialium remissionem a Deo consequimur per Orationem Dominicam, et alias preces ad Deum fusas continentes in se petitionem veniae peccatorum, atque per omne opus bonum factum, et Deo ad talem finem oblatum.

50 Item ex opere operantis peccata venialia delentur in homine justo per actum formalem amoris Dei super omnia, quo Deus praefertur omnibus omnino rebus ei displicitis, tam levibus, quam gravibus; Justus enim perfecto amoris actu se Deo absolute, et penitus subjiciens, volens ipsi in omnibus actionibus placere, et obtemperare, eo ipso implicite saltem, et virtualiter detestatur omnia peccata, non solum mortalia, sed etiam venialia, quatenus omnia Deo displicent; adeoque talis actus perfecti amoris semper ad omnia, etiam venialia se extendit, atque omnia delet secundum culpae reatum. *Communis*.

51 Ex opere operato peccata venialia remittuntur per omnia Sacramenta novae Legis cum debita dispositione suscepta; dummodo ad ea nullus formalis, vel virtualis vigeat affectus: Sic S. Thomas 3. *par. quaest.* 87. *art.* 3. Mastrius *loc. citat. n.* 85. et, ipso teste, Communis Sanctorum Patrum, et Doctorum. Et ratio est, quia omnia Sacramenta novae Legis instituta sunt ad sanctificandas animas nostras ex opere operato, easque perfecte disponendas ad gloriae consecutionem, et consequenter ad tollenda omnia impedimenta, quae aliquo modo possunt a gloriae consecutione impedire: Unde cum peccata venialia nos retardent a consecutione gloriae, debent per Sacramenta digne suscepta remitti.

Per Sacramentalia remittuntur peccata venialia 52
ex opere operato, remote tamen, et mediate, quatenus nempe per preces Ecclesiae junctas rebus Sacramentalibus, dum iis pie utimur, movetur Deus (etsi non infallibiliter), ut in nobis excitet pios illos motus, quibus adnexa est remissio venialium, partim ex opere operantis, quatenus homo iis Sacramentalibus pie utitur in remedium, ac remissionem peccatorum suorum cum piis motibus displicentiae peccatorum, conversionis in Deum, amoris, adorationis, et hujusmodi: Et haec videtur esse mens D. Thomae 3. *part. q.* 87. *part.* 3. ubi habet haec verba: « Triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum; Uno modo in quantum eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiae tolluntur venialia peccata, ut supra dictum est; Et hoc modo per Eucharistiam, et Extremam Unctionem, et universaliter per omnia Sacramenta novae Legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur: Secundo in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; Et hoc modo Confessio generalis, tunsio pectoris, Oratio Dominica operantur ad remissionem peccatorum venialium. Nam in Oratione Dominica petimus: Dimitte nobis debita nostra. Tertio modo in quantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum, et ad res Divinas. Et hoc modo Benedictio Episcopi (* *et quidem etiam Sacerdotis in Missa*, *et praesertim cum Venerabili Sacramento* *), aspersio aquae benedictae, quaelibet Sacramentalis Unctio, Oratio in Ecclesia dedicata, et si quae alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum ». Hactenus S. Doctor relatus, et secutus a Spor. *t.* 3. *Theol. Sacram. part.* 3. *c.* 1. *sect.* 4. *n.* 45. Et videtur idem sentire Scot. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. idem. sentit Reiffenst. *loc. c. n.* 31. *et seq. et Com.* DD.

Sacramentalia autem sic appellantur, vel ex eo 53
quod soleant adhiberi ad Sacramenta efficienda, vel ministranda, ut efformatio Crucis, Benedictiones, Orationes Ecclesiae: vel ex eo, quod aliqualem sequantur, et imitentur virtutem Sacramentorum, ut aspersio aquae lustralis, usus rerum benedictarum ab Ecclesia, Confessio generalis, tunsio pectoris, et hujusmodi. Et communiter 54
enumerantur sex, ad quae ceterae reducuntur, et continentur sequenti versiculo.

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

55 Per ly *Orans* denotatur quotidiana Oratio Fidelium, ac praesertim *Pater noster*, de quo dicitur *cap. De quotidianis*, *de Poenit. diss.* 3. « De quotidianis, brevioribus, levibusque peccatis, sine quibus haec vite non ducitur, quotidiana Oratio Fidelium satisfacit; eorum est enim dicere Pater noster, qui es in Coelis, etc. Delet omnino haec Oratio minima, et quotidiana peccata »: Huc reducitur Tunsio pectoris.

56 Per ly *Tinctus* significatur aspersio Aquae Benedictae, de qua c. *Aquam, de consec. dist.* 4. sic legitur: « Nam si Cinis vitulae sanguine aspersus populum sanctificabat, et mundabat, multo magis aqua sale aspersa, Divinisque precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat ». Huc reducitur Unctio Caeremonialis in Regem, et similes Unctiones; item propositio Cineris benedicti.

57 Per ly *Edens* intelligunt aliqui dignam Sacrosanctae Eucharistiae, immo cujuslibet Sacramenti susceptionem; Verum hoc non tam videtur spectare ad Sacramentalia, quam ad ipsa Sacramenta, et hinc alii per ly *Edens* intelligunt devotam manducationem panis benedicti, et hujusmodi.

58 Per ly *Confessus* communiter intelligitur Confessio generalis, quae in hunc finem ab Ecclesia est instituta, ut dicatur in principio Missae, atque sub prima, et Completorio.

59 Per ly *Dans* denotatur elargitio Eleemosynae, juxta illud *Tob.* 4. *Eleemosyna ab omni peccato liberat.* Daniel. *cap.* 4. *Peccata tua eleemosynis redime*, et alibi; Huc reducuntur alia Opera Misericordiae, tum corporalia, tum spiritualia.

60 Tandem per ly *Benedicens* designatur Benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati alios benedicentis, prout explicat Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quaest.* 6. *sect.* 2. *punct.* 2. citans plures alios, et tenet Glossa *in Prooemio sexti Decretalium* vers. *Benedictionem*, ubi inquit: *Per benedictionem Praelati devote susceptam venialia remittuntur*, atque ad hoc allegat *cap. Dictum est*, *cap. Maledicam*, *cap. Intra* 1. *quaest.* 1. quamvis non adeo clare id habeant. Haec ad litteram P. Reiffenst. *Theol. mora. tract.* 3. *dist.* 2. *q.* 3. *a n.* 34. *ad* 39.

61 Poena debita decedentibus cum solo peccato Originali non una, et eadem ab omnibus assignatur: Quinque enim de infantibus non baptizatis referuntur Auctorum sententiae a Bellarmino *tom.* 3. *de controversiis lib.* 6. *de statu peccati cap.* 1. ubi sic habet: Prima sententia fuit eorum, qui Regnum Coelorum infantibus non baptizatis promittere audebant, etiamsi non negarent, eos in peccato Originali conceptos, et natos. Ita sensit quidam Vincentius, quem refellit S. Augustinus *in lib.* 1. *de origine Animae cap.* 9. *et lib.* 3. *cap.* 13. Idem sensit Zuinglius in *declarat. de peccato Originali ad Urbanum Regium*, ubi docet, probabile esse per Christum universam naturam humanam ita esse restitutam, ut etiam Filii infidelium sine Baptismo decedentes salventur. Et id censet non solum probabile, sed etiam certum, de filiis Fidelium; quem errorem, quod attinet ad filios Fidelium, sequuntur multi Sectatorum, ut Bucerus, Martyr, Calvinus, et alii.

Secunda sententia paulo quidem minus liberalis, sed tamen valde mitis, fuit eorum qui parvulos non baptizatos excludebant a Regno Coelorum, et vita beata Sanctis promissa, tamen eis dabant vitam aeternam, et naturalem beatitudinem sine ulla molestia, aut dolore extra Regnum Beatorum, et procul a carcere Damnatorum, hoc est in loco medio inter gehennam, et Coelum, qualis locus vix potest fingi alius, quam terrae convexum; Ita sensisse olim Pelagianos docet S. Augustinus *in lib. de Haeresibus c.* 88. *Nam*, inquit, *etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra Regnum quidem Dei, sed tamen aeternam, et beatam quandam vitam suam.* Ad quem errorem proxime accessisse videntur Ambrosius Catharinus in *lib. de statu puerorum sine Baptismo decedentium*, Albertus Pighius in *prima controversia*, et Hieronymos Savonarola *in l. de triumpho Crucis*; docent enim ipsi, (et alii), infantes sine Baptismo morientes futuros post judicium beatos naturali beatitudine, et in quodam veluti Paradiso terrestri perpetuo, feliciterque victuros. 62

Tertia sententia jam aliquanto severior, docet, parvulos sine Baptismo decedentes damnari apud inferos aeterna morte, sed tamen sic puniri carentia visionis Dei, quae dicitur poena damni, ut nullum patiantur omnino dolorem, neque internum neque externum. Ita docet S. Thom. *in qu.* 5. *de malo art.* 1. 2. *et* 3. et tum ipse, tum alii aliquot scolastici Doctores *in* 1. *sententiar. dist.* 33. 63

Quarta sententia superiore adhuc severior liberat quidem parvulos ejusmodi a cruciatu ignis, et vermis, de quo legimus *Marci* 9. *Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur*, quae proprie dicitur poena sensus, sed non eos liberat ab interno dolore, qui sequitur ex amissa beatitudine sempiternae felicitatis; Ita docet Petrus Lombardus in 2. *sententiar. dist.* 33. *litt. E.* eumque nonnulli alii secuti sunt, ut referunt S. Thomas, S. Bonaventura, Gregorius Ariminensis, et alii *in Commentar. ejusdem loc. cit.* 64

Quinta sententia severissima, atque extrema docet, parvulos propter Originale peccatum utroque poenae genere, damni scilicet, et sensus in Gehenna perpetuo cruciari. In hanc sententiam satis aperte propendet Gregorius Ariminensis *in* 2. *sententiar. dist.* 33. *q.* 3. et Joannes Driedo in 1. *lib. de gratia, et libero arbitr. tract.* 3. *cap.* 2. Hactenus Doctissimus Bellarminus *loc. cit.* et hanc sententiam sequitur novissime Poncius *disp.* 8. *quaest.* 6. et alii. 65

Ex enumeratis sententiis, primo, et secunda non solum falsae, sed etiam haereticae existiman- 66

dae sunt. (*) Et contra, Fide Catholica tenendum est, Parvulos sine Baptismo decedentes absolute esse damnatos, et non solum caelesti, sed etiam naturali beatitudine perpetuo carituros. Sic expresse Bellarminus *loc. cit. cap.* 2.

67 Quarta sententia licet non careat sua probabilitate, eamque sequatur idem Bellarminus *l. cit. c.* 6. citans pro ipsa varios SS. Patres, et Theologos; Tamen a nobis non admittitur, cum, ut infra patebit, teneamus, quod quamvis pueri decedentes sine Baptismo, sint passuri re ipsa poenam damni, non tamen de illa ullum habituri sunt dolorem, vel tristitiam.

68 Quinta sententia, licet non videatur aperte ab Ecclesia Catholica reprobata, rejicitur tamen passim in Scholis, ut testatur idem Bellarminus *loc. cit. c.* 4. Unde sicut ipsi, ita et nobis improbabilis esse videtur; Unde tertiae sententiae adhaerentes, concludimus, quod:

69 Pueri decedentes cum solo Originali peccato, secundum tertiam sententiam, quam sequimur, nullam patiuntur poenam sensus, nec post diem Judicii passuri sunt alias corporis afflictiones; sed tantum patiuntur, et patientur solam poenam damni sine ullo dolore interno, et externo, seu sine ullo prorsus dolore, vel tristitia de amissione beatitudinis. Sic. S. Thomas, et Bonaventura, et Scotus *in* 2. *sententiar. dist.* 33. aliique Scholastici. Et pro hac nostra sententia citatur etiam Nyssenus *Oratione de infantibus*, et S Augustinus *lib. de peccatorum meritis, et remissione cap.* 27. asserens infantes in Limbo non tristari, nec dolorem pati; Idem tenent Vasquez, Suarez, Salas, Lessius, Becanus, Arriaga, Turrianus, Aversa, Oviedus, Amicus, et late Mastrius *in* 2. *sententiar. disput.* 4. *quaest.* 6. *de peccato Originali artic.* 1. *et* 3. *et in Theolog. Moral. disp.* 28. *q.* 3. *num.* 67. ubi testatur esse hanc sententiam omnium Recentiorum.

70 Probatur igitur prima pars nostrae Conclusionis, scilicet quod pueri decedentes cum solo Originali peccato nullam patiantur poenam sensus, nec post diem Judicii passuri sint corporis afflictiones; Quam sententiam S. Bonaventura dicit omnes Magistros magis approbare communiter, et Scotus hanc sententiam Magistrorum appellat, teste ipsomet Mastrio *in* 2. *sententiar. disput.* 4. *quaest.* 5. *art.* 1. *num.* 159. Et ratio est, quia, ut dicunt Scotus, et S. Bonaventura *loc. cit.* acerbitas poenae correspondet quantitati delectationis juxta illud Apocalypsis *cap.* 18. *num.* 7. *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum*: sed parvuli nullam delectationem inordinatam habuerunt, nec in spiritu, nec in carne, ergo non debent ullum tormentum, et poenam sensus pati. Tum quia, quod poena sensus, et afflictio Corporis soli peccato actuali, ac delectationi illud consequenti correspondeat, habetur ex variis aliis Sacrae Scripturae consimilibus locis, ut *Deuteronom.* 24. *Pro mensura peccati erit et plagarum modus, Apocalyp.* 22. « Ecce venio cito . . . reddere unicuique juxta opera sua; et *Matthaei* 25. Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus; Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi potum etc. et *ad Romanos* 2. Qui reddet unicuique secundum opera ejus, et 2. *Ad Corinth. cap.* 5. *nu.* 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria Corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum »; ex quibus, et similibus locis aperte desumitur, poenam ignis, seu corporis afflictivam soli correspondere peccato actuali, quod cum pueri decedentes sine Baptismo non habuerint, tali poenae obnoxii esse non debent.

Probatur secunda pars nostrae conclusionis, 71
quod scilicet pueri decedentes sine Baptismo patiantur, et passuri sint perpetuo poenam damni, idest visione Dei perpetuo sint cariturí, et primo ex illo *Joann.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, et secundo *ex cap. Majores* 3. *de Baptismo*, ubi Innocentius III. dicit: *Poenam peccati Originalis esse carentiam Divinae visionis, actualis vero perpetuae gehennae cruciatum*, et idem habetur *c. Nulla* 142. *dist.* 4. *de consecrat.* his verbis: « Nulla, praeter Baptismum Christi salus promittitur Infantibus, quia infantes, si per Sacramentum, quod ad hoc est Divinitus institutum, in credentium numerum non transeant, profecto in tenebris manent »; idest Divina visione carent, qua illuminarentur. Item ex Conc. Flor. sub Eugenio IV. in litteris Unionis asserente: *Decedentes in mortali, vel Originali mox in infernum descendere*, hoc est in inferiores terrae partes, ut teste Mastrio *locis citatis* exponunt communiter Doctores, sed *poenis inaequalibus puniendos*, quam inaequalitatem in eo consistere dicit, quod Originali sola poena damni respondet, actuali autem utraque, scilicet et poena damni, et poena sensus.

Tum quia, absolute loquendo, non est futurus 72
aliquis medius status inter Beatos, et damnatos, in quo quis feliciter, et beate vivat, ut definitum

(*) Cardinalis Bellarminus *Tom.* 4. *Controver. lib.* VI. *cap.* 2. opinionem Catharini, quae fuit etiam Alph. Salmeron. Ludovici Molinae, Gregorii Martinez, aliorumque (non minus quam alterum Pelagianorum), non solum *falsam, sed etiam haereticam existimandam esse* pronunciat. « Cui Bellarminianae censurae (inquit Gazzanica *in Praelect. Theol. Tom.* 4. *dissert.* 3. *Sect.* 3. *cap.* 8 *num.* 253.) equidem subscribere non possum . . . Reipsa, (sic idem in nota ibid.) ii Theologi, sive veteres, sive recentiores, qui eam adoptarunt, in Ecclesia tolerati sunt, ac tolerantur: quod nullo modo fieret, si possent haeresis accusari, ut Bellarminus contendit — Libentissime tamen (prosequitur cited. Gazzanica) subscribo P. Thomae Lemosio, qui *Tract.* 1. *de laesione liber. arbitr. per pec. Orig. cap* 22 eam probat esse falsissimam, *quia in parvulis peccatum originale verum culpam esse non confitetur* ». — Editores Casinenses.

est in *Concilio Arausicano post Canon.* 77. *tom.* 1. *Conciliorum*, ubi dicitur: « Si quis dicat, ideo dixisse Dominum, in Domo Patris mei mansiones multae sunt, ut intelligatur, quia in Regno Caelorum erit aliquis medius, aut alius, aut alicubi locus, ubi beate vivant parvuli, qui sine Baptismo ex hac vita migrarunt, anathema sit ». Plures etiam Patrum auctoritates refert Salmeron *in cap.* 5. *ad Romanos disput.* 43. apud ipsum videndas, quibus permotus Angles merito, inquit, oppositam sententiam tenentes parvulorum tortores vocari, et propterea illam tamquam duram esse ab omnibus exclusam, quam etiam valde duram appellat S. Bonav. *dist.* 33. *part.* 3. *quaest.* 1.

Nota Romani Theologi.

* Vide ea, quae disputavimus de poena parvulorum sine Baptismo decedentium in appendice nostra *de Inferno*.

Responsio Auctoris.

Videat igitur benignus lector *ibi* tradita a *Theologo*, et simul meam *Responsionem* ad dict. verb. *Infernus;* nec non in hoc verb. *Peccatum a n.* 65. *ad* 81. inclusive a me exposita, et pro sua aequitate pronunciet.

73 Probatur tertia pars nostrae conclusionis, scilicet, quod licet pueri patiantur, et reipsa passuri sint poenam damni, sine ullo tamen erunt dolore interno, et externo de illa, seu sine ullo prorsus dolore, vel tristitia de amissione Beatitudinis; quia, ut discurrunt S. Bonaventura, et Scotus *loc. cit.* si infantes de tali privatione Beatitudinis tristarentur, cum tristitia secundum S. Augustinum sit de his quae nobis invitis accidunt, ipsi involuntarie sustinerent suum statum, et vellent oppositum ad Divinam voluntatem, et dispositionem, qua *Ecclesiastic. cap.* 11. *nu.* 3. statutum est, quod ubicumque ceciderit lignum, ibi erit: sed quod tales infantes velint oppositum ad divinam voluntatem, et dispositionem nullo modo est dicendum, cum isti nullam inordinatam volitionem habuerint in isto statu, ergo nullam etiam habebunt inordinatam volitionem in illo statu, et consequenter neque ullam tristitiam interiorem habebunt. Tum quia, si tristarentur de carentia visionis Dei, cum desperent de ea, haberent poenam gravissimam inter poenas omnium damnatorum, scilicet tristitiam ex desperatione. Hoc autem non est dicendum, adeoque etc. Tum etiam, quia tales infantes, ut probatum est supra *sub n.* 65. ex fere communi omnium Patrum, et Theologorum, non habebunt poenam sensus ab extrinseco, ergo tanto minus habebunt poenam interiorem, scilicet tristitiam spiritus, cum longe major sit dolor, et poena spiritus, quam dolor, et poena sensus. Sic in re discurrit Scotus *cit. dist.* 33.

Objiciunt tamen primo Adversarii contra nostram Conclusionem dicentes, quod cum Dominus juxta *cap.* 25. *Matthaei* ad judicandum venerit, duae tantum assignabuntur hominum classes, una eorum, qui a dextris erunt, et ibunt in vitam aeternam, et altera eorum, qui a sinistris erunt, et ibunt in ignem aeternum; Atqui parvuli non erunt a dextris neque ibunt in vitam aeternam, ut omnes fore fatentur, ergo erunt a sinistris, et ibunt in ignem aeternum. 74

Respondetur, quod ibi est sermo solum de adultis damnatis ob proprias culpas actuales, ut ex ipsomet textu clare habetur; reddens enim ibi Christus Dominus causam, cur, qui sunt a sinistris, in ignem aeternum sint ituri, inquit: *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.* Unde ex hoc potius nostra confirmatur sententia, quod pro solis actualibus, et personalibus peccatis infligenda sit omnis positiva poena sensus, universaliter nomine aeterni ignis significata. Tum quia, ut talem textum exponit S. Augustinus *lib.* 6. *contra Donatistas post collationem cap.* 4. ibi, dicit S. Doctor, exprimitur forma, qua judicabuntur Fideles in Ecclesia existentes; comparantur enim boni, et mali Ovibus, et Haedis ejusdem Pastoris, et Ovilis. Certum autem est parvulos ante Baptismum ad Ovile Ecclesiae non pertinere. Et sic etiam explicandi sunt alii consimiles textus, qui solent adduci ab Adversariis, quod nempe in eis sermo sit de adultis puniendis propter peccata sua personalia, et actualia, ut communiter exponunt Sacri Interpretes; vel de Fidelibus intra gremium Ecclesiae, ut dicebat S. Augustinus. 75

Objiciunt secundo dicentes, quod S. Augustinus *serm.* 24. *de verb. Apostol.* satis aperte scribit: Parvulos decedentes sine Baptismo igne sempiterno esse cruciandos, et idem S. Augustinus (seu, ut alii volunt, S. Fulgentius sub nomine Augustini, quatenus Opus illud S. Augustino olim adscriptum fuit) *de Fide ad Petrum Diaconum cap.* 17. relatus *in cap. Firmissime tene* 3. *dist.* 4. *de consecration.* sic expresse dicit: « Firmissime teno, non solum homines ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sivo in uteris Matrum vivere incipiunt, et ibi moriuntur, sive jam de Matribus nati sine Sacramento Baptismi, quod datur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, de hoc saeculo transeunt, sempiterno igne puniendos; quia etsi peccatum propriae actionis nullum habeant, Originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione ex nativitate traxerunt ». 76

Respondetur, quod ibi S. Augustinus, et S. Fulgentius sub nomine Augustini, loquuntur metaphorice, et nomine ignis poenam damni significant, ut docent S. Thomas *q.* 5. *de malo, et in* 2. *dist.* 33. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 1. S. Bonaventura *ead. dist.* 33. *q.* 1. *ad* 1. et Glossa *in c. Nulla* 143. *de consecr. dist.* 4. Nomine enim *ignis* quaelibet poena designatur, ut patet ex illo Psalm. 65. *Transivimus per ignem, et aquam, et eduxisti nos* 77

in *refrigerium*, quod expresse tradit ipsemet S. Augustinus *q.* 9. *in Josue.* Et quod sic veniat intelligendus S. Augustinus aperte constat, ex quo suum intentum erat contra Pelagianos probare, quod parvuli decessi sine Baptismo non essent aeterna felicitate donandi; quod satis convincitur dicendo ipsos passuros esse poenam damni, cum qua nequit conjungi aeterna felicitas; Tum quia S. Augustinus (seu ut alii volunt, S. Fulgentius sub nomine Augustini) in cit. Canone *Firmissime tene*, asserit pertinere ad Fidem, quod tales parvuli sint sempiterno igne puniendi. Nemo autem audebit dicere, dogma Fidei esse, quod tales parvuli sint cruciandi aeterna poena sensus, sed solum, quod sint damnati, et puniendi aeterna poena damni: adeoque S. Augustinus, seu S. Fulgentius sub nomine S. Augustini, nomine *ignis* poenam damni ibi significare intendit; Unde Glossa supracitata *in dicto Canone Nulla* sic ait: *Carentia visionis Dei est poena ignis, de qua intelligendus est Canon*, Firmissime tene.

78 Objiciunt tertio dicentes, quod pueri passuri saltem sint tristitiam ad amissionem gloriae consequentem, quia, ut arguit Bellarminus *loc. cit. cap.* 6. ubi hanc defendit opinionem: ex apprehensione privationis aeternae felicitatis naturaliter sequitur aliqua tristitia: sed tales infantes cognoscunt, seu cognoscent, se privatos esse aeterna felicitate, quia quamvis nunc fortasse nesciant, se propter peccatum originale excludi a Regno Dei, scient tamen in die judicii, in quo hoc Mysterium eis revelabitur; ergo etc.

79 Respondetur cum Scoto *loc. cit.* quod, relictis variis aliis responsionibus ab aliis datis, et videndis apud Mastrium *loc. cit. num* 174. *et* 175. tales infantes non sunt tristaturi de amissione aeternae felicitatis, quia erunt contenti de statu suo, scientes Deum de se ita disposuisse; nec suo actu id aliquando demeruisse. Tum quia, ut dicit S. Bonav. *dist.* 33. *art.* 3. *q.* 2. tales infantes non sunt habituri tristitiam de dicta amissione felicitatis, seu gloriae aeternae, quia causas solatii habebunt, quae eamdem impediant, v. g. quod non peccaverint peccato actionis ex una parte, et quod non patiantur poenam ignis, ut damnati in inferno, ex alia; pro quo rationem satis idoneam affert S. Doctor, quia nimirum infantes constituti sunt a Deo in statu quodam medio inter Beatos, et damnatos; quare opus fuit, ut ex una parte Beatitudine carerent, sicut damnati, et ex altera nullum haberent dolorem, sicuti Beati: Ex quo fit, ut licet agnoscant, se carere Beatitudine, ad quam fuerant ordinati, et ex hac parte magnam habeant tristitiae occasionem, quia tamen simul agnoscent, se evasisse gravissimas inferni poenas, et peccata mortalia, quasi in aequilibrio sunt constituti, ut non doleant de ea Beatitudinis amissione, sed potius gaudeant de poenarum inferni evasione, quam rationem ceteris probabiliorem existimat Arriaga *d.* 52. *sect.* 3.

Hic juvat adducere distinctionem locorum, in 80 quibus recipiuntur animae ex hoc mundo decedentes, ut optime declarat S. Bonav. *in* 4. *dist.* 45. *art.* 1. *q.* 1. *et* 2. ubi ait, quod loca animarum sunt in duplici differentia; est enim locus gloriae, scilicet Coelum, et quia Caritas, quae meretur gloriam, est unius speciei, ideo iste locus non subdividitur; Alius autem est locus poenae, qui dicitur infernus, generaliter accipiendo nomen inferni; Est autem locus iste poenalis dupliciter, scilicet secundum poenam damni, et secundum poenam sensus, et utrumque membrum dividitur. Illi enim, qui puniuntur poena damni, aut simpliciter, et aeternaliter puniuntur, et sic locus iste dicitur Limbus puerorum cum solo Originali decedentium; aut ad tempus, et sic locus illorum est superior, qui dicitur sinus Abrahae. Similiter illi, qui puniuntur poena sensus, aut puniuntur aeternaliter, et sic istorum locus est infernus proprie dictus inferior aliis; aut ad tempus, et sic istorum locus est Purgatorium, quod est locus aliis superior secundum legem communem, et ordinariam; et subdit tandem S. Bonav. *loc. cit. q.* 2. quod post Christi adventum, vel in Paradiso, vel in Inferno, vel in Limbo, vel in Purgatorio, animae Defunctorum recipiuntur, ergo secundum veriorem, et probabiliorem sententiam animae puerorum cum solo Originali decedentium in Limbo recipiuntur, et detinentur, non autem in Inferno, etiam post diem judicii, et in perpetuum; Unde auctoritates Scripturae, et SS. Patrum, quae dicunt, animas puerorum cum solo Originali decedentium in Infernum descendere, vel in Inferno detineri, non sunt intelligendae de Inferno proprie dicto, qui est locus damnatorum, sed de Inferno generaliter sumpto, ut significet quemlibet locum inferiorem in visceribus terrae existentem; Sicuti aliae quoque auctoritates Scripturae, et Patrum, quae locum, in quo purgantur animae justorum, appellant Infernum, quae tamen de tali Inferno proprie dicto, qui est locus Damnatorum, non sunt intelligendae, ut magis ostenditur sub verb. *Purgatorium.* Sic ex Divo Bonaventura habet expresse Mastrius *Theolog. Moral. disput.* 28. *q.* 3. *art.* 3. *num.* 69.

Poena debita decedentibus cum peccato actuali 81 mortali, est poena aeterna, tam damni, quam sensus; et quidem de poena damni, quae in Beatificae visionis privatione consistit, satis constat ex illo *Matthaei* 8. ubi de reprobis, et peccatoribus dicitur, quod *ejicientur in tenebras exteriores;* De poena vero sensus habetur ex *Matthaei* 25. ibi: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus;* et sic de variis aliis similibus, quae non juvat hic in longum adducere; cum hoc sit de Fide.

Poena debita decedentibus cum solis peccatis 82 venialibus non est aeterna, sed solummodo temporalis. *Communis, et de Fide.* Difficultas solum est de peccatis illis venialibus, cum quibus dece-

dunt etiam peccato mortali obnoxii; an scilicet peccatum veniale conjunctum peccato mortali punlatur in Inferno poena aeterna, vel temporali?

83 Thomistae cum D. Thoma 3. *par. q.* 87. *art.* 4. *ad* 3. tenent, tale peccatum veniale puniri poena aeterna, cum in inferno nullus, neque remissioni, neque redemptioni sit locus. Scotistae vero cum Scoto *in* 4. *distinct.* 21. *quaestion.* 1. asserunt, peccatum veniale, sive in hac vita remissum quoad culpam, sive non, sola temporali poena etiam in Inferno remitti posse, nedum quoad poenam, sed etiam quoad culpam. Et quidem de peccato veniali in hac vita remisso quoad culpam, non vero quoad poenam, est ratio evidens, quia qui solvit rem, quam debet, a debito illius omnino liberatur, adeoque damnatus, qui totam temporalem poenam veniali correspondentem patitur in inferno, vere liberatur debito illius poenae, cum passione illius solvat, et patiatur totum id, quod solvere, et pati debebat. Idem dicendum est etiam de peccato veniali non remisso in hac vita quoad culpam, quia peccatum veniale, quamvis non remissum quoad culpam, tantum est dignum poena temporali, et determinata, quam vere solvit, qui patitur in inferno, et passione illius temporalis poenae extinguitur debitum illius poenae.

84 Nec valet dicere, quod damnatus in Inferno existat in peccato mortali, adeoque non possit solvere debitum pro culpa neque veniali. Non valet, inquam, quia, licet damnatus in Inferno existat in peccato mortali, adhuc vere solvit debitum pro culpa veniali, quae est solum digna poena temporali, sive jam ipsa culpa venialis fuerit remissa in hac vita, sive non; Deus enim semper punit citra condignum, et esto quod secundum rigorem justitiae puniret ad condignum, omnino injustum esset aeternam poenam infligere pro peccato veniali, cui secundum se solum poena temporalis debeatur. Vide Mastrium *in* 2. *sent. disp.* 6. *de peccatis quaest.* 8. *per tot. et in Theol. moral. disp.* 25. *num.* 53. *et* 54. ubi multa ad rem.

85 Sensus autem illius Catholici axiomatis: *Quod in inferno nulla est redemptio*, est solum, quod nulla sit spes inde evadendi, juxta illud *Lucae* 16. *num.* 26. ibi: *Hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Unde nihil facit, sive ibi aliquod veniale remitti possit, aut aliqua poena venialis, vel etiam mortalis jam hic dimissi, sive non. Vide Mastrium *cit. q.* 8. *num.* 222. *et* 223. *et cit. disp.* 25. *num.* 54.

* Quid vero ad haec reponant Thomistae, et quibus fundamentis eorum sententia nitatur, vide apud Cardinalem Gotti *in Tractatu de Vitiis, et Peccatis quaest. VII. dub. IV.* et alios, ex quibus Gotti duplicem propositionem statuit, primam: « Peccatum veniale non remissum quoad culpam in hac vita, et conjunctum cum mortali per accidens punietur in Inferno poena eeterna, quamvis ex se poena solum temporali puniendum esset: *alteram*: Valde probabile est, peccatum, sive mortale, sive veniale, remissum quoad culpam in hac vita non puniri in Inferno poena aeterna, sed temporali tantum ». *

Circumstantiae peccati. Vide verb. *Poenitentiae Sacramentum art.* 2. *num.* 100. 86

Peccatum lethale mortua constituit bona opera, quae in eo fiunt, et jam facta reddit mortificata. Vide verb. *Poenitentia art.* 3. *num.* 8. 87

ADDITIONES ROMANI THEOLOGI.

Circa advertentiam ad malitiam peccati, quae *num.* 17. et sequentibus, plena a P. Lucio desideratur, ut homo mortalis culpae sit reus, notare necesse est, atque distinguere: *Primum posse esse peccatum mortale imputabile sine advertentia actuali malitiae.* Nam falsum omnino est, nunquam graviter peccari, nisi praevia peccati cognitione animus illustretur, ut per plenum, et firmum judicium intellectus de malitia objecti deliberet, ac vitandi peccati desiderio extimuletur. Haec doctrina firmissimis argumentis ex Scriptura depromptis fulcitur. Primo, absurdum enim est a peccato excusare persecutores Apostolorum, qui tamen praeviam mentis illustrationem circa illius peccati malitiam non habebant, nec illud vitandi desiderio stimulabantur: cum potius hac in persecutione obsequium se praestare Deo arbitrarentur juxta illud Christi Discipulos alloquentis oraculum: « Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo: et hoc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me ». Secundo, Apostolus, dum persequebatur Ecclesiam, procul dubio graviter peccabat, ut ipse fatetur 1. ad Timotheum 1. *Fui blasphemus*, inquit, *et persecutor, et contumeliosus.* Sed praeviam illam animi illustrationem, et attentionem ad actionis pravitatem non habebat, immo potius se laude dignum ob illud facinus existimabat, dum so abundantius supra coaetanos suos paternarum traditionum aemulatorem agnoscebat, juxta illud Epistolae ad Galatas *cap.* 1. « Audistis conversationem meam aliquando in Judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in Judaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo, abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum ». Non ergo necesse est ad peccatum, ut attendat peccator ad actionis pravitatem. Tertio, idem probat Christi Domini pro suis crucifixoribus oratio, *Luc.* 23. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* At tantum abest, ut se prave agere arbitrarentur, quin potius justitiam se adimplere existimabant, cum Christum seductorem, et malefactorem haberent, non Dominum gloriae cognoscerent. Quarto, illos peccare certum est, quos Deus *dimisit vias suas ingredi*, quosque *tradidit in desideria cordis eorum*: At illi non modo ad actionis pravitatem non attendunt, nec desiderii ab ea abstinendi stimulis agitantur:

quin potius cum gaudio, et ostentatione quadam, nefaria perpetrant facinora. Non est igitur necesse ad imputationem peccati, ut homo ad ejus pravitatem attendat, ejusque vitandi desiderio moveatur. His omnibus expletis; *S. Bernardus* in Tractatu ad *Hugonem a S. Victore* probat in magnis ignorantiae tenebris eos versari, qui peccari posse per ignorantiam non agnoscunt. Adde illa Psalmorum Oracula: *Psalm.* 9. « Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem irae suae non quaeret. Non est Deus in conspectu ejus, inquinatae sunt illius viae in omni tempore. Auferuntur judicia tua a facie ejus ». *Psalm.* 49. « Intelligite haec, qui obliviscimini Deum, nequando rapiat, et non sit qui eripiat ». *Psalm.* 71. « Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt ».

89 Confirmatur ex *S. Augustino*, *lib.* 1. *Retractationum cap.* 15. « Nam et qui nesciens peccavit, *inquit*, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis et ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit; ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quae voluntas utique sicut definita est, animi motus fuit, nullo cogente, ad aliquid vel non admittendum, vel adspiciendum. Quod enim si noluisset, non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit: Ita nec peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit: Hoc enim factum est, quod fieri non debuit ». At si necessaria esset attentio ad actionis pravitatem, numquam peccaret, qui nescit peccatum esse, quod facit, neque sola facti voluntate, sed etiam voluntate peccati, quodlibet peccatum esset voluntarium.

90 Iterum confirmatur ex eodem S. Doctore. Manichaeis affingebat Julianus Pelagianus errorem illum, quod a peccato immunem esse dicerent eum, qui flagitium aliquod perpetraverit ad malitiam ejus non attendens, nec repugnante conscientia illud committens, immo exultante id perpetrans audacia, et quasi se bene agere existimans. Quid ad haec S. Augustinus? De Manichaeis ipsis id credere refugit, caeterum assertionem horret ut Catholicae Fidei repugnantem, Libro 4. contra Julianum Pelagianum, *cap.* 8. « Quid autem ad nos pertinet, quia Manichaeos dicere affirmas, si quis homicidium conscientia formidante commiserit, reus est, quia timuit: Si autem aliquod facinus exultans perpetrarit audacia, velut credens, se ex fide facere, quod male facit, evasit culpam? Quod quidem nunquam audivi dicere Manichaeos. Sed quid ad nos, sive dicant, sive etiam ipsis calumnieris: cum hoc Catholica Fides non dicat, quam tenemus, et cujus te pondere urgemus »? Praeterea, hanc Propositionem; « Nunquam peccatur, nisi praevia peccati cognitione animus illustretur, ejusque vitandi desiderio exstimuletur »: plerique Galliarum Episcopi, et Parisiensis Accademia « Falsam esse, et viam aperire ad excusandas excusationes in peccatis » olim pronuntiarunt. Non minus erronea est illa Propositio: « Peccatum Philosophicum, seu Morale est actus humanus disconveniens naturae rationali, et rectae rationi. Theologicum vero, et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum ». Quae propositio Atheos, et Infideles omnes, et peccata quantumvis gravia perpetrantes, nec non Christianos excaecatos, et obduratos, a peccato absolvit, a poena immunes facit: ut felicior illorum conditio hac ex parte videatur, quam Fidelium, qui Deum noverunt, et nondum in illam caecitatis abyssum prolapsi sunt. At vero, Paganos in ignorantiae tenebris sedentes, peccata nihilominus aeterna poena digna commisisse, testatur Apostolus ad Ephesios 4.

Ostendi potest etiam ex aliis absurdis. Superflua certe diceretur paterna Dei erga nos sollicitudo, inutiliis caritatis divinae Filium Unigenitum pro salute hominum dantis commendatio censeretur, labores Apostolici pro revocandis ab errore hominibus, ut vani abjicerentur, si prava illa opinio recepta esset. Ad quid enim verbi divini Praedicatores in Regiones remotissimas proficiscuntur, si Gentes Christianorum dogmatum insciae nullatenus Deum offendant, nec peccata mortalia, et aeterna poena digna committant; immo in salutis discrimen vocentur documentis, et adhortationibus Concionatorum, qui illos ad cogitandum de Deo, et de Lege Divina excitant, quam alias sine mortalis peccati, et aeternae poenae reatu violarent, ut peccati Philosophici inventoribus, aut propugnatoribus visum est? Non esset, cur parentes de sua, filiorumque salute solliciti, tam sedulam in illorum institutione operam collocarent; cur Pastores e sacris Pulpitis verbum, LegemqueDei tam accurate exponerent. Siquidem homines in ignorantia Dei, Legumque divinarum relicti, voluptatibus tranquillo servirent animo, et absque peccati formidine. Denique tam exiguus non esset Electorum numerus, tam *arcta non esset via, quae ducit ad vitam.* Non diceret Propheta *Psal.* 118. *Longe a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.* Quae verba Sanctus Hilarius expendens in Psalmum 118. Littera 20. « Non habet veniam, inquit, ignoratio voluntatis, quia sub scientiae facultate nescire, repudiatae magis, quam non repertae scientiae est reatus. Ob id enim longe a peccatoribus salus est, quia non exquisierunt justificationes Dei: cum non utique ob aliud consignatae litteris maneant, quam ut ad universorum scientiam, notionemque defluerent ». 91

Merito itaque Alexander VIII. Pontifex Maximus distinctiunculam illam peccati Philosophici, et Theologici, et opinionem, quae hoc veluti cardine nitebatur, damnavit ut *scandalosam*, *teme-* 92

rariam, piarum aurium offensivam, et erroneam; Excommunicationem ipso facto incurrendam, Sedique Apostolicae reservatam tulit in eos omnes, qui haec Propositionem, atque opinionem docuerint, defenderint, ediderint, aut de ea etiam disputaverint publice, seu privatim (nisi forsan impugnando) tractaverint. In virtute denique Sanctae Obedientiae, et sub interminatione Divini Judicii omnibus Christi Fidelibus prohibuit, ne damnatam Propositionem ad praxim deducant, Decreto edito die vigesima quarta Augusti, anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo.

93 Deinde ne ex Luciana Doctrina decipiaris, praeter ea, quae ex Summa Alexandrina hactenus recensuimus, placet etiam haec alia ex P. Antoine subnectere, quo facilius valeas gravia peccata distinguere, ac declinare. Ait itaque: « Ad Mortale, etiam secundum se imputabile, sufficit advertentia virtualis, et interpretativa malitiae, aut periculi illius, consisteos in eo, quod quis possit, ac debeat advertere malitiam, vel ejus periculum, nec tamen advertat. Quia 1. malitia actus secundum se ei merito imputatur, qui debuit, et potuit illum advertere, et vitare actum, cui annexa est. Nam ei malitia satis voluntaria est, et libera, cum potuerit, et debuerit ab eo vitari. Ut malitia secundum se imputetur, ex communi sententia sufficit consensus voluntatis interpretativus, cum scilicet voluntas potest, et debet repudiare objectum malum, et non repudiat. Ergo etiam sufficit advertentia interpretativa: nam ad peccatum imputabile non minus requiritur consensus voluntatis, quam advertentia rationis. 2. Peccatum mortale est libera transgressio praecepti graviter obligantis; Sed ad talem transgressionem sufficit advertentia virtualis interpretativa: nam talis transgressio est libera hoc ipso, quod posita est ex defectu advertentiae actualis, quae potuit, et debuit haberi: hoc ipso enim talis transgressio ita posita est, ut potuerit non poni a voluntate. Advertentia virtualis, et interpretativa est ea, quae quidem non habetur, sed haberi potest, ac debet. Sed qui legem violat, quam potuit, ac debuit cognoscere, periode se habeat moraliter, et in aestimatione prudenti, in ordine ad imputabilitatem etiam moralem (licet non tantam, quando inadvertentia non est affectata), ac si eam actu cognosceret; ac proinde non excusatur a peccato etiam mortali. *Paulo aliter.* Advertentia interpretativa est ea, cujus privatio est culpabilis, cum ipsa potuerit, ac debuerit haberi, ac proinde non excusat a peccato actiones, et omissiones secutas contra legem, cum ipsa sit culpabilis; nec tollat voluntarium indirectum, ac interpretativum sufficiens ad culpam, nec culpa possit quemquam excusare. Igitur malitia actus merito imputatur voluntati, hoc ipso, quod actus malus procedit a voluntate libere, et scienter, vel cum vincibili, ac culpabili ignorantia, aut inadvertentia agente. 3. Vincibilis ignorantia, seu carentia cognitionis habitualis, non excusat a peccato. Ergo multo minus excusat inconsideratio, et inadvertentia vincibilis: nam (ut ait Suarez) ignorantia non refertur ad voluntarium, vel involuntarium ratione habitualis scientiae, qua privat, sed proxime, et immediate ratione actualis considerationis, quam tollit: quia voluntas non movetur proxime, et immediate ab habituali cognitione, sed ab actuali. Inadvertentia autem erit vincibilis, et voluntaria, hoc ipso quod potuit, et debuit pelli per advertentiam, sicut ignorantia habitualis est vincibilis, et voluntaria, hoc ipso quod potuit, et debuit depelli per inquisitionem veritatis ».

«Equidem nihil est volitum, quin praecognitum: 94
et voluntarium est id, quod est a principio intrinseco cum cognitione; sed cum cognitione, vel actuali, vel virtuali, et interpretativa. Nam ad voluntarium indirectum, et interpretativum sufficit cognitio virtualis, et interpretativa. Item cum actus moralis definitur actus, qui libere fit cum advertentia ad regulam morum, intelligi debet advertentia vel actualis, vel virtualis, et interpretativa, alioqui definitio mala est, cum non conveniat omni actui morali, nempe peccato commisso ex ignorantia, vel inadvertentia vincibili ».

« Advertentia virtualis, et interpretativa adest, 95
cum quis potest, et debet advertere ad praeceptum, seu obligationem, vel malitiam actus, et tamen non advertit. Potest tamen advertere, quando ex aliqua conditione praesenti ejusdem, vel alterius objecti, aut circumstantiae, prudenter, ac circumspective agendo, deveniret in cognitionem malitiae, quam novit quidem habitu, sed actu non advertit. Tunc enim habet sufficiens principium discurrendi, et considerandi, an actus sit licitus, vel illicitus. Et si hoc non cognoscit, aut considerat, male consultat, et imprudenter agit: unde merito illi imputatur peccatum, quod inde sequitur. Nam in omni deliberatione humana primo considerandum est, utrum res liceat, nec ne: eodem enim praecepto, quo tenemur vitare peccatum, et servare legem, tenemur adhibere advertentiam, et considerationem, cum sine ea lex ubservari nequeat ».

« Hinc in iis, quae intrinsece mala sunt, et con- 96
tra Legem naturalem, ad virtualem advertentiam malitiae moralis habitualiter notae sufficit, ut consideretur ipsa actio secundum se, seu ut quis mere advertat quid agat. Nam hoc ipso facillime excitari potest actualis cognitio malitiae, utpote habentis cum illa intrinsecam connexionem, si considerate, et sine praecipitatione agatur, ut notat Suarez. In iis vero, quae non sunt per se mala, sed vetita solo jure positivo, quamvis semper sufficiat consideratio ipsarum actionum secundum se, cum non habeant intrinsecam connexionem; tamen si quis non laboret ulla ignorantia habituali praecepti, regulariter sufficit ad excitandam cognitionem malitiae, si, qua par est, consideratione, et mora in agendo procedatur. Possunt et alia principia deliberandi in talibus rebus oc-

currere, ut si quis non cogitans de die abstinentiae, videat alios vesci cibis quadragesimalibus; vel die festo nihil cogitans de Sacro, audiat festivum campanarum pulsum, aut videat populum ad templum accurrentem. Ex his, aut similibus excitari potest cogitatio praecepti: quae tamen, si, adhibita sufficienti attentione, et consideratione, non habeatur, tunc inadvertentia erit naturalis, et invincibilis, qualis esse solet in timoratis, et ex circumspectione agentibus: in aliis autem plerumque est vincibilis, et culpabilis. Quod si malitia non sit habitualiter nota, tunc actus est culpabilis, si ignorantia sit vincibilis, quia haec non excusat a peccato ». Sic Antoine *de peccat. cap.* 2. *q.* 4.

Responsio Auctoris.

97 Circa ea, quae hic notat, et tradit *Theologus*, quo ad plenam advertentiam a me desideratam, ut homo mortalis culpae sit reus, sufficit mihi, ultra ad id probandum adducta *ibi* argumenta, et allegatos classicos Auctores, superaddere, quae recol. mem. Benedictus XIII. in Appendice ad Concilium Rom. in Instructione in forma dialogi inter Confessarium, et Poenitentem, tradit, *part.* 1. sic expresse, *ibi*: Penit. Come ho da conoscere, se il peccato è mortale, o veniale? Confess. Se l' offesa è contro la carità di Dio, o del Prossimo in cosa grave, e l' avete fatta con plena avvertenza, e deliberata volontà, il peccato è mortale; ma se l' offesa è in cosa leggiera, (eccettuati alcuni casi, nei quali la leggerezza della materia non iscusa da colpa grave), o benchè sia in cosa grave, se l' avete fatta senza la piena avvertenza, o senza la piena deliberazione, è peccato veniale. Quid, quaeso, clarius?

Nihil quidem clarius, ut evincatur, ad peccatum mortale requiri, ut aliquis plane ad actionem, quam elicit, advertat; non autem ut evincatur requiri, ut plane advertat actu ad malitiam illius actionis: aliter nullus peccatis ex ignorantia vincibili profectis locus est.

PECCATUM CONTRA NATURAM

VIDE VERB. *LUXURIA A N.* 33. *AD* 70.

PECCATA CAPITALIA

1 Peccata Capitalia communiter cum S. Greg. *lib.* 3. *moral. c.* 31. enumerantur septem, indicata hac dictione *Saligia*; singulis litteris ordine indicantibus litteras initiales peccatorum, Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula,
2 Invidia, Acedia. Dicuntur autem *Capitalia*, vulgo etiam *Mortalia*, non quod de se semper mortalia sint, sed quia ab istis alia peccata oriuntur, et instar Capitis, quod fluit in membra, ipsa influunt in alia peccata, ut inquit S. Greg. *loc. cit.* Siquidem ex his septem Capitalibus peccatis frequentius cetera peccata oriuntur secundum rationem causae finalis; quamvis nonnulla ex illis causis interdum non oriantur. Quid autem, et quale peccatum sit quodlibet ipsorum; Vide sub proprio cuiuscumque verbo, scilicet sub verb. *Superbia*, verb. *Avaritia*, verb. *Luxuria*, verb. *Invidia*, verb. *Gula*, verb. *Ira*, verb. *Acedia*.

PECULATUS

SUMMARIUM

1. Peculatus quid sit. — 2. Quando ex publica Pecunia aliquid auferatur, occupatur, et quomodolibet defraudatur, committi dicitur Peculatus. — 3 Committitur Peculatus tam a Judicibus, et Officialibus publicis de tempore suae administrationis publicas pecunias subripientibus, vel eas ab aliis subministratas subtrahentibus, quam ab aliis personis privatis non administrantibus subripientibus. — 4. Peculatus committitur primo, si quis per semetipsum pecuniam publicam quomodolibet auferat, intercipiat, et asportet — 5. Secundo, si mandet, ut quis auferat, et intercipiat. — 6 Tertio, si quis ex metallis Caesarianis ad publicam monetam cudendam, vel ad aliam publicum opus destinatis, furatus fuerit. — 7. Quarto, si quis praedam ab hostibus captam subripuerit. — 8. Quinto, si quis muros publicos perfoderit ad pecuniam, vel aliquid pretiosum furandum. — 9. Sexto, si quis publicam tabulam continentem formam, et fines agrorum publicorum, et latitudinem, et mensuram viarum publicarum, et Curiarum refinxerit, et aliquid inde immutaverit, vel deleverit. — 10. Septimo, si quis etiam privatam pecuniam subripuerit, quae tamen publica evadere debebat. — 11. Octavo, si quis pecuniam Sacram Religiosam, et quidquid donatum Deo abstulerit, et interceperit. — 12. Si Crimen Peculatus committatur a Judicibus, vel aliis Officialibus durante tempore suae administrationis, hi capitali poena puniuntur. — 13. Si committatur ab aliis personis privatis subripientibus pecunias ab aliis administratas, patiuntur *Civiliter* poena pecuniaria, seu Quadrupli, et *Criminaliter* poena Judicis arbitraria, seu deportationis — 14. Quando idem crimen est pluries reiteratum, tunc devenitur ad poenam mortis. — 15. Quando cum Peculatu concurrit falsitas,

a quibuscumque personis committatur, semper intrat poena mortis. — 16. Reus delicti Peculatus confugitus gaudet Immunitate. — 17. Ex gratia speciali Sanctissimus annuit pro retentione nulliter extracti ex caussa Peculatus etc. — 18. Datur facultas Archiepiscopo extrahendi Thesaurarium, et alios Debitores Ærarii Ducalis, et aliorum interesse habentium, uti reos Peculatus etc. — 19. Depositarius in alios usus convertens pecunias publicas, non tenetur poena Peculatus. — 20. Subnectuntur Addit. ex alien mano ad n. 23.

1 Peculatus est species furti, quo vel pecunia ad
Ærarium publicum, aut Fiscum Principis
pertinens, vel pecunia Sacra, aut Religiosa
subripitur ab eo, cujus fidei non est com-
missa, *l. Lege Julia Peculatus* 1. *l. Lege Julia Pe-
culatus* 4. §. 1. *et* 7. *l. Sacrilegii* 9. §. 2. *ff. Ad
Legem Juliam Peculatus, et* §. 9. *Instit. de publi-*
2 *cis Judiciis*. Et sic quando ex publica pecunia ali-
quid aufertur, occultatur, et quomodolibet de-
fraudatur, committi dicitur Peculatus: Ludov.
Gilleausen *in arbor. Judicior. Crimin. cap.* 29.
num. 7. Valenz. *cons.* 10. Sanfelic. *dec.* 285. *n.*
5. 29. *et seq.* Bugiot. *Inst. Crimin. l.* 2. *tit.* 19.
numer. 1. Ursaya *Instit. Crimin. lib.* 2. *tit.* 3.
num. 2. et alii.
3 Committitur autem iam a Judicibus, et Officiali-
bus publicis de tempore suae administrationis, et
in administratione ipsa publicas pecunias subri-
pientibus, vel eas ab aliis administratas subtrahen-
tibus, quam ab aliis personis privatis non admi-
nistrantibus subripientibus; §. 9. *Instit. de pu-
blicis Judiciis, et l. Judices* 1. *C. de crimine pecu-
latus*, Farinac. *quaest.* 171. *n.* 64. *et seq.* Galeot.
Respons. Fiscal. 22. *n.* 15. *et seq.* Raynald. *tom.*
2. *cap.* 14. §. 21. *num.* 29. *et seq.* Ursaya *loc.
cit. num.* 3. *et* 4. et alii.
4 Peculatus committitur multis modis juxta ea-
sus enumeratos a Raynald. *tom.* 2. *cap.* 14. §. 21.
a n. 28. *usque ad* 42. et ab Ursaya *loc. cit. a n.*
11. Et primo, si quis per semetipsum pecuniam
publicam quomodolibet auferat, intercipiat, et
exportet, *l. Lege Julia Peculatus* 1. *ad Legem Ju-*
5 *liam Peculatus*. Secundo, si mandet, ut quis aufe-
rat, et intercipiat; *cit. l. Lege Julia Peculatus*,
6 ibi: *Nevs faciat quo quis auferat, intercipiat*. Ter-
tio, si quis ex metallis Caesarianis, idest ex vir-
gis aureis, et argenteis, quae sunt Caesaris, et ad
publicam monetam cudendam, vel ad aliud publi-
cum opus destinatis, furatus fuerit, *l. Sacrilegii* 6.
7 §. 2. *ff. ad Legem Juliam Peculatus* ». Quarto, si
quis praedam ab hostibus captam subripuerit, *l.
Is qui praedam* 13. *ff. Ad Legem Juliam Pecula-*
8 *tus*. Quinto, si quis muros publicos perfoderit, et
inde aliquid abstulerit, puta pecuniam, metalla,
vel alia pretiosa, vel de materia ipsa murorum a-
liquid exemerit, et abstulerit; *l. Qui perfovoru-*
9 *verit* 11. *ff. ad Legem Juliam Peculatus*. Sexto, si
quis publicam tabulam continentem formam, et
fines agrorum publicorum, et latitudinem, et men-
suram viarum publicarum, et Curiarum refinxerit,
et aliquid inde commutaverit, vel deleverit; *l. Qui*
10 *tabulam* 8. *ff. Ad Legem Juliam Peculatus*. Septi-
mo, si quis etiam privatam pecuniam subripuerit,
quae tamen publica evadere debebat; veluti si quis,
quod Fisco debetur, simulans se Fisci Creditorem,
acceperit; *l. Sacrilegii* 9. §. 3. *ff. Ad Legem Ju-
liam Peculatus*. Octavo, si quis pecuniam Sacram, 11
Religiosam, et quidquid donatum Deo abstulerit,
interceperit; *l. Lege Julia Peculatus* 4. *ff. Ad Le-
gem Juliam Peculatus*.
Poena criminis Peculatus est a Lege diversimo- 12
de taxata juxta diversitatem personarum ipsum
committentium; Si enim committatur a Judicibus,
vel aliis Officialibus durante tempore suae admini-
strationis, hi capitali poena puniuntur; *l. Judices*,
et verb. *Publicas*, Decian. *lib* 8. *c.* 28. *n.* 29. *c.*
39. *n.* 6. Berlich. *conclus.* 57. *n.* 3. *lib.* 5. Rovit.
cons. 60. *nu.* 4. *lib.* 4. Raynald. *tom.* 2. *c.* 14. §.
21. *n.* 42. Ursaya *loc. cit. n.* 23. et alii.
Si committatur ab aliis personis privatis, sub- 13
ripientibus pecunias ab aliis administratas, pu-
niuntur civiliter, et criminaliter. *Civiliter*, hoc
est, poena pecuniaria, seu quadrupli; Dummodo
lis contestata, vel inquisitio formata sit, vivente
ipso delinquente, alias secus. Aoell. Amat. *cons.*
55. *per tot.* Card. de Luca *de Regularibus disc.* 119.
n. 25. Ursaya *l. c. n.* 25. et alii. *Criminaliter* ve-
ro poena Judicis arbitraria, seu Deportationis, *l.
Peculatus poena* 3. *ff. ad Legem Juliam Pecula-
tus*, cum aliis apud Farin. *q.* 171. *n.* 8. et Rovit.
con. 60. *lib.* 5. *n.* 3. Ubi quod quando idem cri- 14
men est pluries reiteratum, tunc devenitur ad poe-
nam mortis, quod admittit etiam Cabal. *resolut.
crim. cas.* 99. *n.* 4. Quando vero cum Peculatu 15
concurrit falsitas, a quibuscumque personis com-
mittatur, semper intrat poena mortis, *l. Sciant
omnes, C. de his, qui ex publicis rationibus*. Ibi-
que Glossa verb. *Omnibus*, Rovit. *cons.* 60. *n.* 6.
lib. 3. Ursaya, *loc. cit. num.* 28. et alii.
Reus delicti Peculatus confugitus gaudet Immu- 16
nitate, cum non sit de exceptis in Bulla Greg.
XIII. (adde nec in Bulla Bened. XIII.) *Sacr.
Cong. Immun. in Neapolitana* 24. *Martii* 1627.
lib. 1. *Decret. Paul. pag.* 43. *et* die 31. *Januar.*
1628. *eod lib. pagin.* 82.
Ex gratia speciali Sanctissimus annuit pro re- 17
tentione nulliter extracti ex causa Peculatus ab
Archiepiscopo, attento, quod Princeps suspendit
acceptare sententiam Archiepiscopi, usquedum au-
diret sensum Sacrae Congregationis: *Sacr. Con-
gr. Immun. in Taurinen.* 8. *Febr.* 1667. *l.* 1.
Decret. Altoviti p. 84.
Datur facultas Archiepiscopo extrahendi The- 18
saurarium, et alios Debitores Ærarii Ducalis, et

aliorum interesse habentium, uti reos Peculatus, modo constet summarie de veritate facti, et retinendi in carceribus Eccles. ad dispositionem Sacrae Congregationis, et etiam perquirendi, et extrahendi eorum bona in quocumque loco immuni, exceptis Monasteriis Monialium, et Conservatoriis, et consignandi: *Sacr. Congreg. Immun. in Taurinen.* 14. *Junii* 1698. *lib.* 2. *decret. Altar. pag.* 157.

19 Depositarius in alios usus convertens pecunias publicas non tenetur poena Peculatus, quia pecuniae, quae penes Depositarium sunt, ejus periculo subsunt. Ad hoc autem, ut Peculatus verificetur, debet fieri pecuniarum furtum ab eo, cujus periculo non sunt: Ursaya *loc. cit. num.* 34. cum aliis ibi citatis.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

20 Interdum, tametsi publica pecunia intervertatur, minime tamen peculatus admittitur; ut si illi interverterint, ad quorum periculum pecunia pertinebat, aeditui scilicet, et qui trajiciendam pecuniam acceperunt, *L.* 9. *ff. ad L. Jul. Peculat.* idque, quia eo ipso, quod periculum pecuniae suscipiunt, de accusatione peculatus quasi cum ipsis decidit.

21 Objici potest, quod Arcarii, et qui Ærario praesunt, peculatum committunt, si vel mutuo dederint pecuniam fidei suae commissam; *L.* 1. *et* 2. *C. de his qui ex public. ration.* quanto igitur magis si interverterint? quum etiam capite eo casu plectantur, ex *L. unic. C. de crimine pe-*
22 *culat.* Tum quod absurdum sit, extra poenam eos esse, quorum fidei, et periculo pecuniae publicae sunt commissae, quive eas administrant, quum his major peccandi, quam ceteris facultas sit, eo autem gravius punienda delicta, quo major peccantibus delinquendi facultas, atque copia patet.

At videndum, ne male confundantur exactores, 23
arcarii, aerario praefecti, Judices denique, et administratores pecuniarum publicarum, cum iis denique, quorum periculo ipsae sunt. Illi administrant quidem, cogunt, curant, non tamen suo periculo; ideoque si quid interceperint, rei fiunt peculatus: Hi autem, quorum periculo sunt pecuniae, peculatus rei non fiunt, propterea quod, ut dictum mox est, periculo imposito de crimine cum eis decidi videtur, ita ut eam pecuniam, si interverterint, tamquam privati debitores Reipublicae debeant, non tamquam criminis rei.

Publica pecunia, cujus subtractio locum facit 24
peculatui, est pecunia Populi Romani, non item pecunia Civitatum, secundum Papinianum *in L.* 81. *de Furtis*, ita ut, subtracta pecunia hac Civitatum, furti, non peculatus actio competat. At Imperatores Trajanus, et Hadrianus etiam ad pecunias Civitatum accusationem peculatus produxerunt, *L.* 4. *§. ult. ff. ad L. Jul. peculat.* quo jure utimur.

Poena peculatus ex lege Julia erat aquae, et 25
ignis interdictio: Constitutionibus vero Principum capite plectitur, qui peculatum committit; *L. unic. C. hoc tit.* Et frustra hanc poenam, ut duram, improbavit Leo *novell.* 105. Defenditur enim rigor utilitate publica, quae tanta est, ut nisi peculatores severissime puniantur, numquam defuturae sint hirundines, quae corpus Reipublicae sanguine, et nervis destitutum relicturae sunt.

PECUNIA

VIDE VERB. *EMPTIO ARTIC.* 1. *NUM.* 8. *ET* 9.

PEDAGIUM, SEU GUIDAGIUM

VIDE VERB. *GABELLA NUM.* 9.

PEDOMANTIA

VIDE VERB. *SUPERSTITIO NUM.* 23.

PENSIO, PENSIONARIUS

SUMMARIUM

1. Pensio unde sit dicta? — 2. Pensio dividitur in Laicalem, et Clericalem, et quae utraque sit? — 3. Pensio Clericalis subdividitur in duas species, una est, quae assignatur in titulum Beneficii Ecclesiastici, et demonstratur quae sit. — 4. Alia autem est pensio, quae nomine pensionis communiter intelligitur, et demonstratur quae sit. — 5. Affertur definitio pensionis sic acceptae. — 6. Pensio Clericalis primo modo accepta, et collata in

titulum, est vere, et proprie dictum Beneficium Ecclesiasticum. — 7. Nec refert, quod appelletur pensio, cum ipsi integre conveniat definitio Beneficii — 8. Pensio Clericalis secundo modo accepta in materia odiosa non venit nomine Beneficii, bene vero in materia favorabili. — 9. Pensio hujusmodi potest imponi, vel personae Beneficiarii, vel Beneficio, et assignatur, quando imponitur uni, et quando imponitur alteri. — 10. Papa potest ex rationabili motivo omnibus praefatis modis pensionem Beneficii imponere. — 11 Hinc papa potest pensionem super quocumque Beneficio imponere, etiam nulla caussa expressa. — 12. Unde Papa potest etiam imponere pensionem super Beneficio patronato, facta mentione hujus qualitatis. — 13. Excepto Beneficio de Jure patronatus Regio, cui Papa derogare non solet. — 14. Episcopus, et quicumque alius Collator Papa inferior non potest novum Censum, vel pensionem perpetuam imponere, neque antiquum Censum, seu pensionem augere. — 15. Regulariter loquendo Episcopus nequit conferre Beneficium sub reservatione pensionis, cuipiam persolvendae. — 16. Potest tamen Episcopus ex caussa rationabili pensionem imponere saltem duraturam ad vitam Beneficiarii gravati, atque in eam consentientis, cum quo extinguatur pensio. — 17. Talis autem pensio non potest constitui ab Episcopo incerta quota redditaum, sed in certa quantitate fructuum, seu redditutum — 18. Assignantur justae, et rationabiles caussae, propter quas potest Episcopus pensionem in certa quantitate redituum imponere personae Beneficiatae ad ejus solam vitam duraturam. — 19. Justa caussa, ut Episcopus reservet pensionem, est quoque amor erga suum ex Fratre Nepotem, vel ut commodius Sacrae Theologiae, Sacris Canonibus, seu Sacrae Scripturae operam dare possit. — 20. Episcopus non potest propter praedictas caussas Beneficio imponere pensionem transmissibilem ad successorem — 21. Contrarium tamen sustinent aliqui, sed minus probabiliter — 22 Episcopus in collatione Beneficii convenire non potest, ut pensio solvatur sibi. — 23. Simoniaca est pactio inter partes sine Judice, ut una pars cedat liti super Beneficio, et recipiat pensionem annuatim ab altera, si pars cedens habeat Jus in caussa, alias secus. — 24. Potest Episcopus, cessante pacto partium, in permutatione Beneficiorum mandare, quod recipiens Beneficium pinguius solvat aliquam pensionem suo tempore duraturam ad coaequandos fructus utriusque Beneficii. — 25. Quamvis de Jure illicitum sit, atque Simoniacum resignare Beneficium cum pacto, seu conditione apposita parti solvendi pensionem; tamen ex justa, et gravi caussa potest Episcopus Resignanti pensionem constituere ipsi solvendam ad vitam Beneficiati gravati, seu consentientis in eam. — 26. Immo resignans, existente rationabili caussa pro reservanda sibi moderata pensione, ut securior sit, potest ante suam resignationem Episcopo supplicare. — 27. Insuper possunt partes prius inter se tractare, atque Resignans super aliqua pensione sibi danda cum Successore amicabiliter componere, non quidem absolute, et quasi per se ipsos illam concludendo, sed sub conditione relata in consensum Superioris, seu Episcopi, in cujus manibus Beneficium resignatur, ac sese omnimode submittendo ejus liberae dispositioni. — 28. Episcopus, et quicumque Collator Papa inferior nequit imponere pensionem super parochialibus, et afferter ad id novissima Constitutio Benedicti XIII. — 29. Vicarius Episcopi non potest vi Officii sui imponere pensionem. — 30. Legatus a latere potest idem circa impositionem pensionum, quod potest Episcopus — 31 Collatores inferiores, item Compromissarii, et Judices non possunt pensionem imponere, nisi auctoritate Episcopi. — 32. Superiores Regularium possunt pensionem imponere in Beneficiis suae Religionis manualibus, et amovibilibus, seu incorporatis suis Monasteriis, et per Vicarios administratis. — 33. Praeceptor Generalis Militarium potest imponere pensionem in Commendis suae Religionis spectantibus ad favorem Religiosorum, sive Equitum ejusdem Religionis. — 34. Laicus de Jure est capax pensionis temporalis. — 35. Immo de Jure communi est capax etiam pensionis Ecclesiasticae, quando non confertur in titulum. — 36. Ex stylo tamen, et observantia Curiae non conceduntur pensiones, nisi Clericis cum exercitio, seu privilegio Clericali. — 37. Sicuti Laici non sunt capaces pensionis Ecclesiasticae, ita neque illius commoditatis, seu perceptionis fructuum — 38. Papa vero potest pensionem etiam Laico reservare. — 39. Proat eidem Laico concedi potest facultas retinendi pensionem. — 40. Quinimmo ubi pensio Ecclesiastica concedatur alicui tamquam Laico, tunc si sit Bigamus, non eget alia dispensatione. — 41. Pensio conferri potest puero Septennali. — 42. Filii Clericorum, qui non ex legitime nati sunt Matrimonio, non possunt obtinere pensiones super fructibus Beneficiorum, quae parentes eorum obtinent; vel obtinuerant. — 43. Filius autem legitimus potest obtinere pensionem super Beneficia, quod pater obtinet de praesenti, non obstante Concilio Trident. *sess* 25. c. 15. *de reformat.* — 44. Pater Clericus, habens facultatem pensionem, quam possidet, transferendi, illam transferre potest in Filium Clericum, etiam illegitimum, dispensatum simpliciter ad Beneficia, et pensiones. — 45. Milites Lauretani ex privilegio peculiari possunt retinere pensionem Ecclesiasticam usque ad summam ducentorum Ducatorum auri de Camera, non obstante Matrimonio contrahendo, et Bigamia. — 46. Milites Ss. Mauritii, et Lazari, etiamsi contrahant Matrimonium, dummodo cum unica tantum, et Virgine, remaneant capaces retinendi pensiones usque ad summam Ducatorum 400. auri de Camera. — 47. Milites S. Stephani retinent pensiones usque ad summam 400. Ducatorum auri de Camera, non obstante Matrimonio contracto, et Bigamia. — 48. Milites etiam Bigami militiae Christianae possunt recipere pensionem usque ad Summam Ducatorum 300. — 49. Equites Hierosolymitani, seu Melitenses capaces sunt pensionis super Commendis, et Beneficiis suae Religionis, et Magnus Magister habet amplissimam facultatem a statuto imponendi tales pensiones — 50. Sunt autem incapaces pensionis Beneficio Ecclesiastico saeculari impositae, nisi accedat dispensatio Apostolica, qua mediante, fiunt capaces, sicuti et alii Regulares. — 51. Regulares non possunt obtinere pensionem super Beneficiis Ecclesiasticis saecularibus, et vacant per professionem Regularem. — 52. Nisi praecesserit gratia Apostolica, et dispensatio retinendi pensionem, etiam emissa professione. — 53. Religiosi Societatis Jesu post professionem trium votorum, et ante professionem quarti voti possunt retinere pensiones Ecclesiasticas super Beneficiis Ecclesiasticis saecularibus, quarum Regulares professi sunt incapaces. — 54. Illegitimus sicuti est incapax Beneficii Ecclesiastici, ita est etiam incapax pensionis Ecclesiasticae — 55. Illegitimus praevia dispensatione ordinatus eo ipso censetur, et efficitur capax pensionis absque particulari dispensatione. — 56. Excommunicatus, suspensus, interdictus est incapax pensionis. — 57. Irregularis an sit, vel non capax obtinendae, et retinendae pensionis. — 58. Filii, et Nepotes Haereticorum, et a fortiori ipsi Haeretici, sicuti sunt inhabiles ad Beneficia obtinenda, ita etiam inhabiles sunt ad obtinendas pensiones. — 59 Militiae saeculari operam dantes, sicuti sunt incapaces Beneficii, immo ipsum amittunt statim, ac declarantur milites, ita etiam incapaces evadunt pensionis, eamque statim amittunt, si habeant, etiamsi re integra, antequam pugnent, militiam deserant, et primaevum statum reassumant. — 60 Sicuti per Matrimonium a Clerico contractum vacant ejus Beneficia, ita vacant ejus pensiones. — 61. Nisi pensio fuerit reservata alicui, non tamquam Clerico, sed tamquam benemerito pro servitiis praestitis — 62. Vel nisi dispensatio Apostolica intercesserit, aut privilegium Apostolicum juxta dicta supra a num. 45. ad 50. de Militibus Lauretanis, Ss. Mauritii, et La-

zari etc. — 63. Sicuti per professionem Regularem in Religioce approbata vacant Beneficia, ita vacant etiam pensiones. — 64. Potest tamna Regularis professus obtinere pensionem super Beneficio Regulari ad nutum Superioris amovibilem, non obstante voto paupertatis, et praecipue, si inservire debeat ad sublevandam Religionem ab oneribus, quibus alias Religio gravaretur. — 65. Sicuti vacanl Beneficia per promotionem ad Episcopatum, ita etiam vacant pensiones datae in titulum Clericalem, nisi concedatar a Papa retentio. — 66. Facultas autem retinendi pensionem concessa promoto ad Episcopatum, non intelligitur cum facultate transferendi, quae ante promotionem competebat, nisi fuerit aspressa. — 67. Noo vacant tamen pensiones per promotionam ad Episcopatum Titularem, sea in partibus Infidelium. — 68. Neque vacant per promotionem ad Episcopatum Cardinalitium aoo obligentem ad residentiam — 69. Per promotionem aotem ad Episcopatum non vacant pensiones, oisi secuta Consecratione, et adepta possessione. — 70. Pensio non extinguitur per promotionem ad Cardinalatum. — 71. Nequa etiam extinguitur pensio per assumptionem Cardinalis ad Papatum. — 72. Pensio excedens summam scutorum 60. de Camera extinguitur eo ipso sine ulla monitione, citatione, Judicis Decreto, aut ministerio, si pensionarius non deferat Habitum, et Tonsuram Clericalem tanto temporo, ut ab omaibus reputetur Laicus. — 73. Si pensio sit reservata in persona unius ad commodum tamen, et utilitatem alterius, tunc extinguitur per mortem cujuslibet ex his duobus, nisi tamen qui praemoritur, in alium ante mortem translulerit. — 74. Pensio potest transferri cum legitima facultate ab una in aliam personam. — 75. Et tunc ad vitam pensionarii constituitur novum Jus ad pensionem. — 76. Pensionis translatio fieri potest etiam in articulo mortis. — 77. Indultum autem, vel facultas transferendi pensiooem, seu concedendi pensionem cum facultate illam transferendi in alium, potest concedi a solo summo Pontifice. — 78. Pro transferenda in alium pensione, est sub poena nullitatis servanda forma translationi praescripta a Papa in Indulto — 79 Farmula talis Indulti traditur a Card. de Luca — 80 In dicto Indulto apponitur clausula, *servata tamen forma Constitutionis Innocentii XI super translationibus pensionum aeditae*. Unde, ut ab omnibus prae oculis haberi possit, hic ad litteram datur. — 81. In qua, ut vides, translatio pensionis ab habeatibus Indultum fieri non potest, oisi pro medietate. — 82 Si tamen Indultarius pensionem transferret ultra medietatem, et summam permissam, translatio non esset nulla, sed solum maneret vitiata in excessu. — 83. Item per translationem invalidam non remanet consumpta facultas transferendi. — 84. Traaslatio pensionis potest fieri coram omnibus in dignitate Ecclesiastica constitutis. — 85. Non habentes ad id speciale privilegium, debent pro translatiooe pensioois exhibere Executoris Indultum. — 86. Tale autem privilegium transferendi pensiones sine exhibitione Indulti habent omnes Cardinales, et etiam Milites Sancti Petri. — 87. Translatio autem pensionis debet fieri in Clericum, qui talis sit tempore translationis, et qui capax esset primo recipiendi pensionem, nisi in Indulto habeatur aliud speciale privilegium. — 88. Facultas transferendi pensionem exerceri potest etiam per Procuratorem Indultarii: Dummodo persona, in quam est transferenda, sit certa, et nominata ab Indultario. — 89. Pensio translata est eadem pensio cum prima, et transit in Traslatarium cum eisdem privilegiis, quibus utebatur Transferens — 90. Ad translationem pensionis requiritur consensus Titularis, seu Beneficiati. — 91. Adeoque translatio ab initio facta absque consensu Titularis est nulla. — 92. Quandoque tamen sufficiens reputatur, quod consensus superveniat. — 93. Nisi aliter habeatur ex mandato Papae. — 94. Papa tamen potest absque alicujus consensu ex mera ejus liberalitate transferre pensionem, et concedendo facultatem illam transferendi, dicitur supplere consensum Titularis. — 95. Intellige tamen hoc verum solum respectu consensus requisiti juxta Regulas Cancelleriae, non autem requisiti vigore pacti inter Titularem, et pensionarium initi. — 96. Papa enim in facultate translationis pensionis derogando simpliciter consensui Titularis, noo censetur derogasse speciali consensui illius virtute pacti acquisito. — 97. Unde mentio specifica requiritur pro derogatione pacti inter partes initi, et acceptati, alias subreptio committitur, si in Indulto translationis pensionis non fuerit narratum Papae, quod in litteris reservationis fuit expresse prohibita translatio etiam vigore Indulti. — 98. Qui non habet Indultum transferendi pensionem, potest illam in toto, vel in parte quoad commoditatem ipsam percipiendi, gratuito, libere, et sine ullo pacto, et pecunia, sive anticipata solutione cedere, et remittere ad favorem Titularis, donec naturaliter vixerit, etiam sine Beneplacito Apostolico. — 99 Pensio secundum se noo potest sine Beneplacito Apostolico redimi pecuniis, licet istae dicantur esse veluti anticipatae aliquot annorum solutiones. — 100. Vendere fructus pensionis, retento adhuc titulo, an sit Simonia? — 101. Etiam dato, quod vendere fructus pensionis, retento adhuc titulo, non sit Simonia, tamen haec venditio non potest ad totam vitam, et pro longo tempore fieri sine Beneplacito Apostolico. — 102. Pensio debet esse ita moderata, ut congrua sustentatio adhuc remaneat Beneficiato. — 103. Et ideo Papa solet reservare pensiones; Dummodo remaneant pro Titulari, seu Beneficiato duae tertiae partes fructuum. Aliquando tamen reservatur usque ad dimidiam partem fructuum. Et sane juxta stylum Datariae Beneficia solent gravari pensione ascendente ad medietatem fructuum. Ultra tertiam vero, aut dimidiam partem reservari non solent pensiones. — 104. Ita ut pensio reservata ultra medietatem fructuum sit nulla, et corruat tota. — 105. Hinc clausula solita apponi: *Dummodo pensio tertiam partem, seu medietatem fructuum non excedat*, operatur, ut pensionarius non possit agere ad pensionem, nisi prius eamdem clausulam verificaverit, et justificaverit dictum non excessum, etiamsi Titularis consenserit pensioni; Pensio enim reservata cum dicta Clausula nullatenus sustinetur, nisi prius verificata fuerit ab ipso pensionario, ad quem spectat onus probandi, et qua non verificata, corruit reservatio pensionis. — 106. In impetratione ab impositione pensionis facienda est mentio, quod Beneficium sit alia pensione gravatum. — 107. Pensio autem reservata, nulla facta mentione primae antecedenter impositae super eodem Beneficio, dicitur subreptitia, et nulla. Et quidem nulla est ipso Jure, non ope exceptionis, adeo ut nec reviviscat, ubi prima pensio cessat, etiamsi secunda pensio motu proprio fuerit reservata: Immo corruit in totum. — 108 Pensio legitime imposita, est a Beneficiato sub mortali solvenda. — 109. Si pensiones non sint solutae a priore Beneficiato, tenentur ejus haeredes; et si hi non possint, et pensionarius probet se fecisse debitas diligentias pro obtinenda pensione suis temporibus, tenetur successor in Beneficio solvere ipsas pensiones decursas non solutas ab antecessore, ut ad id datur actio pensionario contra ipsum. — 110. Pensionario moriente ante terminum solvendae pensionis, Beneficiarius tenetur solvere haeredibus pro rata fructuum perceptorum vivente pensionario; Et idem servandum est, quando Camera Apostolica Defuncto succedit in spolio; Debetur enim Camerae, ubi adest usus spoliorum. — 111. Annus pro solvenda pensione incipit currere a die constitutae pensionis, et terminat eadem die sequentis anni. — 112. Locus, in quo solvi debet pensio, ordinarie est, ubi situm est Beneficium, et ubi fructus percipiuntur, nisi aliter in Litteris reservationis sit dispositum. — 113. Pensio imposita in pecunia, solvenda est in pecunia debita, nec Beneficiatus liberatur solvendo aliam. — 114. Esset tamen admittenda solutio in alia specie pecuniae, quando esset penuria qualitatis promissae, et debitae, et pensionarius in aequivalenti

servaretur indemnis. — 115. Pensio simpliciter, et indistincta constituta, et reservata in Ducatis, et in Scutis, nulla facta mentione, an sint Ducati de Camera, vel Monetae usualis, an sint scuti aurei, vel argentei, solvenda est in Ducatis, seu Scutis monetae usualis Regionis, et exiguioribus, et minus gravantibus Beneficiatum? — 116 Si autem ex usu, vel ex Regione, vel ex contextu Litterarum reservationis possit haberi interpretatio, de qua specie Summus Pontifex intellexerit, tunc in illa specie facienda est solutio. — 117. Pensio reservata in Ducatis Camerae, si solvatur in Curia, debet solvi in Ducatis auri de Camera, et pro eis scuta aurea in auro cum additione unius Julii; Si autem solvatur extra Urbem in aliis Regionibus, ubi difficulter reperiuntur aurea, sufficit, quod fiat solutio in alia moneta valoris aequivalentis. — 118. Aurea autem de Camera aestimantur in ratione Juliorum quatuordecim, nec ab eorum valutatione recedendum est de tempore gratiae. — 119. Quomodo solvenda sit pensio, quando valor monetae, qui erat tempore reservationis pensionis, fuit alteratus, et mutatus? *remissive.* — 120. Pensio exigi non potest ante expeditionem Litterarum Apostolicarum; et si ante fuerit exacta, redditur nulla, stante Decreto in reservatione poni solito: *Vigore Litterarum Apostolicarum desuper conficiendarum, nec ante, alias praesens reservatio sit nulla.* — 121. Dicuntur autem Litterae expeditae, quando sunt plumbatae. — 122. Pensio post expeditas Litteras est solvenda a die reservationis, non autem a die expeditionis earum Litterarum, quamvis expeditio sit in conditione posita. — 123. Pensionarius sub onere non faciendi fructus suos, sed eos restituendi, tenetur quotidie recitare Officium B. Mariae Virginis. — 124. Satisfacit tamen pensionarius, si recitet Officium Divinum, et omittat Officium Beatae Mariae Virginis — 125. Insuper Clericus in Sacris, vel habens Beneficium, et Pensionem satisfacit suae obligationi unica recitatione Divini Officii, etiamsi omittat Officium parvum B. M. V. — 126. Pensionarius, cui auctoritate Apostolica est redempta Pensio in totum, non obligatur amplius ad Officium B. M. V. — 127. Secus autem, si auctoritate propria admittat tantum aliquas anticipatas solutiones. — 128 Quando pensio est reservata in capite, seu persona unius in commodum, et utilitatem alterius, ille dumtaxat ad recitationem Officii obligatur, in cujus commodum pensio reservata est. — 129 Pensionarius ex redditibus pensionis impositae super Beneficio tenetur pro rata concurrere ad Ecclesiae reparationem, sicuti tenetur ipse Beneficiatus, nisi pensio ita imposita fuerit, ut ab omni prorsus onere libere solvatur. — 130. Nisi enim Papa eximeret pensionarium a quibuslibet oneribus, et impositionibus, tenetur pensionarius ad onera, quae in dies imponantur super Beneficiis. — 131. Immo, ubi agatur de pensionibus super Beneficiis Religionis Hierosolymitanae impositis, pensionarius, etiamsi sit Cardinalis, tenetur ad onera ejusdem Religionis. — 132. Prout in casu contributionis tenetur pensionarius contribuere pro Rata pensionis, adeoque tenetur ad solutionem decimarum, et onerum praestandam Principi, nisi fuerit specialiter derogatum. — 133. Unde generaliter tenetur pensionarius pro rata pensionis contribuere ad omnia onera Beneficii, nisi Papa addiderit, quod pensio sit omnino libera, immunis, et exempta — 134. Pensionarius habens pensionem ultra valorem 60. Ducatorum auri de Camera tenetur deferre vestes Clericales Talares sub poena privationis. — 135. Pensionarius habens pensionem solitam concedi Clerico gaudet privilegio Fori, etiamsi non deferat Habitum, et Tonsuram — 136. Contrarium tamen defendunt alii. — 137. Pensionarius, qui habet Indultum retinendi pensionem, etiamsi non incedat in Habitu, et Tonsura Clericali, et Matrimonium contrahat, non censetur dispensatus ad militiam, ad quam si transeat, amittit statim pensionem, etiamsi, re integra, antequam saeve exerceat, militiam deserat, et primaevum statum reassumet. — 138 Item pensionario pro retinenda pensione obstat Officium militis levis armaturae. — 139 An, et quando teneatur, vel non, pensionem minuere, seu remittere? *remissive.* — 140 An pensionarius teneatur eodem modo ac Beneficiatus superfluos fructus pensionum in pios usus expendere? — 141. Alia ad rem cum add. ex al. man. *ad num.* 150.

1 Pensio est ita dicta, vel quia penditur, idest solvitur, nam et quaelibet annua solutio dicitur Pensio, et ipsius Pensionis solutio dicitur Pensatio, ut cum multis notat Barbosa *lib.* 3. *Juris Ecclesiastici univers. cap.* 1. *num.* 2. Vel dicitur Pensio a pendeo, quia dependet formaliter a Beneficio, a quo detrahitur, sicut ususfructus a proprietate, ut notant Card. in *Clementin.* 1. *de supplend. negligent. Praelator*, Barbosa *loc. cit.* et expresse Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. ad audientiam* 35. *de Rescriptis num.* 49. per text. *in cap. Quicumque* 12. *qu.* 2. *cap. Possessiones* 16. *qu.* 1. *cap. Final. de Pignoribus*, *et cap. Quamvis* 4. *de praebend.* in 6.

2 Pensio dividitur in Laicalem, et Clericalem: *Communis.* Pensio *Laicalis* est, quae datur ob ministerium temporale, aut aliam temporalem causam; et ista convenire potest nedum Clericis, sed etiam Laicis, ut v. g. Oeconomis Ecclesiae, Cantoribus, Organistis, Ædituis, et aliis hujusmodi. Pensio Clericalis, seu Ecclesiastica econtra est, quae Clericis auctoritate Superioris Ecclesiastici justis de causis constituitur, ipsisque solis competere potest. Et de hac sola Clericali in praesenti est sermo, et non de Laicali.

Pensio Clericalis subdividitur in duas species: 3
una est, quae assignatur in titulum Beneficii Ecclesiastici, prout accidit cum Ecclesia redditibus abundat, et caret suffragio Ministri, et auctoritate Superioris statuitur, ut ibi sit unum Beneficium perpetuum, v. gr. perpetua Vicaria pro Clerico, cui assignetur Pensio, seu portio fructuum ejusdem Ecclesiae annuatim percipienda, ut habetur *cap. Conquerente* 6. *de Cleric. non residens.* et docent Abbas *in cit. cap. Conquerente num.* 1. *et* 6. Anton. de Butrio in 1. *notabil.* Petr. de Ancharan. *num.* 2. et Joann de Imol. *in* 1. *notabil.* Fagnan. *in cit. cap. Ad Audientiam* 31. *de Rescriptis num.* 42. *et seq.* Reiffenst. *lib.* 3. *Decretal. tit.* 5. *num.* 86. *et* 87. dicentes expresse, quod, cessante fraude, super fructibus Ecclesiae potest constitui certa Pensio nomine Beneficii, et sic potest super uno Beneficio creari aliud; dummodo primo Rectori remaneat tantum, unde honeste sustentari valeat, et dummodo id non fiat in fraudem, quo casu est locus prohibitioni Concilii Generalis *in cap. Extirpandae* 30 §.

fin. de praebend. ubi statuitur; « Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus Ecclesiae, quae curam habere debet proprii Sacerdotis, pensionem alicui quasi pro Beneficio conferre praesumat ».

4 Alia est Pensio, quae nomine Pensionis communiter intelligitur, et ea est, quae simpliciter constituitur ad tempus de fructibus alicujus Beneficii, justaque de causa cuipiam assignatur au-
5 ctoritate Superioris. Et Pensio sic accepta definitur, quod sit « Ius percipiendi partem fructuum ex alieno Beneficio auctoritate Superioris Ecclesiastici cuipiam Clerico justa de causa constitutum: Est in re Communis ».

6 Pensio Clericalis primo modo accepta, et collata in titulum est vere, et proprie dictum Beneficium Ecclesiasticum, ut probatur *in cit. cap. Conquerente* 6. *de Cler. non resid.* et tenent expresse Covarruvias *pract. quaest. cap.* 36. *num.* 10. *vers. Quarto quoties*, Cardinal. *in Clementin.* 1. *§. Eadem num.* 4. *vers. Sed quatenus est Beneficium*, *de supplend. negligent. Praelat.* Reiffenstuel *loc. cit. num.* 90. Fagnan. *loc. cit. num.* 44. *et* 46. ubi cum aliis ibi citatis indubitanter infert, quod de tali Pensione facienda est mentio in Rescriptis Beneficialibus, perinde ac de Beneficio.

7 Nec refert, quod appelletur Pensio, quia non est vis in nomine, quando constat de re; Tali enim Pensioni, utpote datae in titulum, atque tribuenti Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis integre convenit definitio Beneficii: Ancharan. *in cap.* 1. *n.* 5. *vers. Si igitur praedictae conditiones, de Regul. Juris in* 6. Abbas. *consil.* 46. incip. *Illud de Jure quaeritur vers. Quartum consideretur lib.* 2. Cacciaiup. *de Pensionibus quaest.* 12. Gigas *de Pensionibus quaest.* 1. *num.* 1. *et quaest.* 28. *num.* 20. *et quaest.* 96. *num.* 23. Redoan. *de Simonia* 2. *par. cap.* 14. *num.* 11. Cardinal. *loc. cit.* Ancharan. *loc. cit.* Abbas. *loc. cit.* Covarruv. *loc. cit.* Fagnan. *loc. cit.* Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 91. et alii.

8 Pensio Clericalis secundo modo accepta, scilicet constituta ad tempus in materia odiosa, non venit nomine Beneficii, bene tamen in materia favorabili: Sic expresse Fagnan. *in cit. cap. Ad audientiam* 31. *de Rescriptis a num.* 117. ubi cum fusissime praemisisset contrarias Doctorum opiniones, tandem *num.* 117. *et seq.* easdem hac ratione conciliat, et addit *num.* 120. *et* 134. quod hanc distinctionem inter materiam odiosam, et favorabilem saepius probaverit *Sacr. Cong. Conc.* quod ipsum repetit *in cap. Cum in cunctis* 7. *de electione num.* 103. *et seq.* et Gregor. XIII. proposito sibi dubio a Sacra Congregatione *die* 19. *Jul.* 1577. respondit in materia favorabili, ut est illa Privilegii Fori, appellatione Beneficii venire Pensionem. Unde *die* 8. *Augusti ejusdem anni* 1577. Congregatio Generalis, cum essent sibi haec relata, dixit servandam esse hanc distinctionem, et ita rescribendum, prout refert idem Fagnan. *in cit. cap. Ad audientiam num.* 134. et Reiffenstuel. *loc. cit. a num.* 92. *ad* 98. ad longum variis adductis id probans.

Pensio hujusmodi potest imponi, vel Personae 9
Beneficiarii, vel Beneficio. Pensio tunc imponitur personae Beneficiarii, quando ea imponitur soli personae Clerici gravati, ita ut talis obligatio solvendi non transeat in successorem ipsius in Beneficio, sed cum se ipso solo extinguatur, ut est casus *in c. Nisi essent*, 21. *de praebend.* Tunc autem pensio imponitur ipsi Beneficio, quando imponitur ad vitam Pensionerii, ita ut transeat etiam ad Successores ejus in Beneficio, quandiu vixerit ille, cui Pensio constituta fuit: *Communis.*

Papa potest ex rationabili motivo, ac dispen- 10
sando in Jure communi, omnibus praefatis modis Pensionem Beneficiis imponere: *Communis*, per text. *in c. Licet* 2. *de praeb. in* 6. ubi habetur, quod « Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum plenarie dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere »; et *Clementin. Si duobus* 1. *Ut lite pendente §. final.* ibi: « Salva tamen in praemissis omnibus Romani Pontificis potestate, ad quem Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum plena, et libera dispositio ex suae potestatis plenitudine noscitur pertinere ».

Hinc Papa potest Pensionem super quocumque 11
Beneficio imponere, etiam nulla causa expressa, cum in Beneficiis plenissimam habeat potestatem per *citatos textus*, et de jure possit secundum plenitudinem potestatis supra Jus dispensare, *cap. Proposuit* 4. *de concessione praebend.* ibi: *Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare:* Fagnan. *in cit. cap. Nisi essent* 21. *de praebend. in* 6. Barbosa *lib.* 3. *Juris Eccles. univers. cap.* 11. *num.* 55. et alii passim. Unde Papa potest etiam imponere Pen- 12
sionem super Beneficio Patronato, facta mentione hujus qualitatis; Card. de Luca *de Jur. Patr. discurs.* 66. *num.* 14. Excepto Beneficio de Jure 13
patronatus Regio, cui Papa derogare non solet; Card. de Luca *loc. cit. num.* 15. cum super Beneficio de Jurepatronatus Regio imponi non soleat Pensio sine consensu Patroni: Card. de Luca *de Jure Patr. disc.* 66. *n.* 15. *et de Pensionibus disc.* 58. *num.* 3. *et disc.* 94. *num.* 5. *et* 8.

Episcopus, et quicumque alius Collator Papa 14
inferior non potest novum Censum, vel Pensionem perpetuam Beneficio imponere, neque antiquum Censum, seu Pensionem augere, textu expresso *in cap. Prohibemus* 7. *de Censibus*, ibi: « Prohibemus, ne ab Abbatibus, Episcopis, vel ab aliis Praelatis novi Census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur . . . . Si quis vero aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur ». Et concordant *cap. Scientes* 3. *eodem*, *et Clementin.* 1. *§. Eadem quoque*, *De supplenda negligent. Praelator.* Ita Abbas *in cit. cap. Prohibemus nu.*

2. de *Censibus*, Fagnan. *in cap. Nisi essent* 21. *de Praebend num.* 46. Pirhing. *lib.* 3. *decretal. tit.* 39. *num.* 8. Engel *ibidem num.* 2. Reiffenstuel *ibid. num.* 8. *et tit.* 12. *num.* 87. Barbosa *in cit. cap. Prohibemus* 7. *de Censibus num.* 2. *et par* 3. *de Offic. et potest. Episcop. allegat.* 85. *num.* 1. citans alios, et Communem Doctorum.

15 Regulariter loquendo Episcopus nequit conferre Beneficium sub reservatione Pensionis cuipiam persolvendae: *Communis, ac certa* ex Rubrica, et textu *tituli 12. libri Tertii Decretalium*, ubi pro Regula ponitur: *Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*, cum similibus.

16 Potest tamen Episcopus ex causa rationabili Pensionem imponere saltem duraturam ad vitam Beneficiarii gravati, atque in eam consentientis, cum quo extinguatur Pensio: Glossa *in cap. Audivimus, verb. Pensionem, de collusion. detegend.* Innocentius *in cap. de cetero num.* 7. et Abbas *ibidem num.* 2. *de transactionibus*, Navarr. *consil.* 43. *num.* 4. *de Simonia*, Garcias *par.* 1. *de Benefic. cap.* 5. *num.* 295. *et* 296. Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancellar. Gloss.* 5. §. 7. *num.* 27. citans Rotam *in una Melitens. Canonicatus* 6. *Mart.* 1596. *coram Millino*, et alias saepius, Fagnan *in cap. Nisi essent* 21. *de praebend. num.* 28. ubi cum pluribus aliis dicit receptissimam sententiam esse, Episcopum Jure suo ordinario posse imponere pensionem ad vitam Titularis gravati: Reiffenstuel *cit. lib.* 3. *decretal. tit.* 12. *nu.* 89. *et tit.* 39. *num.* 9. Engel *ibid. num.* 3 Barbosa *de Offic. et potest. Episcop. par.* 3. *allegat.* 85. *num.* 11. *et in cap. Prohibemus* 7. *de Censibus num.* 3. atque ibi Joan. Andr. *num.* 1. Card. de Luca *de Pensionibus discurs.* 40. *num.* 2. *et* 3. citans plures alios, et Rotam apud Millin. *dec.* 104. *dec.* 166. *num.* 5. *par.* 2. *recent.* ubi in specie de Pensione reservata ad favorem pauperis Nepotis studiis operam dantis *et dec.* 386. *num.* 3. *par.* 5. *decis.* 94. *num.* 6. *par.* 6. Monacell. *par.* 2. *tit.* 14. *formul.* 7. *num.* 5. Et conclusio nostra desumitur clare *ex cap. Nisi essent* 21. *de praebend.* ubi Pensio quadraginta librarum alteri litigantium, eo quod Dignitati Prioratus cesserit, per Judices Compromissarios fuit pro *bono pacis*, *et utilitatis* ordinata, eidem per Priorem confirmatum annuatim porrigenda, quam etiam Papa toleravit, ac confirmavit, ibi: « Nos eam hoc adhibito moderamine toleramus, ut ad praestationem quadraginta librarum non Dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata. Ne forte circa proventus aliqua videatur facta sectio Prioratus, ita quod, Priore defuncto, successor ipsius ad praestationem quadraginta librarum minime teneatur ». Accedit alius notabilis textus *in cap. De cetero* 5. *de transactionibus*, ibi: « Si compositio non est juri contraria, non est a loci Episcopo reprobanda, sed census absque Episcopali auctoritate, cui praeest Ecclesiae sub hoc praetextu solutus, vitam ejus, qui solverit, non excedit.

Talis autem Pensio non potest constitui ab Episcopo in certa quota reddituum (puta in dimidia, vel tertia), ne videatur facta sectio Beneficii, contra expressam prohibitionem *in cap. Majoribus* 2. *et cap. Tuae* 20. *de praebend.* sed in certa quantitate fructuum, seu reddituum: Sic Abbas *in citat. cap. De cetero* 5. *de transactionibus n.* 2. cum aliis ibi citatis, Fagnan. *in cit. cap. Nisi essent* 21. *de praebend. n.* 37. cum aliis ibi adductis, Reiffenstuel *loc. cit. tit.* 12. *n.* 98. Card. de Luca *de Pensionib. disc.* 40. *nu.* 2. *et discurs.* 41. *nu.* 12 et alii passim. 17

Justae caussae, propter quas potest Episcopus Pensionem in certa quantitate reddituum imponere personae Beneficiatae ad ejus solum vitam duraturam, sunt pro bono pacis, pro aliqua lite componenda, pro studio alicujus Scholaris pauperis, pro utilitate Ecclesiae, pro pauparibus, et egenis, pro benemeritis, pro usu pio, pro renunciantibus ex causa renunciationis loco alimentorum in quantitate moderata, et non ex pactione partium; Barbosa *de Offic. et potest. Episcop. par.* 3. *cit. allegat.* 85. *n.* 11. *et lib.* 3. *Jur. Eccles. univers cap.* 11. *n.* 56. cum aliis ibi citatis, Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 40. *nu.* 3. et alii passim, teste Barbosa *loc. cit.* 18

Justa causa, ut Episcopus reservet Pensionem, est quoque amor, quo illo suum ex Fratre Nepotem prosequitur, vel ut commodius Sacrae Theologiae, et Sacris Canonibus, seu Sacrae Scripturae operam dare possit: Barbosa *citat. lib.* 3. *Jur. Eccles. univers. cap.* 11. *num.* 57. ad textum *in cap. Dilectio* 25. *de praebend.* ubi, ipso teste, id notant Doctores, et expresse Rota *par.* 2. *Recentior. decis.* 166. *num.* 4. quam citat, et sequitur etiam Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 40. *nu.* 3. Rebuff. *de pacific. possess. num.* 23. et alii. Justam similiter causam reputat eadem Rota *in una Meliten. Canonicatus* 9. *Martii* 1593. *coram Card. Millino* impressa per Marchesan. *de commissionibus par.* 1. §. 1. *pag.* 611. quia ille, ad cujus favorem Episcopus Pensionem imposuerat, originarius Melitensis erat, et in Urbe Sacris litteris operam dabat, quae causa respicit utilitatem, non solum illius particularis Ecclesiae, sed etiam Universalis, quae ad suum regimen viris litteratis maxime indiget, cum ab ipsis regatur, et sustineatur, *cap. Super specula, de praebend. cap. Cum ex eo, de election.* in 6. cum similibus, et notant Doctores communiter cum Barbosa *de Offic. et potest. Episcop. par.* 2. *allegat.* 46. *num.* 1. *et seq.* 19

Episcopus non potest propter praedictas causas Beneficio imponere Pensionem transmissibilem ad Successorem, seu ad vitam ipsius Pensionarii, ita ut post mortem Beneficiarii gravati transeat onus Pensionis praestandae ad Successorem ipsius in Beneficio: Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 40. *num.* 4. Navarr *consil.* 8 *num.* 9. *de Jurepatronat. et Consil.* 43. *num.* 4. *de Simonia*, Flamin. 20

Parisius *de Confidentiis Beneficial*. q. 28. num. 120. Azorius *par*. 2. *lib*. 8. *c*. 6. *quaest*. 11. Lessius lib. 2 *de justit. et jur. cap*. 32. *num*. 206. Sanchez *lib*. 8. *in Decalog. cap*. 29. *num*. 99. Reiffenstuel *lib*. 3. *Decretal. tit*. 12. *num*. 92. Fagnan. *in cit. cap. Nisi essent* 21. *num*. 40. *et seq.: de praebend*. ubi ex professo, ac fusissime hanc sententiam propugnat, et multipliciter probat, scilicet Episcopum ordinaria sua potestate non posse Pensionem imponere transmissibilem ad Successores in Beneficio. Et ratio hujus nostrae conclusionis desumitur clare ex *cit. cap. Nisi essent* 21. *de praebend*. ubi Innocentius III Papa expresse decernit, quod Pensio pro bono pacis ex jussione Judicum Delegatorum super Prioratu constituta, non debeat vitam ejus, qui solverit, excedere, neque Successorem ad ejus praestationem ullo modo obligari, ne forte circa proventus ipsius Prioratus aliqua videatur facta sectio illius explicitis verbis adductis *supra num*. 16

21 Contrarium tamen, scilicet, quod ex gravi causa possit Episcopus Pensionem constituere transmissibilem ad Successorem, seu ad vitam ipsius Pensionarii; ita ut post mortem Beneficiarii gravati transeat onus praestandae ad successorem ipsius in Beneficio, tenet Felinus *in c. Ad audientiam* 31. *de Rescriptis num*. 2. *conc*. 2. Giges *de Pensionibus quaest*. 6. *num*. 4. Garcias *de Benefic. part*. 1. *cap*. 5. *num*. 339. Layman l. 4. *Theolog. moral. tract*. 2. *cap*. 18. *num*. 3. citans alios adducentes pro sua ratione *cap*. *De cetero* 5. *de transactionibus*, ubi dicitur: « Sed Census absque Episcopali auctoritate, cui praeest Ecclesiae sub hoc praetextu solutus, vitam ejus, qui solverit non excedat »: ex quibus verbis, argumento a sensu contrario desumpto, inferunt, auctoritate Episcopi posse excedere. Vide Fagnan. *in cit. cap. Nisi essent* 21. *de praebend. a num*. 40. et signanter *num*. 63. et Reiffenstuel *lib*. 3. *Decretal. cit. tit*. 12. *a num*. 61. *ad* 97. ubi ad longum istam sententiam cum suis fundamentis rejiciunt, et enervant.

22 Episcopus in collatione Beneficii convenire non potest, ut pensio solvatur sibi: Hoc enim est Simoniacum, quia omne pactum, et omnis modus, et conditio, quae Jure non inest adjecta collationi Beneficii, efficit eam Simoniacam, ut *cap. Quam pio* 1. *quaest*. 2. *et cap. final. de pactis*, et in hac specie respondit Navarrus *consil*. 4. *An committatur Simonia, Si Episcopus de Simonia*, et cum multis probat Fagnan. *in cit. cap. Nisi essent* 21. *de praebend. num*. 5. *et* 18. per textum, ibi: *Non ex pactione partium, sed ex jussione Judicum*.

23 Simoniaca est pactio inter partes sine Judice, ut una pars cedat liti super Beneficio, et recipiat Pensionem annuatim ab altera, si pars cedens habeat Jus in causa, alias secus; quia, si altera pars Jus non haberet, non esset aliqua simonia, sed pars potius redimeret vexationem suam, ut dicit Glossa *in capit. Cum pridem verb. Illicitae pactionis*, *de pactis*, et pluribus adductis Fagn. *in cit. cap Nisi essent* 21.

Potest Episcopus, cessante pacto partium, in 24 permutatione Beneficiorum mandare, quod recipiens Beneficium pinguius solvet aliquam Pensionem alteri suo tempore duraturam ad coequandos fructos utriusque Beneficii: Rotae *par*. 4. *recent. decis*. 165. *num*. 4. *et Melitens. Canonicatus* 9. *Martii* 1596. *coram Card. Millino, et in Albinganen. Confidentiae* 9. *Marti* 1606. *coram Card. Marquemontio*; Ancharan. *consil*. 279. *Quaestio proponitur vers. ex qua causa num*. 1. Flamin. Parisius *de confident. Benefic. quaest*. 28. *num*. 120. *in princip. et in fine vers. ad coaequandum*; Redoan. *de Simonia par*. 2. *cap*. 21. *num*. 34. *et seq*. Stephan. Gratian. *discept. Forens. part*. 6. *cap*. 18. *num*. 1. *et* 2. Camill Cort. *de Pensionibus in princip*. Paulus Roman. *de pension. cap*, 4. *num*. 10. Cacciaiup. *de Pensionib. q*. 13. *num*. 4. Gembarupt. *de Offic. Legati lib*. 6. *num*. 77. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop. par*. 3. *allegat*. 85. *num*. 11. *et lib*. 3. *Juris Eccles. univers. cap*. 11. *num*. 58. et alii contra alios citatos, et secutos a La Croix *lib*. 4. *num*. 1104. Vide *ibi*.

Quamvis de jure illicitum sit, atque simonia- 25 cum resignare Beneficium cum pacto, seu conditione apposita parti solvendi pensionem, tamen ex justa, et gravi causa (puta si Resignans est aetate decrepitus, vel infirmus, aut quia pro bono pacis fit resignatio Beneficii litigiosi, et hujusmodi) potest Episcopus Resignanti Pensionem constituere solvendam ipsi ad vitam Clerici gravati, seu consentientis in eam. Colligitur *ex citat. cap. Nisi essent* 21. *de praebend*. et tradit Barbosa *ibidem num*. 8. Fagnan. *ibidem num*. 28. Abbas *in cap. Ad audientiam* 31. *de Rescriptis num*. 6. Felinus *ibidem num*. 2. Navarr. *cons*. 5. *num*. 1. *et* 2 *de Simonia*, Piasec. *in prax. Episcopal. part*. 2. *cap*. 5. *num*. 64. Garcias *part*. 1. *de Beneficiis cap*. 5. *num*. 295. *et seq*. Reiffenstuel *lib*. 3. *Decr. tit*. 12. *num*. 102. Rota *recent. part*. 5. *tom*. 1. *decis*. 386. *num*. 10.

Immo Resignans existente rationabili causa pro 26 reservanda sibi moderata Pensione, ut securior sit, potest ante suam resignationem Episcopo supplicare; Colligitur ex *cap. Tua nos* 34. *de Simonia*, ibi: *Rogans humiliter*, et docent Engel *lib*. 3. *Decretal. tit*. 12. *num*. 10. Reiffenstuel *ibid. num*. 105. et alii.

Insuper possunt partes prius inter se tractare, 27 atque Resignans super aliqua Pensione sibi danda cum successore amicabiliter componere, non quidem absolute, et quasi per se ipsos illam concludendo (hoc enim esset simoniacum, *cap. Quam pio* 1. *q*. 2. *c. Final. de pactis*, *et cap. Quaesitum* 3. *de rerum permutat* cum similibus); sed sub conditione relata in consensum Superioris, seu Episcopi, in cujus manibus Beneficium resi-

gnaiur, ac sese omnimode submittendo ejus liberae dispositioni: Glossa in *Clement. unica verb. Volentibus, de rerum perm.* Abbas *in cit. cap. Quaesitum num.* 10. *eodem* hanc opinionem appellans veriorem, Navarrus *consil.* 18. *num* 1. *de Simonia*, Layman *lib.* 4. *Theol. moral. tr.* 10. *c. ult.* §. 5. *num.* 50. Reiffenstuel *loc. cit. nu.* 106. Suarez, Silvester, et alii plures. Cavendum tamen est, ne in his committatur Simonia, cum compositiones, et conventiones pro Beneficiis ad hoc, ut a Simonia excusentur, debeant capere principium ab auctoritate Superioris, et non a pactione, seu a conventione saltem absoluta partium: *arg. cap. Nisi essent* 21. *de praebend.* ibi: *Non ex pactione partium, sed ex jussione Judicum*, et notant Fagnan. *ibid. num.* 5. et Garcias *cit. par.* 1. *de Benefic. cap.* 5. *num.* 340. *et* 343.

28 Episcopus, et quicumque Collator Papa inferior nequit imponere Pensionem super Parochialibus. Sic declaravit per speciale Edictum Innocentius XII. *die* 11. *Novembris* 1692. et per specialem Constitutionem confirmavit, et innovavit novissime Benedictus XIII. octavo Idus Septembris 1724. Quae Constitutio, ut scitu summopere necessaria, hic ad litteram datur.

Constitutio, qua Edictum fel. record. Innocentii Papae XII. de Parochialibus Ecclesiis Pensionum onere non gravandis confirmatur, perpetuisque futuris temporibus observari mandatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS ETC.

« Quanta Pastoribus animarum, quas Redemptor Noster Jesus Cristus pretiosissimo cruore » suo acquisivit, in crediti sibi Gregis regimine » adhibenda sit vigilantia, exacti muneris ratio ab » ipsis Supremo Pastorum Principi districte reddenda aperte Nos docet, dum commissarum Ovium sanguinem, quae ex Custodum fortasse incuria peribant, extremi examinis die de illorum » manibus severus Judex requiret. Porro inter caetera, quae animarum Rectoribus Divino praecepto mandata sunt, quemadmodum Sancta Tridentina Synodus recte admonet, illud esse dignoscitur, ut ipsi pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerant; » hoc est illis, qui inopia laborant, praesertim vero Viduis, atque Virginibus, Orphanis, pupillis, » et Infirmis, non modo spiritualia debitae pietatis, et Caritatis Officia tribuant, verum etiam » more boni Patrisfamilias, eorum necessitatibus » pro viribus subveniant, et quaecumque possunt, » temporalia subsidia conferre non praetermittant. Nec sane minorem, immo forte potiorem » iidem animarum Rectores adhibere tenentur curam, et diligentiam, ut Parochiales cujusque ipsorum Ecclesiae, quas maxima decet Sanctitudo, quoties necessitas exigit, a temporis injuriis vindicentur, ac insuper omni cultu, ornatu, » atque decore praefulgeant. Quae quidem omnia » a plerisque Parochis, praesertim in Italia (ut » diuturno quinquaginta annorum in Episcopatu, » licet infeliciter a nobis transactorum, experimento satis novimus) praestari, et impleri non » possunt, quoniam Parochialia, quae obtinent, » Beneficia gravibus adeo Pensionibus, fructuum » reservationibus, aliisque oneribus, ut plurimum, » obnoxia sunt, ut ipsis interdum proprio victui » necessaria vix supersint, et qui Altari serviunt, » de Altari vivere aliquando non valeant.

» §. 1. Gravem ejusmodi pensionum, onerumque abusum animo secum reputans fel. record. » Innocentius Papa XII. Praedecessor Noster, pro » eximio zelo suo a Sancta Dei Ecclesia eum submovere curavit, et re ipsa toto Pontificatus sui » tempore submovit, ac e medio sustulit, saluberrimo desuper promulgato, typisque edito edicto » tenoris sequentis, videlicet: *Bandino del Titolo di San Pancrazio, Prete Cardinale Panciatichi, e della Santità di Nostro Signore Prodatario.* » *Volendo la Santità di Nostro Signore con la sua* » *paterna Carità, e zelo eccitare li Parochi alla* » *maggiore vigilanza dell' anime alla di loro cura* » *commesse, e facilitargli il modo di sovvenire alle necessità delle medesime con più abbondanti* » *elemosine. Quindi è, che per ordine datoci a* » *bocca dalla Santità Sua comandiamo, ed ordiniamo, che per l' avvenire non s' abbiano da aggravare le Parochiali, etiam di Juspadronato* » *Laicale, di Pensioni, e che ciò debba osservarsi* » *ancora dagli Ordinarj nelle proviste, che essi* » *saranno per farne. Inoltre che non si ammettino rassegne, o permute di Parochiali con riserva di Pensioni a favore di chi si sia, e sotto* » *qualsivoglia titolo, etiam di prestazione di alimenti, e che molto meno si riservino pensioni* » *sopra le medesime Parochiali*, sine causa Beneficio pleno *di consenso de' Possessori per qualsivoglia causa, e titolo. Dalla Dataria questo dì* » 11. *Novembre* 1692. *Bandino Cardinal Prodatario.* Quod quidem Edictum, tamquam aequitati, justitiae, sacrisque sanctionibus maxime » consentaneum, ut omnibus innotesceret, et ab » omnibus etiam, quemadmodum par erat, observaretur, Nos, qui tunc praeter Cardinalatus honorem, Metropolitanae Ecclesiae Beneventanae » regimini praeeramus, in prima nostra Provinciali Synodo ejusdem Ecclesiae habita anno 1693. » tit. 22. cap. 2. expresse memoravimus, ejusque » praeterea integrum tenorem in Appendice retulimus.

» §. 2. Verum postquam antedictus Innocentius Praedecessor viam universae carnis ingressus fuit, praefatum Edictum, utpote temporarium, in desuetudinem abiit, omnique penitus » effectu caruit, et Parochiales Ecclesiae iisdem, » ut antea, Pensionibus, aliisque oneribus praegravari caeperunt: quin etiam, sicut accepimus, » atque diuturno Pastoralis muneris exercitio a-

» bunde comperimus, quorumdam Patronorum laicorum, quibus Jus praesentandi, seu nominandi Rectorem pro tempore earumdem Parochialium Ecclesiarum, occurrente illarum vacatione, caeteroqui legitime competit, impudentia, ac effraenis avaritia, quae Idolorum servitus est, alicubi eo usque processit, ut ejusmodi praesentationem, seu nominationem velut sub hasta ponere, et (quod dolentes dicimus) licitatori ampliorem Pensionem offerenti polliceri, et addicere non erubuerint.

» §. 3. Hinc igitur est, quod Nos detestandae huic Beneficiorum Ecclesiasticorum nundinationi, aliisque praemissis pro Pastoralis Officii nostri debito consulere, ac simul opportune providere volentes, ut antedictis animarum Pastoribus de caetero commodior suppetat modus, nedum suas Parochiales Ecclesias, quotiescumque oportuerit, reparandi, ornandi, sacrisque supellectilibus, ad Divinum cultum necessariis instruendi, sed etiam subveniendi pauperum, earumque miserabilium personarum praefatarum indigentiis ex eo, quod honestae, et congruae ipsorum sustentationi supererit, ac insuper ipsis incitamentum praebere cupientes, ut suscepti ministerii labores, et incommoda libentius perferant, et Gregi alacrius attendant, in quo positi sunt regere plebem Dei; Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione praeinsertum laudatissimi Praedecessoris Edictum, omniaque, et singula in eo contenta amplissime confirmamus, et approbamus, illisque perpetuae, ac irrefragabilis Apostolicae firmitatis vim, robur, et munimen adjicimus, omnesque, et singulos Juris, et facti, ac alios defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplemus, atque illud, et illas, quatenus opus sit, innovamus, ac instauramus, et ab omnibus, ad quos spectat, ac de caetero quomodolibet spectabit, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, et inconcusse observari volumus, statuimus, et mandamus. Reservata tamen Nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti facultate, ac auctoritate imponendi antedictis Parochialibus Ecclesiis eas Pensiones, quas Beneficiorum proventus, et locorum, personarumque conditio imponi permiserint, in favorem dumtaxat, et commodum Fabricae earumdem Ecclesiarum, ad hoc ut illae ejusmodi certo subsidio promptius reparari, opportune manuteneri, et congruis etiam ornamentis, ut praefertur, augeri possint, et valeant.

» §. 4. Decernentes, praesentes Litteras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod in praemissis Jus, vel interesse habentes, aut habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, ac auditi, causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam in aliquo justificatae non fuerint, vel in aliis quibusvis de causis quantumvis urgentibus, ullo unquam tempore a quoquam de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostrae, vel alio quolibet, quantumvis magno, formali, et substantiali defectu, notari, impugnari, retardari, invalidari, aut ex quovis quaesito praetextu, vel colore in controversiam vocari, ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, vel gratiae remedium impetrari, aut quempiam impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, concesso, uti nullatenus posse, sed easdem praesentes litteras semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac obtinere, nec non memoratis animarum Rectoribus plenissime suffragari; Sicque, et non aliter in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Nuncios, et quosvis alios qualibet auctoritate, praeeminentia, et potestate fungentes, et quandocumque functuros in qualibet causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet in quocumque judicio aliter judicandi, ac interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, irritumque, inane, nulliusque prorsus roboris, vel momenti, quidquid secus super his a quoquem quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

» §. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, de jure quaesito non tollendo, aliisque nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis, necnon aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Constitutionibus, et Ordinationibus quibuscumque, ac illa praesertim fel. recordat. Pii IV. de gratiis qualecumque interesse Camerae Nostrae Apostolicae concernentibus intra certum inibi expressum tempus exhibendis, et registrandis, itaut easdem praesentes Litteras ibidem exhiberi, et registrari nunquam necesse sit; aliisque quibuscumque Apostolicis, et in Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis editis, ac edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, Statutisque, Decretis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac Privilegiis, Indultis, et Litteris Apostolicis sub quibusvis tenoribus, et formis, etiam motu simili, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisve efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, confirmatis, et approbatis, ac pluries, et quantiscumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, et sin-

» gulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione » de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad » verbum, non autem per clausulas generales idem » importantes, mentio, seu quaelibet alia expres- » sio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad » hoc servanda foret, illorum omnium, et singu- » lorum tenores, formas, causas, et occasiones » praesentibus pro plene, et sufficienter, ac exac- » tissime expressis, insertis, servatis, et specifi- » catis respective habentes, illis alias in suo ro- » bore permansuris, ad praemissorum effectum » specialiter, et expresse, ac plenissime, et am- » plissime derogamus, et derogatum esse volumus, » et mandamus; caeterisque contrariis quibus- » cumque.

» §. 6. Volumus autem etc.

» §. 7. Nulli ergo omnino hominum etc.

» Datum Romae apud S. Mariam Majorem An- » no Incarnationis Dominicae millesimo septin- » gentesimo vigesimo quarto, Octavo idus Sep- » tembris Pontificatus Nostri anno primo.

P. M. CARD' PRODATARIUS.
F. CARD. OLIVERIUS.

* Vide Append. h. Tom. sub. v. *Pensio* *.

29 Vicarius Episcopi non potest vi sui Officii imponere Pensiones: Garcias, Sbroz, Bero, Leurenius citati, et secuti a La Croix *lib.* 4. *n.* 1123.

30 Legatus a latere potest idem circa impositionem Pensionum, quod potest Episcopus: Azorius, Garcias, Filliuc. Castropal. Leurenius citati, et secuti a La Croix *loc. citat. n.* 1123.

31 Collatores inferiores, item Compromissarii, et judices non possunt, nisi auctoritate Episcopi; Garcias, Leurenius citati, et secuti a La Croix *l. c. n.* 1123.

32 Superiores Regularium possunt pensionem imponere in Beneficiis suae Religionis manualibus, amovibilibus, seu incorporatis suis Monasteriis, et per Vicarios administratis: Barb. l. 3. *Juris Eccles. univers. c.* 11. *nu.* 61. Abbas *in c. Nisi essent* 21. *de praeb. n.* 12. La Croix *loc. cit. num.* 1123. *et alii*, Rota *in Trojana Pensionis* 24. *Junii* 1610. *coram Pirovano.*

33 Praeceptor Generalis Militarium potest imponere pensionem in Commendis suae Religionis spectantibus ad ipsum ad favorem Religionis: Rota *in una Montis Falisci Pensionis* 10. *Junii* 1630. *coram Pirovano.* Barb. *loc. cit. n.* 62. et in specie, quod Magnus Magister Religionis Hierosolymitanae possit illam reservare super Commendis, vel Dignitatibus: Card de Luca *de Pensionibus Disc.* 42. *per totum.*

34 Laicus de jure est capax Pensionis temporalis: Rota *recent. part.* 5. *tom.* 1. *decis.* 50. *n.* 22. et
35 Communis Doctorum. Immo de Jure communi est capax etiam Pensionis Ecclesiasticae, quando non confertur in titulum: Rota *recent. part.* 5. *tom.* 2. *decis.* 450. *n.* 3. Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 10. *n.* 5. *disc.* 78. *n.* 10. *disc.* 81. *nu.* 25. *disc.* 95. *n.* 3. et alii.

Ex stylo tamen, et observantia Curiae non con- 36
ceduntur pensiones, nisi Clericis cum exercitio, seu privilegio Clericali: Rota *recentior. part.* 5. *t.* 2. *decis.* 450. *n.* 20. 21. 31. *et* 34. *et decis.* 450. *n.* 4. *et decis.* 539. *nu.* 6. Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 2. *sub n.* 3. *disc.* 78. *n.* 11. *disc.* 81. *n.* 21. *disc.* 82. *n.* 9. *et* 10. *de Benefic. disc.* 94. *nu.* 3. Annot. *ad Concil. disc* 12. *n.* 5. Sanctus enim Pius V. expresse statuit, quod Pensiones Ecclesiasticae non possint concedi Laicis. Sic *in* Constitut. 73. incip. *Sacrosanctum.*

Sicuti Laici non sunt capaces Pensionis Eccle- 37
siasticae, ita neque illius commoditatis, seu perceptionis fructuum: Rota *recent. part.* 5. *tom.* 2. *decis* 539. *n.* 17. *et* 19. Papa vero potest Pensio- 38
nes etiam Laico reservare: Rota *part.* 4. *tom.* 1. *decis.* 12. *sub n.* 3. Prout eidem Laico concedi po- 39
test facultas retinendi Pensionem: Rota *part.* 5. *t.* 2. *decis.* 450. *n.* 25. Quinimmo ubi Pensio Eccle- 40
siastica concedatur alicui tamquam Laico, tunc si sit Bigamus, non eget alia dispensatione: Rota *par.* 5. *t.* 1. *dec.* 12. *n.* 39.

Pensio conferri potest puero septennali: *Sacra* 41
Congregat. Concil. in Nullius 24. *Martii* 1624. *lib.* 13. *Decret. fol.* 123. Ursaya in 1. *Miscellan. Sacr. et profan litt. P. n.* 137. qui *ibi n.* 144. subjungit, quod Pensionis capax est puer annorum septem: *Imolen. Pensionis anni* 1694. de qua *in tom.* 3. *par.* 1. *discept* 32. ubi ad rem plura habet per totam: Monacell. *tom* 2. *tit.* 14. *formul.* 7. *n.* 3. et multi alii citati a Barbosa *lib.* 3. *Juris Eccles. univers. cap.* 11. *nu.* 42. et a Ventriglia *tom.* 2. *Annot.* 11. §. 1. *n.* 28. ubi testantur ex stylo Datariae sufficere septem annorum aetatem ad obtinendam Pensionem.

Filii Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt 42
Matrimonio, non possunt obtinere Pensiones super fructibus Beneficiorum, quae parentes eorum obtinent, vel obtinuerunt: Concil. Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 15. ibi: *Nec Pensiones super fructibus Beneficiorum, quae parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere:* Rota recent. *part.* 2. *decis.* 549. *n.* 4. et fuit dictum *in Meliten. Pensionis* 14. *Martii* 1604. *coram Buratto*, et tenent expresse Barbos. *supra Conc. l c. nu.* 32. *et de offic. et potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 65. *n,* 26. *et lib.* 3. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 11, *n.* 64. et plures alii ibi citati.

Filius autem legitimus potest obtinere Pensio- 43
nem super Beneficio, quod Pater obtinet de praesenti, non obstante Concil. Trident *c. sess.* 25. *c.* 15. *de reform.* Sic *Sacra Congreg. Concil. die* 11. *Januar.* 1601. apud Barbos. *in Summa Apostolic. decis. verb. Pensio n.* 5. *et in Concil. Trid, loc. cit. n.* 33.

Pater Clericus habens facultatem, Pensionem, 44
quam possidet, transferendi, illam transferre po-

test in filium Clericum, etiam illegitimum, dispensatum simpliciter ad Beneficia, et Pensiones, quia Concil. Trident. *loc. cit.* loquitur de Pensione reservata super Beneficio, quod habuit pater: Gonzales *ad Regul.* 8. *Cancellar. Gloss.* 5. *n.* 22. *et* 23. Barbosa *lib.* 3. *Juris Ecclesiastic. univers. cap.* 11. *n.* 66. *et de offic. et potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 65. *num.* 27. *et in Tridentin. loc. cit. num.* 35. cum pluribus ibi citatis, ubi refert, quod *Sacra Congregatio Concilii in Zamorensi* 9. *Novembr.* 1619. censuit, Clericum reservatarium pensionis annuae scutorum 200. super Ecclesia, quam ipse nunquam obtinuit, posse transferre medietatem ad favorem sui Filii illegitimi, et sic etiam *in alia sub die* 15. *Septembris* 1629. ut refert etiam *in Summa loc. cit. num.* 6. *et in Trident. loc. cit. num.* 25.

45 Milites Lauretani ex peculiari privilegio possunt retinere pensionem Ecclesiasticam usque ad summam ducentorum Ducatorum auri de Camera, non obstante Matrimonio contrahendo, et Bigamia: Sixtus V. Constitut. incip. *Postquam Divina Clementia*, et alia incipient. *Ad exequendum*, et alia incipient. *Solet Apostolicae Sedis*: Rota in *Hieracensi Pensionis* 21. *Junii* 1631. *coram Verospio*, cujus dispositio vindicat sibi locum, non solum super Beneficiis liberae Collationis, sed etiam Jurispatronatus, etiam Principum, et Regum: Rota *in Terulensi Pensionis* 15. *Septembr.* 1600. *cor. Card. Sacrato.*

46 Milites SS. Mauritii, et Lazari, etiamsi contrahant Matrimonium, dummodo cum unica tantum, et Virgine, remanent capaces retinendi pensiones usque ad summam Ducatorum 400. auri de Camera: Clemens VIII. Constit. incip. *Decet*; ubi ad id moderatur, limitat, et reducit facultatem retinendi Pensiones pro Summa Ducatorum 580. auri eis prius concessam a Pio IV. Constitut. 95. §. 48.

47 Milites Sancti Stephani retinent Pensiones usque ad summam 400. Ducatorum auri de Camera, non obstante Matrimonio contracto, et Bigamia: Paulus V. Constitut. incip. *Dum generos.*

48 Milites etiam Bigami militiae Christianae possunt recipere Pensiones usque ad summam Scutorum 300. Urbanus VIII. Constitut. incip. *Inscrutabiles.*

49 Equites Hierosolymitani, seu Melitenses capaces sunt Pensionis super Commendis, et Beneficiis suae Religionis, et Magnus Magister habet amplissimam facultatem a Statuto imponendi tales Pensiones: Rota recent. *part.* 16. *decis.* 152.

50 *num.* 13. et patet ex dictis *supra num.* 33. Sunt autem incapaces Pensionis Beneficio saeculari impositae: Lotter. Leurenius citati, et secuti a La Croix *lib.* 4. *num.* 1145. vide verb. *Hierosolymitani Milites num.* 16. ubi fuit probatum, Equites Melitenses sine dispensatione Pontificia non esse capaces Pensionis super Beneficio Ecclesiastico, sicuti nec capaces Beneficii saecularis, et mediante Pontificia dispensatione fieri capaces, sicuti alios Regulares.

Regulares non possunt obtinere Pensionem su- 51
per Beneficiis Ecclesiasticis saecularibus, et vacantibus per Professionem: Rota *part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 246. *num* 2. *et* 6. *et part.* 12. *decis.* 121. *num.* 1. Card. de Luca *de Beneficiis disc.* 64. *nu.* 3. 5. *et* 6. *de Pensionibus disc.* 44. *num.* 2. *et Annotat. ad Concil. disc.* 13. *num.* 2. et Communis aliorum. Nisi praecesserit gratia Apostolica, 52
et dispensatio retinendi Pensionem, etiam emissa Professione, cum dispensatio praeservet Pensionem, et removeat omne impedimentum, et incapacitatem ex futura Professione contrahendam, et Regularis, media ipsa dispensatione Apostolica, fiat capax Pensionis super Beneficio saeculari: Doctores communiter *in cap. Cum de Beneficio. de Praeben. in* 6. Rota *part.* 12. *decis.* 121. *nu.* 2. *et* 3.

Religiosi Societatis Jesu post Professionem trium 53
votorum, et ante Professionem quarti voti possunt retinere Pensiones Ecclesiasticas super Beneficiis saecularibus, quarum Regulares professi sunt incapaces: Card. de Luca *de renunciat. discur.* 17. *num.* 7. *de Regalibus discurs.* 62. *num.* 12 *Annotat. ad Concil. discur.* 13. *num.* 6. Ventriglia *tom.* 2. *Annotat.* 11. §. 3. *num.* 23. et alii passim.

Illegitimus, sicuti est incapax Beneficii Eccle- 54
siastici *ex cap.* 1. *de Filiis Presbyter. in* 6. cum similibus, est etiam incapax Pensionis Ecclesiasticae: Barbosa *lib* 3. *Juris eccles. univers. cap.* 11. *num.* 26. cum pluribus ibi citatis, et alii communiter.

Illegitimus praevia dispensatione ordinatus, eo 55
ipso censetur, et efficitur capax Pensionis, absque particulari dispensatione: Rota *in Veneta Pensionis* 10. *Decembris* 1572. *coram Robusterio, in Caesaraugustana Pensionis* 19. *Februarii* 1595. *coram Gypsio, in Melitensi Pensionis* 14. *Maii* 1614. *coram Buratt.* et saepe alibi. Barbosa *l. cit. n.* 28. et Communis aliorum.

Excommunicatus, Suspensus, Interdictus est 56
incapax Pensionis; ideo enim praemittitur absolutio Pensionarii ab his Censuris: Leurenius in *Foro Beneficiali par.* 3. *q.* 624. La Croix *lib.* 4. *n.* 1149. et alii passim.

Irregularis, quod sit incapax obtinendae, et 57
retinendae Pensionis, tenent Barbosa *loc. citat. num.* 46. Ugolin. Zerola, Castropal. Syrus, Avila ibi citati, Ventriglia *tom.* 2. *Annotat.* 11. §. 1. *num.* 20. cum pluribus ibi citatis, et alii. At quod Irregularitas non causet amissionem Pensionis, tenet expresse Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 47. *num.* 11. dicens, quod neque homicidium voluntarium, vel aliud crimen, quantumvis majoris Irregularitatis inductivum, hujusmodi effectum producit, citans ad id Rotam *in Perusina* 29. *Januarii* 1663. *coram Cerro*. Et de facto Fagnan. *l.* 1. *Decret. in cap. Ad Audientiam* 31.

de Rescriptis *num.* 134. refert, *Sacram Congregationem Concilii die* 11. *Julii* 1577. et iterum de mente Sanctissimi *die* 8. *Augusti eodem an.* 1577. quod Clericus homicida voluntarius, ejusque socius obtinere, et obtentas retinere potest Pensiones absque dispensatione, non obstante *cap.* 7. *sess.* 14. Concilii Tridentini. Vide verb. *Homicidium num.* 66. et sic tenent Leurenius *in Foro Beneficiali part.* 3. *q.* 640. La Croix *lib.* 4. *num.* 1175. et alii.

58 Filii, et Nepotes Haereticorum, et a fortiori ipsi Haeretici, sicuti sunt inhabiles ad Beneficia obtinenda *ex cap.* 2. §. *Haeretici*, *de haeret.* in 6. ita etiam inhabiles sunt ad obtinendas Pensiones: Barbosa *loc. citat. num.* 43. et alii communiter.

59 Militiae saeculari operam dantes sicuti sunt incapaces Beneficii, immo ipsum amittunt statim ac declarantur Milites, *ex cap. final. de Cleric. conjugat.* cum similibus; ita etiam incapaces evadunt Pensionis, ipsamque amittunt, si habeant; Barbos. *loc. cit. num.* 50. *Rota coram Celso decis.* 69. *num.* 16. *et* 17. ubi ampliat *num.* 22. locum habere, etiamsi, re integra, antequam pugnent, militiam deserant, et primaevum statum reassumant, et sic respondit quoque *Sac. Cong. Conc. in Niciensi* 19. *Decemb.* 1648.

60 Sicuti per Matrimonium a Clerico contractum vacant ejus Beneficia *ex cap.* 1. *de Clericis conjugat.* ita vacant ejus Pensiones: Barbos. *loc. citat n.* 30. et alii communiter: Rota recent. *part.* 5. *tom.* 1. *decis.* 50. *n.* 10. *part.* 8. *decis.* 33. *n.* 1. Cessat enim Pensio ipso Jure, et est incompatibilis cum Matrimonio, sive Matrimonium fuerit contractum cum Virgine, sive cum Vidua: Rota *part.* 5. *tom.* 2. *decis.* 450. *n.* 6. *part.* 18. *tom.*

61 1. *decis.* 126. *num* 12. Nisi Pensio fuerit reservata alicui, non tamquam Clerico, sed tamquam benemerito pro servitiis praestitis: Rota *part.* 2.

62 *decis.* 387. *num.* 3. Vel nisi dispensatio Apostolica intercesserit: Rota *part.* 5. *tom.* 1. *decis.* 50. *n.* 10. *et seq.* Aut privilegium Apostolicum juxta dicta *supra a n.* 45. *ad* 48. de Militibus Lauretanis, SS. Mauritii et Lazari, et S. Stephani, et Militiae Christianae.

63 Sicut per Professionem Regularem in Religione approbata vacant Beneficia, *in cap. Beneficium* 4. *de Regularibus in* 6. ita vacant etiam Pensiones: Barbosa *loc. cit. n.* 39. cum communi aliorum: Rota recent. *part.* 4. *tom.* 1. *decis.* 246. *n.* 2. *et* 6. *part.* 12. *decis.* 121. *n.* 1. et patet ex di-

64 ctis *supra n.* 51. *et seq.* Potest tamen Regularis Professus obtinere Pensionem super Beneficio Regulari ad nutum Superioris amovibilem, non obstante voto paupertatis, et praecipue si inservire debeat ad sublevandum Religionem ab oneribus, quibus alias Religio gravaretur: Rot. rec. *par.* 2. *decis.* 302. *n.* 2. *et* 3.

65 Sicuti vacant Beneficia per promotionem ad Episcopatum, ita etiam vacant Pensiones datae in titulum Clericalem; Barbosa *loc. citat. n.* 38. et alii communiter: Rota *part.* 2. *decis.* 143. *n.* 1. *pag.* 18. *tom.* 1. *decis.* 126. *n.* 11. Nisi concedatur a Papa retentio: Rota *ibid. num.* 11 Facultas 66
autem retinendi Pensionem concessa promoto ad Episcopatum non intelligitur cum facultate transferendi, quae ante promotionem competebat, nisi fuerit expressa: Rota *part.* 2. *decis.* 143. *num.* 1. Barbosa *loco cit.* et alii passim.

Non vacant tamen Pensiones per promotionem 67
ad Episcopatum titularem, seu in partibus Infidelium: Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 43. *n.* 3. *disc.* 58. *sub. nu.* 11. *disc.* 75. *nu.* 2. La Croix *lib.* 4. *nu.* 1177. et alii passim. Neque vacant per 68
promotionem ad Episcopatum Cardinalitium non obligantem ad residentiam: Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 58. *nu.* 19. *disc.* 75. *nu.* 6. et alii.

Per promotionem autem ad Episcopatum non 69
vacant Pensiones, nisi secuta consecratione, et adepta possessione: Card de Luca *de Pensionibus disc.* 43. *nu.* 2. *circa finem* Gratian. *disceptat. Forens. cap.* 296. *n.* 1. *et seq.* Ventriglia *tom.* 2. *annotat.* 11. §. 8. *nu.* 32. Seraphin. *decis.* 210. *ubi de fine* concludit, Rotam voluisse ad inducendam extinctionem Pensionis, et vacationem Beneficiorum, requiri utrumque, scilicet consecrationem, et adeptionem possessionis.

Pensio non extinguitur per promotionem ad 70
Cardinalatum: Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 75. *nu.* 4. 5. *et* 9. La Croix *loc. cit. nu.* 1177. et alii passim. Amplia, ut reservata ad favorem Cardinalis duret, etiam dimisso Cardinalatu: Cardin. de Luca *de Benefic. disc.* 2. *n.* 3. *de Pensionibus disc.* 2. *num.* 4.

Neque etiam extinguitur Pensio per assumptio- 71
nem, seu auspicationem Cardinalis ad Papatum; Lotter. *de re Benefic. lib.* 1. *q.* 41. *nu.* 1. *et seq.* ubi id non solum de Jure comprobat, sed servatum fuisse in praxi in multis casibus refert, et tenet Ventriglia *tom.* 2. *annotat.* 11. §. 3 *n.* 26. La Croix *loc. cit. n.* 1177. et alii contra Gabriel. *consil.* 209. *n.* 2. *l.* 2. et Gratian. *disceptat. forens. cap.* 296. *n.* 11. *et seq.*

Pensio excedens summam scutorum 60. de Ca- 72
mera extinguitur eo ipso sine ulla monitione, citatione, Judicis Decreto, aut ministerio, si Pensionarius non deferat Habitum, et Tonsuram Clericalem tanto tempore, ut ab omnibus reputetur Laicus: Sic expresse Sixtus V. Constit. incip. *Pastoralis*, Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 48. *num.* 7. Leurenius in *Foro Beneficial. part.* 3. *q.* 642. Ventriglia *tom.* 2. *Annot.* 11. §. 3. *nu.* 28. Barbosa *loc. cit. num.* 49. La Croix *loc. cit. num.* 1176. et alii communiter.

Si Pensio sit reservata in persona unius, ad 73
commodum tamen, et utilitatem alterius, prout servatur in locis, in quibus viget *Pragmatica*, *ne Pensiones reserventur ad favorem exterorum*, tunc extinguitur per mortem unius ex his duobus, scilicet, tam per mortem personae contemplatae,

si praemoriatur, ita ut cum ea remaneant extinctae omnes obligationes, quam etiam per mortem Reservatarii, in quo actio formaliter radicatur, nisi tamen, qui praemoritur, in alium ante mortem transtulerit: Seraphin. *decis.* 1088. Ventriglia *loc. cit. num.* 15. Lotter. *de re Beneficiar. lib. 1. q.* 36. *num.* 98. *et seq.* Garcias *de Benefic. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 266. La Croix *loc. cit. num.* 1179. cum aliis ibi citatis.

74 Pensio potest trasferri cum legitima facultate ab una in aliam personam; Leurenius *in Foro Beneficial. part.* 3. *q.* 607. cum communi aliorum. Et tunc ad vitam Pensionarii constituitur

75 novum Jus ad Pensionem: Leurenius *loc. cit.* et alii communiter. Pensionis translatio fieri potest

76 etiam in articulo mortis. Neque hic locum habet Regula Cancellariae de infirmis intra vigintl dies morientibus: Leurenius *loc. cit. qu.* 616. *et* 622. La Croix l. 4. *n.* 1170. et alii passim, patetque ex verbis Induiti concedi soliti.

77 Indultum autem, vel facultas transferendi Pensionem, seu concedendi Pensionem, cum facultate illam transferendi in alium, potest concedi a solo Summo Pontifice: Leurenius *loc. cit. quaest.* 613. La Croix *loc. cit. num.* 1170. Parisius, Gamb Garcias, Castropal. Lotterius ibi citati, et alil

78 passim. Pro trausferanda in alium Pensione est sub poena nullitatis servanda forma translationis praescripta a Papa in Indulto: Leurenius *loc. cit. q.* 660. La Croix *loc. cit. num.* 1170. Corrad.

79 Lotter. et alii passim. Formula talis Indulti traditur a Card. de Luca « post tractatum de Pensionibus ad ornatum Constitutionis Innocentii XI. de non transferendis Pensionibus ultra medietatem illarum ». Vide *ibi*: In quo Indulto apponitur clausula: « Servata tamen forma Constitutionis Innocentii XI. super translationibus Pensionum editae ». Unde ut ab omnibus prae oculis haberi possit, hic ad litteram datur.

CONSTITUTIO,

Ut nemini liceat Pensiones, vel fructus Ecclesiasticos transferre ultra illorum medietatem.

INNOCENTIUS PP. XI. ETC.

« §. I. Circumspecta Sedis Apostolicae Providentia Christi fidelium commodis jugiter invigilans, ea, quae alias pro Ecclesiarum, et Beneficiorum Ecclesiasticorum exnuoratione optimo quidem constituta fuere consilio, si optatus inde effectus minime proveniat, sed gravia potius exoriantur incommoda, in melius commutare, atque reformare studet, sicuti magistra rerum experientia faciendum suadet, ac aequi bonique ratio, nec non Ecclesiarum, et Beneficiorum ipsorum utilitas, et Christifidelium pax, et tranquillitas noscuntur postulare ».

« §. II. Cum itaque dudum fel. rec. Urbanus PP. VIII. Praedecessor noster omnes, et singulas facultates, Indulta, et Privilegia transferendi quascumque Pensiones annuas super Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, et Abbatialium Mensarum, et quorumvis Ecclesiasticorum, tam Saecularium, quam Regularium Beneficiorum, quomodocumque qualificatorum, fructibus, tam certis, quam incertis, ac etiam distributionibus quotidianis reservatas, quae tamen per extractionem integrarum Pensionum hujusmodi ab ipsis translatariis factam realem, et actualem effectum sortita non essent, pro summa, quae medietatem veri annui valoris fructuum Mensae, seu Beneficii, super quibus Pensio transferenda, seu translata reperiretur, excederet, quibusvis personis, etiam Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel alia quavis dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, sive etiam ad favorem quorumcumque locorum piorum, et Collegiorum, quovis intuitu, et consideratione, etiam motu proprio, ac ex certa scientia, et de Apostolicae potestatis plenitudine, ac cum quibusvis clausulis, et Decretis; tam per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores suos, quam ipsum Urbanum Praedecessorem concessa eatenus revocaverit, cassaverit, et annullaverit, ac viribus, et effectu evacuaverit, ita tamen, ut facultates transferendi Pensiones hujusmodi pro ea parte, quae medietatem fructuum, etiam incertorum, vel distributionum, quatenus super illis essent impositae, non excederent, firmae, et illaesae remanerent: Et insuper voluerit, et ordinaverit, eos, qui praetextu excessus medietatis fructuum, seu distributionum, hujusmodi partem Pensionum translatarum solvere recusarent, ad excessum ipsum probandum teneri, nec interim illius dispositionis praetextu processum executivum, aut solutionem integrae pensionis, quatenus alias illis locus esset, impediri, aut retardari debere, et alias, prout in ejusdem Urbani Praedecessoris Constitutione desuper edita, et in Cancellaria Apostolica anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV. die XXIV. Januarii publicata, cujus tenorem praesentibus pro piene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur.

« §. III. Verum cum quotidiano experimento compertum sit, praenarratam Constitutionis hujusmodi dispositionem Ecclesiis, et Beneficiis, Pensionum hujusmodi onere gravatis, illasque obtinentibus, qui excessum medietatis fructuum iisdem Pensionibus gravatorum probare, et interea, donec rei judicatae effectum desuper obtinuerint, Pensiones ipsas solvere teneutur, parum esse proficuam, et e converso tam transferentibus, quam translatariis Pensionum hujusmodi non modicum adferre incommodum; illis quidem quod propter ignorantiam, cum veri valoris annui fructuum, et distributionum, tum quantitatis aliarum pensionum desuper reservatarum, frequentissime, ac fere semper dubii sint, et incerti, quas Pensiones

transferre possint, his vero, quod lites super Pensionibus in eos translatis, quas Ecclesiarum, et Beneficiorum hujusmodi possessores, sub praetextu excessus praedicti impugnant, sustinere, et prosequi cogantur; ita ut ejusmodi litibus discutiendis ac decidendis Tribunalia assidue fatigentur, partes vero aerumnosis dispendiis praegraventur ».

« §. IV. Hinc est, quod Nos litibus, et dispendiis hujusmodi aesam praecidere, ac tam Ecclesiarum, et Beneficiorum praedictorum exonerationi, quam illas, et illa obtinentium, nec non eorum, quibus ejusmodi facultates transferendi Pensiones ab hac S. Sede concessae sunt, et in posterum concedentur, ac illorum, in quos Pensiones ipsae transferentur, commoditati, securitati, et indemnitati, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac quorumcumque privilegiorum, indultorum, et facultatum transferendi Pensiones hujusmodi; seu illarum loco fructus, redditus, et proventus Ecclesiasticos reservandos, quibusvis personis, cujuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et Dignitatis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, seu alias specifica, et individua mentione, et expressione dignis, etiam motu proprio, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, ac cum quibusvis clausulis, derogationibus, et decretis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores Nostros, ac etiam per Nos, et Sedem praedictam hactenus quomodolibet concessorum, litterarumque, Apostolicarum, tam sub plumbo, quam in simili forma Brevis, Cedularum motus proprii desuper expeditarum, et Chirographorum cujusvis Romani Pontificis manu subscriptorum tenores, etiam veriores, et datas, aliaque omnia, et singula, etiam specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, praesentibus pariter pro plene, et sufficienter expressis, et insertis, exactissime, et accuratissime specificatis habentes: Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, et matura deliberatione nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ut de cetero omnes, et singuli etiam S. R. E. Cardinales, seu quavis alia praeeminentia, et dignitate praediti, et alias quomodolibet qualificati, seu specificam, et individuam mentionem requirentes, quibus ejusmodi Induita, privilegia, et facultates transferendi Pensiones annuas super fructibus, et redditibus, et proventibus, Juribus, obventionibus, et emolumentis undecumque provenientibus, et in quibuscumque rebus consistentibus, ac distributionibus etiam quotidianis, et manualibus, Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Abbatialium, aliarumve Mensarum, ac Dignitatum etiam majorum, et principalium, Personatuum, Officiorum, Praepositurarum, Praepositatuum, Canonicatuum, et Praebendarum, aliorumve quorumlibet cum Cura, et sine Cura, Saecularium, et cujusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti Regularium Beneficiorum reservatas, seu illarum loco fructus, redditus, et proventus hujusmodi reservatos, sive per viam cassationis, et novae reservationis, sive simplicis translationis, seu alias quomodolibet hactenus a Sede Apostolica concessae sunt, et in futurum tam per Nos, quam per Romanos Pontifices Successores Nostros, et Sedem praedictam concedentur, eorumdem privilegiorum, indultorum, et facultatum vigore dimidiam dumtaxat, seu dimidio minorem partem ipsarum Pensionum, seu fructuum, reddituum, et proventuum illarum loco reservatorum hujusmodi, quas, et quos vigore primae reservationis, seu in eos factae translationis de praesenti percipiunt, et pro tempore percipient, seu legitime percipere possunt, et poterunt respective, transferre valeant, ita tamen, ut ejusmodi translationes, si, servata ceteroquin dictorum privilegiorum, indultorum, et facultatum, ac praesertim quoad quantitatem Pensionum, et fructuum transferendorum in eis expressam, forma, et dispositione, factae fuerint, tametsi fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta, ac distributiones, etiam quotidianae, et manuales Mensarum, aliorumque Beneficiorum hujusmodi Pensionum, et Fructuum reservatorum oneribus ultra eorum medietatem adhuc gravata remanerent, nihilominus validae, firmae, et efficaces existant, nec ex capite excessus medietatis fructuum, aliorumque praedictorum, in vim praedictae Constitutionis Urbani praedecessoris, quam hac in parte quoad futuras translationes nullius roboris, et momenti fore decernimus, ullo modo impugnari possint, tenore praesentis perpetuo statuimus, et ordinamus ».

» §. V. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etc. ».

« §. VI. Non obstantibus facultatibus, privilegiis indultis, aliisque praemissis, etc.

« §. VII. Ut autem praesentes litterae omnibus facilius innotescant, etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 7. Febr. MDCLXXVII. Pontificatus nostri anno secundo.

J. G. Slusius.

81 In qua, ut vides, translatio Pensionis ab habentibus Indultum fieri non potest, nisi pro medietate: Innocentius XI. *ibi.* Si tamen Indultarius 82
Pensionem transferret ultra mediatem, et summam permissam, translatio non esset nulla, sed solum maneret vitiata in excessu, quia cum sit materia dividua, utile per inutile non vitiatur: Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 66. *nu.* 66. Lotter. *de re benefic. lib.* 1. *quaest.* 40. *num.* 74. Tondut. *de Pensionibus cap.* 23. *num.* 14. Adden. *ad Buratt. decis.* 12. *litt. F.* Monacell. *tom.* 2. *tit.* 14. *formul.* 7. *num.* 7. Item per transla- 83

tionem invalidam non remanet consumpta facultas transferendi: Garcias *de Beneficiis part.* 1. *cap.* 5. *num.* 249. Monacell. *loc. cit. num.* 7. et alii passim.

84 Translatio Pensionis potest fieri coram omnibus in Dignitate Ecclesiastica constitutis, idest non solum curam Episcopis, aut aliis Dignitatibus sed etiam coram Canonicis Cathedralium, qui ad hoc dicuntur in Dignitate constituti, ut patet ex verbis ipsis Indulti, ibi: « Ut quicumque loci Ordinarius, vel Canonicus Metropolitanae, aut alterius Cathedralis Ecclesiae, vel alia persona in Dignitate Ecclesiastica constituta a te quomodocumque eligendi, vel eligenda ». Tondut. *de Pensionibus cap.* 28. *num.* 30. Monacell. *loc. cit. num* 1. et alii communiter.

85 Non habentes ad id speciale privilegium debent pro translatione Pensionis exhibere Executori Indultum; Rota recent. *part.* 5. *tom.* 1. *decis.* 113. *num.* 8. *part.* 13. *decis.* 142. *num.* 4. La Croix

86 *lib.* 4. *num.* 1170. Leurenius, et alii *passim.* Tale autem privilegium transferendi Pensiones sine exhibitione Induiti habent omnes Cardinales, ut patet ex verbis Induiti soliti ipsis concedi, et relati a Card. de Luca *post dict. tract. de Pensionibus*, in quo haec praecisa verba leguntur: « Seu si tibi magis placuerit, et ita volueris, etiam praesentibus litteris non exhibitis, vel praesentatis Pensionem, seu Pensiones pro summa, et quantitate etc. in unam, vel plures personas, et alias saltem Charactere Clericali insignitas etc. quandocumque tibi placuerit, etiam in mortis articulo nominandas, etiam coram solo Notario, et testibus, transferre possis, concedimus, et indulgemus etc. » Quod privilegium habere etiam Milites Sancti Petri, testantur Tondutus *de Pensionibus cap.* 28. *num.* 31. et Monacell. *loc. cit. num.* 2.

87 Translatio autem Pensionis debet fieri in Clericum, qui talis sit tempore translationis, et qui capax esset primo recipiendi Pensionem, nisi in indulto habeatur aliud speciale privilegium: *Communis*, et patet ex citatis verbis consueti Induiti, *et alias saltem Charactere Clericali insignitus.*

88 Facultas transferendi Pensionem exerceri potest etiam per Procuratorem Indultarii; dummodo persona, in quam est transferenda, sit certa, et nominata ab Indultario: Rota *coram Dunozett. Jun. decis* 208. *num.* 2. 11. 50. 53. 62. *et per tot.* Garcias *de Benefic. par.* 1. *cap.* 5. *nu.* 246. Tondut. *de Pensionibus cap.* 39. *num.* 5. *et* 6. Monacell. *loc. cit. num.* 5. et alii passim.

89 Pensio translata, est eadem Pensio cum prima, et transit in Translatarium cum iisdem privilegiis, quibus utebatur Transferens; Rota *part.* 1. *recent. decis.* 122. *num.* 10. Lotter. *de re beneficiaria part.* 1. *quaest.* 40. *num.* 346. Unde etiam illius favore vigent, et intactae remanent obligationes factae, et fidejussiones datae in Pensionis reservatione: Addend. *ad Greg. dec.* 445. *nu.* 9. idem *ad Burat. decis.* 638. *num.* 13. Tondut. *de Pensionibus cap.* 30. *num.* 32. Monacell. *loc. cit. num.* 15. et alii.

Ad translationem Pensionis requiritur consensus Titularis, seu Beneficiati; Rota recent. *part.* 90
13. *dec.* 142. *num.* 5. Adeoque translatio ab initio facta absque consensu Titularis est nulla; Ro- 91
ta *ibid. num.* 9. Quandoque tamen sufficiens reputatur, quod consensus superveniat; Rota *part.* 92
13. *dec.* 299. *num.* 6. *et* 7. Nisi aliter habeatur 93
ex mandato Papae, *ibid. num.* 8.

Papa tamen potest absque alicujus consensu ex 94
mera ejus liberalitate transferre Pensionem, et concedendo facultatem illam transferendi dicitur supplere consensum Titularis; Rota *part.* 11. *dec.* 247. *num.* 18. *et* 23 Intellige tamen hoc verum 95
solum respectu consensus requisiti juxta Regulas Cancellariae, non autem requisiti vigore pacti inter Titularem. et Pensionarium initi, quia facultas transferendi Pensionem non suffragatur, quando illius translatio est prohibita ratione pacti in illius reservatione appositi; Rota *dec.* 689. *num.* 1. *par.* 4. *divers. et par.* 5. *rec. tom.* 1. *dec.* 153. *num.* 1. *et par.* 11. *dec.* 247. *num.* 17. *et* 24. Papa enim in facultate translationis Pensionis, 96
derogando simpliciter consensui Titularis, non censetur derogasse speciali consensui illius virtute pacti acquisito, cum derogatio, tamquam odiosa, non debeat extendi ad alios casus; *arg. cap. Odia* 15. *de regul. Juris* in 6. et pluribus adductis sic expresse tenet Rota *part.* 11. *dec.* 247. *num.* 25. *et* 26. Unde mentio specifica requiritur 97
pro derogatione pacti inter partes initi, et acceptati, alias subreptio committitur, si in Indulto translationis Pensionis non fuerit narratum Papae, quod in Litteris reservationis fuerit expresse prohibita translatio, etiam vigore Indulti; Rota *part.* 11. *rec. dec.* 147. *a num.* 12. *ad* 17.

Qui non habet Indultum transferendi Pensio- 98
nem, potest illam in totum, vel in parte, quoad commoditatem ipsam percipiendi, gratuito, libere, et sine ullo pacto, et pecunia, sive anticipata solutione, cedere, et remittere ad favorem Titularis, donec naturaliter vixerit, etiam sine Beneplacito Apostolico: Sic expresse Rota recent. *part.* 12. *dec.* 397. *num.* 3. 19. *et* 20. Card. de Luca *de Pensionibus discurs.* 68. *num.* 6. *et de Regalibus disc.* 37. *sub num.* 9. *in fine;* Lotter. *de re Beneficiar. lib.* 3. *quaest.* 39. *num.* 86. *et seq.* Tondut. *de Pensionibus cap.* 17. *num.* 25. *et seq.* Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 12. §. 3. *num.* 38. Monacell. *tom.* 2. *tit.* 14. *formul.* 7. *num.* 10. et apud ipsum *S. Cong. Conc. in Nullius* 27. *Maii* 1645. *lib* 17. *decr. pag.* 480.

Pensio secundum se non potest sine Beneplaci- 99
to Apostolico redimi pecuniis, licet istae dicantur esse veluti anticipatae aliquot annorum solutiones: Navarr. Gigas, Parisius, Azorius, Garcias, Bonacina, Barbosa, Lotterius, Leurenius citati, et secuti a La Croix *lib.* 4. *num.* 1183. Card. de Lu-

ca *de Pensionibus disc.* 6. *num.* 3. *disc.* 11. *nu* 10. *disc.* 80. *num.* 5. dicens expresse, quod extinctio Pensionis facta gratis non exigit Beneplacitum, secus mediante pretio; Ventriglia *tom.* 1. *annot.* 11. §. 3. *num.* 42. ubi dicit expresse, quod de stylo Curiae, qui facit Legem, et vigore Constitutionis S. Pii V. incip. *Ex proximo*, non potest Pensio vendi, aut redimi sine auctoritate Summi Pontificis, alias incurritur crimen Simoniae, ut post Azorium, Reginald. Suarez, Filliuc. Layman, Bonacinam, et alios advertit Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccles. univers. cap.* 11. *num.* 20. *et seq.*

100 Attamen ipse Barbosa *loc. cit. num.* 25. cum Bonacina per eum adducto, dicit, absolute Pensionarium absque Simoniae labe posse alteri vendere, vel donare fructus suae Pensionis etiam ad totam vitam, modo illius titulum retineat. Quod et videtur tenere etiam Rota *part.* 12. *recent. decis.* 397. *num.* 19. expresse dicens, quod « Pensionis commoditas exigendae cadit in commercio, recipit hypothecam, et potest libere vendi »: et ad id citat aliam Rotae *decisionem* 834. *num.* 11. *coram Buratt.* Azorium, Suarez, Bonacinam, et Lauream. In tali enim casu cessio, seu venditio, aut donatio Pensionis comprehendit solam commoditatem, et Jus casuale ejusdem Pensionis, non autem titulum, et Jus formale, cum talis titulus, et Jus formale Pensionis remaneat semper penes cedentem, ut advertit eadem Rota recent. *part.* 15. *decis.* 8. *num.* 2. Et probabilius cum plurimis aliis tenet La Croix *lib.* 4. *num.* 1184. ubi contra Henriq. Layman, Garciam, Tondut. Lottar. Lucam apud Leuren. *loc. cit. quaest.* 668. tenentes redemptionem Pensionis propria auctoritate factam esse absolute Simoniacam, dicit, quod probabilius tenent plurimi cum Diana *part.* 12. *tract.* 5. *resol.* 5. Hann. *de justitia t.* 6. *tract.* 2. *num.* 564. nullo modo esse Simoniacam; Immo Cajetan. Valent. Tolet. Suarez, Rayin. Less. Castropal. Pirhing dicunt nullum esse peccatum, Pensionem jam antecedenter constitutam redimere anticipate solvendo, quia dicunt, ibi tantum emitur immunitas ab obligatione quotannis solvendi Pensionem, quae immunitas est quid mere temporale. Idem etiam tenet Felix Potestas *t.* 2. *part.* 2. *n.* 1381. cum Castrop. Tancr. Ant. a Spiritu Sancto contra Nav. Sotum, et alios, quia, dicit ipse, redemptio Pensionis non est emptio alicujus Juris spiritualis, sed extinctio debiti temporalis; Immo est quaedam anticipata solutio, per quam non tollitur, nec dissolvitur Jus, quod Pensionarius habet ad recipiendos fructus, sed perficitur, et completur; Adeoque, qui Pensionem redimit, non emit Jus Pensionarii ad fructus, sed anticipate ei fructus, ad quos habet jus, solvit. *Haec ille.*

101 Ast dato etiam, quod vendere fructus Pensionis, retento adhuc Titulo, non sit Simonia, tamen haec venditio non potest ad totam vitam, et pro longo tempore fieri sine Beneplacito Apostolico, cum de stylo Curiae, qui facit Legem, et vigore Constitutionis S. Pii V. incip. *Ex proximo*, non possit Pensio vendi, aut redimi sine auctoritate Papae, et sit contra *Extravagan. Ambitiosae, de reb. Eccles. non alienand.* cujus vigore fructus Pensionis non posse vendi, vel locari ultra triennium defendunt Navarr. *consil.* 11. *de rebus Eccles.* Lessius *de just. et jur. lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 122. *ad finem*, Garcias *de Benefic. part.* 2. *cap.* 1. *n.* 37. Ventriglia *tom.* 1. *annotat.* 1. *num.* 29. *et t.* 2. *annotat.* 11. §. 3. *n.* 42. et alii. Unde tenentes fructus Pensionis, et commoditatem posse vendi, intelligendi sunt, et admittendi solum per triennium, et non ultra, secundum dicta per Garciam *loc. cit. cap.* 5. *n.* 26. *et seq.* et per Ventrigliam *l. c. n.* 42. et per alios.

Pensio debet esse ita moderata, ut congrua sustentatio adhuc remaneat Beneficiato; Rota recent. *part.* 5. *t.* 1. *decis.* 187. *num.* 13. Et ideo Papa solet reservare pensiones, dummodo remaneant pro titulari, seu Beneficiato duae tertiae partes fructuum: Rota recent. *part.* 11. *decis.* 11. *num.* 15. Quandoque tamen Pensio reservatur usque ad dimidiam partem fructuum; Rota *part.* 4. *tom.* 3. *decis.* 536. *num.* 6. Ultra tertiam vero, aut dimidiam partem reservari non solent Pensiones; Rota *part.* 2. *decis.* 444. *n.* 1. Ita ut Pensio reservata ultra medietatem fructuum sit nulla, et pro nulla declarari debeat; Rota *part.* 16. *dec.* 342. *num.* 2. Gigas, Barbosa, Lotter. Ventriglia, Leurenius *loc. cit. q.* 484. apud La Croix *l. c. n.* 1133. dicentes, Pensionem excedentem determinatam quantitatem corruere totam. 102 103 104

Hinc clausula solita apponi: *Dummodo pensio tertiam partem, seu medietatem fructuum non excedat*, operatur, ut Pensionarius non possit agere ad Pensionem, nisi prius eamdem clausulam verificaverit, etiamsi Titularis consenserit Pensioni; Rota *part.* 11. *dec.* 288. *num.* 4. *et* 5. *part.* 8. *dec.* 24. *num.* 2. *et* 3. *part.* 17. *dec.* 24. *nu.* 33. *et* 34. Quia dicta clausula qualificat reservationem Pensionis, ita ut non mereatur executionem, antequam eadem qualitas fuerit justificata, seu pensio possit exigi, donec a Pensionario non fuerit justificatus non excessus; Rota *part.* 10. *dec.* 3. *num.* 5. 7. *et* 8. Dicta enim clausula in reservatione Pensionis apposita reddit illam conditionalem; Rota *part.* 17. *dec.* 41. *num.* 11. Immo non solum reddit illam conditionalem, sed etiam onus probandi transmittit in Pensionarium; Rota *part.* 3. *dec.* 747. *num.* 1. Et sic Pensio reservata cum dicta clausula nullatenus sustinetur, nisi prius illa verificata fuerit; Rota *part.* 18. *tom.* 1. *dec.* 155. *num.* 1. Qua non verificata, corruit reservatio Pensionis; Rota *part.* 11. *dec.* 187. *num.* 10. 105

In impetratione, et impositione Pensionis facienda est mentio, quod Beneficium sit alia Pen- 106

sione gravatum: Rota *part.* 5. *tom.* 1. *decis.* 49. *num.* 7. Reservatio enim Pensionis super Beneficio alia Pensione gravato plerumque denegatur, vel difficiliter conceditur a Papa: Rota *part.* 16.
107 *dec.* 69 *num.* 4. Pensio autem reservata, nulla facta mentione primae antecedenter impositae super eodem Beneficio, dicitur subreptitia, et nulla; Rota *par.* 2. *decis* 666. *num.* 2. *et dec.* 739. *nu.* 1. *part.* 4. *tom.* 1. *dec.* 119. *num.* 2. *part.* 7. *dec.* 169. *num.* 1. *part.* 10. *dec.* 107. *num.* 15. *part.* 16. *dec.* 69. *num.* 4. et saepe alibi; Panimol. *dec.* 136. *num.* 54. cum aliis ibi citatis. Et quidem nulla est ipso Jure, non ope exceptionis, adeo ut nec reviviscat, ubi prima Pensio cesset, etiamsi secunda Pensio motu proprio fuerit reservata; Rota *part.* 7. *dec.* 169. *num.* 1. 2. *et* 3. Immo corruit in totum. Rota *par.* 7. *cit. dec.* 169. *num.* 1. *par.* 17. *dec.* 279. *num.* 15. Garcias *de Benefic. par.* 1. *cap.* 5. *num.* 561 Parisius *Resignat. Benefic. lib.* 6. *qu.* 2. *num.* 4. Caputaquen. *decis.* 312. *num.* 3. *et* 4. *part.* 2. Panimol. *dec.* 136. *num.* 54. et alii passim.

108 Pensio legitime imposita, est a Beneficiato sub mortali solvenda, quia acceptando Beneficium Pensione gravatum, censetur contraxisse cum Pensionario, et se obligasse ad solutionem: Rota recent. *par.* 1. *dec.* 176. *num.* 1. *par.* 3. *dec.* 110. *n.* 14. Barbosa *lib.* 3. *Juris Ecclesiastic. univers. c.* 11. *num.* 70. cum pluribus ibi citatis, Leurenius *in Foro Beneficial. par.* 3. *quaest.* 544. La Croix *lib.* 4. *num.* 1159. cum Azor. Garcia, Barbosa, Castropal. ibi citat. et alii passim.

109 Si pensiones non sint solutae a proprio Beneficiato, tenentur ejus haeredes, et si hi non possint, et Pensionarius probet se fecisse debitas diligentias pro obtinenda Pensione suis temporibus, tenetur successor in Beneficio solvere ipsas pensiones decursas, non solutas ab antecessore, et ad id datur actio Pensionario contra ipsum: Rota *in una Canariensi Pensionis* 15. *Jan* 1597. *cor. Gypsio in Hispalensi Pensionis* 16. *Decemb.* 1577. *coram Card. Blanchetto, et in Oscensi, et Barbastrensi Pensionis* 19. *April.* 1609. *coram Card. Lancellot.* et saepissime in aliis citatis, *in Neritonensi Pensionis* 10. *Jun.* 1611. *coram Gregorio XV.* impressa per Farinac. *dec.* 352. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* et per Bellamer. *dec.* 567. *num.* 1. et per Campanil. *in divers. Jur. Canon. Rubric.* 11. *cap.* 24. *num.* 20. et sic tenent Gratian. *discept. Forens. cap.* 9. *num.* 59. Garcias *de Benefic. par.* 1. *cap.* 5. *num.* 199. Panimoll. *dec.* 134. *num.* 33. *et seq.* Barbosa *loc. cit. num.* 72. Card de Luca *de Pensionibus disc.* 19. *num.* 5. *et* 14. *disc.* 31. *num.* 8. *disc.* 33. *num.* 4. *disc.* 87. *num.* 2. *et* 7. Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 11. §. 2. *a num.* 42. cum plurimis ibi adductis, et alii passim. Et ratio est quia onus solvendi Pensionem videtur esse impositum non hujus, vel illius anni fructibus, sed quibuscumque usquedum solvatur Pensio. Tum quia Papa videtur ab initio ad hoc obligasse Beneficiatum, et Successores in Beneficio gravato. Et sic Successores tenentur ad solutionem Pensionis decursae, non tamquam debitum proprium, sed tamquam debitum Beneficii: Rota recent. *part.* 16. *dec.* 231. *num.* 14.

Pensionario moriente ante terminum solvendae Pensionis, Beneficiarius tenetur solvere haeredibus pro rata fructuum perceptorum, vivente Pensionario: Rota apud Coccin. *dec.* 327. *num.* 1. et apud Cavaler. *dec.* 129. Panimol. *dec.* 134. *num.* 25. *et seq.* Riccius *in praxi part.* 3. *resol.* 468. *num.* 1. Bellet. *Disquisit. Cleric. par.* 1. *tit. de Bonis Clericor.* §. 18. Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 11. §. 3. *num.* 7. *et* 8. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 81. *num.* 23. *disc.* 138. *num.* 10. *de Pensionib. disc.* 28. *num.* 3. *et* 4. et alii passim, dicentes hoc idem servandum esse, quando Camera Apostolica, mediante spolio, defuncto succedit; debetur enim Camerae, ubi adest usus spoliorum. Panimol. *dec.* 134. *num.* 32. 110

Annus pro solvenda Pensione incipit currere a die constitutae pensionis, terminat eadem die sequentis anni: Rota *part.* 15. *recent. decis.* 356. *num.* 3. Leurenius *loc. cit. quaest.* 561. La Croix *loc. cit. num.* 1164. et alii communiter. Locus, in quo solvi debet pensio, est ordinarie, ubi situm est Beneficium, et ubi fructus percipiuntur, nisi aliter in Litteris reservationis sit dispositum: Leurenius *loc. cit. qu.* 562. Bartol. Garcias, Corrad. Castrop. citati, et secuti La Croix *loc. cit. num.* 1164. et alii passim. 111 112

Pensio imposita in pecunia, solvenda est in pecunia debita, nec Beneficiatus liberatur solvendo aliam, per textum in l. 2. §. *Mutui datio ad fin. ff. Si certum petatur;* ubicumque enim deducta est qualitas in stipulationem, ea est praestanda; nec potest solutio fieri in diversa, per textum in *l. Cum quid ff. Si certum petatur*, per Baldum in *d.* l. 2. §. *Mutui datio n.* 3. et in terminis Lotter. *de re Beneficiar. lib.* 1. *q.* 39. *n.* 172. *et seq.* Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 11. §. 2. *n.* 26. et alii passim. Vide verb. *Moneta n.* 19. 113

Esset tamen admittenda solutio in alia specie pecuniae, quando esset penuria qualitatis monetae premissae, et debitae, et quando Pensionarius nullum damnum reportaret ex mutatione, sed omnino conservaretur indemnis: Rota *in una Cremonensi Pensionis* 15. *Jul.* 1589. *coram D. Orano, arg. cap. Olim.* 20. *et cap. Cum Canonicis* 23. *de Censibus*, Ventriglia *loc. cit. nu.* 26. Lotter. *loc. cit. n.* 174. 114

Pensio simpliciter, et distincte constituta, et reservata in Ducatis, aut in Scutis, nulla facta mentione, an sint Ducati de Camera, vel monetae usualis; an sint Scuti aurei, vel argentei, solvenda est in Ducatis, seu Scutis monetae usualis regionis, et exiguioribus, et minus gravantibus Beneficiatum, per textum *in leg. Nummis indistincte legatis* 75. *ff. de Legatis* 3. ibi: « Nummis indistincte legatis, hoc receptum est, ut exiguiores 115

legati videantur, si neque ex consuetudine Patris-familiae, neque Regionis, unde fuit, neque ex contextu testamenti possit apparere »; *leg. Semper in obscuris de Regul. Juris*, ubi in obscuris, quod minimum est, debetur; et in dubio semper pro Debitore judicandum est, *l. 1. §. Cui certum,*
116 *ff. de aur. et argent. legat.* Si autem ex usu, vel ex Regione, vel ex contextu Litterarum reservationis possit haberi interpretatio, de qua specie Summus Pontifex intellexit, tunc in illa specie facienda est solutio, per textum expressum *in cit. leg. Nummis* 75. *de Legatis* 3. *Communis* cum Ventriglia *loc. cit. nu.* 28. Vide ipsum ibi multa adducentem ad rem *sub n.* 29. *et* 30.

117 Pensio reservata in Ducatis Camerae, si solvatur in Curia, debet solvi in Ducatis auri de Camera, et pro eis Scuta auri in auro cum additione unius Julii juxta formam Litterarum Apostolicarum: si autem solvatur extra Urbem in aliis Regionibus, ubi difficulter reperiuntur aurea, sufficit, quod fiat solutio in alia moneta valoris aequivalentis: Rota *part.* 4. *tom.* 1. *decis.* 430. *nu.* 1. et saepe alibi, Ventriglia *loc. cit. n.* 27. et alii
118 passim. Vide verb. *Moneta n.* 20. Aurea autem de Camera aestimantur in ratione Juliorum quatuordecim, nec ab eorum valutatione recedendum est de tempore gratiae: Rota *part.* 4. *tom.* 2. *de-*
119 *cis.* 488. *n.* 1. Quomodo autem solvenda sit Pensio, quando valor monetae, qui erat tempore reservationis pensionis, fuit alteratus, et mutatus? Vide dicta sub verb. *Moneta a n.* 13 ad 17.

120 Pensio exigi non potest ante expeditionem Litterarum Apostolicarum; et si ante fuerit exacta, redditur nulla, stante Decreto in reservatione apponi solito: « Vigore Litterarum Apostolicarum desuper conficiendarum, nec ante; alias praesens reservatio sit nulla »: Barbosa *lib.* 3. *Juris Ecclesiastic. citat. cap.* 11. *n.* 98. La Croix *lib.* 4. *nu.* 1168. Card. de Luca *de Pension. disc.* 22. *nu.* 3. *disc.* 29. *n.* 3. *disc.* 30. *n.* 9. *disc.* 40. *n.* 7. *disc.* 44. *n.* 9. *de Benefic. disc.* 64. *nu.* 10. *et Comm. aliorum.* Rota *part.* 2. *recent. decis.* 392. *nu.* 1.
121 *part.* 3. *decis.* 78. *n.* 4. et saepe alibi. Dicuntur autem Litterae expeditae, quando sunt plumbatae: Rota *part.* 3. *decis.* 68. *sub n.* 4. et saepe alibi; Barbosa *loc cit. n* 100 cum pluribus ibi citatis.
122 Debita tamen Pensio post expeditas Litteras, est solvenda a die reservationis, non autem a die expeditionis ipsarum Litterarum, quamvis expeditio sit in conditione posita: Rota *recent. part.* 5. *tom.* 2. *dec.* 539. *nu.* 16. Leurenius *loc cit. qu.* 585. Card. de Luca, et alii.
123 Pensionarius, sub onere non faciendi fructus suos, sed restituendi, tenetur quotidie recitare Officium B. M. V. ex Constitutione 135. S. Pii V. incip. *Ex proximo*: Barbosa *loc. cit. n.* 11. cum pluribus ibi citatis; Ventrigl. *tom.* 2. §. 2. *n.* 86. et alii communiter, dicentes Pensionarios teneri ad recitationem Officii B. M. V. sub eadem poena, sub qua Beneficiati tenentur ad recitationem Officii Divini. Satisfacit tamen Pensionarius, si recitet 124
Officium Divinum, et omittat Officium B. M. V. Barbosa *loc. cit. num.* 13. Ventriglia *loc. cit. n.* 86. Bonacina *de Horis Canonicis disput.* 1. *quaest.* 2. *punct.* 4. *num.* 10. et alii passim. Insuper Cle- 125
ricus in Sacris, vel habens Beneficium, et Pensionem satisfacit suae obligationi unica recitatione Divini Officii, etiamsi omittat Officium parvum B. M. V. Barbosa, Ventriglia, Bonacin. locis citatis, et alii passim. Pensionarius, cujus auctori- 126
tate Apostolica est redempta pensio in totum, non obligatur ad Officium B. M. V. quia S. Pius obligat solos Pensionarios, quales hic non est, cum dimiserit totaliter Jus Pensionis auctoritate legitima Papae: Bonacina *loc. citat. num.* 11. La Croix *lib.* 4. *numer.* 1156. Barbosa *loc. cit sub num.* 14. et alii. Secus autem, si auctoritate pro- 127
pria admittat tantum aliquas anticipatas solutiones, quia hic revera remanet adhuc Pensionarius, cum adhuc retineat Jus Pensionis: La Croix *loc cit. num.* 1156. et alii passim.

Quando Pensio est reservata in capite, seu per- 128
sona unius in commodum, et utilitatem alterius, ille dumtaxat ad Officii recitationem obligatur, in cujus commodum Pensio reservata est: Barbosa *loc. citat. numer.* 12. Bonacina *loc. citat. numer.* 7. Ventriglia *loc citat. numer.* 86. et alii passim

Pensionarius ex redditibus Pensionis impositae 129
super Beneficio tenetur pro rata concurrere ad Ecclesiae reparationem, sicuti tenetur ipse Titularis, seu Beneficiatus; Nisi Pensio ita imposita fuerit, ut ab omni prorsus onere libera solvatur: Panimoll. *decis.* 6. *adnotat.* 8. *num.* 53. Navarr. *consil. unico de Eccles. aedificand.* relat. per Barbos. *de Offic. et potest. Episcop. allegat.* 64 *nu.* 18. Ventriglia *tom.* 2. *annotat.* 11. §. 2. *num.* 1. *et seq.* cum pluribus ibi citatis. Rota recent. *part.* 9. *tom.* 2. *decis.* 343. *num.* 32. Nisi enim 130
Papa exemerit Pensionem a quibuslibet oneribus, et impositionibus, tenetur Pensionarius ad onera, quae in dies imponuntur super Beneficiis: Rota recent. *part.* 3. *decis.* 407. *num.* 3. Immo ubi 131
agatur de Pensionibus super Beneficiis Religionis Hierosolymitanae impositis, Pensionarius, etiamsi sit Cardinalis, tenetur ad onera ejusdem Religionis: Rota *ibidem n.* 16. Prout in casu contri- 132
butionis tenetur Pensionarius contribuere pro rata pensionis: Rota *part.* 5. *tom.* 1 *decis.* 23. *n.* 4. Adeoque tenetur ad solutionem decimarum, et onerum praestandam Principi, nisi fuerit specialiter derogatum: Rota *part.* 5. *tom.* 1. *dict. decis.* 23. *n.* 31. Atque etiam concurrere debet ad necessarias impensas reparationum: Rota *part.* 19. *tom.* 2. *decis.* 343. *n.* 32. Unde generaliter tene- 133
tur Pensionarius pro rata Pensionis contribuere ad omnia onera Beneficii, nisi Papa addiderit, quod pensio sit omnino libera, immunis, et exempta: Azor. Barbosa, Lottar. Leuren. citati, et secuti a La Croix *lib.* 4. *n.* 1158.

134 Pensionarius habens Pensionem ultra valorem 60. Ducatorum auri de Camera, tenetur deferre vestes Clericales Talares, sub poena privationis; Sixtus V. Constitut. 92. incip. *Sacrosanctam.*

135 Pensionarius habens pensionem solitam concedi Clerico, gaudet privilegio Fori, etiamsi non deferat Habitum, et Tonsuram: Sic Barbosa *de Offic. et potest. Episc. part.* 2. *allegat.* 12. *n.* 8. cum pluribus aliis ibi citatis, asserens id decidisse Sac. Congregationem Concilii, *et de offic. et potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 57. *n.* 151. ubi affert praecisum Decretum Sacrae Congregationis Concilii, et testatur, se vidisse, et legisse ejus Originale, *et in Summa Apostolic. decis. verb. Pensio num.* 4. ubi expresse dicit, quod Pensionem obtinens habetur pro Clerico Beneficiato ad effectum privilegii, et Fori exemptionis, et refert sic decidisse Sacram Congregationem Concilii *sub die* 18. *Decembris* 1595. et item *in Portugallien.* 10. *Aprilis* 1622. Spereli. *decis.* 66. *num.* 34. ubi etiam ipse asserit, sic decrevisse Sacram Congregationem Concilii, ob quam decisionem varii sentientes contrarium se retractarunt, et novissime D. Riccius *in sua Synopsi Decretorum Sacrae Congregationis Immunitat. verb. Pensionarius num.* 1. praecisis his verbis asserens Decretum ejusdem Congregationis, ibi: « Pensionarius censetur Beneficiatus ad effectum fruendi privilegio Furi, etiamsi non incedat in Habitu, et Tonsura »; *Perusina* 20.

136 *Febr.* 1652. *lib.* 4. *Decret. Paul. pag.* 175. Contrarium tamen, scilicet non gaudere privilegio Fori Pensionarium, nisi deferat Habitum, et Tonsuram, sustinent Azeved. *lib.* 1. *num.* 5. *vers. Sed an Pensio tit.* 4. *lib.* 1. *novae recopil.* Flamin. *de Resignationibus lib.* 1. *q.* 11. *num.* 70. Garcias *de Benefic, part.* 1. *cap.* 5. *num.* 70. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 5. *num.* 6. et alia apud Barbosam *in cit. allegat.* 12. *num.* 8. afferentes etiam pro se aliam Decisionem Sacrae Congregationis, et novissime Monacell. *tom.* 2. *tit.* 14. *formul.* 7. *num.* 14. ubi dicit, sic decrevisse *Sacr. Congreg. Concil.* 6. *Jun.* 1622. et late idem Monacell. *tom.* 4. *supplement. ad d. to.* 2. *a num.* 150. *ad* 154. ubi etiam pro se allegat plures Doctores, inter quos Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. Ad audientiam* 31. *de Rescriptis num.* 232. dicens ibi adducere ad id declarationem Sacrae Congregationis Concilii; Qui tamen Fagnanus, si ibi attente legatur cum declaratione dictae Sacrae Congregationis, immo et cum declaratione Sanctissimi, aperte favet nostrae sententiae, ipsamque tuetur contra sententiam oppositam defensam a Monacell. et ab aliis supracitatis, ut ibi videri potest, et ea, quae diximus supra *num.* 8. adeoque etc.

137 Pensionarius, qui habet Indultum retinendi pensionem, etiamsi non incedat in Habitu, et Tonsura Clericali, et Matrimonium contrahat, non censetur dispensatus ad militiam, ad quam si transeat, amittit Pensionem, quia talis dispensatio nequit supplere defectum provenientem ex militia, quae est in diversa specie impedimenti, nempe illius, per quod exercentur, seu exerceri possunt saeva, unde indiget sua speciali dispensatione, alias statim ac efficitur miles, Beneficium, et Pensionem amittit: Ruta *coram Celso decis.* 69. *num.* 16. *et* 17. *et num.* 22. ubi ampliat locum habere, etiam re integra, antequam saeva exerceat, militiam deserat, et primaevum statum reassumat; ita respondit quoque *Sacra Congreg. Concil. Niniciensi* 19. *Decembr.* 1648. 18. *pag.* 563. et tenent Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 46. *num.* 3. Monacell. *tom.* 2. *tit.* 14. *formul.* 7. *num.* 11. et alii passim.

Item Pensionario pro obtinenda pensione obstat Officium militis levis armaturae: *Sac. Cong. Concil. in Romana Indulti* 7. *Decembr.* 1720. ad quem effectum concedi non solet sanatoria: *Sacr. Congr. Concil. d. die ad* 2. *dub.* quam deinde Concessit *die* 22. *Mart.* 1721. Sic refert Ursaya 1. *Miscellan. Sacro, et profano lit. P. num.* 245. 138

An, et quando Pensionarius teneatur, vel non, pensionem minuere, seu remittere? Vide verb. *Locatio a num.* 37. *ad* 47. et sicuti ibi de Locatore, discurre hic, salva proportione, de Pensionario. 139

An Pensionarius teneatur eodem modo, ac Beneficiatus, superfluos fructus pensionum in pius usus expendere? Variant Doctores. Negat absolute La Croix *l.* 4. *num.* 1157. cum Covarruv. Menoch. Tusc. Vasquez, Ricc. Naid. Gallet. Lugo, Binsf. Redoan. Azor. Reginald. Gigant. Truilench, Vallens. Tabern. Leurenio, ibi citatis. At Mastrius *Theolog. Moral. disp.* 14. *num.* 77. Thom. Hurtad. *respons. moral. lib.* 2. *num.* 649. Molina *tom.* 1. *de justitia, et jure tract.* 2. *disp.* 145. et plures alii affirmant valde probabiliter ad id obligari. 140

Advertendum est, quod Pensio reservata Clerico habitum, et Tonsuram Clericalem non deferenti, et etiam carnales nuptias cum pluribus successive, aut cum vidua ineunti, amittitur ob transitum ad saecularem militiam: Sic expresse *Sacra Congregat. Conc. in Ulixbonen. Orientalis Pensionis* 23. *Novemb.* 1737. Quod procedit etiam in terminis Equitum levis Armaturae Custodiae Corporis Summi Pontificis destinatorum, ut resolvit *eadem Sacra Congreg. in Romana Indulti* 7. *Decemb.* 1720. Ad hoc enim, ut Pensio retineatur post assumptam saecularem militiam, necesse est, ut ad id, ultra supradictum Indultum, specifica dispensatio obtineatur, ut declaravit *eadem Sac. Congregatio in Niciensi* 19. *Decembris* 1648. et coram Celso *decis* 69. *num.* 16. 17. 19. 141 142 143

(*) Cum pensiones ex redditibus bonorum Ecclesiasticorum, quae sunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium Christi, Pensionariis obveniant, dubitari non potest, quin illi, quod ipsis superest, in pios usus erogare teneantur.

et 22. Nec ad id solet concedi sanatoria; *Eadem Sacra Congregatio in d. Romana Indulti* 7. *Decembr.* 1720. *ad* 2. *dub.* pro Equite levis Armaturae, quamvis ipsi postea ex speciali gratia fuerit concessa *die* 22. *Martii* 1621. Vide *Thesaurum Resolutionum S. Cong. Conc. ad annum* 1737. in *d. Ulixbonem. Orientalis Pensionis*, ubi ab Eminentissimo Card. Cavalchino, tunc ejusdem Secretario plurima sapientissime, ac eruditissime suo more adducuntur ad rem.

144 Pensionum abolendarum pacta contemporanea resignationi Beneficiorum, et earumdem Pensionum reservationibus damnantur, et annullantur: Bened. XIV. tom. 1. Constit. 30. incip. *In subli-*
145 *mi* §. 3. Pensionum abolitiones, et cassationes obtentae intra sex menses a die captae possessionis Beneficii annullantur: Idem *ibidem*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

146 Per promotionem ad Episcopatum non modo cessant pensiones, sed et evanescit indultum eas transferendi; Rota *in Tricaricen. pensionis* 8. *Junii* 1735. §. 4. *coram Eminentiss. Crescent.* inter impressas *decis.* 234. *n.* 3. *et in Imolen. pensionis* 21. *Junii* 1748. §. 7. *cor. bon. mem. Vicecomit.*

147 Quod si in Indulto dictum sit: « *Decernentes* praedicta omnia, et singula, praesentesque litteras etc. nec non quae in praemissis facta sunt, aut fieri contigerit etc. nec etiam per promotionem ad Ecclesiam Cathedralem, etiam Metropolitanam, aut translationem, vel aliam status, et personae vestrae mutationem »; intelligitur Papa fecisse potestatem Indultario transferendi pensiones, non obstante promotiono ad Episcopatum: Rota *in Imolen. pensionis* 22. *Junii* 1748. §. 8. *coram bon. mem. VI. cecomite.*

148 Quid, si promoto indultario ad Episcopatum, in decreto consistoriali dictum sit: « Pensiones annuas quoad viveres obtinere, retinere, et percipere, et de illis disponere libere, et licite valeres »? praevaluit opinio, quod his verbis tributa intelligatur facultas retinendi, non item transferendi pensiones. Vide *Rotam in d. Tricaricen. pensionis* 8. *Junii* 1735. §. 4. *et plus. sequent. coram Eminentiss. Crescent.* inter impressas *decis.* 134. *num.* 4. *et plur. sequent.*

149 Votantes Signaturae Justitiae fruuntur indulto transferendi pensiones. Num autem hoc indulto frui possit aliquis de votantibus Signaturae Justitiae, qui sententia Judicis ob crimina fuerit relegatus, privatus advocatia Consistoriali, et Clericatu Camerae, ad quem ascenderat, et do quo vivae vocis oraculo dictum fuerit, *ut in futurum non describeretur in albo Praelatorum*? Affirmat Rota in *Romana pensionis* 7. Junii 1743. *coram clar. mem. Tanario*, inter impressas *decis.* 168. idque ex ea potissimum ratione, quod ille haud desierit esse Prelatus.

De eo etiam quaeri solet, an sustineatur trans- 150
latio pensionis ab Indultario facta, si pridem is Titulari promiserit, se non esse transiaturum? Confer Rot. *in Aretina pensionis* 16. *Junii* 1721. *et* 2. *Martii* 1722. *coram bon. mem. Gamaches.*

APPENDIX EDITORUM CASINENSIUM

Haec insuper in hac materia notasse expediat.

Ac primum, Episcopum quod attinet in im- 1
ponenda pensione, haec potissimum, ut recte ab illo constituatur, concurrant necesse est.

I. Ut adsit justa causa (pre pensione imponenda) quippe, illa deficiente, invalida haberetur hujusmodi impositio. Garc. *de benef. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 296. *et* 322. Clericat *de pension. discord.* 1. *n.* 14. Vallens. *ad Titul. ex. Ut Ecclesiast. benef.* etc. *num.* 3. Schmalzgrueber *ad tit. cit. n.* 12. (*) Debetque haec causa exprimi, si non aliunde appareat, eaque probari, alias pensio in fraudem imposita beneficio praesumetur: Schmalzgrueber *loc. et n. cit.* Hinc Card. de Luca *de pensionibus disc.* 40. *n.* 4. « justa vero causa, inquit, iustificanda est aliunde per extrinsecas probationes, neque in hoc defertur ipsius Ordinarii assertioni, ex generali propositione, de qua apud Rot. *decis.* 224. *p.* 10. *recent. ut prohibitus facere, dicatur etiam prohibitus confiteri*, seu asserere ». Idemque adstruit Tondut. *de pension. cap.* 1. *n.* 19. in haec sane verba: Nec creditur Episcopo dicenti, se pensionem reservare ex justa causa; quia quando aliquid fieri non potest sine causa, non creditur asserenti, nisi aliunde causa probetur, ex Regula generali, quod in prohibitis, quando non adest causa, non probatur, causam adfuisse ex sola prohibiti assertione ».

II. Quod pensionem reservet Clerico, non autem laico; siquidem solus Papa potest conferre pensiones laicis non habentibus primam tonsuram. Sic in terminis Clericatus *de pension. discord.* 1. *nu.* 25. et communiter DD. Unde de Luca « quamvis, ait, pensio temporale jus super fructibus potius, quam spirituale super beneficio importet, ideoque beneficii substantiam non tangat, neque pensionario in beneficio, ejusque administrationem jus tribuat, ac de consequenti laici ex juris communis dispositione, vel intentione illius capaces existant; quia tamen ipse Papa de stylo non solet pensiones reservare, nisi pro Clericis, talisque in dubio est praesumptio, ubi contrarium expresse non dicat, dictusque stylus per Constitutionem S. Pii V. in legem positivam transiit, cui dispensare oportet; hinc proinde dictis

(*) Et quidem, Fagnano docente, « haec est differentia inter Papam, et Episcopum, quia Papa potest reservare pensionem absque eo, quod ullam exprimat causam, cum sit supra omne jus humanum, positivum, et in beneficialibus plenissimam habeat potestatem ... Episcopus vero hoc non potest sine justa causa, et concernente utilitatem Ecclesiae ». *ad cap. Nisi essent de Praeben. n.* 16 et 17.

» etiam requisitis concurrentibus, ex quibus Episcoporum, aliorumque facultas resultet, non nisi » pro Clericis id concedendum est, ut inferiores » a Superiore normam accipiant ». *de pension. in Summa num.* 5. *et* 6.

Adeout nunc (ut prosequitur Clericatus *ibid. num.* 27.) « eadem capacitas exigatur in obtinenda pensione, quae requiritur pro simplici » beneficio obtinendo... et per consequens, cum » Episcopus non possit laico conferre beneficium, » ita neque laico valet reservare pensionem ».

III. Ut Episcopus in constituenda pensione, consensum ad id beneficiati, seu Titularis praerequirat, quippe de jure necessarius. Neque juri Pontificio, quo hic consensus requiritur, derogare ullo pacto potest; Caciaiup. *de pension. q.* 5. Gigas *de pension. q.* 15. *Azor. p.* 2. *l.* 8. *cap.* 8. *q.* 6. Hinc Garcias discrimen ponendo inter Papam, (nullius consensu indigente), et inferiores Collatores beneficiorum, addit, quod « inferior a Papa non possit pensionem imponere sine consensu Re« ctoris beneficii ». *de benefic. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 319. *et est Comm.* Sufficit autem consensus tacitus, qualis praesumitur ex diuturna observantia factae solutionis: Leuren. *forum. benefic. p.* 3. *q.* 461. Submaizgrucher *loc. cit. num.* 14.

Casu vero, quo beneficium Rectorem non habet, inter se DD. dissident. Garcias l. *et num. cit.* putat eo casu pensionem posse imponi, absque eo quod tunc consensus aliquis requiratur. (*) Sed Azor. *loc. cit.* Leuren *ibid. q.* 458. Pirhing ad *cit. Titul. ut Ecclesiast. benefic. etc. nu.* 15. et Communis aliorum vult, tunc constituendum beneficio defensorem, qui loco beneficiarii consentiat pensioni: et suadet hoc etiam ratio; quia licet pensionis impositio alienatio proprie non sit, ejus tamen speciem refert, et naturam imitatur. Igitur sicut vacanti beneficio constituendus est defensor, qui consentiat in alienationem, ita constituendus defensor, qui consentiat in constitutionem pensionis in beneficio vacante. Schmalzgrueber l. *et num. cit.*

Amplius « si beneficium sit patronatum, Episco» pus in eo pensionem constituere nequit sine » consensu Patroni: (**) in quo tamen distinguen» dum videtur inter pensionem, quae imponitur » beneficiario, et ad successorem non transit, et » inter eam, quae imponitur beneficio, et transit » ad successorem. Ad primam imponendam, spectato jure communi, et secluso speciali privile» gio, vel consuetudine, Episcopus consensu Pa» troni opus non habet, nisi immoderata sit, et » nimis onerosa; tunc enim patronus petere pos» set, ut extinguatur, vel ad debitam quantitatem » redigatur. Secundam (* *admisso, quod Episcopus hujusmodi pensionem constituere possit: vide supra num.* 20. *et* 21. *) ut rite imponat, consen» sus Patroni eidem est necessarius, nisi forte ca» su, quo hic ab Episcopo requisitus consentire » irrationabiliter renuit, et Ecclesiae magna utili» tas ita exigit. Ratio est, quia per impositionem » pensionis ad vitam beneficiarii duraturae, solus » gravatur beneficiarius, non beneficium, quod » proinde aestimabilitatem suam priorem retinet, » consequenter nullum Patrono fit praejudicium. » Contra per impositionem pensionis transiturae » ad successorem, oneratur ipsum beneficium, » quod proinde, quandiu onus pensionis sibi an» nexum habet, minus est aestimabile; conse» quenter Patrono fit praejudicium, quippe qui » ab eo, quem ad beneficium sic oneratum prae» sentaverit, gratitudinem minorem sperare po» test; atqui opus est consensum exquiri ejus, de » cujus praejudicio agitur; igitur in secundo, non » primo casu patroni consensus requiri ab Episco» po pensionem constituturo debet ». Schmalzgrueber *loc. cit. num.* 15.

Illud heic notandum quod « Episcopus non po» test, etiam cum consensu sui Capituli impo» nere pensiones beneficiis, easque applicare Men» sae suae, aut Capitulari; quia sic applicando, au» thoritatem praestaret in facto proprio, et suam » utilitatem spectante, quod pugnat cum Textu » *Clem.* 2. *de reb. Eccles. non alienand.* ». Schmalzgrueber *ibid. n.* 16. (***).

IV. « Ut Episcopus reservando pensionem in col» latione beneficii, et de ea solvenda consensum » exigendo a Proviso, eidem exprimat, ac nomi» net personam, ad cujus favorem facit ipsius pen» sionis reservationem; siquidem si illam non ex» primeret, sed diceret, se eam reservare pro

(*) Ex doctrina Fagnani « super fructibus beneficii va» cantis minime potest, Episcopus pensionem alteri reser» vare, quia non est ibi Rector, qui possit consentire, ac » proinde non potest jus reale ibi constitui . . et quod, Ec» clesia vacante, fructus minui non possunt ». *In cap. Nisi essent, de praeb num* 23. Quod idem confirmat *ib. sub n.* 53. afferens ad id Rotae decisionem. Verum Communiter Canonistae tenent contrarium.

(**) Quoties de Summo Pontifice res est « Consensus Pa» tronorum in reservatione pensionis super beneficio de » jure patronatus facta per eumdem (per Papam) non » est necessarius . . . de stylo tamen Curiae, licet non ad » validitatem pensionis, sed ad illius durationem, exigitur » consensus Patronorum, ea ratione, ne patronus ad egesta» tum deventus, petens alimenta improbet pensionem, » prout advertit Lotter. *lib.* 1. *q.* 35. *num.* 90. *et seqq.* post » Gig. Item in reservatione pensionis super beneficio de » jure patronatus, licet necessario non requiratur consen» sus Patronorum, requiritur tamen, quod fiat mentio de » jurepatronatus laicorum, requiritur enim haec scientia » in Papa, cum difficilius soleat haec beneficia gravare: » fuit resolutum *in Romana pensionis*, 4. *Jul.* 1601 coram » D. Pamphilio. » Ita Ventriglia *Prax. For. Eccles. part.* 2. *Annotat. XI.* §. 1. *num* 11.

(***) « Episcopus cum majori parte Capitali, et contradi» cente minori parte, potest statuere, ut quilibet Canonicus » de suis praebendis conferat alicui pauperi scholari stu» denti certam quantitatem singulis annis in subsidium »: » *Abbas in cap. ult. n.* 2 *de iis quae fiunt a Praelat. etc.* » Rebuff *de privileg Scholar. privileg.* 41. Sic Barbosa » *Jus Eccles. Univ. lib.* 3. *cap. XI. n.* 59.

» persona sibi benevisa, ac quandocumque nominanda, reservatio esset invalida, tamquam expresse prohibita, et comprehensa sub casibus » Simoniae confidentialis, de quibus *in Const.* » 85. S. Pii V. *incip. Intolerabilis.* in qua §. 2. » damnatur hujusmodi pensionis reservatio, his » verbis: *Itidem, si Ordinarius, vel alius collator* » *contulerit antehac, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiast. quovis modo vacans, ea con-* » *ditione tacita, vel expressa*, etc. *ut pensionem* » *illi, vel illis, quem, vel quos idem Collator...* » *scripto, aut verbo jusserit, seu significaverit,* » *persolvat.* Idcirco ab omnibus Episcopis esse » omnino abstinendum a reservatione pensionum » pro personis nominandis; sed in actu reservationis personam esse exprimendam, advertunt » Fagnanus in *cap. Nisi essent de praeb. nu* 36. » *et* 37. *Tondut. de pens. cap.* 1. *num.* 16. Garc. » *loc. cit. num* 314 ». Ita Clericatus *de pens. di-* » *scord.* 1. *num.* 31.

2 Porro reservatio pensionis fieri potest, tum ante collationem beneficii, tum postquam collatum est; frequentius tamen fieri solet in ipsa collatione. Si imponatur postquam beneficium collatum est, fieri id debet cum consensu ejus, cui collatum est, quia habet jus in beneficio: quippe post collationem beneficium non amplius vacat: Schmalzgrueber *l. c. n.* 18.

3 Illud vero in reservatione pensionis advertas licet « quod sive reservetur in pecunia, sive in quota fructuum super fructibus Canonicatus simplicis, non dicitur reservata super distributionibus quotidianis, et proinde pensio imposita in quota, non est solvenda de distributionibus, nam appellatione fructuum non veniunt distributiones quotidianae, *cap. licet de praeb.* nec imputantur in valore beneficii, aut veniunt sub nomine fructuum beneficii ...(unde) condemnatus in fructibus, non censetur condemnatus in distributionibus ».

4 « Fallit proposita conclusio, quando omnes fructus Canonicatus consistunt in distributionibus quotidianis; tunc pensio reservata super fructibus, debetur ex distributionibus ... Haec sententia valide in jure fundatur, sed hodie non servatur in praxi, nam etiam, quod omnes fructus consistant in distributionibus quotidianis, adhuc nullo casu intelligitur reservata pensio super distributionibus, nisi de illis sit facta expressa mentio in reservatione ». Ventriglia *Prax. For. Eccles. par.* 2. *Annot.* XI. §. 2. *nu.* 18. 19. Lott. *de re benef. lib.* 1. *qu.* 39. *n.* 30. *et* 31.

5 « Adde ad supradicta, nempe, quod pensio simpliciter imposita super quota fructuum Canonicatus, non se extendat ad distributiones ... Quod si pensionarius in hoc casu agit ad executionem suae gratiae, tenetur pro justificatione illius probare, quod extant tales, ac tales fructus, qui non sunt distributiones quotidianae, nec ad illas pertinent. Lott. *l. c. n.* 35. Ventriglia *ibid. n.* 21.

Ulterius pensio imposita super fructibus, et redditibus beneficii, non solum non censetur imposita super distributionibus, sed nec super omnibus aliis fructibus incertis, nisi de his fiat expressa mentio: Garc. *de benef. part.* 1. *cap.* 5. *n.* 339. *et seqq.* Ventriglia *l. cit. n.* 22. Neq. comprehenduntur fructus incerti, etsi pensio imponatur super proventibus et emolum. universis: Ventriglia *ib.* 6

Jam porro controversiam est « pensionem legitime impositam esse omnino solvendam a be- 7 » neficiato: pro qua consequenda jura multis mo- » dis favent pensionario. Primo, dicunt, pensio- » nem esse *onus reale*, ita communiter DD. Ro- » ta *in rec. Decis.* 176, *n.* 3. *p.* 3. et pensionario » competere hypothecariam ... sed hoc intelli- » gendum est, pensionarium non obtinere hypo- » thecam super Ecclesiam, seu beneficium, vel » illius praedia; haec enim vel sunt extra nostrum » commercium, vel per Titularem, aut per Papam » minime obligantur. Sed hypothecam istam so- » lum dici constitutam super fructibus beneficii ». Ventriglia *l. cit. n.* 34.

« Hic notandum est, quando dicatur pensionarius in quasi possessione exigendi pensionem, ad finem, ut omnino, etiam pendente lite, non possit impediri, quin pensiones exigat: et quidem tunc est, quando alias exegit, etiam si semel; per unicum enim actum exactionis inducitur haec quasi possessio, sicut, et in aliis actibus incorporalibus... Rota *decis.* 396. *n.* 2. *p.* 1. *divers. et in Regien. pensionis* 26. *Jul.* 1598. coram Ubaldo, *in Cosent. pens.* 4. *Maji* 1619. *cor. D. Ubaldo* ». Ventrig. *ib. n.* 56. 8

« Ampliatur supraposita sententia, ut per unicum actum solutionis acquiratur quasi possessio exigendi pensionem, id procedere, etiamsi solutio facta fuisset metu censurarum: Rota *divers. p.* 1. *Decis.* 196. *n.* 3. Garc. *de benef. part.* 1. *c.* 5. *n.* 450. qui post allegatas Rotae decisiones advertit, quod solutio facta metu Censurarum, praemissa protestatione, illam fieri metu praedicto, non constituit pensionarium in quasi possessione praedicta ... Unde si illa (protestatio) non concurrat, quocumque praecedente mandato Judicis, etiam sub poena Censurarum, sive justo, sive injusto, sive sequantur, sive non Censurae, quia praesumitur obediendi voluntas, merito dicitur acquisita haec quasi possessio ». 9

« Ampliatur quoque proposita sententia, ut per unicum actum solutionis dicatur pensionarius in quasi possessione exigendi pensionem, id procedere, etiam si Pensionarius esset in quasi possessione exigendi partem pensionis, adhuc censetur esse in quasi possessione respectu totius, et quoad totam pensionem, ea potissimum ratione, quia solvens partem debiti, dicitur agnoscere totum debitum ... ut fuit dictum in *Pampilonen. pensionis* 16. *Jan.* 1613. coram D. Sacrato ... Hoc 10

tamen declaratur communiter habere locum, quando sumus in dubio; secus tamen, si clare constet, Titularem voluisse agnoscere debitum pensionis, tantum pro parte soluta; tunc enim pensionarius solum pro eadem parte dicitur in quasi possessione exigendi; Rota *decis.* 547. *num.* 8. *p.* 1. *in recent.* ».

11 « Ampliatur etiam, induci quasi possessionem exigendi pensionem per unicam solutionem, etiamsi illa fuerit facta a praedecessore Titulari, et non ab ipso possessore, contra quem agitur: decisum per Rotam apud Ludov. *decis.* 275 et ex aliis relatis per Beltram. ». Ventriglia *l. c. n.* 59.

12 Monendum denique, ad hoc ut unica solutio constituat pensionarium in quasi possessione exigendi, de illa debere clare constare, et concludenter probari per plenas probationes, maxime si agitur contra successorem, et qui pensioni non consensit. Ventriglia *ib. n.* 63.

13 Jam vero probationes de pens. solutis per instrumenta, per cedulam Bancariam, nec non per testes fieri possunt: De Luca *de pens. disc.* 7. *n.* 6. *et* 7. « Quatenus vero testes (nullam exceptio» nem patientes) bene concluderent, tunc eis de» ferendum esset, quoniam necesse non est, hujus» modi solutionem (pensionis) justificari per scrip» turam praecise, sed sequi potest etiam per te» stes ». de Luca *loc. cit. num.* 8.

14 « Quando Titularis amisit omnes fructus unius anni ob incursionem hostium, vel ob sterilitatem, grandines, siccitatem, et similia, si praecedentibus annis habuit uberes redditus, non potest se excusare a solutione, quia debet sterilitatem cum ubertate compensare ... Rota *divers.* *p.* 1. *decis.* 757. *n.* 3. (*). Praedicta intellige quando fructus beneficii deficiunt ad tempus; quando vero sunt perpetuo diminuti ex post in tanta quantitate, ut, soluta pensione, deficiat congrua Titulari, diminui debet etiam quantitas ipsius pensionis ... Item reduci debet pensio, quando fuit evictum beneficiario aliquid insigne praedium beneficii; dummodo probetur, fructus extantes non sufficere pro congrua Titularis, Rota *in Aquen. pensionis* 4. *Maji* 1697. coram D. Lancellotto, in qua etiam *sub die* 10. *Martii* 1610. fuit decisum, probato fructus defecisse, esse omnino reducendam pensionem ».

15 « (Porro), in his terminis reductionis notandum est, in casu diminutionis fructuum pensionem esse reducendam usque ad eam quantitatem, ut remaneat Titulari *integre congrua ei ab initio constituta*, ita ut nullam diminutionem patiatur, prout indubitatum est » Ventriglia *loc. cit.* §. 3. *n.* 12. *et seq.*

Amplius notandum « quod licet plura benefi- 16
» cia inducant incompatibilitatem, id tamen non » procedit in pensionibus, quae si plures sint, » nec cum beneficiis inducunt incompatibilitatem » aliquam, nec etiam sub eodem tecto, nisi pen» sio data fuisset in titulum beneficii »: Ventriglia *ib.* §. 2. *n.* 87.

Quaeritur hic, an impetratione pensionis neces- 17
sarium sit, ut pensionarius declaret, se possidere alias pensiones, et alia beneficia, si quas, vel quae habeat?

Affirmativa videretur desumi ex eo, quod de jure qui impetrat a Papa aliquod beneficium, tenetur exprimere omnia alia beneficia per eum ante obtenta cum eorum vero valore; alias impetratio est nulla, et subreptitia *Cap. Ad aures cap. cum adeo, Cap. Pastoralis de Rescriptis, Cap. Si motu proprio de praeb. in* 6. Barbosa in *Cap.* ad *Audientiam* 31. de Rescript. Monald. *Cons.* 92. *n.* 1. qui id esse necessarium advertunt, quamvis beneficia essent modici valoris... Ergo in impetratione pensionis beneficia prius obtenta sunt exprimenda; quae si non exprimantur, reservatio pensionis est nulla.

Multo magis aliae pensiones prius obtentae sunt ab impetrante exprimendae, quia et ipsae sapiunt naturam beneficii; et cum Papa reservet pensionem Clerico, ut commodius vivere valeat, necesse videtur narrare eidem Papae, quas, et quantas pensiones Clericus habeat, ut sciat, an ulterioribus promissionibus egeat.

Ultimo, quia talis est consuetudo, et stylus Curiae Romanae, ut in impetratione pensionis, narrentur, et exprimantur Papae beneficia, et aliae pensiones, quae possidentur ab impetrante: Garc. *l. cit. n.* 87. *et seqq.* Gigas *de pension. q.* 67. *n.* 3. Hojeda *de benef. p.* 2. *Cap.* 7. *n.* 1. Menoch. *de Arbitr. Judic. Cap.* 201. *n.* 51. *aliiq.*

« His tamen minime obstantibus (inquit Cleri» catus).. verior opinio DD. est, quod in impetra» tione pensionis super aliquo beneficio, ea sola » pensio est Papae exprimenda, quae antea impo» sita fuerat, et adhuc durat super eodem benefi» cio: Tondut. *de pens. cap.* 44. *n.* 1. Rota in

(*) Clericatus *in Tract de pension. discord.* 2 *num.* 6. *et seqq.* tenet contrarium, nempe quod compensatio, de qua hic supra, minime locum habeat. « Nec est verum, sic » ille, quod detur compensatio sterilitatis unius anni cum » ubertate annorum antecedentium in fructibus beneficio» rum, ob triplicem causam. Una est, quod fructus Eccle» siae deputati sunt, ut de anno in annum serviant pro » sustentatione Rectoris: ideo de praeteritis annis nullus » potest ab eo petere compensationem, cum factus fuerit » dominus ipsorum, ut illos vel consumpserit, vel de eis » libere disposuerit .... Altera ratio est, quia pensio est » pars fructuum uniuscujusque anni, et quocumque anno » occurrat diminutio fructuum beneficii vel ob inondatio» nem aquarum, vel alia infortunia, pensio est diminuen» da ..... Tertia ratio, quia assignata est pensio pensio» nariis pro eorum alimentis, ergo jure alimentorum est » regulanda ... Sed alimenta ob anni sterilitatem dimi» nuuntur ...; igitur etiam pensiones in casu sunt dimi» nuendae ». At sententia, quam Ventriglia, tenet, fortasse in Foro praevalet.

» *Florentina pensionis* 24. *Januar.* 1696. coram » R. S. D. dell'Olmo... Verum aliae pensiones, » quas impetrans possidet super fructibus Eccle» siarum aliarum, seu beneficia, quibus alibi di» tatus est, non est necesse, ut in impetratione » narrentur, ut constanter tenent Tondut. *qq. be» nef. T. I. part.* 2. *c.* 1. §. 4. *n.*93. et *de pens.* » *c.* 64. *n.* 7 *et* 8. *Lotter. de re benef. lib.* 1. *q.*45. » *n.*1. *et seqq.* Gonsalez *ad. Regul.* 9.*Cancell. Gloss.* » 5. §. 5. *nu.* 18.... ubi relatis contrariis opinio» nibus Garc. et aliorum, ita subjungit: *Caeterum* » *quidquid omnes supradicti teneant, verius est,* » *quod de pensione non est necesse facere mentio-* » *nem; quia cum ex suprad. appareat non esse* » *beneficium Ecclesiast., et jura solummodo dispo-* » *nant, quod narrentur obtenta beneficia, non igi-* » *tur opus est narrare pensionem, cum beneficium* » *non sit, et ita servat Rota,* ut ab iisdem DD. Au» ditoribus audivi, *quod sufficit ad omnem prorsus* » *resecandam difficultatem. Prout etiam pari ratio-* » *ne contraria, in gratia pensionis, non est necesse* » *narrare beneficia obtenta, cum talis gratia non* » *sit beneficialis, et ita praxis observat.* Constat ita» que (prosequitur Clericatus) quod quando quis » impetrat novam pensionem a Papa, non est obli» gatus narrare beneficia, vel pensiones, quas ali» bi possident) ». Haec ille *de pension. Discord.* » 15. *n.* 5. *et seqq.*

18 Quaeres, an pensio non soluta longo tempore, » intelligatur extincta? R. « irrefragabilis est juris » Regula, quam legistae, Canonistae, ac Theo» logi admittunt, quod in praescribendis annuis » praestationibus requiruntur anni triginta; et » tunc non censetur, extinctum totum annuum » debitum, seu tota annua prestatio; sed tantum» modo summa unius anni, itaut pro aliis 29. an» nis semper est locus petitioni, ut firmat Anto» nelius *de Temp. legali lib.* 2. *cap.* 68. *nu.* 75. » ubi Rotae decisiones allegat, ex quibus inducit, » quod licet Pensio non fuerit petita per annos » 30. per hoc non dicitur extincta, sed semper » peti potest a pensionario pro annis 29. quod » post longam disputationem tenet Gigas *de Pen» sion. q.* 83. in qua addit. *n.* 9. *et* 10. duas alias » rationes, scilicet, quia pensio comparatur usu» fructui annuo, atque alimentis; et in his prae» scriptio solutionis non factae per annos triginta » nihil prejudicat, unde concindit *d. q.* 83. *erit* » *ergo conclusio, quod pensio non soluta per an-* » *nos triginta, non erit praescripta, nisi pro illa* » *prima rata, a cujus decursione effluxere anni* » *triginta.* Hanc Gigantis doctrinam, quam plu» ries Rota amplexa est, sequitur etiam Card. » de Luca *de pens. Dic.* 67. *n.* 6. ita scribens; » *Verum facilis erat responsio, quoniam aut dic-* » *tum silentium deducebatur in ordine ad praescrip-* » *tionem, et illa non intrabat, cum ageretur de an-* » *nuo debito conditionali, in quo receptum est, e-* » *tiam tricennalem praescriptionem non sufficere,* » *nisi pro annualitatibus decursis* .. ». Haec habet *Clericatus de pension. discord.* 18. *num.* 17. *et num.* 18.

Haud vero omittendum, quod legitur in contra- 19 rium penes eundem Clericatum *loc. cit. n.* 7. nempe, quod ex omissione exactionis pensionis, praesumatur ejus nullitas, vel extinctio, ut inquit Rota coram Boratto *decis.* 591. *n.* 9. ubi id admittit ex non soluta pensione per quinquennium; Eadem Rota coram Priolo *decis.* 266. *n.* 22. nec non *part.* 16. *recent. decis.* 152. *in fine*, ubi quod pensio non exacta per decennium censetur extincta. Concordat etiam doctrina Martae *de clausulis, claus.* 165. *n.* 25. *p.* 1. et Marescotti *Var. Resol. lib.*1. *cap.* 21. *n.* 15. qui agentes de clausula, *non retardata solutione pensionis* etc. inquiunt, eam non concedi, quando pensionarius per longum tempus pensionem non petiit, et subdunt hanc rationem; quia quando pensionarius potuit agere, et neglexit, praesumitur pensio extincta. Sic in terminis apud eumdem Clericatum, licet sub n. 16. contrariam opinionem sequatur.

Verum quidem est, quod si ex juris Romani prin- 20 cipiis, ubi de annuo legato res est, argumentari velimus neutiquam ex pensionibus non solutis, easdem esse extinctas autumabimus, quippe argumento desumpto ab hujus. annuo legato « praescriptio » non in totum fiat, sed tantum respectu anni » cujusque separatim; adeo ut annorum triginta » petitio supersit, et tantum praescripti censean» tur anni trigesimum excedentes; eo quod an» nua praestatio haec non est accessio quaedam » alicujus legati principalis, seu sortis, sed ipse » principale legatum constituit ». Ita Voet *comment. ad lib.* 33. *ff. tit.* 1. *de ann. legat.* etc. *n.* 1.

Et ad *tit.* 2. *ff. de Usu, et Usufr.* etc. *sub n.*4. 21 sic habet. « Sciendum est, totum quidem annui » redditus legatum praescriptione tolli non posse; » cum annua redditus praestatio nullam proprie » sortem, seu rem principalem habeat, cujus ve» lut accessio esset, et cum qua ex jure accessio» nis snum principale sequentis tolli posset, uti » in usurarum obligatione receptum est .. sed po» tius praestationes hae reddituum annuae sint » res principales, in quarum praescriptione fa» cienda, tempus non ab exordio ipsius obligatio» nis; sed ab initio cujusque anni computari, ma» nifestum ait Imperator. *L. Cum notissimi* 7. » § *ult. Cod. de praescr.* 30. *vel* 40. *annorum.* » Cui consequens est, ut illorum quidem redditum » annuorum, qui excedunt annum trigesimum, » praescriptio admittatur; eorum vero, qui intra » trigesimum coeperant annum deberi, exactio » supersit, longeque magis eorum, quorum dies » necdum venit, petitio pro tempore legatario in» tegra sit ».

Adeoque is idem cl. scriptor *ibid.* quantum ad 22 praescriptionem extintivam sic concludat. « Pla-

» ne si immemoriali tempore redditus nullus an» nuus praestitus fuerit, totam annui redditus o» bligationem peremptam esse, facilius quis ad» miserit: uti et illud, quod triginta annorum, » aut trientis saeculi decursu tota redditus obli» gatio praescribi possit, si quis ad redditum sol» vendum interpellatus, recusaverit solutionem, » et se redditus debitorem esse negaverit, eoque » ex tempore, illud annorum spatium praeterlap» sum sit ». Quae sane doctrina in materia pension. applicari potest.

23 Quaeritur (addendo iis quae ab auctore sub n. 99. *et seqq.* *h.* articuli dicta fuerunt); utrum sit licitum pensionariis absque Beneplacito Apostolico pensiones suas anticipatis solutionibus extinguere? Audiamus in hac re eund. Clericat. ita disserentem: » de extinctione pensionis mediante pecunia, vel » solutis terminis anticipatis, Tondut. *de pens. cap.* 17. *n.* 29. *et seqq.* sic scribit: *Magna est inter DD. controversia, utrum sit licitum, et absque » vitio simoniae*; (et opinioni neganti adhaeret). » Nihilominus (prosequitur Clericatus) ipsemet » Tondut *d. c.* 17. *de pens. n.* 23. subdit, quod » contrariam sententiam plurimi non infimae no» tae Doctores veriorem esse censuerunt, ea ra» tione moti, quod subjectum pensionis nullum » aliud est, quam fructus beneficii, prout sunt » distincti, et separati ab ipso beneficio, et sic est » res mere temporalis; non enim datur pro mini» sterio spirituali, nec titulo spirituali, sed tan» tum ad sustentationem illius, in cujus favorem » reservatur; et sic *Clericatus*, et *Ordo sacer* con» siderantur tantum per accidens, et concomitan» ter, quod vel ex eo patet, quia pensiones regu» lariter non solvuntur in fructibus beneficii, sed » in pecunia. Hinc semper Rota consideravit pen» siones tanquam quid temporale, et separatum a » titulo beneficii, nihil habens spiritualitatis, nec » connexionis cum ipso titulo beneficii...; et hanc » opinionem, tanquam veriorem, et probabilio» rem ait (ipse Tondut. *l. cit.*) amplexam esse a » Sanchezio *in Cons. Moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 46. » *num.* 13. *et seqq.* et a Lotterio *lib.* 3. *q.* 29. » *n.* 78... et eorum dicta (nempe Sanchezii, et » Lotterii) praevalent (ita idem Clericat.) in pra» xi harum regionum, in quibus pensionarii abs» que scrupulo extinguunt saepe saepius pensio» nes anticipatis solutionibus octo, vel decem an» norum, juxta magis juvenilem, vel senilem eo» rum aetatem, prout ego vidi (sunt verba ejus» dem Clericat.) fieri a diversis tum Praelatis, » tum Canonicis, tum aliis Clericis, qui possideb» bant pensiones; ipsi enim ad effugiendas discor» dias cum titularibus non prompte solventibus, » mediante certa summa pecuniae conventa, abs» que alio Beneplacito Apostolico, easdem suas » pensiones affrancarunt, et extinxerunt, et hanc » praxim, et opinionem tuetur novissime Gibsl» linus *de Simonia q* 20. *consect.* 11. *per tot* ubi » hanc quaestionem plene examinat, et conclu» dit, licitam esse affrancationem, et citat *n.* 5. » pro hac opinione Cajet. Less. Valent. et alios... » Quapropter respondi (concludit Clericatus).... » praevalere opinionem tenentem non esse illici» tum redimere pensiones anticipatis solutionibus » absque Beneplacito Apostolico, intelligendo de » pensionibus reservatis ad favorem Clericorum, » vel aliarum particularium personarum; *et excep» tis semper pensionibus assignatis in titulum be» neficii, ac illis, super quibus initum esset pac» tum eas affrancandi, antequam reservatae fuis» sent* ». *De pension. Discord.* 16. *num.* 9. *et seqq.*

Quaeritur adhuc, an cessante paupertate pensionarii, cessare debeat pensio, saltem ea imposita ab Ordinario? Affermativam tuetur de Luca (quoad pensionem nempe ab Ordinario constitutam) in haec sane verba: « Cumque dicta facul» tas habeat causam praecisam necessitatis provi» dendi, idcirco, quamvis tunc non reperiissem » auctoritatem, quae specialiter descenderet ad » hos terminos (*scilicet ad casum in quaestione*), » neque occasio praebuerit id formiter disputare, » adhuc tamen dixi, contra pensionarium proba» bilius respondendum videri, ut, *cessante necessi» tate*, cesset pensio ex regula *cum cessante* etc. ». *De pension. disc.* 40. *n.* 6. 24

Id quidem evinci videtur ex Rota *in Melevitan. contributionis* 21. *Aprilis* 1660. coram Cerro, apud praelaud. Card. de Luca *l. c. disc.* 77. *n.* 2. ubi ponitur, contributionem injunctam ex beneficiis, et redditibus Ecclesiasticis pro sustentatione Collegii noviter erecti, cessare debere, postquam aliunde idem Collegium de congrua dote provisum fuerat, unde propterea cessabat ratio, seu causa finalis assignationis. Secus vero tenendum, docet idem clar. scriptor, quoties de pensione per Summum Pontificem constituta sermo est: « Siquidem de potestate » Papae in beneficialibus absoluta dubitandum non » est gravandi Ecclesias, etiam perpetuis pensio» nibus ». *Disc. cit. n.* 4. 25

Tandem disquirendo super quibus beneficiis pensio imponi possit: illud tene, super Abbatiis Consistorialibus pensiones ab Ordinariis minime imponi posse: Leuren. *forum benef. p.* 3. *cap.* 4. *q.* 469. Nec super beneficiis simplicibus non excedentibus 24 ducatos de Camera; Azor. *p.* 2. *l.* 8. *cap.* 8. *q.* 7. Ventriglia *tom.* 2. Annot. XI. §. 1. *num.* 39. Leuren. *loc. cit. q.* 470. Nec super Canonicatibus, et Dignitatibus non excedentibus valorem centum ducatorum; Paris. *lib.* 6. *q.* 2. *num.* 28. Leur. *l. et num. cit.* et non nisi pro parte hujus excessus gravare hujusm. beneficia pensione solet Pontifex. Leuren. *ibidem num.* 3. 26 27 28 29 30

Nec super praebendis Theologalibus, quippe hanc esse indolem talis praebendae ut nullius pensionis 31

onere gravari possit: Tondut. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. § 4. *n.* 51. Leuren. *l. cit. quaest.* 471.

32 Bene vero super Abbatiis, aliisque beneficiis in perpetuum commendatis pensio imponi potest: Leur. *ib. n.* 472.

Sed haec satis.

PERCUSSIO

VIDE VERB. *EXCOMMUNICATIO, ART.* 12. *A N.* 2. *AD* 6.

PEREGRINI

VIDE VERB. *LEX ART.* 3. *A N.* 18. *AD NUM.* 51.

PERJURIUM

VIDE VERB. *ACCUSATUS A NUM.* 31. *AD* 43. VERB. *JURAMENTUM ART.* 1. *A N.* 13. *USQUE IN FINEM*, VERB. *MENDACIUM A N.* 17. *AD* 21. VERB. *POENA ART.* 2. *A NUM.* 176. VERB. *RESTRICTIO MENTALIS PER TOT.* VERB. *REUS N.* 26.

PERMUTATIO BENEFICIORUM

VIDE VERB. *RESIGNATIO*, SEU *RENUNCIATIO BENEFICIORUM*.

PERQUISITIO

SUMMARIUM

1. de Perquisione juxta varios casus; vide ut sequitur.

1 Perquisitio frumenti Ecclesiasticorum in locis immunibus a Nuncio demandata Ministro Laico improbatur; et injungitur, ut deputet personam Ecclesiasticam non diffidentem Ministris Abundantiae: *Sacra Congregatio Immunit. in Florentina* 9. *Februar.* 1694. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 71.

2 Perquisitio in Molendinis, et in aliis locis Commendae Religionis Hierosolymitanae, Appaltatoribus non est licita, nisi mediante Ministerio Curiae Ecclesiasticae habentis facultatem a Sac. Congregatione: *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Auximana* 25. *Julii* 1643. *lib.* 4. *Decret. Paul. pag.* 18.

3 Perquisitiones scripturarum, et rerum factae a Fiscali Nunciaturae in Conventu, seu Cella Regularis praetensi Monetarii, sunt nullae, et agendum cum Sanctissimo pro facultate Nuncio utendi rebus, et scripturis sic extractis, et prosequendi processum etiam super asserta moneta contra d. Regularem carceratum a Curia Laica, et statim remissum in carceribus Nunciaturae: *Ead. Sac. Congregat. Immunit. in Neapolitana* 29. *Maii* 1696. *lib.* 2. *Decr. Valleman. pag.* 26.

Vigore Litterarum perquisitionis rerum furatarum Vicarius non consignet Judici Saeculari res, et pecunias, quae non sunt expressae, et indicatae inter res furatas, sed ipsas consignet cui de Jure: *Eadem Sacra Congregatio Immunitat. in Neapolitana* 15. *Junii* 1677. *lib. Decret. Martel. pagina* 306. 4

Permittitur perquisitio furti pecuniarum commissi a Ministris Domus Sanctissimae Annunciatae, ut praetenditur, absconditi in Monasterio Monialium; facienda tamen per Episcopum, vel aliam personam Ecclesiasticam; *Ead. Sacr. Congregat. Immunit. in Trojana* 11. 1626. *lib. Scripturarum Veterum pag.* 91. 5

Datur facultas perquirendi Thesaurum in Ecclesia ad effectum consignandi cui de Jure, facta tamen obbligatione de reducendo omnia in pristinum: *Ead. S. Congreg. Immun. in Capuana* 6. *Maii* 1664. *lib. Decret. Rocci pag.* 553. 6

Datur facultas perquirendi, et extrahendi in- 7

strumenta ad usum conficiendi aleas in locis immunibus, etiam in Monasteriis Regularium, non tamen mulierum: *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Romana* 12. *Junii* 1678. *lib.* 2. *Decret. Aldov. pag.* 1612.

8 Datur facultas Episcopis status Mediolan. perquirendi fraudes, et res repositas in locis immunibus in praejudicium Appaltatorum in forma, etiam in Domibus Regularium, et illius vigore procedant, et provideant per viam praecepti tantum, non autem per viam Edicti: *Eadem Sac. Congreg. Immun. in Mediol.* 23. *Sept.* 1659. *lib. Decret. Rocci pag.* 210.

9 De mandato Sanctissimi datur Eminentissimo Archiepiscopo facultas ad annum perquirendi res furatas; res, uti dicitur *di contrabbando*, res dolose Decoctorum, et res Administratorum substantiae pupillorum in locis immunibus quibuscumque (exceptis Monasteriis Monialium, et Conservatoriis), et consignandi Judici saeculari, ut de ipsis disponat, prout de Jure, recepta promissione prius, et juramento non utendi rebus sic extractis pro corpore delicti: *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Mediol.* 13. *Aug.* 1696. *lib.* 2. *Decret. Vall. pag.* 168.

10 Datur facultas, annuente Sanctissimo, perquirendi Eminentiss. Legato in omnibus locis immunibus (exceptis Monasteriis Monialium) fraudes contra Appaltatores Tabacchi; Dummodo in faciendis istis perquisitionibus utatur Ministerio personae Ecclesiasticae cum solitis cautelis: *Ead. Sacra Cong. Immun. in Ferrarien.* 14. *April.* 1693. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 39.

11 Conceditur facultas perquirendi in locis immunibus bona spectantia ad spolium, et extrahendi in forma: *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Ferent.* 7. *Maii* 1659. *lib. Decret. Rocci pag.* 86.

12 Dantur A. C. Litterae perquisitionis in forma contra bona Episcopi debitoris pensionis, excepta Cathedrali, et Palatio Episcopali: *Ead. Sac. Cong. Immun. in Callien.* 31. *Jul.* 1674. *lib.* 1. *Decret. Altrov. pag* 977.

Dantur Litterae perquisitionis in forma A. C. 13
pro rebus, seu frumentis, ac penoribus Episcopi ad favorem Pensionarii dicti Episcopi: *Eadem S. Congr. Immun. in Romana, seu Nolana* 21. *Octobr.* 1679. *lib.* 2. *Decret. Altov. pag.* 1863.

Dantur A. C. Litterae Perquisitionis in forma 14
contra Episcopum, qui fraudulenter transtulerit omnia sua bona in locis immunibus ad effectum non satisfaciendi Eminentissimo Cardinali Creditori pensionis: *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Terracinen.* 8. *Septemb.* 1675. *lib.* 1. *Decret. Altov. pag.* 1144.

In casu, quo Parochus debitor cujusdam Sacer- 15
dotis conservabat omnia omnino bona sua in domo Parochiali, conceduntur Episcopo litterae Perquisitionis, et extractionis ad favorem Creditoris, attento, quod jam obtinuerat mandatum executivum contra Parochum: *Eadem Sac. Congr. Immun. in Tyburtina* 19. *Septemb.* 1708. *lib. Dec. Marefusci.*

Contra Debitores, qui fraudulenter transtule- 16
runt omnia bona sua in diversis locis immunibus, conceditur Episcopo, ut possit perquirere, et extrahere ea ad effectum consignandi, facto inventario, Judici competenti, ut de iis disponat, prout de Jure: *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Catacen.* 6. *Octobr.* 1708. *lib.* 3. *Decret. Marefusci, in Neapolitana* 19. *Septembris d. A. et lib.*

Censurati ob Perquisitiones eorum jussu factas in 17
Ædibus Canonicalibus absolvuntur in forma privata: qui vero illas fecerunt, quatenus petant, absolvuntur in forma Ecclesiae: *Ead. Sacra Cong. Immun. in Florentina* 9. *Feb.* 1694. *lib.* 2. *Decret. Altoviti, pag.* 103.

PERSONATUS

VIDE VERB. *BENEFICIUM ARTIC.* 1. *NUM.* 27.

PESTIS

SUMMARIUM

1. Quid in variis casibus Pestis; *ad num.* 13. — 14. Quoad administrationem Sacramentorum tempore pestis, *ad num.* 19.

1 Jubente Sanctissimo, injungitur Archiepiscopo Neapolitano publicare Edictum poenale, ne aliqua persona Ecclesiastica saecularis, et Regularis audeat tempore suspicionis Pestis ingredi Civitatem Neapolitanam, absque speciali licentia ejusdem Archiepiscopi gratis concedenda: *S. Cong. Immun. in Neapolitana* 20. *Jun.* 1606. *lib.* 5. *Decret. Paul. pag.* 100. apud Riccium verb. *Edicta Ecclesiastica num.* 10.

Et injungitur Nuncio, ut quinque Canonicos La- 2
teranenses, qui fuerunt ingressi, puniat rigorose, nec non Abbatem, qui illos recepit: *Eadem Sacra Cong. Immun, ib.*

Datur facultas extrahendi personas, et res sus- 3

pectas morbo pestilentiali. Unde fuit prorogata ad decennium talis facultas extrahendi personas, et res suspectas morbo pestilentiali: *Ead. S. Congreg. Immun. in Melilen* 26. *Mart.* 1695. *lib.* 1. *Decret. Valleman. pag.* 179.

4 Regulares, qui tempore Pestis absque Beneplacito Apostolico solvunt Scuta duo millia pro construendis Lazaretis, incidunt in poenas contentas in Decreto de rebus Ecclesiae non alienandis: *Eadem Sacra Congregatio Immunitat. in Florentina* 21. *Januar.* 1631. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 71.

5 Similiter Regulares, qui sine dicta facultate tempore pestis concedunt, vel consentiunt concessioni Conventuum pro usu Lazareti, incidunt in Excommunicationem: *Eadem Sacra Congreg. Immun.* apud Riccium verb. *Pestis.*

6 Quomodo Episcopi residere, et ministrare Sacramenta debeant, et possint tempore pestis: Vide verb. *Episcopus art.* 3. *num.* 12. *et seq.*

7 Parochi tempore pestis residere omnino tenentur in suis Parochialibus; Possunt tamen per alium idoneum ministrare Parochianis suis peste infectis Sacramenta Baptismi, et Poenitentiae, et si non resederint, contra eos procedendum est, servata forma Concilii Tridentini *cap.* 1. *in fine sess.* 23. *de reform. Sac. Congregat. Con. in Mediol.* 10. *Octob.* 1576. apud Barbosam in *Summa Apostolic. dec. verb. Parochus quoad residentiam n.* 16.

8 Parochi tempore Pestis an teneantur etiam ministrare Eucharistiam Peste infectis? Variant Doctores. Molfesius enim, Major, et alii apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4 *resol.* 174. *et part.* 5 *tract.* 3. *resol.* 53. Lohner in *Instruct.* 6. *par.* 3. *de Eucaristia art.* 3. *quest.* 5. Gobat *tract.* 4. *num.* 414. et alii, docent, Parochum tempore pestis non teneri ministrare Eucharistiam, quia cum ejus vita requiratur ad alia Sacramenta magis necessaria, etiam aliis conferenda, non videtur esse propter aliquos exponenda tanto periculo in administratione Sacramenti, utilis quidem, sed minus necessarii. E-contra Suarez, Fagundez, Tolet. Navarr. Sotus, Herinq. Villalob. Filliuc. Sylvester, Nugnus, Marchant. Mancin Tabiena, Sa, Castropal. Lugo, Busemb. Aversa, Cardenas. Verivys apud la Croix *lib.* 6. *par.* 1. *num.* 484. dicunt, Parochum teneri, sive per se, sive per alium, Eucharistiam ministrare omnibus licite petentibus, etiam peste infectis, quia peste infecti habent Jus illam petendi, et sunt in gravi necessitate spirituali illam suscipiendi, licet forte Sacramentum Poenitentiae susceperunt; cum nihilominus valde infestentur a Daemone, indigeantque viribus spiritualibus, quas hoc Sacramentum causat; possetque ipsis etiam per accidens causare primam gratiam, si non haberent; Unde revera saltem per alium, si possit haberi, tenerentur parochi Eucharistiam ministrare peste infectis; Si vero in aliquo loco non adesset alius Sacerdos, qui in defectum Parochi posset substitui, tunc ipse Parochus ad id non tenetur, quia non deberet, ministrando aliquibus Eucharistiam, exponere se periculo destituendi totum populum, eumque relinquendi sine aliis magis necessariis Sacramentis; nam necessitas Communitatis praevalet necessitati privatae, et inter duo mala majus est evitandum, et minus eligendum; *cap. Duo mala* 1. *dist.* 13.

9 Idem pariter est dicendum de obligatione Parochorum administrandi peste infectis extremam Unctionem, sive per se, sive per alios, quando possint haberi; secus autem non, uti mox dictum est de Eucharistia; Vide verb. *Extrema Unctio num.* 43. *et* 44.

10 Pestis causa qui abfuerunt, quotodianae distributiones illis non debentur, nisi probetur legitima consuetudo, quod distributiones hujusmodi darentur absentibus ex justa causa: *Sac. Congr. Conc.* apud Barbosam in *Summa Apostolic. dec. verb. Pestis num.* 2.

11 Pestis occasione Canonicus absens non lucratur distributiones quotidianas, nisi pestis grassetur, et probetur legitima consuetudo, quod distributiones hujusmodi dari consueverunt absentibus ex justa causa; 12 Quando autem dicatur pestis grassari, ut sit justa causa absentiae, relinquendum est arbitrio Episcopi: *S. Cong. Conc. in Mediol.* 9. *Novembris* 1630. apud Barbosam *loc. cit. num.* 3. *et* 4.

13 Cautelae adhibendae a Parochis, et eorum Vicariis pro se conservandis in administratione Sacramentorum tempore pestis, traduntur a Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 4. *num.* 106. Vide *ibi.*

14 " Pestis tempore quid agi liceat, vel secus, circa administrationem Sacramenti Confirmationis, Poenitentiae, Extremae Unctionis, vide in singulis eorum articulis.

15 Num liceat dimidiare confessionem mortalium ex timore contrahendi morbi, quaestio est anceps inter Doctores, in qua nihil certe decernitur: *De Synodo Dioeces. lib.* 13. *cap.* 19. §. 19. *nov. edit.*

16 In ordine ad ministrandam Eucharistiam non esse omnem Ecclesiae ritum servandum, qui modo ob Ecclesia praescribitur, docet immortalis memoriae vir Muratorius *Tract. de Peste*, sed ab Episcopi judicio expetendum esse quid a singulis praestari posset, ut minus periculose, sed decenter ministretur, quod etiam rescriptum fuit ad postulata Vicarii Apostolici Juliae Caesareae: *De Synod. Dioecesan. ibidem* §. 26.

17 Tuto posset Episcopus judicare tempore pestis, quod Eucharistia laicis porrigeretur suis manibus accipienda, ut ipsi per se ori illam inducerent: *Ibid.* §. 27.

18 Extrema Unctio erga peste infectos conferri potest inungendo organum illius sensus, qui unctioni magis expositum se offert, ita formam proferendo, quomodo fieri solet cum unus tantummodo sensus inungitur: *Ibid.* §. 29.

19 Licet autem judicio Episcopi in eo casu inungere aegrotum adhibita oblonga virga, cujus in extrema parte sit gossipium oleo Sacro imbutum: *Ibid.* §. 30.

PHISIOGNOMIA

VIDE VERB. *SUPERSTITIO NUM.* 24.

PIGNUS

Quae vendi non possunt, nec possunt in pignus dari; *L. Pupillus*, §. *Eam rem*, *ff. Quae res pignori*. Quare res Ecclesiae, et etiam mobilia pretiosa, non nisi concurrente legitima causa, et accedente licentia Sedis Apostolicae, vel Episcopi respectu mobilium minoris pretii, vendi possunt: *Instit. Eccles.* 69. §. 5.

Alia: Vide verb. *Hypotheca*, per tot.

PILEOLUS

SUMMARIUM

1. Pileoli usus in Missa, etiam extra Canonem, concedi non potest ab Episcopo, sed solum a Papa. — 2. Nullus etiam Episcopus Pileolo uti potest in Missa sine Sedis Apostolicae licentia. — 3. Qui assistit in Choro Missae Conventuali non potest portare Pileolum per totam Missam; in aliis vero Divinis Officiis uti potest. — 4. Pileolo uti non possunt Parochi, tam de die, quam de nocte ministrantes infirmis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, neque praetextu invaletudinis. — 5. Alia vide v. *Birretum*. — 6. Agitur de coma fictitia, *ad num.* 10.

1 Pileoli usus in Missa, etiam extra Canonem concedi non potest ab Episcopo, sed solum a Papa: *Sac. Congr. Episcop. et Regul.* 3. *Jan.* 1590. *et die* 17. *Jun.* 1595. *et Sacr. Congr. Rit.* 24. *April.* 1626. et colligitur *ex c. Nullus* 56. *de consecr. dist.* 1.

2 Nullus etiam Episcopus Pileolo uti potest in Missa sine Sedis Apostolicae licentia: *Sacra Congreg. Rit.* 3. *Januar. et* 24. *April.* 1626. apud Barbos. *in Summa Apostolic. decis. verb. Pileolus num.* 1.

3 Qui assistit in Choro Missae Conventuali non potest portare Pileolum per totum Canonem; in aliis vero Divinis Officiis uti potest; *Sacr. Congr. Episcop. et Regul. in una S. Angeli* 5. *Novemb.* 1602. apud Nicol. *in Floscul. verb. Pileolus num.* 2. Alii vero dicunt hoc Decretum esse Sacrae Congregationis Rituum, ut videre est apud La Croix *lib.* 6. *parte* 2. *num.* 1055. *Decret.* 55.

4 Pileolo uti non possunt Parochi, tam de die, quam de nocte ministrantes infirmis Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum, neque praetextu invaletudinis. Sic respondit *Sac. Congr. Rit. in Romana.* 13. *Aug.* 1695. *et* 2. *Januar.* 1696. parocho Sancti Laurentii in Damaso apud Monacell. *tom.* 4. *supplement. ad* 3. *tom. num.* 9. *et* 10.

5 Alia. Vide verb. *Birretum.*

6 Immo neque in Choro potest portari Coma fictitia, seu, ut vulgo dicitur, *Perucca: Sac. Congreg. Conc. in una Bergamensi* 9. *Dec.* 1690. *lib.* 5. *Decret. fol.* 765. ubi rejecit instantiam Abbatis Petri Nigroni, Canonici Cathedralis deferendi Comam fictitiam in Choro sub praetextu frigiditatis, et subtilitatis aeris, apud Monacell. *tom.* 4. *supplement. ad tom.* 1. *num.* 261.

Et tanto minus Coma fictitia, seu Capillitium 7
adscititium potest deferri, et retineri in actu celebrationis Missae, ut expresse prohibuit Innocentius XI. ut patet ex Decreto de ejus mandato publicato *in Dioecesi Colon. die* 21. *Mart.* 1689. quod refertur sub verb. *Missa art.* 9. *n.* 4. Vide *ibi*, et apud Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 1. *n.* 93. ubi refertur consimile Decretum publicatum de mandato Innoc. XII. *die* 18. *Sept.* 1692.

Quinimmo Clerici deferentes Comam fictitiam, 8
vulgo *Perucca*, possunt excommunicari, si sint Beneficiati, vel in Ordinibus Sacris Constituti, ut habetur *in Concil. III. Constantinopolitano Canon.* 96. Et hanc poenam excommunicationis ferendae sententiae contra Beneficiatos, et in Sacris constitutos deferentes Comam fictitiam, sustinendam, et imponendam esse declaravit Sacra Congregatio nonnullorum Cardinalium specialiter a Papa deputata *in Vigilien. Synodi* 18. *Maii* 1695. *in responsione ad* 21. Contra vero ceteros Clericos Minorum ordinum esse procedendum juxta dispositionem Concilii *sess.* 21. *cap.* 6. *de reform.* apud Monacell. *tom.* 1. *in Appendic. annotat. ad Litter.* « Encyclicam Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium super exercitiis indecentibus Ecclesiasticorum *n.* 20. ».

Et quod Capillitium adscititium permittendum 9
non sit Ecclesiasticis personis, decrevit novissime *Sacra Congreg. Con. in Melphit.* 8. *Aug* 1722.

quod fuit expresse pariter prohibitum in Urbe de mense Februarii 1725. de mandato Sanctissimi D. N. Benedicti XIII. ut refert Ursaya in *Miscellan. Sacro, et profano* 1. *litt. C. n.* 52. et habetur in Concilio Romano ab eodem Summo Pontifice celebrato anno 1724. *sub tit.* 16. *de vita et honestate Clericor. cap.* 3. ubi expresse statuitur, quod « Comam fictitiam, vulgo Perucca, aut Cerchietti numquam adhibeant. ».

Alia ad rem. Vide verb. *Coma fictitia per tot.* 10
et verb. *Missa art.* 2. *a n.* 2. *ad* 4.

PLACITUM REGIUM

In Placitum Regium Animadversiones sequentes ponuntur

1 Mira sunt quae de Placiti Regii necessitate, ut Apostolicae quaevis litterae vim habeant, post Stockmansium, et Van-Espenium Kaperus quidam celebris Scriptor tradidit. Sed rem a Zallwein Benedictino Germano, ab aliisque nostro aevo diligenter perpensam non multis explicabimus. Utar autem statim Zallweinii verbis, qui *T.* 1. *Principior. Jur. Eccl. p.* 377. ait. « Quantum ad illud placitum regium, si rem bene examinemus, comperiemus, quod omnes discordiae circa receptionem Bullarum, et Decretorum exortae inde suam trahant originem, quod sciant et Doctores, et Magnates, hoc *Placitum Regium* ex suggestione Politicorum esse susceptum. Ex hoc ipso enim audaciores fiunt, ut omnia decreta, quae suo palatui non sapiunt, sugillare, carpere, et vilipendere non curent. Certe in illis Provinciis, in quibus *Placiti Regii* usus non viget, nihil tale unquam, aut raro fuit auditum. Foetus politicorum est istud *Placitum Regium*, qui adulandi, placendi, atque jurisdictionis et propriae, et suorum Principalium ampliandae studio, et fortassis occulto livore, invidia, et odio, quo in auctoritatem ecclesiasticam feruntur, nescio quae pericula, praejudicia, et damna bono publico metuenda fingunt, et suis Principibus sub speciosissimis rationibus ante oculos ponunt ».

2 Haec, ne perperam dicta videantur, sunt a nobis uberius explicanda, ac confirmanda. *Foetum Politicorum* Auctor *Placitum Regium* dixit; sed addere omnino debuit extremis tantum saeculis editum. *Stockmansius* eo loci, in quo tantum *boni sensus Febronius* deprehendit, egregie fallitur, dum *Populum* Placiti Regii *moribus ab omni memoria adsuetum* vocat. Feralis ejus Schismatis, quod ab *Urbano VI* ad *Constansiense* Concilium Ecclesiam crudelissime dilaceravit, tempore vetustior non est isthaec *memoria*. Indicent Stockmausius, Van-Espenius, et caeteri id genus Regiae dignitatis assentatores, vel unum ex tot Imperatoribus, Principibusque rerum ante illud Schisma potitis, indicent, qui Apostolicas litteras suo, ut evulgarentur, consensu indigere contenderit. Quae lex, aut rei, de qua agebatur, natura, aut tumultum, qui inde timeri poterant, caussa cum Reipublicae statu conjunctior, quam *Siriciana* illa, qua Majores Clerici ab Uxoribus abstinere jubebantur: *Ab omni Ecclesiastico honore*, ni parerent, *Apostolicae Sedis auctoritate dejecti*, atque a *venerandis adtrectandis mysteriis* perpetuo prohibiti (*)? Neque tamen cuiquam in mentem venit, Principis, ut ea promulgaretur, expectandum adsensum. Idem de ceteris Pontificum, ac Conciliorum legibus dicas, quae ad *Urbanum VI.* prodierunt. Sed quo gravius est, in magnis illis, quae a nono saeculo ad quartidecimi initia *Romanis* Pontificibus cum Imperatoribus, Regibusque fuere dissidiis, Apostolicas in hos Constitutiones in ipso eorum imperio, regnisque promulgatas novimus, quin de Regio Placito ad illas infirmandas cogitaretur (**). *Philippus* quidem *Pulcher* in maxima illa cum *Bonifacio VIII.* controversia cavit, ne ullae ejus Pontificis litterae in Regnum deveherentur, *custodibus ubique adpositis*, uti in *Spondani* annalibus legimus (***), non autem promulgari illas in *Galliis* absque suo adsensu non posse dixit. Idem a 1164. cum *Alexandro III.* gesserat *Henricus Angliae* Rex, non enim ejus litteras nullius futuras roboris, nisi sibi, aut Proceribus suis probarentur, arbitratus est, sed *saevissima*, ut idem *Spondanus* ait (****) *edicta per omnes sibi subjectas Provincias promulgavit, nempe ut omnes portus diligentissime custodirentur, ne Litterae interdictionis Summi Pontificis ....* in Angliam *deferrentur*. Quanto facilius, Regio negato adsensu, Pontificias Constitutiones eludere Reges ii potuissent! Sed nondum res politica ad eam absolutionem perducta erat, quam posterioribus tandem saeculis obtinuit.

Nempe suborto *Clementis VII.* adversus *Urbanum VI.* schismate, quod deinde ad *Martinum V.* in *Constantiensi* Synodo electum perduravit, ne ab Antipapis, eorumque assecliis fraudes impune admitterentur, ipsi *Urbano* visum fuit pernecessarium, ut de Constitutionibus Apostolicis, an legi- 3

(*) Ep. 1. ad Himer. Tarrac.

(**) Confer opus supra indicatum, cui Titulus: Ragioni della Sede Apostolica etc. T. I. P. II. pag. xcv. et seqq.

(***) Ad ann. 1301. n. 7.

(****) Ad ann. 1164. n. 10.

timae forent, atque a vero Pontifice proficiscerentur, Episcopi ante judicarent, quam exequutioni demandaretur. Principes quoque, ne populi a pseudo-Pontifice deciperentur, cavendum sibi duxerunt Bullarum examine. Quamobrem, ut in vita *Caroli VI. Galliarum* Regi narrat *Johannes Juvenalis Ursinius*, quum an. **1381**. Rector *Parisiensis* Academiae ed Professorum, ceterorumque conventum quasdam *Urbani VI.* litteras legendas detulisset, Dux *Andegavensis* ob pupillarem *Caroli* aetatem Procurator Regni, qui *Clementis VII.* partes sequebatur, graviter Rectori indignatus eum comprehendi jussit, non fuisse praetexens ab illo *Urbani* litteras Regi antea exhibitas; quod ipsum tamen historicus *Ducis in Academiae Rectorem violentiae* adsignat. Adeo explorata res erat, non potuisse ob hanc caussam in Rectorem, veluti sontem, jure animadverti. Eadem de caussa apud *Lusitanos*, teste *Garsia* de *Resende* in Chronico *Johannis* Regis, moribus inductum tunc fuit, ut de Brevibus, caeterisque *Romanis* litteris ab Archicancellario cognosceretur. " Cap. LXVI. : Costumavasi anticamente in questi Regni, che tutti i Brevi, e Rescritti, Lettere, e Bolle, che venivano da Roma, non si facesse di esse cosa alcuna, se non erano prima vedute, ed esaminate dal Cancelliere maggiore, e quelle, che trovava esser vere, e direttamente spedite, dava licenza, che si pubblicassero, e che avessero esecuzione, e questo era con senno, e buon rispetto, per isfuggire la falsità, di modo che le Parti non ricevessero dolosamente perdita, e danno. E principalmente perchè in tempo di Scisma essendovi più di un Papa, come molte volte si vidde, non si aveva da obbedire in questi Regni, se non al Padre Santo di Roma; Ita ille: "

4 Extincto tamen Schismate ubique ad antiquam consuetudinem paullatim reditum fuit. Nam non solum Episcopis *Martinus V.* et *Urbanus VI.* quam indulserat, de Constitutionibus Apostolicis cognoscendi facultatem eripuit, sed etiam *Carolus VII. Galliarum* Rex apud *Feuretum* (*) a. **1424**. edicto sanxit, ut *Romano* Pontifici deinceps sua uti liceret potestate, *tam in Beneficiorum Collatione, quam in Jurisdictionis Apostolicae exequutione, modo, et forma, quibus fel. mem.* Clementis VII. et Benedicti XIII. *temporibus usus fuerat, et aliis quibuscumque usibus, et mandatis*. In *Hispania* vero idem fuisse servatum indubio argumento est *Alexandri VI.* Constitutio, quae a. **1493**. *Ferdinando V.* et *Isabella* petentibus Indulgentias, omnes cum antea concessas, tum postea concedendas suspendit: « donec per loci Ordinarium, in cujus Civitate, et Dioecesi pro tempore publicabuntur, prius, et deinde per nostrum, et Sedis Apostolicae praedictae Nuntium in partibus illis tunc existentem, ac Capellanum Majorem eorumdem Regis, et Reginae consilio existentem per eos ad id deputandum, bene, et diligenter, an sint verae literae Apostolicae, visae, et inspectae fuerint ». Si enim *Hispaniarum* Regibus in more positum fuisset, ut Apostolicas Constitutiones suo examini subjicerent, nunquam id ab *Alexandro* postulassent, sed suo jure quemadmodum in aliis, ita in his quoque Apostolicae Sedis litteris usi fuissent; multoque minus in legibus, quas de hujusmodi indulgentiis ediderunt, earum cognitionem vi *Alexandrinae Constitutionis* praecepissent (**). *Lusitani* quidem consuetudinis, quae in Schismate obtinuerat, retinentiores fuere; sed posteaquam Innocentius VIII. a. **1486**. *Iohannem* Regem de illa abolenda graviter monuit " Ipsas *Innocentii* ad Regem litteras adcipe — *Johanni Portugalliae* Regi illustri — *Innocentius* etc. Carissime etc. Olim fel. record. Sixtus Papa IV. Praedecessor noster immediatus per suum Nuntium, deinde per proprium Cursorem, Celsitudinem tuam monuit, ut revocaret quaedam statuta, quibus nonnulli Reges *Portugalliae* jamdudum contra libertatem ecclesiasticam usi fuerant, ipsaque Celsitudo tua tunc utebatur: Cui cum Majestas tua respondisset, missuram se super his ad eum, supersedit in ulteriore provisione Praedecessor noster praedictus. Post paucos postea dies diem clausit extremum. Nos vero, quibus in ea re nulla alia excusatione, aut informatione opus erat, quippe qui statuta praedicta, dum in minoribus essemus, experti fuimus, caussam, sanctumque propositum Praedecessoris nostri praefati, audito adventu Oratorum tuorum, ex quibus statuta praedicta jam revocata fuisse intelligere sperabamus, prosequi, ac continuare distulimus.

Quum vero coram Nobis Oratores praefati fuere, nihilque in mandatis ad Nos a te in hoc se habere dixerunt, doluimus profecto pro gravitate rei, pro conscientia tua, pro expectatione nostra: doluit ipsum quoque sacrum *Romanorum* Cardinalium Collegium. Neque potuimus (credat Nobis Majestas tua) sine difficultate ipsum Collegium adducere, ut differremus in re tam aperta contra ecclesiasticam libertatem pro hujus Sanctae Sedis, ac nostro honore providere, quod Oratores praefati ad tuam Serenitatem reverterentur, ipsam de nostra ac Sacri Collegii praedicti mente, justitia, atque honestate verbo plenissime informaturi, qui interfuerunt, et audiverunt in secreto nostro Consistorio, quam gravia, et detestanda statuta haec ipsi Collegio visa sunt: Neque possumus, fili carissime, satis mirari, quod Reges *Portugalliae*, quorum plurima exstant pro fide Christi egregie gesta, qui inter alios *Catholici* appellari volunt, non formident Censuras, ac poenas in Bulla, quae in *Coena* Domini in eos, qui talia audent, publice, ac quia ignorantiam praetendere

(*) Traité de l'abus lib. I. cap. IV.
(**) Vide ipsam legem apud Alphonsum Azevedum T. I. lib. 5. tit. 6 leg 37.

possit, legi consuevit, contentas. Quia vero ideo Nos Deus, licet immeritos, Ecclesiae suae Sanctae, ac huic Sanctae Sedi praefecit, ut ejus honorem, dignitatemque tueamur, vigilemusque super commissum nobis Gregem: hortamur Serenitatem tuam, quam ex corde diligimus, monemus, atque requirimus (jam enim non dolemus solum, sed compatimur tot afflictis, qui ad Nos clamant, quod litterae Apostolicae in Cancellaria tua retinentur) districteque (quoniam ignorantiam Majestas tua adlegare minime potest) in virtute sanctae obedientiae praecipiendo mandamus, ut statutum illud, quod continetur, ne quis Tabellio, aut Notarius etiam Apostolicus cuique Judici, aut personae ullas literas Apostolicas, publicare, intimare, aut praesentare, nisi primo impetrata a tua Celsitudine licentia, audeat, addita poena, si instrumentum, quod eas praesentaverit parti, ad quam spectat, quovis modo dederit: aliud praeterea, cujus vigore Officiales tui litteras (quas vulgo *tuitivas* appellant) in caussis beneficialibus concedere, ac de dictis caussis se intromittere praesumant, revocet, casset, irritet, et annullet. Ut autem intelligamus, quid Oratorum tuorum reditus, quid monita nostra profuerint, sciamusque quid acturi sumus, tuamque, cujus etiam rationem reddituri sumus, conscientiam spectet, volumus, ut infra sex mensium spatium a die, quo Oratores praedicti ad tuam Celsitudinem redierint, computandum absque ulla dilatione, aut mora Nos per litteras, aut nuntium certiores tua Majestas reddat, quod dicta statuta revocaverit, ac cassaverit, ut praefertur: sin minus causa jamdiu commissa est; pendet adhuc; fuit saepe tua Celsitudo monita: Expectamus plus fortasse, quam debemus: prout de jure procedere, et providere necesse Nobis erit. Datum *Romae* apud Sanctum *Petrum* etc. die 3. Februarii 1486. anno secundo ". Piissimus Rex, ut ait in ejus Chronico *Garcias* de Resende, per ubbidirli come Principe Cattolico, e per compiacerli fece tutto, come lo mandarono a chiedere. Di che il Papa, ed i Cardinali ebbero molto piacere, e molto contento, e con molte lodi li mandarono a render molte grazie, e di poi sino al presente si è fatto così " Hinc intelligis, qua fide haec omnia *Febronius* dissimulaverit, dum ait (t. 1. p. 741.) — Quum anno 1486. *Johannes II. Lusitaniae* Rex ad instantiam *Romani* Pontificis usum videndi, et examinandi litteras Apostolicas abolere proposuisset, Status Regni sese opposuere, remonstrantes « non licere Regi talejus a se abdicare in praejudicium Regni, et subditorum »; ita referente Augustino Manuel in vita Johannis II. Lib. IV. — Regni quidem Proceres *se se opposuere*; sed frustra; quod *Febronius* callido silentio praeteriit".

Politicorum deinde artibus effectum est, ut quod ob schismatis caussam coeptum erat, eo deinde sublato intermissum, apud multas gentes revocaretur. Haec Regii Placiti initia sunt, obscura illa quidem, nec satis gloriosa; et ea tamen, ut nisi caeci omnino esse velimus, nihil illud ad Regiae dignitatis constitutionem spectare videamus. Quis enim sibi umquam persuadeat, saeculo primum quarto decimo inclinante, iterumque, inbente saeculo XVI. alibi etiam serius, Reges, Principesque sua jura cognovisse; ceteros praeteritorum saeculorum Imperatores, Reges, Aulicos, tam bardos fuisse, ut quod praecipuum quoddam Majestatis decus, atque adeo praesidium esset, aut ignoraverint, aut etiam neglexerint? Sed ad Zallweinium redeamus.

« Res profecto mira, quod solae leges Ecclesia- 5
» sticae, et Bullae Pontificiae tam sint periculo-
» sae, ut *Placito Regio*, et judicio Politicorum
» subjacere debeant, qui bonum Ecclesiae parvi
» habentes, solum bonum politicum ex principiis
» non raro Pseudo-Christianis, et rationibus fu-
» tilibus, saepe saepius a sinistra passione agitati
» ob oculos habent. Quaeso, si Imperatores eccle-
» siastici, quos *posuit Christus regere Ecclesiam*
» *Dei*, suum quoque *Placitum* urgerent, quoties
» Decreta emanant Politica, quae non raro Statui
» Ecclesiastico sunt praejudiciosa, libertatibus Ec-
» clesiae inimica, jurisdictioni Pontificum, et E-
» piscoporum adversa, immo aliquoties ipsa San-
» cta Sanctorum invadunt, quid dicturi forent?
Quod heic *Zallweinius* pseudopoliticis objicit, multo ante illum animadverterat insignis apud *Lusitanos* Canonum Doctor *Oliva*, cujus haec sunt (*).
« Etiam Summus Pontifex posset per Constitu-
» tionem generalem praecipere, ut nullum rescrip-
» tum gratiae impetratum a Principe saeculari
» exequutioni demandaretur, nisi prius apud Epi-
» scopos praesentetur, et examinetur, utrum con-
» tra Ecclesias, seu jura earum, vel Sedis Aposto-
» licae, aut in praejudicium spiritualis potestatis,
» aliquid contineat, quia non minor, sed major
» est ejus potestas ad hoc, quam Principis Saecu-
» laris ad illud. Verum heu! pergit *Zallwein*. quid-
» quid contradicant Episcopi, reclament Pontifi-
» ces, cedendum est paepotentiae Magnatum. So-
» la *ratio status* politici instar imperiosae *Sarae*
» dominatur: dum e contra *Ratio Status Ecclesia-*
» *stici*, velut humilis *Agar* servire cogitur.

Sed ne quis Zellweinium Romanis partibus hac 6
saltem in re nimis addictum fuisse obgannuat, in medium adferam quae celebres duo *Belgae* Doctores de eodem argumento tradiderunt. Primus prodeat Franciscus Zipaeus (**). Quaerit ille, an *Constitutiones Apostolicae in Belgio effectum habere non possint, nisi praevio Principum Placito?* Quid autem respondet? » Profecto, inquit, si res, » ut se habet, examinetur, ad nullius Constitu- » tionis, legisve Ecclesiasticae promulgationem » placito principali opus esse judicabit, qui non » ex praejudicata aliqua opinione, sed ex vero

(*) De For. Eccles. part. 1. q. 22. n. 19.

(**) Analys. Iur. Pontif. lib. 1. Tit. Constitut. Tom. II.

» statuere volet; nulla enim edicta id mandant » quoad Leges, Constitutionesve Apostolicas, sed » quoad rescripta tantum privatis data, eaque non » omnia, sed beneficialia tantum. Quae enim re» periuntur in libro edictorum sub rubrica *de* » *causa beneficiali*, omnia tam narrativis verbis, » quae impulsivam, et finalem caussam earum » Constitutionum continent, quam dispositivis, » sonant de provisionibus beneficialibus ». Quam in rem edicta suae Regionis, Pragmaticasque Sanctiones accuratissime percenset. Addit mox: » Saltem ex his liquidum est, edicta ea omnia » nonnisi ad Beneficialia, et abusus circa ea por» rigi, non vero ad cursum impediendum Consti» tutionum Apostolicarum, quae pro salubri regi» mine Ecclesiae maturis, et repetitis deliberatio» nibus ad tollendos abusus cum magno decore » Domus Dei, incremento Politiae Ecclesiae, et » augmento justitiae saecularis promulgantur. Be» neficialia porro diplomata supreptione, gratia, » et sordibus saepe obtinentur, ut incommoda in » in his frequentia esse possint, non in illis, adeo» que dispar de utrisque est ratio judicandi. Sic » qui historias nostras scripserunt, de inhibitioni» bus hujusmodi circa beneficialia meminerunt, » neque ulterius. In rescriptis sane justitiae, quae » nec complectitur Edictum anni 1574., dispen» sationibus matrimonialibus super aetate, aliis» que Ordinum Sacrorum impedimentis, et simi» libus, nec usus quidem, seu petendi placiti praxis » obtinuit, ut sit hactenus post integrum saecu» lum a primis edictis lapsum, et amplius ne qui» dem in Concilio *Brabantiae* esse videtur formu» lare placiti aliud, quam pro Bullis Beneficiali» bus. — Pergit Zypaeus: — At vero nonnemo di» cet; usus habet, ut Placitum pro quocumque di» plomate petatur. Jam in principio dixi, me se» ponere praejudicatum hunc, si non errorem, at » opinionem: Et disputare, an edictum aliquod » sit, quod hunc usum firmet, et non esse demon» stravi. Sed quod plerique, qui *Roma* aliquid ac» cipiunt, placitum petant, fit, quia ad nomen Fi» sci, et minas ingentium mulctarum omnes pri» vatim horrent, nec ob sumptum paucorum au» reorum, quo placitum petatur, evitandum, volt a» liquis quaestionem universalem, seu omnium, » sui privatam solius facere; disputare, inquam, » num egeat placito, an non? Sed haec singulo» rum in re sua agendi ratio ipsi universae juris» dictioni Ecclesiae praejudicium inferre non po» test.: ut et tota petendi placiti ratio, si non fit » in gratiam, non praejudicium Ecclesiae, atque » Reipublicae, omni jure, ratione, atque potesta» te destituitur. — En igitur, ut exigendi Regii » Placiti ratio in Belgio non innitatur sacrae auri » fami, quam recentiores quidam in Romana Cu» ria tantopere execrantur ". Equidem scio aliter *Van-Espenio* visum fuisse. Ita enim ait (de Promulg. leg. p. II. cap. 1. § 1.). — « Unius vero re» gii placiti usus super diplomatibus, Bullis, et » rescriptis e Curia *Romana* emanantibus, adeo » notorius jampridem apud Belgas fuit, ut et ex» teri Scriptores de hoc, tamquam de re notoria, » scribant: Atque inter alios *Ludovicus Guicciar*» *dinus* nobilis *Florentinus* in descriptione *Belgii* » de hoc usu ita scribit; Quod ad res ecclesiasticas » attinet, easdem fere habet cum Pontifice Maxi» mo Princeps in hac ditione conventiones, quas » in Regno Galliarum Rex; nec Beneficium ullum, » nec gratiam potest conferre, aut expedire in hanc » Terram diplomata, aut quid aliud tale, quod effe» ctum sortiatur absque Principis, vel Conciliarum » ejus placito, atque consensu —. Idque etiam Hu» berti Loens, et Bertrandi Loth testimonio confir» mat —. Verum mendacia mendaciis Espenius adglomerat: *Loensius* enim, et *Lothius* nonnisi de Beneficialibus diplomatibus, quemadmodum *Zypaeus*, loquuntur; ipse contra, ad omnes Apostolicas Costitutiones regio Placito subjiciendas, eorum utitur auctoritate. *Conventionem* deinde indicat, quae nulla unquam fuit, nec esse potuit. Quis enim *Romanos* Pontifices tanta sibi fingat animi imbecillitate, ut generale ejusmodi privilegium, quo omnes plane Apostolicae Sedis Constitutiones, ne dogmaticis quidem exceptis, a Regiis Ministris examinentur in maximam ejusdem Sedis contemptionem, disciplinae infirmationem, Fidei ipsius periculum, indulgeant? Deinde si id conventione pactum, quid ergo ex regio jure idem Placitum *Van-Espenius* adcersit? Tandem qui factum, ut *Guicciardinium* hujus rei testem appellet, quem falli incompertum habere non potuit? Easdem fere habere *Belgii* Principem cum Pontifice Maximo conventiones *Guicciardinius* ait, quas in Regno *Galliarum etc.*; tum addit, nec Beneficium ullum, nec gratiam potest (Pontifex) conferre etc. Atqui Beneficialia diplomata ea cum primis sunt, quae in *Galliis* a Regio placito immunia esse, ac semper fuisse constat; extantque eadem diserta *Parisiensis* Senatus decreta 9. Maj a. 1703. Confer *Hericourtium Leg. eccles. Gallic. T.* 1. *cap.* XV. §. 7. et opus antea indicatum, inscriptumque *Ragioni della Sede Apostolica etc. tom.* 1. *par.* II. *pag.* cxii. vel ergo non easdem sunt conventiones, vel (quod *Belgae* negant) Beneficia poterit Pontifex in *Belgio* quoque, quemadmodum in *Galliis*, conferre, quin Placitum Principis ad munienda illorum diplomata postuletur. Viden? quas in ambages consulta quaedam temeritas, ac *Romanae* Sedis proculcandae libido *Van-espenium* conjecerit? Sed ut *Van-espenius* manifestius refellatur, libet exscribere, quae *Eustachius Jansenius* in Epistola altera ad *Jo. Christianum Erkelium Coloniae a.* 1713. edita hanc in rem adcurate congessit (cap. xvii. pag. 274. et seqq.)

» Imploratum est, inquit, aliquando auxilium » Brachii saecularis ad coercendos refractarios Bul» larum dogmaticarum, sed non requisitum *Placi*» *tum* ad earum promulgationem, ita *Morillonius* » ad Cardinalem *Granvellanum* scripsit 21. De» cemb 1567. agens de Bulla Pii V. contra Ba-

» jum. J' en ay parlè à M. des Bavon, à fin qu'il » soit prevenu, si n' avanture opus esset brachio, » n' estant aucunement besoin in iis, quae sunt justitiae d' aucun Placet.

» Episcopus *Tornacensis* 7. Jan. ad Inter-Nuntium ita scripsit: « Decreta Sacr. Congr. Spectantia ad librorum prohibitionem, semper fuisse » continuo publicata, et in lucem edita, numquam » viso placito Regio.

» Archiep. Camer. 9. *Octobr.* 1643. Decretum » (sit) Sedis Apostolicae, quo errores D. Michaelis Bay olim condemnati sunt, fuit sine litteris » Placiti regii publicatum.

» Engelbertus Episcopus Namurcensis anno » 1643. 8. Octobr. haec ad Internuntium scripsit » — Ad hanc diem SEMPER VIDI LIBERE PUBLICARI » Bullas absque Placito, quae Apostolicas Beneficiorum provisiones non concernunt. Non capio, » qui nonnulli velint, vel possint sustinere opus » esse Placito pro publicatione Bullarum, quae mere » dogmatica fidei continent, quas certum est hactenus indiscriminatim, et sine contradictione » fuisse per totum Belgium publicatas, receptas, » uti fuere Piana, et Gregoriana, de quibus est » sermo —.

» Archidiac. Namurc. 26. Julii 1658. La Bulle » Jansenius a icy etè pubbliée avant aucum Placet.

» Antonius Triest Episcopus Gandavensis 1653. » ad Leopoldum Archi-ducem scripsit: le Placet » ne doit avoir lieu, si non es provisions beneficiales.

» Unde Consilium Status in Consultatione 29. » Octobris 1647. signata Boisschot vidit, ita habet: Respectu Placiti sua Majestas a duobus circiter annis decidit Matriti hanc difficultatem, cum » matura causae cognitione, et postquam jussisset » videri, et examinari consultationes horum Consiliorum (Privati, et Brabantini) super illa re » declarande, quod pro hac Bulla (Urb. VIII. in » Eminenti, in qua prohibetur liber Jansenii) » concernente pure articulos Fidei, et Religionis, » non foret opus Placito.

» Difficultate iterum mota circa pubblicationem » Decreti die 6. Sept. 1657. supra relati: Rex » Catholicus Philippus IV. ad Marchionem de Caracena, tum Belgii Praefectum rescripsit his » verbis. Mon Cousin: ayant veu votre lettre du » 3. d' Avril dernierement passè responsive à la » mienne du 1. Fevrier antecedant, sur les plainte du Nonce de sa Sainteté, concernant la publication d' un Edict' de sa dite Sainteté prohibitif des certains livres, et ecrits de la doctrine » condannée de Jansenius avec le deux consultes » Des Conseils Privé, et de Brabant jointes à votre » aite lettre, et le tout bien consideré, attendu » même, que la matiere, dont il s' agit est purement dogmatique, n' estants les Placets requis, » qu' en matiere Beneficiale, et litigieuse entre » Parties, j' aybien voulu faire cette, a fin que » sans sortir du stile, de ca que par de la s' est » accoutumé de faire en autres occasions de semblables matieres, vous permettiés, quele dit edict » soit publié, de la même sorte, que par mon ordre » ont eté publiées les autres Bulles de sa Sainteté » touchant les livres de Jansenius. A tant mon » Cousin, Dieu vous ait en sa sainte garde. De » Madrid, le 13. de Juin 1659.

Quid adhuc quaeritur?

Haec declaratio, in qua non recte dicitur (quod Regi Catholico fuerit obreptum) prorsus peremptoria est. Supremus Monarcha declarat, Placita non » requiri, nisi in materia beneficiali, et litigiosa » inter partes; idque non leviter, sed praevia consultatione Consilii privati, et Brabantini, et » praemissa matura deliberatione le tout bien considerè: insuper rationem addit: Attendu que la » matiere, dont il s' agit, est purement dogmatique. Ex quo conficitur, non solas definitiones Fidei, sed et proibitiones librorum (quale » hoc decretum erat) ex declaratione Regis censeri Bullas dogmaticas, et exemptas a Placito. » Denique decernit, ut permittatur Decretum 5. » Septembr. 1657. pubblicari; de la même sorte, que par mon ordre ont eté publiées les autres Bulles de sa Sainteté touchant les livres de » Jansenius. Adeoque ejus Defensoribus nullum » ex hac parte superesse effugium.

» Iterato Rex Philippus scripsit anno sequenti » 12. Augusti 1660. ad eumdem Belgii Gubernatorem: Quum tibi scripsissemus 31. Julii anni » proxime elapsi ad instantiam ejusdem Nuntii, » prebere me, ne impediretur publicatio dictae » Bullae, eo quod esset in materia dogmatica, in » qua materia censui Opus non esse Placito, atque » ut dicto Internuntio, et favorem, et operam impenderes, qua publicatio opus haberet.

» Porro Belgii Gubernator ad Consilia ita scripsit: visis, ac per suam Majestatem examinatis, » quae ex opinione vestra exhibuistis de publicatione Constitutionis suae Sanctitatis, qua prohibentur nonnulla Folia, tractatus, et scripta spectantia ad quinque Propositiones damnatas ex » doctrina Episcopi Jansenii: Significamus intentionem suae Majestatis non esse, ut ipse expressis » verbis suis nobis scripsit, ut velit ad publicationem Constitutionum Dogmaticarum a Sua Sanctitate emanatarum necessarium esse litteras Placiti obtinere. Quare cum sufficienter appareat, » dictam Constitutionem dogmaticam esse, ordinamus nomine, et ex parte suae Majestatis, ne » moveatis, aut interponatis difficultatem quamcumque adversus publicationem illius Constitutionis, aut aliarum, quae ejusdem naturae se possent offerre, quum visae, et cognitae fuerint esse » tales: Atque interea etc. Bruxellis 10. Decreto. 1659.

» Propter hanc postremam clausulam: Quum visae, et cognitae fuerint esse tales, vuès, et reconnuées être telles (quae tamen non habetur in ipso » Decreto Regio supra relato, sed heic in Belgio ad-

» dita est) usus habet, ut Bullae Pontificiae exhibeantur Ministris Regiis, qui dispiciant, an aliquid contineant juribus Regiis, aut Patriae privilegiis adversum, quo cognito, absque ulla signatura de *visa*, aut alio diplomate, quod proprie » *Placetum* vocant libere publicantur.

» Multum autem interest inter inspectionem, » et *Placetationem:* ista nullam in ipsam Bullam auctoritatem tribuit, sed meram ingerit notitiam; » sic inspiciuntur Officialium institutiones, legatorum credentiales adventantium, seu transeuntium patentes, vel salviconductus, etsi inspicientes nullam de illis scriptis dispositionem habeant. » *Placetum* vero est quasi confirmatio decreti, » quae et dependeret a voluntate placetantis, et » sine qua Decretum nullius foret roboris, quod » in dogmaticis locum habere non potest.

Stochmansium nunc, et Van-Espinium, per me licet, Febronius appellet, nihil equidem illorum bono sensu movebor, quos mendacii tot monumenta redarguunt.

7 Alter *Belga Peckius* est, insignis olim in magno Belgii Consilio Consiliarius : acrius iile in hanc consuetudinem invehitur his verbis. Quam consuetudinem, et multas alias ejusdem farinae non posse jure satis defendi puto, et quae libertati Ecclesiasticae plurimum adversantur, et proinde non valent apud justos, et Catholicos Judices « qui timorem Domini habent, licet forte valeant apud eos, apud quos quidquid jubet, licet, et qui Ecclesiam oderunt, eamque Principibus Saecularibus libenter in omnibus subjicerent, confusionem passuri (arrigant hic aures adversarii, et totis artubus contremiscant) in magno illo die, quum ad judicandum eos veniet, cujus sponsam heic contempserunt, et injuria adfecerunt ». Hinc vel ipsi celebriores apud *Hispanos* Regiorum jurium Propugnatores *Franciscus Salgado, et Didacus Covarruvias* eam consuetudinem emollire student, cavendumque summopere ajunt, ne, nisi arctissimis circumscribatur limitibus, in maximum cedat animarum discrimen (*). Immo *Cenedo*, etsi Placitum Regium Reipublicae utilissimum praedicet, non tamen illud in Regia jura referre audet, sed optimum fore ait, si Principes ab Apostolica Sede *Privilegium* impetrarent, ut *literae, citationes, et aliae omnes Bullae obtentae a Romano* Pontifice, antequam exequutioni mandentur in partibus, examinentur a Regis Tribunalibus (**).

8 Neque Adversarii tantam istorum in Regio Placito non tam circumscribendo, quam metuendo consensionem contemnant. *Romanum* enim Pontificem in omnibus Christiani Orbis ditionibus, atque Provinciis jus pascendi gregem sibi a Christo creditum exercere liberrime posse, quin politicae jurisdictioni obnoxius sit, inficiabitur nemo, qui divini Primatus finem perspectum habeat. An *Petro* dictum a Christo « pasce oves meas, quo loco et quoad tibi per Principes, eorumque Magistratus licuerit ? » Minime vero. Nulli heic limites *Pasce oves meas.* Num *Petro* dictum « Quodcumque, Principibus, eorumque ad-Ministris indulgentibus, ligaveris super terram, erit ligatum et in Caelis? » Nihil minus : « Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum, et in Caelis »; generatim, et indefinite dictum. Neque vero aliter fieri potuit, quam id bono unitatis fuerit constitutum. At si Apostolicae Constitutiones non ante vim, effectumque sortiri possent, quam a Principibus probarentur, ubi illa gregis Christiani pascendi libertas? Ubi illa *quodcumque ligandi* potestas, quam Christus in *Petro Romanis* Pontificibus contulit, adseruitque? Praeterea quis non intelligat, posita hujus *Placiti* necessitate, Ecclesiasticam Potestatem Politicae subdi? Quum tamen Politicam potius in iis, quae ad spiritnale regimen spectant, Ecclesiasticae obnoxiam esse, quae superiore capite adtulimus, Patrum, Pontificumque testimonia doceant, et ratio ipsa consentiat? Sed et ipsa imperantium in Placito Regio exigendo dissensio quantis sacram potestatem angustiis premit. Altero in Regno Beneficialia diplomata Principis consensum praestolantur : in altero Immunia haec sunt, non alia : apud *Gallos* ex Regio edicto a. 1639. Pontificia diplomata Episcopis exhiberi deberent, qui ad Regem de illis intra triduum referrent; in *Hispaniis* Regio Praetori, ita tamen, ut si hujus auctoritate eorum exequutio quandoque differtur, ac suspenditur « Maximus Christi Vicarius, Covarruvia teste, (***) interim certior fiat, quot, et quantis afficiatur incomodis, et gravaminibus Respublica ista propter multa, quae ab ipso falsis precibus, et suggestionibus impetrantur, quae minime Sanctissimus Pontifex esset concessurus ». Saepe saepius Regum Administri quasi vadum tentaturi, exiguum quid juris sibi deposcunt, ad summa mox convolant. *Huc spectat, quod a. 1596. ad *Olivarium Neapoli* Proregem Clemens VIII. scribebat, esser tanto lontano dal vero, che l'*exequatur* sia immemorabile, che si sa benissimo il principio, e quando fu principiato, che colore gli fu dato, e con che occasione. Si sa, che il principio fu per le Chiese Cattedrali sole; si sa, che prima non si notava: si sa quando si cominciò a notare, prima in una cartuccia, e poi come si sia andato dilatando da' Ministri, e da' Consigli, i quali se avessero l' occhio solo a quello, che conviene, e non a dilatare sempre le fimbrie in pregiudizio della Giurisdizione Ecclesiastica, *non laboraremus.* *— Quid interim in tanta morum diversitate agant *Romani* Pontifices? Quam ineant viam, ut Apostolico muneri satisfaciant? Et

(*) Adi Salgadum *de Supplic. ad Sanctiss. par. 1. cap. II. num. 27 seqq.* et III. itemque de *Reg. Protect. par. 2 cap. 2. num. 15. Didacum vero Covarruviam in quaestion. practic. q. 35. num. 6.*

(**) In collect. n. v. de decretal.

(***) Quaest. practic. q. 35. n. 6.

credemus Christum Ecclesiae suae regimen plane incertum non tam Pontificum, quam laicorum hominum voluntati dimisisse? Male enimvero de Christo, ejusque in Ecclesiam suam studio sentiat, oportet, qui secum ita statuat. At Christo rei quoque publicae tranquillitas cordi esse debuit. Quis negat? Verum quid illa periclitetur, nisi in Apostolicas Constitutiones imperium Principes exerceant? An non satis illi consultum, si imperantibus liceat, quemadmodum certe licet, si quid discriminis jure metueatur, Episcopos in consilium vocare, auditisque illorum sententiis, *Romanum* Pontificem de iis, quae timentur, incommodis certiorem facere, atque ab illo expectare praesidium?

9 Sed nimirum, ut cum Zallweinio hanc Disputationem concludam (*) — « si tantum haberent cu» rae zelantes isti pro decretis politicis, ne in bo» num publicum impingant, quantum pro decretis » ecclesiasticis, longe melius consultum feret *Ra» tioni Status Politici*. Si modo aliqui Politici, de » quibus pene certi sumus, quod in nulla alia re » tantum curae, et diligentiae impendant, quan» tum in excogitandis rationibus externe specio» sis, interne occulto veneno plenis; quatenus » hoc modo potestas Ecclesiastica infringatur, et » e contra Politica amplietur, hanc, vel illam le» gem Ecclesiasticam, decretum, et prohibitio» nem Pontificiam in Rationem Status Politici im» pingere asserant, satis est, ut ipsorum judicium » velut Oraculum Delphicum adoretur ».

De his plura vide in Opere saepius citato, quod 10
praenotatur — *Ragioni della Sede Apostolica T.* 1. p. 1. — tum etiam apud Cardinalem *Althan* in Opuscolo inscripto: « Rappresentanza alla M. C. e C. di Carlo IV. sopra la moderna pretensione del Regio Collaterale di voler esaminare, e dare il regio EXEQUATUR ad ogni genere di Bolle, e Lettere della Sede Apostolica, — Et illustrissimum *Bellugam* in libello supplici ad *Philippum V. Hispaniarum* Regem (*§. IV. n.* 53. *seqq.*). Quibus addi potest Brascbius de libertate Ecclesiae (T. 11. cap. 37. seqq.) et *Zachariae Antifebronius vindicatus* (T. IV. Diss. XII. cap. 2.).

PLAGIUM

SUMMARIUM

1. Plagium quid quid sit? — 2. Qui tale crimen committunt, plagiarii appellantur. — 3. Plagiarii unde dicti? — 4. Tale crimen, si homo, qui subripitur, sit sui Juris: non est proprie furtum. — 5. Si autem persona, quae subripitur, est adhuc sub patria potestate constituta, verum furtum est. — 6. Et inde patri actio furti competit. — 7. Talis autem actio furti non competit Matri. — 8 Poena plagii olim erat pecuniaria. — 9. Hodierno autem Jure est poena mortis. — 10. Plagii crimen committunt illi, qui modica pecunia data, vel fraudulentis suasionibus incautos alliciunt Juvenes ad se adscribendum militiae. — 11. Subnect. Addit. ex al. man. *ad n.* 15.

1 Plagium est crimen publicum, quo quis dolose subripit hominem liberum, vel servum alienum, sive detineat illum vinctum, aut celet, vel ei suadeat, ut a Patre, vel Domino suo aufugiat, sive vendat, donet, permutet, vel alio contractu, quo dominium rerum transfertur, aliis tradat, *l.* 1. *cum seq. ff. et Cod. ad l. Fabiam, de Plagiariis.*

2 Hinc, qui tale crimen committunt, Plagiarii appellantur, *cit. l.* 1. *cum seq.*, *ff. et Cod. ad Leg.*
3 *Fabiam*, *de Plagiariis*. Et Plagiarii dicti sunt *a Plaga*, quia Patri, et Domino magna plaga infligitur, dum ipsis liberi, et servi subtrahuntur, et surripiuntur, quo casu committi dicitur furtum, et Plagium, juxta text. *in §. Interdum. Institut. de obligat. quae ex delict. nascuntur*, et observat Cotta *in Memor. verb. Plagiarius fol.* 450. Ursaya *Instit. Criminal. l.* 2. *tit.* 8. *n.* 216.

4 Tale crimen, si homo, qui subripitur, sit sui Juris, non est proprie furtum, quia libera persona sub nullius est dominio; *l. Item Juris, Institut. de*
5 *inutil. stipulat.* Si autem persona, quae subripitur, est adhuc sub patria potestate constituta, verum furtum est; *§. Institut. de obligat, quae ex delict. nascuntur.* Et inde Patri actio furti com- 6
petit: *l. Eum qui* 14. *§. Si filius familias* 13. *ff. de furtis*, ibi: *Si filius familias subreptus sit, patrem habere furti actionem, palam est:* et idem repetitur *l.* 37. *ff. eodem.*

Talis autem actio furti non competit Matri, ut- 7
pote potestate in prolem carenti; *l. Mater filii* 38. *ff. eod. de furt.* ibi: *Mater filii subrepti, furti actionem non habet.*

Poena Plagii olim erat poena pecuniaria, *l. final.* 8
ff. ad Leg. Fabiam, de Plagiariis. Hodierno au- 9
tem Jure est poena mortis, *cap. Qui furatur* 1. *de furtis*, ibi: *Qui furatur hominem, et vendiderit, convictus, morte moriatur*, juxta *l. Quoniam* 7. *et l. final. Cod. Ad Leg. Fabiam, de Plagiariis.*
Plagii crimen committunt illi, qui modica, pecu- 10
nia data, vel fraudulentis suasionibus incautos alliciunt juvenes ad se adscribendum militiae, ut observat Amenus *de delictis, et poenis tit.* 3. *§.* 6. *n.* 36. ubi, quod id practicari vidit in Urbe pro cujusdam Principis servitio, sed seditione facta, opus fuit ad illam sopiendam captos pristinae li-

(*) Lib. I. p. 378.

bertati restituere, et refert etiam Ursaya *loc. cit.* n. 219. Quod, et novissime accidisse anno 1738. refertur.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

11 Ridiculus fere semper *Auctor* est, dum etymon nominis tradit; et maxime hic ridiculus est, qui « Piegierii (inquit) dicti sunt a plaga, quia Petri, et Domino magne plaga infligitur, dum ipsis liberi, et servi subtrahuntur ». Vide, si lubet de etymologie hujos vocis « Antonium Mattheeum de. crimin. tit. de Leg. Fabia, de Piegier. cap. 1. n 2. »

12 Iliud hic non omittendum, quod is, cujus consilio plagium commissum est, plagii non tenetur. Non adversatur, quod qui Piegiario in aliqua re socius est, et ipse Piagiarius sit; *leg. penult. §. ultim. ff. de Leg. Fab. de Plagiar.* « Socium enim (ut recte iequit Antonius Mattheeus ubi supra n. 4.) intelligere debemus, noe qui consilium dumtaxet dedit, eut scales forte commodavit, sed qui societetem sceieris contraxit, et in ipsa suppressione socius fuit ».

13 Nec refragatur, quod piegiarius sit, qui servo alieno persuasit, ut e Domino fugiat; Dum enim dicimus, piagii non teneri eum, cujus consilio piegium commissum est, intelligimus, si consilium detum Tertio sit, non item si consilium servo datum sit: *Anton. Matth. ibid.*

Responsio Auctoris.

Oh si adhuc in vivis degeret celeberrimus Ad- 14
vocatus Ursaya, ex quo dictam etymologiam desumpsi, certe pro sui defensione ostenderet, quinam magis dicendus esset ridiculus, an ipse, seu potius, qui aliorum plecita carpit, et injuriosis verbis Auctores ipsos lacessit. Mihi tantum liceat 15
repetere hic, quod immortalis memoriae Pontifex Benedictus XIV. contra hujusmodi conviciatores hebet in *Praefatione tom 1. de Synodo Dioecesana*, §. *porro*; ibi: « nihil contumeliose jecentes in alios, quantumvis ab opinione nostra longe dissentiant. Id enim homini christiano indignum, et honesto viro indecens existimemus, neque vero minus valide unumquemque sententiam suam tueri posse censemus, si ab aliorum contemptu, ec injuria abstineat ». Sed et audiatur laudatus Pontifex in sue Constitutione iecip. *Sollicita, ac provida*, §. 23. sic praecipiens: « Cohibeatur itaque ee Scriptorum licentia, qui, ut ajebat S. Augustinus lib. 12. Confess. cep. 25. n. 33. sententiam suam amantes, non quie vere est, sed quia sua est, aliorum opiniones, non modo improbant, sed illiberaliter etiem notant, atque traducunt ».

POENA

ARTICULUS I.

DE POENIS IN GENERE.

SUMMARIUM

1. Poena quid sit? — 2. Poena est mensura culpae. — 3. Regulariter sine culpa nemo punitur. — 4. Interdum tamen ob publicum bonum punitur quis sine propria culpa. — 5. Poena, et mulcta quomodo distinguantur? — 6. Quomodo distinguantur poena, et poenitentia? — 7. Poena alia est Civilis, alia Criminalis, alia Legalis, alia Judicialis, et quae singulae sint. — 8. Poena Criminalis subdividitur in capitalem, et non capitalem, et quae utraque sit? — 9. Poena Criminalis alia est corporalis, seu corporis afflictiva, alia pecuniaria, alia temporalis, et alia perpetua. — 10. Poena in genere alia est ordinaria, et alia extraordinaria, et quae utraque sit? — 11. Item alia est latae, et alia ferendae sententiae, et quae utraque sit? — 12. Assignantur quinque regulae ad cognoscendum, an poena sit latae, vel ferendae sententiae. — 13. An quando Lex utitur verbis imperativi modi, quae afficiunt immediate ipsam poenam, sit latae, vel ferendae sententiae: multi volunt, quod sit latae. — 14. Plurimi alii tamen sustinent, quod sit solum sententiae ferendae. — 15. Affertur responsio ad auctoritates pro prima opinione adductas. — 16. Poena, seu Lex poenalis sententiae ferendae non obligat ante sententiam Judicis. — 17. Poena, seu Lex poenalis latae sententiae in iis, quae aliam executionem externam non requirunt, obligat in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis. — 18. Poena, seu Lex poenalis latae sententiae in iis, quae externam executionem requirunt, non obligat in conscientia ante Judicis sententiam declaratoriam de crimine commisso, nisi Lex in specie addat clausulam: *alia etiam declaratione non secuta.* — 19. Immo, secundum plurimos, etiamsi Lex addat talem clausulam: *alia etiam declaratione non secuta*, vel simile, non obligat ante declaratoriam Judicis de crimine commisso, nisi in aliquibus poenis, quae assignantur. — 20. Declaratoria de crimine commisso requirit citationem partis, et ab ea dari potest appellatio. — 21. Adducitur, et solvitur instantia. — 22 Assignatur notabilis differentia inter sententiam condemnatoriam, et declaratoriam. — 23. Assignatur quomodo, non obstante clausula: *ipso facto incurrenda*, adhuc requiritur sententia declaratoria Judicis. — 24. Assignatur quomodo, non obstante clausula: *absque alia declaratione*, adhuc requiritur talis sententia declaratoria Judicis. — 25. Transgressores Legis incurrunt poenam illius, etiamsi talem poenam ignorent, exceptis tamen Censuris — 26. Judex inferior, regulariter loquendo non potest augere, vel minuere poenas a jure statutas. — 27. Id tamen potest Princeps Supremus. — 28. Et ex justis causis id potest interdum etiam Judex inferior. — 29 Assignantur justae praecipuae caussae, ex quibus Reorum poenae a Judice inferiori augeri possunt, *ad num.* 37. — 38. Assignantur justae praecipuae caussae, ex quibus dictae poenae minui possunt, *ad num.* 45. — 46. In poenis arbitrariis debet Judex procedere juxta qualitatem delicti, ut sic

poene crimini commensuretur. — 47. Stanta autem dubio, aut diversa juris intalligentia, Judex debet semper in mitiorem partem declinare — 48. Cum hoc tamen, quod circa Reos in gravioribus criminibus legitime convictos, non debet Judex uti nimia clemeotia. — 49 Poena unius metus est multorum. — 50. Poena imposita in foro conscientiae non liberat a poena imponenda in foro fori. — 51. Poenas pecuniarias, seu mulctas tenetur Episcopus applicare locis, et usibus piis. — 52. Poenae pecuniariae non sunt applicandae Fabricae, vel Sacristiae Ecclesiae — 53. Nec possuot applicari pro reparatione Palatii Episcopalis, aut Domus Vicarii Generalis. — 54. Nec ulla eorum portio potest ab Episcopo assignari Depositario earumdem, nec restaurationi carcerum Episcopalium, nec pro supplemento Salarii Musicorum Ecclesiae Cathedralis. — 55. Nec applicari possunt pro Vicario Curiae Episcopalis, aut salario Notarii, et Ministrorum — 56. Nec pro Procuratore Fiscali, Executoribus, ac Ministris Curiae. — 57. Nec pro Birruariis Curiae Episcopalis — 58. Nec pro expensis Tribunalis — 59 Nec potest Episcopus, etiamsi pauper, eas sibi applicare, non obstante contraria consuetudine — 60 Unde Episcopus vere pauper debet recurrere ad Sacram Congr. pro gratia talis applicationis. — 61 Et Episcopus in his Transgressor non est immunis a culpa mortali. — 62. Si concedatur Episcopo applicatio poenae pecuniariae pro Episcopatu, et Sacrario; quid intelligatur nomine ipsorum? — 63. Poenae pecuniariae delinquentium in una ex duabus Dioecesibus unitis applicandae sunt piis locis Dioecesis, cujus sunt delinquentes, et in pari necessitate pauperibus loci, ubi habitant ipsi delinquentes. — 64. Si mulctae non fuerint per Episcopum in vita applicatae, non possunt ad minorem summam reduci per Vicarium Capitularem. 65. Pro mulctis retinendis debet ab Episcopo fieri Depositarius ipsarum. — 66. Et talis mulctarum Depositarius debet esse aliquis de Capitulo. — 67. Debetque cautionem praestare de bene administrando, et reddenda ratione in fine anni coram Ordinario, ut duobus Capitularibus. — 68 Quorum Canonicorum alter debet eligi ab Episcopo, et alter a Capitulo. — 69 Pecunia mulctarum nulla modo retineri potest ab Ordinario — 70. Unde Depositarius mulctarum non debet deputari pro forma, sed ut vere, et realiter mulctae apud eum deponantur. — 71 Poenae, et mulctae non observantiam dies Festos pro tertia parte applicari debent accusatori, et pro quarta executoribus. — 72. Poena, et mulcta interficientis Presbyterum applicanda est pro medietate Ecclesiae, cui praefuit, et pro alia medietate distribuenda est in pauperes pro anima mortui. — 73 Ordinarius abstinere debet a poenis pecuniariis contra Regulares. — 74. Subnect addition. ex el. man. *ad num.* 83.

1 Poena, ut expresse habetur in *l. Aliud* 131. *ff. de verbor. signif.* est noxae vindicta, ibi: *Poena est noxae vindicta*, idest, et delictorum, sive criminum coercitio, seu vindicta in emendationem hominum constituta; *l. Si poena* 26. *de poenis*, ibi: *Poena constituitur in emendationem hominum;* Poena enim est mensura cui-
2 pae, juxta illud *Deuteronomii* 25. *Pro mensura peccati erit et plagarum modus*, *et cap. Sane* 11. *de*
3 *officio Delegati* cum similibus. Et regulariter sine culpa nemo punitur; *l. Sancimus* 22. *Cod. de poenis*, *c. Joannes* 23. *et cap. Quidam* 25. *de homicid. cap. sine culpa* 23. *de Regul. Juris*, ibi: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*
4 Quamvis interdum ob publicum bonum puniatur quis sine propria culpa, ut fit in criminae laesae Majestatis, ratione cujus filii etiam innocentes puniuntur in detestationem tanti paterni criminis; *l. Quisquis* 5. § 1. *Cod. Ad leg. Jul. Majestat.* et in aliquibus aliis casibus, ubi subest justa causa puniendi etiam innocentes ad ceterorum terrorem; unde *in citat. cap. sine culpa* 23. *de Regul. juris* merito dicitur, quod sine culpa non est aliquis puniendus, *nisi subsit causa.*

5 Poena differt a mulcta, ut patet ex l. *Aliud* 131. *ff. de verbor. significat.* ibi: *Inter mulctam autem, et poenam multum interest.* Poena enim nomen est generale conveniens cuilibet criminis coercitioni; mulcta vero nomen est speciale conveniens tantum poenae pecuniariae, ibi: « Cum poena generale sit nomen omnium delictorum coercitio, mulcta specialis peccati, cujus animadversio hodie pecuniaria est: poena autem non tantum pecuniaria, verum capitis, et existimationis irrogari solet ». Item poena a lege decernitur, mulcta vero arbitrarie a Judice datur, ibi: « Mulcta quidem ex arbitrio ejus venit, qui mulctam dicit, poena non irrogatur, nisi quae quaque lege, vel quo alio jure specialiter huic delicto imposita est; quinimmo mulcta ibi dicitur, ubi specialis poena non est imposita ».

Poena differt etiam a poenitentia, quia haec 6
imponitur, ut satisfiat Deo in foro interno; poena autem ut satisfiat Reipublicae in foro externo, et ideo poenitentia non liberat a poena, ut recte notant Abbas *in cap. De his n.* 3. *de accusat.* Amenus *de delictis, et poenis tit.* 1. *proaemial.* §. 4. *n.* 4. et alii, unde excommunicatus denunciatus, ut absolvatur a Censura debet subire poenitentiam sibi injunctam ab absolvente ad satisfaciendum Ecclesiae offensae, et poenam inflictam a Judice ad satisfaciendum pro delicto commisso in ceterorum exemplum, et terrorem. Item poena infligitur invito independenter, et contra Rei voluntatem, poenitentia autem indiget acceptatione, et consensu poenitentis, ut recte observant Thesaurus *de poen. part.* 1. *cap.* 2. *vers. secundo, poena*, Amenus *loc. cit. n.* 6 et alii passim.

Poena in genere alia est Civilis, et alia Crimi- 7
nalis. Poena *Criminalis* est, quae tendit ad vindictam publicam, estque definita *supra n.* 1. Poena *Civilis* est, quae non tendit ad vindictam publicam, sed ad privatum commodum partis laesae, quae tamen, rigorose loquendo, non est poena proprie dicta, sed solum minus proprie talis. Haec poena subdividitur in Conventionalem, Legalem, et Judicialem. Poena *Conventionalis* est, quae committitur, et praestari debet ex conventione partium, si aliquid v. g. datum, vel factum non fuerit, ut pact. *in cap. Constitutus* 7. *de poenis.* Poe-

na *Legalis* est, quae imponitur a Lege, vel pro reparatione damni illati, vel propter contumaciam, aut contemptum. Poena *Judicialis* est, quae a Judice infligitur.

8 * Poena criminalis subdividitur primo in duas species: Aliae quippe vitam adimunt, aliae aestimationem vel minnunt, vel etiam omnino consumunt. Has poenas explicat Callistratus in *l.* 5. §. 1. 2. 3. *ff. de Extraord. cognit* *. Deinde poena Criminalis subdividitur in Capitalem, et non Capitalem. Poena *Capitalis* est, per quam infertur mors naturalis, vel Civilis per mediam, vel maximam capitis diminutionem, adimendo libertatem, vel jus Civitatis, sicque poenae capitales sunt tres, scilicet ultimum supplicium, quae vocatur maxima, damnatio ad metallum, quae dicitur media, et deportatio ad Insulam, quae appellatur minima, *l. Rei capitalis* 2. *et l. Capitalium poenarum* 28. *de poenis, et l. Licet* 103. *ff. de verbor. significat.* Poena *non Capitalis* est, qua quis, salva vita naturali, et civili, coercetur, uti est poena relegationis, fustigationis, amputationis alicujus membri, stigmatis, seu bullationis, et hujusmodi; *cit. l. Capitalium* 28 §. 1. *ff. de poenis.*

9 Poena criminalis alia est corporalis, seu corporis afflictiva, et alia pecuniaria. Item alia temporalis, et alia perpetua, patentque omnes ex terminis *. Haec diversarum poenarum genera paucis complectitur Ulpianus in *l.* 6. §. 2. *ff. de poenis.* Sunt poenae, quae aut vitam adimunt, aut servitutem injungunt, aut civitatem auferunt, aut exilium, aut coercitionem corporis continent, et *l.* 8. *ff. eod.* Aut damnum cum infamia, aut dignitatis aliquam depositionem, aut alicujus actus prohibitionem *.

10 Poena in genere alia est ordinaria, et alia extraordinaria, seu arbitraria. Poena *ordinaria*, seu Legalis est, quam lex, seu Princeps expresse, et determinate statuit, aut consuetudo induxit, seu praescripsit. *Extraordinaria* autem, seu arbitraria est, quae nulla lege, statuto, aut consuetudine est definita, sed extra ordinem a Judice imponitur juxta prudens, ac justum ejus arbitrium pro varia delictorum qualitate. Sic *in re Communis Doctorum.*

11 Item poena in genere alia est latae, et alia ferendae sententiae. Poena *latae sententiae* est, quae ipso facto, seu criminis perpetratione, et Legis, seu mandati transgressione incurritur absque sententia condemnatoria. Poena *ferendae sententiae* est, quae a delinquente non statim ipso facto, seu legis, aut mandati transgressione incurritur, sed requirit sententiam Judicis condemnatoriam, debetque primum a Judice infligi: *Sic in re Doctores communiter.*

12 Ad cognoscendum, an poena sit latae, vel ferendae sententiae, traduntur quinque regulae, quae assignantur sub verb. *Lex art.* 2. *a n.* 28. *ad* 35. Vide *ibi.*

13 An, quando Lex utitur verbis imperativi modi, quae afficiunt immediate ipsam poenam, sit latae, vel ferendae sententiae? multi volunt, quod sit latae sententiae. Vide *d. verb. Lex art.* 2. *n.* 32.

Plurimi tamen alii tenent, quod sit solum sententiae ferendae. Vide *ibid. n.* 33. 14

Respondetur ad auctoritates pro prima opinione adductas. Vide *ibid. n.* 34. 15

Poena, seu Lex poenalis sententiaeferendae non obligat ante sententiam Judicis. Vide *ibid. n.* 36. 16

Poena, seu Lex poenalis latae sententiae in iis, quae aliam executionem externam non requirunt, obligat in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis. Vide *ibid. n.* 37. 17

Poena, seu Lex penalis latae sententiae in iis, quae externam executionem requirunt, non obligat in conscientia ante Judicis sententiam declaratoriam de crimine commisso, nisi Lex in specie addat clausulam: *alia etiam declaratione non secuta.* Vide *ibid. n.* 38. 18

Immo, secundum plurimos, etiamsi Lex addat talem clausulam, *alia etiam declaratione non secuta*, vel similie, non obligat ante declaratoriam Judicis de crimine commisso, nisi in aliquibus specialibus poenis, quae assignantur. Vide *ibid. numero* 38. 19

Declaratoria de crimine commisso requirit citationem partis, et ab ea dari potest appellatio. Vide *ibid. n.* 40. 20

Adducitur, et solvitur instantia. Vide *ibidem num.* 41. 21

Assignatur notabilis differentia inter sententiam condemnatoriam, et declaratoriam. Vide *ibidem num.* 42. 22

Assignatur quomodo, non obstante clausula *ipso facto incurrenda*, adhuc requiratur sententia declaratoria Judicis. Vide *ibid. n.* 43. ubi complura notabilia invenies ad rem. 23

Assignatur quomodo, non obstante clausula *absque alia declaratione*, adhuc requiratur talis sententia declaratoria Judicis. Vide *ibidem num.* 44. et ibi nonnulla notatu digna videre est. 24

Transgressores Legis incurrunt poenam illius, etiamsi talem poenam ignorent, exceptis tamen Censuris. *Communis.* Et ratio est, quia ignorantia solius poenae non tollit caussam poenae, adeoque nec effectum, seu ipsam poenam; Tum quia ex praxi omnium Tribunalium Rei, et Legum transgressores puniuntur variis poenis v. g. patibuli, gladii, combustionis, rotae, et hujusmodi, quamvis invincibiliter ignoraverint delicta a se committenda, et commissa poenis hujusmodi subjacere. 25

Judex inferior, regulariter loquendo, non potest augere, vel minuere poenas a jure statutas. *Communis.* Et ratio est, quia Judex tenetur servare aequitatem Legalem, debetque, non de Legibus, sed secundum Leges judicare; *c. In istis* 3. *d.* 4. ibi: « In istis temporalibus Legibus, cum fuerint institutae, et confirmatae, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas, et concordant 26

Summopere 70. *caus.* 11. *q.* 3. *et l. Accusatorum* 1. *ff. Ad Senatus Consultum Turpillianum*, ibi: « Facti quidem quaestio in arbitrio judicantis est, poenae vero prosecutio non ejus voluntati mandatur, sed Legis auctoritati reservatur ».

27 Id tamen potest Princeps Supremus. *Communis.* Et ratio est, quia cum ipse Lege humana superior censeatur; *leg. Princeps* 31. *ff. de Legibus*, potest licite Reo poenam aut minuere, vel omnino remittere, aut augere, quod et interdum expedit, praesertim in delictis enormibus, et atrocibus, aliisque frequentatis, cum majorum poenarum metu delinquentes facilius a delictis abstineant; « ut quos timor Dei a peccatis non revocat, saltem coerceat severitas disciplinae »: texto expresso in *c. Cum in cunctis* 7. §. *Clerici sane*, *de election.* Unde Princeps uti non debet lenitate contra delinquentes, sed potius severitate, per lenitatem enim Rex contemnitur, Lex despicitur, et Grex inficitur: E contra vero per severitatem Rex honoratur, Lex servatur, et Grex salvatur, ut observant Luc. de Penna *in l.* 3. *Cod. De his, qui ex publicat. collect.* et Gaballus *Resolut. crimin.* 99 *n.* 102. ac alii.

28 Et ex justis causis id potest interdum etiam Judex inferior: Ipse enim ob speciales circumstantias potest poenas ordinarias, et a Lege praescriptas imminuere, at aggravare. *Communis* per text. *in l. Aut facta* 16. *ff. de poenis*, ubi inter alia dicitur, quod quantum ad hoc delicta « consideranda sunt septem modis, causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu ».

29 Justae autem causae, ex quibus eorum poenae a Judice inferiori augeri possunt, sunt praesertim sequentes. Prima, est ratione qualitatis personae delinquentis; *l. Aut facta* 16. §. 3. *ff. de poenis*; quae si ob rationem sui status obligetur ad evitanda delicta, et tamen delinquat, gravius evadit ejus delictum, graviusque est puniendum, juxta illud S. Gregorii *Homilia* 9. *in Evangelia*, ibi: « Lectio Sancti Evangelii, Fratres Carissimi, sollicite considerare Nos admonet, ne Nos, qui plus caeteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab Auctore mundi gravius inde judicemur ».

30 Secunda, ratione objecti, seu personae offensae: *cit. l. Aut facta* §. 3. gravius est enim offendere Deum, quam hominem, *cap. Sicut qui Ecclesiam* 17. *quaest.* 4. *cap. Vergentis, de Haeretic. Authent. Catharos eod. tit.* et gravitas delicti contra hominem commissi mensuratur a dignitate personae offensae: *Clementin.* 1. §. *Nec super*, *de poenis.*

31 Tertia, ratione causae; *cit. l. Aut facta*, §. 2. ubi enim nulla, aut debilis est causa delinquendi, gravius evadit delictum, quia in tali casu major arguitur perversitas voluntatis in delinquente; Unde gravius puniuntur homicidia sine ulla, aut debili causa commissa; quam cum aliqua gravi causa patrata; *cap. Sicut dignum* 6. *de homicid.*

32 Quarta, ratione advertentiae; gravius enim delinquit, qui advertenter, et pensate delictum committit, quam qui ex perturbatione mentis ab ira, amore, furore, et hujusmodi *cit. l. Aut facta* §. 2. ut patet de graviori punitione homicidii appensati, quam casualis; *cap. Sicut dignum* 6. *de homicid. et cap. Lator.* 9. *tit. eodem.*

Quinta, ratione consuetudinis delinquendi, quia ob talem consuetudinem censetur delinquens magis deliberato animo, et iniquiori voluntate delinquere: *l. Capitalium* 28. §. 3. *et* 10. *ff. de poenis*: *l. Nemo deinceps* 3. *Cod. de Episcopali audientia*: *c. Sicut dignum* 6. *de homicid.* 33

Sexta, ratione loci, *cit. l. Aut facta* §. 4. gravius enim evadit crimen commissum in Palatio, aut praesentia Principis, quam alibi, juxta illud *Esther c.* 7. *n.* 8. ibi: *Etiam Reginam vult opprimere me praesente in domo mea.* Et universaliter locus majori reverentia dignus auget delictum in eo commissum; *arg. c.* 1. *de poenit. dist.* 5. *l. Sed est quaestionis in princip. ff. de injuriis* §. *Atrox, Inst. eod. tit. l. Aut facta* §. 4. *ff. de poenis*, *l. Praetor edixit* §. *Atrocem*, *ff. de injuriis.* 34

Septima, ratione temporis, *cit. l. Aut facta* §. 5. *et cit. cap. Sicut dignum.* Sic omnia delicta commissa tempore nocturno graviora evadunt ratione talis temporis, ut patet de furto, quod ratione nocturni temporis gravius reputatur omni jure Divino, Ecclesiastico, et Civili; *Exodi cap.* 22. *n.* 22. *capite. Si perfodiens* 3 *de homicidiis l.* 4. §. 1. *ff. Ad Leg. Aquil. leg.* 9. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicariis*, *l. Sacrilegii vers. Ceterum*, *ff. ad Leg. Jul. peculatus*, et sic etiam graviora sunt delicta commissa temporibus poenitentiae, jejuniorum, Festivitatum, et Divinorum Officiorum, et hujusmodi. 35

Octava, ratione modi, *cit. l. Aut facta*, §. 6. *cit. cap. Sicut dignum*; gravius enim delictum est hominem repetitis tormentis, ac lenta morte perimere, quam simpliciter necare; ut gravius est homicidium proditorium, quam aperta aggressione commissum; *l. Plus est* 1. *C. de Maleficis*, *et Mathemat.* ibi: « Plus est hominem extinguere veneno, quam occidere gladio »: cum similibus. 36

Nona, ratione scandali, cum enim scandalum ex se grave peccatum sit, juxta illud Matthaei, *capit.* 18. *v.* 6. « Qui scandalizaverit unum ex his pusillis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris »; si adjungatur alicui delicto, ex tali adjectione gravius redditur crimen. Unde jure merito Leges tum Civiles, tum Canonicae talia scandalosa crimina maxime aversantur, *l. Si quis filio* 6. §. 7. *et* 8. *ff. de injusto, rupto, irrito facto Testament. l. Qui caedem* 16. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicariis, cap. Consideravimus*, 10. *de election. cap. Super eo* 1. *de sent. excom.* cum similibus. Aliae adhuc justae causae augendi Reorum poenas possent adduci, sed brevitatis gratia videndae apud Criminalistas relinquuntur, et 37

ad justas causas dictas minuendi, et temperandi poenas transeamus.

38 Prima igitur justa causa minuendi, poenas est credulitas, et opinio non delinquendi, mitius enim punitur, qui delinquendo credit, se non delinquere, sed licite agere; *l. Igitur*, *vers. Et generaliter*, *ff. de liber. caus. l. Clam possidere*, *ff. de acquirend. possess. c. Sicut dignum* 6. *de homicid.* cum similibus.

39 Secunda, est aetas delinquentis, sive tenella, et imbecillis, ut in pueris, sive ingravescens, ut in Senibus; Minores enim, et Senes delinquentes mitius puniri consuetum est; *l. Fere omnibus*, *ff. de Regul. Juris*, *l. Aut facta* 6. §. 3. *in fine*, *ff. de poenis cap.* 1. *et* 2. *de delictis puer. c. Sicut dignum* 6. *de homic. cap. Fraternitatis dist.* 34. *c. Tanta nequitia dist.* 86. cum similibus.

40 Tertia, est iracundia; delictum enim ex ira commissum mitius puniri debet; *l. Aut facta* 16. §. 2. *de poenis*, *l. Abolitio* 2. *Cod. de abolitionibus cap. Si quis iratus*, 2. *q.* 3. cum similibus.

41 Quarta, est sexus fragilitas: mitius enim puniri debent feminae, quam viri, cum in poenis infligendis sexus ratio habenda sit, text. expresso *in cit. c. Sicut dignum* 6. *de homicid. et in c. Indignanter* 4. *caus.* 32. *q.* 6.

42 Quinta, est praestantia, et nobilitas personae delinquentis; Nobiles enim, et digniores mitius puniri debent, quam ignobiles, et minus digni, *l. Padius*, §. 1. *et l. final. de incendio*, *ruina*, *et naufragio*, *l. Aut damnum* §. *In ministerium*, *ff. de poenis*, *l. Sacrilegii*, §. 1. *ff. Ad leg. Jul. Peculatus*, *l. Annorum*, §. *poena*. *ff. de sepulcro violato*, *c. final. de poenis*, *et c. Pastoralis*, *de officio delegat.*

43 Sexta, est insignis peritia delinquentis. Excellens enim, et unicus in arte non debet mori; et propter ejus excellens artificium, et eximiam industriam ei minuitur, vel in totum poena remittitur, *l. Ad bestias* 31. *ff. de poenis.*

44 Septima, est ebrietas: omne enim delictum, quamvis grave, et atrox, durante ebrietate commissum, non rigorosa poena ordinaria, sed mitiori extraordinaria punitur; *l. Omne delictum* 2. §. 7. *verb. Per vinum*, *ff. de re militari*, *c. Sane*, *et c. Inebriaverunt* 25. *q.* 1.

45 Octava, est diuturnitas temporis lapsi a die commissi delicti. Qui enim jam a multo tempore delictum commisit, non rigorosa poena ordinaria, uti de recenti delinquentes, sed mitiori extraordinaria puniendi sunt, text. expresso in *l. Si diutino tempore* 25. *ff. de poenis*. Variae aliae adhuc justae causae minuendi Reorum poenas essent hic adducendae, sed istae etiam apud Criminalistas videndae relinquuntur, notando solum, quod omnes illae adductae, si adsint, augent Reorum culpam, et poenam; si absint, ipsam minorant.

46 In poenis arbitrariis debet Judex procedere juxta qualitatem delicti, ut sic poena crimini commensuretur; *c. Sane* 11. *de officio Delegati*, *cap. Sicut dignum* 6. *de homic.* Quantum enim quis peccavit, tantum puniri debet, juxta illud *Deuteronomii cap.* 25. *n.* 3. *Pro mensura peccati erit et plagarum modus*, et aliud Apocalyps. *cap.* 18. *n.* 7. *Quantum glorificavit se*, *et in deliciis fuit*; *tantum date illi tormentum*, *et luctum*. Et ratio conclusionis est, quia arbitrium Judici relictum non sumitur pro arbitrio libero, et absoluto, ac pleno suae voluntatis, sed pro arbitrio regulato a jure, et recta ratione, sive pro arbitrio boni viri; *arg. l. Non possunt* 12. *ff. de legibus*, *l. Si societatem* 6. *et l. Societatem* 76. *ff. Pro socio.*

Stante autem dubio, aut diversa juris intelligentia, Judex debet semper in mitiorem partem declinare; *cap. In obscuris* 30. *de Regul. jur. in* 6. ibi: *In obscuris minimum est sequendum*, *cap. In poenis* 49. *eod. in* 6. ibi: *In poenis benignior est interpetratio facienda*, *l. Factum* 155. §. 2. *ff. de regul. juris*, ibi: *In poenalibus causis benignius interpretandum est*. Ex capite enim *Alligant* 12. *caus.* 26. *q.* 7, expresse habetur, quod *melius est propter misericordiam rationem reddere*, *quam propter crudelitatem*, et in ejus Summario dicitur: « melius est errare in misericordia remittendi, quam in severitate ulciscendi. 47

Cum hoc tamen, quod circa Reos in gravioribus criminibus legitime convictos, non debet uti nimia clementia, juxta illud *Exodi* 22. *Maleficos non patieris vivere*, ne inde malefactores spe clementiae, et ulterioris veniae sensim multiplicentur in grave Reipublicae detrimentum, sed cum istis juxta Legum severitatem cum aliquo temperamento benignitatis procedat, prout statuitur *in l. Respiciendum* 21. *ff. de poenis*, ad hoc ut caeteri punitorum exemplo edocti, ad crimina perpetranda non prosiliant, ut *unius poena metus possit esse multorum*, textu expresso *in l. Ut unius* 1. *C. ad Leg. Jul. Repetundarum*. Unde ad rem Seneca *de Clementia lib.* 1. *c.* 22. *in princ.* sic habet: « In vindicandis injuriis tria Lex secuta est, quae Princeps quoque sequi debet; Aut ut eum, quem punit, emendet: Aut, ut poena ejus caeteros meliores reddat. Aut, ut, sublatis malis, securiores caeteri vivant ». 48 49

Poena imposita in foro conscientiae non liberat a poena imponenda, in foro fori: Clar. *quaest.* 16. *n.* 5. *et quaest.* 60. *ne* 21. Amenus *de delictis*, *et poenis tit.* 8. §. 6. *n.* 69 *et alii passim.* 50

Poenas pecuniarias, seu mulctas tenetur Episcopus applicare locis, et usibus piis, tum ex dispositione Juris *in c. Presbyteri* 2. *de poenis*, tum ex praecepto Concil. Tridentin. *cap.* 1. *sess.* 6. *cap.* 1. *sess.* 23. *et cap.* 3. *sess.* 25. *de reform.* ut pluries decrevit Sacra Congregatio Concil. ac Episc. et Regul. apud Barbosam *de offic. et potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 107. *a n.* 19. Dianam *part.* 10. *tract.* 9. *resolut.* 2. §. *Ad haec*, Quarant. *in Summa Bullar. verb. poenae pecuniariae*, Nicol. *Lucubrat. Canon. lib.* 5. *tit.* 37. *per tot.* Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. Presbyteri* 2. *de poenis per tot.* 51

et teneni Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 37. *n.* 101. Conciol. *resolut. criminal. verb. Episcopus resolut.* 1. n. 10. Monaceil. *tom.* 1. *formul.* 13. n. 1. Ursaya *Instit. criminal. lib.* 4. *tit.* 5. *numero* 196. et alii passim, Vide verb. *Episcop. artic.* 6. *a n.* 63

52 Poenae omnes, et mulctae, sive ex Constitutionibus Synodalibus, sive ex praeceptis, sive ex decretis Episcopi, vel Vicarii proveniant, sive ex stipulatione Praetoria descendant, sunt piis locis, non autem Fabricae, vel Sacristiae Ecclesiae applicandae: *Sacra Congregatio Concil. in Messanen.* apud Fagnan. *loc. cit. n.* 32. et Barbosam *in Summa Apostol. decis. verb. Poena criminalis pecuniaria num.* 2.

53 Poenae pecuniariae non possunt erogari in reparationem Palatii Episcopalis, aut domus Vicarii Generalis: Sacra Congregatio Concil. apud Fagn. *loc. cit. num.* 38. *et Sac. Cong. Episc. et Regul. in Anversana* 22. *Jan.* 1591. apud Barbosam *loc. citat n.* 3.

54 Poenarum, seu mulctarum nulla portio potest ab Episcopo assignari Depositario earumdem poenarum, nec restaurationi Carcerum Episcopalium, nec pro vestiendis Apostolis, quibus lavantur pedes in die Coenae Domini, nec pro supplemento salarii Musicorum Ecclesiae Cathedralis inservientium: *Sacr. Congr. Concilii in Firmana* 16. *Aprilis* 1633. apud Barbos. *loc. cit. num.* 9.

55 Nec potest Episcopus applicare poenas pecuniarias pro Vicario Curiae Episcopalis, aut Salario Notarii, et Ministrorum: *Sacra Congregatio Con. in Albanen.* 5. *Feb.* 1618. apud Barbosam *loc. cit. n.* 7.

56 Nec eas pro aliqua parte applicare potest Procuratori Fiscali, Executoribus, ac Ministris Curiae: *Sacra Congregatio Concilii in una Montis Alcini* 10. *Julii* 1610. apud Fagnan. *loc. citat. numer.* 30.

57 Nec eas assignare potest pro Birruariis Curiae Episcopalis: *Sacra Congregatio Concilii in Januen.* 5. *Junii* 1632. apud Barbosam *loc. citat. nu.* 8.

58 Nec eas applicare potest pro expensis Tribunalis, quia haec causa non potest dici pia: Tum quia cum expensae hujusmodi spectent ad Episcopum, *cap. Militare* 5. *caus.* 23. *quaest.* 1. et notatur in *cap. Cum ab omni* 10. *de vita, et honestate Clericor.* talisapplicatio cederet in Episcopi utilitatem, quo casu nec ipsi Ecclesiae, vel Sacristiae fieri potest earum applicatio, ut respondit *S. Congr.* teste Fagn. *l. c. n.* 31. *et* 37.

59 Nec potest Episcopus, etiam pauper, eas sibi, seu Camerae suae Episcopali applicare, non obstante contraria consuetudine; *Sacra Congregatio Concil.* apud Quarant. *in Summa Bullar. verb. Poenae pecuniariae*, Piasec. *in praxi Episc. part.* 2. *cap.* 4. *nu.* 97. Barbos. *loc. citat.* n. 5. Monaceil. *loc. citat. n.* 2. *et seq.* Ursayam *loc. cit. num.* 196.

60 Unde si Episcopus vere sit pauper, vereque indigeat, debet recurrere ad Sacram Congregationem Concilii pro gratia applicationis dictarum mulctarum, quae solet illas ad tempus permittere Episcopis vere pauperibus, vereque indigentibus, vel pro sua, et familiae necessitate, vel pro Episcopalis Palatii refectione, et similibus, ut pluries fuisse decisum refert Zaul. *tom.* 1 *lib.* 4. *rubr.* 20 *n.* 57. et resolvit *d. Sac. Cong. Conc. in Ravellen.* 13. *Jan.* 1646. *et in Civitatis Ducalis* 27. *Maii* 1656. *ac in Narnien.* 6. *Febr.* 1700. apud Ursayam *l. cit. num.* 198.

Et Episcopus mulctas pecuniarias locis, et usibus piis non assignans, sed sibi, aut suis Officialibus, et Ministris applicans sine facultate Sacrae Congregationis, non est immunis a culpa mortali, ut multis probat Monaceil. *loc. cit. num.* 3. et sequitur Ursaya *loc. cit num.* 197. et alii; Talis enim Episcopus contemnit in re gravi Sacros Canones, ac Concilium Tridentinum, quod *sess.* 25. *de reform. cap.* 3. non hortatur, neque obiter decernit, sed imperative omnibus Episcopis tam pauperibus, quam divitibus praecipit, quod mulctae pecuniariae *locis piis assignentur*, adeoque transgressio ex sui natura erit mortalis, cum Decreta Apostolica, et Conciliaria obligandi vim habeant etiam sub reatu peccati mortalis; *c. Nulli fas* 5. *dist.* 19. *cap. De his* 6. *distinct.* 5. *cap. Quia* 6. *dist.* 64. *c. Violatores* 5. *caus.* 25. *q.* 1. et tenet Fagnan. *in cap. Quoniam* 13. *de Constitut. n.* 22. cum Archidiacon. Geminian. Felin. et aliis ibi citatis, et *in cap. A crapula* 14. *de vita, et honest. Cleric. n.* 21. cum aliis ibi allegatis. 61

Si concedatur Episcopo applicatio poenae pecuniariae pro Episcopatu, et Sacrario, sub nomine Episcopatus intelligitur Ecclesia Cathedralis, Palatium Episcopale, et omnes Fabricae, quibus Episcopus providere tenetur; sub nomine vero Sacrarii, non solum supellex, quae inservit pro Ecclesia Cathedrali, sed etiam quaelibet alia necessaria pro aliis Ecclesiis, Oratoriis, vel Cappellis ab ipso Episcopatu, vel Cathedrali dependentibus: *Sac. Congregat. Episcopor. et Regular. in Assisien.* 17. *Maii* 1592. et *in una Montis Pelusii* 17. *Novembris* 1593. apud Pitton. *Constitut. ad Episcopos num.* 27. 62

Poenae, et mulctae delinquentium in una ex duabus Dioecesibus unitis applicandae sunt piis locis Dioecesis, cujus sunt delinquentes, et in pari necessitate pauperibus loci, ubi habitant ipsi delinquentes: *Sacra Congregatio Episcop. et Regular. in Venusina* 21. *Novembr.* 1600. apud Pitton. *loc. cit. n.* 376. Barbos. *loc. cit. n.* 4. *et eadem Sac. Congr. in Squillac.* 6. *Mart.* 1618 apud Monaceil. *loc. cit. n.* 6. 63

Si mulctae non fuerint per Episcopum in vita applicatae, non possunt ad minorem summam reduci per Vicarium Capitularem. Sic respondit *Sacra Congregatio Concilii in Ripana* 18. *Aprilis* 1654. *lib.* 19. *Decretor. fol.* 337. apud Ursayam *loc. citat. n.* 199. 64

65 Pro mulctis retinendis debet ab Episcopo fieri Depositarius ipsarum: *S. Congreg. Episc. in Ostunen.* 3. *Septembr.* 1577. *in Spoletana* 25. *Octob.* 1580. *in Ananisn.* 5. *Augusti* 1602. *et* 17. *Februarii* 1645. *et Sac. Congr. Conc.* apud Fagnan. loc. *citat. n.* 32. *et seq.*

66 Et talis mulctarum Depositarius debet esse aliquis de Capitulo; *Sacra Congregatio in Messanen.*

67 apud Fagnan. *loc. cit. n.* 7. Debetque cautionem praestare de bene administrando, expendendo cum mandato subscripto ab Ordinario, et reddenda ratione in fine anni coram Ordinario, et duobus Capitularibus: *Sacra Congregatio Episcop. et Regul. in Cathacen.* 17. *Febr.* 1645. *et in Minerbien.* 6.

68 *Septembris* 1652. Quorum Canonicorum alter debet eligi ab Episcopo, et alter a Capitulo: *Sacra Congregatio Episcopor. in Terracinen.* 20. *Novembris* 1654.

69 Pecunia mulctarum nullo modo retineri potest ab Ordinario: *Sacra Congregatio Episcopor. et Regul. in Andrien.* 10. *Septembris* 1596. apud Nicol. *in Floscul.* verb. *Poena n.* 6. et sic videtur voluisse etiam *Sacra Congregatio Concil. in Messanen.* apud Fagnan. *loc. citat. n.* 32. dum Archiepiscopo Messanensi injunxit, ut poenarum pecuniariarum Depositarium aliquem ex Capitulo con-

70 stitueret. Unde Depositarius mulctarum non debet deputari pro forma, sed ut vere, et realiter mulctae apud eum deponantur: Monacell *loc. citat. n.* 9. et alii id colligentes ex allatis Decretis.

71 Poenae, et mulctae non observantium dies Festos pro tertia parte applicari debent accusatori, et pro quarta executoribus; S. Pius V. Constitut. incip. *Cum primum*: Fagnan *loc. citat. n.* 34.

72 Poena, et mulcta interficientis Presbyterum applicanda est pro medietate Ecclesiae, cui praefuit, et pro alia medietate distribuenda est in pauperes pro anima mortui, textu expresso *in cap. Presbyteris, de poenis*, et ibi Canonistae communiter.

73 Ordinarius abstinere debet a poenis pecuniariis contra Regulares: *S. Congr. Episc. et Regul. in una Conventualium* 29. *Sept.* 1645. apud Nicol. *loc. cit. n.* 7.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

74 Quaedam sunt crimina, in quibus minor aetas non minuit poenam. Hujusmodi sunt furtum Hostiae, ex Constitutione Innocentii XI. *Ad nostri Apostolatus*, confirmata a feliciter regnante Summo

75 Pontifice, in Constitutione *Gravissimum:* celebratio Missae facta a non promoto ad Presbyteratus Ordinem, ex Constitutione Urbani VIII. *Apostolatus Officium*, confirmata a San. Mem. Benedicto XIV. in Constitutione *Sacerdos in aeternum*. Idemque

76 obtinet, si quis non promotus ad Ordinem Presbyteratus Confessiones Fidelium audiverit, *ut ex iisdem Constitutionibus.*

77 Adverte tamen id procedere, dummodo Reus vigesimum annum compleverit. Quod si infra annum vigesimum fuerit, locus est diminutioni poenae, ut habetur *in mox citatis Constitutionibus.*

Quinimo, attentis *iisdem Constitutionibus*, aliud singulare in delictis hisce occurrit, quod scilicet confessio, quam vocant *de plano*, facta scilicet a Reo in primo generali Interrogatorio nec etiam suffragatur ad poenam minuendam. 78

De Episcopo quaeri solet, an valeat is componere delicta Clericorum, convertendo poenam in mulctam aliquam pecuniariam; Varias Doctorum opiniones refert *Rosa de Resid. Episc. tit.* 4. *sect. ult. n.* 57. *et plur. seqq.* qui tamen pro affirmativa est; Confer. etiam Romagner. *ad Synodal. Gerunden. lib.* 3. *tit.* 2. *cap.* 3. *n.* 11. 79

Caeterum non debet temere, et sine causa Episcopus ad compositionem devenire: « Episcopus (inquit Rosa ubi supra) debet multa observare, praesertim, ut eam tunc faciat, quando pars est concordata, et habita fuit remissio, seu exculpatio a parte offensa etc. Secundo, ut fiat ante sententiam latam, licet nunc in praxi utatur illa clausula: Salva potestate minuendi, aggratiandi etc. Qua attenta, etiam post sententiam latam a Vicario potest Episcopus facere compositionem etc. Et sic Episcopus compositionem facere debet: quando haec pecuniaria plus juvaret, quam alia etc. Divitibus autem cum magna cautela, et prudentia imponenda est poena haec pecuniaria, quia nullam Reus praetermittit culpam, quam redimere potest auro etc. Et docent etiam hujusmodi Doctores, quod tantum facere potest hanc compositionem, quando venit imponenda poena extraordinaria, et ubi poena non est a jure taxata; secus autem si esset statuta, vel in gravioribus criminibus, vel manifestis etc. Tandem compositionem facere debet gratia correctionis pro corrigendis excessibus, et charitatis ardore etc. In visitationibus autem ab hujusmodi compositionibus abstinere debet ». Consule etiam *Squillant. de Privileg. Episcop. p.* 5. *cap.* 28. *n.* 16. *et plur. sequent.* 80

De applicatione poenae pecuniariae facienda ab Episcopo, vide distinctiones, cum quibus procedunt, apud Rosa *loc. cit. et Fagnanum in cap. Presbyteri, de poenis.* 81

Illud vero non est hic praetereundum, quod Episcopus poenas a Sacris Canonibus impositas, non potest remittere, nisi in casibus expressis; *Romagner. ad Synodul. Gerunden. lib.* 1. *de Summa Trinit. n.* 87. 82

Responsio Auctoris.

Omnes Pontificiae Constitutiones, quae in his *Additionibus* adducuntur, jam allegatae fuerunt a me, idest illa Innocentii XI. *Ad nostri Apostolatus, tom.* 3. verb. *Furtum n.* 77. Illa Urbani VIII. *Apostolatus officium, tom.* 5. verb. *Missa art.* 6. *n.* 2. *et* 3. ubi insuper ad id allatae fuerunt Constitut. Gregorii XIII. *Officii nostri*, et Clementis VIII. *Etsi alias*, illa Benedicti XIV. *Sacerdos in* 83

aeternum, in verb. *Approbatio*, et verb. in *Missa* *n.* 10. *ad* 14 et in verb. *Surripientes* *n.* 1. *ad* 4. ubi ad id allata fuit alia ejusdem Bened. XIV. incip. *Ab Augustissimo;* et illa *Gravissimum* feliciter Regnantis Summi Pontificis Clementis XIII. in verb. *Surripientes*, in qua ad id confirmat Constitutiones Innocentii XI. Alexandri VIII. et Benedicti XIV. Quae omnia debuerat saltem adnotare D. Additor, ne videretur repetere jam tradita a me, et addere de non suo.

ARTICULUS II.

DE POENIS IN SPECIE, ET VARIORUM DELICTORUM.

1. Amputationis alicujus membri poena quid sit? cum quibus soleat practicari? — 2 Berlinae poena quid sit? — 3. Bullationis, seu stigmatis poena quid sit? — 4. Carceris poena quid sit? — 5. Catenae infamis poena quid sit? — 6 Confiscationis bonorum poena quid sit? — 7. Fiscus quid sit? — 8. Poena confiscationis bonorum Clerici quoque imponi potest. — 9. Damnationis in metallum poena quid? — 10. Degradationis poena quid? — 11 Deportationis poena quid? — 12. Detrusionis in arctum Monasterium poena quid? — 13. Exilii poena quid? — 14 Fustigationis poena quid? — 15. Ictuum funis, seu torturae poena quid? — 16. Immurationis poena quid? — 17. Infamiae poena quid? — 18. Inhabilitatis ad Beneficia poena quid? — 19. Mitrae poena quid? — 20. Pecuniaria poena quid? — 21. Privationis Beneficiorum poena quid? — 22 Relegationis poena quid? — 23. Stigmatis, seu Bullationis poena quid? — 24. Talionis poena quid? — 25. Triremium poena quid? — 26. Verberationis, seu Flagellationis poena quid? — 27. Ultimi supplicii poena quid? — 28 Poena ultimi supplicii dividitur in tres species, quae assignantur. — 29. Delictorum poenae variae pro varietate criminum hic subnectantur. Et primo assignatur Abigeatus poena — 30 Abortus poenae quae? — 31. Abusus in Baptismo poena quae? *ad num* 32. — 33. Abusus in Confessione poena quae? *ad num.* 36. — 37. Abusus in Eucharistia poena quae? *ad num.* 41. — 42. Abusus in Matrimonio poena quae? *ad num* 43. — 44. Abusus in Ordine poena quae? *ad num* 48. — 49. Abusus Sacrae Scripturae poenae quae? — 50. Adulterii poena quae? — 51. Alchimistarum poena quae? — 52. Alienationis bonorum Ecclesiasticorum poena quae? — 53. Ambitus poena quae? — 54. Annonae fraudatae poena quae? — 55. Apostasiae poena quae? — 56 Appellationis malae poena quae? *ad num.* 59. — 60. Arma prohibita deferentium poena quae? *ad num* 61. — 62. Assassinii poena quae? — 63. Astrologiam Judiciariam profitentium poena quae? — 64. Bestialitatem committentium poena quae? — 65 Blasphemias loquentium poena quae? — 66 Calumniatorum poena quae? *ad num.* 69. — 70. Collusionis, seu Praevaricationis poena quae, et quid sit Collusio, et Praevaricatio? *ad num.* 73. — 74. Concubinatus poena quae? *ad num.* 80. — 81. Concubinariorum Clericorum poenae quae? — 82. Concussionis poena quae, et quid sit Concussio? *ad num.* 85. — 86 Consortii suspecti poenae in Clericis quae? *ad num* 88 — 89 Conspirantium poenae quae? *ad num.* 92. — 93. Dilapidationis poenae quae? *ad num* 96. — 97. Duellantium poena quae? — 98. Expilatae haereditatis poena quae, et quid sit crimen expilatae haereditatis? *ad num.* 99. — 100. Falsariorum poenae quae? — 101. Falsificantium monetas poenae quae. — 102. Fornicationis poena quae? *ad n.* 103 — 104. Furti poenae quae? *ad num.* 121. — 122. Haereticorum poenae quae? — 123. Homicidii poenae quae? *ad num* 136 — 137. Incendiariorum poenae quae? — 138. Incestus poenae quae? — *ad num.* 144. — 145. Injuriantium poenae quae? *ad num.* 146. — 147. Largitionis, et receptionis munerum in Regularibus, et aliis poenae quae? — 148 Laesae Majestatis poenae quae? *ad num.* 155. — 156. Libellos famosos componentium, dictantium, et vulgantium poenae quae? — 157. Litteras alienas aperientium, lacerantium, et intercipientium poenae quae? — 158. Litteras Apostolicas, aliasque falsificantium poenae quae? — 159. Magiae poenae quae? — 160. Maledicorum poenae quae? — *ad num.* 164. — 165. Monopolii poena quae? — 166. Omittentium Sacramentalem Confessionem, et Communionem in Paschate poenae quae? — 167. Omittentium recitationem Horarum Canonicarum poena quae? — 168. Osculantis foeminam invitam poenae quae? *ad num.* 170. — 171. Osculantis Monialem, et ulterius copulam carnalem cum ipsa habentis poenae quae? *ad num.* 172. — 173. Parricidii poenae quae? — 174. Partus suppositi poenae quae? — 175. Peculatus poena quae? — 176. Perjurii poena quae? — 177. Plagii poena quae? — 178. Poligamiae poena quae? — 179 Praevaricationis poena quae? — 180. Rapinae poena quae? *ad num.* 181. — 182. Raptus poena quae? — 183. Repetundarum criminis poena quae, *ad num.* 185. — 186 De residuis criminis poena quae, et quid sit crimen de residuis? *ad num.* 187. — 188. Revelationis secretorum poena quae? *ad num.* 194. — 195. Revelantium audita in Confessione Sacramentali poenae quae; — 196 Sacrilegorum poenae quae? — 197. Schismaticorum poenae quae? — 198. Sepulcri violati poena quae, et quid sit Sepulcri violati crimen? — 199 Simoniacorum poenae quae? — 200. Sodomitarum poenae quae? — 201. Sollicitantium ad turpia extra Confessionem poenae quae? — 202 Sollicitantium ad turpia in Confessione Sacramentali poena quae? — 203. Sortilegiorum poena quae? — 204 Stellionatus poena, et quid sit crimen Stellionatus; *ad num.* 205. — 206. Stupri poena quae, *ad num.* 207. — 208. Subornationis testium ad dicendam falsitatem poena quae? — 209 Subornantium vocales Regulares poenae quae? — 210. Tergiversationis poena quae? — 211. Termini moti poena quae, et quid sit crimen termini moti? *ad num.* 212. — 213. Truffatorum poenae quae; et quid sit Truffa, et Truffator? *ad num* 214. — 215. Vis publicae poenae quae? *ad num.* 218 — 219. Vis privatae poenae quae? — 220. Quae differentia intercedat inter vim publicam, et privatam. — 221. Usurariorum poenae quae? — 222. Alia ad rem, *remissive.* — 223. Alia ad rem num addit. ex aliena man. *ad* nu. 236.

1 *mputationis alicujus membri*, puta manus, aurium, narium etc. poena est, quae solet infligi in delictis atrocibus, et praesertim quando agitur de falsantibus scripturas, armata manu insurgentibus in Officiales majores, ipsosque ferientibus, ac occidentibus, et hujusmodi. Sic solet manus abscindi Notariis falsa instrumenta conficientibus, scribis Scripturas falsas, Libellos

mosos contra Principes componentibus, Militibusque suos Majores Officiales ferientibus, ac occidentibus; sicque aliis propter gravia ignominiosa facinora, nares, seu aures ad eorum perpetuum dedecus solent abscindi: Ursaya *Institut. Criminal. lib.* 4. *tit.* 5. *n.* 166. cum aliis ibi citatis.

2 *Berlinae*, seu ut alii dicunt, Catenae infamis poena, est species punitionis dari solitae malefactoribus, eos publicae derisioni, et ludibrio exponendo in loco, qui vulgo *Berlina* vocatur, et haec irrogari solet furibus, incisoribus bursarum, truffatoribus, falsis testibus, meretricibus, et similibus vilibus personis: Farinac. *prax. crimin. qu.* 19. *n.* 28. Gandin. *in praxi tit. de poenis Reorum q.* 16. Ursaya *loc. c. n.* 176.

3 *Bullationis*, seu *stymatis poena* est species punitionis, qua antiquitus bollabantur Rei in facie, sed haec sublata fuit per Constantinum Imperatorem *in leg. Si quis in metallum* 17. *Cod. de poenis*; Et quidem pia, et sancta ratione, quia, ut ibi dicitur, facies hominis ad Dei similitudinem est efformata, ideo foedari non debet, ibi: « Facies quae ad similitudinem pulchritudinis est coelestis figurata, minime maculetur »: Farinac. *loc. cit. qu.* 18. *n.* 97. *et seq.* Ursaya *loc. c. n.* 182. *et seq.* et alii.

4 *Carceris poena* possunt Rei puniri juxta eorum delicta perpetuo, vel ad tempus. Quamvis enim inventio carceris facta fuerit ad Reorum custodiam, et non ad poenam; ex recepta tamen communi hodierna praxi, formalis carcer tam perpetuus, quam temporalis pro poena Reis infligitur: *cap. Excommunicamus* 15. §. *final. de Haereticis, cap. Quamvis* 3. *de poenis in* 6. ibi: « Quamvis ad Reorum custodiam, non ad poenam, carcer specialiter deputatus esse noscatur: Non improbamus, si subjectos tibi Clericos confessos de criminibus, vel convictos (eorum excessibus, personis, caeterisque circumstantiis provida deliberatione pensatis) in perpetuum, vel ad tempus, prout videris expedire, carceri mancipes ad poenitentiam peragendam ».

5 *Catenas infamis* poena est eadem, ac illa *Berlinae*. Vide *supra n.* 2.

6 Confiscationis bonorum poena est auctio universalis omnium bonorum, vel alicujus quotae ad Fiscum, ita ut idem sit dicere confiscatio, ac applicatio, ut notat Cassan. *ad consuet. Burg. rubr.* 2. *de confiscat. n.* 2. Ursaya *loc. cit. tit.* 6. *n.* 2. 4. *et* 5. cum aliis ibi citatis.

7 Fiscus autem, qui Saccus male ablatorum vocatur, a De Rubeis *in disc. ad scient.* Amat. *in prin. tom.* 3. *recent. n.* 412. dicitur bursa publica, in qua pecunia publica reponitur, illumque describit Guazzin. *de confiscat. concl.* 1. *n.* 3. ut sit vir parum placidus, omnibus invisus, Deo odiosus, et nihil in se aequitatis habens. Bajard. vero *ad Clor. quaest.* 3. *n.* 4. asserit, Fiscum nihil aliud esse, quam subditorum calamitatem, et late Peregr. *de jure Fisc. n.* 1. ubi quod primo loco Fiscus erat bursa, seu crumena publica, deinde transivit in Saccum, et tandem in domum, seu Cameram, indeque appellatur *Camera*; sic expresse Ursaya *loc. citat. num.* 6. *et* 7. Poenae confiscationis bonorum Clericis quoque imponi potest, *c. Vergentis* 10. *de Haereticis, cap. Cum secundum* 19. *eod. in* 6. *cap. Super* 25. *de verbor. significat.* ita tamen ut bona confiscata applicentur Ecclesiae, in qua Clericus Beneficium habuit, *cap. Excommunicomus* 13. §. *Damnati, de Haereticis*: ibi; *Si vero Clerici, applicentur* (bona) *Ecclesiis, a quibus stipendia receperunt.* Si autem Clericus nullum Beneficium habuit, bona illius confiscata veniunt ad Fiscum Ecclesiae, vel Episcopi convertenda in pios usus: Farin. *prax. crimin. quaest.* 190. *a n.* 154. et alii passim juxta dicta *supra art.* 1. *n.* 50. *ad* 62. 8

Damnationis in metallum, seu in opus metalli poena erat antiquitus multum in usu, et per ipsam, licet Rei vitam non amitterent, amittebant tamen libertatem, et Civitatem, juxta text. *in leg. Aut damnum* 8. *ff. de poenis* cum aliis Alciat *lib.* 1. *Parergon cap.* 39. At hodie illius loco poena Triremium subrogata est, vulgo *Galera*, ubi Rei asperis catenis vinciuntur, et ad opus remigandi damnantur: Jul. Clar. *in Praxi quaest.* 67. *et* 79 Ursaya *loc. citat. n.* 132. *et sequ.* et alii passim. 9

Degradationis poena quid sit, et in quibus casibus locum habeat? Vid. verb. *Degradatio per tot.* 10

Deportationis poena antiquitus satis frequens consistebat in amissione Civitatis retentis vita, et libertate; *leg. Relegati* 4. *et leg. Inter poenas* 6. *ff. de Interdictis, et Relegatis*: Hodie tamen in ejus locum successit bannum, seu exilium: Farinac. *loc. cit. quaest.* 19. *n.* 15. *et* 16. Clar. *in Prax. quaest.* 67. *n.* 155. et alii. 11

Detrusionis in arctum Monasterium poena antiquo jure infligi solita, *cap. Pervenit* 2. *de Adulter. cap Inter* 10. *de Purgat. Canonic. cap. Tuas* 6. *de poenis* cum similibus, hodie in desuetudinem abiit, et loco illius vel Triremes, vel carceres perpetui infliguntur: Farinac. *Prax. crimin. qu.* 119. *n.* 55. Ursaya *loc. cit.* 5. *a n.* 90. *ad* 94. Fagnan. *in cap. Cum non ab homine* 10. *n.* 104. *de Judiciis*, Reiffenst. *l.* 5. *Decretal. tit.* 37. *num.* 111. et alii. 12

Exilii poena est ejectio a Civitate, et interdum etiam a tota ditione, seu statu, quae, in praesentes dicitur *exilium*, in absentes vero, *bonnum*: Scann. *de Visit. carcer. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 15. Ursaya *loc. cit. n.* 156. et alii passim. Vide. verb. *Bonnitus, Bannum.* 13

Fustigationis poena de se clara ex ipsomet nomine est, quae irrogari solet furibus, incisoribus bursarum, truffatoribus, falsis testibus, et similibus vilibus personis: Scann. *de visitat. carcer. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 12. Ursaya *loc. citat. n.* 174. Farin. *loc. cit. quaest.* 19. *n.* 29. Gandin. *in prax. tit. de poen. Reor. quaest.* 16. De hac fit sermo in *leg. Ictus fustium* 22. *ff. de his, qui notantur infamia*, et *in leg. Fustibus* 16. *Cod. Ex quibus causis in-* 14

mia irrogatur. Vide *infra num.* 22. *de verberationis poena.*

15 Ictuum funis, seu Torturae poena est, quae infligitur in delictorum vindictam, et saepe saepius in publico loco etiam pro levibus delictis hac poena torquentur viles personae, ut pro ludis vetitis, pro delatione armorum, et similibus: Ursaya l. *c. n.* 179. et alii passim.

16 Immurationis poena est, qua Rei clauduntur intra Cellam, muro obstructa porta, et relicta tantum parva fenestra ad recipiendum lumen, et altera, per quam eis subministrari possint necessaria ad victum, qua poena puniendi sunt Religiosi haeretici; *cap. Accusatus* 8. *§. final. de Haereticis in* 6. et Moniales ob delicta carnis consummata, et scandalosa; *Sacra Congregatio Episcopor. et Regularium in Ragusina* 16. *Martii* 1620. Nicol. *in Floscul. verb. Poena num.* 2. Ursaya loc. *citat num.* 162. et alii.

17 Infamiae poena quid sit, et quos pariat effectus? Vide verb. *Infamia per tot.*

18 Inhabilitatis ad Beneficia poena, est, qua quis inhabilis, et ineptus redditur ad valide recipiendum Beneficium, Dignitatem, et Officium Ecclesiasticum, ita ut collatio ipso facto, et ante omnem sententiam sit nulla. *Communis,* et patet ex dictis sub verb. *Lex, art.* 2. *num.* 27. ubi fuit dictum, quod poena, seu Lex poenalis latae sententiae in his, quae nullam executionem requirunt, sed potius in negatione, et carentia, seu abstinentia consistunt, obligant statim in conscientia ante sententiam Judicis. Quinam autem inhabiles sint ad obtinenda Beneficia? Vide verb. *Beneficia art.* 5. *a n.* 65. *ad* 90.

19 Mitrae poena est, cum qua Reus mitratus producitur in publicum, dum fustigatur, idque pro majori ignominia, et Judices hanc poenam infligere solent lenonibus, ut observant Vulpin. *de delictis carnis quaest.* 144. *per tot.* Peguer. *decis. crimin.* 14. Sabell. *in prax. universal.* §. *Ruffiani n.* 1. Ursaya loc. *cit.* 5. *n.* 178. referens hac poena punitos fuisse publice per Urbem die 16. Septembris 1711. Maritum, et Uxorem ob lenocinium ejusdem Mariti cum sua Uxore.

20 Pecuniaria poena in hoc consistens, quod delinquens loco alterius poenae, vel una simul cum alia, certam summam pecuniariam solvere debeat, licite, et valide etiam a Judicibus Ecclesiasticis imponi potest. *Communis*, *arg. c. Statuimus* 54. *caus.* 16. *q.* 1. *cap. Dilectus* 6. *de Offic. Ordinar. cap. Postulasti* 14. *de Judaeis*, ibi: Ipsum poena pecuniaria punias, vel alia temporali, ita tamen, ut regulariter loquendo, non ipsi Judici, sed caussis piis debeat applicari, juxta dicta *art. antecedenti a num.* 50. *ad* 62.

21 Privationis Beneficiorum poena est, qua quis privatur Beneficiis, Dignitatibus, vel Officiis Ecclesiasticis rite obtentis. *Communis.* Quot autem modis, et ex quibus causis proveniat talis poena? Vide verb. *Beneficia art.* 7. *per tot.*

22 Relegationis poena, quae confunditur cum Exilio, seu Banno cum hac differentia; quod Relegatio restricta est ad certam Civitatem, et locum; Exilium autem, seu Bannum non sic; potest, et solet etiam adhiberi ab Episcopis contra Clericos delinquentes, ipsos relegando in aliquem certum locum suae Diocesis, vel etiam in exilium mittendo extra Dioecesim. *Communis* per text. *in c. Cum fortius* 1. *de calumniatoribus*, *c. Cum beatus* 8 *dist.* 45. cum similibus.

23 Stigmatis, seu Bullationis poena quid sit, et quare sublata fuerit? Vide *supra n.* 3.

24 Talionis poena est, quae indicta est contra calumniatores, seu falsi criminis accusatores a S. Damaso Papa *Epist.* 4. *cap.* 7. ut ab Adriano I. *Ep. Decret. cap.* 24. relat. *in cap. Calumniator* 2. *et cap. Qui non probaverit* 3. *caus.* 2. *q.* 3. *leg. Quisquis* 10. *Cod. de Calumniatoribus;* et est, ut Calumniator, seu falsi criminis accusator subire teneatur eas poenas, quas de jure subire debuisset accusatus, si concludenter probatus fuisset delinquens; Et quamvis haec poena videatur hisce nostris temporibus abiisse in desuetudinem, ejus tamen vim innovavit S. Pius V. Constitut. incipient. *Cum primum*; Unde adhuc omnino poena talionis infligenda est in illis locis, et Religionibus, in quibus justis de causis persuas peculiares Leges praecipitur observari, ut praecipitur observari in nostra Religione Minorum de Observantia: *Statut. Vallisolet. cap.* 7. *tit. de poena talionis*, Amenus *de delictis, et poenis tit.* 5. §. 4. *verb. Calumniator num.* 17. Compend. Sanctorum *verb. Accusatio, Accusator*, *num.* 5. 6. 8. *et* 9. *verb. Talionis poena*, Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 1. *num.* 17.

* Talionis poena antiquissima est, in legibus XII. tabularum sancita: verum de qua talionis poena hic disserat auctor, non ausim affirmare. Putat sumi consuevisse a calumniatoribus: ego tamen in corpore juris civilis non invenio, quod hujusmodi poena calumniatoribus fuerit inflicta. De hac ita *Festus in verb. Talionis:* « Talionis mentionem fieri in XII. tabulis ait Verrius hoc modo. Si membrum ruperit, ni cum eo pacit, talio esto. Neque id quid significet indicat: puto, quia notum est; permittit enim lex parem vindictam ». Legis enim hic sensus est, ut eamdem poenam quis a Judice patiatur, quam ultro intulit, ejusdem membri amissione mulctetur, quod ipse alteri rupit, quemadmodum et in lege divina *Exod. cap.* 20. *vers.* 24. 25. « Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede ».

Addit lex, *ni cum eo pacit*, id est, nisi de injuria dicendo, pactione scilicet, vel satisfactione poenam redemerit. Cujus exceptionis humanitate Legis severitas mirum in modum mitigatur, quasi lex ipsa videatur eum, qui offensus est, invitare ad veniam, aut ad id saltem, ut injuriam deprecari a se permittat. Unde merito Caecilius apud *Aulum*

Gellium lib. 20. *cap.* 1. Favorinum de atroci Talionis hujus, ut vocat, acerbitate male disserentem ita reprehendit: « Sed quoniam acerbum quoque esse hoc genus poenae putas, quae, obsecro te, ista acerbitas est, si idem fiat in te, quod tute in alio feceris? Praesertim cum habeas facultatem paciscendi, et non necesse sit pati Talionem, nisi eam tu elegeris ».

Longe severior fuerat Lex Solonis, qui, ut refert Laertius, ambos oculos erui praeceperat ei, qui oculum alteri excussisset *.

25 Triremium poena, vulgo dicta *Galera*, est qua Rei catenis asperis, et durissimis vinciuntur, et ad opus remigandi damnantur: Raynald. *tom.* 2. *ad cap.* 19. §. 4. *n.* 8. Ursaya *loc. cit. tit.* 5. *n.* 33. et alii passim.

26 Verberationis, seu Flagellationis poena, quamvis plerisque in locis in desuetudinem abierit, et Clerici praesertim verberari non consueverint, teste Claro §. *final. quaest.* 71. *n.* 2. tamen de jure adhuc infligi potest; dummodo absque sanguinis effusione, et non enormiter, sed moderate fiat: Clericus enim alium Clericum calumniose accusans, Beneficio, et Officio privari, et verberibus castigatus in exilium mitti potest, textu expresso *in cap. Cum fortius* 1. *de Calumniatoribus*, ibi: « Subdiaconus, quo indignus fungitur, privari Officio, et verberibus publice castigatum in exilium deportari »—c. *In Archiep.* 4. *de Raptoribus*: Pecuniaria poteris poena mulctare, et etiam flagellis afficere, moderatione adhibita, qua flagella in vindictam sanguinis transire minime videantur ». Clar. *loc.* c. Reiffenstuel *lib.* 5. *decretal. tit.* 2. *n.* 10. *et tit.* 37. *n.* 104. et alii passim.

27 Ultimi supplicii poena consistit in separatione animae a corpore; l. *Ultimum supplicium* 21. *ff. de poenis*, ibi: *Ultimum supplicium esse mortem solam interpretamur*. Dicitur etiam *Capitale*, *l. Praesenti* 6 *Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, ibi: *Capitali, et ultimi supplicii animadversione plectendis*. Et etiam *Capitis*, *l. Relegati* 4. *ff. de poenis*, ibi: *Poena capitis*. Item vocatur *Poena gladii* l. *Si quis* 20. *Cod. de his, qui accusare non possunt*, ibi: *Ultore gladio feriatur*. Item appellatur simpliciter *Supplicium* sine aliquo addito: per antonomasiam enim intelligitur poena mortis; *l. Qui cum major natu* 14. §. 3. *ff. de bonis Libertorum*, ibi: *Supplicium habuit*, *l. Frater* 2. *ff. de Lege Pompeja, de Parricidiis*, ibi: *Supplicio affectus*.

28 Poenam hanc ultimi supplicii, seu mortis naturalis, in tres dividit species Carena *de Offic. Inquis. par.* 3. *tit.* 13. *n.* 1. *et seq.* In quarum prima ponit illam, quae sequitur ex concrematione, ab excoriatione, et sectione per terram, ex dissectione in partes, ex objectione bestiis ad dilaniandum, ex reptatione, et laceratione per spinas, et tribulos, ex perpetuis vigiliis, ex lapidatione, et ex inedia. In secunda ponit illam, quae sequitur ex furca, et ex praecipitatione. In tertia ponit illam, quae sequitur ex capitis amputatione, et ex sanguinis per venas paulatim, et non copiose facta emissione: sic litteraliter Ursaya *loc. cit. lib.* 4. *tit.* 1. *a n.* 105. *ad* 107.

* Haec omnia luculentius explicantur a Callistrato, qui poenarum capitalium gradus distinguit. Ita ille: « Capitalium poenarum fere isti gradus sunt. Summum supplicium esse videtur ad furcam damnatio: item vivi crematio, quod quamquam summi supplicii appellatione merito contineretur, tamen (eo quod postea id genus poenae adinventum est) posterius primo visum est, item capitis amputatio. Deinde proxima morti poena, metalli coercitio. Post deinde in insulam deportatio »: *l.* 28. *ff. de poenis*.

Quamquam ultimum supplicium esse mortem solam interpretemur, ut inquit Ulpianus supra a nostro auctore allegatus, nihilominus cum multis modis inferatur, et olim inferretur, ita a nostri instituti ratione alienum non erit, ut pauca etiam attingamus super variis ultimi supplicii speciebus quae apud Romanos antiquis temporibus in usu erant, omissis illis, quae hodie in usu sunt, cum omnibus innotescant, et satis a nostro auctore exponantur, eo vel maxime, quia pleraeque parum antiquioribus dissimiles reperiuntur. Prima igitur species erat suspendium in Arbore infelici. Hujus supplicii mentionem videmus jam sub Rege Tullo Hostilio, in lege, qua creati Duumviri, qui Horatio propter caedem sororis perduellionem judicarent. Ita autem lex scripta erat: « Duumviri perduellionem judicent. Si a Duumviris provocavit, provocatione certato, si vincent, caput obnubito, infelici arbore reste suspendito »; ut testatur Livius *lib.* 1. *cap.* 26. Erant autem infelices arbores, damnataeque religione, quae nec seruntur, nec fructum ferunt, quales Populus, Alnus, Ulmus: Plin. *Hist. Natur. lib.* 26. Hanc animadversionem praecedebat verberatio, ut patet ex eodem loco Livii: Lictor, colliga manus, verberato, vel intra Pomaerium, vel extra Pomaerium caput obnubito etc.

Secunda species erat furca, quae eadem fere poena fuisse videtur ac superior. Alio nomine dicitur patibulum. Hanc praecedebat quoque verberatio, ut testatur Cic. *de divin.* §. 126. de servo quodam, qui per circum, cum virgis caederetur, furcam ferens ductus est.

Tertia species erat Crux, cujus gravior poena, quam patibuli reputabatur. « Nam patibulum appensos statim exanimat, crux autem affixos diu cruciat » inquit Isidorus *orig. lib.* 5. *cap.* 27. Hoc supplicium aliquando in carcere sumendum triumviro capitali committebatur, ut refert Valerius Maxim. *lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 2. de Alexandro quodam Fannii servo, qui sexies tortus, et a Judicibus damnatus, a L. Calpurnio Triumviro in Crucem actus est. Sed etiam foras hoc supplicium quandoque sumebatur ad summam ignominiam: Unde Cicero pro Rabirio *n.* 4 *et* 10, queritur, quod

Labienus adversus quem defensionem Rabirii suscipit, in Campo Martio Crucem ad supplicium civium defigi jubeat.

Quarta species recensetur Praecipitatio. Haec poena jam in usu fuit sub Romulo, qui, teste *Dionys. Alicarnass.* 5. *lib.* 2. cives non obscuros latrocinii convictos e rupe dejici jussit. Postea hanc poenam statuit lex XII. tabularum in eos, qui falsum testimonium dixissent, item in servos furti manifesti convictos: de qua re videndi interpretes ad leges XII. tabularum *tabula* 2. *cap.* 4. *et tab.* 7. *cap.* 10. Manlius quoque criminis affectati regni condemnatus, a rupe tarpeja praecipitatus est, ut testatur Livius *lib.* 6. *cap* 20. Hujus poenae meminit etiam Appianus *de bello civili lib.* 3. ubi refert, orta seditione occasione alicujus Amatii (qui eum aram Caesari in loco ubi crematus erat, posuisset, plebemque contra Senatum concitasset, in dicta causa necatus est), quosdam ex seditiosis comprehensos, ex quibus, quotquot servi erant, suspensos fuisse, ingenuos vero e Rupe praecipitatos. Refert pariter Cicero Philip. 1. et ad Atticum 13. Dolabellam in servos, et nefarios liberos cruce, et saxo animadvertisse. Praecipitatio igitur fiebat ex rupe Tarpeja, ut adhuc ex Gellio discimus *noct. actic. lib.* 20. *cap.* 1. Fiebat tamen interdum et ex illo carceris loco, qui *Robus* dicebatur, ut de familia Graecchorum refert Valerius Maximus.

Quinta species est Decollatio. Haec poena affecti nobiles illi adolescentes fuerunt, qui de Tarquinio reducendo conspiraverant, de quibus ita Liv. *lib.* 2. *cap.* 5. « Stabant deligati ad palum nobilissimi juvenes... Consules in sedem processere suam, missique lictores ad sumendum supplicium, nudatos virgis caedunt, securique feriunt ». Idem de Campanis refertur apud eumdem Liv. *lib* 25. *cap.* 15.

Sexta erat strangulatio in carcere. Hanc poenam Praetor exequendam committebat Triumviris, penes quos cura, et summa carceris erat. Insigne eam in rem testimonium simul, et exemplum pietatis in parentes habemus apud Valer. Max. *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 7. ubi mulierem quamdam damnatam Praetor Triumviro necandam in carcere tradiderat; cum autem custos carceris eam misericordia motus non protinus strangulasset, putans inedia facile perituram, haec Lacte filiae suae (cui diligenter prius excussae aditus ad ipsam permittebatur) deprehensa sustentari, poenae remissionem meruit. Sallustius quoque refert Lentulo Catilinae conjurationis socio, in ea parte carceris, quae Tullianum dicitur, judices capitalium rerum quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregisse.

Septima species est Fustigatio usque ad internecionem, quae poena fuit famosorum carminum ex lege XII. tabularum. « Carmen ne liceret fieri ad alterius injuriam leges sanxerunt, inquit Cicero, Tusculanarum quaestionum *lib.* 4. Hanc ipsam legem refert, et laudat D. August. *De Civit. Dei lib.* 2. *cap.* 9 Romanorum mores de cohibenda poetica licentia comparans moribus Graecorum. Vide etiam ad hanc *leg. Gothofred.* Putat Marcilius hanc poenam fustuariam duplicis generis fuisse, unam non capitalem, alteram, qua damnatus ad internecionem usque caederetur. An haec distinctio fuerit usque ab initio, non satis constat. Certum quidem est, quod Ulpianus testatur in *l.* 8. *§* 1. *et* 3. *ff. de poenis, nec ea quidem poena damnari quem oportere, ut verberibus necetur.* Econtra apud Suetonium legimus perduellium *corpus virgis ad necem caedi*; *Sueton. in Neron. cap.* 49. quod etiam patet ex Livio *lib.* 10. *Cic. pro Rabirio et Sallustio in Catilin.*

Octava species fuit poena Culei, qua plectebantur parricidae. Apud Romanos parentes non occidere solum, sed et pulsare capitale fuit, ex vetustissima Servii Tullii lege, quam ita exhibet Festus in verb. *Plorare. — Si parentem puer verberit ... puer divis parentum sacer esto.* Diis enim semel devoti, seu ob aliquod facinus sacri facti, a quolibet impune occidi poterant, tamquam Diis criminis ejus ultoribus victima illa mactaretur. Hanc legem de pulsatione parentis denuo sancire Decemviri insuper habuerunt, maxime cum Livius auctor sit *lib.* 6. Regias quoque leges separatim Romae habitas, servatasque in multis etiam, praeter illa, quae in duodecim tabulis cauta fuerant. De hac re vide *Valer. Maxim. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 13. *Festum in verbo Nuptias*, *Auctor ad Herennium lib.* 1. Hac parricidii poena primus affectus fuit Maleulas quidam anno circiter ab urbe condita 650, ut habetur ex eodem, *lib.* 68. Omittendus super hac lege non est elegantissimus Ciceronis locus in Oratione pro Roscio Amerino *num.* 26.

Anno V. C. 654. Lex Porcia a Marco Porcio Catone Tribuno plebis lata, Valerio, et Apuleio Coss. cives Romanos ab his poenis vindicaverat, sub gravissima poena prohibens, ne quis magistratus civem Romanum virgis verberaret, aut necaret, sed damnato exilium permitteret: Liv. *lib.* 10. *Cic. pro Rabir. Sallust. in Catilin.* Sed haec lex, vergente republica, minus observari coepit, et sub Imperatoribus exolevit. Sub his igitur, et jure pandectarum « summa supplicia sunt, Crux, Crematio, Decollatio » ut his verbis testatur Paulus *recept. sentent. lib.* 5. *tit.* 14. §. 19. Constantinus cruci substituit furcam. Item « capitis poena est, bestiis objici, vel alias similes poenas pati, vel animadverti *l.* 11. §. 3. *ff. de poenis* ». Hoc quoque ultimi supplicii genus Imperatores Titus, et Trajanus delatoribus inflixerunt, ut vetustissimae navi impositi mari, ac ventis committerentur: Sveton. *in Tit. n.* 28. *Plin. Panegyric. n.* 34. quam poenam minitabatur etiam Julius Caesar militibus suis: Sveton. *in Jul. n.* 26. Verum extra ordinem hoc supplicium decretum est, nec inter ordinarias poenas referendum.

Poenae vero non capitales sunt relegatio ad tem-

pus, vel in perpetuum, vel in insulam, vel cum in opus quis publicum datur, vel quum fustium ictui subjicitur l. 28. §. 1. *ff. de poenis.* Praecipua haec sunt, quae ad hunc de poenis articulum addere existimavimus. Neque enim singula, quae de poenis ad Pandectarum jura pertinent, recensentes, congruos additionum limites teneremus.'

29 Delictorum poenae variae pro varietate criminum hic subnectuntur. Et primo, Abigeatus poena de jure communi varia est pro varietate circumstantiarum delicti, et personae, ita ut aliquando ad bestias damnentur, et aliquando relegentur; *l. De abigeis puniendis* 1. *l. Abigeatus* 2. *et* l. *Oves* 3. *ff. de Abigeis:* Hodierna autem consuetudine puniri solent ut Fures, prout ad citatas Leges magis declarant Doctores.

30 Abortus poenae quae sint; Vide verb. *Abortus per tot.*

31 Abusus in Baptismo, si committatur malitiose ex parte materiae, aut formae, aut intentionis, et judicialiter posset probari, aliquem sic abusum fuisse ad positivum finem non conferendi Sacramentum, quamvis poena pro tali crudeli delicto non reperiatur in jure expressa, esset tamen ultimi supplicii, quia, si tali poena puniendus est injustus homicida corporis, ut dicetur de poena homicidii, a fortiori tali poena puniendus esset homicida animae: Amenus de delictis, et poenis tit.

32 8. §. 1. verb. 6. *Abusus in Baptismo num.* 13. *et* 14. Si abusus committatur in voluntaria, et malitiosa reiteratione Baptismi, de jure Civili est mors tam in conferente, quam in malitiose suscipiente, textu expresso in *l. Si quis* 2. *Cod. Ne Sanctum Baptisma iteretur.* Et de jure Canonico talis rebaptizans, et rebaptizatus, etiam occulte, sunt irregulares, *cap. Confirmandum* 65. *dist.* 50. *cap. Afris* 3. *dist.* 98. *cap. Qui in quolibet* 10. *caus.* 1. *quaest.* 7 *cap. Qui in his* 117. *et c. Eos* 118. *de consecrat. dist.* 4. cum similibus.

33 Abusus in Confessione, si committatur a non Sacerdote excipiente Sacramentales Confessiones, prima poena est irregularitas, *cap.* 1. *et* 2. *De Cleric. non ordinat. ministrant.* Secunda poena est, quod taliter absolvens puniatur tamquam vehementer suspectus de haeresi, ut statuit Gregorius XIII. Constit. incip. *Officii nostri.* Tertia poena est traditio in manus Judicis Laici, qui Reum ultimo supplicio afficiat, ut statuit Clemens VIII. Constit. incip. *Etsi alia*, et quamvis minor aetas salvet Reos ab ultimo supplicio, tamen si Reus hujus delicti superet annos 20. licet non compleverit annos 25. adhuc est morte plectendus, ut decrevit Urbanus VIII. Const. incip. *Apostolatus*

34 *officium.* Si committatur a Sacerdote absolvente poenitentes absque Jurisdictione, est Suspensio ex sententia Judicis. *cap. Placuit* 9. *q.* 2. *cap Placuit, de poenit. dist.* 6. cum talis se gerat ut Confessarius, et Confessarius non sit: potest insuper puniri poena falsi, *arg. l. Eos qui diversa §. final. ff. Ad Leg. Cornel. de Fals.* Amen. *loc. cit. tit.* 8. §. 4. *num.* 29. et alii. Si committatur a Sacerdote absolvente a Censuris, et casibus reservatis sine jurisdictione, est Excommunicatio, privatio Officiorum, Dignitatum, et Beneficiorum, ac inhabilitas ad ipsa, ut jussu Clementis VIII. statuit Sacra Congr. 26. Novembr. 1602 contra omnes Sacerdotes saeculares, aut Regulares praesumentes absolvere extra mortis articulum ubique a casibus contentis in Bulla Coenae, aut a quinque casibus Clementinis Papae reservatis extra Urbem, et intra Italiam. Si committatur a Sacerdote frangente sigillum Confessionis, quas poenas incurrat; Vide verb. *Sigillum Sacramentalis Confessionis a num.* 55. 35

36

Abusus in Eucharistia, si contumeliose, et sacrilege committatur, eam pedibus conculcando, brutis comedendam projiciendo, in sterquilinium, aut ignem injiciendo, aut cultro, seu pugionibus dilacerando, et hujusmodi, est mors qualificata juxta modum, et gravitatem contemptus, et quidem severior ea, quae debetur pro crimine laesae Majestatis humanae, cum longe gravius sit tale crimen laesae Majestatis Divinae. Si committatur per sacrilegum furtum ipsius, ut furans ea utatur ad superstitiones, incantationes, aliaque sortilegia, seu illam de manu Sacerdotis ore accipiat communicare fingens, et deinde ad dictos superstitiosos, et sortilegos fines conservet, atque adhibeat, est etiam mors qualificata juxta gravitatem contemptus; sicuti si furans Sacram Pyxidem, indigne projiciat SS. Sacramentum in terram Vide verb. *Fur. num.* 7. Item si furans Sacram Pyxidem ad eam conflandam, ac vendendam, et occasionative etiam Eucharistiam asportet, ultimo supplicio punitur, uti etiam morte punitur furans Sacram Pyxidem, et sacras particulas relinquens in Ciborio, Altari, aut in terra: Amen. l. *cit. tit.* 8. §. 2. *a num.* 13. *ad* 15. Vide verb. *Fur a num.* 65. Vide *infra num.* 115. Si committatur abusus per vomitum Eucharistiae causatum ex ebrietate, seu voracitate, si talis abutens sit Laicus, debet poenitere per 40. dies; si est Clericus, vel Monachus per 70. si vero Episcopus per 96. dies, *cap. Si per ebrietatem de consecrat. dist.* 2. Si autem abusus committatur in negligenti, seu minus decenti ipsius Eucharistiae custodia, ita ut ob talem negligentiam Eucharistia aliqua injuria afficiatur, is, cui demandata est talis custodia, debet per trimestre a proprio officio suspendi, textu expresso *in cap. Statuimus.* 1. *de custodia Eucharistiae. Et si per ejus incuriam aliquid nefandi inde contigerit* (ut videlicet Eucharistia fuerit a muribus corrosa, aut temeraria manu furto sublata) *ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda ..... graviori subjacere debet ultioni*, arbitrio nempe Superioris infligendae, textu expresso *in cit. cap. Statuimus.* Si tandem abusus committatur a Sacerdote, qui sine aqua, et candelis accensis, vel in pane fermentato, vel vase ligneo sacrificet, tunc Officio, et Beneficio pri- 37

38

39

40

41

vatur; lextu expresso in cap. *Litteras* 14. *de celebratione Missarum.*

42 Abusus in Matrimonio, si committatur a Clerico in Sacris contrahente Matrimonium, poena est Excommunicatio, et Irregularitas. Vide verb. *Matrim. quoad Impedim. art.* 2. *num.* 6. *et* 7. insuper tamquam suspectus de Haeresi potest puniri in Sancta Inquisitione poena arbitraria Sacrae Congregationis supremae Inquisitionis, quae poena aliquando ex circumstantiis facti extenditur usque ad damnationem ad Triremes: Amenus
43 *loc. cit. tit.* 8. §. 5. *num.* 29. Si autem committatur Polygamis, variae pro varietate abusus suoi poenae. Vide verb. *Polygamia a nu.* 27. *ad* 33.

44 Abusus in Ordine, si committatur, ex quo conferatur, et suscipiatur ante legitimam aetatem, vel extra tempora, aut sine Litteris Dimissoriis, seu sine legitimo Titulo, aut sine celebratione Missae, vel ex quo eidem conferantur duo Sacri Ordines eodem die, aut non expectatis interstitiis, variae pro varietate abusus sunt poenae. Vi-
45 de verb. *Ordo*, *Ordinare*, *artic.* 4. *per tot.* Si committatur, ex quo Ordines sint furtive suscepti, sic ordinatus non potest ministrare in taliter susceptis, nec ad superiores Ordines promoveri. Et si Episcopus protulit Excommunicationem contra furtive accedentes, solus Papa dispensare potest. Si autem Religionem ingrediatur, et in ea laudabiliter vivat, potest Episcopus, aut ejus Praelatus dispensare. Quod si Episcopus nullam excommunicationem interminavit, potest Episcopus cum illo dispensare, peracta poenitentia imposita; *c. Veniens* 1. *c. Cum collator.* 2. *c. Innotuit* 3. *de eo, qui Ordinem furtive suscepit*, Amenus *loc. c.*
46 *tit.* 8. §. 3. *num.* 19. Si committatur abusus, ex quo quis per saltum Ordinem suscipiat, ipse est suspensus ab Ordine per saltum suscepto, et non potest sine dispensatione ad alios Ordines promoveri; et ab ipsa suspensione, si promotus non ministravit in Ordine male suscepto, dispensare potest illius Episcopus, etiam cum scienter male promoto, et etiam in casu publico, ut ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 14. *de ref.* ubi Barbosa *num.* 9. Si autem ministravit, indiget dispensatione Apostolica, ut firmant Majol. Saized. Filliuc. Ricclus, Homobon. Bonacin. apud Barbos. *loc. cit. num.*
47 7. Amen. *loc. cit. num.* 22. et alii. Si committatur abusus, ex quo Clericus, aut Laicus ministret in Ordine Sacro, quem non habet, ipse est Irregularis respectu Ordinum suscipiendorum, et respectu ordinum susceptorum manet suspensus arbitrio Episcopi, qui potest (imposita prius poenitentia, et ea in parte a Reo adimpleta) illam tollere; *c. Ex litteris* 2. *de Clerico non ordinato mi-*
48 *nistrante.* Non promotus autem ad Sacerdotium attentans Missam celebrare, aut Sacramentales Confessiones excipere (post abjurationem de vehementi, et si Clericus sit, degradationem) tradendus est Curiae saeculari ultimo supplicio perimendus. Greg. XIII. Const. incip. *Officii nostri*; Clemens VIII. Const. Incip. *Etsi alias*; Urbanus VIII. Const. incip. *Apostolatus Officium.* Vide *supra num.* 23. Si tandem committatur abusus, ex quo Sacerdos absque privilegio, vel necessitate plures Missas celebret eadem die, tunc talis Sacerdos fit Irregularis: *Sac. Congregatio Concil. in Placen.* 11. *Jan.* 1710. *ad primum. dub.* Vide Verb. *Missa artic.* 5. Addit Casinenses; *et a nu.* 18. *ad* 27. ubi assignantur sufficientes necessitates celebrandi plures Missas eadem die. Et si plures Missas celebret propter solam avaritiam, et non jejunus, peccat mortaliter, et est puniendus poena arbitraria juxta circumstantias delicti, temporis, loci, et personae, cum id sit contra multos Canones; *cap. Ut jejuni dist.* 5. *cap. Nihil.* 7. *q.* 1. *cap. sufficit, et cap. Consuluisti* 3. *cap. Te referente* 12. *de celebr. Missarum* cum simil. V. Amen. *l. c.* V. Append. in fin. h. Tom. *v. Poena.*

Abusus Sacrae Scripturae variae sunt poenae pro varietate multiplicis abusus: Potest enim abusus committi in usurpatione verborum Sacrae Scripturae ad ostendendum acumen ingenii in re lubrica, aut scurrili, aut proximi contumeliosa. Vel ad irridendam simplicitatem phrasis Sacrae Scripturae, aut Mysterium aliquod Fidei, aut Ecclesiae institutionem. Vel ad docendum ex verbis Scripturae perverse detortis errorem manifestum in Fide, seu moribus. Vel tandem ad producendos malos effectus per sortilegia, incantationes etc. Hinc juxta majorem, vel minorem gravitatem abusus, attentis circumstantiis loci, temporis, personae, consuetudinis scandalosae, et mali effectus, majori, vel minori gravitate poenarum est puniendus, ut sic poena criminis commensuretur, *cap. Sane* 11. *de offic. delegat. cap Sicut dignum* 6. *de homicid.* Deuteron. *cap.* 25. n. 3. et Apocalyp. *cap.* 19. *n.* 7. Vide *art. antec. n.* 45. cum hac semper advertentia, quod si abusus Sacrae Scripturae sit ad inducendam, vel defendendam haeresim, debet puniri poena Haereticorum. 49

Adulterii poena. Vide verb. *Adulterium art.* 2. *per tot. et art.* 3. 4. *et* 5. 50

Alchimistarum poena, ut vult Amenus *loc. cit. tit.* 6. *num.* 10. est de Jure Caesareo, quod si Reus sit ingenuus, deportetur, et omnia ipsius bona publicentur: Si autem servus, ultimo supplicio afficiatur, et allegat *leg.* 1. §. *final. ad Leg. Cornel. de fals.* Et si aurum adulteratum signetur in monetam, delinquens declaratur Reus laesae Majestatis, et igne comburendus decernitur *l. Si quis nummos* 2. *Cod. de falsa moneta* Concludit tamen, quod circa hoc crimen diversificaotur poenae juxta statuta municipalia, seu consuetudines Regionum. Quae autem sit eorum poena de jure Canonico? Vide verb. *Alchmia n.* 2. *et seq.* 51

Alienationis bonorum Eccles. poena. Vide verb. *Alienatio* 6. *per tot.* et verb. *Libri a n.* 15. *ad* 23. 52

Ambitus poena, cum a Laicis committitur, vi. aut pecunia pro obtinendis publicis Officiis, ac Dignitatibus saecularibus, est, ut convictus de hoc 53

crimine uti vis publicae Reus, in Insulam deportetur; *l. Nullus* omnino, *Cod. ad Leg. Jul. de Ambitu*, et ut puniatur in quadruplum ejus, quod dedit pro assumendo Magistratu, vel pro illo dando accepit; *l. Sancimus* 6. *Cod. Ad Leg. Jul. Repetundar.* et ut sit infamis; *l. Hac Leg.* 1. *ff. de Leg. Jul. Ambitus.* Ursaya *Instit. crim. lib.* 3. *tit.* 2. *a n.* 78. *ad* 82. Si autem Clericus circa Officia, et dignitates Eccles. reus sit hujus criminis, puniri debet poena Simoniacorum, quae infra assignabitur, *sub n.* 107.

54 Annonae fraudatae poena est, quod qui aliquid facit, quo annona carius vendatur, vel impedit quominus annona in Civitatem deferatur, mulcta 20. aureorum puniatur; *l. Lege Julia* 2. *ff. Ad Leg. Jul. de Annona.* Item poena 20. aureorum puniuntur, qui monopolium faciunt, ut annona carior evadat; *l. Jubemus* 1. *Cod. de monopoliis.* Item poena criminis stellionatus puniuntur, qui publice emunt annonam pluris quam valeat, ut ceteri ad emendam eodem pretio incitentur, et sic rerum pretium augeatur; *l. Stellionatus* 3. *ff. de crimine stellionatus.* Item poena extraordinaria puniuntur, qui totam annonam emunt, quam reperiunt in Provinciis, ut soli possint eo pretio, quo volunt, eam deinde vendere; et si sint negotiatores, ac mercatores, interdicitur eis negotiatio, et interdum relegantur, si sint nobiliores; si autem humilioris status personae, damnantur in opus publicum; *l. Annonam* 6. *ff. de extraordinariis criminibus*, Ursaya *l. c. lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 36.

55 Apostasiae, seu Apostatarum poena. Vide verb. *Apostasia, Apostata per tot.*

56 Appellationis malae poena, si sit appellantium a Papa ad futurum Concilium, est Excommunicatio Papae reservata ipso facto incurrenda, quae incurritur non solum ab appellantibus principaliter, sed etiam a dantibus circa hoc consilium, auxilium, seu favorem: *Bull. Coenae Excommunicat.*

57 Si sit trahentium causam Ecclesiasticam ad Forum Laicum, appellando scilicet a sententia lata, aut obtinendo a Judicibus Laicis prohibitiones, aut mandata contra Judices Ecclesiasticos Ordinarios, aut Delegatos, aut impediendo executionem Decretorum Romanae Sedis, aut quorumcumque ipsorum Judicum, est pariter Excommunicatio Papae reservata ipso facto incurrenda, quam incurrunt non tantum principales, sed etiam dantes consilium, patrocinium, et favorem: *Bull. Coenae*

58 *Excommun.* 16. Si sit Regularium temere appellantium ad Tribunal saeculare, ultra dictam Excommunicationem latam in Bulla Coenae contra trahentes causas Ecclesiasticas ad Tribunalia Laica, Regulares sic appellantes incurrunt particulares Excommunicationes Pontificum, qui fere omnibus Ordinibus specialibus sub simili Censura vetuerunt hujusmodi appellationes, ut videre est in Compendio Privilegiorum Mendicantium, et non Mendicantium, et proprio cujusque Ordinis. Et nobis Minoribus de Observantia specialiter id prohibuit inter alios Gregorius XIII. Const. incip. *Quoniam nostro*, sub poena Excommunicationis Papae reservata ipso facto incurrenda, privationis vocis activae, et passivae omnium Officiorum Ordinis, et perpetuae inhabilitatis ad illa; quas poenas incurrunt etiam omnes quomodocumque directe, vel indirecte per consilium, auxilium, aut favorem ad talem appellationem concurrentes. Et dictas Gregorii poenas incurrunt etiam appellantes ad Tribunal Episcopi, cum Constitutio, seu 59
Breve Gregorii loquatur de *Tribunalibus saecularibus*, quale est Tribunal Episcoporum, quod non est Regulare, sed saeculare, cum Clerus, alius sit saecularis, et alius Regularis: Sanctor. *de poenis cap.* 18. *q.* 3. *vers. Respondeo* 3. Amenus *loc. cit. tit.* 2. §. 3. *n.* 35. qui *n.* 36. subdit, quod appellantes ad Tribunal Episcopi, licet incurrant poenas latas a Pontificibus contra appellantes ad Tribunalia saecularia, non tamen incurrunt Excommunicationem latam in Bulla Coenae contra trahentes causas Ecclesiasticas ad Tribunalia Laica, cum Tribunal Episcopi, licet sit saeculare, tamen non sit Laicum.

Arma prohibita deferentium poena quoad Laicos dependet a dispositione statutorum, ac Edictorum Principum, quae Edicta, seu statuta aliquando mulctas pecuniarias, aliquando poenas corporales, etiam ultimi supplicii cum bonorum confiscatione pro diversitate armorum indicunt. Universaliter autem prima poena est amissio eorumdem armorum, quamvis de hac poena nihil loquantur Statuta, et Edicta, ut cum aliis notat Ripa *de nocturna temp. cap.* 8. *n.* 63. *et* 69. Amenus *loc. cit. tit.* 7. §. 1. *n.* 17. qui ante *n.* 7. dicit, quod in statu Ecclesiastico deferentes, seu etiam domi retinentes arcibusillos breviores duobus palmis, vulgo *Mazzagatti*, furcis suspendendi sanciuntur, vocanturque rei criminis laesae Majestatis, et rebellionis a Pio IV. Constitut. 49. incip. *Cum vices ejus*, et hanc Pii IV. Constitutionem confirmavit, et ampliavit ad arma breviora tribus palmis, ut pugiones, Stylos, et cultellos, exceptis cultellis ad frangendum panem, S. Pius V. Constitut. 45. incip. *Cum vices.* Quas autem poenas incurrant Clerici, et Regulares deferentes, et retinentes arma, et an quoad haec subjaceant bannimentis Laicalibus, possintque a Curia saeculari ipsis spoliari? Vide verb. *Arma per tot.* 60 61

Assassinii poena. Vide verb. *Assassinus*, *Assassinium per tot.* 62

Astrologiam judiciariam profitentium poena. Vide verb. *Astrologia, Astrologus*, et verb. *Superstitio a n.* 40. 63

Bestialitatem committentium poena. Vide verb. *Luxuria n.* 69. 64

Blasphemias loquentium poena. Vide verb. *Blasphemia art.* 2. *per tot.* 65

Calumniatorum poena est, quod in primis teneatur calumniator Reo refundere expensas litis, et resarcire omne damnum eidem secutum; Farin. 66

in prax. crim. q. 16. *a n.* 10. Clarus *q.* 62. *n.* 4.
Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 2. *n.* 6. et commu-
nis aliorum; *arg. l. Eum, quem* 79. *ff. de judiciis,*
l. Properandum 13. *Cod. eod. cap. Finem* 5. *de*
dolo cum similibus. Item Calumniator evadit in-
famis infamia juris; *c. Si quis* 1. *caus* 2. *quaest.*
3. *l. Praetoris verba* 1. *et l.* 1. *Athletas* 4. §. 4.
ff. de his, qui notontur infomia, *l. Nostris* 8. *C.*
67 *de Calumniatorib.* cum similibus. Unde incurrit e-
tiam Irregularitatem; ita ut neque Ordines susci-
pere, neque susceptos exercere valeat, *cap. Qui*
aliquo crimine 5. *dist.* 5. *cap. Infomes* 17. *caus.*
6. *q.* 1. ac fit inhabilis ad Beneficia, et dignita-
tes Ecclesiasticas, *arg. cap. Inter* 11. *de excessi-*
68 *bus Praelat.* cum similibus. item incurrit poe-
nam talionis; *c. Calumniator.* 2. *et c. Qui non*
probaverit 3. *caus.* 2. *q.* 3. *l. Quisquis* 10. *Cod.*
69 *de Calumniator.* Vide *supra n.* 24. Item Clericus
alium Clericum calumniose accusans, Beneficio, et
Officio suo privari, et verberibus castigatus in e-
xilium mitti potest, *cap. Cum fortius* 1. *de ca-*
lumniatoribus cum similibus. Vide *supra n.* 62.
70 Collusionis, seu praevaricationis poena, quam-
vis sit arbitraria, seu extraordinaria pro diversi-
tate circumstantiarum imponenda; *l. Sciendum* 2.
ff. de praevaricatione, ibi: « Sciendum est, quod
hodie iis, qui praevaricati sunt, poena injungitur
extraordinaria »; juncta *l. Accusatorum* 1. §. 7.
ac l. Et in privatis 3. *ff. Ad Senatus consultum*
Turpillianum; tamen Praevaricator etiam poenam
71 infamiae in specie incurrit; *Si is* 4. *ff. de praeva-*
ricatione. Si autem collusio fiat super Beneficio
Ecclesiastico (uti casus habetur *in cap. Audivi-*
mus 3. *de collusione detegenda*) uterque collulen-
tium privari debet ipso Beneficio, tum ne fraus,
et dolus alicui patrocinetur, *cit. cap. Audivimus*
cum similibus; tum ne delicta maneant impunita,
contra *l. Ita vulneratus. ff. Ad Leg. Aquil. cap. ut*
famae 35. *de sentent. Excomm.* « ibi: « Cum pu-
blicae Communitatis intersit, ne crimina maneant
impunita ».
72 Et hic adverte, quod a Collusio est inter Acto-
rem, et Reum latens, et fraudolenta conventio,
qua interveniente, aliquando delicta manent im-
punita, vel etiam committuntur, ut explicat Glos-
sa *in cit. cap. Audivimus, verb. Collusione.* Unde
Actor, seu Accusator in Judicio dicitur colludere
cum Reo convento, seu accusato, si ejus partes
adjuvet celando, vel dissimulando veras probatio-
nes, et falsas defensiones, seu exceptiones admit-
tendo, vel ab accusatione omnino desistendo, ut
Reus absolvatur, et poenam ipsi infligendam evi-
tet, ac judicium publicum reddatur illusorium,
arg. c. Scripta 1. c. *Audivimus* 3. *c. In tantum*
1. *de Collusione detegenda.* Haec autem Collusio a
Civilistis vocatur *Praevaricatio*, quae est verorum
criminum palliatio: Praevaricari enim est vera
crimina abscondere, et palliare, ad hoc ut veritas
non appareat, *l. Accusatorum* 1. *§. Calumniari*,
Ad Sen. C. Turpillianum. Ille enim praevaricator
dicitur, qui aliquem de vero crimine accusat, sed
veras probationes omittit, et fictitias solum addu-
cit, ut ex eis nihil contra accusatum concludi pos-
sit; *leg. Praevaricator* 1. ibique Glossa, *ff. de*
Praevaricatione. Item Collusio a Civilistis vocatur 73
Tergiversatio, quae nihil aliud est, quam accusa-
tionis desertio, dum nempe accusator ab accusa-
tione jam coepta omnino desistit. Tergiversari e-
nim in universum ab accusatione desistere est;
leg. Accusatorum 1. *ff. Ad S. C. Turpillianum.*
Vide *n.* 208.
Concubinatus poena, quamvis olim de jure Ci- 74
vili nulla ordinaria, et determinata fuerit expres-
se statuta, *l. In Concubinatu* 3. §. 1. *de Concubi-*
nis, et leg. Unic. Cod. de concubinis, tamen hisce
temporibus, etiam in foro saeculari punitur, et
quidem gravius, quam simplex fornicatio, scili-
cet poena extraordinaria, et arbitraria Judicis;
Clarus *in praxi §. Fornicatio sub num.* 6. Decian.
lib. 6. *cap.* 21. *n.* 38. Panimol. *decis.* 19. *n.* 28.
Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 16. *n.* 62. Engel
ibid. n. 22. et alii passim. De jure autem Cano- 75
nico Concubinatus semper fuit prohibitus, et spe-
cialibus poenis punitus, tam respectu Laicorum,
quam Clericorum, ut patet ex Concilio Tolet. 1.
c. 17. Concil. *Aurelian. III. c.* 9. Conc. *Turon.*
IV. c. 10. Concil. *Triburiens. I. cap.* 49. Concil.
Roman. *sub Nicolao II. cap.* 13. Concil. Medio-
lanen. *II. tit.* 1. *Decret.* 29. Concil. Lateran. *V.*
sess. 9. *in Bulla reform. Curiae, et ex cap. Au-*
dite 6. *dist.* 33. *Concubinae* 5. *caus.* 32. *q.* 2. *cap.*
Nemo 4. *c. Dicat* 9. *caus* 32. *quaest.* 4. *cap. Cum*
dilectus 20. *de accusationibus, cap. Si Concubinae*
55. *de sent. Excomm.* cum similibus, et speciali-
ter Conc. Trident. *sess.* 24. *de reform. Matrimon.*
cap. 8. ubi contra Concubinarios Laicos sic prae-
cise statuitur: « Grave peccatum est, homines so-
lutos concubinas habere; gravissimum vero, et in
hujus magni Sacramenti singulare contemptum
admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis
statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam
cum uxoribus alere, et retinere. Quare, ut huic
tanto malo S. Synodus opportunis remediis pro-
videat, statuit, hujusmodi concubinarios, tam so-
lutos, quam uxoratos, cujuscumque status, digni-
tatis, et conditionis existant, si postquam ab Or-
dinario etiam ex officio ter admoniti ea de re fue-
rint, concubinas non ejecerint, seque ab earum
consuetudine non sejunxerint, Excommunicatio-
ne feriendos esse, a qua non absolvantur, donec
re ipsa admonitioni factae paruerint. Quod si in
concubinatu per annum, Censuris neglectis, per-
manserint, contra eos per Ordinarios severe pro
qualitate criminis procedatur: Mulieres, sive con-
jugatae, sive solutae, quae cum adulteris, seu con-
cubinariis publice vivunt, si ter admonitae non
paruerint, ab Ordinario locorum, nullo etiam re-
quirente, ex officio graviter pro modo culpae pu-
niantur, et extra Oppidum, vel Dioecesim, si id
eisdem Ordinariis videtur, invocato, si opus fue-

rit, brachio saeculari, ejiciantur, aliis poenis contra adulteros, et concubinarios inflictis in suo robore permanentibus ».

76 Ad hoc, ut Ordinarius possit ferre sententiam Excommunicationis contra Concubinarios, praecedere debent tres monitiones distinctae, et separatae, ex quibus eorum vera contumacia eliciatur non resipiscendi a peccato; Si autem Episcopus velit eos punire poenis pecuniariis, aut aliis a jure communi, vel a Synodo statutis, non requiritur talis trina praevia monitio, sed, probato concludenter crimine, potest poenam infligere, ut declaravit *Sacr. Cong. Conc.* cujus declarationem refert Gabriel Pereira *de manu Regio part.* 2. *cap.* 34. *n.* 12. *in fine, vers. Quare*, relat. a Barbosa in Conc. Trident. *cit. sess.* 24. *cap.* 8. *n.* 4. his verbis: « Ad quartum respondetur, trinam monitionem tunc tantum esse necessariam, cum ad Excommunicationem contra concubinarios proceditur, quod si aliis poenis a jure communi, vel a Synodo statutis Episcopus afficere velit hujusmodi delinquentes, utique trinam monitionem mini-
77 me requiri ». Episcopus potest punire concubinarios, non solum poena pecuniaria, sed etiam poenis corporalibus, nempe carceris, fustigationis, et hujusmodi, maxime si sint personae viles, et infimae plebis, cum ratione concubinatus reddantur infames, et ut tales repellantur ab accusando, et testificando, *arg. cap. Cum dilectus* 29. *de accusationibus*, juncta Glossa *ibid. verb. Concubinarius*,
78 Amenus *loc. cit. tit.* 4. §. 3. *num.* 17. Concubinatus crimen est mixti fori, ut tenent Barbosa in Concil. *sess.* 24. *de reform. Matrimon. cap.* 8. *num.* 5. cum pluribus ibi citatis, Amenus *loc. cit. num.* 14. cum multis ibi allegatis, et alii
79 plures. Unde saecularis concubinarius punitus de hoc crimine a Judice Laico, potest iterum puniri ab Ecclesiastico, et sic viceversa, quia Judex Laicus procedit ad solam punitionem hujus delicti, ne crimina maneant impunita, Ecclesiasticus autem procedit ad correctionem morum pro salute animae. Hinc cum diversi sint fines Judicum in ferenda poena, unus post alium potest procedere, et punire, ut tradunt Pereira *loc. cit. num.* 22. Amenus *loc. cit. num.* 14. Barbosa *loc. cit. num.*
80 6. et alii. Concubinarius, si moriatur in concubinatu, nullo dato signo poenitentiae, carere debet Ecclesiastica sepultura, et si sine poenitentiae signo in loco sacro fuerit sepultus, debet exhumari, et in loco profano sepeliri, *cap. Sacris* 12. *de sepulturis, Clementin.* 1. *de sepultur.* Amenus *l. cit. num.* 18. cum pluribus ibi allegatis, Farinac. *loc. cit. q.* 138. *num.* 68. *et seq.* Paulmol. *dec.* 59. *a num.* 11. Ursaya *loc. cit. lib.* 3. *tit.* 5. *nu.* 220. et alii.

81 Clericorum Concubinariorum poenae sunt, quod ab ipsis nullus Missam audire, aut Sacramenta recipere debeat, excepto Baptismo, Poenitentia, et Sacro Viatico, *cap. Nullus*, *cap. Praeter*, *dist.* 32. Item, quod, si moniti non resipiscant, sint ab Officio, et Beneficio suspensi; *cap. Sicut* 4. *de cohabitat. Clericor. et mulier. cap. Quaesitum, cap. Vestra, tit. eod. c. A multis* 9. *de aetat. et qualit. praeficiend. cap. Decernimus*, *cap. De his, c. Presbyter distinct.* 28. *cap. Erubescant distinct.* 32. cum similibus, Concil. Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 14. *de reformat.* et quod Clerici concubinarii notorie, et publici tales sint ipso jure suspensi ab Officio, et Beneficio, ita quod si celebrent, incurrant Irregularitatem, decisum referunt Belletus *disquis. Cleric. part.* 2. *tit. de disciplin. Cleric.* §. 5. *num.* 45. Nicol. Garcias *de Benefic. p.* 7. *cap.* 14. *num.* 11. *et* 15. Barbosa *in Conc. Trid. sess.* 25. *de reformat. cap.* 14. *num.* 17. et alii, *arg. cap. Is, cui* 20. *de sent. Excomm. in* 6. Item si adhuc contumaciter in concubinatu persistant, sunt excommunicandi: *cap. Si quispiam* 2. *cap. Clericos* 3. *de cohabit. Clericor. et mulier.* Concil. Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 14. *vers. Sed si postquam.* Et si adhuc non se corrigant, perpetuo deponantur, textu expresso *in c. Sicut* 4. *et cap. Si autem* 6. *de cohabit. Clericor. et mulier.* Item efficiuntur infames, et inhabiles ad Beneficia, et dignitates obtinendas, *c. Infames* 6 *q.* 1. Concil. Lateranense V. *sess.* 9. *Bulla de reform. Curiae cap.* 3. Leo X. Const. incip. *Supernae.* Clerici concubinarii non habentes Beneficia debent ab Episcopo puniri poena carceris, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad Beneficia, aliisque modis juxta Sacros Canones: Sic expresse Conc. Trid. *cit. cap.* 14. *vers. Clerici vero.* Et tandem omnes Clerici concubinarii, si moriantur in concubinatu sine signo poenitentiae, carere debent sepultura Ecclesiastica, et si sine poenitentiae signo in loco sacro fuerint sepulti, debent exhumari, et in loco profano sepeliri; *cap. Sacris* 12. *de sepultur. Clementin.* 1. *de sepultur.* Vide *supra num.* 80.

Concussionis poena de jure communi est ex- 82
traordinaria, et pro modo, et qualitate delicti infligenda: Glossa, *in l. Si simulato* 1. *verb. Coercet*, ubi Bartolus, et Salicet. *ff. de concussione*, Raynald. *lib.* 2. *observat. criminal. cap.* 14. *nu.* 92. cum pluribus ibi citatis, ubi ex aliis refert, concussores aliquando fuisse flagellatos, seu fustigatos, aliquando ad Triremes transmissos, aliquando in exilium extra Provinciam, aliquando ad privationem Officii: Ursaya *lib.* 2. *tit.* 2. *a n.* 104. ubi dicit Concussores posse puniri Civiliter, et Criminaliter. *Civiliter* mediante pecuniae restitutione eum concussione extortae, per text. *in l. Si simulato* 1. *ff. de concussione*, et Gloss. *ibid. verb. Ablatum: Criminaliter* vero poena extraordinaria.

Hic autem adverte, quod Concussio nihil aliud 83
est, quam extorsio pecuniarum facta per vim, vel metum, et dicitur quasi intimoratio, quia terror, et timor incutitur ad extorquendum ab aliquo pecuniam: *l. Simulato* 1. *et Lege Concussionis* 2. *ff. de Concussione.* Raynald. *loc. cit. num.* 88.

cum aliis ibi allegatis, diciturque Concussio, quasi timoris Incussio; Ursaya *loc. cit. num.* 73. Brugiot. *Institut. crim. lib.* 12. *tit.* 19. *num.* 30. *et*
84 *seq.* Et quamvis concussio soleat committi a persona habente Officium, ut quando Officialis, seu Judex indebita aliquem vexando, pecuniam ab eo invito extorquet, *l. Quod evitandi* 3. *Cod. de condition. ob turpem caus.* veluti si Judex minetur honestae mulieri processum de crimine adulterii, nisi ei pecuniam det, juxta exemplum Jodoch. in *prax. crimin. cap.* 129. *de Concuss. num.* 5. tamen potest committi a quavis alia persona, ut innuit Glossa *in l. Si simulato* 1. *verb. Oblatum.*, ubi Bartol. *ff. de Concussione*, et Farinac. *quaest.* 111. *num.* 46 Raynald. *loc. cit. num.* 98. veluti si non Judex, sed quivis alter privatus, alicui minetur, se illum accusaturum de crimine aliquo non commisso, nisi sibi pecuniam det, et ideo ab ipso pecuniam extorqueat, l. *Si simulato* 1. *et* l. *Concussionis* 2. *ff. de Concussione*, Decian. *lib.* 8. *c.* 35. *num.* 24. Ursaya *loc. cit num.* 76.

85 Adverte hic etiam, quod quamvis haec tria, scilicet *Concutere*, *Compellere*, *et Superchiare* videantur esse Synonima, ac unum et idem significare, tamen, ponderata vi, et natura cujuslibet horum, intercedit inter ipsa aliqua differentia. Nam *Concutere* dicitur is, qui metum infert, et, eo illato, alium invitum inducit ad faciendum, quod non vult: Amad. *de Syndic. n.* 165. Raynald. *l.* 1. *observ. ad cap.* 12. §. 2. *ad* 4. *num.* 22. Ursaya *loc. cit. lib.* 2. *tit.* 5. *num.* 242. Farinac. *qu.* 211. *num.* 42. *et* 45. ut explicat verb. *Concutere*, hoc est *intimorare*, quod significat actum intrinsecus animum perstringentem, juxta text. *in l. Saeculari* §. *Sunt quaedam*, *ff. de extraordin. criminibus*. *Compellere* autem dicitur is, qui per vim aliquem repugnantem inducit ad aliquid faciendum, argumento eorum, quae dicit Farinac. *q.* 109. *num.* 76. Raynald. *loc. cit. numer.* 21. *Compellere* significat actum extrinsecus personam attingentem, *arg. l. In eadem Lege, verb. dejecerit*, *ff. Ad leg. Jul. de vi pub.* *Superchiare* dicitur is, qui recurrit ad favorem potentis, vel alicujus factionarii ad hoc ut ope, et auxilio ejusdem inducat aliquem ad contrahendum, vel distrahendum, seu *Superchiare* dicitur is, qui ad perterrefaciendum adversarium, ad hoc ut desistat a lite, vel aliud faciat, superimponit domui inscriptionem alicujus potentis, vel in actis asserit domum, seu fundum esse alicujus potentis; *l. Unic.* « de iis, qui Potentiorum nomine titulos praediis affigunt, vel eorum nomina in lita praetendunt »; et *Superchiare* significat utrumque actum, scilicet intrinsecus, et extrinsecus personam attingentem, nam et incutit timorem intrinsecus, et inducit compulsionem extrinsecus; Raynald. *loc. cit. num.* 25. *et* 30. Ursaya *loc. cit. num.* 241. et alii.

86 Consortii suspecti poenae in Clericis, ex decreto Conc. Trid. *sess.* 25. *de reform. c.* 14. prohibente Clericis non solum Concubinatum, sed etiam consortium suspectum, ibi: « Prohibet Sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra retinere, aut cum illis consuetudinem habere audeat »; sunt sequentes, nempe, quod si moniti a Superioribus non desistant a tali suspecto consortio « pro prima vice priventur tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum Beneficiorum suorum quorumcumque, et Pensionum ipso facto »; si secundae monitioni non paruerint « Fructus Beneficiorum ex integro amittant »; et si post tertiam monitionem adhuc perseverent « priventur Beneficiis; et si postquam eas dimiserint, semel intermissum consortium repetere, aut alias scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, praeter praedictas poenas, excommunicentur »; sic expresse Concil. Tridentin. *loc. cit.*

Quo ad poenas Clericis Beneficia, et Pensiones non habentibus, at hujus criminis reis debitas, sic statuit Concilium *loc. cit.* ibi: « Clerici vero Beneficia Ecclesiastica, aut Pensiones non habentes, juxta delicti, et contumaciae perseverantiam et qualitatem, ab ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad Beneficia obtinenda, aliisve modis juxta Sacros Canones puniantur ». 87

Poena lata pro frequentantibus Monasteria Monialium, sirque Reis quodammodo suspecti consortii, si sint Clerici, est depositio, si autem Laici, est Excommunicatio, si, non obstante canonica monitione, non desistant, textu expresso *in cap. Monasteria* 8. *de vita et honestat. Clericor.* Si vero sint Regulares, variis aliis subjiciuntur poenis. Vide verb. *Moniales art.* 4. *a num.* 12. *usque in finem.* 88

Conspirantium poenae, si conspiratio facta sit in Principem supremum, sunt ipsaemet. statutae pro Reis laesae Majestatis, quae adducentur *infra num.* 148 Si conspiratio facta sit contra Episcopum, aut Clericum a Clericis, seu Monachis, debent deponi; si a Laicis, debent excommunicari, et omnes declarari infames, ac poena carceris puniri. *cap. Conjurationum* 20. *c. Conspirationum* 21. *c. Si qui Clerici* 22. *cap. Si Clerici* 23. *cap. Si qui Clericorum* 24. *caus.* 11. *q.* 2. Si conspiratio facta sit a Laicis contra privatam personam, est poena arbitraria, *l. Hodie* 13. *ff. de poenis*, Amenus *loc. cit. tit.* 2. §. 4. *num.* 8. Si conspiratio facta sit a Regularibus contra Superiorem, vel aliquem particularem Religiosum, attendi debent poenae statutae a suis specialibus respective Constitutionibus. 89 90 91 92

Dilapidationis poena, si dilapidatio facta sit a Laico habente administrationem communis pecuniae, et bonorum alicujus communitatis, Collegii, Societatis, et hujusmodi, et contra istos tamquam dolo malo delinquentes in dilapidatione procedatur, talis damnandus est ad compensationem 93

damni, et pro qualitate culpae puniendus poena peculatus; Amenus *loc. cit. tit.* 3. §. 7. *num.* 20.
94 *et* 21. Vide verb. *Peculatus per. tot.* Si dilapidatio facta sit a Praelato saeculari absque dolo, sed sola incuria, imprudentia, aut inhabilitate ipsius, dandus est ei Coadjutor, sine quo nihil agere possit, et prohibenda est utrique omnis alienatio, *cap. Venerabili* 37. *de Offic. delegat.* et ibi Abbas
95 *num.* 6. *et* 11. ac alii passim Si autem facta sit ex dolo, debet deponi, *cap. Apostolicas* 13. *et c. Monemus* 58. *caus.* 12. *q.* 2. Et idem dicendum est de quolibet Clerico beneficiato bona Beneficii sui dilapidante; Bernardus Diaz *pract. crimin.*
96 *canon. c.* 71. Amenus *loc. cit. num.* 22. Et si dilapidatio facta sit a Clerico Officiali amovibili, ut Syndico, aut Procuratore Capituli, si probetur Reus dolosus, puniendus est poena peculatus arbitrio Judicis, Amenus *loc. cit. num.* 22. Vide verb. *Peculatus per tot.* Regulares tandem dilapidatores bonorum Conventus, et Religionis puniendi sunt juxta proprii Ordinis statuta, et Constitutiones.
97 Duellantium poenae. Vide verb. *Duellum, art.* 2. *per tot*
98 Expilatae hereditatis poena est arbitraria, juxta facti, et personarum qualitatem, *l.* 1. *et* 3. *ff. expilatae hereditatis;* Card. de Luca *in Summa de hereditat. n.* 13. Ursaya *Instit. crim. lib.* 2.
99 *tit.* 10. *num* 54. cum aliis ibi citatis. Pro intelligentia autem criminis expilatae hereditatis advertendum est, quod herede non adeunte hereditatem, hereditas dicitur jacens, et nullum dominum habere dicitur; *l.* 1. §. *Scevola*, *ff. Si quis testam. liber. esse*, et consequenter, si aliqua res hereditaria sublata fuerit, non est proprie furtum, sed ab ipso actu expilationis, et diminutionis hereditatis crimen expoliatae hereditatis appellatur, et eas res auferens, non fur, sed expilator hereditatis dicitur: *l. Si expilatae hereditatis* 2. *ff. Expilatae, hereditatis*, Ursaya *loc. c. n.* 54. Brugiot. *Instit. crim. lib.* 3. *tit.* 8. *n.* 2. ubi quod Expilator hereditatis dicitur improbior fure.
100 Falsariorum poena. Vide verb. *Falsarius.*
101 Falsificantium monetas poena. Vide verb. *Moneta.*
102 Fornicationis poena, quamvis olim de jure Civili nulla fuerit constituta, *l. Si uxor.* 13. §. 2. *ff. Ad l. Jul. de adult. et l. Quae adulterium* 29. *Cod. eod.* Tamen hodie Laici fornicatores, nedum in Foro Ecclesiastico, et de jure Canonico, sed etiam in Foro Civili, pro diversitate personarum, et circumstantiarum, puniri solent poena arbitraria: Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 16. *n.* 55. Ursaya *l. c. lib.* 3. *tit.* 5. *n.* 221. Panimol. *decis.* 38.
103 et alii apud Farinac. *q.* 137. *n.* 36. Clericorum fornicantium poenae ex antiquis Canonibus variae erant, ut patet ex *Canone* 24. *Apostolorum*, *c. Presbyter et Diaconus dist.* 81. *cap. Si quis Episcopus ead. dist.* 81. *c. Presbyter* 51. *dist.* 82. *cap. Attendendum* 57. *q.* 4. *Cap. Sicut* 4. *Cap. Si autem* 6. *de cohabit. Cler. et mulier. Cap. Clericorum* 13. *de vita et honest. Clericorum.* Ast hodie ex communi praxi poena Clericorum fornicantium est arbitraria, et ad pecuniariam reduci solet, et juxta qualitates personarum, et circumstantias delicti, quandoque extenditur ad carcerationem, et potest extendi etiam ad suspensionem, et privationem Beneficii, si Fornicatio fuerit notoria, et scandalosa; Abbas *in cap. At si Clerici n.* 35. *de Judic.* Farin. *q.* 137. *nu.* 17. *et* 24. Fagn. *in cap. Non debet, n.* 8. *de consanguin. et affin.* Panimol. *dec.* 38. *n.* 6. Reiffenst. *lib.* 3 *decr. tit.* 2. *a nu.* 49. *et lib.* 5. *tit.* 16 *n.* 58. *et seq.* Amenus *l. c. tit.* 4. §. 3. *n.* 13. ubi observat, quod poena ab antiquis Canonibus statuta jam abierit in desuetudinem.

Furti poena pecuniaria est, ut, si sit furti ma- 104
nifesti, praeter rem Furto ablatam, solvatur quadruplum; et si sit furti non manifesti, solvatur duplum, textu expresso §. *Poenam* 5. *Inst. de obligationibus, quae ex delicto nascuntur*, ibi: «Poena manifesti furti quadrupli est . . . non manifesti, dupli». Et concordat §. *Furti actio* 19. *Instit.*
eod. et §. *Ex maleficiis* 18. *Inst. de actionibus.* Poe- 105
nae autem Criminales Furti, praeter solutionem quadrupli, vel dupli, sunt, quod in primis Furti condemnatus sit infamis, *l. Athletas* 4. §. *fin. ff.*
de his, qui infamia notantur. Deinde, si crimina- 106
liter agitur contra fures, vi juris antiqui puniuntur poena arbitraria, vel pecuniae Fisco applicandae, vel fustigationis, vel carceris, vel exilii, et hujusmodi, pro diversitate criminum, personarum, et aliarum qualitatum, ac circumstantiarum, *l. Meminisse* 92. *ff. de furtis;* l. *Fures* 1. *et l. Sed si ff. de furibus balneariis*, *l. De his* 1. *et l. Inter* 2. *ff. de Effractoribus, et Expilatoribus, Sed novo jure, Cod. de servis fugitiv. Novella, Ut nulli Ju-*
dicum 134. *cap.* 13. *vers. Pro furto.* Ita tamen, 107
quod pro simplici furto vetitum fuerit aliquem puniri poena mortis, aut mutilationis, textu expresso *in cit. Authent. Sed novo jure*, *et cit. Novella Ut nulli Judicium.*
Jure autem novo Caesareo Friderici I. et Ca- 108
roli V. pro furtis poenae graviores, etiam mutilationis, et mortis sunt statutae: Dictus enim Fridericus I. *lib.* 2. *Feudor. tit.* 27. §. 8. sic expresse statuit; «Si quis quinque solidos valens, aut plus fuerit furatus, laqueo suspendatur: Si minus, scopis, et forcipe excorietur, et tondeatur». Et Carolus V. *in Constitutione Crim. de poenis Furti* ubique recepta, teste Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 18. *n.* 37. sic statuit, nempe, quod Furtum, primum, seu prima vice commissum, si sit parvum, idest quinque solidos non attingens, et simplex, idest tale, quod in solo furandi actu sine concurrentia alterius delicti consistat, et non sit manifestum, puniatur poena dupli, si fur est solvendo; si non, poena carceris, ac debeat rem ablatam restituere; *art.* 157. Si vero hujusmodi primum simplex, et parvum furtum sit manifestum, et fur honestae conditionis existat, spesque emendationis

appareat, punitur poena quadrupli, si est solvendo; sin minus, poena carceris corporalis. Si autem fur vilis conditionis sit, ad numellas virgis damnatur, et relegatur, ita tamen quod uterque prius restituat rem ablatam, vel aestimationem ejus; *art.* 158. Si tamen furtum primum simplex, et magnum sit, idest quinque solidos adaequans, vel excedens, arbitrio Judicis puniendus relinquitur; *art.* 160.

109 Furtum secundum, seu secunda vice commissum, si utriusque valor quinque solidos non adaequat, hanc poenam secum trahit, videlicet positionem pro numellis, relegationem, et confinationem; Si vero quinque dictos solidos excedat, poena Judicis arbitrio imponitur; *art.* 161.

110 Furtum tertium, seu tertia vice commissum, etiam simplex, nulla attenta quantitate, et valore rei ablatae, poenam capitalem habet, ita ut mas laqueo, foemina autem suffocatione aquae, vel alia simili mortis poena, gladii v. g. perimatur; *art.* 162.

111 Furtum violentum vero, idest quod cum aedium effractione, vel cum telo, et armis fit, quod etiam furtum periculosum vocatur, poena capitali, vel si circumstantiae aliud suadent, non capitali punitur; *art.* 159. Sic Reif. litteraliter *l. citat. nu.* 37. *ad* 41.

112 Ex dicta Constitutione Carolina *sub nu.* 108. relata patet, quod furti, etiam parvi, tertia vice commissi poena est mors; quod tenent Clarus §. *Furtum nu.* 14. Bajard. ad Clar. *in §. Furtum n.* 28. 29. *et* 38. Reiffenst. *l. c. n.* 40. Mascard. *de probation. lib.* 2. *Concl.* 838. *nu.* 6. Menoch. *de arbit. Judic. l.* 2. *caus.* 205. *n.* 17. Gram. *vot.* 9. *n.* 25. *et vot.* 17, *n.* 25. Jodoch. *in practic. crim. c.* 110. *rubr. de furt. n.* 35. Pirhing. *l.* 5. *decret. tit.* 8. *n.* 22. *et seq.* Amenus *l. c. tit.* 3. §. 8. *a n.* 18. *ad* 20. et alii plures tenentes, quod tria furta, etiam parva, poenam mortis importent; Dummodo sint non solum re, sed etiam loco, tempore, et intentione distincta.

113 Et ex citata Constitutione Federici 1. allata *sub n.* 108. colligitur, quod poena mortis possit infligi etiam propter unicum simplex furtum magnum, quod et innuere videtur etiam Constitutio Caroli V. allata *supra n.* 108. *in fine*, ubi dum pro uno simplici furto magno relinquit poenam arbitrio Judicis, videretur statuere, quod si furtum tam magnum sit, ut arbitrio Judicis poenam mortis mereatur, eam imponere possit, et sic tenent Baldus *in Authentic. Sed novo jure nu.* 5. *Cod. de servis fugitiv.* Covarruv. *lib.* 2. *variar. resol. cap.* 5. *n.* 8. Menochius *de arbitr. Judic. cas.* 295. *num.* 9. Reiffenst. *l. c. n.* 43. Amenus *l. c. tit.* 3. §. 6. *a n.* 23. Caballus *resolut. crim. centur.* 5. *cas.* 18. *n.* 6. cum pluribus aliis ibi citatis contra varios alios.

114 Si furtum sit sacrilegum, variis punitur poenis pro varietate rerum, personarum, circumstantiarum, modi, temporis, aetatis, et sexus, textu expresso *in l. Sacrilegii* 6. *ff. ad Leg. Jul. Peculatus.* Hinc furtum Sacrae Hostiae, vel unius, vel plurium Particularum consecratarum cum Sacra Pyxide, vel sine illa, punitur poena mortis, ut tradunt communiter Doctores, et statuit Carolus V. *Const. Crimin. art.* 172. decernens, quod hujusmodi fures vivi comburantur, et Innocentius XI. Constit. incip. *Ad nostri Apostolatus auditum*, decrevit, quod tales fures confessi, aut convicti, etiam pro prima vice, a Curia Ecclesiastica, seu Sancti Officii, cui hujus criminis spectat cognitio, tradantur Curiae saeculari condignis poenis pro criminis atrocitate puniendi, non obstante minori aetate, dummodo 20. annum attingant. Vide *supra n.* 38. 115

Si fur vas aureum, vel argenteum cum, vel sine Reliquiis, aut Calicem, vel Patenam abstulerit, vel Ecclesiam, seu Sacristiam, aut gazophylacium, seu Cippum, vel capsam eleemosynarum animo furandi effregerit, aut dolosis instrumentis aperuerit, poena corporali, vel capitali exasperata, vel mitigata pro diversitate circumstantiarum est puniendus, ut statuit Carolus V. *cit. sua Constit. Criminal. art.* 172. *et* 173. et concordat *l. Sacrilegii* 9. *et leg. Hac lege* 10. *ff. Ad l. Jul. Peculatus. l. Si quis* 10. *Authent. de Episc. et Clericis.* 116

De jure Canonico furti Sacrilegi Poena, si sit factum cum fractura muri, portae, aut Sacrae Ecclesiae, aut hujusmodi, est Excommunicatio latae sententiae, *cap. Canonica* 107. *caus.* 11. *q.* 3. *cap. Omnes* 5. *caus.* 17. *q.* 4. *Cap. Quisquis* 21. *eadem caus. et qu: et cap. Conquesti* 22. *de sent. Excommun.* Quae excommunicatio post denunciationem ab Episcopo factam, a Papa solum potest absolvi, *cap. Conquesti* 22. *de sentent. Excommun.* juncto ejus Summario sic dicente: *Qui cum effractione spoliant Ecclesias, excommunicati sunt, et per Papam tantum post denunciationem absolvuntur:* Amenus *loc. cit. n.* 34. Si autem furtum sacrilegum commissum fuit sine ulla effractione, ejus poena est quidem Excommunicatio, sed solum ferendae sent. text. expresso *in cap. Conquestus* 16. *de foro competent.* 117 118

Clericus fur notorius, aut furti condemnatus, est infamis, *cap. Infames* 17. *caus.* 9. *q.* 1. et consequenter etiam irregularis, adeo ut ad Sacros Ordines promoveri, vel in jam suscepta ministrare non valeat: Abbas *in cap. fin. de furtis n.* 3. *et* 14. Navarr. *in Manual. cap.* 17. *n.* 204. Suarez *de censuris disp.* 48. *sect.* 2. *n.* 2. Pirhing. *lib.* 5. *Decret. tit.* 18. *n.* 2. Reiffenstuel *ibid. n.* 50. et alii; *cap. Qui in aliquo* 5. *disc.* 51. cum similibus. 119

Immo, praeter poenam infamiae, et irregularitatis Clericus fur notorius ab officio, et Ordine Clericali deponi debet, *cap. Presbyter.* 12. *dist.* 81. *et Cap. Cum ab homine* 10. *de Judiciis.* Et si non resipiscat, debet excommunicari, et tandem, si incorrigibilis evadat, Curiae Saeculari tradi debet, textu expresso *in cit. c. Cum non ab homine* 10. *de Judiciis.* 120

Regulares autem fures puniendi sunt juxta proprii Ordinis statuta, ac Constitutiones, 121

122 Haereticorum poenae. Vide verb. *Haereticus.*

123 Homicidii simplicis voluntarii injusti poena est mors, tam de Lege Divina, quam Civili humana; *Genesis enim cap.* 9. *n.* 6. habetur: « Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius ». Levit. *cap.* 24. *n.* 17. « Qui percusserit, et occiderit hominem, morte moriatur ». Matth. *cap.* 26. *v.* 52. « Qui acceperint gladium (*eoque percusserint*) gladio peribunt ». Apoc. *cap.* 13. *v.* 10. « Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi »; et haec poena mortis in homicidas voluntarios injustos statuitur pluribus Legibus in jure Civili, et signanter §. *Item Lex Cornelia* 5. *Instit. de publ. jud. l. Quoniam* 6. *Cod. de vi publica, l. Unic. vers. Et merito, C. de raptu virg.* Constit. Crim. Caroli V. *art.* 37. *et* 137.

124 Si autem homicidium voluntarium injustum non sit simplex, sed qualificatum, poena mortis exasperatur pro diversitate atrocitatis, et malae qualitatis admixtae, ita ut gladius augeatur in furcam, rotam, truncationem membrorum, rogum, adustionem per ferrum candens etc. juxta cit. Constit. Crim. Caroli V.

125 Homicidium proditorium, ultra exasperationem poenae ordinariae, privat etiam jure Asyli. Vide verb. *Immunitas art.* 2. *a n.* 109. *ad* 116.

126 Homicidium Assassinum, ultra exasperationem poenae ordinariae, et excommunicationem, ac depositionem ab Officio, et Beneficio ipso facto, et diffidationem perpetuam a toto populo Christiano, juxta *cap.* 1. *de homicid. in* 6. privat etiam jure Asyli. Vide d. verb. *Immunitas art.* 2. *a n.* 117. *ad* 125.

127 Homicidium sacrilegum ratione personae occisae, praeter exasperationem poenae ordinariae, inducit etiam Excommunicationem majorem ipso facto, juxta *cap. Si quis suadente* 29. *caus.* 17. *q.* 4. Sacrilegium vero ratione loci sacri, in quo committitur, secum trahit etiam privationem Asyli. Vide v. *Immunitas art.* 2. *a n.* 102. *ad* 107.

128 Poena Parricidii proprie talis, de Jure Civili olim erat, ut Parricida virgis sanguineis verberatus in corie insueretur, et includeretur cum cane, gallo gallinaceo, vipera, et simia, et in profundum maris, et vel si mare longe distet, in flumen, vel lacum projiceretur; §. *Alia deinde* 6. *Instit. de publicis judic. l. Poena Parricidii* 9. *ff. Ad Leg. Pompejam, de Parricidiis, l. Unic. Cod. de his, qui parentes, vel liberos occiderunt.*

129 Verum haec poena ob nimiam ejus crudelitatem recessit ab aula criminali, et in ejus locum imponitur poena ultimi supplicii pro diversitate circumstantiarum arbitrio Judicis, et consuetudine locorum, ac Legum municipalium exasperanda, vel mitiganda, ut tradunt communiter Criminalistae, et signanter Ursaya *l.* 2. *tit.* 5. *Instit. crim. num.* 475. Julius Clarus verb. *Parricidium num.* 5.

130 Poena Parricidii improprie talis, de jure Civili est ordinarium homicidii supplicium; §. *Alia deinde* 6. *Instit. de publ. judic. l. lege Pompeja* 2. *et l. Poena parricidii* 9. *ff. Ad leg. Pompejam, de parricid.* cum hoc tamen, quod juxta diversas circumstantias, et locorum consuetudines poena haec exasperetur, vel mitigetur.

Parricidium autem proprie tale est homicidium, quo proles, parentem, avum, aut aviam, vel parens prolem occidit, *l. Unic. Cod. de his, qui parentes, vel liberos occiderunt, l. Lege Pompeja* 1. *et l. Poena parricidii* 9. *ff. Ad Leg. Pompejam, de parricid.* 131

Parricidium vero improprie tale, ac large sumptum, est quodvis homicidium cujusvis consanguinei, etiam collateralis, aut etiam affinis, et conjugis, *citat. l. Lege Pompeja* 1. *ff. Ad Leg. Pompejam, de parricidiis,* et insuper homicidium Novercae, et Sponsae, vel Sponsi, *l. Sed sciendum* 3. *ff. Ad Legem Pompejam, de parricidiis.* 132

De Jure Canonico Parricidae olim puniebantur variis illis poenis, quae recensentur *in cap. Latorem* 15. *caus.* 33. *q.* 2. *et toto tit. de his, qui filios occiderunt.* Verum tales poenae recesserunt ab aula: Unde in casu parricidii Judices Ecclesiastici remittere debent Laicos parricidas Judicibus saecularibus poenis Legis Civilis puniendos. Clericos vero prius juxta praescriptum Canonis deponere debent, ac degradare, sicque degradatos Curiae saeculari consignare debita poena puniendos, ut tradunt Pirhing. *lib.* 5. *decretal. tit.* 10. *n.* 7. Reiffenstuel *ibid. n.* 10. et alii. 133

Quibus poenis subjaceant parentes, et alii procurantes abortum? Vide verb. *Abortus per tot.* 134

Parentes sine debita cautela infantes noctu in lecto cum ipsis tenentes, ac ex culpabili negligentia ipsos suffocantes, aut opprimentes, tamquam Rei homicidii, seu infanticidii, licet moderatius, sunt puniendi, *cap. Consuluisti* 20. *caus.* 2. *q.* 4. ibi: « Monendi sunt namque, et protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, aut opprimantur, unde ipsi homicidii Rei inveniantur... Hi autem, qui probantur, vel confitentur talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio, quia, si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est, quanto magis qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit »? Et concordat *cap. de infantibus* 3. *de his, qui filios occiderunt;* ubi statuitur, quod parentes contra prohibitionem infantes tenellos secum in lecto tenentes, ac ipsos ex negligentia suffocantes, aut opprimentes, trium annorum poenitentiam, et quidem uno integro in pane, et aqua transigere debeant. Vide verb. *Mater n.* 16 135

De Jure Canonico homicidae injusti voluntarii subjacent Excommunicationi sententiae ferendae, nisi poenitentiae satisfactione commissum homicidii crimen deleverint, et diluerint; *c. Itaque* 20. *cas.* 24. *q.* 3. Et si fuerint Clerici, sunt ab Ordine, et Officio deponendi, *cap. Si Episcopus* 7. *dist.* 136

50 *cap. Inquisitionis* 21 *de accusationibus, cap.*
Sicuti 6. *§. final. de homic. cap. Tuae* 6. *de poe-*
nis cum similibus, juncto Concilio Tridentino *sess.*
14. *cap.* 7. *de refor.* et in arctum Monasterium
sunt detrudendi; *cit. cap. Si Episcopus*, *et cit.*
cap. Tuae, quae poena detrusionis jam abiit in
desuetudinem, et mutata est in poenam perpetui
carceris, aut condemnationis ad Triremes, ut ob-
servat Farinac. *prax. crim. qu.* 119. *n.* 149. *et*
155. Item incurrunt ipso facto Irregularitatem a
solo Summo Pontifice dispensabilem, *cap. Miror*
4. *cap. Clericum* 5. *dist* 50. *cap. Sicut* 6. *§. Cle-*
ricus, de homicid. et cap. De cetero 7. *eod. Clement.*
unic. eod. juncto Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.*
7. *et sess.* 24. *cap.* 8. *de reform.* Item perpetuo
inhabiles sunt ad omnia Beneficia, et Officia Ec-
clesiastica, Concil. Trident *cit. sess.* 14, *cap.* 7.
de reform. Ac insuper privandi sunt Beneficiis
prius rite obtentis; *cap. Si Episcopus* 7. *dist.* 50.
cap. Inquisitionis 21. *de accusat cap. Sicut* 6. *§*
Clericos, de homicid. cap. Tuae 6. *de poenis, cap.*
Clericis 5. *Ne Clerici, vel Monachi*; *cap. Ex lit-*
teris 10. *de excessibus Praelatar.* Tandem, si Cle-
rici homicidium iterent, gravius plectantur, et si
incorrigibiles sunt, etiam anathematizandi, de-
gradandi, et Curiae saeculari tradendi, *cap. Cum*
non ab homine 10. *de Judiciis*, et ibi Doctores
communiter.

137 Incendiariorum poenae. Vide verb. *Incendiarius.*

138 Incestus simplicis sine Matrimonio commissi
poena, pro Foro saeculari est ultimum supplicium,
si committatur inter ascendentes, et descenden-
tes, *argum. l. Si adulterii* 38. *§.* 2 *ff. Ad Leg.*
Jul. de adulter. et ibi Glossa verb. *Gentiam*, Fa-
rinac. *q.* 146. *n.* 14 *et* 16. Menoc. *de arbitr. Ju-*
dic. caus. 502 *a n.* 1. Bajard. *ad Clarum §. In-*
cestus n. 3. Item, si committatur inter Collatera-
les in primo gradu, v. g. inter fratrem, et soro-
rem: Menoch. *loc. cit. a n.* 14. Haunoldus *de ju-*
stit. et jur. tom. 9. *tract.* 2. *n.* 347. Reiffenstuel
lib. 4. *Decretal. tit.* 16. *n.* 7. Item, quando cum
incestu conjunctum est adulterium: Clarus *§. In-*
cestus n. 2. Haunoldus *loc. cit. n.* 245. Reiffen-
stuel *loc. cit. n.* 70.

139 Incestuosum Matrimonium scienter contrahen-
tes incurrunt de Jure Civili confiscationem om-
nium bonorum, tam dotalium, quam patrimonia-
lium, exilium, spoliationem cinguli militaris, idest
privationem Dignitatis, et administrationis; et si
Rei viles sint, etiam verberationem, textu expres-
so in *Authen. Incestus*, *Cod. Ad Leg. Jul. de in-*
cest. nupt.

140 De Jure Canonico Laici incestum simplicem si-
ne Matrimonio committentes, sunt excommuni-
candi, *cap. de his, qui incesti* 9. *caus.* 35. *qu.* 2.
Et si aliquis ex conjugibus incestum committat
cum consanguineo, aut consanguinea alterius con-
jugis, privatur jure petendi conjugale debitum, *c.*
141 *Si quis* 1. *et cap. Transmissae* 4. *de eo, qui co-*
gnovit consanguin. uxor. Si autem cum Matrimo-
nio, seu incestuosas contrahendo nuptias, ipsum
committant, sunt ipso facto excommunicati, *Cle-*
mentin. unic. de consanguin. et affinit. Nec pos-
sunt amplius cum alia persona Matrimonium li-
cita contrahere, nisi ignoranter contraxerint, *cap.*
Qui propinquam 4. *caus.* 35. *q.* 2. Laici incestuo- 142
si de Jure Canonico sunt infames ipso jure, et
facto, *cap. Consanguineorum* 4. *caus.* 3. *quest.*
4. *et cap. Conjunctiones* 2. *caus.* 15. *q.* 2. Ame-
nus *de delictis, et poenis tit* 4. *§.* 6. *num.* 17.

Clerici incestum committentes deponuntur, et 143
Beneficiis privantur; *argum. cap. Si quis* 20. *et*
seq. dist. 8. *et cap. Si Adulterium* 11. *caus.* 32.
q. 7. Farinac. *prax. crimin. q.* 149. *num.* 35.
Pirhing. *lib.* 5. *Decretal. tit.* 16. *num.* 66 Reif-
fenstuel *ibid. num.* 74 Ac item procedit, etiamsi 144
agatur de incestu minus proprie dicto, provenien-
te ex cognatione spirituali, puta quis Clericus rem
habuit cum filia spirituali, quam e Baptismo leva-
vit, aut tenuit in Confirmatione, aut audivit, ac
absolvit in Confessione Sacramentali, aut com-
matrem, seu illius Matrem cognovit, *argum. cap.*
Omnes, et cap. Si quis 9. *et cap. Non debet* 10.
caus 30. *q.* 1 Farinac. *loc. cit. num.* 53. *et seq.*
Menoch. *loc. cit. caus.* 502. *num.* 27. Reiffen-
stuel *loc. cit. num.* 75. Pignatell. *tom.* 1. *consult.*
116. Ursaya *Instit. criminal. lib.* 3. *tit.* 5. *num.*
130.

Injuriantium poenae de jure communi sunt ex- 145
traordinariae, et arbitrariae Judicibus, *§. in sum-*
ma 10. *Institut. de Injuriis*, *et l. De injuria* 45.
ff. de injuriis. Unde pro diversitate injuriarum
indici debet injurianti satisfactio erga injuriatum,
quae regulanda est juxta atrocitatem, aut levita-
tem injuriae, attentis circumstantiis personarum,
locorum, et temporum. Condemnati actione inju- 146
riarum poenali, sive haec Civilis, sive Criminalis
sit, incurrunt Infamiam juris, tum de jure Cano-
nico, tum de jure civili *cap. Cum te* 23. *de sent.*
et re judicata, l. Athletas 4. *§. final. ff. De his qui*
notantur infamia. Dummodo tamen injuria, de
qua condemnati sunt, fuerit atrox, ut cum com-
muni docet Clarus *§. Injuria vers Item condem-*
natus. Vide *supra num.* 66. *verb. Calumniato-*
rum poenae, et infra verb. *Libellos famosos com-*
ponentium poena, et verb. *Maledicorum poenae.*

Largitionis, et receptionis munerum in Regu- 147
laribus, et aliis poenae. Vide verb. *Donatio art.*
2. *a num.* 34. *verb. Moniales art.* 2. *a num.* 62.
verb. Regulares art. 1. *a num.* 68. *et verb. Xenia.*

Laesae Majestatis poenae (si Reus criminis sit 148
vivens, ac praesens in manibus Curiae, et crimen
commissum sit in primo capite) sunt multae. Pri-
ma igitur est perpetua infamia, *cap. Felicis* 4. *de*
poenis in 6. Farinac. *qu.* 116, *§.* 1. *num.* 4. Ur-
saya *Instit. crimin. lib.* 2. *tit* 1. *num,* 145. *et*
169. Secunda est deletio armorum, et insignium
ipsius Rei, atque agnationis: Gigas *de crimin lae-*
sae Majestat. lib. 1. *tit. de Proditor. q.* 8. *num.*
2. Ursaya *loc. cit. num.* 147. Amenus *de delictis,*

et poenis cit. tit. 2. §. 5. num. 40. argum. l. Eorum, ff. de poenis. Tertia, est confiscatio omnium bonorum; leg. Quisquis 5. Cod. Ad Leg. Jul. Majestatis, et Authent. Bona damnatorum §. final. Cod. de bonis proscriptor. Quarta, est privatio omnium beneficiorum, ac privilegiorum Reo a Jure Civili competentium; l. Amissione §. ff. de capitis diminut. l. 1. ff. de jurisdict. omnium judic. Extravagant. Qui sint rebelles? ibique Bartolus verb. Rebellanda num. 13. 19. et 20. Farinac. q. 116. §. 2. num. 92. Amenus loc. cit. nu. 41. Ursaya loc. cit. num. 149. Quinta, est devastatio, et demolitio ejus domus a fundamentis, ita quod non remaneant ejus vestigia, et amplius reaedificari non possit, c. cap. Felicis 5. de poenis in 6. Ursaya loc. cit. num. 152. et 169. Raynald. tom. 1. cap. 2. §. 1. num. 109. Sexta, est ultimum supplicium; l. Quisquis 5. Cod. Ad Legem Juliam Majestatis; Ursaya loc. cit. num. 160. et 169. Raynal. loc. cit. num. 49. Amenus loc. cit. num. 39 ubi quod mortis genus est per ignem, vel per dissectionem in frusta, vel per aliam atrociorem formam, et testatur Farinacius cit. q. 116. n. 2.

149 Insuper Filii talis Rei evadunt infames, amittunt Beneficia Juris Civilis, arma, et insignia domus, privantur omni haereditate, et successione sibi ex testamento, aut ab intestato obveniente; l. Quisquis 3. §. Filiis, Cod. Ad Legem Juliam Majestatis; leg. Quando Cod. de bonis proscriptor. Novella 134. cap. fin. Ursaya loc. cit. num. 170. Amenus loc. cit. num. 42.

150 Excipiuntur tamen a supradictis poenis filii emancipati ante crimen Patris, ut defendit Glossa in cap. Si quis cum militibus, in verb. Filii vero caus. 6. quaest. 1. communiter approbata, teste Ameno l. c. n. 45. adducens pro ratione, quod filius emancipatus desinit esse de familia, leg. Quin. etiam §. final. ff. de ritu nuptiar. et ex aliis subdens, quod a dictis poenis excipiuntur etiam filii adoptivi, Nepotes, et filii Clerici, et filiae. Immo dictas poenas citat. leg. Quisquis, ex laudabili consuetudine hodie non extendi ad filios, testantur Angelus in leg. Fallaciter num. 4. Cod. de abol. Gigas de crimin. Laesae Majestatis lib. 3. rubr. de poenis, quas filii incurrunt quaes. 23. numer. 3. Decian. lib. 7. cap. 41. num. 38. teste Ursaya loc. cit. num. 172. ubi ipse ex aliis habet, quod dictae poenae non comprehendunt filios natos, antequam Pater commisisset tale delictum.

151 Si autem crimen commissum sit solum in secundo capite, tunc talis Reus punitur poena ultimi supplicii, et confiscationis omnium bonorum: Farinac. quaest. 116. §. 1. num. 23. et 24. Ursaya loc. cit. num. 173. At poena devastationis domus non habebit locum, minusque aliae tangentes filiorum praejudicium: Glossa in leg. Eorum, ff. Ad Legem Juliam Majestatis: Farinacius qu. 116. num. 123. et sequent. Ursaya loc. cit. num. 173. et sequent.

152 Si Reus hujus criminis sit absens, nec haberi possit in potestate Curiae, depingitur ejus effigies in tabella, capite ad terram verso, et pedibus furcae suspensis cum inscriptione proditorem, et laesae Majestatis Reum indicante: Decianus lib. 7. cap. 31. num. 15. et cap. 30. num. 27. cum aliis ibi citatis: Ursaya loc. cit. nu. 147. et 175. Amenus loc. cit. num. 40. Et qui talem imaginem delet, seu aufert, poena quingentorum aureorum tenetur; Leg. Si quis id 7. ff. de Jurisdictione.

Si Reus talis criminis sit praedefunctus, et crimen commissum sit in primo capite, tunc ejus memoria damnatur, declaratur infamis, ejusque bona confiscantur, atque ab illius haeredibus adimuntur; l. Majestatis 6. l. Meminisse 7. et l. Post. D. Marci 8. Cod. Ad Legem Julian Majestatis; l. Is qui 11. ff. eod. Ursaya loc. cit. num. 164. et seq. Amenus loc. cit. num. 4. 153

Si vero crimen commissum sit in secundo capite, tunc post mortem delinquentis non potest agi, nec memoria defuncti damnari, vel aliter cognosci, aut procedi contra illum, cit. leg. Is qui 11. ff. Ad Legem Juliam Majestatis, Decianus lib. 7. cap. 39. num. 37. et 38. Amenus loc. cit. nu. 40. Ursaya loc. cit. num. 166. Glossa in cit. leg. Meminisse, verb. Meminisse, Cod. ad Legem Juliam Majestatis. 154

Qua autem poena, et a quo Judice puniendi sint Clerici, et Religiosi Rei hujus criminis, seu potius proditionis, ut volunt Clarus q. 36. n. 27. Farinac. q. 111. n. 261. et Pignatell. tom. 1 consult. 124. n. 3. ac alii, dissentiunt Doctores: Pignatell. enim cit. consult. 124. sub n. 1. et per tot. pluribus adductis contendit, Clericos offendentes suum Principem naturalem, seu temporalem non esse Reos laesae Majestatis, nec posse ab eo puniri per varios Sacros Canones, et signanter per cap. At si Clerici de judic. cap. Significantibus, de Offic. Delegati, cap. Si diligenti, de foro competent. c. Si Imperator dist. 96 cum similibus referens ibid. sub n. 2. ex Tappia, Riccio, Genuens. Diana, et aliis, sub Clemente VIII. in quadam rebellione fuisse processum contra Clericos, et Monaches ex delegatione Summi Pontificis per Judicem Laicum Clericali charactere insignitum insimul cum Judice Ecclesiastico. Gigas vero tract. de crimin. laesae Majestatis rubr. Qualiter, et a quibus crimen laesae Majestatis, committ. q. 63. Decian. prax. crim. lib. 7. cap. 8. n. 6. et alii plures sustinent, tales Clericos, ac Religiosos evadere Reos laesae Majestatis, et posse puniri a Judice Laico, per text. in cap. Hac constitutione 15. vers. Nec aliquis, de Offic. delegat. in 6. in cap. Perpendimus 23. de sentent. Excommun. et in cap. Si quis Laicus 19. caus. 22. q. 5. Ursaya loc. cit. n. 176. expresse habet, quod quia hoc crimen committi potest a Clericis, a Judice Ecclesiastico in hoc casu privari debent Beneficiis, atque degradari, juxta textum in cap. Si quis Laicus 19. caus. 22. quaest. 5. quem textum notabilem dicit Abbas in cap. At 155

si Clerici, in princip. de judic. Amenus autem *loc. cit. n.* 49. concludit, quod quidquid sit de jure, scit Princeps de facto in casus contingentia, maxime si laedatur Majestas in primo capite, procedere per suos Judices, et ultimo supplicio Reos afficere. An autem bene, vel male procedant, non hominum, sed Dei judicio dimittit. Unde in tanta Doctorum diversitate concluderem pro tutiori cautela, posse, consulto Summo Pontifice, similes Clericos, et Religiosos degradari, et tradi Curiae saeculari puniendos, prout de jure, ut etiam teste Pignatello, *loc. cit. n.* 6. admittunt Doctores, ut videre est apud Farinac. *in prax. q.* 8. *n.* 81. Episcop. Scalens. *de irregularit. c.* 14. Felician. *de censur. c.* 14. Delbene *de immun. Ecclesiast. c.* 5. *dub.* 5. *sect.* 3. *n.* 17.

156 Libellos famosos componentium, dictantium, et vulgantium poenae. Vide verb. *Libellus famosus per tot.*

157 Litteras alienas aperientium, lacerantium, et intercipientium poena varia est juxta varietatem personarum, quarum litterae aperiuntur, lacerantur, aut intercipiuntur, et etiam juxta diversitatem finis, quem intendit aperiens, lacerans, aut intercipiens. Unde quia aliquando id potest esse crimen laesae *Majestatis*, aliquando crimen *falsi*, aliquando *Stellionatus*, aliquando *injuriarum*, ideo Reus puniendus est aliquando poenis laesae *Majestatis*, aliquando *falsi*, aliquando *Stellionatus*, et aliquando *injuriarum*. Hinc videndae sunt poenae assignatae sub propriis dictis verbis.

158 Litteras Apostolicas, aliasque falsificantium poenae. Vide verb. *Falsarius.*

159 Magiae poenae eaedem sunt ac maleficii, et sortilegii. Unde vide verb. *Superstitio n.* 70. *et seq. ac* 78.

160 Maledicorum poena, si maledictum sit in personam privatam commissum, est, quod praeter reatum peccati, et obligationem restituendi famam, maledicens sit obnoxius actioni injuriarum, et palinodiae, seu recantationi; *arg. leg. Item* 15. §. 27. *ff. de injuriis, et famosis libellis*, Reiffenstuel, *lib.* 5. *Decret. tit.* 26. *n.* 5. Si maledictum commissum sit in Principem supremum, quamvis olim ejus poena fuerit eadem cum poena criminis laesae Majestatis, teste Arnobio *lib. adversus gentes*, hodie tamen de jure communi nulli certae, et determinatae poenae, sed soli arbitrariae poenae ipsius Principis subest; *leg. Unic. Cod. Si quis Imperatori maledixerit.* Si autem maledictum sit in ipsum Officium Principis, aut circumstantiae aliud suadeant, tunc ad terrorem aliorum graviter puniri debet; *argument. cap.* 1. *de Maledicis*, Menoch. *de arbitr. judic. caus.* 377. *num.* 7. *et seq.* Reiffenstuel *loc. cit. n.* 6. *et* 7

161 Item, quamvis consultum sit, ut Papa, exemplo mansuetudinis Christi, remittat maledicta in solam suam personam illata; *arg. c. Inter querelas* 57. *caus.* 22. *quaest.* 4. *et leg. Si quis* 10. *Cod. de Episcop. et Cleric.* juncta *cit. l. Unic. Cod. Si quis Imperatori maledixerit*, et ut practicavit S. Pius V. testibus Barbosa *in cit. cap.* 1. *n.* 2. *de Maledictis*, et Reiffenstuel *loc. cit. n.* 8. Tamen gravi, et exemplari poena ad terrorem aliorum punienda sunt maledicta prolata contra ipsam Sedem Apostolicam, seu Officium, et Primatum ipsius, textu expresso *in cit. c.* 1. *de Maledicis*, ut tradunt ibi Doctores communiter.

Sic quamvis Episcopus punire non debeat maledictum contra solam suam personam prolatum, ut tradit Glossa communiter recepta *in cit. cap. Inter querelas, arg. cit. l. Si quis* 10. *Cod. de Episcopis, et Clericis*, ibi: « Cui Sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit »; Tamen arbitrio alterius Judicis pro qualitate injuriae puniendum est, ut tradunt Hostiens. *in Summa tit. de Maledicis §. Alii maledicunt*, Farinac. *prax. crim q.* 105. *n.* 402. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 11. Clerici maledici poena est, quae statuitur *in c. Clericus* 5. *dist.* 46. his verbis: « Clericus maledicus (maxime in Sacerdotibus) cogatur ad postulandam veniam, si noluerit, degradetur, nec unquam ad Officium absque satisfactione revocetur ». 162

163

Religiosi autem aliquem Ecclesiae Praelatum maledicto offendentes, aut eidem detrahentes, de jure communi debent per duos menses subjacere illis poenis, quae juxta Regulas, seu Statuta eorum ob gravia crimina sunt imposita, textu expresso in *Clementin.* 1. §. *Quibus etiam, de Privil.* 164

Monopolii poena est, quod hujus criminis Rei puniantur perpetuo exilio, et confiscatione bonorum, textu expresso *in Leg. Unic. Cod. de Monopol.* Ursaya *Institut. Crim. lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 12. cum pluribus ibi citatis. 165

Omittentium Sacramentalem Confessionem, et Communionem in Paschate, poena est Interdictum ab ingressu Ecclesiae, et si in hoc peccato decesserint absque signo Contritionis, est privatio Ecclesiasticae sepulturae, texto expresso *in c. Omnis utriusque sexus, de poenitent. et remissionibus.* Tale autem Interdictum est solum sententiae ferendae; Unde talis Censura non incurritur, nisi a Judice competente in Reum contumacem per sententiam feratur: Privatio tamen sepulturae Ecclesiasticae est poena latae sententiae, ut patet ex verbis citati Canonis: « Christiana careat sepultura »: Amenus *loc. cit. tit.* 5. §. 1. *num.* 11. *et* 12. 166

Omittentium recitationem Horarum Canonicarum, si Beneficiati sint, seu Officii Beatae Mariae Virginis, si tantum Pensionarii Ecclesiastici sint, poena est obligatio ad restituendum fructus Beneficii, sive Pensionis pro omissionibus; et talis poena subiri debet in conscientia ante quamvis Judicis sententiam: Concil. Lateranense *sub Leone X. sess.* 9. §. *Statuimus*, S. Pius V. Costit. incip. *Ex primo*, Amenus *l. cit. n.* 13. Vide verb. *Officium Divinum, art.* 1. *a n.* 29. 167

Osculantis foeminam invitam poena est extra- 168

ordinaria, et arbitraria Judici pro qualitate personae, loci, et loci, et intentionis; Farinac. *q.* 142. *n.* 161. Amenus *loc. cit. tit.* 4. §. 2. *n.* 40. Et si osculum fiat in publico ad finem injuriandi foeminam invitam osculatam, vel ejus illustrem familiam, aut aliae adsint gravantes circumstantiae, potest extendi poena etiam ad ultimum supplicium, quo revera punitus fuit quidam nobilis Gallus, qui osculum rapuerat Susannae Trivultiae illustri foeminae nuptae, ut refert Bossius *tit. de extraordinar. crim. n.* 3. et ex ipso Amenus *loc. cit. n.* 40. ubi subdit, quod, deficiente publicitate loci, ac malo exemplo, temperatur poena.

169 Osculans ob oestrum amoris puellam in publico, puniendus est exilio, et poena pecuniaria; Giurba *consil. crim.* 47. *n* 16. Amenus *loc. cit. n.* 41.

170 Afflict. Farinac. Decian. Menoch. et Caball. ab ipsis citati. Osculans in publico puellam invitam, ut ducat in Uxorem contemplatione dotis pinguis, et hoc modo impedietur Matrimonium cum alio, puniendus est poenae extraordinaria triremium; Raynaldus *Syntax. crim. lib.* 1. *c.* 11. §. 6. *n.* 3. cum Bartol. Boss. Farinac. et aliis ibi citatis, Amenus *loc. cit. n.* 42.

171 Osculantis obiter Monialem poena est extraordinaria; Farinac. *qu.* 146. *n.* 33. Decian. *tract. crim. lib.* 6. *cap.* 20. *num.* 16. Amenus *loc. cit. tit.* 4. §. 9. *n.* 17. *et* 18. ubi subdit graviori poena extraordinaria puniendum esse talem sacrilegum, si post osculum ad alios impudicos, et lascivos actus cum ipsa Moniali procederet. Et si carnalem copulam cum Moniali habeat, vel Matrimonium cum ea contrahere attentaverit, de jure Civili punitur poena mortis, et bona delinquentis jubentur applicari Monasterio, in quo Monialis degebat; Menoch. *de arbitr. judic. casu* 389. *n.*27. Reiffenstueil *lib.* 5. *decretal. tit.* 16. *num.* 78. per text. *in Novella* 123. *cap.* 43. *et leg. Si quis* 5. *Cod. de Episcopis, et Clericis*, et concordat *cap. Si quis rapuerit* 30. *caus.* 27. *qu.* 1. *et cap. Si quis non dicat* 3. *caus.* 36. *q.* 2. Advertit tamen Farinac. *q.* 146. *n.* 1. quod licet poena capitali adhuc puniatur tale sacrilegum crimen cum Moniali committens, tamen bona illius non Monasterio Monialis, sed delinquentis haeredibus applicari solent, juncta *Authent. Bona damnator. Cod. de bonis proscriptor.* nisi raptus, aut violentia in Mo-

172 nialem intervenerit. De jure autem Canonico sic peccans cum Moniali, si sit Laicus, excommunicatur, si sit Clericus, non solum Beneficio privatur, sed etiam ab Ordine depositus in Monasterium ad poenitentiam agendam detruditur: Menoch. *de arbitr. judic. casu.* 189. *n.* 24. Farinac. *loc. cit. n.* 4. *et* 46. Reiffenstueil *loc. cit. num.* 80. *cap. Si quis Episcopus* 6. *cap. Virginibus cap.* 14. *et cap. Si quae Monachorum* 28. *caus.* 27. *q.* 1. Moniales autem, quae ad tale sacrilegium libere consensit, ad agendam poenitentiam in arctius Monasterium detrudi jubetur; *cap. Si quae Monachorum* 28. *et cap. Si quis rapuerit* 30. *caus.* 27. *q.* 1. juncta *Novella* 123. *q.* 43. Vel, quod convenientius est, ad perpetuos cerceres sui proprii Monasterii condemnanda est; *cap. Impudicas* 11. *caus.* 27. *quaest.* 1. Menochius *loc. cit. num.* 12. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 81.

Parricidii poenae. Vide *supra a num.* 128. *ad num.* 134. 173

Partus suppositi (idest cum aliqua sterilis foemine faetum tamquam ex se natum supponit, cum revera alterius foeminae sit; ut ex *leg. Si partus subject.* 1. *et leg. Cum suppositi partus* 10. *Cod. ad Legem Cornel. de falsis, et ex cap. Officii* 9. *de poenitentiis, et remission.*) *ex cit. leg. Si partus subjecti*, existimat Piguer. *decis. crim.* 80. *n.* 8. esse poenam capitalem. Basilius autem *decis.* 7. *n.* 11. dicit, id esse arbitrio Judicis remittendum, qui vel poenam minuat, vel augeat usque ad mortem pro diversitate circumstantiarum: Poena vero partus suppositi hoc modo, si nutrix v. g. aliqua, quae infantem opprimat alienum, eique mortuo proprium supponat, ut habetur 3. *Regum cap.* 4. de litigio duarum meretricum ante Tribunal Salomonis, secundum opinionem Alexandri *cons.* 50. *vers. Tertio per id, vol.* 1. citantis ad hoc *l. Quoniam* 7. *et leg. Plagiarii* 16. *Cod. ad Legem Fabiam, de Plagiariis, et leg.* 1. *ac penult. ff. eod. tit.* est ultimi supplicii; et concordat Bossius *tract. crim. tit. de Plag.* allegans ad id statutum Mediolani imponens Plagiariis poenam capitalem. Quod tamen intelligendum esse de consuetis in hoc delicto, dicit Clarus *q.* 68. *n.* 31. et sequitur Amenus *loc. cit. tit.* 3. §. 6. *n.* 39. concludens, quod citra mortem puniri deberet nutrix, quae infantem, ut praemissum est, surriperet. 174

Peculatus poena. Vide verb. *Peculatus.* 175

Perjurii poena olim de jure Civili erat, tamquam de crimine laesae Majestatis, si sponte, et deliberate quis pejerasset; *Leg.* 2. *Cod. Ad Leg. Iul. Majestatis*, et sic perjuri ultimo supplicio afficiebantur, *cap. Rex debet*, *caus.* 23. *quaest.* 5. Sed hodie dictae poenae abierunt in desuetudinem, et redactae sunt ad poenam Judicis arbitrariam, et regulariter imponitur pro perjurio poena exilii ultra refectionem damni, et interesse faciendam illi, contra quem quis pejeravit; Glossa in *l. final. verb. Lucrum*, *Cod. de jurejurando* cum aliis apud Decianum *lib.* 6. *cap.* 27. Farinac. *qu.* 161. *n.* 36. Raynald. *tom.* 2. *cap.* 20. §. *unic. n.* 20. *et seq.* Amen. *loc. cit. tit.* 5. §. 7. *n.* 31. Ursaya *Instit. Crimin. lib.* 3. *n.* 17. De jure Canonico perjurus, si sit Laicus, efficitur infamis, et consequenter irregularitetem incurrit, *c. Infames* 18, *causa* 6. *quaest.* 1. Si vero sit Clericus, deponendus est ab Ordine, *cap. Cum. non ab homine* 10. *de judiciis*; Privandus est Beneficiis, *cap. Querelam* 19. *et cap. Tua* 11. *de jurejurando*; Atque efficitur inhabilis ad alia obtinenda, *cit. cap. Querelam* 19. *de jurejurando.* Et si fuerit Episcopus, privandus, et deponendus est; *cap. Si quis causa* 22. *q.* 5. *et cap. Cum quidam* 1. *de jurejurando*, 176

Ursaya *loc. cit. a n.* 56, *ad* 62. cum pluribus ibi citatis.

177 Plagii poena. Vid. verb. *Plagium.*

178 Polygamiae poena. Vid. verb. *Polygamia.*

179 Praevaricationis pena. Vide supra *a num.* 70. *ad* 72.

180 Rapinae poena, si agatur civiliter, est restitutio in quadruplum, ita ut praeter rem ablatam, eamdem in triplo adhuc pretii, vel aestimationis compensare, post aeeum vero, non nisi ipsam rem rapina ablatam, vel aestimationem illius una cum refusione lucri cessantis, et damni emergentis restituere debeat, *princip. Inst. de vi bonorum raptor.* et concordat *l.* 1. *et* 2. *ff. eod.* Si autem agatur criminaliter, et rapina commissa sit cum armis, Raptor poenam capitalem incurrit; *l. Penult. ad Leg. Jul. de vi public et ordin. Caroli V. art.* 126. Et si commissa sit sine armis, poena illius est amissio tertiae partis bonorum, dignitatis, item et honoris cum infamia; *§. Item Lex Julia* 8. *Instit. de public. jud. l.* 1. *in princip. ff. de vi privata*, juncte *l.* 2. *Cod. eod.*

181 De jure Canonico poena Raptorum est Excommunicatio infligenda ab Episcopo loci, ubi rapina committitur, etsi Raptur sit alterius Dioecesis, a qua nequit absolvi a proprio Episcopo Dioecesano, nec recipi ab eo, sed ad Episcopum excommunicantem remitti debet, nisi plene satisfecerit; *cap. De illis* 1. *de Raptoribus.* Et si Raptor in ipsa rapina moriatur, vel satisfacere nolens decedat, tamquam in peccato mortali defunctus caret Ecclesiastica sepultura; c. *Super eo* 2. *de Raptoribus, et* c. *Fures* 2. *de Furtis.*

182 Raptus poena. Vide verb. *Matrimonium quoad impedimenta art.* 5. *a n.* 184.

183 Repetundarum criminis poena est varia pro varietate hujus delicti. Vel hoc crimen commissum est a Judice corrupto in causa criminali capitali, accipiendo pecuniam, vel aliam rem a sponte dantibus, ut hominem innocentem condemnaret ad mortem, et mors de facto est secuta, et tunc punitur poena capitis; *l. Lex Julia* 7. *§. final. ff. Ad Leg. Jul Repetundar.* et insuper confiscatione bonorum; *Authent. Novo jure, Cod. de poena Judicis male judicavit*, cum aliis Farinac. *quaest.* 111. *num.* 61. *et seq.* Et si causa criminalis non sit capitalis, punitur talis corruptus Judex poena Relegationis: Decian. *lib.* 8. *cap.* 39. *num.* 15. *et* 19. Ursaya *Instit. criminal. lib.* 2. *tit.* 2. *num.* 85. Vel hoc crimen commissum est a Judice pecunia corrupto in causa Civili, et tunc punitur civiliter, et criminaliter. Civiliter condemnatur ad expensas, et damna passa per litigatorem propter ejus corruptionem, *l. de eo* 2. *Cod. de poena Jud. qui male judicavit*, et ultra damnum, et interesse tenetur ad restituendum quadruplum ejus, quod accepit; *l. Ut unius* 1. *in fine, Cod. Ad Legem Jul. Repetundar.* Quamvis juxta *Authent. Novo jure*, *§.* 1. *Cod. de poena Judic. qui male judicavit*, sit restricta talis poena ad triplum dati, et respective recepti, ad duplum vero simpliciter promissi, ut ex Farinac. et aliis notat Ursaya *loc. cit.* n. 90. Criminaliter autem talis Judex privatur dignitate, qua erat insignitus, et redditur inhabilis ad judicandum in futurum, ac efficitur infamis; *citat. Authent. Novo jure*, *et l. Judices*, *Cod. de dignitatibus, ac l. Eadem Lege* 6. *§.* 1. *ff. Ad Leg. Jul. Repetundar.* ac insuper punitur poena extraordinaria, quae solet esse exilii, vel durior, aut mitior juxta delicti qualitatem: Glossa *in leg. Lex Julia, §. Hodie, vera. Extra ordinem, ff. Ad Leg. Jul. Repetundar.* Ursaya *loc. cit. n.* 94. cum aliis ibi allegatis.

Si vero hoc crimen commissum sit ab aliquo, qui pecuniam sponte dedit, ut Judicem corrumperet, et in suam voluntatem traheret, tunc iste, tam in Civilibus, quam in Criminalibus tenetur eadem poena Judicis corrupti, et insuper si Reus hujus criminis sit Actor, punitur amissione causae, et actionis; *l. Constit.* 1. *Cod. de poena Jud., qui male judicavit;* Et si sit Reus, amittit jus se defendendi, et sic etiam ipse pro suo jure, et interesse causam amittit: Glossa *in cit. leg. Constitit, verb. Amittat;* Farinac. *q.* 111. *tit.* 3. *n.* 125. *et* 129. Ursaya *loc. cit. n.* 100. *et seq.* Nisi tamen agatur de causa criminali sanguinis, quia tunc licitum est Reo sanguinem suum, et vexationem quoquo modo redimere; *l. Transigere* 18. *Cod. de transact.* Ursaya *loc. cit. nu.* 103. cum aliis ibi allegatis. 184

Si autem pecunia non a sponte dantibus, sed per violentiam, et concussionem recipiatur a Judice, vel ab alio Officiali, qui minetur alicui crimen, et capitale judicium, ut sub hoc praetextu pecuniam ab illo extorqueat, seu recipiatur talis pecunia ab aliquo privato minante alicui, se illum accusaturum de crimine aliquo non commisso, et ideo ab eo pecuniam extorsit, tunc punitur poena concussionis. Vide *supra a n.* 82. Conspirantes enim in accusationem, et condemnationem innocentum, et pecuniam accipientes ad non accusandum, vel non condemnandum, tenentur *Lege Cornelia, de Sicariis*, quae est publici judicii, *lib.* 1. *ff. Ad Leg. Cornel. de falsis:* Et insuper *Lege Julia Repetundar.* quae etiam est publici judicii; l. *Eadem Lege* 6. *ff. Ad Legem Jul. Repetundar.* 185

De Residuis criminis poena est, quod, praeter restitutionem pecuniae inique detentae, vel non debitae erogatae, solvat adhuc triplum, seu tertiam partem, ita ut qui 90. duplas male erogavit, 220. duplas restituere teneatur; *l. Lege Julia* 4. *ff. Ad Legem Juliam Peculatus.* Et insuper Reus hujus criminis incurrit infamiam cnectis criminibus publicis debitam; l. *Infamem* 7. *ff. de public. judic.* Et ulterius puniri debet criminaliter poena arbitraria graviori, quam puniatur simplex furtum: Ursaya *Instit. crim. lib.* 2. *tit.* 3. *n.* 31. *et seq.* cum aliis ibi citatis. Crimen autem de Residuis est delictum publicum, quo pecunia ad certum debitum usum non erogatur, sed vel retinetur, vel 186 187

in alium usum convertitur; *l. Lege Julia* 4. *ff.* §. 3. 4. *ff. Ad Legem Juliam Peculatus.*

188 Revelationis secretorum poenae variae sunt pro varietate revelantium. Si revelans sit persona privata, quae secretum amici sibi communicatum revelet dolo malo ad perniciem ipsius amici, est poena falsi; *arg. leg. Poena* 1. §. 4. *et* 6. *ff. Ad Legem Cornel. de falsis*, Amenus *tit.* 5. §. 6. *n.* 32. cum aliis ibi citatis. Hujusmodi enim proditores amicitiae falsarii sunt, et juxta Scotum *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *art.* 1. sunt infames.

189 Consiliarius, seu alius revelans secreta Principis sibi commissa poenas perjurii subire debet, ut ex aliis tradit Amenus *loc. cit. n.* 34. Et si illa panderet hostibus Principis, de jure Canonico anathema esset; *cap. Si quis Laicus* 23. *quaest.* 5. Et si esset Clericus, deberet degradari. De jure vero Civili tamquam Reus criminis laesae Majestatis debet ultimo supplicio affici; *leg. Omne delictum* 6. *ff.* 4. *ff. de re militari, et leg. Si quis* 38. §. *de poenis*, ubi habetur, quod hujusmodi Rei aut vivi exuruntur, aut furcae suspenduntur.

190 Testes propalantes propria testimonia in judicio sub juramento deposita, antequam auctoritate Judicis publicentur, puniuntur poena Judici arbitraria juxta damnum sua propalatione partum, vel Fisco causatum; *leg. Qui*, *ff. de Testibus*. Nota-

191 rius, seu Secretarius, qui secreta Judicis partibus, vel secreta unius partis alteri adversariae indicat, incurrit poenam falsi; *leg. Poena* 1. §. 6. *ff. ad Legem Cornel. de falsis*. Et eamdem poenam incurrit Causidicus, qui secretum instrumentum unius partis alteri ostendit: *cit. l. Poena* 1. §. 6. Senatores autem, et qui praesident alicui Universitati, si revelant, quod pro bono Universitatis in Senatu, aut Consilio tractatum est sub secreto, privari debent Officio: Amenus *l. c. n.* 35. cum aliis ibi allegatis.

192 Qui per se, vel per eos, de rebus Christianae Reipublicae Turcas, ac Haereticos certiores faciunt, ac secreta revelant, incurrunt Excommunicationem in Bulla Coenae Papae reservatam: *Bulla Caenae Excommunicat.* 7.

193 Auditores Rotae, ac eorum Locatenentes, et Coadjutores revelantes vota, seu suffragia in causis, quae in eorum Auditorio discutiuntur, aut suffragantium, et non suffragantium nomina, incurrunt poenam perjurii, et Excommunicationem Papae reservatam: Urban. VIII. in Appendice Bullarii Const. 57. alias 167. incip. *Exponi.*

194 Revelantes, quae secrete tractantur cum Papa, poenis maximis afficiendi sunt, et confiscanda eorum bona, et aliquando ultimo supplicio puniendi: S. Pius V. Constitut. 147. incip. *Romani.*

195 Revelantes audita in Sacramentali Confessione subjacent gravissimis poenis. Vide verb. *Sigillum Sacramentalis Confessionis a n.* 25.

196 Sacrilegorum poenae. Vide *supra a n.* 31. *ad* 50. *n.* 103. *a n.* 114. *ad* 118. *n.* 127. 143. *et seq. n.* 170. et infra *n.* 205. *et n.* 214 et verb. *Ecclesia art.* 4. *verb. Excommunicatio art.* 10. 11. et 12. *Verb. Furtum.*

Schismaticorum poenae. Vide verb. *Schismatici a n.* 14. 197

Sepulcri violati poena est, praeter infamiam, quam incurrit hujus criminis Reus, textu expresso *in cap. Sepulcri violati* 1. *ff. de sepulcro violato*, arbitraria, et subinde etiam capitalis, praesertim si corpora, vel ossa eruantur, *l. Praetor ait* 2. *l. Sepulcri violati* 6. *et l. Rei sepulcrorum* 11. *ff. de sepulcro violato*. Sepulcri autem violati crimen est, quo quis sepulcrum non tantum violat, sed etiam inde monumenta, vel alia aufert, vel cadavera effodit, et spoliat; *l. Si sepulcrum* 2. *et l. Praetor ait* 3. *ff. de sepulcro violato.* 198

Simoniacorum poenae. Vide verb. *Simonia art.* 3. *a n.* 4. 199

Sodomitarum poenae. Vide verb. *Luxuria a n.* 60. *an.* 63. 200

Sollicitantium ad turpia extra Confessionem poenae sunt arbitrariae pro qualitate, et diversitate circumstantiarum; *l. Sollicitatores* 1. *ff. de extraordinariis crim. et cap. Sollicitatores* 15. *dist.* 1. *de poenitentia*, Amenus *tit.* 4. §. 2. *a num.* 35. varia ad rem adducens. 201

Sollicitantium ad turpia in Confessione Sacramentali poenae? Vide verb. *Sollicitatio ad turpia in Confessione.* 202

Sortilegorum poenae. Vide verb. *Superstitio a n.* 40. 203

Stellionatus poena est extraordinaria, et arbitraria; *l.* 2. *et l. Stellionatus accusatio* 3. §. 2. *ff. Stellionatus*. Stellionatus autem est quoddam crimen irregulare, vagum, atque incertum; nam quandocumque in aliqua actione hominis injuste, et dolose facta, et quae meretur poenalem animadversionem, deficit titulus criminis, illic Stellionatus crimen objicitur, textu expresso *in leg. Stellionatus accusatio* 3. §. 1. *ff. Stellionatus*. Et hoc crimen fuit appellatum Stellionatus ob suam varietatem, et instabilem, atque irregularem naturam, sumpta similitudine ab animali, quod vocatur Stellio, quo nullum aliud animal fraudolentius homini invidere observat Plin. *lib.* 4. *cap.* 10. Animal hoc tergum habet luculentibus quibusdam guttis depictum ad modum stellarum, est varii, et diversi coloris, et ut Coelum stellis, ita intuentium oculis apparet variis stellulis diversi coloris tinctum, et transpersum, ut tradit Glossa *in cit. leg. Stellionatus accusatio* 3. *ff Stellionatus*, et Doctores communiter, teste Ursaya *Inst. Crim. l.* 2 *tit.* 10. *n.* 123. Duo inter alia hujus criminis afferuntur exempla *in cit. c. Stellionatus accusatio*. Primum est, si quis rem alteri obligatam, dissimulata obligatione in alium, per calliditatem distraxerit, et alienaverit, vel cum alia re permutaverit, aut alteri Creditori in solutum dederit. Secundum, si quis merces jam debitori obligatas avertit, quia scilicet bonas jam antea obligatas non tradiderat, postea vero ei tra- 204 205

dit malas, et viliores dicens eas esse illas, quas ei obligaverat: Cabal. *resolut. crimin. caus.* 66. *n.* 1. *et* 3. Ursaya *loc. cit. n.* 125. Rota *part.* 19. *recent. decis.* 263. *n.* 16. ubi de cedente creditum jam exactum.

206 Stupri poena est, quod si quis vilioris conditionis stuprum sine vi committit, fustigetur, ac relegetur; si vero stuprator sit melioris, ac considerabilioris conditionis, publicatione dimidiae partis bonorum puniatur, §. *Item Lex* 2. *vers. Poenam*, *Institut. de public. judic.* Si autem quis vi, seu violenter non tantum invitam virginem violaverit, sed etiam honestam viduam, aut maritatam, punitur poena capitis. *l. Sollicitatores* 1. §. 2. *ff. de extraordin. criminib.* Constit. crimin. Caroli V. *art.* 119. Clarus §. *Stuprum* 3. *ad finem.* Farinac. *prax. crimin. quaest.* 147. *n.* 6. Glossa *in cap. Pervenit.* 2. *verb. Plectendus*, *de adulteriis*, *et stupro*, et ibi Abbas *num.* 5. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 16. §. 2. *num.* 48. et alii.

207 De jure Canonico qua poena stuprator puniri debeat? Vide verb. *Stuprator num.* 6. *et verb. Dos*, *art.* 2. *a num.* 14. *ad* 38. Addo tamen, quod si stuprator sit Clericus, praeter dotationem debitam, jubetur deponi, maxime si eum vi stuprum commiserit: Clarus verb. *Adulterium num.* 3. Abbas *in cap. Si seduxerit* 1. *num.* 4. *de adulteriis, et stupro; et in cap. At si Clerici* 4. *de Judic. nu.* 35. Farinac. *prax. criminal. q.* 147. *numer.* 62. Pirhing *lib.* 5. *decretal. tit.* 16. num. 43. Reiffenstuel *ibid. n.* 52. et, teste Claro, communis aliorum *arg. cap. Presbyter, aut Diaconus* 12. *et cap. Si quis Episcopus* 13. *dist.* 81. cum similibus Menoch. tamen *de Arbitr. Jud. cas.* 288. *num.* 6. Vallensis *tit. de stupro* §. 2. *num.* 2. et etiam Farinac. *loc. cit. num.* 65. et alii, censent, stupratorem Clericum posse a Judice puniri poena arbitraria, videlicet quandoque poena pecuniaria, vel carceris, quandoque poena suspensionis, depositionis, vel privationis Beneficii, prout circumstantiae personarum, et delicti suaserint.

208 Subornationis testium ad dicendam falsitatem poenae variae sunt pro varietate subornationum. Si subornatus sit testis ad offensam, at ejus falsa testificatio sortita sit suum effectum, tunc sicut poena testis falsi est poena talionis; *l. Lege Cornelia* 1. §. 1. *ff. Ad Legem Corneliam*, *de Sicariis*, ita poena inducentis ad testificandum falsum est ad similitudinem ejus, quae ipsi testi falso debetur: Ita Clarus, Bertazzin, Menoch. Farinac. et Caball. citati, et secuti ab Ameno *tit.* 5. §. 8. *n.* 31. Si autem effectus non sit secutus, eo quia falso accusatus se defendit probando falsitatem testimonii, tunc et falsus testis, et subornator puniuntur poena arbitraria; Farinac. *quaest.* 67. *num.* 9. 10. 14. 17. *et* 21. Guazzin. *defens.* 28. *c.* 18. *num.* 3. Amen. *loc. cit.* num. 31. Item poena arbitraria, seu extraordinaria punitur testis falsus, et subornans, si subornatio, et falsa testificatio fuit ad defensam: Clarus, Farinac. Bertazzin, et alii citati, et secuti ab Ameno *loc. cit. num.* 31. Intellige tamen hoc, quando subornatio, et falsa testificatio est ad puram defensam Rei, contra Fiscum, non autem quando est ad defensam Rei contra Accusatorem, quia tunc probando Reum innocentem, probat Accusatorem ex consequenti calumniosum, et perinde est ac si testis examinaretur ad offensam Accusatoris: Unde in casu tam subornator, quam falsus testis puniendus esset, ut supra dictum est, poena talionis, ut recte advertit Amenus *loc. cit. num.* 32.

Regulares subornantes Electores pro consequendis Officiis Regularibus incurrunt Excommunicationem latae sententiae reservatam Summo Pontifici, et privationem perpetuam vocis activae, et passivae, ex Constitut. 138. S. Pii V. incip. *Pastoralis Officii*, quae tamen Excommunicatio modo potest absolvi a Superioribus Generalibus, ubi agitur de electione Superiorum inferiorum ex declaratione Gregorii XIII. Constitut. incip. *Consuevit* edit. 8. Septemb. 1573. et dictae Constitutiones, quamvis editae sint pro Ordine Minorum de Observantia, afficiunt tamen omnes Regulares, ut docent Pellizar. *Manual. Regular. tom.* 2. *tract.* 9. *cap.* 2. *num.* 181. *vers. Cum autem*, *et n.* 182. Amenus *loc. cit. num.* 34. et alii. Et praesertim, quia Pianam Constitutionem confirmavit Clemens VIII. in decretis pro reformatione omnium Regularium Constit. incip. *Nullus omnino* §. 35. et innovavit Urbanus VIII. decreto edito a Sac. Congr. Conc. in Constitut. 26. ejusdem Pontificis, ut tradit etiam Justus Redn. *tom.* 2. *p.* 2. *tit.* 6. *num.* 16. 209

Tergiversationis poena est extraordinaria, et arbitraria: Ursaya *Inst. crim*, *lib.* 2. *tit.* 10. *num.* 121. cum aliis ibi allegatis per text. *in l. Accusatorum* 1. §. 7. *et in l. Si quis* 7. *in fine*, *ff. Ad Senatus consultum Turpillianum.* Vide *supra numer.* 73. 210

Termini moti poena est vel pecuniaria 50. aureorum, *l. Lege Agraria* 3. *ff. de termino moto*, vel etiam relegatio, aut fustigatio illorum, qui occupandorum aliorum finium causa id fecerint, *l. Divus Adrianus* 2. *ff. eod.* Termini autem moti crimen est, quo quis terminos, vel lapides finales dolose eruit, aufert, aut mutat, vel ut praecise noceat alteri, vel ut eidem de fundo aliquid detrahat, et suo adjiciat, *l.* 1. *et tot. tit. ff. de termino moto*, Ursaya *Inst. crim. l.* 2. *tit.* 10. *num.* 55. *et seq.* ubi multa ad rem, Reiffenstuel *lib.* 5. *decret tit.* 18. *num.* 68. 211 212

Truffatorum poena varia est, et regulatur a qualitatibus, et circumstantiis truffae: aliquando enim est fustigatio, ut notat Bajard. *ad Clarum quaest.* 70. *num.* 5. quandoque est poena relegationis, et aliquando triremium, ut advertit Sanfel. *dec.* 42. et interdum est extraordinaria, ut observat Corrad. *decis.* 106. *num.* 62. apud Ursayam *Instit. Crim. lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 146. Truffa autem generaliter sumpta idem sonat, ac deceptio, fraus 213 214

seu dolose gestum, Cyriac. *controvers.* 76. *num.* 1. *et* 2. Rota *par.* 19. *rec. decis.* 473. *num.* 1. ubi quod idem est truffare, ac decipere; specialiter vero importat furtum improprium. Unde truffam committere dicitur, qui non restituit id, quod ei ad aliquem finem consignatum fuit, et etiam truffam committit, et Truffator dicitur, qui sub colore, seu praetextu mutui, commodati, conducti, vel depositi rem sibi traditam in ejus usum distrahit. Et generaliter quod, qui utitur re ad alium usum, quam destinatum, dicatur Truffator, advertunt multi allegati ab Ursaya *loc. cit. a nu.* 142. *ad* 145. ubi sub *num.* 146. refert ad id aliquos casus.

215 Vis publicae poena varia est pro varietate casuum, in quibus committitur; Si enim committatur in latrocinio, et grassatione a Latronibus, et Grassatoribus simplicibus, est poena damnationis in metallum, vel relegationis in Insulam, *l. Capitalium* 28. §. *Grassatores, ff. de poenis*; Si vero commissa sit a Latronibus, et Grassatoribus famosis, est poena ultimi supplicii, et furcae: *ait. l. Capitalium* 28. §. *Famosos, ff. de poenis.* Et si Clericus sit hujus criminis Reus, degradatur, et in arctum Monasterium detruditur, *cap. Tuas* 6. *de Poenis*, Farinac. *in Fragm. verb. Clericus num.* 314. *et* 318. Ursaya *Instit. crimin. lib.* 2. *tit.* 7. *a num.* 138. et alii.

216 Si committatur in Raptu, tunc tam Raptores, quam auxiliatores, et fautores, si fuerint Laici, puniuntur ultimo supplicio; §. *Si autem per vim, Instit. de publicis judiciis, et l.* 1. *Cod. de raptu virgin. et l. Si quis, Cod. de Episcop. et Cleric.* qui licet loquatur de rapientibus Moniales, ex communi tamen DD. opinione extenditur etiam contra rapientes mulieres non sacratas. Insuper Raptores perdunt omnia bona applicanda raptae mulieri, si illa sit laicalis conditionis; *l.* 1. §. *Et si, et seq. Cod. de raptu virgin.* ubi Glossa verb. *Diminutionem, et verb Transferantur.* Si autem sit Monialis, applicanda ipsimet raptae quod usumfructum, donec vixerit, post mortem vero Monasterio ipsius Monialis, *l. Raptores*, §. *Bona, Cod. de Episcop. et Cler.* Ursaya *loc. cit. a num.* 142. cum aliis ibi allegatis. Si vero Raptores fuerint Ecclesiastici, deponuntur ab eorum Officiis, nec eis imponitur poena degradationis, et multo minus mortis, etiamsi agatur de rapto Monialium, sed alia Judicis arbitraria regulanda a circumstantiis casus, ut late probat Bertachin. *Vol. dec.* 504. *per tot.* ubi quod die 4. Septemb. 1696. Sacra Consulta, cui S. M. Innocentius XII. commisit causam cujusdam Sacerdotis Religiosi, qui invitis parentibus rapuerat puellam honestae conditionis, resolvit, eumdem Religiosum esse perpetuo suspendendum a Divinis, et relegandum in arctum ergastulum per decennium. Sic litteraliter Ursaya *loc. cit. num.* 146. *et seq.*

217 Si vis publica committatur in stupro Virginis invitae, punitur hujus criminis Reus poena capitis; *l. Sollicitatores* 1. §. 2. *ff. de extraord. crimin.* Constitut. crimin. Caroli V. *art.* 119. Vide *supra num.* 204.

Si vis publica committatur aedes, vel villas alienas cum turba armata expugnando, expilando, et bona ibidem existentia rapiendo, Rei capite plectuntur; *l. Hi qui aedes* 11. *ff. ad leg. Jul. de vi publica.* Item, qui ad aliquem expellendum de possessione domus, agri, navis, et hujusmodi accedunt cum armatis hominibus, propter quam causam homicidia secuta sunt, capite puniuntur, *l. Quoniam* 9. *Cod. Ad Leg. Jul. de vi publica.* Item poena capitis puniuntur Rei, quoties cum vi publica reperitur conjuncta causa laesae Majestatis, veluti seditio, tumultus, rebellio, et hujusmodi, ut tradunt communiter DD. per text. *in tot. tit. ff. et Cod. Ad leg. Jul. Majestatis.* Vide *supra a num.* 248. In aliis autem casibus hodie usus, et praxis obtinuit, ut pro vi publica Rei hujus criminis extraordinaria, et arbitraria poena puniantur, ut testantur Decian. *lib.* 8. *cap.* 18. *nu.* 29. Ursaya *loc. cit. n.* 150. et alii. 218

Vis privatae poena est, quod hujus criminis Rei puniantur publicatione tertiae partis bonorum; §. *Item Lex Julia* 8. *Institut. de public. judic.* Usus tamen, et praxis hodie obtinuit, quod pro ea imponatur poena arbitria, ut observant Decian. *loc. cit.* et Ursaya *loc. cit. num.* 156. 219

Intercedit autem haec differentia inter vim privatam, et publicam, quod vis publica sit cum armis, privata vero sine illis; §. *Item Lex Julia* 8. *Institut. de publicis Judiciis*, Raynal. *tom.* 2. *cap.* 23. §. 1. *num.* 3. Ursaya *loc. cit. num.* 2. et alii. 220

Usurariorum poenae. Vide verb. *Usura a n.* 88. *usque in finem.* 221

Alia de variis delictorum poenis brevitatis gratia relinquuntur videnda apud Criminalistas de ipsis ex professo tractantes. Sicuti et poenae impositae pro delinquentibus Regularibus videndae relinquuntur apud suas cujusque Religionis peculiares Constitutiones. 222

Poena adversus baptizantes Haebreorum filios illicito modo, et sine consensu parentum, est, quod mulctentur pro Judicis arbitrio, et prudentia, poena scilicet aut mitiori, aut severiori juxta circumstantias: Benedict. XIV. *tom.* 2. Const. 28. incip. *Postremo mense* §. 31. 223

Poenae contra Confessarios exquirentes a poenitentibus complicum nomina, cum denegatione absolutionis, sunt, quod puniantur uti tradentes, et tuentes opiniones scandalosas, et perniciosas, uti tales a Sede Apostolica condemnatas, et in eos pro criminum qualitate, et circumstantiis, suspensionis ab Officio confessiones audiendi, vel etiam ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, Dignitatum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, et si fuerint Regulares, vocis activae, et passivae, aliaeve poenae decernuntur: Idem Constitut. 8. incip. *Ubi primum.* Vide tom. 2. ad verb. *Confessarius.* 224

225 Poenae contra impedientes libertatem mutui commercii inter subditos Ditionis Ecclesiasticae, seu contravenientes Constitutioni hac de re editae, sunt, quod incurrant omnes poenas inflictas a Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Clemente VIII. Gregorio XV. Urbano VIII. et Innocentio X. contra extrahentes Triticum, et aliud genus prohibitum extrahi extra Statum, et insuper in poenam 500. aureorum toties quoties contrafecerint: Idem Const. 53. incip. *Quo die*, ubi plura ad id.

226 Poenae adversus Episcopos in propria Dioecesi non residentes, sunt omnes, et singulae comminatae a Tridentino, et Constitutionibus Apostolicis, amissionis scilicet quartae partis fructuum unius anni, si sex mensibus continuis abfuerint, et aliae quartae partis, si absentia ad alios sex menses pertrahatur, incursus etiam in peccat. mortale, et obligationis restituendi fructus in absentia perceptos absque praevia declaratione: Idem Const. 18. incip. *Ad universae*, ubi multa alia ad rem merito observanda.

227 Poenae contra imprimentes, aut publicantes libros, scripturas, et hujusmodi, circa imminutionem dierum Festorum de praecepto, sunt, quod contravenientes, praeter librorum, et operum prohibitionem, si Laici, excommunicationem latae sententiae Papae reservatam incurrant, si Ecclesiastici usque ad Sacerdotalem gradum poenam Suspensionis a Divinis, in superiobus vero gradibus constituti supensionis a Pontificalibus, et a perceptione fructuum omnium suorum Beneficiorum, atque Pensionum, quarum poenarum relaxatio, et respective rehabilitatio Papae reservatur: Idem Const. 53. Incip. *Non multi menses*, ubi multa alia merito observanda.

228 Poenae jam statutae in Presbyteros Sacrificio Missae ad sortilegia abutentes, confirmantur, iisque additur perpetua inhabilitatio ad ipsius Missae celebrationem: Idem *in Appendic. n. VIII. pag.* 46.

229 Poenae in Presbyteros, qui vigore Induiti Pontificii plures Missas in die commemorationis omnium fidelium Defunctorum celebrantes, aliquid plus eleemosynae loco acceperint, quam pro unica Missa, juxta Locorum consuetudines, aut leges Synodales percipi solitas, sunt, quod contrafacientes, poenam Suspensionis a Divinis Papae reservatae ipso facto incurrant; Qua tamen Episcopi jure Delegato relaxare poterunt, facta prius restitutione eleemosynae, perceptae in pios usus ab Episcop. erogandae; Et si dicti Sacerdotes post incursam praefatam suspensionem celebraverint, incurrant irregularitatem omnino Papae reservatam: Id. Const. 61. incip. *Quod expensis*, ubi varia alia scitu necessaria.

230 Poenae in eos, qui ad Sacerdotium non promoti Missas celebrant, aut Fidelium Confessiones excipiunt, statutae recensentur, reprobataque benigniori praxi, Apostolicarum Constitutionum vigor restituitur a Bened. XIV. Constitut. incip. *Quam grave*, et Constit. Incip. *Divinarum*, In cujus Summario sic expresse habetur: « Celebrantibus, aut Fidelium Confessiones excipientibus, sine Sacerdotali charactere, sincera criminis confessio facta in primo interrogatorio generali nihil suffragatura decernitur ad evadendam poenam traditionis brachio saeculari, indictam a Constitutionibus Apostolicis: Vide ad id jam tradita a nobis verb. *Missa art.* 6. *n.* 12. 13. et verb. *Sacerdos num.* 5. ubi assignantur poenae statutae etiam contra Sacerdotes abutentes Sacrificio Missae ad sortilegia, vel in Sacramentali Confessione sollicitantes ad turpia, juxta Decretum Universalis Inquisitionis coram Benedicto XIV. editum, et a nobis ad litteram jam adductum in verb. *Confessarius*,.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Agere de singulis singulorum delictorum poenis immensi esset laboris. Vide tamen, ubi res postulat, de poenis delictorum Ecclesiasticorum *Thesaurum de poenis Ecclesiasticis*, illustratum tamen a clarissimo *P. Giraldi Scholarum Piarum*, qui tum poenas omissas ab ipso *Thesauro* supplevit, tum vel postmodum mutatas, vel omnino novas addidit. 231

Hic vero praeterire haud possumus, male *Auctorem n.* 184. sequutum *Ursayam*, per text. *in* l. 18. *C. de Transact.* asseruisse, licere Reo in casu criminali, cui poena sanguinis imposita sit, corrumpere judicem, ex ratione illa, quod *licet Reo sanguinem suum, et vexationem quoquo modo redimere.* 232

In mox allegata enim *leg.* 18. *Cod. de Transact.* habetur, quod accusatus de crimine capitali, excepto adulterio, transigere, et paciscі potest impune, ut non habeatur pro confesso; idque quia quum agatur de vita hominis, non praesumitur Reus fateri delictum, sed periculi gravitate propter dubium litis eventum compulsus. 233

Non videmus autem quomodo inferri ex hac lege possit, quod valeat Reus in causa criminali, cui imposita sit poena sanguinis, Judices corrumpere. 234

Aliud enim est transactio, aliud est corruptio Judicis. Transactio enim nil turpe in se continet, adeoque permitti potest, corruptio vero Judicis, mala in se est, adeoque numquam permittenda. 235

Responsio Auctoris.

Quomodocumque intelligatur *cit.* Lex, illam cum Ursaya sic intelligunt, et explicant Bossius in *Praxi, tit. de Offic. pecun. corrupt. n.* 1. Bellegard in *Meth. rer. crimin. tract.* 4. *quaest.* 32. *n.* 6. et Rainald. tom. 1. cap. 4. §. 6. *n.* 5. ubi sic expresse tradit; nam in *caussa capitali, licitum est reo sanguinem suum, et vexationem quoquo modo redimere; l. Transigere. Cod. de transactione. Unde in caussa capitali satis est, quod amittat id omne, quod dedit*: Hinc *non male dicendum est*, me esse secutam tam celebres, et in his rebus versatissimos Auctores. 236

POENITENTIAE SACRAMENTUM

ARTICULUS I.

QUO AD EA, QUAE CONCERNUNT POENITENTIAE NATURAM, MATERIAM, FORMAM, ET MINISTRUM.

SUMMARIUM

1. Poenitentia unde dicta? — 2. Poenitentia dupliciter sumitur, nempe ut est virtus, et ut est Sacramentum. — 3. Poenitentia ut virtus quid sit? — 4. Poenitentia ut Sacramentum quid sit? — 5. Poenitentia sic sumpta est verum, et proprie dictum novae Legis Sacramentum. — 6. Poenitentiae Sacramentum est immediate institutum a Christo Domino inchoative adhuc vivente in carne mortali, simpliciter tamen, et absolute in effectu post Resurrectionem. — 7 Sacramentum Poenitentiae est omnibus post Baptismum in peccatum mortale lapsis omnino necessarium ad salutem in re, vel saltem in voto — 8. Materia Sacramenti Poenitentiae est duplex, scilicet proxima, et remota. — 9. Materia proxima quae sit? — 10. Actus poenitentis quare dicantur materia proxima? — 11. Materia remota quae sit? — 12. Peccata quare dicantur materia remota? — 13. Peccatum Originale, et peccata actualia ante Baptismum commissa non sunt materia apta Sacramenti Poenitentiae. — 14. Unde si Judaeus, seu Gentilis de recenti Baptizatus sola peccata ante Baptismum commissa vellet confiteri, ipse non posset absolvi. — 15. Materia remota Sacramenti Poenitentiae est duplex, videlicet necessaria, et sufficiens, et quae sit necessaria? — 16 Et quae sufficiens — 17. Peccata jam rite confessa, et absoluta esse materiam sufficientem Sacramenti Poenitentiae, et esse fructuosum, et salubre denuo confiteri, ostenditur. — 18. Adducitur, et solvitur instantia. — 19. Dictae materiae necessariae, et sufficienti solet addi tertia materia remota, scilicet materia *necessaria*, sed *non sufficiens*, ut sunt peccata mortalia dubia. — 20 Forma Sacramenti Poenitentiae quae sit? — 21. Licet speculative loquendo sola illa duo verba *Absolvo te*, vel aequivalentia sint de essentia formae Absolutionis, ac necessario exprimenda necessitate Sacramenti. — 22. In praxi tamen tutius tenendum est requiri tamquam de essentia formae Sacramentalis etiam illa verba *a peccatis tuis*, vel saltem *a peccatis*. — 23. Aliter confessarius peccaret mortaliter, et exponeret Sacramentum probabili periculo nullitatis sine necessitate, et contra justissimam voluntatem Poenitentis. — 24. Absolutio est valida, sed illicita, si detur aliis verbis, quae tamen non mutent sensum formae ordinariae, nec actum Judicii, et afferuntur variae similes formae. — 25. Omnes dictae, et similes formae sunt validae. — 26. Sunt tamen illicitae. — 27. Absolutio data his verbis: *Ego te mundo a peccatis*, vel aliis verbis consimilibus a pluribus censetur insufficiens, et qui eam daret sub similibus verbis, peccaret mortaliter, sicuti mortaliter peccaret, qui extra casum necessitatis voluntarie relinqueret *Ego*, et, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. — 28. Omissio vero aliarum precum, si fiat aliqua rationabili causa, non est ne quidem peccatum veniale. — 29. Urgente aliqua necessitate, v. g. periculo mortis instantis, potest confessarius breviter dicere: *Ego te absolvo ab omnibus Censuris, et peccatis, In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* — 30. Absolutionis verba non praecise, et nude indicant, et declarant poenitentem esse a Deo absolutum, sed vere, et per modum sententiae judicialis, important absolutionem poenitentis a peccatis loco Dei a confessario, velut a Judice pronunciatam. — 31. Absolutio non est valida, si proferatur modo deprecativo. — 32. Alia, *remissive*. — 33. Absolutio a quibus, et de quibus dari possit, vel non? *remissive*. — 34. Absolutio quibus dari possit, vel non? *remissive*. — 35. Minister Sacramenti poenitentiae est solus Sacerdos. — 36. Non tamen quicumque Sacerdos est talis, sed solum ille, qui praeter potestatem Ordinis, habet etiam potestatem Jurisdictionis. — 37. Quae requirantur in Ministro Sacramenti poenitentiae ad valide, et rite ejus Officium exercendum? *remissive*. — 38. Ea, quae concernunt Ministrum Sacramenti poenitentiae quoad ejus approbationem; *remissive*. — 39. Ea, quae concernunt Ministri Sacramenti poenitentiae facultatem quoad absolutionem; *remissive* — 40. Varia alia, quae concernunt Ministrum Sacramenti poenitentiae; *remissive*. — 41. De Poenit. Sacr. temp. pestis, ibi.

1 Poenitentia ex Divo Isidoro *l.* 6. *Etymologiar. c. ult.* dicta est a nomine *Poena*, et a verbo *teneo*, quasi idem sit *poenitere*, ac *poenam tenere*. Unde Poenitens est *poenam tenens*, et Poenitentia est *poenae tenentia*, ut semper quis puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. *Sic in re omnes Catholici.*

2 Poenitentia dupliciter sumitur, nempe ut est virtus, et ut est Sacramentum: *Communis*. Poe-
3 nitentia ut virtus, « est detestatio, ac dolor animi de peccato quatenus est offensa, et injuria Dei, cum intentione eam delendi, ac vindicandi, seu compensandi ». Estque in re ipsa Contritio gene-
4 ratim sumpta, de qua infra. *Sic in re Communis.* Poenitentia ut Sacramentum, est « absolutio hominis poenitentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis a Sacerdote Jurisdictionem habente ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animae a peccato »: Sic Scotus *in* 4. *dist.* 14. Seu, quod idem est, ut captu facilius; « Est Sacramentum novae Legis, quo homo vere poenitens, et confessus a Sacerdote legitimo certa verborum forma a peccatis absolvitur. Sic in re Communis.

Poenitentia sic sumpta est verum, et proprie 5
dictum novae legis Sacramentum. Est de Fide certa inter Catholicos; Habetur enim Matth. 16. « Tibi dabo Claves Regni Coelorum, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Coelis »: et *Math.* 18. « Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Coelis, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta

et in Coelis »; et est expresse definitum in pluribus Conciliis, et novissime in *Trid. sess.* 14. *Can.* 1. « Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere, et proprie Sacramentum pro Fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis a Christo Domino institutum, anathema sit ».

6 Unde patet, quod Sacramentum Poenitentiae est immediate institutum a Christo Domino: *Est de Fide certum* ex mox adducto *Canone* 1. *sess.* 14. *Conc. Trid.* Et quidem potestas absolvendi praedicta, et promissa Apostolis, adeoque Sacramentum Poenitentiae inchoative institutum est a Christo adhuc vivente vita mortali; *citat. c.* 18. *Matth.* simpliciter tamen, et absolute in effectu institutum est post Resurrectionem, *Joan.* 20. quando Christus Apostolis dixit: « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt ». Sic Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 1. dicens: « Dominus autem Sacramentum Poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis potestatem remittendi, et retinendi peccata ad reconciliandos Fideles post Baptismum lapsos Apostolis, et eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit ».

7 Sacramentum Poenitentiae est omnibus post Baptismum in peccatum mortale lapsis omnino necessarium ad salutem in re, vel saltem in voto, eliciendo actum Contritionis. *Est certa, et indubitata inter Catholicos*: Habetur expresse in Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 1 ibi: « Est autem hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus ». Unde Sacramentum Poenitentiae rectissime appellatur a Sanctis Patribus *Secunda post naufragium tabula* naufragis praeparata, prout habetur in cap. *Secunda post naufragium tabula, de Poenitentia dist.* 1. et a Concilio Tridentino *cit. sess.* 14 *Canon.* 2. ibi: « Si quis Sacramenta confundens ipsum Baptismum Sacramentum Poenitentiae dixerit, quasi haec dua Sacramenta distincta non sint, atque ideo Poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, Anathema sit ».

8 Materia Sacramenti Poenitentiae est, duplex, scilicet proxima, et remota: *Communis.* Materia

9 proxima sunt actus poenitentis, videlicet Contritio, Confessio, et satisfactio, de quibus infra: *Com-*

10 *munis.* Et hi actus Poenitentis dicuntur materia proxima, quia proxime applicant materiam remotam, scilicet peccata, Sacris Clavibus, ut per absolutionem remitti possint; In omni enim Sacramento materia proxima dicitur id, quo materia remota proxime applicatur, ut, accedente forma, Sacramentum proxime, et immediate perficiatur, ut ablutio aquae in Baptismo, unctio Chrismatis in Confirmatione, traditio Calicis, et cujuslibet respectivae materiae in Ordine, seu Ordinibus etc. Materia remota sunt peccata actualia post Baptis- 11

mum commissa: *Communis.* Et haec peccata di- 12

cuntur materia remota, quia non sunt proxime, et immediate remissibilia, nisi mediantibus actibus Poenitentis proxime applicentur Sacris Clavibus, ut per Absolutionem remitti possint: *Communis.*

Dicitur autem notanter, materiam remotam es- 13

se *peccata actualia post Baptismum commissa*; quia peccatum Originale, et peccata actualia ante Baptismum commissa, non sunt materia apta Sacramenti Poenitentiae, cum ipsa omnia deleantur per Baptismum; et Sacramentum Poenitentiae, tamquam secunda post naufragium tabula, institutum sit a Christo ad delenda peccata post Baptismum commissa, ut docet Scotus *in* 4. *dist.* 4. *q.* 5. cum communi Catholicorum, et expresse definivit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *Canon.* 1. ibi: « Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere, et proprie Sacramentum pro Fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit »: *et ibidem Canon.* 2. ubi definit: « Poenitentiam appellari secundam post naufragium tabulam » per verba adducta *supra n.* 7. Hinc si Judaeus, seu Gentilis de 14

recenti baptizatus sola peccata ante Baptismum commissa vellet confiteri, ipse non posset absolvi, quia non afferret materiam aptam hujus Sacramenti Poenitentiae: *Communis.*

* An autem peccata mortalia commissa in ipsa susceptione Baptismi, sive Peccatum fictionis, ut vocant Theologi (quod est illud, quo quis adultus sine debito dolore peccatorum a se commissorum ad Baptismum forte accedit, vel accedit cum voluntate aliquod peccatum mortale committendi) sit etiam materia hujus Sacramenti Poenitentiae, adeoque in Confessione Sacramentali explicanda, non audet affirmare Ligorius *lib.* 6. *n.* 427. sed pro parte affirmativa stant mordicus Tamburinus *lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 2. Felix Potestas *in Exam. Confess. Tom.* 1. *part.* 4. *n.* 3039. Suarez, aliique multi cum S. Bonaventura, D Thoma, et S. Augustino, apud Ligorium *loc. cit.* *

Materia remota Sacramenti Poenitentiae est du- 15

plex, videlicet necessaria, et sufficiens. Materia remota *necessaria* est omne peccatum mortale post Baptismum commissum, et nunquam legitime confessum, et absolutum: *Communis.* Materia re- 16

mota *sufficiens* est omne peccatum veniale, vel mortale jam rite confessum, et absolutum: *Communis.*

Quod peccata jam rite confessa, et absoluta sint 17

materia sufficiens Sacramenti Poenitentiae, possintque denuo fructuose confiteri, et subjici Clavibus Ecclesiae, ultra praxim communem piorum hominum saepe saepius peragentium confessiones,

tum generales, tum certorum particularium peccatorum jam rite confessorum, et absolutorum habetur expresse *in Extravaganti inter communes*, incip. *Inter Cunctas §. Ceterum, de privilegiis*, ibi: « Ceterum licet, sicut praedicitur, de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen, quia propter erubescentiam, quae magna est poenitentiae pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre ».

18 Non valet dicere, quod peccata jam rite confessa, et absoluta, et consequenter remissa non possunt iterum confiteri, ut absolvantur, seu remittantur, cum non amplius extet, quid absolvatur, et remittatur. Non valet, inquam, quia de ratione Sacramenti per se remissivi peccatorum, et collativi gratiae, non est quod actu semper remittat peccata, sed quod per se conferat gratiam sanctificantem, quae ex natura sua est remissiva peccati, si nondum fuisset remissum, ut patet in peccatore jam ante confessionem sanctificato per veram Contritionem, ubi, licet Sacramentum Poenitentiae tunc nihil remittat, confert tamen gratiam natura sua remissivam peccati, si nondum remissum esset; et tale peccatum mortale jam ante confessionem deletum per veram Contritionem, adhuc est materia non solum sufficiens, sed etiam necessaria Sacramenti Poenitentiae secundum omnes; Adeoque a fortiori peccatum mortale jam rite confessum, et remissum, erit materia sufficiens remota, si nova accedat materia proxima, nempe nova dispositio poenitentis, scilicet novus dolor, et nova Confessio ejusdem: Et sic, quamvis Sacramentum Poenitentiae non sit in tali casu remissivum peccati, cum non adsit; nec collativum primae gratiae sanctificantis, cum jam adsit; est tamen remissivum peccati, si adesset, et collativum gratiae secundae, seu augmenti prioris gratiae jam receptae, et remissivum poenae temporalis debitae peccatis jam antea remissis; idque ex opera operato, et virtute Sacramenti, et non solum ex opere operantis, seu novae dispositionis, doloris, erubescentiae, aliorumque actuum Poenitentis, per quos Justus meretur gratiae augmentum, et remissionem poenae temporalis: Sic *Communis Doctorum* cum S. Tho. *in 4. dist.* 17. *qu.* 3. *art.* 3.

19 Dictae materiae necessariae, et sufficienti solet addi tertia materia remota, scilicet materia *necessaria, sed non sufficiens;* Et pro tali materia assignantur peccata mortalia dubia, quae quidem sunt materia *necessaria*, quia sunt necessario aperienda in Confessione, at non sunt materia *sufficiens*, quia sola peccata dubia sine additione materiae certae non sufficiunt pro obtinenda absolutione absoluta. Unde si daretur casus, quod aliquis non haberet materiam certam praeteritam, nec jam confessam, et absolutam, quam adderet, tunc posset solum ei impendi absolutio conditionata, cum non possit dari sententia absoluta, et certa pro peccato dubio, sed solum dicta absolutio conditionata, quia sic consuleretur et saluti animae poenitentis, et reverentiae Sacramenti, cujus vitaretur irreverentia, quae posset oriri ex periculo, quod poenitens careret materia, supra quam caderet absolutio Sacramentalis: Et sic Sacramentum esset nullum (*).

Forma Sacramenti Poenitentiae sunt verba absolutionis a Sacerdote prolata, scilicet illa; *Ego te absolvo a peccatis tuis*, vel alia aequipollentia actum judicialem sententiae absolventis sufficienter exprimentia; Habetur ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis*, ubi dicit: *Forma hujus Sacramenti est*: *Ego te absolvo etc.* et ex Tridentino *sess.* 14. *c.* 3. ubi dicit; « Docet praeterea Sancta Synodus, Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipua ejus vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo etc. Quibus quidem de Ecclesiae Sactae more praeces quaedam laudabiliter adjunguntur; Ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessaria ». 20

Licet speculative loquendo sola illa duo verba *Asolvo te*, vel aequivalentia, sint de essentia formae absolutionis, ac necessario exprimenda necessitate Sacramenti; Vide verb. *Absolutio art.* 3. *num.* 2. 21

In praxi tamen tutius tenendum est, requiri tamquam de essentia formae Sacramentalis etiam illa verba *a peccatis tuis*, vel saltem *a peccatis*. Vide *ibid. n.* 3. 22

Aliter Confessarius peccaret mortaliter, et exponeret Sacramentum probabili periculo nullitatis sine necessitate, et contra justissimam voluntatem poenitentis. Vide *ibid. n.* 4. 23

Absolutio est valida, sed illicita, si detur aliis verbis, quae tamen non mutent sensum formae ordinariae, nec actum judicii; et afferuntur variae similes formae. Vide *ibid. n.* 5. 24

Omnes dictae, et similes formae sunt validae. 25
Vide *ibid. n.* 6. Sunt tamen illicitae. Vide *ibid. num.* 7. 26

Absolutio data his verbis: *Ego te mundo a peccatis*, vel aliis verbis consimilibus, a pluribus censetur insufficiens; Et qui eam daret sub similibus verbis, peccaret mortaliter, sicuti peccaret mortaliter, qui extra casum necessitatis voluntarie relinqueret: *Ego*, et *in nomine Patris*, *et Filii*, *et Spiritus Sancti*. Vide *ibid. n.* 8. 27

Omissio vero aliarum precum, si fiat aliqua rationabili causa, non est ne quidem peccatum veniale. Vide *ibid. n.* 9. 28

Urgente aliqua gravi necessitate, v. g. periculo mortis instantis, potest Confessarius breviter di- 29

(*) E. R. Si peccata mortalia dubia non includant certum peccatum veniale: scilicet si peccata dubia sint tam in ratione peccati mortalis, quam in ratione peccati venialis; tunc recte procedit Doctrina Auctoris. Verum si dubium sit tantum de mortali, non item de veniali incluso, et inhaerenti: tunc locum habet Doctrina posita sub n. 16.

cere : « Ego te absolvo ab omnibus Censuris, et peccatis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Vide *ibid. n.* 11.

30 Absolutionis verba non praecise, et nude indicant, et declarant poenitentem esse a Deo absolutum; sed vere, et per modum sententiae Judicialis important absolutionem poenitentis a peccatis loco Dei a Confessario, velut a Judice pronunciatam. Vide *ibid. n.* 12.

31 Absolutio non est valida, si proferatur modo deprecativo. Vide *ibid. n.* 13.

32 Alia. Vide *ibid. usque in finem.*

33 Absolutio a quibus, et de quibus dari possit, vel non possit? Vide d. verb. *Absolutio art.* 1. *per totum.*

34 Absolutio quibus dari possit, vel non? Vide d. verb. *Absolutio art.* 2. *per totum.*

35 Minister Sacramenti Poenitentiae est solus Sacerdos: *Communis inter Catholicos*, et habetur expresse ex pluribus Conciliis, et signanter ex Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 6. *et Canon.* 10. et ex illo *Joan.* 20. ubi Christus solis Apostolis jam antea in ultima Coena in Sacerdotes ordinatis postquam a mortuis resurrexerat, dixit : « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ».

36 Licet autem solus Sacerdos sit legitimus Sacramenti Poenitentiae Minister, non tamen quicumque Sacerdos est talis, sed solum ille, qui, praeter potestatem Ordinis, habet etiam potestatem Jurisdictionis, idest legitimam Jurisdictionem, vel Ordinariam, vel saltem delegatam: *Communis inter Catholicos*; et clare patet ex perpetua traditione, ac sensu Ecclesiae, et pluribus Conciliis, et praesertim ex Trid. *citat. sess.* 14. *cap.* 7. ubi expresse dicit : « Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet Jurisdictionem ».

Quae antem requirantur in Ministro Sacramenti Poenitentiae ad valide, et rite ejus Officium exercendum? Vide verb. *Confessarius art.* 1. *per totum.* 37

Ea, quae concernunt Ministrum Sacramenti Poenitentiae quoad ejus approbationem. Vide verb. *Approbatio per totum.* 38

Ea, quae concernunt Ministri Sacramenti Poenitentiae facultatem quoad absolutionem. Vide verba *Absolutio per totum.* 39

Varia alia, quae concernunt Ministrum Sacramenti Poenitentiae. Vide verb. *Confessarius art.* 4. *per totum, et verb. Sigillum.* 40

* Poenitentiae Sacramentum iis, qui morbo pestis infecti sunt, non tenetur per se praestare Episcopus, cum ille agat per Parochos, ut causa universalis per particulares: sed Parochus omnino tenetur, quod et ratio suadet, et Decreta Sac. Congregationis approbata a Gregorio XIII. declarant; quamquam administrare illud possit aut directe per se, aut adhibita opera alicujus Sacerdotis ab Ordinario approbati; nam si Parochus omnino per se id agere deberet, caeteri Parochiani morbo non affecti nollent tunc a Parocho recipere Sacramenta, eo quod sibi metuerent. *De Synodo Dioeces. lib.* 13. *cap.* 19. §. 7. *nov. edit.* * 41

ARTICULUS II.

QUOAD EA, QUAE CONCERNUNT CONTRITIONEM, ET CONFESSIONEM.

SUMMARIUM

1 Contritio in communi, prout est genus ad Attritionem, et Contritionem, quid sit? — 2. Contritio sic generatim, et in communi sumpta dividitur in Contritionem perfectam, et in Contritionem imperfectam, seu Attritionem. — 3. Contritio perfecta, quae est Contritio simpliciter, et absolute dicta, quid sit? — 4. Quare dicatur Contritio, et de hac in articulo mortis, *remissiva.* — 5. Contritio imperfecta, seu attritio quid sit? — 6. Quare dicatur Attritio? — 7. Assignatur differentia inter Contritionem, et Attritionem. — 8. An in Attritione, ut Poenitens sufficienter ad gratiam Sacramenti Poenitentiae percipiendam sit dispositus, aliquis Dei amor sit necessarius? *ad num* 10. — 11. Attritio in Sacramento Poenitentiae quomodo dicatur fieri Contritio, et Attritus fieri Contritus. — 12. Ut Attritio cum Sacramento in re sufficiat ad justificationem peccatoris, requiritur quod procedat ex aliquo motivo supernaturali. — 13. Sufficit tamen dolor de peccatis ob metum poenarum temporalium, ut a Deo immissarum, vel immittendarum. — 14. Et a fortiori sufficit Attritio, seu dolor de peccatis ob metum Gehennae. — 15. Item sufficit Attritio ob turpitudinem peccati supernaturaliter, seu ex Fide cognitam — 16. Item sufficit ille dolor, quo quis dolet, se non dolere de peccatis, sicut deberet, si per hoc judicet, quod de suis peccatis vere dolet, sed non tam vehementi dolore ac deberet. — 17. Non sufficit tamen dolor ille, quo quis dolet, se non dolere de suis peccatis, si per hoc judicet, se carere vera detestatione, et displicentia peccatorum. — 18. Attritio, etiam cognita ut talis, sufficit cum Sacramento ad salutem, et justificationem. — 19. Attritio, putata, et aestimata tantum etiam invincibiliter, quae secundum se non sit reipsa vera attritio, sicuti non est sufficiens ad fructuosam susceptionem Sacramenti Poenitentiae; ita neque est sufficiens ad validam ejus susceptionem: Seu quod idem est : Non potest dari Sacramentum Poenitentiae validum, et informe. — 20. Adducitur ratio, *ad num.* 21 — 22. Affertur et solvitur objectio, *ad num* 23. — 24. Affertur, et solvitur alia objectio, *ad eum.* 25. — 26. Affertur, et solvitur adhuc alia objectio, *ad eum.* 27. — 28. Affertur, et solvitur instantia de supposita adultera Matre Gratiani, Petri Lombardi, et Petri Comestoris, *ad num.* 30. — 31. Ad valorem Sacramenti requiritur dolor supernaturalis, et universalis saltem virtualiter respectu

omnium peccatorum mortalium. — 32. Secus autem est de peccatis venialibus. — 33. Dolor de peccatis mortalibus commissis debet esse summus non intensive, sed appretiative. — 34. Dolor requisitus ad Sacramentum Poenitentiae consulto, et utilissime praemittitur Confessioni, non debet tamen necessario Confessionem praecedere, sed sufficit, ut elicietur in ipsomet Confessionis actu. — 35. Debet tamen talis dolor necessario praecedere absolutionem, nec sufficit, si eliciatur post ipsam absolutionem. — 36. Non est autem necesse, quod dolor, seu Attritio eliciatur immediate ante absolutionem, vel Confessionem, sed sufficit, quod sit elicitus ante, et non sit retractatus. — 37. Qui in confessione oblitus est alicujus peccati mortalis, de quo antea explicite, et formaliter non doluit, potest paulo post datam absolutionem illud confiteri, absque eo quod habeat novum dolorem. — 38. Item si propter imminens mortis periculum absolvatur moribundus, audito tantum uno, vel altero peccato, potest postea, auditis reliquis, secundo absolvi ab illis ex vi prioris doloris moraliter permanentis, absque eo quod novum eliciat dolorem. — 39 Dolor ad hoc, ut sufficiat pro valore Sacramenti, debet esse conjunctus cum proposito non peccandi de caetero. — 40. Propositum non peccandi de caetero, quamvis per se loquendo debeat esse formale, et expressum, tamen sufficit etiam, quod sit implicitum, et virtuale. — 41. Propositum debet esse absolutum, firmum, efficax, et universale se extendens ad omnia mortalia in posterum evitanda. — 42. Quamvis autem propositum debeat esse absolutum, firmum, efficax, et universale, non requiritur tamen credulitas, seu existimatio, vel persuasio certa ex parte intellectus, quod quis deinceps non amplius sit relapsurus. — 43. Circa sola peccata venialia, sicuti in Sacramento Poenitentiae requiritur supernaturalis dolor, et detestatio eorum; ita requiritur propositum absolutum saltem virtuale, et implicitum vitandi ipsa venialia confessa, vel saltem unum, aut alterum ipsorum. — 44. Affertur prima Haeresis exorta circa Confessionem Sacramentalem. — 45. Talis Haeresis evincitur ex Sacra Scriptura. — 46 Evincitur etiam ex Conciliis. — 47. Affertur secunda Haeresis circa Confessionem Sacramentalem. — 48. Talis Haeresis evincitur ex Scriptura, et Conciliis. — 49. Adducitur, et solvitur objectio ex facto Nectarii Patriarchae Constantinopolitani, et S. Joannis Chrysostomi, *ad num.* 50. — 51. Affertur tertia Haeresis circa Confessionem Sacramentalem. — 52. Talis Haeresis evincitur ex Concilio Tridentino, et ex ipsa ratione. — 53. Confessio Sacramentalis quid sit? — 54. Ad constituendam, seu faciendam legitimam, et perfectam Sacramentalem Confessionem sexdecim communiter assignantur qualitates, seu conditiones, quae afferuntur. — 55. Prima conditio, seu qualitas, scilicet quod sit *simplex*, quid importet? — 56. Secunda, quod sit *humilis*, quid importet? — 57. Tertia, quod sit *pura*, quid importet? — 58. Quarta, quod sit *fidelis*, quid importet? — 59. Quinta, quod sit *frequens*, quid importet? — 60. Sexta, quid sit *nuda*, quid importet? — 61. Septima, quod sit *discreta*, quid importet? — 62. Octava, quod sit *libens*, quid importet — 63. Nona, quod sit *verecunda*, quod importet? — 64. Decima, quod sit *integra*, quid importet? — 65. Undecima, quod sit *secreta*, quid importet? — 66. Non esset tamen invalida Confessio, si ex aliqua necessitate, aut alia de causa publice, seu aliis audientibus fieret. — 67. Duodecima, quod sit *lacrymabilis*, quid importet? — 68. Tertiadecima, quod sit *accelerata*, quid importet? — 69. Quartadecima, quod sit *fortis*, quid importet? — 70. Quintadecima, quod sit *accusans*, quid importet? — 71. Sextadecima, quod sit *parere parata*, quid importet? — 72. Ex supradictis sexdecim Conditionibus, seu qualitatibus bonae, et perfectae Confessionis, solae tres sunt necessariae ad valorem Sacrament, nempe fidelitas, dolor, et integritas, aliae autem pertinent solum ad modum, et perfectionem ipsius. — 73. Quoad fidelitatem, et Dolorem nihil remanet addendum. — 74. Quoad integritatem autem varia adhuc remanent addenda, et praesertim quod ipsa integritas est duplex, scilicet materialis, et formalis. — 75. Integritas materialis in quo consistat? — 76. Integritas formalis in quo consistat — 77. Confessio ut sit valida, debet semper esse integra, saltem integritate formali. — 78. Item per se, ac regulariter loquendo Confessio debet semper esse integra integritate materiali. — 79. Per accidens autem, et in quodam casu extraordinario Confessio potest esse valida cum sola integritate formali absque integritate materiali. — 80. Causae excusantes ab integritate materiali Confessionis generatim tres assignantur, scilicet inculpata ignorantia, seu oblivio, impotentia physica, et impotentia moralis ob grave damnum proprium, vel alienum, tam corporale, quam spirituale, alioquin secuturum. — 81. Ratione inculpatae ignorantiae, seu oblivionis excusantur omnes illi, qui praemisso sufficienti examine, non recordantur alicujus peccati mortalis, aut ignorantia invincibili penitus ignorant illud esse grave peccatum. — 82. Ratione impotentiae physicae excusantur omnes illi, qui aliqua impotentia physica omnino impediuntur ad integre confitendum, sive impotentia oriatur ex parte Confessarii, sive ex parte Poenitentis, et assignantur casus. — 83. Item ab integritate materiali Confessionis excusatur mutus, qui uno, vel altero peccato explicato per nutus, vel si neque hoc facere possit, signo doloris de suis peccatis edito, absolvi potest; Si tamen scribere sciat, expedit, ut sua peccata integre in scriptis Confessario exhibeat, ad quod probabilius, et tutius tenetur. — 84. Item ab integritate materiali Confessionis excusatur vir ignarus idiomatis non habens Confessarium peritum suae linguae. — 85. Is autem, quamvis urgente praecepto Ecclesiastico annuae Confessionis, non teneatur confiteri per interpretem; tamen in periculo mortis, si dubitet non posse verum Contritionis actum elicere, tenetur non quidem praecepto Divino, sed ex praecepto Charitatis erga seipsum per interpretem confiteri. — 86. Ratione impotentiae moralis ob grave damnum proprium, vel alienum tam corporale, quam spirituale alioquin secuturum excusantur ab integritate materiali omnes illi, qui ex Confessione omnium peccatorum rationabiliter, et prudenter timent sibi, aut Confessario, vel tertiae personae aliquod grave damnum corporale, vel spirituale; et assignantur casus *ad num.* 87. — 88. Non excusat tamen ab integritate materiali Confessionis magnus poenitentium concursus, ob quem non licet facere dimidiatam Confessionem. — 89 Quantum ad peccata, quae propter supradictas causas licite in Confessione reticentur, non requiritur dolor Contritionis ad eorum remissionem, sed sufficit dolor Attritionis, et propositum illa confitendi, cessante causa, seu impotentia. — 90. Ea tamen peccata, quae antea ob justam causam, seu impotentiam non potuit quis confiteri, debet postea, data opportunitate, in proxima Confessione exprimere, et directe Clavibus Ecclesiae subjicere, et ab ipsis directe absolvatur. — 91. Poenitens habens mortalia, et venialia non peccat contra Confessionis integritatem, si prius confiteatur uni Confessario mortalia, et postea alteri bonam opinionem de ipso habenti nimia verecundia affectus confiteatur sola venialia. — 92. Ab integritate materiali confessionis non excusat infamia propria, aut complicis apud solum Confessarium. — 93. Adducitur, et solvitur instantia. — 94. Poenitens habens peccata reservata, si in urgente necessitate celebrandi, vel communicandi non habeat copiam Confessarii valentis a reservatis absolvere, tenetur pro servanda integritate Confessionis ipsa peccata reservata una cum non reservatis confiteri Confessario inferiori, etiam non habenti facultatem absolvendi a reservatis. — 95. Non potest Superior sine urgente causa absolvere tantum a reservatis, et quoad reliqua remittere poenitentem ad inferiorem. — 96. Poenitens sin absolutus in urgente causa, seu casu a reservatis a Superiore, adeundo Confessarium inferio-

rem pro absolutione directa a non reservatis, probabilius non tenetur reconfiteri cum ipsis etiam reservata jam confessa, et absoluta. — 97. Adducitur, et solvitur instantia. — 98. Sicuti etiam, qui justa de caussa in aliquo casu urgentis necessitatis, non extante Confessario approbato pro reservatis, fuit absolutus a Confessario non approbato pro reservatis, non tenetur denuo reconfiteri Confessario approbato pro reservatis etiam peccata non reservata jam confessa, et absoluta. — 99. Ad integritatem Confessionis requiritur, ut poenitens omnia * mortalia confiteatur, tam quoad speciem, quam quoad numerum in eadem specie. — 100. Unde autem oritur distinctio specifica, et numerica peccatorum? remissive. — 101. Poenitens igitur in Confessione debet exprimere numerum omnium suorum mortalium peccatorum, de quibus post diligens examen recordatur: Si autem certus numerus non occurrat, debet exprimere numerum verisimilem. — 102. Item ad integritatem Confessionis requiritur, ut poenitens confiteatur, non solum omnia peccata mortalia, tam quoad speciem, quam quoad num. etc sed etiam circumstantias speciem peccati mutantes. — 103. Circumstantiae peccati quid sint? — 104. Circumstantiae peccati septem enumerantur in hoc vulgari versu contentae: *Quis*, *Quid*, *Ubi*, *Quibus auxiliis*, *Cur*, *Quomodo*, *Quando*. — 105. Quid denotetur per ly *Quis*? — 106. Quid denotetur per ly *Quid*? — 107. Quid denotetur per ly *Ubi*? — 108. Quid denotetur per ly *Quibus auxiliis*? — 109. Quid denotetur per ly *Cur*? — 110. Quid denotetur per ly *Quomodo*? — 111. Quid denotetur per ly *Quando*? — 112. Tales circumstantiae, aliae sunt mutantes speciem, et aliae simpliciter aggravantes intra eamdem speciem. — 113. Quae sint circumstantiae mutantes speciem? — 114. Quae sint circumstantiae simpliciter aggravantes intra eamdem speciem? — 115. Circumstantiae aggravantes, aliae sunt notabiliter aggravantes, et aliae parum, seu leviter aggravantes. — 116. Circumstantiae notabiliter aggravantes quae sint, hisque addantur aggravantes in infinitum, et explicentur. — 117. Circumstantiae parum, seu leviter aggravantes quae sint? — 116. Ex supradictis circumstantiis sunt necessario confitendae illae, quae mutant speciem, et aggravantes in infinitum. — 119. Non sunt necessario confitendae circumstantiae, parum, seu leviter tantum aggravantes. — 120. Circumstantiae notabiliter aggravantes an sint necessario confitendae? *ad n.* 122. ubi resolvitur probabilius, et tutius pro affirmativa. 123. Afferuntur probationes pro nostra affirmativa conclusione, *ad num.* 125. — 126. Respondetur ad rationem opinionis contrariae. — 127. Circumstantia consuetudinis, quamvis per se loquendo non sit necessario confitenda, tamen interdum per accidens obligatur poenitens ad talem circumstantiam aperiendam, et signanter, quando a Confessario ad id interrogatur. — 128. Peccata mortalia dubia sunt necessario confitenda, sub dubio tamen. — 129. Qui Confessus est peccatum aliquod mortale, ut dubium, si postea reperiat illud certum, tenetur illud denuo ut certum confiteri. — 130. Qui Confessus est peccatum mortale tamquam certum, quale tunc putabat esse, quamvis postea judicet dubium, non tenetur iterum confiteri ut dubium. — 131. Item qui confessus est peccatum integre, prout commissum est, et prout erat in sua conscientia tempore Confessionis, quamvis pro tunc, et ipse Confessarius dubitaverit, an esset mortale, vel veniale, non tenetur illud iterum confiteri, licet postea ipse, vel Confessarius comperiat, seu agnoscat fuisse mortale. — 132. Poenitens non potest licite, nec valide confiteri Confessario absenti per litteras, aut Nuntium, et ab eo absolvi, etiamsi reperiatur in articulo mortis — 133. Sic etiam invalida esset absolutio, si Confessarius poenitentem praesentem audiret, et postea per litteras eum absentem absolveret. — 134. Valida autem est Confessio, si per litteras poenitens mittat peccata Confessario absenti, qui ea legat, et huic factus praesens dicat: *Accuso me de peccatis illis, quae tibi scripsi, et peto absolvi*, Sicuti etiam si praesens peccata scripta det confessario legenda, et postea dicat: *de istis peccatis scriptis me accuso, et peto absolvi:* non est tamen hoc faciendum sine rationabili caussa. — 135. Immo volunt multi, hoc extra casum necessitatis esse illicitum. — 136. Confessio ex traditione, consuetudine, et usu Ecclesiae debet regulariter, et ordinarie esse vocalis. — 137. Unde graviter peccaret qui, sine justa caussa signis, vel nutibus solum confiteretur. — 138. Si perpetuo mutus possit scribere; aut si hoc non possit, possit autem saltem nutibus, et signis sua peccata in particulari aperire, cesset-que periculum publicationis, tenetur ita scripto, nutibus, vel signis confiteri, non tantum ex praecepto Divino, in articulo mortis, sed etiam ex praecepto Ecclesiastico semel in anno; Quamvis tamen extra articulum mortis non pauci id negent. — 139. Confessio est necessario iteranda, quoties est invalida; quod ex duplici capite accidere potest, scilicet ex parte confessarii, et ex parte Poenitentis. — 140. Assignatur, quando confessio sit invalida, et iteranda ex parte confessarii. — 141. Assignatur, quando confessio sit invalida, et iteranda ex parte Poenitentis. — 142. Valida est, et non iteranda confessio bona fide facta confessario, quantumvis indocto, et ignaro, etiamsi inter mortale, et veniale discernere nequeat; immo etiamsi, putasset aliquod peccatum esse veniale, quod tamen est mortale. — 143. Invalida tamen, et iteranda esset confessio, si scienter, et ex malitia fiat cum eo, ut peccata discernere nequeat, et poenitenti mederi, ut oportet, non possit. — 144. Item valida est, et non iteranda confessio bona fide facta confessario Surdastro, semidormienti, seu distracto, qui aliqua peccata etiam mortalia non intellexit sine omni culpa poenitentis: Quod si poenitens postea advertat, tenetur in sequenti confessione ea sola repetere, quae probabiliter judicat, aut cognoscit non fuisse audita, aut percepta. — 145. Si autem Poenitens post talem confessionem nesciat quaenam sint illa peccata mortalia, quae confessarius non audivit, aut non percepit, tenetur tunc repetere totam confessionem, si illa sit brevis, et paucorum peccatorum: si autem confessio fuit prolixa, et multorum peccatorum, tunc non tenetur omnia repetere, sed satis erit se accusare in communi de illis peccatis mortalibus, quae confessarius non audivit, aut percepit, determinando materiam, quantum fieri potest. — 146. Qui culpabiliter in confessione aliquod peccatum mortale tacuit, et postea in aliis confessionibus subsequentibus inculpabiliter est oblitus illius Sacrilegii, non tenetur ad omnes istas subsequentes confessiones iterandas, quando recordatur talis Sacrilegii, sed solum tenetur ad iterandam illam, in qua per culpabilem reticentiam illius mortalis peccati sacrilegium commisit. — 147. Qui certus de mortali in confessione omisso negative dubitat, an illud omiserit ex verecundia, an ex justa caussa, tenetur cum illo reliquorum mortalium confessionem repetere. — 148. Qui inculpabiliter omisit in confessione aliquam circumstantiam etiam speciem mutantem; si talis circumstantia seorsim sufficienter declarari possit, non tenetur repetere totum peccatum, et multo minus totam confessionem praeteritam — 149. Qui culpabiliter fecit confessionem invalidam, undecumque provenerit invaliditas, tenetur repetere confessionem — 150. Si talis confessio invalida, et sacrilega reiteretur apud confessarium diversum a primo, tunc debent necessario repeti apud hunc omnia, et singula mortalia distincte, et in particulari, ac si numquam fuissent confessa exprimendo sacrilegium, quod fecit. — 151. Si autem confessio invalida repetatur apud eumdem confessarium, et hic habeat adhuc distinctam memoriam peccatorum sibi confessorum, satis est, si poenitens defectum confessionis aperiat, et in genere addat: *Etiam me accuso de omnibus peccatis in tali confessione sacrilega tibi confessis* — 152. Immo id verum est, etiamsi confessarius eorum pec-

caeterum singillatim in specie, et numero non recordetur: dummodo saltem confuse recordetur status Poenitentis, ut convenientem Poenitentiam, medicinam, ac remedia praescribere possit. — 153. Item verum hoc est, ut sufficiens in repetendis multis, et plurimis confessionibus invalide factis apud eumdem confessarium, sive invaliditas proveniat ex defectu doloris, sive ex defectu integritatis, sive ex aliis capitibus; sufficit enim, quod confessarius recordetur in confuso, et in communi status, ac vitae Poenitentis, quam tunc ducebat, et quod Poenitens in compendio, et generatim de omnibus se accuset, et defectum corrigat; dicendo v. g. « Accuso me de omnibus illis peccatis, quae tibi confessus sum in cunctis sacrilegis confessionibus tribus ab hinc annis, usque ad hanc, a quo tempore bis ordinarie omni mense confessus sum, et communicavi, quia reticueram malitiose istud peccatum, vel non habui verum dolorem, at propositum » et hujusmodi. — 154. Si vero confessarius, nequidem in confuso, et in communi recordetur status, ac vitae Poenitentis, quam tunc ducebat, aut Poenitentiae a se ei impositae, tunc Poenitens tenetur saltem ea distincte repetere peccata in aliis confessionibus confessa, ut ex ipsis, et aliis modo confessis possit confessarius iterum formare judicium saltem confusum de statu Poenitentis, et ipsi congruam injungere Poenitentiam. — 155. Praeceptum confessionis tum Divinum, tum Ecclesiasticum obligat omnes Fideles peccato mortali obnoxios, adeoque etiam Haereticos, et pueros doli capaces. — 156. Praeceptum Divinum confessionis obligat per se potissimum in articulo mortis, ac quolibet ejus morali periculo. — 157. Per accidens autem praeceptum Divinum de habenda confessione Sacramentali obligat, quando sumendum est aliud Sacramentum, respectu eorum, qui sibi conscii sunt peccati mortalis, et praesertim quoties sumendum est Sacramen. Eucharistiae. — 158. Praeceptum confessionis Ecclesiasticum obligat omnes Fideles, etiam Haereticos, et pueros doli capaces ad semel saltem in anno confitenda omnia sua peccata mortalia. — 159. Nullum datur praeceptum, nec Ecclesiasticum quidem obligans omnes Fideles ad confessionem peccatorum venialium. — 160. Quamvis autem non habentes ullum peccatum mortale nullo praecepto obligentur per se ad confessionem annuam venialium, tamen possunt per accidens obligari ad ipsam ratione scandali. — 161. Qui pluries in anno confessus est peccata sola venialia, si die ultimo anni peccet mortaliter, vel recordetur peccati mortalis non confessi, tenetur illa ultima die confiteri ad satisfaciendum praecepto, cui necdum satisfecit. — 162. Qui tamen mortale peccatum anno praecedente commissum, et per oblivionem omissum, hoc anno confessus est, satisfecit praecepto. — 163. Qui per annum saltem semel confessus est mortale dubium cum venialibus, satisfecit praecepto, nec tenetur iterum confiteri, quamvis postea incidat in mortale certum. — 164. Annus pro implendo hoc praecepto, secundum aliquos computandus est a die primo Januarii usque ad ultimum Decembris. Communius autem, et Ecclesiasticae consuetudini conformius secundum alios computandus est a Paschate ad alterum Pascha. — 165. Praeceptum annuae confessionis potest per se adimpleri in quocumque anni tempore. Nec obligat per se tempore Paschali, sed solum per accidens ratione communionis Paschalis. — 166. Affertur, et solvitur instantia. — 167. Si quis, sive culpabiliter, sive ob legitimum impedimentum in Paschate non est confessus, is tenetur postea per anni decursum confiteri. — 168. Qui toto anno non confitetur sine justa causa, peccat mortaliter. — 169. Insuper qui culpabiliter non confitetur semel in anno, vivens interdicitur ingressu Ecclesiae, et moriens privatur Ecclesiastica sepultura. — 170. Ipse tamen non adimplens praeceptum annuae confessionis non est ipso jure interdictus, sed interdicendus. — 171. Qui sive justa, sive injusta de causa confessionem annuam omisit, tenetur postea confiteri cum primum commode poterit. — 172. Quo quis diutius differt confessionem ultra annum, probabilius est eo gravius peccare; Dilatio tamen illa probabilius est unicum peccatum continuatum. — 173. Qui pluribus annis jam elapsis, non est confessus, confitendo primo, vel secundo, vel alia die hujus currentis anni, valet haec sua unica confessio, tam pro hoc anno, quam pro omnibus annis praeteritis. — 174. Si autem adhuc ante finem hujus anni relaberetur in mortale, probabilius obligaretur ad iterum confitendum hoc anno. — 175. Praecepto Ecclesiastico annuae confessionis non satisfit per confessionem voluntarie nullam, et scienter invalidam, et Sacrilegam. — 176. Praecepto annuae confessionis potest satisfieri confitendo, cum proprio parocho, tam aliis confessariis legitime approbatis, sive Saecularibus, sive Regularibus. — 177. Non sufficit tamen confessio facta Regulari, qui pro approbatione se praesentavit Episcopo, et fuit injuste reprobatus. — 178. Alia ad rem, *ad n.* 181.

1 Contritio in communi, pro ut est genus ad Attritionem, et Contritionem: « Est dolor animi, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero »: Sic expresse Concilium Tridentinum *sess.* 14. c. 4.
2 Contritio sic generatim, et in communi sum-
3 pta dividitur in Contritionem perfectam, et in Contritionem imperfectam, seu Attritionem: *Com-*
4 *munis Catholicorum* cum Tridentino *loc. cit.* Contritio *perfecta*, quae est Contritio simpliciter, et absolute dicta, est « dolor animi, ac detestatio peccati propter Deum summe dilectum, et super omnia, cum firmo proposito non peccandi de cetero »: *Communis*. Et dicitur *Contritio*, quia peccatorem perfecte, et proxime disponit ad gratiam sanctificantem, ipsumque peccatum omnino delet, ac veluti conterit: *Communis*; et de hac in arti-
5 culo mortis, Vide verb. *Moribundus n.* 30. Contritio *imperfecta*, sive Attritio « est dolor animi, ac detestatio peccati contra Deum commissi propter turpitudinem peccati, vel metum Inferni, vel alterius mali, conceptus cum firmo proposito non peccandi de cetero »: *Communis*. Et dicitur *Attri-* 6
tio, quia peccatorem non penitus disponit ad ipsam gratiam sanctificantem, sed solum ita disponit, ut cum Sacramento Poenitentiae capax sit gratiae sanctificantis, ipsumque per se non delet, vel conterit (« tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam disponit »: Trid. *l. c. num.* 4.) sed solum quasi *atterit*, et ita applicat, ut per Sacramentum remissibile fiat: *Communis*.

Unde *Contritio*, et *Attritio* conveniunt in hoc, 7
quod utraque est dolor supernaturalis cum proposito non peccandi de cetero, sed differunt inter se, et ratione motivi, et ratione effectus. Ratione *motivi* differunt, quia *Contritio* fit ex motivo Caritatis erga Deum, idest ex motivo objecti, nem-

pe Dei summe, ei super omnia diligendi, ipsumque Deum respicit quatenus in se absolute bonum, atque perfectum; *Attritio* vero ex motivo Caritatis erga seipsum, seu ex motivo timoris Inferni, vel alterius mali, quibus Deus castigare solet peccata, ac in Deum tendit, quatenus nobis bonus, et nostra beatitudo. Ratione *effectus* differunt, quia *Contritio* per se remittit peccata, et justificat extra Sacramentum in re, quamvis non sine voto Sacramenti Poenitentiae. Unde contritus tenetur sub mortali suo tempore confiteri. *Attritio* vero quantumvis supernaturalis, per se non sufficit ad justificationem, et remissionem peccati mortalis sine Sacramento poenitentiae in re. *Sic Doctores communiter* juncto Concilio Tridentino *sess.* 14. *c.* 4.

8 Difficultas autem est, an Attritio, ut ad Sacramentum Poenitentiae, gratiamque per ipsum percipiendam sufficiat, debeat esse cum aliquo Dei amore conjuncta, et quidem hac de re multa est lis inter Theologos varie sentientes ut infra: prius tamen animadvertendum necesse arbitror hoc in puncto ad haec usque tempora nil Ecclesiam definisse, litemque adhuc sub Judice fore. Porro nihil decretorie pronunciavit imprimis Conc. Tridentin. ut fuse, ac perdocte ostendit inter alios Tournely *in praelectionibus de Sacramento Poenitent. qu.* 5. *art.* 2. siquidem ex locis in quibus S. Synodus circa dispositiones ad justificationis gratiam obtinendam necessarias mentem suam aperit, nulla extenditur definitio, nullumque decretum controversiam praemissam dirimens; quippe procul dubio in locis praesignatis, vel nullam de dilectione facit mentionem, vel si de dilectione verba facit, non est respectu attritionis ad confessionem, vel non constat, an de dispositionibus agat necessariis ad justitiam obtinendam in Sacramento Poenitentiae, vel extra: immo dum de attritione generatim, vel attritione in ordine ad Sacramementum Poenitentiae peragit, amor non exprimitur, ut singula percensenti fit obvium, nec inter canones, in quibus dogmaticae definiuntur veritates, est ullus, qui expresse statuat amorem Dei necessariam esse dispositionem ad gratiam in Sacramento Poenitentiae percipiendam. Rem plene comprobat Alexandri VII. auctoritas, siquidem nil ea in re definitum fuisse in Conc. Trid. supponit, dum de anno 1667. die 5. Maii ad exortas inter scholae Theologos dissentiones extinguendas, pacemque eos inter fovendas conceptis verbis prohibuit, « ne quis audeat alicujus theologicae censurae, alteriusve injuriae, aut contumeliae nota taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis in praefata attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum »: igitur etc. Secundo nec tempestate posteriori aliquid ab Ecclesia definitum est, siquidem nulla prostat assignabilis determinatio circa controversiam: immo impraesentiarum adversi inter se Theologi permittuntur contrarie opinari. Hinc nemo inficias ibit, quidquid a Theologis in diversa abeuntibus ex Trident. vel ex Eccl. ingeritur de dilectionis actu in attritione respectu Sacramenti Poenitentiae, id mere opinative, et ex ratiocinio Theologico proficisci.

Proclamant igitur aliqui, quod ut Poenitens sufficienter dispositus extet ad Sacramenti Poenitentiae gratiam obtinendam, nullum necesse est expostulare in attritione amorem Dei; ac attritionis notionem non nisi esse juxta sess. 14. Trid. cap. 4, quod sit animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero, ex turpitudine peccati, vel ex gehennae metu conceptus; et haec est, quam inter Scholasticos suo tempore communiorem supra testatus est Alex. VII. 9
Alii opinavere, attritionem talem haberi debere, ut bona fide contritio existimetur. Alii contendunt, et quidem communius hisce temporibus, attritionem, ut sufficiens sit ad Sacramentum, requirere Dei amorem, non sane contritionis perfectae ex motivo caritatis, et amicitiae tendentis in Deum ut in se summum bonum, sed ex motivo spei, et amoris concupiscentiae terminantis in Deum, quatenus nobis bonus, nostra beatitudo, et finis ultimus. Uno verbo: Necessarium in attritione adstruunt aliquem Dei amorem imperfectum, quem initialem, et inchoatum nuncupatum habent, quo Poenitens incipiat, et inchoet diligere Deum tamquam fontem totius justitiae, phrase accepta ex sess. 6. cap. 6. ubi Sacros. Synod. praeter actus Fidei et Spei, requirit in Catechumenis ad Baptismum, ut Deum tamquam totius justitiae fontem diligere incipiant, ac propterea moveantur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem. Alii nota non minus conspicui, tum ante, tum post Trident. ferventius quidem, sed rigidius censuerunt, ad Sacramentum Poenitentiae necessariam contritionem perfectam; cumque Trident. sess. 14. c. 4. de contritione imperfecta doceat, quod quamvis extra Sacr. Poenit. ad justificationem perducere non valeat, tamen ad impetrandam justificationis gratiam in ipso Sacramento disponat, reponunt, qui post Trident. scripsere, contritionem imperfectam admittendam esse tamquam remotam dispositionem; ceterum proximam, et immediatam fatendam esse contritionem perfectam. Verum isti ex Trident. et Eccl. minus potius sortiuntur praesidium, quam attritionis amore initiali informatae Patroni; enim vero licet Trident. can. 4. inter actus poenitentis, quos quasi materiam Sacramenti Poenit. definit, contritionem enumerat, non exprimit tamen se perfectam intelligere, et alibi ne verbum quidem habet Concil. de necessitate contritionis perfectae ad Sacrament. Poenitentiae, ut legenti fit palam: immo haud obscure oppositum patet ex allatis verb. sess. 14. cap. 4. pluries cit. Nec magis eis

favet Ecclesia, siquidem nedum pro ipsis nullam protulit sententiam, sed ex ejusdem praxi, ut jam alibi monuimus, moraliter certum est attritionem ad Sacram. sufficere; immo aliqui post Tridentinum, sententiam exigentem perfectam Contritionem erroneitatis nota inurunt, iamen numqoam satis laudatum, et commendatum se in actibus contritionis perfectae exercere, atque ad id singulariter sub munimen summi Dei divitis in omnes, qui invocant illum, confugero.

10 Ut autem, quid circa difficultatem mea fert opinio, exploratum habeas, meminisse oportet, quae de attritiane Sacros. Synod. sess. 14 c. 4. tradidit adversus veritatis hastes, nempe attritionem non facere hominom hypocritam, et magis peccatorem, sed esse donum Dai, impulsom Spiritus Sancti, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat; et quamvis extra Sacramentum ad Justificationem perducere non valeat, tamen ad impetrandam Justificationis gratiam in ipso Sacram. disponit; quibus positis, opinor non scrupulizandum, et ipsumet supernaturalam attritionis actum ex sui natura vel explicite, vel implicite secum semper docere aliquem Dei amorem; movetur enim poenitens per attritionem ad aversionem a peccatis, ot conversionem ad Deum, estque ille supernaturalis dolor da peccatis, eo quia ipsis, quatenus Dei offensa, debita est poena, atque ideo ad dolendum movetur poenitens de peccatis, prout sunt offensa Dei, cum proposito observandi deinceps illius mandata, et similia; haec autem non videntur posse concipi absqua aliquo Dei amore explicito, vel implicito, formali, seu virtuali, ac quin vehant secum dilectionem in Deum, ut avertat a poenis, et sa misericordem ostendat; undo juxta D. Aug. *lib.* 4. *de Civ. Dei cap.* 7. et S. Thomam *in supplem. q.* 3. *art.* 1. dolor in amora fundatur rei illius, de cujus jactura dolemus, igitor etc. nec non in praefato sensu varia infra posita veniunt intelligenda.

* Attritio de peccatis sufficit quidem ex mente Tridentini ad disponendum poenitontem, ut Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae obtineat, sed quaenam sit attritio non satis liquet; potest enim esse cum aliquo Dei amore conjuncta, sed debili, tenui, ac remisso. Potest etiam esse dolor propter Deum, non quatenus est summe bonus, sed quatenus est bonus nobis; potest insuper esse dolor de peccatis unice conceptus propter eorum turpitudinem, aut solom metum poenarum, et gehennae absque ulla Dei dilectione. Haec tamen postrema attritio potest etiam excitari ex metu gehennae, ut conjungatur cum aliqno Dei amore initiali, quatenus ita peccata odio habentur propter supplicia, ut simul animus feratur in Deum ut objectum diligibile. Quaestio est anceps inter Theologos, num sufficiat attritio servilis, quae elicitur ex unico metu gehennae, et poenarum, nullo vel initiali Dai amore adjuncto: vel requiratur saltem conjunctus amor Dei initialis. In hac quaestione nihil decidendum ab Episcopo monet Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV.; suadet tamen, ut doceantur Confessarii aequum esse hortari poenitentes. ad veram et perfectam contritionem, quod et in Ritualii jussu Pauli V. edito monetur. *De Synodo Dioeces. lib.* 7. *cap.* 13. *per totum.* *

Attritio in Sacramento Poenitentiae dicitur fieri Contritio, et *Attritus* fieri *Contritus*, non *formaliter*, quia non variatur objectum, seu motivum, cum adhuc Attritio sit ex motivo timoris Inferni, vel alterius mali, quibus Deus castigare solet peccata, sed solum *effective*, et *equivalenter*, quatenus Attritio cum Sacramento in re justificat peccatorem, sicuti Contritio cum Sacramento in in voto: *Communis* cum S. Thoma in *supplement. q.* 1. *art.* 2. et Scoto *in* 4 *dist.* 14. *qu.* 4. *ad* 2. Sporer *t.* 3. *part.* 3. *cap.* 2. *sect.* 3. *q.* 3. *n.* 277. *et seqq.* 11

Ut autem Attritio cum Sacramento in re sufficiat ad justificationem peccatoris, requiritur, quod procedat ex aliquo motivo supernaturali; Unde dolor mere naturalis non sufficit. Sic non sufficit dolor de peccato, eo quod propter ipsum peccator pubblicam infamiam incurrerit, poena pecuniaria mulctatus fuerit, et hujusmodi. Habetur clare ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. ubi docet, quod Attritio, quae ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit, debet esse donom Dei, et Spiritus Sancti impulsus, qualis non est Attritio naturalis ex motivo pure humano, et naturali. Hinc Innocentius XI. die 2. Martii 1679. damnavit sequentem propositionem in ordine 57. ibi: « Probabila est, sufficere Attritionem modo honestam ». 12

Sufficit tamen dolor de peccatis ob metum poenarum temporalium, ut a Deo immissarum, vel immittendarum, v. g. Si quis doleat de peccatis propter morbum, famem, sterilitatem, bellum, aliasque similes poenas temporales, ut a Deo inflictas, vel infligendas propter ipsa peccata; Nam talis dolor non elicitur ex motivo mere humano, et naturali, sed respicit Deum, ut justum vindicem peccati, et ultorem ejus per poenas etiam temporales; adeoque cum sic sit elicitus ex motivo supernaturali, est dolor supernaturalis, et sufficiens: *Communior* inter Doctores, et probabilissima. Sic La Croix *lib.* 2. *part.* 2. *n.* 884. cum plurimis ibi citatis, Anaclet. *Theol. moral. tract.* 14. *de Sacramentis dist.* 6. *q.* 4. *n.* 42. Sporer *loc. cit.* n. 243. *et seq.* Felix Potestas *t.* 1. *part.* 4. *n.* 3063. Rosignol. *de Poenitentia p.* 1. *q.* 3. *art.* 12. *n.* 9. *et seq.* Viva *ad propos.* 57. *ex damnat. ab Innocentio XI. n.* 1 alii passim, et colligitur ex Concilio Trident *sess.* 4. ubi dicit, Attritionem supernaturalem concipi, aut ex consideratione turpitudinis peccati, aut ex gehennae, et poenarum metu; et insuper addit exemplum de Ninivitis, qui timore subversionis Civitatis, et mortis, quae erat poena temporalis, poenitentiam e- 13

gerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt, ibi: « Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitae ad Jonae praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt ». Unde merito ab Alexandro VIII. die 7. decembris 1699. damnata fuit sequens propositio 15. in ordine ibi: « Attritio, quae gehennae, et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus metus, ac supernaturalis ».

14 Et a fortiori sufficit Attritio, seu dolor de peccatis ob metum gehennae: *Communis*. Habetur enim clare ex Concilio Trident. *sess.* 6. *Can.* 8. ibi: « Si quis dixerit gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit »: *et sess.* 14. *cap.* 4. ibi: « Contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae, et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, declarat non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit» Hinc Alexander VIII. d. die 7. decembris 1690. merito damnavit sequentem propositionem 14. in ordine ibi: *Timor gehennae non est supernaturalis*.

15 Item sufficit Attritio ob turpitudinem peccati supernaturaliter, seu ex Fide cognitam: *Communis*. Habetur ex Concilio Tridentino *cit. sess.* 14. *cap.* 4. per haec verba relata numero antecedenti, *Vel ex turpitudinis peccati consideratione*, ubi subdit, Attritionem ex tali consideratione conceptam *verum donum Dei esse*, *et Spiritus Sancti impulsum*. Unde merito ab Alexandro VIII. d. die 7. dec. 1690. fuit damnata sequens propositio inter alias: « Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum offensum respectu ».

16 Item sufficit ille dolor, quo quis dolet, se non dolere de peccatis, sicuti deberet, si per hoc judicet, quod de suis peccatis vere doleat, sed non tam vehementi dolore ac deberet, quia cum Sacramento Poenitentiae sufficit ad justificationem etiam remississimus dolor, si nihil aliud desit, quam intensio, et dummodo sit verus dolor de peccatis conceptus ex motivo supernaturali cum absoluto proposito non peccandi de cetero: Gabat *tract.* 6. *n.* 111. Lessius *in Auctario verb. Confessio cas.* 2. et alii passim.

17 Non sufficit tamen dolor ille, quo quis dolet, se non dolere de suis peccatis, si per hoc judicet, se carere vera detestatione, et displicentia peccatorum, et potius sentire complacentiam de illis, quam odium, ac proinde dolere, quod hanc complacentiam, et affectum jam nequeat superare; Et ratio est, quia hic non est dolor, sed carentia doloris peccatorum, et venia peccatorum, seu justificatio non acquiritur per dolorem solummodo concupitum, sed per re ipsa existentem dolorem de peccatis: Gubat *loc. cit.* Felix Potestas *t.* 1. *p.* 4. *n.* 3068. et alii communiter.

Attritio etiam cognita ut talis sufficit cum Sacramento ad salutem, et justificationem: *Est Communis*. Et ratio est, quia Concilium Tridentinum *sess.* 14. *c.* 4. dogmatice loquens per verba adducta *supra n.* 11. absolute, et simpliciter dicit, Attritionem cum Sacramento disponere ad gratiam, adeoque sufficit Attritio etiam cognita ut talis, quando scilicet poenitens certo scit, ac cognoscit se esse dumtaxat Attritum; Alias Sacramentum Poenitentiae non esset Sacramentum mortuorum, idest per se, ac primario a Christo Domino institutum ad remissionem peccati mortalis, et collationem primam gratiae Sanctificantis, si virtute ejus numquam conferretur prima gratia, sed mediante Contritione perfecta, semper supponeretur jam ante Confessionem collata, et remissio peccatorum concessa. 18

Attritio putata, et aestimata tantum etiam invincibiliter, quae secundum se non sit reipsa vera Attritio, sicuti non est sufficiens ad fructuosam susceptionem Sacramenti Poenitentiae, ut testantur omnes, ita neque est sufficiens ad validam ejus susceptionem; Seu, quod idem est, non potest dari Sacramentum Poenitentiae validum quoad essentiam, et informe quoad effectum Gratiae, ut docent Scotus *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. §. *Contra istam opinionem in fine*, Mastrius *Theolog. moral. disp.* 21. *n.* 135. Sporer *tom.* 3. *par.* 3. *cap.* 2. *sect.* 3. *n.* 263. *cum sequentibus*, *et* 275. *cum seq.* Felix Potestas *tom.* 1. *par.* 4. *n.* 3081. et alii Scotistae, Gabr. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 1. *art.* 1. *dub.* 2. *et* ibi major q. 9. Vega *lib.* 13. *in Trid. cap.* 26. *et* 34. Vasquez *q.* 92. *art.* 2. Coninch *disp.* 4. *dub.* 5 *et* 11. Turrian. *disp.* 28. *dub.* 1. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 9. *n.* 2. *et seq.* Arriaga *tom.* 7. *de Sacram. in genere disp.* 11. *sect.* 1. 2. *et* 3. Madernus *tract.* 4. *de virtut. et Sacram. Poenitent. q.* 4. *art.* 12. n. 1. Rosignol. *de Sacrament. Poenitent. par.* 1. *q.* 5. *art.* 14. *n.* 2. *et seq.* Joannes Medina, Adrianus Amicus, Emmanuel Sa, Fagundez, et alii plures contra Thomistas, et Suarez, Lugo, Valent. Avers. Caspens. Henriquez, Navarr. Dianam, Bonacinam, et alios Moralistas. 19

Et ratio nostrae Conclusionis est, quia et Concilium Florentinum *in Decreto Unionis*, et Tridentinum *cit. sess.* 14. *cap.* 4. requirunt ad hoc Sacramentum Attritionem veram, et non aestimatam, vel putatam tantum: nam Attritio putata tantum etiam invincibiliter non est vera Attritio, sicut homo pictus non est verus homo, quamvis 20

etiam invincibiliter aestimetur, et putetur talis: Nec talis Attritio aestimata, vel putata, v. g. inefficax, naturalis tantum, etc. est donum Dei, vel impulsus Spiritus Sancti, cum non sit concepta veris motivis a Concilio *loc. cit.* assignatis, nec habeat alias conditiones, et perfectiones, quas *ibi* Concilium attribuit Attritioni sufficienti in Sacramento ad justificationem.

21 Hinc clare patet, quod Sacramentum Poenitentiae non potest esse validum quoad essentiam, et informe quoad effectum Gratiae, quia, deficiente aliqua parte substantiali, et essentiali, Sacramentum ipsum est invalidum; Atqui Attritio vera supernaturalis est pars substantialis, et essentialis Sacramenti, et non mera dispositio; ergo non existente vera Attritione supernaturali, non potest existere validum Sacramentum. Major est infallibilis, admissa ab omnibus, etiam adversariis; Minor patet ex Conc. Trid. *c. sess.* 14. *c.* 4. ubi inter partes essentiales Sacramenti Poenitant. assignat ipsam Attritionem veram, et supernaturalem.

22 Nec valet objicere, quod, quamvis deficiat hujusmodi Attritio secundum suum esse verum, et reale, existat tamen secundum existimationem, et apprehensionem Poenitentis confitentis; non valet, inquam, quia Attritio requiritur secundum suum esse verum, et reale, non autem secundum meram existimationem, et apprehensionem Poenitentis confitentis; quia, sicuti a pari, si in Sacramento Eucharistiae adhiberetur Hostia, quae etiam invincibiliter reputaretur triticea, et talis secundum suum verum esse reale non esset, non validum conficeretur Sacramentum, quia secundum verum esse reale deficeret pars essentialis materialis; ita si in Sacramento Poenitentiae adhiberetur Attritio, quae etiam invincibiliter existimaretur, et reputaretur sufficiens, et secundum suum verum esse reale non esset talis, non conficeretur validum Sacramentum; Cum Attritio secundum suum verum esse reale non minus sit pars essentialis Sacramenti Poenitentiae, ac Hostia triticea secundum suum verum esse reale sit pars essentialis materialis Sacramenti Eucharistiae, adeoque etc.

23 Tum quia Sacramentum Poenitentiae validum, est Sacramentum verum, et perfectum includens omnes suas partes essentiales cum debita intentione Ministri, adeoque est signum verum efficax practicum Gratiae ex institutione Christi, et acceptatione, ac promissione Dei, qui est infallibilis veritatis; Atqui implicat tale signum verum efficax practicum Gratiae sine suo signato, scilicet sine suo effectu Gratiae: ergo implicat Sacramentum Poenitentiae validum quo ad essentiam, et informe quo ad effectum Gratiae. Major est de se clara, et Minor patet, quia alias tale Sacramentum non esset signum verum efficax, practicum Gratiae ex institutione Christi, et acceptatione, ac promissione Dei infallibilis veritatis, quod non est dicendum.

Nec valet dicere, quod sicuti alia quaedam Sacramenta possunt esse valida quoad essentiam, et informia quoad effectum, scilicet carere effectu Gratiae ob indispositionem suscipientis, ut praesertim asseritur communiter de Baptismo, ad quem si adultus sine debita dispositione accedat, scilicet ficte sine dolore, et Fide, hic recipit Baptismum validum quo ad essentiam, et informem quoad effectum gratiae, quam pro tunc ratione indispositionis, seu fictionis non recipit, sed solum recipit ex post, recedente fictione, ex vi Baptismi praeteriti. 24

Non valet, inquam, paritas adducta de aliis Sacramentis, et de Sacramento Poenitentiae, quia magna est disparitas, et differentia inter hoc, et alia Sacramenta, quia in aliis Sacramentis dispositio necessaria ad effectum distinguitur ab omnibus iis, quae ad eorum essentiam requiruntur; At in hoc Sacramento Poenitentiae idem actus, qui est dispositio necessaria ad ipsius effectum, est etiam ipsius pars essentialis, cum dolor sit ejus materia proxima; Unde alia Sacramenta, cum non includant ut partem essentialem ipsam suscipientis dispositionem, possunt esse valida quo ad essentiam, et informia quoad effectum Gratiae, quia omnia essentialia includere possunt, etiamsi debitam suscipientis dispositionem non includant in ordine ad effectum Gratiae. At non sic Sacramentum Poenitentiae, quod cum ipsam Poenitentis dispositionem includat, ut partem essentialem, quoties eam includit, non solum est validum quo ad essentiam, sed etiam efficax, et formatum quo ad effectum Gratiae; Et quoties eam non includit, non solum est inefficax, et informe quo ad effectum Gratiae, sed etiam invalidum quo ad essentiam. 25

Item nec valet dicere, quod Sacramentum Poenitentiae potest esse validum, et informe ex defectu doloris extensive, quia potest dari casus, quod quis habens tantum duo peccata mortalia disparata, v. g. Mollitiei, et Homicidii, invincibiliter oblitus peccati Mollitiei, eliciat actum doloris tantum de peccato Homicidii, ex speciali motivo, et peculiari turpitudine illius peccati in specie, illudque confiteatur; Atqui in hoc casu Sacramentum esset validum, et informe; ergo etc. Major est clara, cum casus non sit impossibilis; Minor autem ostenditur, quia in tali casu Sacramentum esset validum, cum ibi adessent omnes partes essentiales, scilicet sufficiens dolor, et Confessio de peccatis memoriae occurrentibus, de quibus tantummodo tenetur Poenitens dolere, et ea solum confiteri, cum nemo ad impossibile possit obligari, textu expresso *in l. impossibilium* 185. *ff. de Regul. Juis, et cap. Nemo potest* 6. *de Reg. Juris in* 6. Esset autem informe, scilicet sine effectu Gratiae, quia in tali casu peccatum Mollitiei oblitum non esset remissum; nec directe, ut de se patet, cum non esset confessum, nec indirecte ex vi absolutionis peccati Homicidii confes- 26

si, quia nullum peccatum remitti potest sine ullo dolore formali, aut saltem virtuali supra ipsum cadente, et in dicto casu non caderet supra peccatum Mollitiei dolor formalis, ut supponitur, nec dolor virtualis, quia dolor peccati homicidii, cum supponatur habitus ex solo speciali motivo, et ex sola peculiari turpitudine peccati homicidii, non potest virtualiter extendi ad peccatum Mollitiei penitus diversae rationis, et speciei, cum non possit comprehendi sub illa speciali turpitudine. Unde cum in tali casu neque esset remissum peccatum homicidii confessum, ex quo, ut omnes fatentur, non possit unum peccatum mortale remitti sine alio, tunc daretur Sacramentum validum quo ad essentiam, et informe quo ad effectum Gratiae.

27 Non valet, inquam, quia etiam admissa majori, negatur absolute minor, scilicet quod tunc Sacramentum esset validum, et informe, quia vel talis dolor esset sufficiens ad valorem Sacramenti, vel non; Si esset sufficiens ad valorem Sacramenti, esset etiam sufficiens ad effectum, et fructum Sacramenti, quia non potest esse dolor sufficiens ad valorem Sacramenti, nisi sit dolor reconciliativus cum Deo: Concilium enim Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 3. dicit: « Sane vero res, et effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim, et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo »; et dolor reconciliativus cum Deo continet implicite, et virtualiter detestationem omnium mortalium, sicuti patet de actu perfectae Caritatis, qui virtualiter continet detestationem omnium peccatorum mortalium, quamvis homo eorum omnium non recordetur, quia actus ille stare non potest cum affectu ad aliquod peccatum mortale; Et sic cum talis dolor de *Homicidio* contineret in dicto casu etiam implicite, et virtualiter dolorem, et detestationem *Mollitiei*, Sacramentum non solum esset validum quo ad essentiam, sed etiam formatum, quo ad effectum Gratiae. Si autem non esset dolor sufficiens, tunc Sacramentum non solum esset informe, sed etiam invalidum, et nullum ob defectum materiae proximae necessariae, qui est dolor reconciliativus cum Deo, continens saltem implicite, et virtualiter detestationem omnium mortalium, etiam invincibiliter, et inculpabiliter oblitorum.

28 Nec valet instare, quod potest dari casus, quo quis vere doleat de aliis suis peccatis mortalibus, et ipsa confiteatur; at de alio non doleat, nec ipsum confiteatur, credens, et firmiter tenens ex aliquo sibi viso rationabili motivo non obligari ad dolorem, et confessionem dicti peccati, ut fertur de Adultera Matre illorum trium insignium Fratrum, videlicet Gratiani celeberrimi Compilatoris Decreti, Petri Lombardi, vulgo Magistri sententiarum, et Petri Comestoris Historiae Ecclesiasticae Eximii Collectoris, quae cum dictos tres suos Filios ex adulterio procreasset, et postea videns, et audiens quanta nominis celebritate dicti sui Filii in Orbe florerent, quantumque commodum, et utilitatem universae Ecclesiae attulissent, ita gavisa fuit de tali conceptione liberorum, ut crederet stulte se acturam, si doleret de peccato, quo tantos viros peperat; Unde vere ipsa dolente de aliis peccatis, eaque confitente, de tali autem adulterina conceptione non dolente, nec ipsam confitente, ratione talis inculpabilis credulitatis, fuit Sacramentum vere quidem validum, sed informe, ex quo fuit sine remissione etiam illorum peccatorum, quae cum vero dolore in Confessione aperuit, quamvis ipsa ratione talis inculpabilis credulitatis non peccaverit.

Non valet inquam, quia in primis dictus casus est fabulosus, ut testantur Bellarminus *in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. verb. Petrus Lombardus*, Gobat *tract.* 6. *num.* 171. *cum sequentibus*, pluresque alii, et novissime docet P. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson *in sua Historia tom.* 4. *part.* 2. *fol.* 644. *primae impressionis Romanae*, his praecisis verbis: « Fertur, Petrum Lombardum, Gratianum, et Petrum Comestorem germanos Fratres fuisse ex adulterio procreatos, quorum Mater de peccato, quo tantos viros peperat, vix dolere potuerit; Sed haec historiola inter aniles fabulas reponenda est, cum certissime constet, *Petrum Lombardum* Insubrem fuisse, et patria Novariensem, *Gratianum* ex Etruria in oppido *Clusio* oriundum, *Petrum vero Comestorem* natione Galium, patria Trecensem. Qui igitur fieri potuit, ut tres illi insignes viri nationibus adeo diversis ejusdem Matris ex utero prodiderint? apage fabulam ». *Hactenus ille*. Et in vita Gratiani apposita ad Calcem sui Decreti in veteribus exemplaribus habetur sic praecise: Alii tamen fatentur eos nec germanos, nec contemporaneos fuisse, etsi tempore vicinos; Claruit enim Gratianus temporibus Henrici V. anno Domini millesimo centesimo vigesimo, Petrus Lombardus sub Conrado Imperatore III. anno Domini millesimo quadragesimo, et Petrus Comestor sub Friderico Imperatore primo, anno Domini millesimo centesimo sexagesimo ». *Haec ibi*. 29

Ast dato etiam, et non concesso pro vero dicto casu, cum illum referant plures Scriptores, ut habetur in dicta vita Gratiani his verbis: Et a quibusdam praedicatur in populis, hos tres, Gratianum videlicet, Petrum Lombardum, et Petrum Comestorem fuisse germanos ex adulterio natos. Quorum Mater cum in extremis peccatum suum confiteretur, et Confessor redargueret crimen perpetrati adulterii, quia valde grave esset, et ideo multum deberet dolere, et poenitentiam agere; Respondit illa: Pater, scio, quod adulterium peccatum magnum est, sed considerans quantum boni seculum est, cum isti Filii mei sint lumina magna in Ecclesia, ego non valeo poenitere. Et Confessor ad eam; Quod tui Filii sint notabiles viri, et opera utilia fecerint Ecclesiae Dei, non ex te, sed ex dono Dei est. Ex te autem adulterium cri- 30

men magnum, et de hoc doleas. Et si non habes tantum dolorem, quantum exigit tam horrendum scelus, de hoc tamen doleas, quod non potes dolere ». *Haec ibi*. Et referunt etiam Tiraquell. *de nobilitate cap.* 15. *n.* 52. Caramuel *in Theologia fundamentali*, et alii plures. Dato igitur, et non concesso pro vero dicto casu, respondetur, quod si dicta Mater in dolore formali de aliis suis peccatis mortalibus non habuit etiam dolorem saltem implicitum, et virtualem de ipso suo adulterio, sed potius eum exclusit. Sacramentum nedum fuit informe, et infructuosum, sed etiam omnino invalidum, quia non habuit dolorem requisitum, et
31 sufficientem ad valorem Sacramenti. Ad valorem enim Sacramenti requiritur dolor supernaturalis, et universalis saltem virtualiter respectu omnium peccatorum mortalium. Unde si de uno solo mortali scienter non habeatur, nec scienter velit haberi dolor, peccatur gravissime, et nullum redditur Sacramentum, quia deficit materia proxima necessaria, quae est dolor reconciliativus cum Deo, qui saltem implicite, et virtualiter debet includere detestationem omnium mortalium, etiam invincibiliter oblitorum, aut inculpabiliter ignoratorum.

32 Dicitur autem notanter *respectu omnium peccatorum mortalium;* nam secus est de peccatis venialibus, ad quorum Confessionem licet requiratur aliquis dolor, ac propositum eadem evitandi, tamen potest haberi dolor, et remissio de uno, etiamsi non habeatur dolor, et remissio de aliis, quia venialia, cum non sint materia necessaria, sed solum sufficiens, possunt omnia, vel alia eorum in Confessione etiam voluntarie omitti sine ullo peccato, ut expresse habetur ex Concilio Tridentino, *sess.* 14. *cap.* 5. ibi: *Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte, et utiliter, citraque omnem praesumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis modis expiari possunt.*

33 Dolor de peccatis mortalibus commissis debet esse summus, non intensive, sed appretiative, ita ut Poenitens nihil magis detestetur, quam peccatum, et velit potius omnia mala mundi perpeti, quam mortaliter Deum offendere: *Communis.*

34 Dolor requisitus ad Sacramentum Poenitentiae consulto, et utilissime praemittitur Confessioni; Non debet tamen necessario Confessionem praecedere, sed sufficit, ut eliciatur in ipsomet Confessionis actu; ut patet ex communi sensu Fidelium, et recepta praxi Confessariorum, qui post auditam Confessionem solent exhortari Poenitentes ad eliciendum dolorem, quem de facto ipsi Poenitentes amplius pro tunc elicere curant. *Sic Doctores communiter.*

Debet tamen talis dolor necessario praecedere 35
absolutionem, nec sufficit, si eliciatur post ipsam absolutionem; alias Confessio non esset accusatio, sed simplex peccatorum narratio; et absolutio non datur, nisi Poenitentibus, sed de suis peccatis cum dolore, et firmo proposito accusantibus. *Communis.*

Non est autem necesse, quod dolor, seu Attri- 36
tio eliciatur immediate ante absolutionem, vel Confessionem, sed sufficit, quod dolor sit elicitus mane, et actu non retractato Poenitens confiteatur post quatuor, quinque, et sex horas. *Communis.* Immo sufficit etiam, si quis vesperi examinans suam conscientiam eliciat actum doloris pro habenda Confessione in crastinum; hic enim actu non retractato poterit sequenti mane valide confiteri sine novo actu doloris; *Communis:* Quinimmo Tamburinus *in methodo expeditae Confessionis lib.* 1. *c.* 2. §. 4. Gobat *tr.* 6. *n.* 159. et alii, dicunt valere actum doloris elicitum non solum praecedenti vesperi, sed etiam praecedenti die, dummodo relate ad Confessionem habendam, et actus non sit retractatus, cum adhuc moraliter, et virtualiter perseverat (*).

Qui in Confessione oblitus est alicujus peccati 37
mortalis, de quo ante explicite, et formaliter non doluit, potest paulo post datam absolutionem illud confiteri, absque eo quod habeat novum dolorem, cum dolor prior virtualiter, et moraliter se extendat etiam ad peccata oblita, et perseveret, ac valeat, ac si esset novus dolor de solis peccatis oblitis: Diana *part.* 9. *tract.* 3. *resol.* 50. *et* 51. Lugo *disp.* 14. *de Poenit. sect.* 3. Gobat *tract.* 6. *n.* 165. ubi cum Dicastillo *disp.* 2. *dub.* 12. testatur de communi.

Item si propter imminens mortis periculum ab- 38
solvatur moribundus, audito tantum uno, vel altero peccato, potest postea, auditis reliquis, secundo absolvi ab illis ex vi prioris doloris moraliter permanentis, absque eo quod novum eliciat dolorem: *Citati doctores*, et alii passim.

Dolor ad hoc, ut sufficiat pro valore Sacramen- 39
ti, debet esse conjunctus cum proposito non peccandi de cetero. *Communis* ex Tridentino *sess.* 14.
cap. 4. Propositum non peccandi de cetero, quam- 40
vis per se loquendo debeat esse formale, et expressum, ut tenet communior Theologorum, tamen sufficit etiam, quod sit implicitum, et virtuale, quia verus dolor reconciliativus animae cum Deo est incompossibilis cum proposito peccandi, unde includitur virtualiter propositum de non pec-

(*) E. R. Doloris actus materia proxime est Sacramenti Poenitentiae. Materiam Sacramentorum proximam, seu applicationem materiae remotae (quod idem est) debere moraliter formae conjungi, et unum cum ipsa constituat, atque Sacramentum inde coalescat, sententia est certissima penes omnes Teologos. Qui igitur fieri potest, ut juxta Tamburianam, et Gobatianam hypotesim, qua doloris actum hesterae die elicuisse sufficit, idem actus doloris moraliter formae conjungatur, unumque cum ipsa constituet? Hinc hujusmodi sententiam, atque alias huic affines eodem in numero relatas, nullatenus esse ad praxim deducendas, certo certius tenendum est.

candi de cetero, adeoque sufficit propositum virtuale, et implicitum; Scotus in 4 *dist.* 14. *q.* 4. §. *Ad primum argumentum dist.* 17. *q. unic. in solut. principalium*, et alibi, Felix Potestas, *tom.* 1. *par.* 4. *n.* 3072. Leand. *tract.* 5. *disp.* 7. *q.* 22. at alibi passim (*).

41 Propositum debet esse absolutum, firmum, efficax, et universale se extendens ad omnia mor-
42 talia in posterum evitanda. *Communis.* Quamvis autem propositum debeat esse absolutum, firmum, efficax, et universale, non requiritur tamen credulitas, seu existimatio, vel persuasio certa ex parte intellectus, quod quis deinceps non amplius sit relapsurus; Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *c.* 4. *num.* 8. Petrus Marchantius *t.* 1. *Tribunalis tract.* 4. *tit.* 3. *q.* 3. Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 14. *dist.* 6. *q.* 4. *num.* 52. Sporer *tom.* 3. *p.* 3. *cap.* 2. *sect.* 4. *n.* 310. ubi testatur de communi, Felix Potestas *loc. cit. n.* 3073, ubi dicit esse communem. Et ratio est; quia dolere de peccatis, et proponere de cetero non peccare, est actus voluntatis; existimare autem, seu credere, vel sibi persuadere, quod non amplius sit relapsurus, sed servaturus propositum voluntatis praesentis, est actus intellectus, qui ob cognitam humanae conditionis fragilitatem, nostraeque voluntatis mutabilitatem, et plurimas hinc inde peccandi occasiones, ex dicto dolore, et proposito voluntatis non necessario consequitur; Potest enim quis vere dolere, et detestari peccatum, ac vere, et absolute proponere se de cetero non peccaturum, et nihilominus timere, aut existimare, immo certe aredere, se ob dictas rationes non omnia mortalia evitaturum, sed in hoc, vel illud peccati genus iterum relapsurum. Unde si Poenitens dicat: « Omnino quidem doleo, ac firmiter propono in posterum abstinere, interim tamen scio, quod iterum faciam, iterum labar, jam toties expertus etc. » is tamquam bene dispositus, praemissa confirmatione, et consolatione debita, absolvendus est, quia sensus verbi *iterum faciam* est tantum indicativus, seu enumerativus ex parte intellectus; Secus autem, si sensus esset optativus ex parte voluntatis, significans scilicet actualem aliquem affectum voluntatis ad peccatum in futuro, quod valde notandum est, ut ex communi expresse notat, et docet Sporer *loc. cit. n.* 310 (**).

43 Circa sola peccata venialia, sicuti in Sacramento Poenitentiae requiritur supernaturalis dolor, et detestatio eorum, ita requiritur propositum absolutum saltem virtuale, et implicitum vitandi ipsa venialia confessa, vel saltem unum, vel alterum ipsorum, quia Poenitens debet habere voluntatem efficacem absolute vitandi id omne, de quo sperat absolutionem, alioquin non esset vere Poenitens. Dicitur autem notanter *Vel saltem unum, vel alterum ipsorum*, quia licet peccet venialiter qui confitetur alia venialia, de quibus non habet verum dolorem, et propositum sufficiens; si tamen de illo uno, vel altero vere Poenitens proponat efficaciter illud vitare, valet Sacramentum secundum communiorem Doctorum, quamvis aliqui defendant contrarium.

Quantum ad Confessionem Sacramentalem plures exortae sunt Haereses, et praecipue tres hic adducuntur, et confutantur. Prima docet, Confessionem Sacramentalem non esse a Deo institutam, sed esse merum humanum inventum. Auctor hujus falsitatis fuit quidam Petrus Hispanus Oxomensis in Salmantina Universitate Theologiae Professor, qui postea hanc Haeresim, et alias, quas evomuerat, retractavit. Ad hunc inter alios accessit Calvinus, qui *libro tertio Institutionum cap.* 4. §. 7. sic expresse habet: « Miror qua fronte ausint contendere Confessionem, de qua loquuntur, Juris esse Divini, cujus equidem justissimum esse usum fatentur, sed quem possumus evincere olim fuisse liberum; Certe nullam de ea statutam fuisse Legem, aut Constitutionem ante Innocentii III. tempora, eorum quoque Annales narrant ». Et infra: « Itaque ipsis testibus, nondum elapsi sunt anni trecenti, ex quo injectus est ab Innocentio III. laqueus, et imposita confitendi necessitas; Atque ut de tempore taceam, sola verborum barbaries fidem Legi abrogat; Nam quod jubent boni Patres, omnem utriusque sexus quotannis semel proprio Sacerdoti confiteri omnia peccata, faceti homines lepide excipiunt, hoc praecepto teneri solos hermaphroditos, ad neminem vero spectare, qui sit vel mas, vel foemina ». Et in suo Tridentini supra omne venenum pestifero antidoto dicit, nullum post annos mille a Christo nato fuisse in Ecclesia Confessionis usum, donec, inquit, « Innocentius III. cum pauculis Cornutis bestiis (hoc nomine appellat Sacros Antistites in Concilio Lateranensi congregatos) laqueum hunc populo Christiano induxit, quem Tridentini Patres adstringunt ». 44

Ast haec Haeresis facile evincitur ut manifesta falsitas, tum ex variis Sacrae Scripturae locis, tum ex Conciliis. Fuisse enim Sacramentalem Confessionem a Christo Domino institutam, habetur expresse ex illo *Joan.* 20. « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, 45

(*) E. R. Huic Sententiae opponimus auctoritatem, et verba Card. Bellarmini lib. 2 de poeniten. cap. 6, ubi necessitatem propositi formalis, et expliciti adstruit per totum. « Sed nobis, inquit, communis, ac trita a veteribus via semper visa est tutior, et commodior; (*utinam ejus semitas Casuistae calcassent*). Probatur igitur, ad contritionem requiri explicitum, ac formale propositum vitae melioris ».

(**) E. R. Laxissimae doctrinae hoc in numero traditae Apostoli verba oppono, ad Rom. cap 8 scribentis: « Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque » Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque in» stantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, » neque profundum, neque creatura alia poterit nos se» parare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Do» mino nostro ».

et quorum retinueritis, retenta sunt »: ex quibus verbis stat clarum, praecepto Divino ordinatam esse Confessionem Sacramentalem, cum non possint peccata remitti, nisi ea cognoscantur, et judicialiter subjiciantur Clavibus, seu Confessioni Sacramentali, ut advertit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. Et quod semper fuit in usu usque de tempore Apostolorum, habetur ex ipsis actibus Apostolicis *cap.* 19. ibi: « Multi credentium veniebant confitentes, et annunciantes actus suos ». Item ex 2. *Ad Corinth. cap.* 5. ibi: « Dedit nobis ministerium reconciliationis, et posuit in nobis verbum reconciliationis: pro Christo ergo legatione fungimur etc. ». Item ex Epistola Catholica Jacobi Apostoli *cap.* 5. ibi: « Confitemini alterutrum peccata vestra ». Item ex Epistola prima Joannis Apostoli *cap.* 1. ibi: « Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et mundet nos ab omni iniquitate ».

46 Evincitur falsitas talis Haeresis etiam ex Conciliis, et signanter ex Concilio Laodiceno *Can.* 2. ibi: « His, qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt, et instant Orationi, Confessioni, ac Poenitentiae malorum suorum perfectam conversionem demonstrantes, pro qualitate peccati tempus Poenitentiae tribuendum est ». Item *ex Canone* 102. *Quini-Sextae Syn.* ibi: « Oportet autem eos, qui solvendi, et ligandi potestatem a Deo acceperc, peccati qualitatem considerare, et ejus, qui peccavit ad eam conversationem promptum studium, et sic morbo convenientem adferre medicinam ». Item *ex Canone* 8. *Concilii* 1. *Cabilonensis*, ibi: « Ut poenitentibus a Sacerdotibus, facta Confessione, indicatur Poenitentia, universitas Sacerdotum noscitur convenire ». Item *ex Can.* 32. *Concilii II. Cabilonensis*, ibi: « Sed et hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plene id faciunt; Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet, et corpore, et interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit Confessio, scilicet ut et ea confiteantur, quae per Corpus gesta sunt, et ea, quibus in sola cogitatione delinquitur ». Consimiliter habetur ex plurimis aliis Conciliis, et praesertim ex Conciliis Generalibus, Lateranensi sub Innocentio III. *cap* 21. Constantiensi *sess.* 8. Florentino *in Instructione Armenorum*, et Tridentino, *sess.* 14. *cap.* 5. ibi: « Ex institutione Sacramenti Poenitentiae jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis Jure Divino necessariam existere ». Et infra circa finem subjungit: « Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christifideles confiterentur, quod Jure Divino necessarium, et institutum esse intellexerat; sed ut praeceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus, et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur ». Et eadem *sess.* 14. *Canon.* 6. definit sic: « Si quis negaverit Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse Jure Divino; aut dixerit modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit.

47 Secunda Haeresis est Montani, et Novati cum aliis docentium, « quod lapsis a Deo venia petenda, et non ab Ecclesiae Sacerdotibus venia speranda sit »; ut refert Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 21. et Layman *lib.* 5. *cap.* 7. *sub num.* 1. §. *Tertium.* Et haec Haeresis, quod non sit necessarium confiteri peccata Sacerdoti, sed soli Deo, a quamplurimis etiam modernioribus Haereticis, ut Lutheranis, Calvinistis, et aliis secuta fuit, et sequitur in dies. Ast facillime evincitur, quia ex quo

48 *Joannis* 20. Christus tradiderit Sacerdotibus facultatem remittendi, et retinendi peccata peccatoribus, hoc ipso implicite obligavit peccatores ad iisdem subjicienda propria peccata; alias frustranea esset talis potestas, si non esset obligatio peccatorum peccata sua iisdem subjiciendi; Cum Sacerdotes hoc interioris Fori judicium lapsis necessarium, incognita causa, sive incognitis criminibus, a Reo particulatim non explicatis, exercere nequaquam possint. Alia enim ratione Sacerdotes cognoscere nequeunt, quaenam peccata sit remittenda, et quae retinenda: Unde Concilium Tridentinum *sess.* 4. *cap.* 5. dixit: « Quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad Coelos, Sacerdotes, sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam Praesides, et Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christifideles ceciderint, quo pro potestate Clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim Sacerdotes Judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent; » *et Canon.* 3. *ejusdem ses.* 14. definit sic: « Si quis dixerit verba illa Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, et retinendi peccata in Sacramento Poenitentiae, sicut Ecclesia Catholica semper intellexit; Detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem praedicandi Evangelium, anathema sit: » *et Canon.* 6. sic: « Si quis negaverit Confessionem Sacramentalem etc. » Vide reliqua verba *supra n.* 46.

49 Nec valet objicere, quod Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus, et S. Joannes Chrysostomus ejus Successor absolute docent, Confessionem non esse faciendam Sacerdoti, sed soli Deo; Immo

ipse Nectarios Confessionem fieri solitam Sacerdoti penitos abrogavit ob scandalum ortum ex confessione nobilis cujusdam foeminae, quae se accusaverat patrati cum Diacono Sacrilegii in Ecclesia, ubi Domino supplicatura diutius morabatur ex Poenitentiarii mandato, ut referunt Socrates *lib.* 5. *cap.* 19. Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 16. Nicephorus *lib.* 12. *Histor. cap.* 28. et ex ipsis alii passim.

50 Non valet, inquam, quia Nectarius abrogavit solum Confessionem peccatorum occultorum publicam, non autem Confessionem Sacramentalem auricularem, secretam. Cum enim tunc Poenitentiarius, audita secreto peccatorum Confessione quorumdam, interdum publicationem consuleret in satisfactionem, ubi consentirent Poenitentes, ut expresse insinuat Origenes *homil.* 2. *in Psal.* 37. ibi: « Circumspice, inquit, diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum.... si intellexeris talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat etc. » hanc tantum peccatorum publicam expositionem, seu manifestationem sustulit Nectarius, ut sic auferret causam dicti scandali, quod a Confessione non auriculari, et secreta, ut patet, sed a publica ortum fuerat; Hocque evidenter ostendit Socrates *cit. lib.* 5. *cap.* 19. ibi: « Mulier, inquit, longius in confitendo progressa, alterius culpae seipsam insimulat, docet, Diaconum Ecclesiae cum ipsa dormivisse, ob quod facinus hoc modo patefactum (adeoque per Confessionem publicam) Diaconus ab Ecclesia ejectus est, tumultus inde in populi multitudine excitatus: » Et sic quemadmodum Nectarius non Confessionem Sacramentalem privatam, et auricularem, sed publicam abrogavit; Etiam S. Crysostomus passim Confessionem publicam carpit, privatam autem, et auricularem nusquam reprehendit, ut late ex propriis ipsius verbis ostendit Doctissimus Cardinalis Bellarminus *t.* 3. *Controvers. de Poenit. l.* 4. *c.* 15. *per tot.* Vide ipsum *ibi, et cap. antecedenti*, ubi abunde satisfit objectionibus, quae adducuntur ab Haereticis de facto Nectarii, et dictis S. Joannis Chrysostomi.

51 * Confer Natalem Alexandrum *Dissert. XIV. in Hist. Eccl. sec. XIII. et XIV.* quem Joannes Guill. Janus in animadversionibus ad Historiam Confessionis auricularis Wittembergae anno 1716. editis frustra refellere conatus est, Jacobum Boileau in *Historiam Confessionis auricularis* Parisiis anno 1633. vulgatam, Dionysium Sammarthanum in libro Gallice scripto, cui titulus *Traité de la Confession* ibidem anno 1685. impresso, et Hieronymum Benedictum Portam in Opusculo italice inscripto: « Della Confessione auricolare, o sia Sagramentale, Dissertazione Teologica, Dommatica, Storica, Critica in Venezia MDCCLXXX. » De facto autem Nectarii legi possunt, « Sententia Venerabilis Domini Joannis Hasselani Sacrae Theologiae in Academia Lovaniensi quondam Professoris super facto Nectarii Episcopi Constantinopolitani circa sublationem Confessionis Praesidentibus Concilii Tridentini exhibita » Tom. XX. Collect. Conciliorum Ed. Venetae an. MDCCXXXIII. col. 397. seqq. Joannis Dominici Mansi *De Confessione auriculari ex facto Nectarii non improbanda*, et Francisci Antonii Zachariae *De Poenitentia Constantinopoli sublata a Nectario* Diatribae Thesauri Theologici Tom. XI. Venet. anno 1763. pag. 286. seqq. Quod demum spectat ad S. Joannis Chrysostomi testimonia, quibus haeretici abutuntur, illud hic unum a me esse animadvertendum censeo a Frontone Ducaeo, et Montfauconio ostendi Homilias duas in Psal. L. ex quarum altera verba quaedam nobis adversarii opponunt, S. Joanni Chrysostomo non esse tribuendas. Vide Montfauconii Monitum in easd. Homil. Tom. V. Opp. Chrysostomi pag. 570. et seq. *.

Tertia Haeresis docet, quod quamvis admitteretur necessitas Confessionis Sacramentalis, adhuc tamen ante ipsam Confessionem non esset necessaria conscientiae discussio, et omnium suurum peccatorum examinatio, et hanc docuit Lotherus cum aliis, et sequuntur haeretici passim. Ast haec haeresis aperte evellitur ex Concilio Tridentino *cit. sess.* 14. *cap.* 4. ubi dicit: « oportere a Poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri »: et ibidem *Canon.* 7. ubi necessitas talis discussionis, seu examinationis indicatur, ibi: « Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse Jure Divino confiteri omnia, et singula peccata, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habeatur... anathema sit ». Insuper haec Haeresis evincitur etiam ratione, quia de Jure Divino debemus confiteri omnia peccata mortalia, non solum secundum diversitatem specificam, sed etiam secundum numericam, et circumstantias mutantes speciem, ut definivit Concilium Tridentinum *cit. Can.* 7. *sess.* 14. sed hoc non possumus praestare, nisi praemittamus diligentem discussionem, et examinationem propriae nostrae conscientiae, et peccatorum, in quae lapsi sumus: ergo etc. 52 53

Confessio Sacramentalis, ut supra a Christo instituta, et necessaria peccatoribus ad justificationem, et salutem recte sic definitur: « Est legitima, et Sacramentalis accusatio de propriis peccatis facta coram Sacerdote legitimo ad eorum remissionem obtinendam per absolutionem ». Sic in re Com. 54

Ad constituendam, seu faciendam legitimam, et perfectam Sacramentalem Confessionem sexdecim communiter assignantur qualitates, seu conditiones, quarum aliquae pertinent ad substantiam, et aliae ad modum, et perfectionem, quae omnes his versiculis continentur. 55

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, et discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.

56 Prima igitur conditio, seu qualitas est, quod sit *simplex*, idest, quod non sit composita ex inutilibus, et impertinentibus verbis, seu historiis, sed simpliciter veritatem, et statum conscientiae uti vere est, aperiat.

57 Secunda, quod sit *humilis*, idest sine audacia et jactantia, ita ut Poenitens non solum interne coram Deo cognoscendo sua crimina se humiliet veniam suppliciter impetraturus, sed etiam externe coram Confessario humiliter explicans eadem peccata, absolutionem ab ipso accepturus.

58 Tertia, quod sit *pura*, idest nullo parvo fine affecta, sed cum animi puritate, et sola intentione consequendi finem Sacramenti, nempe recuperandi Dei amicitiam, et propriam justificationem.

59 Quarta, quod sit *fidelis*, idest sincera, sine ulla deceptione, et mendacio, referens certa pro certis, et dubia pro dubiis, prout vere sunt, et ipse Poenitens ipsa cognoscit.

60 Quinta, quod sit *frequens*, idest ut frequenter quis confiteatur, quae conditio requiritur tantum ex consilio, et ad melius, et perfectius esse, nam circa hanc nullum adest praeceptum (*), nisi de Confessione annua, de qua infra (**).

61 Sexta, quod sit *nuda*, idest non palliata, et vestita certis verborum ambagibus, quibus peccata obscurentur, ne eorum gravitas a Confessario plene percipiatur, sed sit clara, et distincte peccata explicans sine ulla diminutione, et aequivocatione.

62 Septima, quod sit *discreta*, idest fiat verbis discretis, et honestis apud discretum, et prudentem Confessarium, qui sciat discernere inter lepram, et lepram, ac debita remedia, et consilia praebere.

63 Octava, quod sit *libens*, idest voluntaria ex proprio animo; ita ut non coacte, sed sponte fiat cum animo vere confitendi, ac recipiendi Sacramentum.

64 Nona, quod sit *verecunda*, idest cum pudore, ita ut Poenitens corde, et ore debeat praeferre verecundiam, ne sicut fabulam, aut historiam impudenter narret peccata sua.

65 Decima, quod sit *integra*, idest, quod omnia peccata mortalia, quae memoriae occurrunt, prius non confessa, tam in specie, et numero, quem quoad omnes circumstantias mutantes speciem aperiantur, ut expresse habetur ex Concilio Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *et Canon.* 7.

Undecima, quod sit *secreta*, idest sine teste, et 66
coram solo Sacerdote, quae propterea dicitur Confessio *auricularis*, quae ordinarie fit ad aures Sacerdotis, ne quid ab aliis percipiatur, quamvis possit aliter fieri, modo quis sit solus cum solo. Et quod debeat esse secreta, habetur *ex cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de poenitentiis, et remissionibus*, et Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. ibi: *Secreto apud solum Sacerdotem, et Canon.* 6. ibi: *Secrete*
soli Sacerdoti. Non esset tamen invalida Confes- 67
sio, si ex aliqua necessitate, aut alia de causa publice, seu aliis audientibus fieret, quia, ex institutione Christi, Confessio secreta ita est praecepta, ut publica nec sit praecepta, nec prohibita, ut habetur ex Concilio Tridentino *cit. sess.* 14 *cap.* 5. ibi: « Caeterum quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae offensae aedificationem delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc Divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua Lege praeciperetur, ut delicta praesertim secreta, publica essent Confessione aperienda ».

Duodecima, quod sit *lacrymabilis*, idest saltem 68
cum lacrymis cordis, videlicet cum vera displicentia, atque interno dolore, de peccatis cum firmo proposito saltem virtuali non peccandi de cetero, unde *lacrymabilis* hic idem importat ac *dolorosa*.

Tertiadecima, quod sit *accelerata*, idest quod 69
post commissum peccatum non diu differatur ipsius Confessio, si commode fieri potest; quamvis hoc sit solum consilium, et non praeceptum, cum nullum praeceptum inveniatur circa tempus Confessionis faciendae, nisi Divinum pro tempore mortis(***) et Ecclesiasticum de ipsa facienda semel in anno.

Quartadecima, quod sit *fortis*, idest cum animi 70
constantia; ita ut nullo motivo humano sinat Poenitens se retrahere a Confessione omnium suorum peccatorum, sed vincat omnes tentationes, superet omnes difficultates, et timorem, seu pudorem retrahentem a Confessione penitus destruat, et extirpet.

Quintadecima, quod sit *accusans*, idest, quod 71
Poenitens sibi imputet peccata sua, et se solum reum accuset, non autem inaniter se excuset alteri ea imputando, v. g. Daemoni, malis sociis, complexioni, Coelo, Fato, et hujusmodi.

Sextadecima, quod sit *parere parata*, idest, 72
quod Poenitens accedat eum animo obediendi Confessario in omnibus iis, in quibus tenetur ipsi obedire, videlicet in ordine ad evitandes proximas peccatorum occasiones, ad faciendas debi-

(*) E. R. Adest quidem praeceptum diutius non permanendi in statu lethalis culpae, seseque ad Deum quantocius convertendi. Si quis autem gratiam recuperare non posset, nisi per Poenitentiae Sacramentum, defectu perfectae Contritionis, quae hominem ante Sacramenti susceptionem justificet, nonne pro isto verum adesset praeceptum confitendi frequentius, quam semel in anno?

(**) Vide novas Additiones ad hunc Articulum.

(***) Vide nostras Additiones ad hunc Articulum.

tas restitutiones, et hujusmodi, nec non ad acceptandam, et implendam Poenitentiam.

73 Ex supradictis sexdecim conditionibus, seu qualitatibus bonae, et perfectae Confessionis, solae tres sunt necessariae ad valorem Sacramenti, nempe fidelitas, dolor, et integritas; Aliae autem pertinent solum ad modum, et perfectionem ipsius. *Communis.*

74 Quoad fidelitatem, et dolorem nihil remanet addendum, cum de se satis pateant, et satis de ipsis, et praesertim de dolore sit dictum supra.

75 Quoad integritatem autem varia adhuc remanent
addenda, et praesertim, quod ipsa integritas est
duplex, scilicet materialis, et formalis. *Commu-*
76 *nis.* Integritas materialis in eo consistit, quod
Poenitens declaret omnia omnino mortalia secun-
dum numerum, speciem, et circumstantias, ita
ut nullum ex mortalibus nondum confessis rema-
77 neat aperiendum. *Communis.* Integritas formalis
in eo consistit, quod Poenitens omnia illa peccata mortalia exprimat, quae hic, et nunc potest, et tenetur exprimere, licet aliquod ex necessitate, vel impedimento non exprimat cum voluntate illud postea exprimendi, necessitate, aut impedimento cessante. *Communis*

78 Confessio, ut sit valida, debet semper esse integra, saltem integritate formali, adeoque, qui vel unicum mortale sponte, et sine justa causa omittit in Confessione, committit grave Sacrilegium, et Sacramentum non suscipit, cum talis Confessio sit invalida, *Communis*, et patet ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. ubi expresse dicit: « Qui vero secus faciunt, et scienter aliqua retinent, nihil Divinae bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt; si enim erubescat aegrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, medicinam non curat »: *et Canon.* 7. per verba mox adducenda.

79 Item per se, ac regulariter loquendo Confessio debet semper esse integra integritate materiali. *Communis*, et patet ex Concil. Trid. *cit. sess.* 14. *cap.* 5. *et Canon.* 7. ibi: « Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse Jure Divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant.... anathema sit ».

80 Dicitur autem notanter *per se, et regulariter loquendo*, quia per accidens, et in quodam casu extraordinario Confessio potest esse valida cum sola integritate formali absque integritate materiali. *Communis.* Praeceptum enim Divinum de facienda Confessione peccatorum integra, integritate materiali, non obligat cum impotentia physica, vel morali, cum ad impossibile nemo obligetur, textu expresso *in l. Impossibilium* 185. *ff. de regul. Juris, et cap. Nemo potest* 6. *de Regul. Juris in* 6.

Causae excusantes ab integritate materiali Con- 81
fessionis generatim tres assignantur, scilicet inculpata ignorantia, seu oblivio, impotentia physica, et impotentia moralis ob grave damnum proprium, vel alienum, tam corporale, quam spirituale alioquin secuturum. *Communis.*

Ratione inculpatae ignorantiae, seu oblivionis 82
excusantur omnes illi, qui, praemisso sufficienti examine, non recordantur alicujus peccati mortalis, aut ignorantia invincibili penitus ignorant illud esse grave peccatum. *Communis.*

Ratione impotentiae physicae excusantur om- 83
nes illi, qui aliqua impotentia physica omnino impediuntur ad integre confitendum, sive impotentia oriatur ex parte Confessarii, sive ex parte Poenitentis, ut si immineat periculum mortis Poenitentis, et per hoc non habeat tempus confitendi integre omnia sua peccata. Vel periculum sit, ne Confessarius amittat usum loquelae ante integram omnium peccatorum Confessionem. Item si in periculo naufragii, grassantis pestis, subiti praelii, incendii, et hujusmodi immineat multitudo moribundorum, qui nequeant singuli integre confiteri, sufficit illis aliqua peccata breviter aperire. Immo in hujusmodi casibus, quando periculum imminens aliud non permittit, possunt omnes simul absolvi cum illa formula: *Ego vos absolvo etc.* Quinimmo si aliter fieri non possit, sufficit in simili casu dicere in genere *se esse peccatores*, aut etiam signo aliquo exteriori Poenitentiam suorum peccatorum ostendere, et absolutionem Sacramentalem petere, ut fit in repentinis praeliis, ubi milites jamjam praeliaturi, vel genuflexione, vel manuum conjunctione, vel pectoris tunsione Poenitentiam ostendentes, et absolutionem petentes, a Confessario omnes simul absolvuntur sub hac forma: *Ego vos absolvo a peccatis vestris etc.*

Item ab integritate materiali Confessionis ex- 84
cusatur mutus, qui uno, vel altero peccato explicato per nutus, vel si neque hoc facere possit, signo doloris de suis peccatis, v. gr. percutiendo pectus, edito, absolvi potest; Si tamen scribere sciat, expedit, ut sua peccata in scriptis Confessario exhibeat, ad quod teneri probabilius, et tutius dicunt Doctores magis communiter.

* Ex his est S. Thomas, qui lib. IV. sententiar. Dist. XVII. quaest. 3. art. 4. quaestiunc. 3. in respons. ad secundum scribit. « In eo, qui usum linguae non habet, sicut mutus, vel qui est alterius linguae, sufficit, quod per scriptum, aut nutum, aut interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plusquam possit: quamvis homo non debeat baptismum accipere, nisi in aqua, quia aqua est omnino ab exteriori, et nobis ab alio exhibetur: sed actus confessionis est a nobis, et ideo quando non possumus uno modo, debemus, secundum quod possumus confiteri » *.

Item ab integritate materiali Confessionis ex- 85
cusatur vir ignarus idiomatis, non habens Confes-

sarium peritum suae linguae; Is enim tempore praecepti, aut alterius necessitatis potest absolvi, quamvis non integre percipiatur, cum ipse faciat
86 quod moraliter potest. Is autem, quamvis urgente praecepto Ecclesiastico annuae Confessionis, non teneatur confiteri per Interpretem, et excusetur tunc ab observatione dicti praecepti Ecclesiastici, ex quo Ecclesia non praecipiat nisi Confessionem secretam, nec velit obligare ad Confessionem per interpretem cum tanto incommodo, et jactura aliquali propriae famae, ut docet Scotus in 4. *dist.* 17. *quaest.* 1. *art.* 4. Cajetanus *in summa verb. Confessio condit.* 11. Navarrus *in cap. Fratres n.* 86. *dist.* 5. *de Poenitent.* Toletus *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 4. Valentia *disp.* 7. *q.* 11. *p.* 1. Layman *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 6. *n.* 5. Bonacina *de Sacram. Poenitent. disp* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *punct.* §. 2. *proposit.* 11. *n.* 22. Rosignol. *de Sacrament. Poenitent. par.* 1. *q.* 4. *art.* 6. *num.* 6. Reiffenstuel *Theol. moral. tract.* 14. *dist.* 7. *q.* 1. *n.* 23. et alii passim: Tamen in periculo mortis, si dubitet non posse verum Contritionis actum elicere, tenetur, non quidem praecepto Divino, sed ex praecepto Caritatis erga se ipsum per Interpretem confiteri, at sic una cum Attritione, et Sacramento Poenitentiae evitet aeternam damnationem, et procuret salutem animae suae: Sanning *dist.* 19. *de Confession qu.* 2. *n.* 6. *et* 7. allegans Scotum in 4. *dist.* 17. *qu. unic.* Henricx *disp.* 3. *de Confessione q* 7. *n.* 91. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 23. Canus *Praelection* 6. *de Poenitent.* Suarez *disp.* 21. *sect.* 3. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 4. *nu.* 4 Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 6. *nu.* 5. Bonacina *loc. cit. n.* 23. *vers. Addo fieri posse*, Rosigool. *loc. cit. n.* 7. et alii.

* Vide testimonium S. Thomae in Addit. ad n. 83. relatam, ex quo eruitur, juxta S. Doctorem non in solo mortis articulo peccatorem at id teneri, sed etiam aliis temporibus, et praecipue ne diu versetur in statu culpae lethalis, ut animadvertit Cunilati, De Sacram. Poenitentiae §. IV. n. XVI *.

87 Ratione impotentiae moralis ob grave damnum proprium, vel alienum, tam corporale, quam spirituale alioquin secuturum, excusantur ab integritate materiali Confessionis omnes illi, qui ex Confessione omnium peccatorum rationabiliter, et prudenter timent sibi, aut Confessario, vel tertiae personae aliquod grave damnum corporale, vel spirituale: Sic quando Poenitens rationabiliter timet aliquod suum peccatum a Confessario fore revelandum, aut tali scientia contra se esse usurum in grave ipsius praejudicium spirituale, vel corporale, tunc potest alia peccata confiteri, dicto peccato praetermisso, alteri Confessario postea aperiendo, quia pro tunc censetur moraliter impotens ad tale peccatum confitendum, cum praeceptum Divinum positivum confitendi integre non obliget eam tanto incommodo, sed cedat praecepto Legis naturae de conservanda propria fama, et avertendis propriis damnis, et periculis gravibus spiritualibus, et corporalibus. Item si foemina ex jam expertis, vel aliis probabilibus causis, ex peccati carnis confessione rationabiliter timet fore sollicitandam a Confessario juvene, non bonae famae, et hujusmodi, tunc, si non habeat copiam alterius Confessarii, potest illud peccatum omittere, et alia confiteri *.

Item ob damnum alienum, nempe ipsius Confessarii, vel *Corporale*, ut si ex mora Confessionis integrae audiendae timeat probabiliter esse inficiendum tempore pestis, occidendum, vel male tractandum ab infidelibus, aut Haereticis tempore persecutionis, comburendum tempore subiti incendii, naufragandum tempore naufragii, et hujusmodi; tunc, audito uno, vel altero peccato, abrupta Confessione, potest Confessarius Poenitentem absolvere ab omnibus peccatis. Vel etiam ob damnum *spirituale*, ut si ex Confessione alicujus peccati carnis prudenter timeatur Confessario periculum ruinae spiritualis, seu si ipsemet Confessarius nequeat alteri Confessario confiteri aliquod suum peccatum absque laesione sigilli Sacramentalis, ati si invalide culpabiliter absolvisset aliquem simoniacum, incestuosum, et hujusmodi, et non potest confiteri, nisi illi, qui facile cognoscat quisnam sit ille simoniacus, incestuosus etc. tunc potest illud peccatum praetermitti alteri Confessario aperiendum.

* Verum circa praedictas causas cum P. Billuart in compendio Theologiae de Sacram. Poenitentiae Dissert. VI. §. 1 tom. 3. pag. mihi 285. est « observandum 1. ut in his casibus licite fiat celatio peccati, haec quatuor debere concurrere.
» Primum, quod periculum scandali, vel impotentiae sit grave, et bene fundatum. Secundum quod » non possit haberi alius Confessarius, cui absque » periculo, seu damno possit poenitens integre » confiteri. Tertium, quod Confessio non possit » commode differri, puta quia urget praeceptum » Confessionis, seu Communionis annuae, vel quia » non potest omitti Missa, seu Communio sine » scandalo, vel etiamsi poenitens peccato mortali » gravatus deberet diu a Confessione abstinere.
» Quartum, quod illud vel illa sola peccata omittat, quae judicaverit illi periculo vitando necessaria: unde si timeat damnum ex confessione » fornicationis, et non intentionis, accuset intentionem, omisso actu externo. Observandum 2.
» peccata ex justa causa celata, cessante causa, » debere accusari in sequenti confessione, ut satis » fiat praecepto divino de confessione omnium peccatorum mortalium » (*).

Non excusat tamen ab integritate materiali Confessionis magnus Poenitentium concursus, ob quem 88
non licet facere dimidiatam Confessionem; Unde

(*) E. R. Excusat impotentia moralis tunc tantum, quando urget necessitas emittendae Confessionis.

Innocentius XI. *die* **2.** *Maii* **1679. inter alias merito damnavit sequentem propositionem 50. In ordine, ibi: « Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus Poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicujus Festivitatis, aut Indulgentiae ».**

89 **Quantum ad peccata, quae propter supradictas causas licite in Confessione retinentur, non requiritur dolor Contritionis ad eorum remissionem, sed sufficit dolor Attritionis, et propositum illa confitendi, cessante causa, seu impotentia, quia per directam Sacramentalem absolutionem cadentem supra peccata confessa, jam indirecte Poenitens absolvitur etiam a non confessis ob justam**

90 **causam.** ***Communis.*** **Dicitur autem notanter, quod** ***sufficit dolor Attritionis, et propositum illa confitendi, cessante causa, seu impotentia,*** **quia ea peccata, quae antea ob justam causam, seu impotentiam non potuit quis confiteri, debet postea data opportunitate in proxima confessione exprimere, et directe Clavibus Ecclesiae subjicere, ut ab ipsis directe absolvatur. Hinc Alexander VII.** ***die*** **24.** ***Septembris*** **1665. merito inter alias damnavit sequentem propositionem 11 in ordine, ibi: « Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti Confessione exprimere ».**

91 **Poenitens habens mortalia, et venialia, non peccat contra Confessionis integritatem, si prius confiteatur uni Confessario mortalia, et postea alteri bonam opinionem de ipso habenti nimia verecundia affectus confiteatur sola venialia; peccata enim venialia non sunt materia necessaria, unde Poenitens non tenebatur ad integrandam Confessionem ipsa confiteri primo Confessario, ut expresse docet Concilium Tridentinum** ***sess.*** **14.** ***cap.*** **6.** ibi: *Taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt;* Et mortalia respectu posterioris Confessarii, cum supponantur rite confessa, et absoluta a priori, pariter non sunt materia necessaria, sed solum sufficiens, quae citra culpam reticeri potest: Sic Bonacina, Leander, Arsdekin citati, et secuti a Felice Potest. *t.* 1. *p.* 4. *n.* 3106. et alii passim.

92 Ab integritate materiali Confessionis non excusat infamia propria, aut complicis apud solum Confessarium: Quoad primam partem est *Communis;* quoad secundam autem quamvis Diana *par.* 1. *tract.* 7. *resol.* 49. Volpi *resol.* 150. *n.* 7. Navar. in *Manual. cap.* 7. *num.* 3 et alii plures dicant, excusare ab integritate materiali Confessionis infamiam complicis apud Confessarium, adeoque teneri Poenitentem tacere illud peccatum ad servandam famam proximi cum proposito illud postea confitendi, habita copia alterius Confessarii, cui ignotus sit complex, quia, dicunt, praeceptum de servanda fama proximi, cum sit juris Divini naturalis fundatum in illo principio: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,* magis urget, quam praeceptum de integritate materiali Confessionis, cum sit Juris Divini positivi, tamen contrarium est tenendum, scilicet non debere Poenitentem illud peccatum tacere, sed confiteri, si, non extante alio Confessario, qui complicem ignoret, non possit ipse aliter peccatum, vel circumstantiam mutantem speciem explicare, quin complicem manifestet: Sic expresse docet S. Bernardus *in opusculo de formula vitae honestae,* (sive Auctor ejus Opusculi S. Bernardo perperam tributi; tit. *Varia, et brevia documenta pie, et religiose vivendi n.* 1.) ibi: « De nullo prorsus sinistre loquaris quantumcumque sit verum, vel manifestum, nisi in Confessione, et hoc, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum ». Et sic tenet Scotus in 4. *dist.* 21. *q.* 2. *litt. L.* S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Aiensis, Gerson, Suarez, Vasquez, Coninch, Fillliucius, aliique relati a Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 8. *nu.* 12. Lugo *disp.* 16. *sect.* 8. *n.* 394. Tamburin. *Opuscul. exped. Confes. lib.* 2. *cap.* 9. §. 2. Sporer *tom.* 2. *p.* 3. *cap.* 3. *sect.* 1. *n.* 471. Henno *tom* 2. *tract. de Poenitent. disp.* 5. *quaest.* 9. *concl.* 8. Felix Potestas *loc. cit. n.* 3111. Leander *de Poenitentia trac.* 5. *d.* 5. *q.* 61. Durandus, Paludanus, Major, Almainus, Becanus, Amicus, Aversa, Caspensis, et alii citati, et secuti a Mastrio *Theol. moral. disp.* 21. *q.* 7. *art.* 4. n. 181. ubi dicit hanc esse communiorem, et probabiliorem opinionem, quam de facto defendunt plurimi alii, et recentiores passim. Et ratio est, quia si non teneremur confiteri peccatum hoc unico timore infamandi complicem apud illum Confessarium, sequeretur, quod conjugati non tenerentur ad confitenda peccata commissa in casu Matrimonii, quando uterque est Confessario notus, hoc autem non est dicendum, adeoque etc.

Nec valet adductum fundamentum pro opinione contraria ab Adversariis, quod nempe sit praeceptum Juris Divini naturalis de non infamando proximo, adeoque non posse violari ob servandum praeceptum de integritate materiali Confessionis, quod est solum Juris Divini positivi. Non valet, inquam, quia occultum proximi peccatum alteri manifestari est solum contra praeceptum Juris Divini naturalis in duobus casibus, ut recte notant Becanus *cap.* 36. *q.* 2. Mastrius *loc. c. n.* 185. et alii, nempe quando fit sine rationabili causa, et quando fit ex intentione infamandi proximum; in nostro autem casu nulla adest intentio infamandi proximum manifestando complicem, sed hoc fit sola justa intentione, et causa integre confitendi, quia Deus obligat ad manifestandum peccatum in specie, quae exprimi nequit sine manifestatione personae complicis; Tum quia ratione sigilli, quo Confessarius obstringitur, et ratione obligationis Poenitentis integre confitendi, nulla sequitur infamatio complicis apud Confessarium per talem directam ipsius manifestationem factam solummodo ad proprium peccatum exprimendum, quod etiam innuit Scotus in 4. *dist* 21. *q.* 2. *litt. L.* ut notat Mastrius *loc. cit.* adeoque etc. 93

94 Poenitens habens peccata reservata, si in urgente necessitate celebrandi, vel communicandi non habeat copiam Confessarii valentis a reservatis absolvere, tenetur pro servanda integritate Confessionis ipsa peccata reservata una cum non reservatis confiteri Confessario inferiori, etiam non habenti facultatem absolvendi a reservatis: Sic expresse S. Thomas *q.* 9. *supplem. art.* 2. *ad* 4. ubi dicit: « Etiamsi Sacerdos non possit de omnibus absolvere, tamen tenetur Poenitens ei omnia confiteri ». Henno *loc. c. conclus.* 6. ubi dicit hanc esse communem opinionem inter Doctores, Voipi *resolut.* 63. *n.* 11. Felix Potestas *tom.* 1. *par.* 4. *n.* 3121. Mastrius *Theolog. moral. disp.* 21. *q* 9. *art.* 3. *n.* 241. et apud ipsum Suarez, Lugo, Coninch. Amicus, Aversa, Bonacina, Pontius, et alii recentiores, et Summistae passim, dicentes Sacerdotem peccatis reservatis obstrictum, si necessitatem habeat celebrandi, nec copiam habeat Confessarii approbati pro reservatis, posse, et debere Confessario non approbato pro reservatis omnia peccata sua confiteri, ut directe a non reservatis, indirecte vero, et consecutive a reservatis absolvatur cum onere, et obligatione adeundi postea Superiorem pro absolutione directa reservatorum; non desunt tamen, qui contrarium sentiant.

* Quemadmodum traditur in Addit. ad Theol. Moral. P. Cuniliati tract. XIV. pag. mihi 86. seq. « Tres sunt circa hanc difficultatem inter Theologos opiniones. Prima eorum est, qui putant, » confitenda esse Confessario communi caetera » praeter reservatum peccata, quae dum directe » absolventur, reservatum absolvetur indirecte. » Secunda docet, tunc confitendum esse peccatum » reservatum cum aliis sive venialibus, sive mortalibus, vel nondum remissis, si quibusdam forte gravatur poenitens, vel jam remissis, si alia » non habeat, ut sic absolvatur, directe quidem » a non reservatis, indirecte vero a reservatis, » nisi, ajunt aliqui, haec adnexam habeant censuram. Tertia demum vult, ut eo in casu poenitens se gerat perinde ac qui Confessarii copiam non habet; proinde ut acrem contritionis » actum praemittat, et absque confessione celebret. Prima opinio, cui Alexander adhaesit, » quaeque Majori, et Soto probabilis visa est, » communiter rejicitur a Theologis, et dubio procui est contra mentem D. Thomae, qui *in Suppl.* » *q.* 9. *art.* 2. *ad* 4. asserit, quod, *si Sacerdos non* » *possit de omnibus absolvere, tamen tenetur poenitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius* » *culpae cognoscat etc.* Secunda placuit Suaresio, » aliisque pluribus, quos secutus est Fromageu *cas.* » 2. *n.* 4. *p.* 495. Hi has praesertim afferunt rationes, 1. cum quilibet sibi peccati mortalis conscius teneatur Confessionem praemittere Communioni, credibile non est Ecclesiam sic instituisse reservationem, ut tunc a peccatis absolvi » nequeat, directe quidem a non reservatis, et » indirecte a reservatis, malleque cum cum incerta contritione non confessum celebrare, quam » Confessionem Communioni praemittere; 2. quia » ad valorem Sacramenti necesse non est, ut Confessor jurisdictionem habeat in omnia peccata » mortalia, quibus reipsa ligatus est poenitens, » cum constet, eum qui non reservata quaedam » confessus est, et reservatum aliquod ex inculpata oblivione retinuit, ab omnibus valide absolvi, cum nemo propter invincibilem ignorantiam » reprobari possit. Tertiam demum amplexati sunt » Sylvius *in Supplem. q.* 20. *art.* 2. *Ethicas Amoris* Auctor *lib.* 4. *n.* 2730. Pontas v. *cas. reserv. n.* 21. et Collator Andeg. *tom.* 1. *pag.* 356. » Et huic etiam Auctor subscripsit tum in prima, » tum in tertia Editione, ut videre est infra, nempe *cap.* 4. §. 4. *n.* 11. Praecipua autem hujusce opinionis momenta in medium affert Contin. » *Praelect. Theolog. Honorati Tournely Tractatu* » *de Poenit. part.* 2. *cap.* 8. *sect.* 6. nu 570. *et* » *seqq.* Et haec sunt: 1. quia si posset poenitens » cuipiam pro reservatis non approbato, propter » gravem aliquam celebrandi, vel communicandi » necessitatem confiteri, ei etiam, qui nullatenus » approbatus erit, in eodem casu poterit confiteri. Quidni enim pia mater Ecclesia in uno non » secus ac in alio casu jurisdictionem conferre dicatur? Profecto ubi de sola praesumptione agetur, quae quisque pro priori casu afferet, haec » alius pro posteriori merito sibi afferre videbitur. » Atqui tamen postrema haec praesumptio citra » grave periculum admitti non potest. 2. Generatim decernit Synodus Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. » *nullius momenti absolutionem eam esse debere,* » *quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam jurisdictionem non habet*; quod quidem quantum ad reservatos casus » attinet, *non tantum in externa politia, sed etiam* » *coram Deo*, vim habere declarat. Atqui Sacerdos in praesenti casu nullam etiam subdelegatam jurisdictionem habet. Non ab homine; cum » supponamus nihil hoc in puncto a Superioribus » fuisse constitutum. Non a jure, cum jus, Tridentinum scilicet, quo nullum in ista materia » clarius habetur, solum a generali regula casum » mortis excipiendo, ceteros casus omnes in eadem regula inclusisse censeri debeat. En, *subdit*, praecipua hujusce opinionis momenta, quae » praecedentis sententiae rationes adaequant, vel » excedunt. Prima enim, quae e pia Ecclesiae voluntate deducitur, non magis pro praesenti casu » probat, quam pro similibus prope innumeris, » in quibus nativa quadam commiseratione id factum esse velimus, quod nec Christus, nec Ecclesia factum voluerunt. Secunda vero evincit » quidem in hoc nostro casu fieri potuisse, quod » in casu oblivionis inculpatae factum est; at non » probat, id reipsa factum esse. Et sic utrumque » opinionis fundamentum satis convellitur, ut ea » tranquillo animo teneri vix possit. Legatur etiam *Instit. Th. tom.* 5. *tract. de Poenit. cap.* 9.

» §. 2. q. 3. ubi asserit optandum esse, ut Superiores in eo casu reservationem suspendant, cum » id possint, neque hinc periclitetur disciplina. » Et revera non paucos Episcopos ita se gerere » postea refert ». Tertiae ex his opinionibus P. Cuniliati in prima Theologiae suae editione adhaesit in Tractatu de Sacramentis in particulari de Poenitentia §. 4. Iterumque in tertia editione rejecta moderatione, qua in secunda illam proposuerat. Causam porro cur moderationem illam rejecerit hanc affert §. *cit. n.* 11. *pag. mihi* 161. scribens: « Cum deinde perpenderim Decretum Clementis VIII. In quo jubetur, ut in nullo casu » absolvat a casibus reservatis, qui caret tali facultate; *In nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti*, *nisi in articulo mortis*, idque vetetur sub poena excommunicationis latae sententiae Papae reservatae, si quis absolvat; propterea corrigo in hac tertia editione, quod emendaveram in secunda; et confirmo standum esse » doctrinae supradictae in prima editione scriptae. Accedit id, quod asserit illustrissimus, et » doctissimus vir Nicolaus Terzagus Episcopus Narniensis in suo Opere Italico, cui titulus: *Istruzione pratica sopra l'amministrazione del Sagramento della Penitenza*, editionis Venetae *p.* » 343. qui, dum esset Romae, vidit idem approbari in Sacra Poenitentiaria, quae sustinuit, Confessarium, qui sine facultate super reservatis absolveret poenitentem, ad evitandum » scandalum, vel ob aliud motivum aut impedimenti, aut necessitatis; sustinuit, inquam, ipsum incurrisse in excommunicationem Papae reservatam, et si celebrasset, incurrisse irregularitatem. Quo praeclaro testimonio confirmatur » validius doctrina data in prima nostra editione, » et exploditur emendatio facta in secunda * ».

95 Non potest superior sine urgente causa absolvere tantum a reservatis, et quo ad reliqua remittere Poenitentem ad inferiorem; Ita Sylvester, Victoria, Canus, Suarez, Vasquez, Coninchius, Becanus, Carpensis, Amicus, Bonacina, Brancatus, Faber, et alii Recentiores passim citati, et secuti a Mastrio *loc.* c. n 238. contra Cajetanum, Navarrum, Sotum, Valentiam, et alios; Et ratio est, quia integritas Confessionis est de Iure Divino, quod omnino servandum est, nisi aliter permittat urgens, et rationabilis causa v g. periculi mortis, amissionis loquelae, damni notabilis, et similium, quae non minus ex parte Absolventis contingere possunt, quam ex parte Poenitentis; et in his casibus tantum, aliisque similibus assignatis *supra a n.* 77. quae deobligent ab integritate Confessionis, potest Superior dimidiare Confessionem absolvendo solum a reservatis directe, et indirecte a non reservatis cum obligatione Poenitentis adeundi, cum possit, Confessarium inferiorem, ut etiam directe absolvatur ab aliis non reservatis.

* Huc accedit, quod si Superior hic et nunc audire integram Confessionem non potest, potest reservationem auferre, et facultatem inferiori Confessario a reservatis absolvendi impertiri *.

An autem Poenitens, sic absolutus a reservatis 96
a Superiore, adeundo Confessarium inferiorem pro absolutione directa a non reservatis, debeat reconfiteri cum ipsis etiam reservata jam confessa, et absoluta, variant Doctores. Cajetanus enim, Navarrus, Sotus, Valentia, et alii dicunt teneri talem Poenitentem reconfiteri etiam reservata jam dimissa; At probabilius id negant, et defendunt contrarium Mastrius *loc. c. n.* 239. et omnes Auctores numero antecedenti citati, et ab ipso secuti pro nostra sententia; Et ratio est, quia sicuti quando Poenitens ex oblivione inculpabili, vel ignorantia invincibili, aut alia justa de causa ex enumeratis *supra a n.* 76. aliquod peccatum in Confessione omittit, non tenetur simul cum illo etiam alia jam directe confessa, et absoluta reconfiteri, cum datur opportunitas alterius Confessionis, quia ipsa jam supponuntur rite confessa, nec cadunt sub voto alterius Confessionis, sicuti illud omissum ex dicta oblivione, seu ignorantia, aut justa causa, ita a pari non tenetur talis Poenitens in Confessione non reservatorum apud Confessarium inferiorem reconfiteri etiam reservata jam absoluta a Superiore, cum ipsa supponantur vere, et rite confessa, et absoluta.

Nec valet objicere cum adversariis, quod *ex cap.* 97
Omnis utriusque sexus 12. *de poenitentiis*, *et remissionibus* omnia peccata sunt integre confitenda, saltem uni Sacerdoti, adeoque etiam reservata jam dimissa a Superiore deberi cum non reservatis reconfiteri a tali Poenitente apud Confessarium inferiorem, ut sic omnia peccata sint integre confessa uni Sacerdoti. Non valet, inquam, quia auctoritas allata *ex cap. Omnis utriusque sexus*, debet intelligi de integritate materiali, alioquin semper cum oblitis, et ex justa causa non confessis essent etiam reconfitenda jam rite confessa, et absoluta, quod non est dicendum; Unde Confessio facta Superiori de solis reservatis est integra materialiter ob justam aliquam causam, et tunc absolutio est valide directe dimittens peccata reservata, adeoque in nostro casu talis Poenitens absolutus a reservatis a Superiore, non tenetur postea inferiori Confessori reconfiteri etiam ipsa reservata jam confessa, et absoluta directe, cum non reservatis solum indirecte, et nondum directe absolutis.

Sicuti etiam qui justa de causa in aliquo casu 98
urgentis necessitatis, v. g. tuendi famam, vitandi scandalum, et hujusmodi, non extante Confessario approbato pro reservatis, fuit absolutus a Confessario non approbato pro reservatis, directe a peccatis non reservatis, et indirecte, et consecutive a reservatis juxta dicta *supra* n. 91. non tenetur denuo confiteri Confessario pro reservatis etiam peccata non reservata, a quibus fuit directe absolutus a Confessario approbato pro reservatis, sed

tantummodo tenetur reconfiteri peccata reservata, a quibus fuit absolutus solum indirecte, ut sic etiam reservata directe subjiciantur clavibus Ecclesiae, ut directe absolvantur; Et ratio est, quia peccata non reservata jam fuerunt directe confessa, et absoluta, nec adest obligatio bis directe subjiciendi eadem peccata Confessioni; Sic Mastrius *loc. cit. n.* 239. *in fine*, *et n.* 241. cum omnibus adductis *supra n.* 91. contra Vasquez, et alios citatos ab ipso Mastrio *loc. c. n.* 240.

* Vide Additiones ad n. 94. atque ad illa, quae in ipsa ex Clementis VIII. decreto constituta sunt, quae numero hoc, et duobus superioribus ab Auctore nostro ex Mastrio docentur, exige *.

99 Ad integritatem Confessionis requiritur, ut Poeniteos omnia mortalia confiteatur, tam quo ad speciem, quam quo ad numerum in eadem specie. *Communis;* et habetur expresse a Concilio Tridentino, *sess.* 14. *cap.* 5. *et Canon.* 7. ubi anathematizantur tenentes contrarium; Unde autem su-
100 matur distinctio specifica, et numerica peccatorum. Vide verb. *peccatum a n.* 26. *ad* 34.

101 Poenitens igitur debet in Confessione exprimere numerum omnium suorum mortalium peccatorum, de quibus post diligens examen recordatur, dicendo, v. g. toties sum furatus, fornicatus, mentitus, et hujusmodi; Si autem certus numerus non occurrat, debet exprimere numerum verisimilem, dicendo v. g. se quinquies, sexies, aut septies, vel circiter plus, minusve, tale peccatum commisisse, seu in tali peccato continuasse tanto tempore, illud committendo tot, vel tot circiter vicibus, plus, minusve per mensem, hebdomadam, vel diem.

102 Item, ad integritatem Confessionis requiritur, ut poenitens confiteatur, non solum omnia peccata mortalia, tam quo ad speciem, quam quo ad numerum in eadem specie, sed etiam circumstantias speciem peccati mutantes: *Communis*, et habetur expresse a Concilio Tridentino *cit. sess.* 14 *cap.* 5. *et Canon.* 7. ibi: « Si quis dixerit in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse Jure Divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria, cum debita, et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant..... Anathema sit ».

103 An autem sint a Poenitente necessario explicandae, et confitendae etiam circumstantiae solum aggravantes? Variant Doctores: At hic pro clariori resolutione notandum est, quod circumstantiae peccati dicuntur ejusdem peccati particulares, et accidentales conditiones, et affectiones, eo quod vel actum peccati, vel ejus objectum accidentaliter afficiant, et quasi circumstent. *Sic in re Commu-*
104 *nis.* Circumstantiae septem enumerantur in hoc vulgari versu contentae.

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur,
Quomodo, Quando.

Ubi, ut vides, per ly *Quis*, denotatur qualitas, 105
seu conditio personae, v. g. in peccato fornicationis an sit persona libera, an conjugata, an voto Castitatis ligata; in peccato furti an sit pauper, vel dives, et hujusmodi.

Per ly *Quid*, denotatur res, circa quam, seu ob- 106
jectum, circa quod fit peccatum, v. g. in furto an sit multum, an parum, an res sacra, vel profana; in percussione, seu occisione an percussus, seu occisus sit Clericus, sit Pater, vel Mater; et hujusmodi.

Per ly *Ubi*, denotatur locus, in quo fuit com- 107
missum peccatum, v. g. in peccato carnis an sit commissum in loco sacro, vel profano, an in loco privato, vel publico, et hujusmodi.

Per ly *Quibus auxiliis*, denotantur concomitan- 108
tia, seu coadjuvantia ad peccatum; vel instrumenta, et media ad ipsum, v. g. in provocanda ad malum muliere, an quis sit usus mediis magicis, instrumentis prohibitis, personis innocentibus sic ad malitiam edoctis, et hujusmodi.

Per ly *Cur*, denotatur finis peccantis, v. gr. in 109
furto, an sit quis furatus ad malum finem, ut ad fornicandum, ad se inebriandum, ad ludendum, vel ad sublevandam suam paupertatem, et hujusmodi.

Per ly *Quomodo*, denotatur modus, quo com- 110
missum fuit peccatum, v. g. in furto, an violenter, an dolose, an palam, an occulte, an effractione, an falsa clavi, et hujusmodi.

Per ly *Quando*, denotatur tempus, quo commis- 111
sum est peccatum, v. g. in furto, an sit factum tempore belli, famis, necessitatis, an sit factum quando quis erat dives, vel pauper, an in gravi, an in extrema necessitate, et hujusmodi.

Tales circumstantiae aliae sunt mutantes spe- 112
ciem, et aliae simpliciter aggravantes intra eamdem speciem: *Communis.* Circumstantiae mutan- 113
tes speciem sunt illae, quae actui novam, et diversam speciem malitiae contra aliam virtutem afferunt, quando scilicet circumstantia addita actui ex se habet propriam specialem malitiam, ac deformitatem distinctam a malitia propria specifica ipsius actus peccati, et sic transfert actum ex materia unius vitii, et peccati in materiam alterius vitii, et peccati, ut clare patet in peccato carnis, quod si committatur inter personas solutas, est simplex fornicatio contra virtutem Castitatis tantum; si committatur a persona, vel cum persona conjugata, est adulterium contra virtutem Justitiae; si committatur a persona, vel cum persona Sacra, est Sacrilegium contra virtutem Religionis; si committatur inter personas consanguineas, vel affines, est incestus contra virtutem Pietatis; et sic de aliis. *Communis.* Circumstantiae simpliciter aggravantes inter eamdem speciem sunt illae, quae non transferunt malitiam peccati ad aliam speciem, sed solum intra eamdem speciem eam augent, vel minuunt, uti sunt major, vel minor intensio actus peccaminosi, major, vel minor

quantitas materiae, et hujusmodi, ut patet clare in peccato furti, qui enim heri furatus est decem, et hodie centum, ejusdem speciei peccatum furti committit; at hodie gravius furtum committit, quam heri, et sic est circumstantia solum aggravans, et non mutans speciem. *Communis.*

114 Circumstantiae aggravantes, aliae sunt notabiliter aggravantes, et aliae parum, seu leviter ag-
115 gravantes. *Communis.* Circumstantiae notabiliter aggravantes sunt illae, quae secundum communem conceptum augent notabiliter gravitatem peccati, v. g. in peccato furti addit quis circumstantiam notabiliter aggravantem, si furetur supra quantitatem requisitam ad peccatum mortale aliam quantitatem simul, et semel considerabilem aequivalentem pluribus peccatis mortalibus intra eamdem speciem in gravitate, ut si non solum furetur decem scuta, sed etiam mille, et bis mille.
116 *Communis.* Et his addi possunt aggravantes in infinitum, quae scilicet materiam venialem transferunt in mortalem; sic esset mendacium cum gravi damno Proximi; et dicuntur aggravantes in infinitum, eo quod lethalis gravitas quasi infinite di-
117 stat a peccato veniali. Circumstantiae parum, vel leviter aggravantes sunt illae, quae secundum commune conceptum non nisi modice, et parum augent gravitatem peccati, ut si furto pervenienti ad mortale addatur solum modica quantitas, v. gr. unus solus julius, unus solus obolus, et hujusmodi: *Communis.*

118 Ex supradictis circumstantiis sunt necessario confitendae illae, quae mutant speciem, ut certum est apud omnes, et jam resolutum est supra, nec non aggravantes in infinitum, ut de se patet.
119 Item certum est apud omnes, quod non sunt necessario confitendae circumstantiae parum, seu leviter aggravantes. De circumstantiis autem notabiliter aggravantibus variant, ut supra dictum est,
120 Doctores. Non esse tales circumstantias necessario confitendas tenent S. Thomas *in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *quaestiuncul.* 5. *in corpore, et dist.* 41. *quaest.* 1. *art.* 4. *in corpore.* S. Bonaventura, S. Antoninus, aliique probatissimi Auctores plusquam 45. quos refert, et sequitur Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 1. *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 67. Lugo *de Poenitent. disp.* 16. *sect.* 3. Sporer *t.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *sect.* 1. *n.* 407. ubi dicit, hanc opinionem esse satis tutam, et valde probabilem, citatque pro hac plurimos alios Doctores, inter quos Scotum *in* 4. *dist.* 17. Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 14. *dist.* 7. *q.* 3. *nu.* 49 ubi dicit, quod Scotus *in* 4. *dist.* 17. §. *De secundo* libertatem suis reliquit hanc, vel contrariam sententiam tuendi, Mastrius *Theolog. moral. disp.* 21. *n.* 174. *et* 175. citans plurimos alios, Rosignolus *de Poenitent. part.* 1. *quaest.* 4. *art.* 14. *n.* 1. cum aliis ibi citatis, Stoz *lib.* 1. *part.* 1. *a n.* 83. citans etiam plurimos alios, Moya, Dicastili. Bonacina, Albertus Magnus, Durandus, Caspensis, Vasquez, et alii plures.

Et ratio potissima pro hac sententia est, quia 121
Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *et Canon.* 7. ubi exacte tradit, et docet, quid confitendum sit, solummodo meminit obligationis confitendi omnia, et singula peccata mortalia, *et circumstantias, quae speciem peccati mutant;* ergo sufficienter innuit non esse necessario confitendas circumstantias solum aggravantes, alioquin non processisset doctrinaliter, sed valde mance; sicuti, inquit Lugo *de Poenitent. dist.* 16. *n.* 108. qui doctrinaliter procederet, explicaret necessitatem confitendi peccata, et semper adderet quae mortalia sunt, sufficienter doceret venialia non necessario esse confitenda, adeoque etc. Tum quia Tridentinum *cit. cap.* 4. expresse subjungit: *Nihil aliud in Ecclesia a Poenitentibus exigi.*

Tales circumstantias esse necessario confitendas 122
defendunt alii Auctores gravissimi, quorum 25. referunt Diana *par.* 1. *tract.* 7. *resol.* 1. *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 67. et Aversa *quaest.* 10. *sect.* 8. et apud Mastrium *loc. cit. n.* 174. idem tenent, Alensis, Altisiodorensis, Major, Marsilius, Suarez, Coninchius, Nugnus, Sanchez, Fragundez, Henriquez, Amicus, Abellius, et recentiores alii; et ex Scotistis Hiquaeus, Faber, Aretinus, Henno *tom.* 2. *tract. de Poenit. disp.* 5. *qu.* 6. *concl.* 3. Felix Potestas *tom.* 1. *par.* 4. *cap.* 4. *nu.* 3143. ubi citat Scotum *in* 4. *dist.* 17. *quaest. unic. de* 2. *art. litt. N.* his verbis: *Nec solum peccata, sed circumstantias peccatorum notabiliter aggravantes includit dictum praeceptum,* quamvis ab aliis Scotus citetur in contrarium, qui tamen revera talis non est, sed vere dubius, ut patet ex praecisis suis verbis *in* 4. *dist.* 17. *n.* 20. ibi: *Non est ita certum, quod oporteat illas,* scilicet circumstantias aggravantes, *confiteri, tamen tutum, et utile id fieri,* et sic tenent plures alii Scotistae, Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 32. *nu.* 39. vocat hanc verissimam sententiam, Bonae spei *de peccatis d.* 4. *a n.* 85. ubi *n.* 122. dicit, sententiam hanc non esse quidem de Fide, attamen, attentis locutionibus Tridentini, videri manifeste induci ex principiis Fidei, oppositam autem infirmis valde, et parum Tridentino consonis inniti fundamentis; Sic apud la Croix *lib.* 6. *par.* 2. *num.* 977. ubi hanc sententiam fuse propugnat, citatque pro ista plurimos alios Doctores, et solvit argumenta, quae adducuntur pro contraria sententia: et hanc uti probabiliorem, communiorem, et tutiorem amplectimur, praesertim si circumstantiae notabiliter aggravantes ad malitiam substantialem actus concurrant ratione materiae majoris, aut objecti multiplicati, ut tenent etiam Sporer *loc. c. n.* 109. *cum sequent.* Petrus Marchant. *Tribun. par.* 1. *tract.* 2. *tit.* 3. *q.* 4. Suarez *de Poenitent. disp.* 12. *sect.* 3. Layman *l.* 1. *tract.* 2. *cap.* 10. *num.* 3. Esparsa *qu.* 9. *artic.* 4. *ad* 8. et alii plures apud ipsos.

Et ratio nostrae conclusionis est, quia illae pec- 123
catorum circumstantiae sunt necessario confiten-

dae, quae notabiliter alterant Judicium Sacramentale; quibus scilicet cognitis, aliter agere debet Judex Sacramentalis, quam si ignotae sint, cum peccata in Confessione ita sint explicanda Confessario, ut is de eorum qualitate, et quantitate possit recte judicare, et convenientem Poenitentiam, et medicinam, ac obligationem praescribere, ut insinuat Conc. Trid. *cit. sess.* 14. *c.* 5. ubi statuens necessario confitendas esse circumstantias, quae peccati speciem mutant, hanc ipsam dat rationem praecisis his verbis: *Quod sine illis peccata ipsa neque a Poenitentibus integre exponantur, neque Judicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et Poenam, quam oportet, imponere.* Atqui dictae circumstantiae notabiliter aggravantes eodem modo, et saepe multo magis, quam circumstantiae speciem mutantes, alterant, et immutant Judicium Sacramentalem, ut *sine illis neque peccata ipsa a Poenitentibus integre exponantur*, nec a Judice Sacramentali rite judicari possint; ergo tales circumstantiae sunt necessario confitendae, cum Tridentinum, licet explicite, et aperte solum exprimat circumstantias speciem mutantes, tamen per ipsam allegatam rationem innuit implicite voluisse comprehendere etiam dictas circumstantias notabiliter aggravantes. Major est certa, et admittitur ab omnibus. Probatur minor, quia dictae circumstantiae notabiliter augent malitiam, ideoque etiam notabiliter alterant, et mutant Judicium Confessarii: immo saepe multo magis, quam circumstantiae speciem mutantes; clare enim patet, quod major est malitia, et magis alterat Judicium Sacramentale furari v. g. mille Florenos extra locum Sacrum, quam furari solum decem in loco Sacro, licet haec circumstantia furandi solum decem in *loco Sacro* mutet speciem, et illa furandi mille *extra locum Sacrum* aggravet tantum. Item major est malitia, et magis alterat Judicium judicis Sacramentalis furari mille aureos, quam furari capsulam exigui valoris, quamvis circumstantia furti capsulae, utpote rei sacrae, mutet speciem et circumstantia furti mille aureorum solum notabiliter aggravat. Item major est malitia, et magis alterat, et mutat Judicium Judicis Sacramentalis priusquam homo occidatur, ipsi amputare brachia, oculos effodere, nasum comburare, ventrem aperire etc. et postea ipsum occidere, quam unico solo ictu gladii ipsum occidere in Ecclesia, licet circumstantia occisionis cum priori amputatione brachiorum, et pedum, oculorum effossione, nasi combustione, ventris apertione etc. solum notabiliter aggravantes sunt necessario confitendae, tum ut recte, et integre percipiantur peccata a Judice Sacramentali; tum ut juxta eorum gravitatem imponatur ab ipso debita, et proportionata Poenitentia, seu satisfactio peccatoribus, uti patet etiam ex Canonibus Poenitentialibus, qui habentur in fine Decreti Gratiani, et dantur art. seq. n. 49. in quibus designantur notabiliter diversae Poenitentiae pro peccatis ejusdem speciei ob solas diversas circumstantias, ut patet in casu 21. 22. 37. 38. et al.

126 Tum quia, si circumstantiae sic notabiliter aggravantes non essent necessario confitendae, sequeretur, quod Confessarius non posset injungere majorem Poenitentiam majoribus peccatoribus, quam minoribus: sed hoc non est dicendum; ergo etc. Minor de se patet: Major autem clare ostenditur, quia in tali casu Confessarius non posset imponere majorem Poenitentiam furi unius millionis aureorum, quam furi unius aurei; Incendiario villae integrae, quam Incendiario pauearum segetum; foventi odium, vindictam, desiderium impurum per quindecim annos, quam illis adhaerenti per solum quadrantem, cum possent eodem modo peccatum suum exprimere dicendo in primo casu *commisi furtum mortale*, in secundo, *nocui proximo notabiliter*, et in tertio, *habui odium grave, desiderium impurum*, et hujusmodi, quae omnia, ut vides, sunt absurda, adeoque etc.

127 Confirmatur nostra Conclusio auctoritate Catechismi Romani jussu S. Pii V. conscripti, et ex Decreto Concilii Tridentini editi, qui *c.* 9. *de Poenitentia* sic praecise habet: « Neque vero solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quae unumquodque peccatum circumstant, et pravitatem valde augent, vel minuunt »; Et infra subjicit: « Haec igitur, ut diximus, enumeranda sunt; quae vero pravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt », et concordat *c. Considerent* 1. *de Poenitent. dist.* 5. ubi inter alia dicitur, quod Poenitens debet considerare qualitatem criminis, quantum in eo perseveraverit, et ut agnoscat augmentum peccati, consideret cujus aetatis fuerit, cujus sapientiae etc. *quia*, inquit, *omnis ista varietas confitenda est*

128 Ad rationem autem pro opinione contraria adductam *supra num.* 118. respondetur, quod licet Concilium *citat. sess.* 14. *cap.* 5. expresse mentionem fecerit solum de obligatione confitendi circumstantias mutantes speciem, implicite tamen satis indicavit esse necessario confitendas etiam circumstantias notabiliter aggravantes, ut patet ex ipsamet allegata ratione ab eodem Concilio per sua praecisa verba adducta *supra num.* 123. Ex confirmatione, *in fin. num.* 121. nihil sequitur ad rem, quia ibi Concilium, ut patet ex contextu, et observant Lugo, La Croix *loc. cit.* et alii, solum dicit, nihil exigi praeter confessionem mortalium, quae Poenitens agnoverit post diligens examen, nec ibi ullum habet sermonem de circumstantiis mutantibus speciem.

* Postremo, ne quem auctoritas S. Thomae pro opposita opinione citati commoveat, adeatur Daniel Concina, Theologiae Christianae tom. IX. de Sacram. Poenitentiae lib. 1. dissert. IV. cap. VI. ubi ostendit S. Thomam adversariis non fave-

re. Etenim in lib. IV. sent. dist. XVI. quaest. III. art. 2. in resp. ad quaestiunc. 5. recitata opinione illorum, qui statuebant, *quod non sint de necessitate confitendae nisi circumstantiae, quae ad aliud genus peccati trahunt*, e vestigio subdit: « Et hoc probabilius est, sed addendum est, quae ad aliam speciem mortalis trahunt, cujus ratio est, quod venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quae quantitatem infinitam quodammodo habent. Et quia circumstantiae quae aliam peccato speciem non tribuunt, vel quae tribuunt quidem, sed non peccati mortalis, non sunt de necessitate confessionis, tamen easdem confiteri perfectionis est, sicut et de venialibus dictum est ». De S. Antonino quoque Petrus Ballerinius in 3. parte summae Theologicae ejusd. tit. XIV. cap. IX. not. 10. » Tandem S. Antoninus tit. 17. §. 4. hanc, quam nunc statuimus, obligationem confitendi circumstantias multum aggravantes aperte defendit, quum Confessorem *debere interrogare non solum de mortalibus, sed etiam de circumstantiis, quae eos gravant, vel alleviant*, aliquot authoritatibus statuit ».

129 Circumstantia consuetudinis, quamvis per se loquendo non sit necessario aperienda (*) in Confessione, at recte docent Suarez, Vasquez, Regin Bonacina, Aversa, Lugo citati, et secuti a La Croix *lib* 6. *par*. 2. *n*. 968. Reiffenstuel *Theol. Moral. tract*. 17. *dist*. 7. *q*. 3. *num*. 53. et alii; tamen interdum per accidens obligatur Poenitens ad talem circumstantiam consuetudinis aperiendam, et signanter, quando a Confessario, ut rectum Judicium formare valeat de dispositione ipsius Poenitentis interrogatur; unde Innoc. XI. *die* 2. *Mart*. 1679. merito inter alias damnavit sequentem propositionem 58. in ordine, ibi: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*.

130 Peccata mortalia dubia sunt necessario confitenda, sub dubio tamen: S. Thomas in 4. *dist*. 1. *q*. 2. *ad* 3. S. Bonaventura *ibid. par*. 2. *art*. 1. *q*. 2. Alensis *par*. 4. *qu*. 77. *membr*. 2. *art*. 5. Sporer *loc. cit. num*. 302. Reiffenstuel *loc. cit. num*. 54. *et seq*. Felix Potestas *tom*. 1. *par*. 4. *cap*. 3. *numer*. 3040. et satis *Communis* contra paucos. Et ratio est, quia ex Conc. Trid. *cit. sess*. 14. *cap*. 5. confitenda sunt, prout sunt in conscientia, seu prout occurrunt memoriae, adeoque sicuti peccata certa confitenda sunt necessario ut certa, quia sic occurrunt memoriae Poenitentis, ita dubia propter eamdem rationem, alias Poenitens se exponeret periculo peccandi, et errandi circa integritatem Confessionis.

131 Qui confessus est peccatum aliquod mortale, ut dubium, si postea reperiat illud certum, seu certo illud commisisse, tenetur illud denuo ut certum confiteri. *Sic Communior Doctorum*; adeout, Dicastilius *disp*. 9. *dub*. 2. *num*. 141. dicat, oppositum esse inauditum in Ecclesia Dei, Sanch. *in Decal. lib*. 1. *c*. 10. *num*. 69. Carden. *in Crisi disp*. 51. *num*. 6. Moya *tom*. 4. *disp*. 1. *q*. 6. *num*. 1. dicunt hanc opinionem esse certam, et communi praxi totius Ecclesiae conformem, et absolute tenent Mendo *d*. 10. *num*. 70. et plurimi alii apud ipsum, Lugo *disp*. 16. *a num*. 77. ubi postquam pro utraque parte rationes attulit, concludit, se ab hac, utpote communi, nolle recedere, Felix Potestas *loc. cit. num*. 3045. Henno *loc. cit. disp*. 5. *q*. 8. *concl*. 2. Turrian. *de Poenit. q*. 9. *art*. 2. *disp*. 26. *dub*. 6. Hurtad. *de Sacram. disp*. 9. *de Poen. diffic* 7. Diana *par*. 2. *tract*. 4. *resol*. 91. Rosign. *de Poenit. par*. 1. *q*. 2. *art*. 1. *num*. 21. La Croix *lib*. 6. *part*. 2. *a num*. 615. cum pluribus ibi citatis, ubi solvit insuper argumenta contraria, et plurimi alii contra Arriagam *disp*. 31. *de Poenit. sect*. 6. Spor. *loc. cit. num*. 397. et alios ab ipso citatos, et adductos a la Croix *loc. cit*. Et ratio nostrae conclusionis est, quia ex Trid. *cit. sess*. 14. *cap*. 5. peccata debent sic exponi Confessario, ut de ipsis possit efformare rectum judicium, et peccatori congruentem imponere Poenitentiam, seu satisfactionem: Atqui Confessarius diversum efformat judicium circa peccatum certum, ac circa peccatum omnino dubium, ergo etc. Tum quia peccata sunt confitenda, uti sunt in conscientia Poenitentis; ex eodem Conc. Trid *loc. cit*. Dictum autem peccatum confessum solum ut dubium jam nunc est certum in conscientia Poenitentis, nec ut certum est adhuc confessum, adeoque ut tale debet iterum confiteri, quamvis jam fuerit confessum ut dubium.

Qui confessus est peccatum mortale tamquam certum, quale tunc putabat esse, quamvis postea judicet esse dubium, non tenetur iterum confiteri tamquam dubium, quia qui absolvitur a peccato certo, magis absolvitur a peccato dubio, cum sententia lata in illud ut certum afficiat, et exaequet totam rationem dubii quodammodo inclusam, et superatam in ratione certitudinis. *Communis*. 132

Item qui confessus est peccatum integre prout commissum est, et prout erat in sua conscientia tempore Confessionis, quamvis pro tunc, et ipse, et Confessarius dubitaverit, an esset mortale, vel veniale; non tenetur illud iterum confiteri, licet postea ipse, vel Confessarius comperiat, seu agnoscat fuisse mortale, quia jam integre suum manifestavit peccatum, nec ex modo confitendi determinavit Confessarium ad falso judicandum; Nec est necesse ad Confessionis valorem, quod Poenitens, vel Confessarius sciat determinate peccatum confessum esse mortale, vel veniale: unde quamvis per accidens judicetur esse veniale, quando est mortale, adhuc valida est Confessio; dummodo Poenitens dixerit factum peccaminosum, sicuti tunc in conscientia novit: Stoz. *lib*. 1. *part*. 5. *num*. 170. La Croix *loc. cit. num*. 619. Tamburin. *de Confessione lib*. 2. *cap*. 1. *num*. 26. San- 133

(*) Vide Append. num. 53.

chez in *Decalog. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 68. Dicastill. *d.* 10. *num.* 248. Felix Potestas *loc. cit. n.* 3044. Bosco *d.* 7. *sect.* 8. *num.* 147. ubi dicit esse communem.

134 Poenitens non potest, nec licite, nec valide confiteri Confessario absenti per litteras, aut nuncium, et ab eo absolvi, etiamsi reperiatur in articulo mortis, vel impotens ad accedendum ad illum: Scotus *in* 4. *dist.* 17. *quaest. unic. litt. Z.* et communis aliorum, et colligitur *ex cap. Quem poenitet* 88. *de Poenitent. dist.* 1. et expresse ex Clemente VIII. Const. incip. *Sanctissimus.* Vide verb. *Absens, art.* 4. *num.* 1.

135 Sic etiam invalida esset absolutio, si Confessarius Poenitentem praesentem audiret, et postea per litteras eum absentem absolveret. Vide *d. verb. Absens, num.* 2.

136 Valida autem est Confessio, si per litteras Poenitens mittat peccata Confessario absenti, qui ea legat, et huic factus praesens dicat: *Accuso me de peccatis illis, quae scripsi, et peto absolvi;* Sicuti etiam, si praesens peccata scripta det Confessario legenda, et postea dicat, *de istis peccatis hic scriptis me accuso, et peto absolvi.* Non est tamen hoc faciendum sine rationabili causa. (*) Vide *dict. verb. Absens, num.* 3.

137 Immo volunt multi, hoc extra casum necessitatis esse illicitum. Vide *dict. verb. Absens, num.* 4. * Confer num. 7. et 8. cum nostris adnotationibus. *

138 Confessio ex traditione, consuetudine, et usu Ecclesiae debet regulariter, et ordinarie esse vo-

139 calis: *Communis* ex Concilio Florentino « in Decreto Eugenii IV. ad Armenos, ex Extravagant. *Inter cunctas, de privilegiis*, ubi habetur: « Nisi articulus necessitatis occurrat, Sacerdoti facienda est oris Confessio, prout scriptum est: corde ad justiam creditur, ore autem fit Confessio ad salutem »: et ex cap. *Quem poenitet* 88. *de Poenitent. dist.* 1. ibi, « Praecepit Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens, corporali praesentia confitenda peccata, non per nuncium, non per scriptum manifestanda, (*quia si*) per vos peccatis, per vos erubescatis; erubescentia enim ipsa partem habet remissionis ».

140 Unde graviter peccaret, qui sine justa causa signis, vel nutibus solum confiteretur: *Communis*

141 cum Sporer *loc. citat. numer.* 489. Si perpetuo mutus possit scribere, aut si hoc non possit, possit saltem nutibus, et signis sua peccata in particulari aperire, cessetque periculum publicationis, tenetur ita scripto, nutibus, vel signis confiteri non tantum ex praecepto Divino in articulo mortis, sed etiam ex praecepto Ecclesiastico semel in anno, *Communis*, cum Sporer. *loc. cit. num.* 491. quamvis tamen extra articulum mortis non pauci id negent Repugnante tamen S. Thoma, cujus locum in Addit. ad num. 84. attulimus.

Confessio est necessario reiteranda, quoties est invalida, quod ex duplici capite accidere potest, scilicet ex parte Confessarii, et ex parte Poenitentis. *Communis.* 142

Ex parte Confessarii invalida est, et reiteranda Confessio, 1. Si Confessarius formam omisit, aut substantialiter vitiavit, vel intentionem actualem, aut virtualem absolvendi non habuit. 2. Si Confessarius non habeat Jurisdictionem 3. si Confessarius habeat jurisdictionem impeditam per Censuram, utpote si fuit excommunicatus vitandus, quatenus est publice denunciatus, vel notorius percussor Clerici. 4. Si nullum prorsus peccatum intellexit, quia tunc practice non habuit materiam, quam absolveret. *Communis.* (**) 143

Ex parte Poenitentis est invalida, et reiteranda Confessio, 1. Si Poenitens confessus est sine dolore requisito, aut cum defectu alterius partis essentialis. 2. Si Poenitens confessus est sine vero proposito se emendandi, seu cum voluntate adhuc peccandi mortaliter. 3. Si Poenitens voluntarie, et culpabiliter tacuit in Confessione aliquod peccatum peccatum mortale, aut in re gravi, et necessaria mentitus fuit, verum negando, aut falsum dicendo. 4. Si Poenitens in ipsa Confessione peccavit mortaliter, ut si eam fecit ad finem mortaliter malum cum injusta infamatione, vel detractione proximi, et hujusmodi. 5. Si Poenitens mortaliter negligens fuit in examinanda sua conoscientia de commissis peccati. *Communis.* 144

Valida est (***), et non iteranda Confessio bona fide facta Confessario quantumvis indocto, et ignoro, etiamsi inter mortale, et veniale discernere nequeat, immo etiamsi putasset aliquod peccatum esse veniale, quod tamen est mortale; quia ad valorem Confessionis sufficit notitia peccati in communi, seu confuso, videlicet quod Poenitens habeat peccatum: Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 121. Leander *tractat.* 9. *disc.* 5. *quaest.* 74. Tamburin. *lib.* 2. *cap.* 10. §. 4. Sporer *loc. cit. num.* 495. cum Suarez, Sanchez, Layman ibi citatis, et alii passim. Invalida tamen, et iteranda esset Confessio, si scienter, et ex malitia fiat cum eo, ut peccata discernere nesciat, et Poenitenti mederi, ut oportet, non possit, quia tunc Confessio, ratione indispositionis, et malitiae Poenitentis, fuisset mortaliter mala, et Sacrilega, adeoque tota repetenda esset: *Citati Doctores, et alii communiter.* 145

146 (line "fessio, si scienter..." carries 146)

Item valida est, et non iteranda Confessio bona fide facta Confessario surdastro, semidormienti, vel distracto, qui aliqua peccata etiam mortalia non intellexit sine omni culpa Poenitentis, 147

(*) E. R. Vide adnotationem adjectam verbo *Absens*.

(**) E. R. Adderem V. Si Confessarius ea, quae ad Poenitentiae Sacramenti administrationem necessaria sunt, penitus ignoraverit. Etenim S. Carolus *in Instructionibus Confessorum*, inter ea, quae Confessiones nullas, atque iterandas constituunt, reponit ex parte Confessarii. *Si, quae sunt ad hoc Sacramentum ministrandum necessaria, penitus ignoraverit.*

(***) De opinionibus ab Auctore nostro numero hoc, proximisque propositis, vide Appendicem num. 57.

quia essentia, et effectus Sacramenti consistere potest absque integra, et specifica explicatione peccatorum, si ea absque ulla culpa Poenitentis vere dispositi omittatur. Quod si Poenitens postea advertat, tenetur in sequenti Confessione ea sola repetere, quae probabiliter judicat, aut cognoscit non fuisse audita, et percepta: Sporer *loc. cit. n.* 497. cum supracitatis, Felix Potestas *loc. cit. nu.* 3173. et alii passim.

148 Si autem Poenitens post talem Confessionem nesciat, quaenam sint illa peccata, quae Confessarius non audivit, vel non percepit, tenetur tunc repetere totam Confessionem, si illa sit brevis, et paucorum peccatorum, quia tunc prudenter debet, et potest dubitare, quod nulla intellexerit, aut perceperit. Si autem Confessio fuit prolixa, et multorum peccatorum, tunc non tenetur omnia repetere, sed satis erit se accusare in communi de illis peccatis mortalibus, quae Confessarius non audivit, seu non percepit, quia in tanta multitudine peccatorum non potest prudenter dubitare, quod nulla intellexerit, aut perceperit; Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 198. Leander *tract.* 5. *disput.* 5. *quaest.* 86. Lugo *disp.* 16. *a num.* 607. Illsung *num.* 149. Sporer *loc. citat. num.* 497. Tamburin. *loc. citat. cap.* 10. §. 3. *num.* 5. Felix Potestas *loc. citat. num.* 3174. *cum sequentibus*, ubi *sub num.* 3176. recte subjungit, quod Poenitens tunc debet determinare materiam, quantum fieri potest, v. g. dicendo: « scio, vel dubito, an Confessarius audierit unum meum grave peccatum, vel aliqua gravia peccata, et nescio quale, vel qualia fuerint, sed tempore illo solebam confiteri tales, vel tales species peccatorum.

149 Qui culpabiliter in Confessione aliquod peccatum mortale tacuit, et postea in aliis subsequentibus Confessionibus inculpabiliter est oblitus illius Sacrilegii, non tenetur ad omnes istas subsequentes Confessiones iterandas, quando talis Sacrilegii, seu sacrilege factae Confessionis recordatur, sed solum tenetur ad iterandam illam, in qua per culpabilem reticentiam illius mortalis peccati sacrilegium commisit, quia aliae Confessiones bona fide factae post Confessionem illam sacrilegam, et invalidam, ratione bonae fidei, et inculpabilis oblivionis illius sacrilegii jam fuerunt validae, et fructuosae: *Communis.*

150 Qui certus de mortali in Confessione omisso negative dubitat, an illud omiserit ex verecundia, an ex justa causa, tenetur cum illo reliquorum mortalium Confessionem repetere, quia certus est de praecepto confitendi haec peccata, et dubitat de adimpletione, cum dubitet de valore Confessionis; Debito autem certo non satisfit per solutionem ita incertam, cum possessio stet pro debito; Moya *d.* 1. *quaest.* 8. *num.* 17. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1212. et alii plures contra paucos alios oppositum sentientes.

151 Qui inculpabiliter omisit in Confessione aliquam circumstantiam, etiam speciem mutantem, si talis circumstantia seorsim sufficienter declarari possit, non tenetur repetere totum peccatum, et multo minus totam Confessionem praeteritam; La Croix *loc. cit. num.* 1209. cum communi aliorum.

Qui culpabiliter fecit Confessionem invalidam, undecumque provenerit invaliditas, tenetur totam Confessionem repetere: *Communis.* Si talis Confessio invalida, et sacrilega reiteretur apud Confessarium diversum a primo, tunc debent necessario repeti apud hunc omnia, et singula mortalia distincte, et in particulari, ac si nunquam fuissent confessa, exprimendo sacrilegium, quod fecit: *Communis.* 152 153

Si autem Confessio invalida repetatur apud eumdem Confessarium, et hic adhuc habeat distinctam memoriam peccatorum sibi confessorum, satis est, si Poenitens defectum Confessionis aperiat, et in genere addat; *Etiam me accuso de omnibus peccatis in tali Confessione Sacrilega tibi confessis: Communis Doctorum.* Immo id verum est, etiamsi Confessarius eorum peccatorum singillatim in specie, et numero non recordetur; Dummodo saltem confuse recordetur status Poenitentis, ut convenientem Poenitentiam, medicinam, ac remedia praescribere possit: *Sic satis Communis sententia* cum S. Antonino, Navarro, Toleto, Emanuele Sà, Vasquez, aliisque citatis, Layman *cap.* 9. *num.* 6. Sporer *loc. cit. num.* 103. La Croix *loc. cit. num.* 1216. Felix Potestas *loc. cit. num.* 3168. Mastrius *Theol. moral. disp.* 1. *q.* 8. *num.* 198. cum pluribus aliis citatis, et alii passim. 154 155

Item hoc verum est, et sufficiens in repetendis multis, et plurimis Confessionibus invalide factis apud eumdem Confessarium, sive invaliditas proveniat ex defectu doloris, sive ex defectu integritatis, sive ex aliis capitibus: Non enim opus est, ut Confessarius distincte, et in specie recordetur omnium illorum peccatorum sibi confessorum in dictis omnibus Confessionibus, sed sufficit, quod recordetur in confuso, et in communi status, ac vitae Poenitentis, quam tunc ducebat. Nec est necesse, quod Poenitens omnia peccata repetat distincte, et singillatim, sed sufficit, quod in compendio, et generatim de omnibus se accuset, et defectus corrigat, dicendo verb. gr. *Accuso me de omnibus illis peccatis, quae tibi confessus sum in cunctis sacrilegis Confessionibus tribus ab hinc annis usque ad hanc, a quo tempore bis ordinarie omni mense sacrilege confessus sum, et communicavi, quia retinueram malitiose istud peccatum, vel non habui verum dolorem, et propositum,* et hujusmodi: Sic enim Confessio adhuc erit formaliter integra, et Confessarius, ut supponimus, sufficientem notitiam habet, ac memoriam peccatorum, quae absolutioni Sacramentali modo subjiciuntur: Ita Navar. Silvester, Vasq. Valentia, Henriquez, Toletus, Bonacina, Reginaldus, Layman, Caspensis, Aversa, et alii passim citati, et secuti a Mastrio *loc. cit. num.* 198. Sporer *loc.* 156

cit. num. 503. Felix Potestas *loc. cit. num.* 3170. La Croix *loc. citat. a num.* 1216. cum pluribus aliis.

157 Si vero Confessarius nequidem in confuso, et in communi recordetur status, ac vitae poenitentis, quam tunc ducebat, aut Poenitentiae a se ipsi impositae, tunc Poenitens tenetur saltem ita distincte repetere peccata in aliis Confessionibus confessa, ut ex ipsis, et aliis modo confessis possit iterum formare judicium saltem confusum de statu Poenitentis, et ipsi congruam injungere Poenitentiam; Lugo *disput.* 16. *num.* 642. Aversa *quaest.* 10. *sect.* 20. La Croix *loc. cit. n.* 1218. Felix Potestas *loc. citat. num.* 3168. Cum Divo Th. Mastrio, Bonacina, Navarr. et aliis ibi citatis.

158 Praeceptum Confessionis tum Divinum, tum Ecclesiasticum obligat omnes Fideles peccato mortali obnoxios, adeoque etiam Haereticos, et pueros doli capaces: *Communis.*

159 Praeceptum Divinum Confessionis obligat per se potissimum in articulo mortis, ac quolibet ejus morali periculo, idest quando quis infirmus est infirmitate mortali, vel est adjudicatus morti, vel ingreditur periculosum mortale bellum, aut periculosam navigationem; seu quando mulier tenera est proxime paritura, vel alias est jam experta habere partus difficiles, et periculosos, et hujusmodi: *Communis.* Et ratio est, quia non est assignabile aliud tempus, in quo hoc Divinum praeceptum potius obliget, quam in mortis articulo, seu periculo, a quo pendet nostra aeterna salus, propter quam Sacramentalis Confessio instituta est, et praecepta, juxta Concil. Trident. *sess.* 24. *Canon.* 6. ibi: « Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse Jure Divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit »: Tum quia nisi tunc saltem homo peccato mortali obnoxius confiteatur, nunquam implebitur praeceptum, aut certe homo exponet se periculo certo, vel probabili nunquam implendi hoc Divinum praeceptum, cum, secuta morte, amplius adimpleri non possit, adeoque etc.

160 Per accidens autem praeceptum Divinum de habenda Confessione Sacramentali obligat, quando sumendum est aliud Sacramentum respectu eorum, qui sibi conscii sunt peccati mortalis, et praesertim quoties sumendum est Sacramentum Eucharistiae, juxta illud Apostoli 1. *Ad Corinth. cap.* 11. ibi: *Probet autem se ipsum homo, et sic de Pane illo edat, et de calice bibat.* Unde quandoque etiam per vitae decursum, atque extra articulum, et periculum mortis obligare Divinum praeceptum Confessionis Sacramentalis colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. ubi sic habet: « Unde cum a Sanctissimis, et Antiquissimis Patribus magno, unanimique consensu secreta Confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia Sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a Divino mandato alienam, inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse dicere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christifideles confiterentur, quod Jure Divino necessarium, et institutum esse intellexerat. Sed ut praeceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus, et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur ». Ex quibus verbis clare colligitur, quod Ecclesia semper intellexerit, Praeceptum Confessionis, quandoque extra mortis articulum, et periculum obligare Jure Divino, et cum tempus illud non fuerit praecise, et expresse determinatum a Christo Domino, illud designavit Ecclesia, statuendo, « quod omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti ». Sic expresse *in cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Poenitentiis, et remissionibus.* Sic Mastrius *Theolog. Moral. disput.* 21. *quaest.* 8. *art.* 1. *num.* 160. cum pluribus ibi citatis, Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 10. *dist.* 3. *quaest.* 1. *num.* 11. *et* 12. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 2023. et alii passim.

Praeceptum Confessionis Ecclesiasticum obligat omnes Fideles, etiam Haereticos, et pueros doli capaces ad semel saltem in anno confitenda omnia peccata sua mortalia: *Communis*, et habetur expresse ex Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. celebrato, et relato *in cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Poenitentiis, et remissionibus*, ibi: « Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, et injunctam sibi Poenitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum ». Et definivit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *Canon.* 8. ibi: « Si quis dixerit, Confessionem peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes, et singulos utriusque sexus Christifideles juxta magni Concilii Lateranensis Constitutionem semel in anno, et ob id suadendum esse Christifidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimae, anathema sit ». 161

Dicitur notanter in conclusione, *omnia peccata sua mortalia*, quia nullum datur praeceptum, ne Ecclesiasticum quidem, obligans omnes Fideles ad Confessionem peccatorum venialium: *Communis* cum Sporer *loc. cit. num.* 371. contra aliquos antiquos, et habetur clare ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. ibi: « Venialia, quibus a Dei gratia non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte, et utiliter, citraque omnem prae- 162

sumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt ». Quamvis autem non habentes ullum peccatum mortale nullo praecepto obligentur per se ad Confessionem annuam venialium, tamen, quia qui sub praetextu carentiae peccati mortalis, omitterent penitus Confessionem, non leve praeberent fundamentum sinistrae suspicionis, censetur per accidens ad ipsam obligari ratione scandali, quod semper fere timendum esset: Sic Escobar, et alii apud Sporer *loc. cit. num.* 527, Eo vel maxime, quod, S. Bonaventura, Abulensis, Richardus, Nugnus, Rhod. aliique apud Avers. *quaest.* 15. *sect.* 3. dicunt, habentes tantum venialia nihilominus obligari ad Confessionem annuam, quia Ecclesia absolute praecipit Confessionem, adeoque, si non habeant mortalia, tenebuntur ad confitenda venialia, quam sententiam vocat probabilem Gobat in *Experient. tract.* 4. *n.* 340.
163

' Huc pertinent, quae habet S. Thomas in lib. IV. sent. dist. XVII. quaest. III. art. 1. questiunc. 3. ad 3. scribens: « Dicendum, quod ex vi sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, » sed ex institutione Ecclesiae, quando non habet » alia, quae confiteatur. Vel potest dici secundum » quosdam, quod ex Decretali praedicta non obligantur, nisi illi, qui habeat peccata mortalia, » quod patet ex hoc, quod dicit, quod debent » omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non potest, quia nullus omnia confiteri » potest: et secundum hoc etiam ille, qui non habet mortalia, non teneretur ad confessionem venialium, sed sufficit ad praeceptum Ecclesiae » implendum, ut se Sacerdoti repraesentet, et se » ostendat absque conscientia mortalis esse, et » hoc ei pro confessione reputatur » '.

164 Qui pluries in anno confessus est peccata sola venialia, si die ultima anni peccet mortaliter, vel recordetur peccati mortalis non confessi, tenetur illa ultima die confiteri ad satisfaciendum praecepto, cui necdum satisfecit, cum Confessio venialium non sit materia praecepti: Vasquez, Reginaldus, Layman, Bonacina, Lugo, Arriaga, Aversa, Castropalaus, cum la Croix l. 6. *part* 2. *d* 2040.
165 et alii passim contra paucos. Qui tamen mortale peccatum anno praecedente commissum, et per oblivionem omissum, hoc anno confessus est, satisfecit praecepto, quia licet tale peccatum remissum esset indirecte, adhuc tamen erat materia necessaria hujus Confessionis, ut remitteretur directe: La Croix *loc. cit. num.* 2041. et alii pas-
166 sim. Qui per annum saltem semel confessus est mortale dubium cum venialibus, satisfecit praecepto, nec tenetur iterum confiteri, quamvis postea incidat in mortale certum, quia erat obligatio confitendi illud peccatum dubium, adeoque posuit materiam praecepti, Lugo *disp.* 15. *num.* 169. Dicastill. *dist.* 7. *num.* 135. La Croix *loc. cit.* et alii passim.

Annus pro implendo hoc praecepto, secundum Vasquez, Nugnum, Silv. Castrop. Lug. Rhod. Dicastill. Gorm. Bosc. et alios cum Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 81. computandus est a die prima Januarii usque ad ultimam Decemb. quia nomine anni per praeceptum expressi in communi acceptione intelligitur illud tempus, quod a prima die Januarii decurrit usque ad ultimam diem Decembris; Secundum autem Sotum, Navarrum, Suarez, Coninch, Layman, Fagundez, Bonacinam, Arriag. Avers. Tannerum, et alios, computandus est a Paschate ad alterum Pascha, ita ut, qui post Paschalem hanc Confessionem in peccatum mortale lapsus est, ejus Confessionem usque ad sequens Pascha differre possit, et non amplius, citra peccatum mortale. Et haec opinio est communior, et Ecclesiasticae consuetudini conformior, ut recte notant Suarez *disp.* 36. *sect.* 3. Coninch *disp.* 5. *dub.* 6. Tannerus *disp.* 6 *q.* 7. Layman *cap.* 5. *n.* 8. Sporer *loc. cit. n.* 534. et alii. Et de facto id confirmat praxis Ecclesiae, siquidem eo solo tempore Pastores a Fidelibus suis Confessionem peccatorum intra annum commissorum exigere solent; *arg. Extravagant. Vices illius de Tregua, et pace*, ubi dicitur, *De Jure* (idest *cap. omnis utriusque* 12. *de Poenitentiis, et remissionibus*) *tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti.* 167

Praeceptum annuae Confessionis potest per se adimpleri in quocumque anni tempore, nec obligat per se tempore Paschali, sed solum per accidens, ratione Communionis Paschalis, quam Confessio peccatorum mortalium necessario praecedere debet: *Sic communior, et probabilior sententia* cum Soto, Victor. Henriq. Sa, Vasquez, Valentia, Coninch, Bonacina, Layman, Filliuc. Castropal. Lug. Dicastill. Arriag. Tamburin. Bosc. Gorm. citatis, et secutis a La Croix *loc. cit. nu.* 2042. Sporer *loc. cit. nu.* 535. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *Theol. moral. tract.* 10. *dist.* 3. *quaest.* 2. *nu.* 15 *et* 16. et alii passim contra P. Sot. Suarez, Fagund. et alios; Et ratio est; quia Concilium Lateranense *in cit. cap. Omnis utriusque sexus* aliter statuit de annua Confessione, et aliter de Sacra Communione: De Sacra enim Communione statuit, quod ad minus in Pascha suscipiatur: *suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum;* De annua Confessione vero, quod saltem semel in anno habeatur: « Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur »: Quae verba nisi ad alienum sensum torqueantur, satis clare significant tempus praecepti pro Confessione esse totum annum, ut recte intelligunt La Croix *loc. cit.* Reiffenstuel *loc. cit.* aliique sopracitati. 168

Nec obstat communis consuetudo confitendi in Paschate, et quod tunc Pastores soleant a suis fidelibus Parochianis exigere testimonium Confessionis, et quod *in cit. Extravagant. Vices illius*, 169

de Tregua, et pace, dicatur quod *de Jure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti*, quia legenti contextum patet, mentem Pontificis fuisse tantum dicere, quod saltem semel in anno debeat Parochianus recognoscere Parochum, quod si alias non fecerit, debeat in Paschate de quo ideo specialiter meminit, quia tunc solent omnes confiteri, et qui est in mortali, per accidens tenetur ratione Communionis, cujus digpae perceptioni, habita copia Confessarii, praemittenda est Confessio Sacramentalis, nec sufficit sola Contritio de commisso peccato mortali, prout declaravit Concilium Trident. *sess.* 13. *cap.* 7.

170 Unde si quis sive culpabiliter, sive ob legitimum impedimentum in Paschate non est confessus, is tenetur postea per anni decursum confiteri, quia hoc praeceptum urget toto anno. Sic Doctores citati.
171 Qui toto anno non confitetur sine justa causa, peccat mortaliter, quia transgreditur praece-
172 ptum in re gravissima: *Communis*. Insuper qui culpabiliter non confitetur semel in anno, vivens interdicitur ingressu Ecclesiae, et moriens privatur Ecclesiastica sepultura, *cit. cap. Omnis utrius-*
173 *que sexus* 12. *de Poenitentiis, et remissionibus*. Ipse tamen non adimplens praeceptum annuae Confessionis non est ipso Jure interdictus, sed interdicendus. Unde, si ante declarationem moriatur, non est privandus Ecclesiastica sepultura, nisi tamen intermissio esset notoria, vel adesset statutum Synodale in contrarium. Vide verb. *Eucharistia num.* 24. *et verb. Paschâ num.* 19. *et* 20.

174 Qui sive justa, sive injusta de causa Confessionem annuam omisit, tenetur postea confiteri, cum primum commode poterit: Sic Sporer *loc. cit. num.* 536. ubi dicit esse hanc communiorem, et sibi omnino veram sententiam cum Navarro, Suar. Coninch. Layman Gobat. ut aliis, quam ut probabiliorem defendit etiam La Croix *lib.* 6. *p.* 2. *num.* 2046. cum plurimis ibi citatis contra S. Antoninum, Silvestrum, et alios non paucos. Vide verb. Pascha *num.* 21. *et* 22.

175 Quo quis diutius differt Confessionem ultra annum, probabilius est eo gravius peccare, quia longius recedit ab intentione praecepti jubentis Confessionem fieri saltem semel quolibet anno; Dilationem tamen illam esse unicum peccatum continuatum, tenent Valentia, Coninch. Nugnus, Laym. Diana, Silvest. et alii cum Aversa apud La Croix *loc. cit. num.* 2044. Sporer *loc. cit. num.* 536. et plures alii contra Bonacinam, Vasq. Suarez, ut alios volentes, talem peccare toties mortaliter, quoties occasionem commodam confitendi oblatam negligit.

176 Qui pluribus annis jam elapsis non est confessus, confitendo prima, vel secunda die, vel alia hujus currentis anni, valet haec sua unica Confessio, tam pro hoc anno, quam pro omnibus annis praeteritis, quia per unicam hanc Confessionem obtinet finem praecepti, qui est reconciliatio cum Deo per Confessionem omnium mortalium eousque commissorum: La Croix *loc. cit. num.* 2047. cum Aversa, Bosco, Gorm. ibi citatis, Sporer *loc. cit. num.* 533. Lugo *disput.* 15. *num.* 180 et alii. Si autem adhuc ante finem hujus anni re- 177
laberetur in mortale, probabilius obligaretur ad iterum confitendum hoc anno, quia priori Confessione censetur satisfecisse obligationi praecedentis anni, cujus obligatio necdum erat sublata; adeoque, si iterum peccaret mortaliter, cum nova adveniret obligatio per novum peccatum, iterum confiteri obligabitur; La Croix *loc. citat. numer.* 2047. cum Suarez, Nugn. Coninch, Hurtad. Filliuc. Bonacina, Laym. Aversa ibi citatis, Sporer *loc. cit. num.* 536. ubi cum Coninch, et Layman omnino certam putat hanc sententiam, quidquid negent alii.

Praecepto Ecclesiastico annuae Confessionis non 178
satisfit per Confessionem voluntarie nullam, et scienter invalidam, et sacrilegam. Unde Alexander VIII. die 24. Septebr. 1665. inter alias merito damnavit sequentem propositionem 14. in ordine, ibi: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam satisfacit praecepto Ecclesiae.*

Praecepto annuae Confessionis potest satisfieri 179
confitendo, tum proprio Parocho, tum aliis Confessariis, legitime approbatis, sive saecularibus, sive regularibus: *Communis*. Quamvis enim esset olim obligatio confitendi proprio Parocho, ex quo Concilium Lateranense relat. *in cap. Omnis utriusque sexus* dicat, *Confiteatur proprio Sacerdoti*, tamen nunc certo satisfaciunt, qui confitentur Regularibus legitime approbatis, ut patet ex Bulla 22. Leonis X. incip. *Dum intra mentis arcana* §. 6. Bulla 48. Pauli III. incip. *Licet debitum*; Item ex Extravag. Joan. XXII. incip. *Vas electionis*, *de Haereticis*, item ex Extravag. Bened. XI. incip. *Inter cunctas, de privilegiis*, Item ex Constitutione Clementis VII. incip. *Significatum fuit nobis* cum similibus. Unde Alexander VIII. *die* 21. *Augusti* 1690. merito damnavit sequentem propositionem 20. in ordine, ibi: *Confessiones apud Religiosos factae, pleraeque, vel sacrilegae sunt, vel invalidae*. Non sufficit tamen 180
Confessio facta Regulari, qui pro approbatione se praesentavit Episcopo, et fuit injuste reprobatus, ut expresse habetur ex sequenti propositione 13. in ordine, inter merito damnatas ab Alexander. VII. *die* 24. *Septembr.* 1665. ibi: *Satisfacit praecepto annuae Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.*

Alia. Vide Verb. *Absolutio*, verb. *Approbatio*, 181
verb. *Confessarius*, verb. *Sigillum*.

* Moriturum, qui, antequam incidat subitus 182
aegritudinis gravis casus, signa contritionis exhibuit, et postquam supervenit Confessarius nullo signo hanc voluntatem ostendit, adhuc tamen absolvi posse multo verior, et tuta est opinio. Neque hic locum habet controversia, num absolutio conferenda sit sub conditione, an absolute; haec enim

tantum valet in casu, quo moriturus dubia prorsus, et ambigua contritionis signa praebuit. *De Synodo Dioec, lib. 7. cap. 15. §. 8. nov. edit.*

183 Si vero ex nullo testimonio constet, illum ante casum mortalis illius morbi signa doloris exhibuisse, et petiisse Confessionem, adhuc tamen multo verior est opinio contendentium, ut absolvatur sub conditione, dummodo moriturus christiane vixerit; nam acta Christianae vitae totidem sunt voces, quibus miser ille absolutionem sibi dari petierit, et contritionem exhibuerit; et nisi sint praesentes actus poenitentis, per vitam illam antea christiane actam praecessisse dicendi essent, et tunc pro praesentibus haberi, quemadmodum praesens censetur contritio ante subitum mortis casum praemissa. *De Synodo Dioeces. lib. 7. cap. 15. §. 10. nov. edit.*

Sunt etiam qui velint, neque iis negandam absolutionem sub conditione, qui licet male vixerint, 184
tamen Catholicam Fidem retinuerunt, et pro Catholicis se gesserunt, quorum tamen sententia nimis laxior videtur. *Ibid. §. 13.*

ARTICULUS III.

QUOAD EA, QUAE CONCERNUNT SATISFACTIONEM SACRAMENTALEM, SEU POENITENTIAM.

1. Satisfactio Sacramentalis quid sit? — 2. Effectus satisfactionis Sacramentalis est remissio poenae temporalis. — 3. An satisfactio Sacramentalis remittat totam poenam temporalem, ita ut nihil remaneat luendum in Purgatorio? Quidam tenent sententiam affirmativam. — 4. At contraria negativa tamquam probabilior, et communior defenditur. — 5. Unde dicendum est, quod per satisfactionem Sacramentalem eo major, vel minor poena remittitur, quo major, vel minor fuerit satisfactio, et quo majori, vel minori dispositione fuerit adimpleta. — 6. An satisfactio Sacramentalis, ut effectum suum sortiatur, debet necessario adimpleri a Poenitente in statu Gratiae; Tres sunt Doctorum sententiae, quae assignantur, et eligitur tertia docens, quod, durante statu peccati mortalis, satisfactio Sacramentalis non sortiatur suum effectum, bene vero sortiatur, ablato obice peccati mortalis, seu recuperato statu Gratiae. — 7. Probatur specialiter, quod, durante statu peccati mortalis, satisfactio Sacramentalis non sortiatur suum effectum. — 8. Item probatur specialiter, quod, ablato obice peccati mortalis, seu recuperato statu Gratiae, satisfactio Sacramentalis sortiatur suum effectum, et reviviscant opera mortua, et mortificata. — 9. Satisfactio, seu poenitentia Sacramentalis adimpleta, seu peracta in statu peccati mortalis sufficit ad integritatem Sacramenti, et ad implendum praeceptum Confessarii de persolvenda Poenitentia. — 10. Confessarius per se loquendo tenetur sub gravi injungere Poenitenti aliquam satisfactionem, seu Poenitentiam. — 11. Et quidem licet satisfactio in esse exhibito, seu in actuali executione posita, sit solum pars integralis Sacramenti Poenitentiae, satisfactio tamen in Voto, idest propositum saltem implicitum satisfaciendi, potest dici pars essentialis ipsius. — 12. Hinc Poenitens sub gravi obligatione ex genere suo mortali tenetur acceptare, et implere Poenitentiam rationabilem obligatorie impositam a Confessario, ita ut, qui nullam penitus acceptare vellet, non posset absolvi. — 13. Probatur conclusio ex Concilio Tridentino. — 14. Adducitur, et solvitur objectio ex Scoto. — 15. Potest tamen Poenitens ex aliqua rationabili caussa licite hanc, vel illam in particulari Poenitentiam respuere. — 16. Poenitens tenetur satisfactionem, seu Poenitentiam acceptatam adimplere, et quidem sub gravi peccato, si sit gravis, et pro gravibus peccatis; sub levi autem, si sit levis, pro peccatis venialibus, aut mortalibus jam antea confessis, et remissis. — 17. Poenitens tenetur adimplere Poenitentiam tempore, vel termino sibi a Confessario praefixo. — 18. Potest tamen termini dilatio facile excusari a mortali, et assignantur casus. — 19. Si terminus a Confessario praefixus non sit, tenetur Poenitens Poenitentiam implere quam primum commode moraliter potest. — 20. Unde quamvis sit leve peccatum ipsam adimpletionem poenitentiae differre ad duos, vel tres, aut quatuor, vel quinque dies, plus, minusve; Tamen grave peccatum erit, si nimium, et ad longum tempus differatur, praesertim si praevideatur impotentia, seu oblivio eam adimplendi, aut si poenitentia implenda ipsa dilatione minuatur. — 21. Poenitens potest adimplere poenitentiam, quando adimplet aliud opus praeceptum, modo poenitentia, et aliud opus se invicem non excludant. — 22. Poenitens satisfacit poenitentiae sibi injunctae, ita ut nihil repetere teneatur, si rem injunctam integre adimpleat, quamvis non intendet, immo nec cogitet tunc implere poenitentiam, et satisfacere suae obligationi. — 23. Poenitens tenetur per se ipsum poenitentiam adimplere, ita ut nec auctoritate propria, nec Confessarii possit eam adimplere per alium. — 24. Poenitens non tenetur adimplere poenitentiam ante absolutionem, aut Communionem. — 25. Quando poenitens, sive culpabiliter oblitus est poenitentiae sibi impositae, quando non recordatur, nec memorem Confessarium consulere potest, tunc cessat ejus obligatio illam adimplendi; non tenetur Confessionem repetere, ut aliam poenitentiam recipiat; Consultum tamen est in sequenti Confessione petere sibi imponi aliam congruam peccatis, quae confiteri solet. — 26. Poenitens invalide absolutus non tenetur adimplere poenitentiam. — 27. Poenitentiae injungendae debent esse aliquo modo proportionatae delictis, salutares, convenientes poenitentium dispositioni, facultati, et utilitati. — 28. Unde graviter peccant Confessarii, qui absque ulla justa caussa ex mera conniventia, affectu, vel respectu humano levissimas injungunt poenitentias pro gravibus peccatis; Et si tali conniventia ansam praebeat licentias peccandi, eorum peccatorum participes fiunt. — 29. In poenitentiis injungendis debent Confessarii prae oculis semper habere duos fines, qui assignantur. — 30. Confessarii dictos fines prae oculis habentes possunt quandoque etiam leviores poenitentias pro qualitate, dispositione, et aetate poenitentium imponere. — 31. Assignantur hic in specie praecipuae aliquae caussae, propter quas levior poenitentia, quam alioquin peccata mereantur, possit licite a Confessariis imponi. — 32. Opera pro poenitentia Sacramentali regulariter injungenda consistent generice *in jejunio, oratione, et eleemosyna*; et quae sub ipsis comprehenduntur? — 33. Pro satisfactione, seu Poenitentia Sacramentali potest nedum injungi opus bonum externum, sed interdum, considerato poenitentis statu, etiam opus bonum internum. — 34. Pro poenitentia imponi potest etiam opus aliunde praeceptum. — 35. Et tunc in illud cadet duplex obligatio, cujus utriusque circumstantia in casu omissionis erit in Confessione aperienda. — 36. Ordinarie tamen, cessante justa caussa, non sunt imponenda pro poenitentia opera aliunde jam praecepta, et debita, sed opera super erogatoria, et aliunde indebita. — 37. Potest Confessarius interdum, modica poenitentia imposita, etiam reliqua poenitentis opera, tam debita, quam libera determinato eli-

quo tempore facienda, auctoritate Clavium elevare, et imponere in poenitentiam Sacramentalem, Immo hoc quandoque valde expedit magnis peccatoribus. — 38. Potest pro poenitentia injungi Oratio, Eleemosyna, vel aliud opus bonum applicandum pro animabus Purgatorii — 39. Poenitentia regulariter imponenda est post audita peccata ante datam absolutionem. — 40. Caeterum potest etiam imponi poenitentia post datam absolutionem, non solum quando Confessarius est oblitus eam imponere ante, sed etiam aliquando ex studio, et voluntate. — 41. Poenitentiam sibi a Confessario impositam non potest poenitens commutare in aliud opus etiam evidenter melius. — 42. Poenitentia commutare potest non solum ille Confessarius, qui eam imposuit, sed etiam quicumque alius aequalem potestatem habens. — 43. Confessarius autem non habens potestatem in casus reservatos non potest commutare poenitentiam ab alio pro reservatis impositam; Alii autem probabiliter sustinent contrarium — 44. Commutatio Poenitentiae, si fiat ab eodem Confessario, qui illam imposuit, potest etiam fieri extra Confessionem; Dummodo duret adhuc Sacramentum moraliter, idest dummodo Confessarius adhuc habeat notitiam saltem confusam Confessionis, et status poenitentis. — 45. Si autem Confessarius oblitus esset omnino Confessionis, et nullam penitus retineret notitiam status poenitentis, non posset poenitentiam commutare, nisi repeteretur Confessio, seu saltem poenitens rememoraret in confuso sua peccata. Alii tamen probabiliter sustinent contrarium. — 46. Si commutatio poenitentiae fiat a Confessario diverso ab illo, qui illam imposuit, debet necessario fieri in Confessione. — 47. An ad hoc, ut posterior Confessarius possit in nova Confessione commutare poenitentiam prius ab alio impositam, necesse sit, quod ipsi repetantur, et explicentur illa peccata, ob quae prior Poenitentia fuit imposita? Multi tenent negativam sententiam. — 48. Affirmativa tamen sententia, quod nempe necesse sit repetere dicta praeterita peccata, est communior, probabilior, et tutior. — 49. Adducuntur Canones poenitentiales. — 50. Subnectitur hic poenitentia solita imponi ob violatam Immunitatem Ecclesiasticam, ad n. 73. — 74. Alia ad rem ad n. 77.

1 Satisfactio Sacramentalis est solutio, seu compensatio poenae temporalis debitae ob injuriam Deo illatam consistens in operibus bonis, et poenalibus a Confessario taxatis in Sacramento Poenitentiae. *Est in re Communis.*

2 Effectus satisfactionis Sacramentalis est remissio poenae temporalis, quia ipsa praeter generalem virtutem satisfactoriam cujuscumque boni operis in gratia facti ex opere operantis, habet virtutem specialem ex opere operato compensandi, et delendi partem poenae temporalis peccatis debitae, quam non haberet, si illud opus esset voluntarie assumptum, aut aliunde impositum. *Communis.* ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. *et* 8. *et Canon.* 12. 13. 14. *et* 15. Cum enim sit pars integralis Sacramenti a Christo specialiter instituta ad satisfactionem poenae, debet virtute Sacramentali habere aliquem effectum ex opere operato, quem alias non haberet.

3 An autem satisfactio Sacramentalis a Confessario imposita remittat totam poenam temporalem peccatis debitam, ita ut, satisfactione peracta, nihil amplius remaneat Poenitenti luendum in Purgatorio? Variant Doctores. Affirmativam sententiam tenent Major, Sotus, Medina, Hurtadus, et alii apud Mastrium *in Theol. moral. disp.* 21. *num.*
4 267. Oppositam negativam sententiam tamquam probabiliorem, et communiorem defendunt Suarez, Vasquez, Lugo, Bonacina, Aversa, Meratius, Valentia, Nugnus, Reginaldus, Caspensis, et ex Scotistis Aretinus, et alii passim citati, et secuti ab ipso Mastrio *loc. cit. numer.* 267. Et ratio hujus nostrae probabilioris, et communioris sententiae est, quia, admissa contraria sententia, sequeretur, quod quicumque decederet ex hac vita paulo post Confessionem, Poenitentia peracta, nullas omnino poenas luere deberet in Purgatorio, quod est alienum a communi sensu Ecclesiae; Sic enim negligerentur penitus Indulgentiae, et alia opera bona; Tum quia nullus Confessarius quantumvis prudens, et doctus certo scit, qua mensura puniantur peccata in Purgatorio, et quanta poena cuicumque peccato correspondeat, et qualis satisfactio Sacramentalis correspondeat tantae poenae Purgatorii, adeoque, ut recte argumentatur Mastrius *loc. cit.* non potest inferri, ut praetendunt adversarii, quod per satisfactionem a Confessario taxatam etiam prudenti judicio juxta peccatorum gravitatem, tollatur omnis poena peccato debita, ita ut Poenitenti, peracta satisfactione, nihil in Purgatorio luendum remaneat.

5 Unde dicendum est, quod per satisfactionem Sacramentalem non remittitur tota poena temporalis, sed eo major, vel minor poena remittitur, quo major, vel minor fuerit satisfactio, et quo majori, vel minori dispositione fuerit adimpleta: Sic Mastrius *loc. cit num.* 268. Henno *tom.* 2. *tract. de Poenitent. disp.* 6. *quaest.* 5. *conclus.* 3. Lugo *disput.* 25. *num.* 26. *et* 27. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1237. et alii. Et ratio primae partis est, quia, si parva satisfactio remittit ex opere operato aliquid poenae temporalis, quia virtute Clavium est ad id elevata, plus sine dubio remittet satisfactio major, cum sit etiam secundum se totam elevata. Ratio autem secundae partis est, quia, sicut idem Sacramentum cum majori dispositione susceptum plus de Gratia confert, ut expresse docet Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. ubi loquens de adultorum justificatione per Sacramenta, dicit, illos justitiam recipere *secundum propriam cujusque dispositionem, et cooperationem;* ita et haec pars Sacramenti plus de poena remittit, quando sit cum majori dispositione; et e contra minus remittit, quando sit, seu adimpletur cum minori dispositione; Est enim discurrendum de effectu satisfactionis Sacramentalis proportionate ad effectum Sacramentorum.

6 An vero satisfactio Sacramentalis, ut effectum

suum sortiatur, debeat necessario adimpleri a Poenitente in statu Gratiae, vel etiam sufficiat ad talem effectum, quamvis adimpleatur in statu peccati mortalis? Tres sunt Doctorum sententiae. Prima absolute negat, satisfactionem Sacramentalem in statu peccati adimpletam suum sortiri effectum, non solum pro eo tunc, sed nec etiam postea remoto obice peccati, et succedente statu Gratiae, et pro hac citantur D. Thom. Richardus, Capreolus, Adrianus, Valentia, Ledesma, Hurtadus, et alii quamplures apud Mastrium *loc. cit. num.* 276 et apud La Croix *lib.* 6. *par.* 2. *num.* 1245. Secunda absolute affirmat, satisfactionem Sacramentalem in statu peccati mortalis adimpletam etiam tunc suum sortiri effectum, remittendo scilicet poenam illi proportionatam, non obstante tali statu peccati mortalis, in quo adimpletur. Sic Scotus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. *num.* 26. quem secuti sunt, non solum Scotistae omnes, tam veteres, quam recentiores, sed etiam Gabriel, Marsilius, Medina, Navarrus, Vasquez, Diana, Amicus, et alii quamplures apud Mastr. *loc. cit. num.* 276. *et seq.* ubi hanc late propugnat, et apud La Croix *loc. cit.* Tertia, media via procedens, negat quidem satisfactionem Sacramentalem in statu peccati mortalis adimpletam sortiri suum effectum, nempe remissionem poenae pro tunc, scilicet statu peccati mortalis; At vero affirmat, talem suum effectum sortiri postea, ablato obice peccati mortalis, seu recuperato statu Gratiae: Sic Cajetanus, Petrus Soto, Henriquez, Suarez, Coninchius, Lugo, Aversa, et alii recentiores apud Mastrium *loc. cit. num.* 276. Layman, *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 15. *num.* 15. cum aliis ibi citatis, Rosignolus *de Poenitentia part.* 1. *quaest.* 5. *art.* 11. *num.* 7. *et* 9. cum aliis ibi citatis, Viva *ad prop.* 18. *Alexand. VIII. num.* 14. et alii plures, et ex Scotistis Sporer *tom.* 3. *part.* 3. *cap.* 4. *quaest.* 1. *num.* 140. *et seq.* Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *num.* 3190. *et sequent.* Et haec opinio videtur jam communior, et probabilior.

7 Unde probatur specialiter, quod, durante statu peccati mortalis, satisfactio Sacramentalis non sortiatur suum effectum, quia effectus primarius satisfactionis Sacramentalis est remissio poenae temporalis; sed existens in peccato mortali pro eo tempore, quo in eodem existit, non potest mereri talem remissionem, ergo etc. Major est certa. Probatur minor, quia, qui dignus est poena aeterna, non est dignus, ut obtineat remissionem poenae temporalis, cum non possit remitti temporalis, nisi, prius remissa culpa mortali, poena aeterna ipsi debita commutata sit in poenam temporalem, et sic sola ipsa poena temporalis luenda supersit, adeoque etc. Tum quia remissio poenae temporalis est effectus secundarius Sacramenti, ideoque pendere videtur a permanentia effectus principalis, ac primarii, qui est remissio culpae mortalis per infusionem Gratiae sanctificantis.

Item probatur specialiter, quod, ablato obice 8
peccati mortalis, seu recuperato statu Gratiae, satisfactio Sacramentalis sortiatur suum effectum, quia satisfactio injuncta a Confessario virtute Clavium, ut definitur a Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 3. est pars Sacramenti Poenitentiae, et confert ad perfectam peccatorum remissionem in ordine ad poenam temporalem pro eisdem debitam; sed Sacramenta, quae suum producunt effectum ex opere operato, si illud non obtinent, extante obice, obtinent postea, eodem obice ablato, et remoto: ergo hoc idem dicendum est de satisfactione Sacramentali, quae ut pars Sacramenti operatur virtute Clavium, et ex opere operato, adeoque licet satisfactio Sacramentalis adimpleta in statu peccati mortalis non potuerit pro tunc sortiri suum effectum, stante obice peccati mortalis; ipsum tamen suum effectum sortietur, recedente, seu remoto obice dicti peccati mortalis; alias non causaret dictam remissionem poenae temporalis ex opere operato. Ex occasione autem num. 7. et 8. non omittendum, bona opera ratione peccati lethalis alia esse mortua, et alia mortificata. Prima sunt, quae fiunt in peccato mortali, quod est mors animae; unde dicuntur nasci mortua, et reviviscere impossibilia. Secunda sunt, quae facta fuerunt in gratia, quae est vita animae; iis tamen accessit peccatum mortale, ob quod rationem meriti ad vitam deperdunt aeternam, utpote tamen nata viva, recedente lethali, reviviscunt: Hinc prodiere versus:

Illa reviviscunt, quae mortificata fuere.
Vivere non possunt, quae mortua nata fuere.

Bona autem opera mortua, licet non prosint ad vitam aeternam, nec per poenitentiam reviviscant, juvant tamen ad alia, juxta versus Glossae *cap. quod quidam* 5. *de Poenitentiis, et remiss. verb.*

Quae cum mortali bona fiunt, dant bona terrae.
Cor faciunt humile, et minuunt tormenta gehennae.

Satisfactio, seu Poenitentia Sacramentalis adimpleta, seu peracta in statu peccati mortalis sufficit ad integritatem Sacramenti, et ad implendum praeceptum Confessarii de persolvenda Poenitentia: *Communis.* Et ratio est, quia Confessarius praecipit opus, et non modum, et ipse Poenitens illud implet quo ad substantiam, cum ponat totum opus praeceptum: Tum quia talis est communis sensus, et praxis Fidelium, qui nec solent Poenitentias in statu peccati peractas repetere, nec a Confessariis obligari ad ipsas repetendas. 9

Confessarius per se loquendo tenetur sub gravi 10
injungere Poenitenti aliquam satisfactionem, seu Poenitentiam: *Communis*, et patet ex verbis praeceptivis Concilii Tridentini *sess.* 11. *cap.* 8. ibi: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum*,

et Poenitentium facultate salutares, et convenientes satisfactiones injungere. Unde idem Concilium *cit. sess.* 14. *cap.* 3. *et Canon.* 4. enumerat satisfactionem inter partes Sacramenti Poenitentiae.

11 Et quidem, licet satisfactio in esse exhibito, seu in actuali executione posita, sit solum pars integralis Sacramenti Poenitentiae; satisfactio tamen in voto, idest propositum saltem implicitum satisfaciendi, potest dici pars essentialis ipsius se tenens ex parte materiae proximae, in quantum, hoc sublato, (idest si Poenitens tale propositum saltem implicitum non haberet, sed contrariam voluntatem) non conficeretur Sacramentum, cum qui contritus, vel attritus confitetur, debeat habere etiam votum, et propositum satisfaciendi, idest solvendi poenam post absolutionem remanentem: nam si peccator tale propositum saltem implicitum non haberet, sed potius voluntatem contrariam, Sacramentum non conficeretur: Scotus *in* 4. *dist.* 16. *quaest.* 1. *litt. E*, Mastrius *in Theolog. Moral. disp.* 21. *quaest.* 11. *art.* 1. *num.* 264. *et in* 4. *disp.* 5. *num.* 569. cum aliis, Felix Potestas *t.* 1. *par.* 4. *num.* 3180. et alii.

12 Hinc Poenitens sub gravi obligatione ex genere suo mortali tenetur acceptare, et implere Poenitentiam rationabilem obligatorie impositam a Confessario, ita ut, qui nullam penitus acceptare vellet, non posset absolvi, quia non esset dispositus, nec verum dolorem haberet: *Sic Communissima Doctorum sententia omnino vera, Conciliis conformis, et in praxi omnimode tenenda:* teste Sporer *loc. cit. num.* 547. contra Medinam, Sotum, Cajetanum, Silvestrum, Armillam, Navarrum, et paucos alios.

13 Probatur nostra Conclusio ex Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. ubi ex verbis Christi *Matth.* 18. *Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in Coelis: et Joannis* 20. *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt;* concludit in Confessariis esse potestatem ligandi, non tantum ad infirmitatis medicamentum, sed etiam ad peccati commissi vindictam, ac satisfactionem, ibi: *Habeant prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam in praeteritorum peccatorum vindictam, et castigationem; Nam claves Sacerdotum, non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas antiqui Patres, et credunt, et docent:* Ex quibus verbis clare patet, non posse Poenitentes rationabilem Poenitentiam respuere, cum in Judice potestas imponendi supponat in reo obligationem acceptandi. Unde haec veritas temerarie jam negaretur, inquit Saurez; Immo Victoria, et quidam alii volunt esse de Fide, ob cit. Concil. Triden. textum, ut notat Henno *tom.* 2. *tract. de Poenitentia disp.* 6. *quaest.* 2. *concl.* 1.

14 Nec valet objicere, quod etiam Scotus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. §. *De secundo principali, et dist.* 19. §. *Ad quaestionem, litt. D.* uti a pluribus etiam Scotistis intelligitur, et citatur, teneat, Poenitentem posse Poenitentiam non acceptare, et absolvi, si dicat velle poenam solvere in Purgatorio. Non valet, quia Scotus tantum vult absolvendum esse ex caritate Poenitentem, qui ex nimia animi fragilitate respueret omnem Poenitentiam peccatis condignam, si aliunde esset dispositus, ubi non vult *omnem Poenitentiam simpliciter*, sed *omnem Poenitentiam condignam*, ut satis explicat *in Reportat. Col. dist.* 19. *q.* 1. *num.* 14. Indicans, quod alibi loqueretur de eo, qui nollet recipere Poenitentiam *ullam, de quacumque imposita, quae esset condigna*, ut expresse notant Henno *loc. cit. conc.* 1. et Herincx *disp.* 4. *de satisfact. num.* 15. Sanning *dist.* 12. *quaest.* 2. *num.* 10. *et* 11. Reiffenstuel *tract.* 14. *distinct.* 10. *quaest.* 1. *nu.* 12. et alii; Tum quia, ut recte observat Mastrius *in Theolog. moral. disp.* 21. *qu.* 11. *art.* 3. *num.* 282. certum est, etiam de mente Scoti, simpliciter, et absolute loquendo, Poenitentem obligari ad acceptandam, et implendam Poenitentiam sibi rationabiliter a Confessario impositam; nec posse licite illam respuere; et satisfactionem in Purgatorio implendam reservare, quia *cit. dist.* 19. Scotus dicit Poenitentem teneri Poenitentiam acceptatam adimplere sub poena peccati; quae obligatio nulla esset, nisi potestas ligandi obligationem induceret, in qua potestate fundatur haec obligatio ex parte poenitentis, non autem in sola ipsius acceptatione, ut innuit Scotus illis verbis: *Tunc enim obligatur praecepto Ecclesiae, cui se voluntarie submisit:* quibus verbis significat, hanc obligationem oriri ex impositione ipsa, et jussione Confessarii, ne dicatur potestas Confessarii coarctata, et subjecta ad consensum ipsius Poenitentis, ut solum possit obligare, quando alter vult obligari. Haec Mastrius *loc. cit. num.* 282.

Potest tamen Poenitens ex aliqua rationabili causa, v. g. quia ipse commode secundum suum statum, et conditionem peragere nequit, licite hanc, vel illam in particulari Poenitentiam respuere, veluti sibi non convenientem, ac rogare Confessarium, ut aliam mitiorem, sibique convenientiorem imponat, ut docet Scotus *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 1. *litt. M.* et communis Doctorum, quia ex Tridentino *cit. sess.* 14. *cap.* 8. Poenitentiae a Confessario injungendae debent esse salutares, et convenientes statui, seu facultati Poenitentium, ibi: *Pro qualitate criminum, et Poenitentium facultate, salutares, et convenientes Poenitentias injungere.* 15

Poenitens tenetur satisfactionem, seu Poenitentiam acceptatam adimplere, et quidem sub gravi peccato, si sit gravis, et pro gravibus peccatis, sub levi autem, si sit levis, et pro peccatis venialibus, aut mortalibus jam antea confessis, et remissis: *Communis.* Et quidem prima pars de gravi obligatione eam adimplendi, si Poenitentia sit gravis, et pro gravibus peccatis imposita, patet *ex cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Poeni-* 16

tentis, *et remissionibus*, ubi cuilibet Poenitenti praecipitur, quod injunctam sibi Poenitentiam propriis viribus studeat adimplere. Et ratio est, quia cum Poenitentia gravis sit quid notabile, tum ex parte materiae, tum ex radice impositionis, quae sunt gravia peccata, tum etiam ex parte Confessarii imponentis, qui censetur velle obligationem proportionare materiae, stat certum, quod Poenitens ad eam graviter obligatur: Secunda autem pars de levi obligatione eam adimpiendi, si Poenitentia sit levis, et pro peccatis venialibus, aut mortalibus jam antea confessis, et remissis imposita, de se patet, quia cum Poenitentia ex omni assignato capite sit levis, non est unde graviter obliget, cum etiam hic levitas materiae excuset a mortali.

* Vide Appendicem n. 60. Quae pariter proximis numeris traduntur, ad probatiorum Theologorum dogmata exigi omnino debent. *

17 Poenitens tenetur implere Poenitentiam tempore, vel termino sibi a Confessario praefixo, et
18 determinato: *Communis.* Potest tamen talis termini dilatio facile excusari a mortali, quia plerumque praeceptum Confessarii cadit magis in rem ipsam praestandam, quam in tempus praefixum, et determinatum: Hinc Doctores recte a mortali excusant eum, qui jussus a Confessario jejunare hac die Veneris, v. gr. differt in diem Veneris sequentem; Item si jussus communicare singulis mensibus mense finito, differt ad sex, vel octo dies, praesertim ex causa, quamvis levi: Diana *par.* 9. *tract.* 7. *resol.* 57. Sporer *loc. cit. nu.* 577. et alii passim.

19 Si terminus a Confessario praefixus non sit, tenetur Poenitens Poenitentiam implere quam primum commodo moraliter potest. *Communis*, quia cum adimpletio, seu executio Poenitentiae sit pars integralis, non potest sine justa causa diutius dif-
20 ferri; Unde quamvis sit leve peccatum ipsam adimpletionem Poenitentiae differre ad duos, vel tres, aut quatuor, vel quinque dies plus minusve, tamen peccatum grave erit, si nimium, et ad longum tempus differatur, praesertim si praevideatur impotentia, seu oblivio eam adimplendi, aut si Poenitentia impienda ipsa dilatione minuatur, uti esset, si alicui essent pro Poenitentia impositae certae quotidianae perpetuae preces, ut quinque Pater, Corona, Rosarium, et hujusmodi; Tunc enim ad octiduum sine justa causa a mortali excusant plerique apud Spor. *loc. cit. num.* 578. ubi addit, quod Ipse aliquid amplius concederet, reprobatque Dianam dicentem *loc. cit.* Poenitentiam sine mortali differri posse usque ad annum, quod tamen ultra Dianam tenent etiam Leander, Escobar, Henriq. Fernand. et alii apud Felicem Potest. *loc. cit. num.* 3188.

21 Poenitens potest adimplere Poenitentiam, quando adimplet aliud opus praeceptum, modo Poenitentia, et aliud opus se invicem non excludant, Unde dum quis v. gr. audit Missam de praecepto, potest recitare certas preces sibi pro Poenitentia injunctas, quia haec invicem se non excludunt, cum dictae preces, seu Rosarium, vel Officium etiam libere, et non pro Poenitentia recte recitentur, dum auditur Missa de praecepto: *Communis* ex universali praxi Fidelium.

Poenitens satisfacit Poenitentiae sibi injunctae, 22
ita ut nihil repetere teneatur, si rem injunctam integre adimpleat, quamvis non intendat, immo nec cogitet tunc implere Poenitentiam, et satisfacere suae obligationi; Sporer *loc. cit. num.* 180. cum aliis ibi citatis. Vide verb. *Officium Divinum art.* 2. *num.* 17. *et seq.*

Poenitens tenetur per seipsum Poenitentiam im- 23
plere, ita ut nec auctoritate propria, nec Confessarii possit eam implere per alium, Mastrius in *Theol. moral. dis.* 21. *n.* 387. et apud ipsum Vasquez, Coninch, Lugo, Amicus, Aversa, Bonac. et alii passim. Et quidem, quod propria auctoritate id facere nequeat, habetur ex propositione 16. inter merito damnatas ab Alex. VIII. *die* 24. *Septembris* 1665. ibi: *Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius Poenitentiam adimpleat.* Quod autem neque id facere possit auctoritate Confessarii, colligitur clare ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 3. ubi pro materia proxima hujus Sacramenti statuuntur tres actus, *Contritio, Confessio, et Satisfactio* Poenitentis solum, et non alterius, ibi: « Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius Poenitentis actus, nempe Contritio, Confessio, et Satisfactio; qui quatenus in Poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Poenitentiae partes dicuntur ».

Poenitens non tenetur adimplere Poenitentiam 24
ante absolutionem, aut communionem: *Communis.* Unde merito Alexander VIII. *die* 4. *Decembris* 1690. damnavit inter alias propositionem 16, in ordine, ibi: « Ordinem praemittendi Satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi Lex, et praescriptio natura rei idipsum quodammodo dictante ». Item damnavit propositionem 17. in ordine, ibi: *Per illam praxim mox absolvendi ordo Poenitentiae est inversus.* Item damnavit propositionem 22. in ordine, ibi: « Sacrilegi sunt judicandi, qui Jus ad Communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis Poenitentiam egerint ».

Quando Poenitens sive inculpabiliter, sive cul- 25
pabiliter oblitus est Poenitentiae sibi impositae, quamdiu non recordatur, nec memorem Confessarium consulere potest, tunc cessat ejus obligatio illam adimplendi, nec tenetur Confessionem repetere, ut aliam Poenitentiam recipiat. Unde si culpabiliter oblitus sit, v. g. ob voluntariam nimiam dilationem in ipsa adimplenda, satis erit confiteri dictam culpabilem oblivionem, ut contra Richardum, Silvestrum, et quosdam alios docent Palu-

dan. *in* 4. *d.* 17. *q.* 5. *art.* 3. *in fine*, Cajetanus verb. *Confessio iteranda, verb. Ex parte satisfactionis*, Coninc. *disp.* 10. *dub.* 6. *n.* 86. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *c.* 15. *nu.* 17. *verb. Sed quid?* Vasquez, Lugo, et alii communiter cum Sporer *loc. cit. num.* 552. Et ratio est, quia praeceptum Confessarii non plus obligat, quam aliae leges, et praecepta, quae dum ignorantur, obligare nequeunt; Merito tamen consulunt citati Doctores expedire, ut Poenitens, qui sive inculpabiliter, sive culpabiliter, oblitus est Poenitentiae, in sequenti Confessione petat sibi imponi aliam congruam peccatis, quae confiteri solet. Longe enim melius est satisfacere in hac vita, quam in alia *. Vide Appendicem citatam n. 63 *.

26 Poenitens invalide absolutus non tenetur Poenitentiam adimplere, quia tenetur postea Confessionem repetere, et inde novam Poenitentiam peragere.

27 Poenitentiae injungendae debent esse aliquo modo proportionatae delictis, salutares, et convenientes Poenitentium dispositioni, facultati, et utilitati: *Communis* ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 8. ibi: « Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et Poenitentium facultate, salutares, et convenientes Poenitentias injungere ».

28 Unde graviter peccant Confessarii, qui absque ulla justa caussa ex mera conniventia, affectu, vel respectu humano levissimas, seu nimis leves injungunt Poenitentias pro gravibus peccatis, v. g. pro peccatis carnalibus aliquot Pater, et Ave; Et si tali conniventia ansam praebeant licentius peccandi, eorum peccatorum participes fiunt, ut expresse habetur ex Tridentino *loc. cit.* ubi sic praecise prosequitur: « Ne si forte indulgentius cum Poenitentibus egerint, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis imponendo, alienorum peccatorum participes efficiantur ».

29 In Poenitentiis injungendis hos duos fines prae oculis semper habere debent Confessarii; primo nempe ut, quantum fieri potest, Poenitentia injuncta sit ad aliquam saltem castigationem, et vindictam peccatorum, et secundo, ut aliquo modo conducat ad novae vitae custodiam, et infirmitatis contra relapsos medicamentum, ut expresse praescribit Tridentinum *loc. cit.* his verbis: « Habeant prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam in praeteritorum peccatorum vindictam, et castigationem ».

30 Confessarii dictos duos fines prae oculis habentes possunt quandoque etiam leviores Poenitentias pro qualitate, dispositione, et statu Poenitentium imponere, quia ut loquitur idem Tridentinum *cit. sess.* 14. *cap.* 8. Tribunal Poenitentiae non est Forum irae, vel poenarum, ibi: *Nec propterea existimarunt Sacramentum Poenitentiae esse Forum irae, vel poenarum*. Et S. Joan. Chrysost. *homil.* 43. *in cap.* 23. *Matthaei* relat. *in cap. Alligant.* 12. *caus.* 26. *quaest.* 7. sic expresse dicit: « Si erramus modicam Poenitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem? Ubi Pater largus est, Dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, cur Sacerdos austerus? Vis apparere Sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus; Audiant te homines parva mandantem, et gravia facientem ». Et S. Greg. Nazianz. *Oration.* 26. sic habet; « Hanc rationem tene, ut partim illum corrigas, idque leviter et humane, non ut hostis, neque ut durus, et rigorosus Medicus ». Sanctus Franciscus Salesius agens de Poenitentiis imponendis, sic dicit: « Confessarius melleis, et consolatoriis verbis imponere debet Poenitentias.... et petere semper debet ab eo, an Poenitentiam injunctam libenter faciat? Quia, si videret eum angustiari, rectius faceret, aliam ei leviorem imponendo ». S. Carolus Borromeus in *Instruct. Poen. par.* 4. *pag.* 523. sic docet: « Si ita expedire videret, illum interroget, an possit, enve dubitet Poenitentiam sibi injunctam peragere? alioquin eam mutabit, aut minuet ». S. Antoninus *part.* 3. *tit.* 17. *cap.* 20. sic hortatur: « Confessor nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere a se, sed potius imponat ei unum Pater, et aliud leve ». Unde ibidem dicit: « Si Sacerdos non possit gaudere de omnimoda purgatione ejus, saltem gaudeat, quod liberatum a Gehenna transmittat ad Purgatorium». Et Gerson. *part.* 2. *Operum in regul. moral.* sic recte concludit: « Tutius est cum parva Poenitentia, quae sponte suscipitur, et verisimiliter adimpletur, ducere confessos ad Purgatorium, quam cum magna non implenda praecipitare in Infernum ».

Unde hic assignantur in specie praecipuae aliquae causae, propter quas levior Poenitentia, 31
quam alioquin peccata mereantur, possit licite a Confessariis imponi Primo est infirma Poenitentis dispositio, et fragilitas, sive corporis, sive animi, ob quam prudenter timetur, majorem, etsi justissimam, non impleturum. Secunda est, quando in Poenitente apparet extraordinaria magna contritio, qua jam multam expunxit de debitis poenis, quippe quae per selpsam potest sola totam abolere poenam. Tertia est, quando Poenitens lucratur Jubilaeum, vel aliam Indulgentiam plenariam; tunc enim non cogitur Poenitens, nisi leviorem acceptare Poenitentiam, quae se habeat per modum medicinae ad tollendas peccatorum reliquias: Henriq. *lib.* 7. *c.* 17. *n.* 2. Suar. *disp.* 38. *sect.* 10. *n.* 10. *disp.* 59. *sect.* 2. *n.* 7. Laym. *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 15. *n.* 12. Spor. *l. c.* n. 545. qui *n.* 538. addit justam causam diminuendi Poenitentiam esse etiam, quando Poenitens lucratur, vel lucrari solet Indulgentias, etiam non plenarias (Vide Append. nu. 64.), Quarta est gravis infirmitas Poenitentis, ob quam, si jam desperata sit ejus salus, et plus ab ipso exigi non possit, expedit ei saltem

injungere, ut Sacrosanctum Jesu nomen ter, vel quinquies ore proferat; vel si non possit ore proferre, saltem corde concipiat, et invocet, et inde moneatur, ut Poenitentiae loco ipsam suam infirmitatem, et mortem impendentem Deo offerat in satisfactionem pro peccatis suis, idque in unione Passionis, et mortis Christi; Item moneatur, ut de bonis suis eleemosynas largiatur, Missas celebrari curet; Si autem non sit desperata ejus salus, est ei imponenda congrua Poenitentia, quae si forte pro gravitate criminum gravior esse debeat, injungi ei debet, praestanda postquam convaluerit.

32 Opera pro Poenitentia Sacramentali regulariter injungenda consistunt generice *in Jejunio*, *Oratione, et Eleemosyna;* Sicut etiam peccatum in genere distinguitur in tria membra, scilicet in peccatum, seu Concupiscentiam carnis, in Concupiscientiam oculorum, et Superbiam vitae; 1. *Joan.* 2. Hinc Scotus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. recte notat, quod singulis peccatis sic in genere distinctis correspondeant de congruo propriae satisfactiones in genere, scilicet Peccato carnis *Jejunium*, sub quo comprehenduntur omnes poenalitates, ac afflictiones, seu mortificationes corporales, disciplinae, Cilicia, humi cubationes, peregrinationes, et hujusmodi: Peccato Superbiae, et ceteris spiritualibus *Oratio*, quae et humiliat Spiritum Deo, et roborat contra peccata; et sub Oratione comprehenduntur omnes actus Religionis, ac Virtutum Theologicarum, ut actus Fidei, Spei, et Caritatis, seu amoris Dei, Contritionis, laudis Divinae, adorationes, genuflexiones, Ecclesiarum visitationes, et hujusmodi; Peccato circa Concupiscentiam temporalium, scilicet Avaritiae, et hujusmodi, *Eleemosyna;* sub qua comprehenduntur omnia opera misericordiae corporalia, et spiritualia, omnesque actus Caritatis erga proximum. Idipsum habet Rituale Romanum *tit. De Sacramento Poenitentiae*, ibi: *Quare curet* (Minister), *quantum fieri potest, ut contrarias peccatis Poenitentias injungat, veluti Avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, Superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia etc.*

33 Pro satisfactione, seu Poenitentia Sacramentali, potest nedum injungi opus bonum externum, sed interdum, considerato Poenitentis statu, etiam opus bonum internum, v. g. actus Fdei, spei, Caritatis, Oratio mentalis, meditatio Mortis, Judicii, Inferni, Passionis Christi, et hujusmodi, quia ex una parte hi actus in ordine ad Sacramentum satis sensibiles fiunt per externam injunctionem Confessarii, et acceptationem Poenitentis, et plerumque se sensibiliter produnt signis, et motibus sensibilibus; et ex altera parte sunt opus aptum ad satisfaciendum, et plurimum utile Poenitenti; immo saepissime multo magis, quam opera externa, ut docet experientia. *Est fere communis* contra paucos.

34 Pro Poenitentia imponi potest etiam opus aliunde praeceptum, v. g. Jejunium in Quadragesima. *Communis.* Et ratio est, quia tale opus, ultra quam quod potest esse meritorium gratiae, potest etiam esse satisfactorium poenae, eum, non obstante priori praecepto, adhuc sit liberum, et consequenter virtute Clavium elevari potest ad satisfactionem Sacramentalem. Et tunc in illud cadet duplex obligatio, una praecepti, alia Sacramenti. Unde tale opus omittens, v. g. Jejunium in Quadragesima, deberet utriusque praecepti circumstantiam confiteri, quia contraheret duas malitias specie distinctas; Transgrederetur enim praeceptum intendens obedientiam, seu temperantiam, et praeceptum Confessarii intendens satisfactionem, et sic justitiam. *Communis.* 35

36. Ordinarie tamen, cessante justa causa, non sunt imponenda pro Poenitentia opera aliunde jam praecepta, et debita, sed opera supererogatoria, et aliunde indebita. Unde, si Confessarius aliud non exprimat, aut ex ejus verbis, aut aliis circumstantiis contrarium non appareat, semper est intelligenda Poenitentia de opere non praecepto, et aliunde indebito, adeoque, si injungat auditionem Missae in die Festo, tenetur Poenitens audire duas. *Communis.* 36

Potest Confessarius interdum, modica Poenitentia imposita, etiam reliqua Poenitentis opera, tam debita, quam libera determinato aliquo tempore facienda, v. gr. toto hoc mense, tota hac Quadragesima, toto hoc anno auctoritate Clavium elevare, et imponere in Poenitentiam Sacramentalem. Immo hoc quandoque expedit magnis peccatoribus, quibus propter fragilitatem, vel occupationes condigna pro peccatis Poenitentia imponi non potest; Marchant. *Trib. par.* 1. *tract.* 4. *tit.* 7. *q.* 4. Sporer *loc. cit. num.* 567. *et seq.* et ipsis testibus, *Communis aliorum.* Et ratio est, quia sicuti potest Confessarius imponere Poenitentiam totius anni in certo opere debito, vel indebito, ita etiam potest imponere in pluribus atque omnibus bonis operibus, quae Poenitens tali tempore facturus est, v. gr. elevare in satisfactionem Sacramentalem omnia jejunia totius Adventus, totius Quadragesimae, Officium Divinum totius anni, omnes eleemosynas fieri solitas, omnes auditiones Missarum fieri consuetas, et hujusmodi. 37

Potest pro Poenitentia injungi Oratio, Eleemosyna, vel aliud opus bonum applicandum pro animabus Purgatorii; Lugo *disp.* 25. *sect.* 4. *num.* 62. Sporer *loc. cit. num.* 570. Diana *par.* 3. *tract.* 24. *resol.* 54 Reiffenstuel *loc. cit. num.* 30. Henno *loc. cit. q.* 7. *petes* 5. Felix Potestas *loc. cit. num.* 3194. et communior aliorum cum Catechismo Romano *p.* 2. *c.* 5. *q.* 63. contra paucos alios. Et ratio est, quia talis caritativa applicatio operis boni in suffragium defunctorum habet rationem satisfactionis ex duplici capite. I. Quantum est ex opere operato illius operis per Sacramentum elevati in applicationem ipsius Poe- 38

nitentis. II Quantum est ex opere operantis applicantis fructum satisfactorium, et impetratorium dictis animabus, ut proinde ea obligatio sic applicandi non impediat, sed merito Caritatis, et misericordiae etiam augeat satisfactionem propriam Poenitentis. Tum quia, si Confessarius potest imponere pro satisfactione eleemosynam corporalem dandam pauperibus hujus saeculi, cur non potest eleemosynam spiritualem pauperibus, et animabus Purgatorii?

39 Poenitentia regulariter imponenda est post audita peccata ante datam absolutionem, quia sic Ordo Judicii, et Justitiae vindicativae melius servatur, et omnes partes materiales Sacramenti subjiciuntur Sacerdotis absolutioni tamquam parti

40 formali Sacramenti: *Sic Communis Doctorum*, et universalis praxis Ecclesiae. Ceterum fatentur omnes, posse etiam imponi Poenitentiam post datam absolutionem, non solum quando Confessarius est oblitus eam imponere ante absolutionem, sed etiam aliquando ex studio, et voluntate, quia talis ordinis nulla apparet necessitas, vel obligatio; Tum quia satisfactio imposita paulo post absolutionem censetur moraliter fieri in ipso Sacramento, sicuti imposita ante absolutionem; in Jure enim, quae incontinenti fiunt, simul esse videntur.

41 Poenitentiam sibi a Confessario impositam non potest Poenitens commutare in aliud opus etiam evidenter melius, quia inferior nonquam potest commutare in melius opus a Superiore praeceptum: Poenitens autem Judicio Confessarii tamquam Superioris se subjecit: adeoque tenetur stare ejus sententiae: *Communis* contra paucos.

42 Poenitentiam commutare potest, non solum ille Confessarius, qui ipsam imposuit, sed etiam quicumque alius aequalem potestatem habens, quia idem est Tribunal, idem Judicium ejusdem potestatis; et quamvis diversi in individuo sint Ministri, eorum tamen potestas est ejusdem rationis in omnibus, cum secundus Confessarius se habeat ut successor prioris in eodem Tribunali: *Communis*.

43 Dicitur autem notanter *aequalem potestatem* habens, quia Confessarius non habens potestatem in casus reservatos non potest commutare Poenitentiam pro reservatis ab alio impositam, quia non potest Confessarius commutare Poenitentiam, quam non potest imponere; sed non potest imponere Poenitentiam pro reservatis, cum non possit ab illis absolvere: ergo nec potest talem Poenitentiam commutare. *Sic communior*, *et probabilior sententia Doctorum* contra Vasquez, Henriquez, Fernandez, Navarrum, Bonacinam, et quosdam alios probabiliter tenentes contrarium, ex quo reservatio illorum peccatorum per primam absolutionem sit jam ablata, adeoque alius inferior Confessarius respectu illius Poenitentis jam habeat sufficientem Jurisdictionem in illa peccata.

44 Commutatio Poenitentiae, si fiat ab eodem Confessario, qui illam posuit, potest etiam fieri extra Confessionem; dummodo duret adhuc Sacramentum moraliter, id est dummodo Confessarius adhuc habeat notitiam saltem confusam Confessionis, et status poenitentis: *Communis*. Et ratio est, quia quamdiu durat moraliter Sacramentum, commutatio censetur ad idem Judicium pertinere, et intra illud fieri; Confessarius enim ex peracto Judicio adhuc memor Confessionis, et status Poenitentis virtualiter retinet potestatem mitigandi, et commutandi poenam ad petitionem, et preces ipsius Poenitentis.

Si autem Confessarius omnino oblitus esset Confessionis, et nullam penitus retineret notitiam status Poenitentis, non posset Poenitentiam commutare, nisi repeteretur Confessio, seu saltem Poenitens rememoraret in confuso sua peccata, quia Confessarius non potest sententiam ferre, nisi cognita causa: *Sic Communior, et tutior sententia* Henno, Scoti, Valentiae, Sporer, Suarez, Coninch. et aliorum cum Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 14. *num.* 16. ubi addit, quod secundum hanc probabiliorem sententiam repetenda sit quoque confessio penes eumdem Confessarium adhuc retinentem memoriam peccatorum, seu status poenitentis, si commutatio postuletur, elapso longo tempore a peracta Confessione. v. gr. trium, vel quatuor dierum intervallo, quia cum prioris Sacramentalis Confessionis Judicium legitime absolutum fuerit, et cum eo posterior Poenitentiae impositio ob temporis intervallum nullum ordinem gerat, sequitur non fore hanc Poenitentiam Sacramentalem, seu pertinentem ad Sacramentum Poenitentiae, nisi de novo Sacramentalis Confessionis, et absolutionis Judicium instituatur. Sic sane probabilissime Layman tutiora suadens, ut fatetur etiam Sporer *loc. cit. num.* 586. quamvis ipse cum aliis contrariam sententiam, ut probabilem, et tutam teneat, et defendat, uti tenet et defendit etiam Lugo *disp.* 25. *num.* 112. et alii plures. 45

Si commutatio Poenitentiae fiat a Confessario diverso ab illo, qui illam imposuit, debet necessario fieri in Confessione, alias, si fieret extra Confessionem, non esset Sacramentalis, et consequenter nulla, quia Confessarius nullam habet Jurisdictionem Sacramentalem in Poenitentem, nisi dum sedet ut in Tribunali Poenitentiae: *Communis, et certa*. 46

An autem ad hoc, ut posterior Confessarius possit in nova Confessione commutare Poenitentiam prius ab alio impositam, necesse sit, quod ipsi repetantur, et explicentur a Poenitente illa praeterita peccata jam confessa, ob quae prior Poenitentia fuit imposita? Variant Doctores; Navarrus enim *in Manual. cap.* 6. *num.* 22. Tamburin. Tolet. Henriquez, Rodriquez, Emmanuel Sa, et quatuordecim citati a Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 53. *et p.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 241. Sporer *loc. cit. num.* 580. et alii tenent, probabile 47

esse, posse posteriorem Confessarium in nova Confessione commutare illam Poenitentiam, etiam non auditis praeteritis peccatis, ob quae fuit imposita; quia posterior Confessarius cum sit Judex, et Medicus, potest de tota causa simul judicare juxta praesentem statum, et dispositionem Poenitentis, pro ut magis videbitur expedire; De tota autem simul causa sufficienter judicat, quando, etiam non repetita pristina Confessione, judicat hic et nunc Poenitenti non expedire talem Poenitentiam, sed magis expedire aliam.

48 Communior tamen, et sine dubio probabilior, et tutior sententia, teste ipsomet Sporer *loc. cit. num.* 588. cum Suarez, Coninch, Layman, et aliis tenet, non posse Confessarium posteriorem commutare Poenitentiam, nisi auditis saltem in confuso peccatis prioribus. Sic etiam Lugo *disp.* 25. *num.* 107. eum iliis ibi citatis, recte notans etiam, quod ex Auctoribus, qui pro prima sententia afferuntur multi non eam docent universaliter, sed solum, quando subest aliqua gravis, et rationabilis causa: Mastrius *Theolog. moral. disp.* 21. *num.* 295. Reiffenstuel *Theol. moral. tract.* 14. *dist.* 10. *quaest.* 1. *num.* 17. Felix Potestas *loc. cit. qu.* 3. *conclus.* 2. *verb. Hic autem controvertitur*, et plurimi alii; Et ratio nostrae conclusionis est, quia Confessarius, ut Judex, non potest ferre sententiam, nisi cognita causa; in nova autem Confessione quamvis cognoscat causam praesentem, non cognoscit tamen causam praeteritam; adeoque non potest disponere de sententia praeterita, nisi notitiam, saltem in confuso, habeat causae praeteritae. Tum quia Poenitentia, quam posterior Confessarius imponit pro prioribus peccatis, est Sacramentalis, ergo debet esse pars Sacramenti; sed non potest esse pars Sacramenti, ergo etc. Probatur minor subsumpta, quia non potest esse pars hujus Sacramenti secundi, cum non possit esse pars hujus Sacramenti ea satisfactio, quae non imponitur pro peccatis confessis in hoc Sacramento, et quorum non datur absolutio; nam satisfactio sequitur Confessionem, et absolutionem; Neque potest esse pars prioris Sacramenti, quia non est ex praecepto, et impositione primi Confessarii, qui fuit ejus Minister, sed ex praecepto, et impositione secundi, seu posterioris Confessarii, qui in dicto casu non est Minister prioris Sacramenti; ergo ea satisfactio imposita a secundo, seu posteriore Confessario, non est pars illius prioris Sacramenti, adeoque etc. * Hinc adversa opinio probabilis censeri non potest. *

49 Adducuntur hic Canones Poenitentiales, quorum notitia viris Ecclesiasticis est valde necessaria.

Sunt enim quaedam regulae directivae ad Poenitentias delinquentibus imponendas.

Considerandum est de Canonibus Poenitentialibus; ad quorum intelligentiam praenotandum est, quod sicut est in scientiis practicis, quae versantur circa opera, quod sermo in universali est incertus, et dubius, sed cum applicatur ad singularia, incipit quodammodo habere certitudinem, ut qui non considerat circumstantias particulares, potius deviet, quam se rectificet, ut patet in medicina, et scientia morali; Sic est intelligendum in proposito, quod Canones instruunt in generali, quomodo est Poenitentia imponenda: sed descensum ad singularia Presbyteris discretis relinquunt, qui considerant circumstantias Personarum, attendentes ad Canones, sicut ad regulas directivas, quia si contra Canones imponant, non recte imponunt. Nulli ergo Presbytero licet facere aliquid, quod possit Patrum regulis obviare *dist.* 38. *Nullius*. In Canonibus autem maxime determinatur Poenitentia quo ad tempus, et magis quam quoad modum: quia illa determinatio est certior, et communior; Haec Bonaventura. Ut ergo scias qualiter deceat procedere arbitrium Presbyteri, nota regulariter sicut dictum est supra; septennis est pro peccato mortali Poenitentia imponenda, et hoc non tantum propter temporis diuturnitatem, sed magis propter significationem. In veteri enim lege Maria soror Moysis lepra percussa separata fuit extra castra VII. diebus, *num.* 12. Maria significat poenitentem: Interpretatur enim amarum mare. Hanc poenituit VII. diebus, sed nunc poenitet VII. annis, quod significatum est *Ezech.* 4. « Diem pro anno dedi tibi ».

Si quaeratur quare Poenitentia sit aggravata, cum Lex nova sit Lex misericordiae? Respond. quod hic est major ingratitudo propter majorem gratiam, et major contemptus propter majorem dignitatem novae Legis, in qua Christi Sanguis est effusus, et gravius peccatum propter statum peccantis, qui debet esse perfectior. Et ulterius satisfactio in Lege nova debet esse perfecta, ut in pristinum statum reducat; Et quia Sol in una die non redit in idem punctum, sed in anno, ideo dies conversus est in annum. Rursum, quia perfectum remedium est in Lege nova, ideo annus multiplicari debet per septem, propter septem dona Spiritus Sancti recuperanda, et propter septem dotes, scilicet tres animae, et quatuor corporis obtinendas. Hujusmodi autem Poenitentia non est omnibus imponenda, nec tamen est infirmanda, sed est insinuanda, ut cognoscatur, quam gravis est culpa. Haec Bonaventura. Licet autem pro singulis peccatis criminalibus sit statuta talis Poenitentia, debet tamen imponi magis, vel minus aspera, prout majoritas, vel minoritas criminis cum ceteris circumstantiis hoc exposcit, ut in sequentibus patet. A praedicta namque regula excipiuntur plurimi casus, in quibus propter dignitatem peccantis, vel criminis enormitatem imponitur poenitentia major, aliquando etiam ex variis causis minor. Ad hoc ergo, quod Presbyter circa Poenitentias disponendo cautius arbitretur, notandi sunt casus, in quibus per Canones certae Poenitentiae imponuntur, quos scilicet Canones tenetur Presbyter scire, ut dictum est supra. Sunt autem isti.

Primus est, quod si Presbyter fornicationem fecerit, Poenitentiam X. annorum faciat hoc modo, scilicet quod sit inclusus, sive a ceteris in aliquo loco remotus, sacco indutus, et humi prostratus misericordiam Dei jugiter implorans, primis tribus mensibus a vespere in vespera pane, et aqua utatur, exceptis Dominicis diebus, et festis praecipuis, in quibus modico vino, pisciculis, et leguminibus recreetur. Elapsis autem sic tribus primis mensibus, de illo exeat, non tamen in publicum procedat, ne populus in eum scandalizetur. Et per hoc videtur, quod de publico crimine loquatur: Post hoc, resumptis viribus aliquantulum, unum annum, et dimidium in pane, et aqua expleat, exceptis Dominicis, et aliis praecipuis Festis, in quibus vino, sagimine, ovis, et caseo poterit uti: Finito sic primo anno, et dimidio, particeps sit Corporis Domini, et ad pacem veniat, et ad Psalmos cum aliis fratribus canendos in Choro ultimus recipiatur. Ad cornu tamen Altaris non accedat, sed minorum Ordinum tantum Officia gerat, deinde usque ad completionem septimi anni tres legitimas ferias, scilicet secundam, quartam, et sextam, exceptis diebus Paschalibus, qui sunt quinquaginta, in pane, et aqua jejunet. Secundam tamen feriam uno Psalterio, vel denario, si sit operarius, redimere poterit. Et sic cum septimum annum compleverit, potest eum Episcopus ad gradum pristinum revocare; ita tamen, quod in tribus annis sequentibus sine ulla redemptione omni sexta feria in pane, et aqua jejunet. Et eadem Poenitentia imponenda est Presbytero de omnibus aliis peccatis, quae depositionem inducunt. Probantur autem haec omnia 82. *dist. Presbyter, si fornicationem*; quod intelligunt quidam de simplici fornicatione, alii forte melius secundum Rayn. de adulterio, vel incestu; puta, quia cognovit conjugatam, consanguineam, vel affinem.

Secundus casus est, si Presbyter cognovit Filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel in Baptismo, vel in Confirmatione tenuit, vel quae sibi confessa fuit, debet Poenitentiam agere XII. annis, et etiam debet deponi, si crimen sit manifestum, et peregrinando XV. annis poeniteat, et postea Monasterium intret, tota vita sua moraturus ibidem. Episcopus vero, qui talia commisit, poeniteat XV. annis. Ipsa vero mulier debet omnia relinquere, et res suas pauperibus dare, et conversa usque ad mortem in Monasterio Deo servire, 30. *qu.* 1. *Si quis Sacerdos, et cap. Non debet.*

Tertius est, quod quicumque Filiam suam spiritualem, vel Matrem cognoscit, septem annis poeniteat, et similiter ei consentientes, 30. *q.* 3. *Non oportet.*

Quartus est, quod qui contrahit cum aliqua alii desponsata per verba de praesenti, ipsa dimissa, 40. diebus jejunet in pane, et aqua, et sequentibus septem annis poeniteat. *De sponsa duorum; Accepisti.*

Quintus est, quod qui cognoscit duas commatres, vel sorores, sive uxor vivat, sive non, ad minus VII. annis poeniteat, licet plus deberet, 30. *q.* 4. *Si Pater.*

Sextus est, quod qui cognoverit Monialem, sive devotam, X. annis poeniteat, et similiter ipsa secundum formam traditam 27. *qu.* 1. *De filia, et cap. Devotam*, in quorum 1. *c.* dicitur, quod si filia Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi post votum solemne contraxerit Matrimonium, non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto Poenitentiam egerit, si autem eo vivente decesserit, et Poenitentiam egerit, et communionem petierit, tantum in fine vitae recipiet eam; in 2. c. dicitur, quod Devota peccans non est recipienda in Ecclesia, nisi peccare desierit, et desinens egerit Poenitentiam X. Annis, postea recipiatur ad communionem, et antequam in Ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius convivium Christianae mulieris accedat.

Septimus est de eo, qui ignoranter cognoscit duas sorores, vel Matrem, et Filiam, vel Amitam et Neptem, poeniteat VII. annis, si autem scienter, perpetuo privetur conjugio, 34. *q.* 1. *Si quis cum duabus.*

Octavus est, quod qui duxit in uxorem eam, quam polluit per adulterium, poeniteat V. annis 31. *q.* 1. *Si qua fuerit vidua.*

Nonus est, quod qui contra naturam peccavit, si sit Clericus, debet deponi, vel Religioni tradi, si corrigibilis appareat, ad perpetuam Poenitentiam peragendam. Si vero sit Laicus, a coetu Fidelium usque ad condignam satisfactionem debet fieri alienus, *De excess. Praelat. Clerici.* Hoc enim vitium majus est, quam cognoscere Matrem, 32. *qu.* 7. *Adulterii;* et haec August. « Adulterii, inquit, malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu fornicatio. Pejus enim est cum Matre, quam cum aliena uxore concumbere, sed omnium horum pessimum est, quod contra naturam fit, ut si vir membro mulieris non ad hoc concesso voluerit uti ». *Haec Aug.* Quocumque autem modo tale factum exerceatur, praeter quam inter virum, et foeminam ordinate, et in vase debito, vitium contra naturam, et sodomiticum judicatur, ut dicit Rayn.

Decimus est, quod qui coierit cum brutis, poeniteat plusquam VII. annis, et similiter pro incestu, 33. *q.* 2. *Hoc ipsum.*

Undecimus est, quod Presbyter, qui interest Clandesinis nuptiis, triennio suspendatur, et si culpa exegerit, gravius puniatur. *De claud. despons. Cum inhibitio.*

Duodecimus est, quod qui votum simplex violaverit, poeniteat 3. ann. *dist.* 27. *Si vir.* 3.

Decimus tertius est, quod qui excommunicatus celebraverit, debeat triennio poenitere, et per 2. 4. et 6. feriam a vino, et carnibus abstinere, 11. *q.* 3. *de His.* De poena vero degradati celebrantis habetur *dist.* 50. *Accedens.*

Decimus quartus est, quod homicida voluntarius sine spe restitutionis deponatur, et poeniteat VII. annis: *dist.* 50. *Miror.*

Decimus quintus est, quod homicida casualis, poeniteat V. ann. et hoc secundum Rayn. si culpa casum praecessit, aliter non, nisi forte ad cautelam, *dist.* 50. *Eos, et duobus cap. seqq.*

Decimus sextus est, quod si quis fecerit homicidium propter necessitatem evitabilem poeniteat II. ann. *dist.* 50. *cap. De his Clericis*, quae licet si inevitabilis esset, in nullo sibi imputaretur, *dist.* 50. *Quia te.* Quod verum est quoad culpam, sed bonum esset, quod poeniteret quoad cautelam, et innocentiam suam Ecclesiae ostendendam, *De homicid. cap.* 2. §. *ult.* Et secundum Rayn. forte distingui potest in homicidio necessario, sicut in casuali, et utrum culpa praecesserit necessitatem, vel non. *Arg. dist.* 50. *De his, De homicid. Interfecisti.* Sed si quis per insaniam committat homicidium, non ei imputatur, 3. *quaest.* 9. *Judicas:* quin etiam, qui intuitu disciplinae incaute percutiendo occiderit, deponitur, *De homic. Presbyterum* 15. *quaest.* 1. *Si quis non iratus.* Sed qui ligatum latronem interficit, deponitur, *de homic. Suscepimus.* Qui autem latronem occultum occidit, quum vivum comprehendere potuit, 40. diebus non intret Ecclesiam, et alias poenitere debet, *De homicidio, Interfecisti.* Qui vero Paganum, vel Judaeum occidit, poeniteat 40. diebus *dist.* 50. *c. Qui vere odii.*

Decimus septimus est, quod matricida poeniteat X. ann. secundum formam satis aperte traditam 33. *quaest.* 2. *Latorem.* Uxoricidae vero gravior poenitentia debet imponi. Talis enim, et qui Dominum occidit, numquam equitat, nec vehiculo portatur, nec Matrimonium contrahit usque ad X. ann. carnes non comedit, nec vinum bibit, et alia, quae habentur 33. *quaest.* 2. *Admonere, et cap. Quicumque.* Imponitur autem Poenitentia major uxoricidae, non quia illud peccatum sit gravius isto, sed quia homines proniores sunt ad occidendum uxores, quam Matres; Majus enim peccatum est occidere Matrem, quam uxorem occidere, ut dicit Bonaventura *in* 4. *sent.* et communiter omnes Doctores. Guiiel. vero Durand. tenet contrarium *in Repertor.* pro eo quod uxoricidae imponitur Poenitentia major. Mihi autem magis placet sententia aliorum; Sed qualem Poenitentiam agere debent, qui filios occidunt? Resp. Aut est certum, quod ipsimet interfecerunt, et sic debet eis imponi Poenitentia major, quam pro alio homicidio; *Arg. de his, qui filios occiderunt, cap. ult. in text. et gl. et de homicid Cum juramento, De poen. dist.* 1. *Aut facta.* In hoc tamen casu vir uxorem recuperat, quam coactus abjuraverat, et ipsa Poenitentiam agit secundum arbitrium Episcopi, ita quod si habet alios filios, pacifice gubernare possit eos uxor, *c. Intelleximus, eod. tit.* quod si virum non habet, induci debet, ut intret Religionem, ad quod si non potest induci, tutius est ei dare licentiam nubendi, ut *eod. Tit. c. Veniens.* Et hoc, quando timetur de incontinentia, alias non, ut patet 33. *quaest.* 1. *In adolescentia.* Et si pater sit Clericus, ab officio Altaris debet perpetuo abstinere, et ei gravior quam Laico, non tamen publica (nisi veniat in publicum) Poenitentia debet imponi, *de poen. Quaesitum.* Aut certum est, quod non interfecerunt sponte, nec in culpa fuerunt, sed casu fortuito contigit; et sic de stricto jure in nullo tenentur. *Arg. De homicid. Ex litteris* 2. *c. Joannes, et c. ult.* Nisi velint ad cautelam poenitere. In dubio tamen praesumitur, quod non hoc ex certa scientia, sed potius ex incuria provenerit; *De praesumpt. Afferte.* Aut certum est, quod non exhibuerunt omnem diligentiam, quam potuerunt, et debuerunt, et sic culpa praecessit casum. Et si sit gravis culpa, ut si posuit puerum in medio utriusque, secundum arbitrium Poenitentiarii imponitur Poenitentia V. vel VII. ann. 50. *dist. Si qua foemina, et cap. seq. et cap. si quis sponte*, occulta, si sit occultum, publica, si sit publicum; et major si in lecto suffocetur, quam si in cunis, et major Presbytero Greco, quam Latino, ut habetur *De poenit. Quaesitum*, et licet dispensetur quoad Poenitentiam, quae est arbitraria, ut dicitur *ibidem*, non tamen quoad Ordines propter homicidium, quod est delictum enorme, et indispensabile, *dist.* 50. *Miror.* Si autem culpa, quae praecessit casum, sit levis, ut si posuit puerum in eodem lecto, longe tamen a se, imponitur poenitentia 3. ann. Secundum hoc intellige illud cap. de infantibus, *de his, qui filios occiderunt;* Monendi ergo sunt parentes, quod tam tenellos secum in uno non collocent lecto, ne qualibet negligentia interveniente opprimantur, et suffocentur, *ut* 2. *quaest.* 5. *Consuluisti.* Et hoc modo distinguit Host. Ber. cap. de infant. *de his, qui filios occiderunt*, Quid de illis, qui filios, vel servos suos infantes, vel etiam adultos languidos relegata pietate exponunt? idest extra se ponunt ante Ecclesias, ut aliqui moti misericordia colligant eos? Resp. Tales graviter peccant, quia cum ignoretur saepe consanguinitas expositorum, contrahere possent Matrimonium cum sorore, vel consanguinea; ideo exponens tenetur de hoc peccato poenitere, et est puniendus, sicut expositus, si scienter cum tali contraheret, puniretur. *de poenitent. Officii*, secundum Host. Talis enim secundum Rayn. est tamquam homicida judicandus, qui hominem sibi ita conjunctum periculo mortis exponit. Consideratis tamen circumstantiis, et utrum ob hoc mors secuta fuerit, vel non fuerit, Poenitentia moderanda erit. Erunt autem tales irregulares secundum Rayn. si mors inde sit secuta, quia scilicet fuerunt in culpa eos exponendo, vel alimenta negando; tamen secundum Rom. si in nulla culpa fuissent, quia forte nec eleemosynas quaerendo, nec aliter eos alere possent, irregulares non essent, nec peccarent.

Decimus octavus est, quod qui Presbyterum interfecit, poeniteat XII. ann. *De Poenitent. et rem cap.* 2. De Poenitentia vero ejus, qui occidit Monachum, vel Clericum, Subdiaconum, vel Diaconum, habetur 17. *quaest.* 4. *Qui occiderit.* De poenitantia autem ejus, qui machinatur in mortem Domini sui, vel in regimen ejus, habetur 23. *quaest. ult. cap. Si quis.*

Decimus nonus est, quod qui injuste alium ad mortem accusat 40. diebus in pane, et aqua per VII. ann. jejunet, et hoc si accusatus sit occisus. Si autem tantum membrum perdiderit, triennio poeniteat, *de accus. Accusasti.* Host. vero, et Joan. de Deo in jejunando intellexerunt, quod primus poeniteat per VII. ann. quolibet anno jejunando 40. diebus in pane, et aqua, secundus vero per tres ann. Guil. vero Duran. intellexit, prout littera magis sonat, scilicet, quod primus jejunabit 40 diebus in pane, et aqua, sive continue, sive interpolata, et per VII. ann. jejunabit, et poenitebit, non tamen in pane, et aqua, sed ad arbitrium Presbyteri: secundus vero per tres Quadragesimas, prima ante Natalem Domini, secunda ante Pascha, tertia ante S. Johannem, has enim instituit B. Petrus, ut habetur in Chronicis; Jejunabit autem tunc in pane, et aqua; probantur haec secundum Host. 22. *quaest.* 5. *cap.* 1. 2. *et* 3.

Vigesimus est, quod perjurus 40. diebus in pane, et aqua jejunet, et VII. ann. seqq. poeniteat, et semper debeat esse in poenitentia, scilicet interiori; 6. *quaest.* 1. *Quicumque.*

Vigesimus primus est, quod qui compulsus conditionaliter a Domino scienter pejerat, si liber sit, 40. diebus in pane, et aqua, et hoc secundum Gl. intellige vel continue, vel interpolate, poeniteat VII. ann. seq. non tamen in pane, at aqua, ut dicit Gl. Si vero servus sit ejus, qui eum coegerit, tribus Quadragesimis, et legitimis feriis, scilicet 2. 4. *et* 6. 22. *quaest.* 5. *Qui compulsus.*

Vigesimus secundus est, quod qui pejerat in manu Episcopi, vel in Cruce consecrata, poeniteat 3. ann. Si vero in Cruce non consecrata, uno anno. Qui vero coactus, et ignorans ignorantia juris, et postea cognoscit, poeniteat tribus Quadragesimis; 22. *quaest.* 5. *c.* 2. Qui vero coactus pro vita redimenda, vel qualibet causa, vel necessitate pejerat (quia corpus plusquam animam dilexit) tribus Quadragesimis poeniteat, *ead. qu.* 5. *cap. Si quis coactus.* Alii inducunt 3. ann. et unum ex his in pane, et aqua.

Vigesimus tertius est, quod qui falsum scienter jurat, vel alium jurare cogit, diebus 40. poeniteat in pane, et aqua et VII. seq. ann. nunquam sit sine Poenitentia, scilicet interiori. Alii etiam si conscii fuerint, similiter poeniteant; 22. *q.* 5. *Si quis convictus.*

Vigesimus quartus est, quod qui mensurat in falsa mensura, 30. diebus in pane, et aqua jejunet: *De contrah. empt. Ut mensurae.* De poena vero falsarii Litterarum habetur extr. *cap. Ad audientiam, c. Ad falsariorum, et de verb. sign. Novimus.*

Vigesimus quintus est, quod qui frangunt Poenitentiam solemnem, sive redeundo ad crimina peiora, vel similia, sive redeundo ad negotiationem, vel militiam saecularem, quae sibi fuerint interdicta, sola inter Ecclesiam Fidelibus oratione junguntur, a communione suspenduntur, a Catholicorum conviviis separantur, et poenitere debent X. ann. et communicent in fine, 33. *quaest.* 2. *de his vero, et de poenitent. distin.* 5. *Si quis vero.*

Vigesimus sextus est, quod qui canit Missam, et non communicat, debet uno anno poenitere, et interim Missas non cantare. *De cons. dist.* 2. *Relatum.*

Vigesimus septimus est, quod Presbyter, qui mortuum Clericum involvit in palla Altaris, poeniteat X. annis, et mensibus V. Diaconus vero triennio, et dimidio. *De consec. d.* 1. *Nemo per ignorantiam.*

Vigesimus octavus est, quod qui committit sacrilegium Ecclesiam violando, vel Chrisma, sive Calicem sacrum pollutis manibus accipit, vel similia sacrilegia committit, poeniteat VII. annis. Primo anno extra Coemeterium, quod violavit, consistat. Secundo anno ante fores Ecclesiae. Tertio in Ecclesia, et in hoc triennio carnes non comedat, vinum non bibat, nisi in Pascha, vel Natali, non offerat, nec communionem accipiat. Quarto anno communicabit, et in illo, et in V, et VI. et in VII, tribus feriis a carnibus, et vino abstineat jejunando, 12. *qu.* 2. *De viro.* Comburens autem Ecclesiam, XV. annis poeniteat, et eam restituat, 17. *q.* 4. *cap. Si quis.* De poena vero raptoris, sive furis rei Ecclesiasticae, et de poena furis, et effractoris tam Clerici, quam Laici, habetur, *cap. Pecunia, et cap. Si quis Clericus ead. caus.* 17. *q.* 4.

Vigesimus nonus est, quod si parentes frangunt sponsalia filiorum, a communione triennio separentur, et similiter filii, si sint in culpa. Si tamen filii secundum promissionem factam contraxerint, excusantur utique, scilicet quoad poenam Ecclesiae, sed non quoad reatum, ex quo dederunt operam in contrarium, 31. *qu.* 3. *Si quis parentes, arg de poen. di* 1. *Ti cui.*

Trigesimus est, quod qui blasphemaverit publice Deum, vel aliquem Sanctorum, et maxime Beatissimam Virginem Mariam, illi debet Episcopus hanc Poenitentiam injungere, scilicet, ut VII. diebus Dominicis prae foribus Ecclesiae in manifesto, dum Missa cantatur, existat, et ultimo illorum dierum Dominicorum pallium, et calceamenta deponat, et corrigiam ligatam circa collum habeat, et septem praecedentibus sextis feriis in pane, et aqua jejunet, Ecclesiam nullatenus ingressurus; et quolibet praedictorum dierum tres pau-

peres, vel duos, vel saltem unum reficiat, si potest, et si non potest, haec poena in aliam commutetur: quod si renuerit agere omnia supradicta, interdicatur sibi Ecclesia, et in morte privetur Ecclesiastica sepultura. *De maled. Statuimus.* Item blasphemus, si dives fuerit, 40. alioquin 30. vel 20. et si ad hoc non sufficit, quinque solidorum usualis monetae poena mulctetur, nullamque misericordiam in hoc habiturus, ut dicitur *ibidem*, scilicet quin solvat quinque solidos, quos si non habet, currat per Civitatem, vel commutetur in poenam aliam temporalem. Haec autem poena solvetur ei, qui condemnat, idest Potestati saeculari: Hanc enim poenam temporalem praecepit Papa imponi per Potestatem temporalem; quod si neglexerit, per Episcopum praecipitur cogi. *Haec Host.* Habet autem praedicta poena locum secundum Gof. cum quis blasphemat non ex ira, vel ebrietate, vel dementia, quia tunc cum eo mitius ageretur, 2. *q.* 3. *Si quis iratus.* Secundum vero Host. haec poena est specialiter inducta contra eos, qui Deum blasphemant ex ira; Non enim aliquis de levi blasphemat Deum, nisi iratus. Tanta tamen posset esse iracundia, quod aequipararetur dementiae, et tunc illud, quod dicit Gof. locum posset habere. *Haec Host.*

Quod si quis juret per caput, vel per ventrem vel capillum; Resp. Host. quod si faciat hoc affirmando, vel jurando, non habet locum haec poena: Secus est, si faciat hoc detestando, vel vituperando, licet iratus. Item secundum Gof. et Host. haec, quae dicuntur de poena temporali, fiunt Judice pro tribunali sedente. In Judicio autem animae Presbyter discretus molliendo rigorem dispensare poterit ex causa circa poenam spiritualem superiorem, 29. *q.* 7. *Poenitent. Haec Host.* Item blasphemus Clericus, maxime Presbyter, cogatur ad veniam postulandam: quod si noluerit, degradetur *d.* 46. *Cler.*

Notandum vero, quod blasphemus secundum Leges est decapitandus, ut *in Auth. Ut non lux contra nat. circa med. coll.* 6. Secundum vero Canonem antiquum Clericus erat degradandus, et Laicus excommunicandus, 22. *qu. Si quis per capillum.* Hodie vero Laicus aget Poenitentiam supradictam, scilicet illius Canonis *Statuimus*, et hoc si publice blasphemavit. Si enim occulte, non poenitebit publice, ut puto: Clericus vero hodie est corrigendus poena arbitraria, et occulta, non illa, quae est publica. Clericus enim publice nondebet poenitere. Si autem rebellis fuerit, vel saepius hoc commiserit, locum habet poena Legis; scilicet ut Laicus decapitetur in Foro Civili, et in Canonico anathematizetur, idest, ingressus Ecclesiae sibi interdicatur, et in morte privetur Ecclesiastica sepultura. Clericus vero degradetur. *Haec utique habet Hostiensis, titulo de Maled.*

Trigesimus primus est de Presbytero, qui revelat Confessionem, quod de jure antiquo debet deponi, et omnibus diebus vitae suae ignominiosus peregrinari. *de Poenit. dist.* 6. *Sacerdos.*

Trigesimus secundus est, quod qui in dicendis Horis Canonicis, et aliis Officiis Divinis discrepat a consuetudine propriae Metropolitanae Ecclesiae, VI. mensibus privatur communione, si hoc accidat ex contemptu 12. *d. de his.*

Trigesimus tertius est, quod Episcopus, qui ordinat sine justa causa Clericum invitum, aut reclamantem, vel penitus invitum, absolute suspenditur uno anno, 74. *dist. Episcopus.*

Trigesimus quartus est, quod Episcopus, qui correctionem de venditione Ministeriorum dissimulat, 2. mensibus, Presbyter 4. Diaconus 3. Subdiaconus, et ceteri ad arbitrium Judicis poenitere debent, 1. *quaest.* 1. *Quidquid invisibilis.*

Trigesimus quintus est, quod sortilegus 40. diebus poeniteat. *De sortil. In tabulis.*

Trigesimus sextus est, quod qui videt in astrolabio, poeniteat 2. ann. *De sort. Ex tuarum.*

Trigesimus septimus est de stilla Sanguinis Altaris cadentis super terram, vel aliquid aliud propter negligentiam Presbyteri, debet Presbyter poenitere 40. diebus; si cecidit super pallio Altaris, poeniteat 4. diebus, *de cons. dist.* 2. *cap. Si per negligentiam.*

Trigesimus octavus est, quod si aliquis evomit Eucharistiam propter ebrietatem, et voracitatem, si Laicus, poeniteat 40. diebus, si Clericus, vel Monachus, vel Presbyter, vel Diaconus, poeniteat 70. diebus, si Episcopus, poeniteat 90. diebus; Et debet evomitura comburi, et juxta Altare collocari. Si vero causa infirmitatis evomuerit, 7. diebus poeniteat. *De cons. dist.* 2. *Si per ebrietatem.*

Trigesimus nonus est, quando mus corrodit, vel comedit Corpus Christi; de Poenitentia hujus casus vide *cap. Qui bene* 94. *dist.* 2. *de consecrat.*

Quadragesimus est, quod qui domum, vel aream voluntarie succendit, sublata, vel incensa omnia restituat, et 3. ann. poeniteat. *De injur. Si quis domum.* Canon tamen dicit, quod si ex odio, vel injuria hoc fecerit, excommunicari debet, nec absolvi, donec satisfecerit, et juraverit, quod ignem de cetero non opponet. Imponitur autem sibi, ut Hierosolymam, vel in Hispaniam vadat in Dei servitio anno integro ibi moraturus. Si quis autem Archiepiscopus, vel Episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat, et ab Officio Episcopali per annum abstineat, 23. *quaest.* 8. *Pessimam.* Hodie autem, postquam sunt denuntiati, non possunt, nisi per Sedem Apostolicam absolvi *Tit. De sent. excom. Tua nos.* Immo text. loquitur de incendiariis indistincte, postquam sunt publicati, et Ber. hoc idem dicit expresse, et Gratian. *ex. de sent. excom. in* 6. *Quicumque* et Gof. licet Rom. contrarium dicat. Secundum autem Leges, qui in Civitate data opera incendium fecerit, si sit humilis, subjicitur bestiis; si sit in aliquo gradu, decapitatur, vel in insulam relegstur, *ff. de incend. ruin. naufrag. l. fin.* Qui vero alibi, ut Villis, vel Castris

remissis ibidem aedes positas combusserit, si hoc dolo fecerit, comburitur. Et hoc intelligendum cum Host. si sit humilis. Si autem hoc ex sua negligentia contigerit, resarciet damnum, vel si minus idoneus sit, parum, vel leviter castigetur, et nomine aedium omne aedificium continetur, et ibidem dicitur: *Qui aedes.*

Quadragesimus primus est, quod qui dederit, vel acceperit communionem ab Haeretico, et nesciverit hoc esse prohibitum ab Ecclesia, et postea intelligit, poeniteat uno anno, si autem scivit, et neglexit, poeniteat X. ann. vel secundum quosdam 6. vel secundum alios 5. Qui vero permittit Haereticum Missam celebrare in Ecclesia Catholica per ignorantiam juris, poeniteat 40. diebus; Si pro damnatione Ecclesiae Catholicae, et pro consuetudine Romanorum, projiciatur ab Ecclesia sicut Haereticus, si sit impoenitens, alioquin poeniteat X. ann. Si autem relicta Ecclesia ad Haereticos transierit, et alios ad hoc induxerit, poeniteat XII. ann 3. extra Ecclesiam, 7 inter audientes, 2. extra Communionem, et sic XII. anno communionem, sive oblationem percipiat, 24. *qu.* 1. *Si quis dederit.*

Quadragesimus secundus est, quod patronus, qui res Ecclesiae dilapidat, uno anno poeniteat, 16. *q.* 7. *cap. Filiis.*

Quadragesimus tertius est, quod qui domum suam magiis, et incantationibus lustrat, vel aliud facit, et qui ei hoc consuluit, annis V. poeniteat, 26. *qu.* 5. *Qui divinationes, et c. Non liceat.*

Quadragesimus quartus est, quod qui pacem cum proximo suo non facere jurat, anno uno poeniteat, et ad pacem redeat, 22. *q.* 4. *Qui Sacram.*

Quadragesimus quintus est, quod pro perjurio, adulterio, homicidio dantur pro Poenitentia regulariter 7. anni, et similiter pro fornicatione, licet non ita aspera Poenitentia injungitur, 22. *q.* 1. *Praedicandum* 33. *q.* 2. *Hoc ipsum.*

Quadragesimus sextus est, quod qui scienter rebaptizatur, 7. ann. poeniteat, et feria 4. et 6. in pano, et aqua jejunando, tres quadragesimas faciat, et hoc si fecit pro Haeresi introducenda. Si autem pro munditia, 1. pro salute corporis obtinenda, *tract. de Apost. cap.* 2. tribus annis poeniteat. *De cons. dist.* 4. *Qui his*, et talis, qui bis baptizatur, vel confirmatur, fit de foro Ecclesiae, et cogitur fieri irregularis *dist* 84. *Dictum est.* De poena autem talium habetur *De cons. dist.* 4. *eos*, cujus capituli sententiam praetermitto gratia brevitatis.

Quadragesimus septimus est, quod qui uxorem adulteram cognoscit, antequam poeniteat, 3. ann. poeniteat, *cap. Si quis*, 6. *caus.* 32. *q.* 1. Qui vero cognoscit eam poenitentem, ante poenitentiam peractam, poeniteat 2. ann. *cap. Si quis* 4. *caus.* 32. *q.* 1. Quomodo vero Poenitentia injungenda sit mulieri partum alterius supponenti, vel etiam de non suo viro concipienti, habetur *de Poenit. et rem. Officii.*

Ad regulas igitur praedictas inspiciendo, potest studiosus indagator procedere ad poenitentias pro diversis criminibus secundum Canones imponendas, et ex causa consideratis circumstantiis, ut dictum est supra, moderari poterit eas, et licet ab ipso omnes circumstantiae sint diligenter attendendae, principaliter tamen qualitates personae, et praecipue utrum sit persona obnoxia alicui aliquo vinculo servitutis. Nam circa tales personas cavere debet pro posse Presbyter, ne talem poenitentiam eis imponat, per quam illis, quibus sunt adstrictae, praejudicium fiat, maxime circa conjugatos, unde si servus sit, et amore peccaverit, obediens Domino suo in atrocioribus, est mitius puniendus 22. *q.* 5. *qui compulsus*, obedire tamen non tenebatur in talibus, 11. *q.* 3. *Si Dominus.* Si autem voluntarie peccaverit, corpore punietur, etiam acrius, quam alius, 24. *q.* 1. *Qui contra pacem.* Nec est servo injungenda peregrinatio, per quam Dominus ejus, qui non est in culpa, illius servitio defraudetur. *De sent. excomm. Relatum.* Si vero liber sit, tota Poenitentia Canonis, si potest facere, debet imponi, 26. *qu.* 7. *Sacerdos Poenitentiam*: sed ex causa poterit eam Presbyter moderari.

Considerandum etiam erit, utrum sit Persona nova in Fide, quia novis in Fide minor debet etiam Poenitentia imponi, *de Poenitent. et rem. Deus qui.* Et similiter considerandae erunt aliae personarum circumstantiae, de quibus ad praesens supersedeo gratia brevitatis.

Sciendum autem, quod in foro Poenitentiali dicuntur legitimae feriae 2. 4. *et* 6. *Dist.* 82. *Presbyter, de consec. dist.* 3. *jejunia.* Aliqui tamen ut dicit Rom. pro secunda feria ponunt Sabbatum.

Insuper notandum est, quod si Poenitentia in pane, et aqua imponatur non habenti panem, potest loco panis leguminibus, et pisciculis vesci, et etiam aliis, si necessitas illud requirat, *de Poenitent. et rem. Licet in text. et gl. alias non licet.*

Notandum etiam secundum Joan. Si Poenitentia sit imposita a Canone, liberatur quis a jejunio dando Denarium, vel legendo Psalterium propria auctoritate. Innoc. vero dicit, quod jejunia necessaria, ut quatuor temporum, et hujusmodi, non possunt redimi, nisi subsit rationabilis causa, voluntaria vero redimi possunt etiam sine auctoritate Superioris.

Ad hoc etiam nota; quod ubi imponitur Poenitentia aliquot annorum, sive Quadragesimarum, nec additur quomodo quis debeat poenitere, hoc relinquitur arbitrio Praesbyteri, cum Poenitentiae sint arbitrariae, ut dictum est supra. Ipse enim Presbyter arbitrabitur eam per ferias legitimas faciendam, secundum *can.* 50. *dist. De his Clericis, de hom. cap.* 2. in multis aliis jur. et sic intelligitur illud *De accus. Accusasti*, *et de spons. Dilectus*, et similia. *Expliciunt Canones Poenitentiales.*

50 Subnectitur hic poenitentia solita imponi ob violatam Immunitatem Ecclesiasticam, prout habetur ex variis Decretis ejusdem Sacrae Congreg. collectis a D. Petro Andrea Riccio in sua Synopsi verb. *Poenitentia.*

51 Quando Ecclesia violata non potest reintegrari, vel quia extractus fuit occisus, vel quia Reus in Ecclesia ipsa fuit occisus, vel ex alio actu irretractabili, in absolutione a Censuris imponitur pro Poenitentia eleemosyna facienda Ecclesiae violatae, convertenda, vel in vas Sacrum, vel in lampadem argenteam, vel in supellectilem ad perpetuam rei memoriam: *Sacra Congregatio Immunitat. in Salernitana* 28. *Octobris* 1628. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag* 110. *in Rossanen.* 26. *Maii* 1632. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 128. *in Mutinen.* 17. *Januarii* 1640 *lib.* 3. *Decret. Paul pag.* 118. *in Neapolitana* 5. *Martii* 1641. *d. lib. pag.* 140. *in Pinnen.* 16. *Decemb.* 1664. *lib. Decret. Rocci pag.* 607. *in Vicana* 16. *Junii* 1673. *in lib.* 1. *Decret. Alt. pag.* 813. *in Meliten* 16. *Februar.* 1676. *ibi pag.* 1064. *in Papien.* 5. *Martii* 1675. *ibi pag.* 1071. *in Chelmen. in Polonia* 29. *Maii* 1696. *lib.* 2. *decr. Vallem. pag.* 25.

52 Sic occidentes existentem in Campanili Ecclesiae absolvuntur, facta prius eleemosyna Ecclesiae violatae: *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Feretrana* 3. *Octobris* 1673. *lib.* 1. *decret. Alt. pag.* 851.

53 In absolutione a Censuris ob extractionem dolosam imponitur salutaris Poenitentia, sed non in enumerata pecunia, data jam reintegratione Ecclesiae, et satisfactione Partis: *Eadem Sacra Congr. Immun. in Hydruntina* 22. *Octobris* 1692. *lib. Decret. Griminaldi pag.* 213.

54 Praevia eleemosyna Ecclesiae spoliatae in summa arbitrio Archiepiscopi, et praecepto de non accedendo saltem per quinque annos ad Terram Longobucis, Archiepiscopi arbitrio Milites Campaneae absolvuntur publice prae foribus Ecclesiae, impositis gravibus, et publicis Poenitentiis: *Eadem Sacr. Congreg. Immun. in Rossanen.* 2. *Octob.* 1703. *Decret. Vall. pag* 524.

55 Rex Catholicus pro reparatione Immunitatis Ecclesiae S. Laurentii Excurialis violatae per extractionem violentam Marchionis de Valensuele elargitur, intuitu omnium culpabilium ad hoc, ut possint obtinere absolutionem a Censuris incursis, eleemosynam vigiati quatuor mille *Pezze da otto*, ut dicitur, applicandam in confectione Reliquiarii pro Reliquiis S. Laurentii apponendi in dict. Ecclesia ad publicam, et perpetuam rei memoriam: *Ead. Sac. Congr. Immun. in Toletana* 18. *Febr.* 1677. *lib.* 2. *Decret. Alt. pag.* 1533.

56 Ad complacendum simpliciter Majestati Regis Catholici instantis apud Sanctissimum, quod Gubernator, et alii declarati excommunicati ob extractionem violentam mulieris ab Ecclesia, et deinde fustigatae per Civitatem, Sanctissimus permittit, ut possint absolvi, non adimpletis conditionibus, seu Poenitentiis appositis in facultate eos absolvendi, nempe quod Gubernator abstineret per unum mensem ab exercitio suorum Officiorum, ut se gereret tamquam excommunicatum, ut solveret Ecclesiae violatae centum duplas, et alii aliam summam, solum quod ad poenam pecuniariam remisit ad arbitrium omnino Episcopi: *Eadem Sac. Congreg. Immunit. in Placentina* 20. *Martii* 1700. *lib.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 275.

Aliquando Violatori Immunitatis Ecclesiast. in absolutione a Censuris imponitur Poenitentia visitandi septem Ecclesias Urbis: *Eadem Sac. Congreg. Immun. in Beneventana* 7. *Maii* 1630. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 39. 57

Aliquando imponitur Poenitentia Gubernatori in absolutione a Censuris habens tractum successivum ratione exempli: *Eadem Sacr. Congr. Immun. in Aprutina* 9. *August.* 1639. *l.* 3. *Decret. Paul. pag.* 39. 58

Ministri, et Satellites Regiae Audientiae absolvuntur in forma publica, et impositis gravibus Poenitentiis salutaribus ob extractionem: *Eadem Sac. Cong. Immun. in Beneventana* 13. *Decemb.* 1692. *lib.* 1. *Decr. Vall. part.* 10. *in Cosentina* 28. *Maii* 1695. *d. l. p.* 192. *et alibi.* 59

Attento accessu ad Urbem remittitur Censuratus Ordinario, ut absolvat impositis gravibus Poenitentiis salutaribus: *Eadem Sacr. Congreg. Immun. in Avers.* 19. *Aprilis d. A. et l. p.* 183. *in Alben.* 4. *Maii* 1700. *lib.* 2. *Decret. Vall. pag.* 285. 60

Praevio consensu Partis, et obligatione de parendo Mandatis Ecclesiae super restitutione extracti factae alteri Ecclesiae, tamquam spoliatae, impositis gravibus Poenitentiis salutaribus, et praestita obligatione jurata de non amplius incurrendo in similia ob extractionem Confugiti factam ab Ecclesia Parochiali, absolvitur Potestas Oppidi N. private, sed servata forma, alii vero in forma consueta, et publice: *Eadem Sacr. Congreg. Immun. in Regien.* 3. *Sept.* 1695, *l.* 1. *Decr. Vall. p.* 214. 61

Arbitrio Emin. Episcopi, praevia erogatione eleemosynae Ecclesiae spoliatae in summa ab eodem Eminentissimo arbitranda, servata forma, et impositis gravibus Poenitentiis salutaribus, absolvitur Gubernator ob extractionem: *Eadem Sac. Cong. Immun. in Aversana* 17. *Maii* 1695. *l.* 1. *Decr. Vall. p.* 191. 62

Praevia cautione quatenus possit dari per Oratorem, attenta ejus paupertate, sin minus, praevia obligatione de reficiendis damnis, absolvitur in forma consueta ob extractionem Confugiti ab Ecclesia, impositis gravibus Poenitentiis salutaribus: *Ead. Sacra Congreg. Immun. in Sab.* 16. *Nov.* 1695. *d. l. p.* 157. 63

Injungitur Episcopo, qui vigore facultatis absolverat Judicem Censuratum ob violatam Immunitatem, cum Poenitentia salutari, ut removeat Poenam privationis Officii, uti improportionatam. 64

Eadem Sacra Congreg. Immun. in Balneor. 16. *Dec.* 1630. *l.* 2. *Dec. Paul. pag.* 57.

65 Censurati ob attentatam extractionem ab Ecclesia absolvuntur impositis gravibus Poenitentiis salutaribus: *Eadem Sacr. Congreg. Immun. in Minerbin.* 26. *Decemb.* 1693. *lib.* 1. *Dec. Vall. pag.* 96. *in Sutrina* 20. *Augusti* 1695. *d. lib. p.* 210.

66 Baroncellus, et Socii Executores Curiae Laicae ob dolosam extractionem absolvuntur, impositis gravibus Poenitentiis salutaribus: *Eadem Sacr. Congreg Immun. in Hydruntina* 22. *Oct.* 1692. *lib. Decr Grim. pag.* 213. *in Spoletana* 20. *Februar.* 1694. *lib.* 1. *Decret. Vall. pag.* 106. *in Nucerina* 22. *Junii dict. Ann. et lib. pag.* 130.

67 Officiales Regiae Audientiae Salerni absolvuntur arbitrio Episcopi in forma Ecclesiae, impositis gravibus Poenitentiis salutaribus ob carcerationem exempti: *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Capulaquen.* 24. *Julii* 1684. *lib.* 1. *Decret. Vall. pag.* 136.

68 Item Afflictuarii, et Executores Curiae Laicalis, qui carceraverant operarios cujusdam Parochi: *Eadem Sac. Congreg. Immun. in Theanen.* 1 *Martii* 1694. *ibi pag.* 170. *in Urb.* 12. *Decembr.* 1693. *d. lib. pag.* 93. *in Theanen.* 4. *Sept.* 1703. *lib.* 3. *Decr. Vall. p.* 512. *in Milit.* 20. *Febr.* 1694. *lib.* 1. *Decr. Vall. pag.* 106.

69 Notarius, qui scribendo processum, cooperatus est ad carcerationem Sacerdotis factam de ordine Judicis Laici, absolvitur, impositis gravibus Poenitentiis salutaribus: *Eadem Sacr. Congr. Immun. in Placentin. in Hispania* 24. *Februar.* 1694. *d. lib. p.* 107. *in Egitanien.* 23. *Januar.* 1694. *ibi pag.* 101.

70 In forma Ecclesiae impositis gravibus Poenitentiis salutaribus Executores Curiae Laicae ob tentatam Carcerationem Cursoris Curiae Episcopalis absolvuntur: *Eadem Sacra Congregat. Immunitat. in Anglon.* 19. *Jul.* 1695. *d. lib. pag.* 203.

71 Satellites Regiae audientiae ob vexationes Clerico illatas absolvuntur in forma publica, impositis gravibus Poenitentiis salutaribus: *Ead. Sac. Cong. Immun. in Cosentina* 28. *Maii* 1695. *l.* 1. *Decr. Vall. p.* 192.

72 Ministri, et Officiales Curiae Laicae ob recognitionem corporis delicti, etsi ignoranter, ut asserunt, factam super Sacerdote occiso, absolvuntur, impositis gravibus Poenitentiis salutaribus: *Ead. Sac. Cong. Immun. in Alatrina* 13. *April.* 1696. *d. l. p.* 182.

73 Birruarius percutiens Religiosum absolvitur, impositis gravibus, et publicis Poenitentiis salutaribus in forma Ecclesiae arbitrio Episcopi, et adimpletis conditionibus expressis in Litteris sub die 23. Decembris praeteriti: *Ead. Sacr. Congr. Immun. in Brundesina* 7. *Aprilis* 1694. *l.* 1. *Decr. Vallemani pag.* 115.

74 In casu necessitatis Presbyteri Graeci Catholici possunt latinos absolvere, debent tamen uti forma absolutionis in Concilio Generali Florentino praescripta: Bened. XIV. t. 1. Constitut. 57. incipient. *Et si Pastoralis* §. 5. Extra necessitatis casum prudentiae, et arbitrio Ordinariorum relinquitur, ut Presbyteri Graeci Albanenses Latinorum etiam Confessiones excipere valeant: Idem *ibid.* Sacerdotes Graeci conjugati possunt, et Curam suscipere Parochiarum, et Parochianorum suorum confessiones audire: Idem *ibid.* 75 76

In Poenitentiae Sacramenti administratione damnatur, et prohibetur sub gravissimis poenis perversa praxis introducta exquirendi a poenitentibus complicum nomina, et denegandi absolutionem, nisi illa manifestent: Idem t. 2. Constitut. incip. *Ubi primum.* Vide *tom.* 2. verb. *Confessarius*, et verb. *Complex.* 77

APPENDIX

Sive novus de Poenitentia Articulus Romani Theologi.

Novum, Amice Lector, tibi offero de Poenitentia articulum, ne eximium distrahi cogaris notulis, et animadversionibus, quas variis secundi, et tertii articuli locis, subjiciendas monuere Censores; et ut per certa, ac peritioribus Theologis nostris probata principia, securiorem, ac veram de hominis per poenitentiam reconciliatione, doctrinam, proponam, et explicem. Si quae vero a Lucio nostro asserta, aut falsa, aut minus tuta pronuncio, ne putes, me probo, atque docto viro, fratrique meo dilectissimo detractum quidpiam voluisse. Moveor enim ad ita scribendum, cum ut Censorum jussa faciam, tum etiam indito quoque mihi veritatis amore, ac studio quodam, quo ferri me sentio ad vulgandam, ac omnibus, quoad fieri possit, explicandam puriorem Ethicam Christianam, ac tutam aeternae salutis viam: Et opiniones, quas noto, non Patris Lucii sunt, sed Lacroixii, Vivae, Tamburiei, Sporerii, aliorumque hujus furfuris Auctorum, quorum ipse opiniones fideliter recenset. Ut autem ad rem veniam, primum de dolore, deinde de confessionis integritate, ac demum de satisfactione disputabo. 1

I. Ut autem intelligas, quinam, et qualis esse debeat dolor necessarius ad obtinendam per poenitentiam remissionem peccatorum, operae pretium duxi perspicue exponere, in quo virtus poenitentiae consistat, quae, teste Tridentina Synodo *sess.* 14. *cap.* 4. ad impetrandam veniam peccatorum quovis tempore necessaria fuit; et quae necessariam illam dispositionem constituit, quae in poenitente desideratur, ut per absolutionem Sacramentalem justificationem obtineat. Est itaque virtus Poenitentiae, « sincera hominis ad Deum conversio, qua peccata commissa detestatur, et odio habet propter Deum, cum gravi animi dolore, et cum firmo proposito deinceps non peccandi, sed malam vitae consuetudinem, corruptosque 2

mores emendandi, et spe veniae a Dei misericor-
3 dia consequendae ». Dubitari non potest, quin poenitentia virtus sit proprie dicta: quae enim divina lege praecipiuntur, ad virtutem proprie dictam pertinent. Nil vero frequentius in sacris litteris praecipitur, quam de perpetratis flagitiis poenitentia. Ezechielis 18. habetur: « Convertimini, ait Dominus Deus, et agite poenitentiam de omnibus iniquitatibus vestris: *Matthaei* 3. Poenitentiam agite... facite fructus dignos poenitentiae ». Et, ut alia mittam, Lucae 6. legitur: *Coepit Jesus praedicare, et dicere: Agite poenitentiam.* Deinde dolor de peccatis eo modo, et fine conceptus, ut extrema declinet, nequit non esse virtutis actus, ut inquit S. Thomas 3. *part. qu.* 85. *art.* 1. qui enim laetantur, cum male fecerint, peccant, ac peccant itidem, qui ita dolent, ut in desperationem se conjiciant, ut Cain, et Judas. Dolor ergo ad leges aequitatis, et Christianae moderationis mensuram conceptus, actus virtutis est. Virtus autem haec non generalis, sed peculiaris est, et revocatur ad justitiam commutantem. Nam poenitentia dolet de malo commisso, quatenus est offensa Dei, cujus laesum jus reparare conatur, Violati vero alterius juris compensatio, ad justitiam commutantem attinet. Cum vero pro illata Deo injuria ad aequalitatem satisfacere, atque compensare peccator nequeat, cum sit incapax, ac debeat tantum, quantum potest, ac Deus exigit, compensare, ideo a Theologis non pars subjectiva, sed potentialis tantum justitiae commutantis appellatur.

4 II. Virtus autem haec non acquisita est humanis actibus, ut justitia, fortitudo etc. sed gratuito infusa a Deo est, ut sunt virtutes Theologicae, fides, spes, et caritas. Haec enim veritas aperte revelata in Scripturis est. Jerem. XXXI dicitur: « Converte me, et convertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam »; Ezechiel sic Deum loquentem inducit: « Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri.... et dabo vobis cor carneum.... et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis ». Hinc Concil. Trident. *sess.* 6. *can.* 8. hanc veritatem definivit: « Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit ». Illa enim virtus infusa dicitur, inquit S. Thomas 3. *part. qu.* 85. *art.* 5. quam Deus in nobis sine nobis, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus, in primis producit. Ejusmodi est habitus poenitentiae, ut ex Scripturarum testimoniis constat.

5 III. Poenitentia haec necessaria est necessitate medii, et necessitate divini praecepti, ut ex divinis Scripturis patet; Matth. 4. inquit: *Coepit Jesus praedicare, et dicere: Poenitentiam agite: appropinquavit enim Regnum Caelorum.* Item Lucas *Act.* 3. *Poenitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra;* Iterum Lucas in Evang. *cap.* 13. inquit: *Si poenitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.*

Adducta testimonia, et alia plurima, quae bre- 6
vitatis studio omitto, necessitatem tum medii, tum praecepti evincunt. Nam illud dicitur necessarium necessitate medii, sine quo obtineri finis nequit. Porro aeterna salus, quae est hominis finis, ita a poenitentia pendet, ut sine ea haberi non possit. *Si poenitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.* Hanc veritatem definivit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. his verbis: « Fuit quidem poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, et justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta, et emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, et animi dolore detestarentur ». Poenitentia igitur ante omnem legem scriptam fuit peccatoribus necessaria ad salutem, atque adeo necessaria necessitate medii, et quidem intrinseci, cum sit natura sua cum fine conjucta, Quamobrem Tertullianus *lib. de poenit. cap.* 11. ait: « Deus post tot, ac tanta delicta humanae temeritatis a principe generis humani auspicata, post condemnatum hominem, post ejectum e paradiso, mortique subjectum, cum rursus ad suam misericordiam maturavisset, jam inde in semetipso poenitentiam dedicasset ». Accedit etiam evidens ex ipsa naturae lege depromptum argumentum. Nam homo per peccatum fit a Deo aversus; Deum injuria afficit; legis transgressione Deum ipsum contemnit; ac secundum incommutabiles providentiae, ac justitiae leges, fit irae, ac divinae vindictae obnoxius. Ergo, ut Deo reconcilietur, converti per poenitentiam ad ipsum debet, compensare quantum potest illatam injuriam, sese paratum exhibere ad legem, et Dei voluntatem faciendam, ac punire in semetipso peccatum, per quod divinae justitiae iram, atque vindictam subire oportebat. Idem enim exigunt incommutabiles divinae providentiae, et justitiae leges, secundum quas homo, hominisque voluntas divinae voluntati perfecte subjecta esse debet, ac summum Deo honorem deferre.

IV. Gradus, per quos pervenimus ad poeniten- 7
tiae virtutem, sex a Theologis designantur cum S. Thoma 3. *part. qu.* 85. *art.* 4. ubi haec habet: « Dicendum, quod de poenitentia loqui possumus dupliciter. Uno modo quantum ad habitum; et sic immediate a Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus. Alio modo possumus loqui de poenitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti in poenitentia cooperamur. Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thren. ult. *Converte nos Domine ad te, et convertemur.* Secundus actus est motus fidei, Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniae consequendae assumit pro-

positum emendandi. Quintus actus est motus caritatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, et non jam propter suppiicia. Sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo vniuntarius offert ». Eamdem doctrinam confirmat Tridentina Synodus *sess.* 6. *c.* 6. atque facile Sacrarum Scripturarum oraculis comprobamus. Nam Joannis 15. Christus ait: *Sine me nihil potestis facere*, et c. 4. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* quamobrem Concii. Trident. *sess.* 6. *can.* 3. ita definivit: « Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse sicut oportet, ut ei justificatinnis gratia conferatur, anathema sit ». Dogma itaque Catholicum est, veram poenitentiam a Dei operatinne, sive Sancti Spiritus impulsu initium sume-
re. Secundo huic succedit fidei mntus. Ad He-
9 braeos enim 11. Paulus scribit: *Sine fide impossi-
bile est placere Deo. Credere enim oportet acceden-
tem ad Deum, quia est, et quod inquirentibus se
remunerator sit*. Est enim fides virtutum omnium
fundamentum, reiiginnis principium, conversionis
peccatoris initium, ac prima justificationis radix.
10 Haec praecedit poenitentiam, non vero constituit,
nec ejusdem pars est, ut perperam commenti sunt
11 Novatnres. Fidem sequitur timor serviiis; cum
enim per fidem Deus exhibeatur remunerator bo-
norum, ac malorum vindex, qui iis paravit aeter-
na suppiicia, fide posita, terror in peccatore oritur
aeternorum suppliciorum; qun terrore utiliter con-
cutitur, ut ait Tridentina Synodus, et a peccatis
12 retrahitur. Timorem hunc nnn esse malum, sed
utiiem adversus haereticos facile demonstramus,
nam a superno fidei motu oritur, atque a peccato
hominem revocat; quamobrem in sacris litteris
commendatur, atque praecipitur Nam Ecciesia-
stici 1. habetur: *Timor Domini expellit peccatum:
Nam qui sine timore est, non poterit justificari*. Et
Christus Dominus Matthaei 10. *vers.* 28. hunc ti-
morem praecipit, *Timete eum*, inquiens, *qui po-
test, et animam, et corpus perdere in gehennam*.
13 Quartus gradus est motus spei, quam concipimus,
dum servili iilo timore concussi ad divinam mise-
ricordiam confugientes, confidimus Deum nobis
propter Christum propitium fore: qua spe erecti
14 vitam, et mores emendare constitnimus. Quintus
motus est caritatis, quo peccatum displicet poe-
nitenti secundum seipsum, et quatenus Dei sum-
me boni offensa est, vel propter suam turpitudi-
nem, non suppiiciorum metu: *Sicque Deum tam-
quam justitiae fontem diligere incipit*, ut loquitur
Tridentinum. Poenitens enim superna illa spe e-
rectus, ad peccati turpitudinem, ac summam Dei
bonitatem attendens, peccatum detestatur, quod
Dei offensa est, et ob propriam turpitudinem,
quod ad caritatem pertinet, ut ait S. Thomas 3.
p. quaest. 85. *art.* 4. *ad.* 1. Atque hinc sextus ori-
15 tur gradus, qui mntus timoris filiaiis appellatur,
quo poenitens Deum tamquam patrem optimum revereri incipit, atque ob reverentiam erga beneficentissimum Parentem offensae illatae satisfactionem offert, atque in seipso peccatum punire constituit.

V. Mntus isti, quos ex Tridentino, et S. Tho- 16
ma descripsi, non sunt omnes ita absoluta necessarii, ut omnes explicite, et formaliter requirantur; Sed posito gratiae praevenientis mntu, qui semper est fnrmaliter necessarius, caeteri in unico formali actu comprehendi valent. Potest enim unico instanti peccator converti, ut patet in cnnversione Sancti Pauli Apostoli. Ideo autem Tridentinum, et Sanctus Thomas post alios Patres ejusmodi actus in oeconomia poenitentiae enumerant, quia juxta consuetum divinae providentiae cursum hoc ordine concurrunt ad justificationem. Motus isti veri meriti rationem ad justificatinnem obtinendam non habent, prout praecedunt justificatinn: nam gratia ipsa justificans est principium meriti: Porro motus isti, qui justificationis gratiam praecedunt, sunt dispositiones veluti materiales, quae nobis consentientibus, et per Dei gratiam operantibus, in animam introducuntur, et iisdem ad justificationis gratiam per merita Christi Jesu obtinendam praeparamur. Quae doctrina traditur a Synodo Tridentina *sess.* 6. *capit.* 8. his verbis: « Cum vero Apostolus dicit justificari hominem per fidem, et gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus tenuit, et expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis: sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire: gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificatinnis gratiam promeretur: Si enim gratia est, jam nnn ex operibus; alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia ».

VI. Hactenus de poenitentiae virtute hominibus 17
in mortale aliquod peccatum lapsis quovis tempore
necessaria, ut ex dictis liquet, atque ex definitione
Concilii Tridentini *sess.* 14. *c.* 1. Nunc de poeni-
tentiae Sacramento agendum est, quod a Christo 18
Domino institum est, ut per juridicam Sacerdotis absolutionem homini contrito, et confesso remittantur peccata post baptismum commissa. Singulari hoc beneficio, quo Ecclesiam suam Christus Dominus ornavit, atque mnnivit, potestatem faciendo Sacerdotibus remittendi per absolutionem Sacramentalem peccata, homines peccatores a virtutis poenitentiae exercitio non liberantur, sed novo potius titulo, novoque incitamento ad illam exercendam ferventius stimulantur. Tum quia Sacramenta ad perficiendas, non ad infirmandas virtutes destinata sunt; tum quia, haec peculiaria beneficia cum sint, homines adstringere debent ad gratum quoque animum ob nova suscepta beneficia exhibendum per ferventius virtutis exerci-

tiem; tum demem, quia, cum ie poeniteetiae Sacramento ad alios virtutis actus, per quos homo ad reconciliatioeem disponitur, addita sit peccatorum coefessio, quae effectu verecendiae, atque confusioee iede orta, plurimum confert ad detestatioeem peccati, facile intelligere est, Christum Dominum voluissa, ut institutum, a se Sacramentum poenitentiae, novos stimulos afferret ad detestaeda peccata, ac ferveetius exerceedam poe-
19 nitentiae virtutam. Sacramentum ergo poeniteetiae iestitutum a Christo Domieo fuit ad fovendam, perficiendamque virtutem poeniteetiae, non vero ad atteeuandam, et ad supplendum per virtutem clavium perfectae contritionis defectum. Audiantur verba Catechismi Coec. Trid. *part.* 2. *de poenit.* §. 36. *Quantum*, ibi: « Ut enim hoc coecedamus, *inquit*, Coetritioee peccata deleri, quis igeorat, illam adeo vehementem, acrem, intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aequari, conferrique possit »? Haec est contritio caritate perfecta, qua jestificatur peccator absque actuali Sacrameeti susceptioee, eum solo illius voto. De imperfecta varo subdit §. 37. « At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a paucissimis hac via peccatorum venia speraeda esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione commuei hominum rationi consuleret, quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves Regni Coelestis Ecclesiae tradidit. Etenim ex Fidai Catholicae doctrina, omnibus credendum, et costanter affirmaedum est: Si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, et si hujusmodi dolore noe afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omeia remitti ac condonari: nt merito a saectissimis viris Patribus nostris celebratum sit, Ecclesiaa clavibus aditum in Coelum aperiri: de quo eemini dubitare fas est, cum a Florentino Concilio decretum legamus, Poenitentiae effectum esse absolutionem a peccatis ». Vides ergo, Sacramentum poeniteetiae fovere, atque perficere virtutem, atque virtutis conatus augere potius, quam iefirmare dcbere, in eo vero ipsius beneficium repositum esse, ut vehementis, acris, ieteesaeque coetritionis defectum suppleat, conferendo absolutionis beneficio justificatioeem etiam illi, qui noe vehementem, acrem, et intensam, sed remissam, et imperfectam Coetritionem habeat. Hac ratioee faciliorem reddit commueltati credentium remissioeem peccatorum, cum valde difficile sit vehemeetem, acrem, intensumque illum contritionis motum concipere, quo extra Saeramentum homines justificentur. Haec notata, ac
20 fusius explicata sunt, ut videas, quam inepte philosophentur, qei pro extolieeda clavium virtute, ac efficacia Sacramenti, obligationem ieenndae poenitentiae ita in peccatoribus minuunt, ut dispoei illum posse credant ad absolutionem recipiendam siee illo divini amoris acte, quo se a creaturis aversi, et conversi ad Deum profitemur.

Sacramentum poenitentiae suam, nt Sacramenta reliqua, materiam habet. Haec vero duplex est, remota, et proxima. Materia remota sunt peccata detestaeda, et destruenda; Nam sicut ligna igeis materiam dicimus, quia igni consumenda subjiciuntur, ita Theologi peccata, quae clavium virtuti, ac poeeitentiae Sacramento supponuetur, nt deleaeter, materiam Sacrameeti poeeitentiae appellant. Peccata vero, quae post Baptismum committueter, proprie materiam Sacramenti Poenitentiae constituunt; Mortalia materiam necessariam, venialia vero materiam tantum sufficientem; cum absque coefessione Sacramentali, aut ejus voto, atque Sacerdotis absolutione remitti possint. Media autem, quibus remissio peccatorum venialium confertur, sunt fervor caritatis, Sacramenta vivorum, et Sacramentalia, quatenus siet cum motu detestationis peccatorum conjuncta, ut confessio generalis, tnnsio pectoris, et oratio Dominica: vel cum motu revereetiae ie Deum, resque divinas, ut Benedictio Episcopalis, aspersio Aquae Benedictae, Oratin in Ecclesia consecrata, et alia hujusmodi. Dixi *cum detestatione peccatorum conjuncta*, quia remitti numquam possuet peccata etiam venialia, quandiu voluntas illis adhaeret; quamobrem ait S. Thomas, ne Martyriem quidem venialia peccata delere: *Si actualiter voluntatem peccato invenerit inhaerentem*. Sacramentalia ergo, ac vivorum Sacrameeta ad venialium remissionem conducunt, quatenus *inclinant*, inquit idem Doctor Angelicus *animam ad motum Poenitentiae, qui est detestatio peccatorum, implicite, vel explicite*. 21

VIII. Materia proxima hujus Sacramenti vocantur actus Poenitentis, per quos delenda peccata subjiciuntur potestati clavium, ac satisfactione pueiuntur, Sunt autem hujusmodi actus, cordis coetritio, oris confessio, atque operis satisfactio, Primum de contritiona, dainceps de confessione, ac demum de satisfactioee dicemus. Hic tamee nbiter notare juvat, tres antedictos actus a Florentina Synodo eon Materiam, sed *quasi materiam* appellari, quia Scotistaa, aliique Theologi, ac viri gravissimi, ajunt quidem, tres illos actus necessario in Sacramento poenitentiae requiri, ut Sacramentum ex effectu sit ietegrum, sive esse materiam, circa quam proxime, et objectiva poenitentia occupatur; sed negant ad integritatem substantialem perlinere, aut letrinsece Sacramantum ipsum componere; Doctor enim Subtilis *in* 5. *dis.* 14. *q.* 4. *et dis.* 17. *q.* 1. hujus Sacramenti assentiam in sola absolutione reposuit, itaut, quateeus ritus sensibilis est, pro materia, qnateous vero remissionem peccatorum significat, haberi pro forma debeat. Nec opinio haec fuit unquam ab Ecclesia improbata, aut censura ulla notari potest. 22

IX. Coetritio, inquit *Trid. Syn. sess.* 14. *c.* 4. quae primum locum inter actus poenitentis habet: « Animi dolor, ac detestatio est de peccato 23

commisso, cum proposito non peccandi de caetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, et in homine post Baptismum lapso, ita demum praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinae misericordiae, et voto praestandi reliqua conjunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur S. Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum, et inchoationem, sed veteris etiam odium continere ». Perpende quaeso Concilii declarationem. Ait, contritionem, quae necessaria est ad praeparandum hominem in Sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum, detestationem peccatorum, propositum non peccandi *sive novae vitae propositum, et inchoationem* continere, atque
24 exprimere. Vide ergo 1. num sustineri possit illa Probabilistarum opinio, quae sit, non requiri in poenitente propositum expressum de non peccando de caetero, sed implicitum sufficere, illud scilicet, quod dolor ipse, ac detestatio peccatorum in se involvit. Nam Concilium duo haec expresse postulat, ut poenitens detestetur peccatum, et propositum habeat non peccandi de caetero; cessationem a peccato; et vitae novae propositum. Satis ergo, superque declarat, necessariam in poenitente esse expressam peccati detestationem, ac expressum quoque propositum non peccandi de cetero, quod novae vitae inchoationem continent. Concilii ergo menti repugnat benigna illa Casuistarum opinio, quae solum implicitum propositum sufficere
25 affirmat. 2. Num novae vitae propositum, et inchoatio haberi possit sine caritatis initio. Cum enim caritas, et amor Dei vita hominis spiritualis sit, cujus privatio mors spiritualis hominis nuncupatur, non videtur hominem poenitentem novam inchoare posse vitam, quin aliquem in se Dei amorem, atque caritatis initium habeat; et quin primum, omnium maximum Dei mandatum servare incipiat. Sed de iis paulo infra.

26 X. Contritio ab eodem Concilio *cap. citato*, di-
27 viditur in perfectam, et imperfectam. Perfectam vocat, quae ex caritate perfecta concipitur, quae etsi hominem Deo reconciliet priusquam etiam hoc Sacramentum actu suscipiat, declarat tamen reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti
28 voto non esse adscribendam: imperfectam vero, quae attritio dicitur, eam, quae « vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae, et poenarum metu communiter concipitur »; Haec, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, non solum non facit hominem hypocritam, et magis peccatorem, sed etiam donum Dei est, et Spiritus Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo Poenitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit. Ad imperfectam contritionem sive attritionem quod attinet, observare necesse est pri- 29
mum, attritionem naturalem, id est quam rationes mere naturales excitant, et quae solis naturae viribus concipitur, non sufficere, etiam cum Sacramento Poenitentiae, ad hominem Deo reconciliandum; opposita enim opinio damnata fuit ab Innocentio XI. Deinde nequidem attritionem illam sufficere, qua quis doleat de peccato, qua- 30
tenus offensa Dei etc. si peccandi voluntatem, et peccati affectum non excludat; attritio enim necessariam ad reconciliandum hominem in Sacramento Poenitentiae detestationem secum ferre debet de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero, ac vitae veteris odium et vitae novae propositum, et inchoationem: ubi vero peccandi voluntas, et peccati affectus non excludatur, verum non peccandi propositum deest, verum peccati odium desideratur, nec efficax propositum adest, neque efficax novae vitae inchoatio, ut consideranti patet. Denique ob- 31
servare est, attritionem ex turpitudinis peccati consideratione, atque ex gehennae, et poenarum metu conceptam, utilem esse, atque ad justificationem disponere, ut est a Concilio Tridentino adversus Lutheranos definitum. Idque constat etiam ex iis, quae supra nos de timore disputavimus. At aliud est, utilem esse, atque disponere ad justificationem, et aliud sufficientem esse. Nam fides utilis sane est, atque disponit, non vero non sufficit; spes quoque inter utiles dispositiones recensetur, sed nec haec etiam cum fide conjuncta sufficit. Etsi ergo dolor ex metu illo conceptus utilis sit, atque disponat, non inde perspicue sequitur, dolorem hujusmodi cum ipsa fide, et spe conjuctum sufficientem esse ad hominem Deo reconciliandum in Sacramento. Quamobrem jure, meritoque disputant Theologi, num attritio necessaria in Sacramento Poenitentiae, sine Dei amore saltem inchoato sufficiens sit ad justificationem obtinendam.

XI. Supervacaneum existimo disputare, num in 32
Sacramento requiratur contritio perfecta: falsam enim opinionem id asserentem communiter omnes Theologi existimant. At neque in Concilio Triden- 33
tino, neque alio Ecclesiae Decreto haec sententia proscripta unquam fuit. Praefatam sententiam gravissimi Theologi ante Concilium Tridentinum propugnarunt: Hugo a S. Victore *lib.* 2. *de Sacram. par.* 15 *cap.* 8. Richardus Victorinus *lib. de potest. absolvend. cap.* 7. Robertus Pullus *de Sacram. p.* 5. *c.* 13. Innocentius III. *in Psalm.* 2. *poenit.* Guillelmus Antisiodorensis *in Sum.* Albertus Magnus *in* 4. *sentent. distinct.* 17. *et* 18. Alexander Alensis *par.* 4. *Sum. qu.* 8. *memb.* 1. S. Raymundus *lib.* 4. *de poenitent.* § 8. Vincentius Bellovacensis *lib.* 8. *specul. Histor. cap.* 34 S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 81. *par.* 1. *art.* 2. *q.* 1. S. Bernardinus Senensis *tom.* 2. *Serm.* 27. *de confes.* Gabriel Biel *in* 4. *dist.* 14. *quaest.* 11. *artic.* 2. Al-

phonsos Tostatus *cap.* 5. *Defensorii*, Guilleimus Pepinus *serm.* 5. *in Coena Domini*, inquit: « Regula generalis Theologorum est, quod Confessor neminem debet absolvere, quem non credit verisimiliter a Deo absolutum. Nemo Theologorum tribus integris saeculis ante Tridentinum notam haeresis huic sententiae impendit, neque in Conciliis Lateranensi IV. Lugdunensi II. Viennensi, Constantiensi, Basileensi, Florentino de eadem querela aliqua mota fuit. Immo nec ipsum Concilium Tridentinum aliquam in eamdem censuram tulit, ut testatur Cardinalis Pallavicinus *lib.* 4. *hist. cap.* 10. atque gravissimi Theologi, qui eidem Concilio interfuere, Andreas Vega, *lib.* 13 *in Concil. Trid.* 33. Richardus Tapperus, ut colligitur ex historia *Conc. Trid.* 3. *cap.* 10. Dominicus Soto *in* 4. *dist.* 18. *quaest.* 3. *artic.* 2. Relata sententia de perfecta contritione, quae culpam deleat, non ita facile cum potestate clavium
34 componi valet; quamvis haec duo variis viis consociare illius Auctores studeant. Idcirco omnes Theologi jure nunc hanc sententiam rejiciunt, non quod sit ab Ecclesia peculiari decreto proscripta; sed quia reipsa falsa est, et clavium potestati derogare videtur. Si plura hac de cupis, legas P. Drue *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3.

35 XII. Haec praemittenda duximus, ut faciliusLectores intelligant, quaenam cavenda, ac aliqua reprehensione digna habeantur *in* 2. *et* 3. *articulo de poenitentia*. Itaque *numero* 12. *secundi articuli*
36 exponitur, atque probatur eorum opinio, qui cum Lacroixio, aliisque benignioribus Theologis tuentur, « sufficere in poenitentia dolorem de peccatis ob metum poenarum temporalium, ut a Deo immissarum, vel immittendarum »; qui ergo de peccato ea unice de causa doleat, quia timet, vel morbum gallicum, vel carcerem, vel famem, vel infamiam, vel gravem infirmitatem, quam peccati causa a Deo inflictam, vel infligendam credat, satis superque paratus est ad obtinendam in Sacramento Poenitentiae justificationem. Ita ne, mi Luci, fideles poenitentes instruendos putas? Nihil aliud ab homine exposces, qui ad te peccata manifestaturus accedat? At Innocentii XI. decreto sancitum est, non licere, ubi de valore Sacramenti agitur, sequi opinionem probabilissimam, relicta tutiori. Igitur cum, te fatente, probabilitatis lineam non excedat assertio de sufficientia hujus timoris, ut Pontificio decreto obsequaris, cogeris obligare poenitentem ad novum, et perfectiorem dolorem concipiendum. Sed quid, si levissima etiam sit probabilitas? Nam graviores Theologi opinionem istam pro laxa, atque falsa omnino habent. Et quidem jure, atque merito ita opinari videntur. Primum, quia Concilium Tridentinum, utilem attritionem describens ex metu poenarum conceptam, ait *ex gehennae, et poenarum metu*. Alias ergo poenas cum gehenna conjungit, hoc est cum poena aeterna, quae propria peccati mortalis poena est, quaeque per fidem unice proponitur, non vero per sensus, perque rerum sensibilium amorem, quo ad aversanda, et timenda mala temporalia trahimur. Deinde Concilium Tridentinum dolorem disponentem ad justificationem in Sacramento ex supernaturali motivo, atque ex superno S. Spiritus impulsu, concipi oportere declarat. Supernus vero Divini Spiritus impulsus, hominem a terrenis, et temporalibus retrahit, atque ad coelestia, et aeterna vocat, et dirigit. Id adeo certum est, ut in controversiam revocari nequeat. Dum ergo homo detestando peccatum, sistit in timore, vel carceris, vel infamiae, vel morbi gallici, aut etiam temporariae mortis, qua se a Deo punitum iri metuat, dubitari prudenter poterit, timorem illum non esse ex impulsu supernae gratiae, sed ex proprio potius, et humano illo amore, quo natura hominis impetu quodam mala haec refugit, et aversatur. Atque haec nostra conjectura consona est Christi Domini sententiae, qui Matthaei 10. utilem Discipulis suis timorem demonstrans, inquit: « Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed timete eum, qui potest, et animam, et corpus perdere in gehennam ». Monet itaque Servator noster, ne timorem illum concipiamus, qui pro objecto habeat mala temporalia, quorum mors extremum est, sed illum tantum, quo a gehenna, et aeterna poena retrahimur. Quorsum vero hoc, nisi quia timor ille infirmae semper, aut ferme semper humanitatis est motus; hic vero superni illius Spiritus, qui per fidem aeternas poenas demonstrat, et quo ad Caelestia, et aeterna dirigimur? Et sane debita peccato mortali poena aeterna est, non temporaria; qua de causa apposite Concilium Tridentinum poenarum metum cum metu gehennae copulavit; scilicet, ut intelligeremus, primarium hominis peccatoris objectum timoris, aeternas esse poenas, poenas vero reliquas, veluti illius consectaria. Non diffiteor, utilem esse posse hujusmodi timorem, cum retrahere aliquo modo hominem a peccato possit, ac excitare illum ad aeternas poenas considerandas, quarum timore intimius, atque validius concutitur, Sed hunc tantum timorem sufficere, probare nullo modo possumus. Distinguat ergo Lucius *inter utilem, et sufficientem:* non enim quaecumque utilia sunt, ea sufficiunt ad justificationem obtinendam. Nec ad rem facit Ninivitarum, quod ipse affert, exemplum: ii enim utiliter timore concussi dicuntur a Concilio Tridentino; sed quis dicat, timorem tantum poenae temporalis concepisse, cum Jonas Civitatis exterminium, mortem, ac divinam illis minitatus fuerit vindictam, et cum ex iis concepto timore utiliter concussi fuerint? Videndum etiam qua ratione utiliter concussi fuerint. Non alia sane ratione, nisi quia ex hujusmodi timore moti sunt ad considerandam Divinam misericordiam, in qua spem veniae collocaverunt, et ad considerandam Divinam justitiam, cujus deinceps amore conversi sunt de via sua mala, hoc est, facti sunt aversi a creatura,

at conversi ad Creatorem, qua unice via obtinere tunc poterant justificationem. Accedit etiam, quod de Ninivitis legatur: *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala etc.* Deus porro nullam rationem habet operum in ordine ad justificationem, nisi procedant ex fide, quae per dilectionem operatur. Ut enim ait S. August. *serm.* 88. *alias* 50. *de Verbis Domini c.* 2. *Adde caritatem, prosunt omnia; detrahe caritatem, nihil prosunt caetera.*

37 XIII. Non solum dolorem ob metum poenae temporariae insufficientem habemus ad justificationem obtinendam, sed dubitamus etiam de sufficientia doloris ex solo metu gehennae concepti, aut ex turpitudinis peccati consideratione, si initiaiis ille amor non accedat, quo homo aversus a peccato, et creatura, et conversus ad Deum esse incipiat, et quo novam illam vitam incboet, quam a Tridentina Synodo commemoratam diximus. Et cum in Sacramentis conficiendis, tutam sectari teneamur viam post laudatum Innocentii XI. decretum, contendimus, teneri Confessarios ad hortandos poenitentes, ut conentur, ex aliquo saltem initiali Dei amore, dolorem de peccatis concipere. Si opinio haec asserens probabilis sit, nemo dubitat ad id teneri. Quid vero, si probabilior quoque sit? At ita se res habet, ut facile quisque intelliget, dum serio attendat ad vera, atque solida Theologiae principia. Nos hic pauca primum dicemus de servili timore gehennae, ac de dolore ex turpitudinis peccati consideratione, deinde de initialis amoris necessitate.

38 XIV. Jam diximus, servilem gehennae timorem bonum, atque utilem esse motum, quo scilicet homines utiliter concutiuntur, ac retrahuntur a
39 peccatis. Ostendendum nunc est, utilem hujusmodi timorem ad justificandum hominem cum Sacramento neutiquam sufficere. Id autem ostenditur primo, quia nova est, nec duobus saeculis vetustior doctrina, quae asserit sufficientem esse hujusmodi timorem, ut docet Benedictus XIV. *de Synodo Dioecesana lib.* 7. *c.* 12. *num.* 6. inquiens « Quamvis ante Tridentinum communiter Theologi docuerint, ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae obtinendam satis esse contritionem imperfectam, quam jam tum attritionem nuncupabant, attritionis tamen nomine nunquam dolorem intellexerunt de peccatis, aliunde excitatum, quam ex motivo caritatis, seu omnino sejunctum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili, seu initiali amore benevolo Dei ». Si nova est in Theologia doctrina de sufficientia timoris servilis; ergo suspecta, et minus tuta; cum vera doctrina sit ea, quam per manus Patrum ex Apostolis a Christo Domino deductam, Ecclesia, atque antiquiores Theologi acceperunt. Deinde dolor disponens ad justificationem ex Concilio Tridentino loco supra citato debet excludere voluntatem peccandi; cum voluntate enim peccandi vera virtus poenitentiae consistere nequit; atqui dolor ex metu gehennae, sive gehennae timor, quod idem est, voluntatem peccandi non excludit, timor enim, ut pluries docuit Augustinus, ac alii tradidere Patres, *manum cohibet, non animum.* En verba Augustini *Concione* 25. *in psalm.* 118. « Timor, quo non amatur justitia, sed timetur poena, servilis est, et ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quae tunc apparet in opere, quando speratur impunitas ». Similia habent Gregorius Magnus *in lib. Moral. cap.* 27. atque alibi, S. Bernardus *Epist.* 11. aliique Patres. Ex Theologis sufficienter S. Thomas, et S. Bonaventura: Doctor enim Angelicus 2. 2. *q.* 19. *art.* 9. ait: « Timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritus S. licet sit a Spiritu S. quia, ut Augustin. dicit *in lib. de natura, et gratia c.* 57. potest habere annexam voluntatem peccandi: dona autem Spiritus S. non possunt esse cum voluntate peccandi, quia non sunt sine caritate ». S. Bonaventura 3. *sententiarum dist.* 34. *qu.* 1. *de timore n.* 59. affirmat, « metu suppliciorum aeternorum, et Divinae justitiae, hominem cessare a peccatorum perpetratione, sed non omnino a voluntate » : et *quaest.* 2. *n.* 65. expresse ait, *manere voluntatem peccandi in habitu, et radice* in eo, qui a peccato
abstineat ob timorem poenae ». Timor ergo hujus- 40
modi voluntatem peccandi non excludit. Denique
dolor, quo homo ad poenitentiam, et justificatio- 41
nem praeparatur, cordis conversionem secum ferre debet: ut enim per peccatum fit homo aversus a Deo, et conversus ad creaturam, ita per poenitentiam aversus a peccato, et a creatura fieri debet, et conversus ad Deum; « Offensa peccati mortalis (inquit S. Thomas 3. *part. quaest.* 86. *art.* 2.) procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa a Deo, per conversionem ad aliquod bonum commutabile, unde requiritur ad remissionem Divinae offensae, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis praedictae, et proposito emendae ». Atqui conversio haec solo timore gehennae fieri non potest, tum quia conversio haec debet esse motus contrarius conversioni ad creaturam; motus autem huic conversioni contrarius, non est nisi conversio ad Deum per amorem: hinc S. Thomas *lib.* 4. *contra Gentes c.* 71. *Mens nostra*, inquit, *debite ad Deum converti non potest sine caritate;* Tum etiam quia non habetur vera ad Deum conversio, quin illi restituatur, quod per injuriam ablatum fuit. Itaque cum homo peccando debitum Deo amorem creaturis tribuerit; manifestum est, non posse ad reconciliationem disponi, nisi avertendo se a creaturis, ac se convertendo per amorem ad ipsum Deum. Et sane perridicula res videtur, hominem, qui peccavit detrahendo Deo debitum amorem, reconciliationem cum eo per poenitentiam exposcere, et ne quidem amoris initium reddere eidem oportere. Tum demum quia impossibile est converti hominem ad Deum posse, quamdiu in ipso homine praedominans creaturae amor in-

calescat, hic enim amor malus cum sit, nequit cum vera ad Deum conversione componi, et cum hujusmodi conversio aliqualem a creatura aversionem, et debitam humanae voluntatis Deo subjectionem secum ferre debeat, manifestum est, cum praedominante suis ipsius amore conciliari in homine non posse: atqui quamdiu ex solo gehennae metu homo de peccato dolet, in se ipso creaturae, ac sui ipsius praedominantem amorem gerit; nam sine amore, qui vita cordis est, esse homo non potest, ut Auctor libri de substantia dilectionis, et S. Fulgentius *lib.* 1. *ad Monim.* aperte tradunt. Ergo cum in homine amor Dei non statuatur, necesse est, ut Creaturae amor praevaleat. Et sane, undenam metus mali in homine oritur, nisi ex praedominante sui ipsius amore, quo quidquid ei malum exhibetur, aversatur, et fugit? Ex quo ap-
41 paret, hominem per timorem retrahi potius a Deo, quam eidem per debitam obedientiam subjici, ac per actum voluntatis ad ipsum converti. Opus ergo est dilectione aliqua, quae amare incipiat Divinam bonitatem, atque justitiam, ut homo ad Deum conversus dicatur. Audiat ergo Lucius noster Alexandrum Alensem, qui *in* 4. *qu.* 17. *art.* 6. haec de servili timore habet. » Dico, quod timor est principium remotum (*poenitentiae*), quia ex hoc quod poenam timet, desistit ab actione peccati, sed nondum justificatur. Sed post incipit (*poenitens*) moveri in Deum per amorem, et sic timor est principium remotum, amor vero propinquum ». Et in Speculo animae: « Timor, *inquit*, semper cum mortali peccato est, scilicet cum quis dimittit peccatum facere solummodo ratione poenae ». Et in libro *de* 7. *donis Spiritus S. cap.* 1. *Timor servilis non mutat voluntatem in bonum, licet criminis impediat executionem* (*). Disponit itaque timor, sed non sufficit ad justificationem obtinendam, sicut fides, et spes disponunt, sed non sufficiunt.

42 XV. Venio nunc ad attritionem ex turpitudine peccati conceptam. Triplex in peccato turpitudo concipitur, 1. in eo consistit, quod peccatum v. g. furti res sit in humana societate probrosa, et ignominia plena. 2. Peccato ipsi intima est, in quantum peccatum natura difforme est, et honestati, ac rationi, animaeque nostrae pulchritudini contrarium, atque ita furtum turpe sua natura est. 3. Denique peccati turpitudo in oppositione consistit peccati cum justitia, et sanctitate Dei; dubitari enim non potest quin turpe sit, quod Dei sanctitati, ejusque aeternae legi contrarium est. Jam vero, si quis de peccato doleat, quia sibi propriaeque aestimationi noxium est, non peccatum, sed propriae famae jacturam detestatur, et gemit. Itaque conversus ad Deum dici nequit. Item qui peccatum detestatur, quia honestati repugnat, ac propriae animae pulchritudinem deformat, nec alio altiori motivo de patratis iniquitatibus affligitur, is constituit in se ipso finem suum, ideoque vere poenitens dici nequit; immo novum peccatis suis superbiae crimen addit. Audi Augustinum *lib.* 5. *de Civitate Dei cap.* 20. *Cum anima*, inquit, *in se delectatur, nondum re incommutabili delectatur, et ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, cum Superior sit Deus.* Superest ergo, ut solus ille dolor vere ad justificationem in Sacramento obtinendam disponat, qui ex turpitudinis peccati consideratione concipitur, quatenus Deo, fonti sanctitatis infinitae displicet, ejusque incommutabili justitiae contrarium est. Non potest vero hic dolor esse, sine aliquo Dei amore, immo ex amore ipso, velut ex causa, ac principio nascitur, quod erit ex iis, quae dicenda supersunt, certissimum.

XVI. Contritio ergo imperfecta, sive attritio, 43
quae hominem proxime disponit ad justificationem in Sacramento poenitentiae, amorem Dei, sive caritatem initialem, qua Deum diligere incipiat veluti omnis justitiae fontem, necessario ferre secum debet. Ne a sodalium meorum doctrina recessisse videar, praeter Alensis, et S. Bonaventurae auctoritates, supra recensitas, in medium hic afferre duxi, primum S. Bernardini Senensis, deinde Doctoris subtilis sententias: Ille itaque ait: « Qui conteritur principaliter propter timorem inferni, et non propter amorem Dei, non est in statu salutis, quia non dolet amore Dei, sed amore sui, ut si cessaret damnatio ex propria culpa, cessaret et contritio illa. Licet ad veram contritionem concurrat dolor humilians, debet tamen concurrere amor inflammans: unde, etsi in peccatore initiet timor poenae, superveniens tamen amor talem timorem debet repellere ». Scotus vero in 4. *Sententiar. distinct.* 18. « Contritio ad hoc, ut sit dispositio ex congruo ad receptionem gratiae, oportet, quod sit voluntaria detestatio, et debita circumstantia finis: quod homo poeniteat, non solum propter timorem poenae, sed timore filiali . . » Et ibidem *dist.* 20. *quaest. unica*, inquit: « Ad hoc, quod displicentia valeat, et sit ordinata, oportet, quod sit debite circumstantiata, et maxime circumstantia finis, et principii active principalis, ut scilicet sit voluntaria propter Deum . . . oportet non solum timere judicem, sed diligere: ut enim delere possit commissa, (Judex Deus) arbitrii libertatem quaerit, non necessitatem, caritatem, non timorem ». In hanc opinionem propen- 44
sos fuisse Tridentinos Patres facile patet, licet enim controversiam hanc definire noluerint, ut habemus ex ejusdem Concilii historia, tamen praeferre voluisse videntur opinionem adstruentem necessariam esse aliquam Dei dilectionem, ut homines proxime

(*) Hactenus allata S. Augustini, ac Theologorum testimonia de timore illo servili sunt, qui *serviliter servilis* dicitur, quo poena tanquam principale malum timetur, atque adeo, qui illo percellitur, ita est comparatus, ut si nulla sibi peccanti poena immineret, a peccato non abstineret.

ad justificationem disponantur, habent enim *sess.* 6. *cap.* 6. homines adultos justificari, « Dum peccatores se esse intelligentes, a Divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandum Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem, hoc est, per eam Poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet ». Si haec desiderantur in Baptismo, quanto magis in poenitentia, quae a Tridentinis laboriosus baptismus nuncupatur? Atque hinc apparet, injuria Auctorem Bibliothecae *nu.* 14. secundi articuli concludere ex Tridentino, sufficientem esse timorem servilem in Sacramento poenitentiae, quia Patres dixerant, per hunc peccatorem *utiliter concuti*: Qua enim ratione utiliter concutietur, expositi Concilii verbis declaratur. Fides Deum veluti supremum Judicem exhibet peccatori, qui per aeterna supplicia puniri velit homines lethali culpa gravatos: haec repraesentatio timorem in homine excitat suppliciorum, per quem a peccato eorumdem causa retrahitur, et qui amorem in hominem excitat concupiscentiae, quo Deum sibi propitium, ac bonum fore optat: tum spes sequitur, quae amori concupiscentiae, sive desiderio antedicto juxta doctrinam S. Thomae 1. 2. *qu.* 25. *art.* 2. *addit quemdam conatum, et quamdam elevationem animi ad consequendum bonum arduum*, quo sensu Concilium dixit, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi per Christum propitium fore: elevato denique in spem animo, Deus summe bonus, et summe justus exhibetur, quo fit, ut contritus homo, diligere divinam bonitatem, et justitiam incipiat, Deum nempe veluti totius rectitudinis, sive justitiae fontem, et hujusmodi amor est novae inchoatio, de qua Tridentinum loquitur, et efficax novae vitae propositum, quod consistere in homine sine Dei summe boni dilectione non potest.

45 XVII. Ex his facile liquet, quam aequa sit censura Cleri Gallicani, dum hanc propositionem proscripsit in Comitiis Generalibus anno 1700. celebratis « Attritio ex gehennae metu sufficit etiam sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu, quia talis honesta, et supernaturalis est »: *ait enim*: « Haec propositio, qua a dispositionibus necessariis ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, et in haeresim inducit »: deinde vero suam doctrinam ita explicat: « Post absolutas propositionum censuras, supersunt quaedam pro rei gravitate enucleatius exponenda, et ab ipsis principiis in apertam lucem deducenda ».

« Et quidem de dilectione Dei sicut ad Sacramentum baptismi in adultis, ita ad Sacramentum poenitentiae, quae est laboriosus baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus; haec duo in primis ex Sacrosancta Synodo Tridentina monenda, et docenda esse duximus ».

« Primum, ne quis putet, in utroque Sacramento requiri ut praeviam contritionem eam, quae fit caritate perfecta, antequam actu suscipiatur, hominemque Deo reconciliet; alterum, ne quis putet, in utroque Sacramento securum se esse, si praeter fidei, et spei actus, non incipiat diligere Deum, tamquam omnis justitiae fontem ».

« Neque vero satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitae novae inchoandae, ac servandi mandata divina propositum, si poenitens primi, ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit saltem animo ita praeparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, se se excitet, ac provocet. »

« Placet etiam caveri a Sacramenti poenitentiae administris, ne in hoc poenitentiae Sacramento, aliisque Sacramentis conferendis, sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: Neque poenitentes ipsorum fidei animam suam committentes admonere cessent, ut in poenitendo inchoatae saltem dilectionis Dei ineant viam, quae sola secura sit: graviter peccaturi in hoc salutis discrimine, vel eo solo, quod certis incerta praeponant ».

XVIII. Afferendae hic essent ad id magis comprobandum Scripturae, ac Patrum auctoritates; 46
at eas de industria omittimus, cum legere quisque illas possit apud satis obvios auctores, qui easdem collegere. Videantur Carolus Witasse, Laurentius Berti, Auctor de re Sacramentaria, Daniel Concina, aliique doctissimi Recentiores, qui hanc controversiam in suis operibus Theologicis fusim pertractant. Nobis enim sat est argumenta indicare, quae Patres, antiquioresque Theologi suggerunt. Primum itaque sit; Lex ipsa naturae postulat, ut homo, qui peccando pervertit Divinae 47
providentiae ordinem, Deum offendit, ejusque inimicus evadit, dum eidem Deo reconciliari desiderat, ita in se ipsum redeat, ut serio, atque efficaciter proponat, restitutum velle turbatum per ipsum Divinae providentiae ordinem, compensatam Deo illatam injuriam, ac conciliatam iterum sibi Dei amicitiam. Quis enim dicat, conversum ad Deum peccatorem esse, si servatum noliit stabilitum a Divina justitia ordinem, si compensare pro illata injuria recuset, si denique inire cum Deo amicitiam enixe non optet? At efficaciter non vult servatum constitutum ordinem, qui amare saltem non incipit Deum tamquam totius justitiae fontem, scilicet tamquam eum, per quem totius rectitudinis ordo constitutus est; si non incipiat diligere ipsum tamquam summum bonum, cum rectus ordo exposcat, ut Deus super omnia toto corde diligatur: neque pro illata Deo injuria vult efficaciter compensare, qui sublatum Deo debitum amorem, ac creaturis tributum, eidem Deo iterum restituere efficaciter non constituat: qui vero Deum amare non incipit, qua summum bonum

est, non vult profecto efficaciter eidem debitum restituere amorem: nec demum inire cum Deo amicitiam efficaciter desideret, qui eum initiali saltem amore amicitiae non diligit. Deinde, Scripturae in homine poenitente exigunt; *Ut revertatur ad Deum in universo corde suo, et tota anima sua*, 3. Regum 8. atque 1. Joannis 3. ajunt: *Eum, qui non diligit, manere in morte*. Quomodo vero in universo corde suo, et in tota anima sua reversus ad Deum homo dici potest, si saltem amare ipsum non incipiat? Scimus enim, nonnisi per amorem cor, et animam hominis ad Deum reverti. Quomodo deinde novam vitam inchoasse dicetur, ut Concilium Tridentinum in poenitente postulat, qui non diligendo maneat in morte, si saltem per initium caritatis non incipiat diligere Deum? Reliqua facile patent ex dictis.

48 XIX. Ex iis, quae dicta sunt, facile colliges, amorem, qui requiritur in poenitente, secundum Tridentini definitionem, non esse amorem concupiscentiae, et spei, sed amorem amicitiae, ac saltem caritatis initium. Id enim cum ex eo constat, quod amor concupiscentiae spem praecedat, ut diximus, et quod Concilium praeter fidem, et spem, alium virtutis actum exposcat: *Quo diligere incipiat Deum tamquam omnis justitiae fontem;* tum etiam ex eo, quod propositum novae ineundae vitae involvere secum debeat efficax desiderium servandi primum, et maximum mendatum, diligendi scilicet Deum super omnia. Efficax autem hujusmodi desiderium, aut dilectionis initium est, aut dilectionem ipsam secum necessario trahit, per quam homo dicitur novam inchoare vitam. Non est ergo audiendus Honoratus Tournely, qui de amore concupiscentiae, et spei locutos fuisse Tridentinos Patres affirmat, nec etiam P. Gabriel Antoine, qui postquam probavit necessitatem initii caritatis, ad declinendam fortasse aliquorum invidiam, concludit, sufficere amorem, quo Deus diligatur *praecise ex motivo spei, seu concupiscentiae.*

49 XX. At inquiunt, in Sacramento poenitentiae *hominem ex attrito fieri contritum*, ut universim Theologi affirmant; id vero dici non posset, si ex motivo caritatis concipi deberet dolor praerequisitus; tunc enim ante absolutionem contritus homo esset. At audiant doctissimum Theologum Alphonsum Vivaldum, qui *in Candelabro aureo, tit. de attritione q.* 8. rem ita exponit: « Quotiescumque invenitur in Doctoribus, quod attritio fit contritio, vel attritus cum Sacramento fit contritus, intelligendum est de attritione perfecta, de illa nimirum, qua propter Deum pure dolemus de peccatis; sed non ita fervide, et super omnia, ut par erat. Audiant Joannem Vignerium *Instit. de Sacram. poenit. cap.* 16. §. 4. *tit. de Contritione:* « Si attritio dicatur dolor de peccatis voluntarie assumptus propter timorem servilem .... ut scilicet sit detestatio peccatorum propter metum poenae, vel propter Deum non summe dilectum; tunc attritio numquam fit contritio, nec ex attrito aliquis fit contritus', nisi ad hunc sensum, quod post attritionem venit contritio: sicut dicimus, ex mane sit meridies, et ex injusto fit justus consecutive: sic postquam aliquis fuit attritus, fit contritus, attritione desinente propter aliud principium, sive objectum superveniens, quod est timor filialis, vel Deus summe dilectus: et haec fuit opinio S. Thomae in 4. Si vero attritio dicatur dolor voluntarie assumptus propter Deum summe dilectum, sed non cum sufficienti, et requisita intentione, sive gradu, puta quia non est ex toto corde, et ex tota mente etc. sicut cum motus naturalis a principio fit remissus, et in fine velocissimus; et tamen est idem motus, qui successive perficitur: sic attritio ista per continuationem, vel applicationem absolutionis fit contritio; et sic intelligitur id, quod a Doctoribus communiter dicitur, quod virtute clavium ex attrito fit contritus ».

XXI. Sed iterum ajunt, qui Deum amat, spiritualiter vivit: praemisso ergo amore Dei super omnia, quid Sacramentum praestabit? Qua ratione poenitentia vere dici Sacramentum mortuorum poterit? Respondet Auctor Summae Alexandrinae, varios esse vitae spiritualis gradus: « Habet illa exordium suum, progressum, perfectionem. Amor vita cordis est. Amor inchoatus est initium vitae spiritualis: amor provectus est progressus vitae spiritualis; secundum illud S. Augustini: *Inchoata caritas inchoata justitia est: perfecta caritas perfecta justitia est:* Peccator itaque imperfecte contritus, sive attritus, Deumque, ut omnis justitiae fontem, diligere incipiens, vivit vita inchoata, quae dispositio est ad vitam perfectam, ex caritate perfecta, et a Sacramento ipsam conferente procedentem. Duplicis hujus vitae distinctionem approbavit Pius Quintus Sanctissimus Pontifex, cum Michaelis Baii Propositionem sexagesimam tertiam his verbis conceptam inter alias damnavit: « Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator dum ei Poenitenti, et vitae novae propositum, et inchoatio per gratiam inspiratur: alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, et palmes vivus in Christo rite efficitur, commentitia est, et Scripturis minime conveniens judicatur ». Et quamvis ante susceptionem Sacramenti, seu ante Absolutionem Sacramentalem vivat Poenitens, seu vita inchoata, et imperfecta, cum imperfecte contritus est, seu vita perfecta, eum perfectam Contritionem habet; Poenitentia nihilominus Sacramentum est mortuorum, quia peccatores vivificat per dispositiones, vel partes sibi praevias, sibique connexas, quae etiam efficaciam ab ipsa mutuantur ». 50

XXII. Cum itaque valde probabile sit, hominem ex motivo caritatis dolere oportere de peccatis, ut sufficienter dispositus sit ad justificationem obtinendam in Sacramento poenitentiae, et cum haec tutior sit via, quae ad salutem peccato- 51

res perducit, manifestum est, post Innocentii XI. Decretum, Confessores omnes teneri ad hortandos poenitentes suos, ut pro viribus conentur dolorem ex hoc motivo concipere ante quam absolutionem recipiant, secundum monitum S. Caroli
52 Borromaei in edita pro Confessariis instructione. Ad tollendos vero hac de re scrupulos, animadvertendum duximus, ex motivo caritatis detestari peccata etiam illos, qui doleant ex eo, quod a Deo separari timeant, ejusque beatifica visione privari. Ii enim Deum tamquam omnis justitiae fontem gratia amore casto diligunt, ut docet S. Augustinus *serm.* 78. *alias* 19. *de verbis Apostoli c.* 10. quia, qui amant videre Deum suum, timentque hac visione privari, divinam justitiam amant, sive Deum tamquam omnis justitiae fontem. Item, qui Deum diligunt ut bonum suum, ac aeternam suam beatitudinem, illum amicitiae, non concupiscentiae desiderio expetunt; nam non deprimunt Deum ad commodum suum, quod amoris concupiscentiae proprium est; sed eum ita diligunt, ut se illi omnino subjiciant, illi obediant, et in illo tamquam in suo ultimo fine requiescant. Idem etiam constat ex S. Augustino in *Psalm.* 34. ubi ait: « Exigitur a te, ut eum gratis colas, non quia dat temporalia, sed quia praestat aeterna ». Hinc S Bernardus *serm.* 8. *de diversis* invicte probat, mercenarium non esse hominem, qui Deum diligat ut finem suae beatitudinis, « qui paternae inhiat haereditati, eamque toto affectu expetit, et expectat, quam nimirum filii mercedem esse, non mercenarii, Propheta testatur, inquiens »: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini, filii merces etc.* Nam anima Dei amore, sive caritate mota, « tota, inquit, pergit in Deum, unicumque ei, ac perfectum desiderium est, ut introducat eam Rex in cubiculum suum, ut ipsi adhaereat, ipso fruatur ». Et Hugo a S. Victore *l.* 2. *de Sacram. cap.* 8. perspicue demonstrat, purum Dei amorem non excludere desiderium Dei, quatenus beatitudo nostra est, sed necessario hujusmodi desiderium involvere, quia diligere nil aliud est, quam illud velle habere, quod diligimus. Item, qui dolent, quod Deum, ut par est, non diligant, ac magis ipsum diligere cupiunt, jam Deum, ut omnis justitiae fontem diligere incipiunt; ac proinde sufficienter contriti censendi sunt ad absolutionem Sacramentalem recipiendam. Nam desiderium amoris initium amoris est. Hinc Guillelmus Parisiensis *l. de Sacram. poenit. cap.* 6. inquit: « Qui quaerit amare Deum, utique jam amat Deum, licet nondum ex amore, quem quaerit. Cum enim quaerat amare Deum, utique desiderat amare Deum: qui autem desiderat, amat. Amat ergo amare Deum, et non amat illud, nisi propter Deum ». Tandem, qui firmum, et efficax propositum habeant non peccandi de cetero, etiam ii Deum amare firmo proposito secum ipsi constituunt. Proponunt enim servare maximum mandatum, amandi scilicet Dominum Deum ex toto corde; illum igitur amare incipiunt. Nonne enim vero fur est, quisquis gerit furandi propositum? Nonne adulter est, quisquis firmum adulterandi propositum concepit? Nonne avarus, sive amator pecuniae est, quisquis firmo proposito decrevit pecuniam amare? Eadem igitur ratione Dei amator est, quisquis firmo proposito decrevit Deum Amare. Quisquis autem peccatum sincere detestatur, et deinceps non peccare decrevit, Deum amare sincere desiderat, ac firmiter decernit. Quomodo enim illum veteris amoris poeniteret, qui novo amore succendi non inciperet? Quomodo creaturarum cupiditatem detestaretur, qui cor suum non devoveret Creatori? Quomodo diceret, *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum*, qui una non diceret, *Legem autem tuam dilexi?*

XXIII. Haec quantum ad cordis contritionem, 53
quibus unum addendum superest, ut recte Lectores intelligant, quae minus tuta in secundo Articulo reputantur. *n.* 16. Auctor ex Gobat, et Lessio ait, sufficere ad justificationem in hoc Sacramento etiam remississimum dolorem, dummodo verus dolor sit ex motivo supernaturali. Si dolor hujusmodi peccati affectum excludat, non dubito, quin sufficiat; cum quandoque sensibilis apparere possit dolor *remississimus*, quia motivum remotissimum apparet nocumento sensibili, re tamen vera talem potest in animo, et ratione dispositionem habere, quae peccati affectum excludat. At non adeo facile probanda in usu est hujusmodi doctrina, cum gravem Tridentini Patres dolorem exposcant, cumque peccatum mortale, quod maximum malorum est, gravissimum in sui detestationem dolorem requirat. Quamobrem opinio illa de remississimo dolore suspecta esse potest.

XXIV. In eod. art. *n.* 91. ait Auctor, non pec- 54
care Poenitentem contra integritatem Confessionis, si uni Confessario mortalia, et postea alteri *bonam opinionem de ipso habenti, nimia verecundia affectus, confiteatur sola venialia*. Stat utique Confessionis integritas, sed cum hac via Poenitens graviter peccandi periculo se exponat, hujus doctrinae usus non probandus, sed damnandus est. Audiatur Auctor Summae Alexandrinae *de Sacram. poenit. n.* 102. ubi ait: « Hypocrisis est, et periculo peccandi mortaliter se exponit, qui duos eligit Confessarios, quorum uni venialia dumtaxat, alteri vero lethalia peccata aperiat ». Peccat enim ille contra sinceritatem Poenitentiae Sacramento debitam; et inanis gloriae studio inflammatus, suae potius famae, et existimationi, quam animae saluti, et gloriae Dei consulit: ac praeterea exponit se periculo frequentioris prolapsionis in peccata mortalia, si Confessarium adeat, vel imperitum, vel cui est ignotus, qui proinde opportuna Poenitentiae, et satisfactionis remedia non applicet; *Can. consideret, dist. De Poenitent.* Qui autem ita est affectus, ut Confessario suo mortale peccatum non aperiret, si alterius Confessarii copiam non haberet, procul dubio peccat lethaliter.

55 XXV. Num. 127. probat Auctor P. Vivae, aliorumque opinionem, qui ajunt, circumstantiam consuetudinis per se loquendo aperiendam in Confessione non esse, sed per accidens tantum, dum scilicet de ea poenitens a Confessario interrogetur. At doctrina haec falsa visa est nostris Theologis, ac omnino improbanda. Haec enim circumstantia peccati gravitatem plurimum auget. Nam Christus Dominus Lucae 11. de recidivo loquens ait: *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*, et S. Thomas 1. 2 *qu.* 98. *art.* 2. probat eum, qui peccat ex habitu, et consuetudine, *peccare ex certa malitia;* et in 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 3. refellens contrariam opinionem; inquit, « Sed ex hac opinione videtur relinqui, quod non possit plene recidivantis morbo remedium adhiberi; multa enim expediunt ad spiritualem salutem recidivantis, quae non sunt necessaria innocenti; ut scilicet circa eum major cautela adhibeatur ». Et sane an non poenitens ad Sacrum Ministrum accedere tenetur, tamquam ad Doctorem, ad Judicem, ad Medicum? Quomodo ergo muneri satisfaciet suo, si consuetudinis vitium non aperiat Doctori, qui salutariter instruat, Judici, qui aequam de eo sententiam ferat, Medico, qui salutarem medicinam praescribat? Nisi enim poenitentiae Ministro status poenitentis apprime sit cognitus, is antedicta officia rite, et salutariter exercere non potest. Vitiosa ergo consuetudo ad statum peccatoris aperiendum necessario manifesfanda est; quod innuere procul dubio voluit Innocent. XI. dum hanc propositionem damnavit: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem;* ac clarius constat ex nota, quam eidem affinxit Clerus Gallicanus anno 1700. per haec verba: « Falsa est, temeraria in errorem inducit, sacrilegiis favet, Christianae simplicitati, Ministrorum Christi judiciariae potestati, Confessionis integritati, atque ipsius Sacramenti institutioni, ac fini derogat ». Eccur quaeso interroganti peccandi consuetudinem fateri poenitens cogitur, nisi quia consuetudo haec *certam malitiam habet*, ut loquitur S. Thomas, nisi quia peccatum est Ecclesiae clavibus subjiciendum, nisi quia morbus est animi, cui Medicus spiritualis apte medicinam designare, ac tribuere debeat? Nam quae peccata non sunt, nec poenitens manifestare tenetur, nec adigi ad ea confitenda a Confessario potest.

56 Quoniam hic de circumstantia agimus, placet etiam adnotare, et refellere, quod num. 148. scribit, de eo, qui circumstantiam speciem mutantem inculpabiliter omiserit, quam ita debeat postea in alia Confessione aperire, ut non teneatur fateri peccatum, si sola declarari circumstantia possit. Quis namque sanae mentis homo concipiat fieri id rite posse? Quin enim iterum peccatum dicatur, quodnam judicium de circumstantia ferri potest? Et quomodo circumstantia peccati malitiam explicabit, cui sit satisfactio injungenda, nisi peccatum ipsum declaretur?

XXVI. De Confessionis integritate periculo non 57
carent, quae num. 143. ejusdem secundi articuli exposita, atque probata sunt: nempe dum scripsit; *non iterandum Confessionem bona fide factam;* vel Confessario ita ignaro, et indocto, ut inter veniale, et mortale peccatum discernere nequiverit; immo etsi existimarit veniale, quod mortale peccatum esset; vel Confessario surdastro, semidormienti, et distracto, qui aliqua peccata etiam mortalia non audierit, modo in eo nulla poenitentis culpa intercesserit. Nolo hic cum Lucio disputare de speculatione, et num theorice sustineri haec doctrina possit. Usum doctrinae perniciosum assero, ac non modo non consulendam, sed ne scribendam quidem fuisse ab Auctoribus arbitror, ne apud imperitos vulgata pravam illorum consuetudinem foveret, qui de industria imperitos, aut surdastros Confessarios adeunt, ut minori cum verecundia peccata fateantur; ut facilius, et quin de dispositionibus necessariis interrogentur, absolutionem obtineant; et ut etiam minima injungatur ipsis pro satisfactione poenitentia. Haec sane indicia cum sint, poenitentes aut dispositos non esse, aut saltem parum de dispositione sollicitos, periculi plena sunt. At haec sunt, quae expositam numeris illis doctrinam fuvent. Quamobrem illis in casibus prudentem Confessarium consulere oportere ajo poenitentes, ad iterandam confessionem. Nam quis sanae mentis homo, qui cum doctorem adierit pro rei suae familiaris instructione obtinenda, atque hunc omnino ea de re imperitum repererit, alium peritum, et doctum non quaerat? Quis est, qui postquam Judicem adjerit pro domesticae rei causa expedienda, illumque adeo ignarum repererit, ut quae ipsius causa sit, non intelligat, alium Judicem non inquirat, si liceat, qui, causa cognita, pro justitia decernat? Quis denique erit, qui gravi morbo pressus, dum Medicum advocaverit, qui nec morbum agnoscat, nec praescribere aptam medicinam sciat, alium non accersat Medicum peritum, et doctum, qui pro morbi qualitate decernat? At poenitentes ad Sacros Ministros accedere tenentur veluti ad doctores, qui eosdem instruant, et moneant: veluti ad judices, qui eorumdem cognita de aeterna salute causa, aequam sententiam ferant, ac debitam satisfactionem decernant; veluti denique ad Medicos, qui adversus animi morbos, salutares, atque aptissimas medicinas praescribant. Quae cum ita se habeant, quis hominem poenitentem, qui ad eum accesserit Ministrum, quem ineptum omnino norit ad salutarem instructionem, ad rectum, justumque judicium ferendum, atque ad debitam ei medicinam designandam, non moneat, et consulat, ut doctum adeat, et peritum Ministrum, ut ab eo exposcat salutarem, juxta miseram sui conditionem, instructionem, rectum de patratis a se peccatis judicium, ac proficuas pro istis deinceps praecavendis medicinas? Deinde, dum poenitens se a Confessario deceptum agnovit, an non alium adi-

re tenetur, qui ipsum recte instruat? Dum vero tam ignaro Ministro confessus sit peccata sua, ut mortale pro veniali peccato habuerit, jam scit se in hoc fuisse deceptum, ac prudenter existimat, se in reliquis quoque deceptum fuisse. Ad surdastros vero, semidormientes, et distractos quod spectat, si poenitens dubitet plura non audivisse peccata, fatentibus omnibus, iterare confessionem debet. At haec dubitatio non adeo facile excludi potest, ut consideranti patet, quamobrem non adeo facile vulgata est probanda Auctoris assertio, cum admodum difficile sit poenitenti scire, quodnam sit peccatum, quod non audierit; et cum facile opinio haec ansam praebere possit minus fervidis hominibus adeundi suspectos hujusmodi Confessarios. Hactenus de his, quae secundo articulo continentur. Pauca nunc addemus circa tertium articulum, qui est *De Satisfactione*.

58 XXVII. Satisfactio, voluntaria est poenae perpessio ad compensandam injuriam Deo illatam, ipsumque placandum, cum firmo proposito peccata in posterum omni studio vitandi. Hanc injungere poenitentibus tenetur Sacerdos: pro viribus enim conari debet, ut integrum sit poenitentiae Sacramentum, quod sine satisfactione integrum proculdubio non esset. Concilium Tridentinum *sess.* 15. *c.* 8. haec habet: « Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et Poenitentium facultate, salutares, et convenientes satisfactiones injungere: ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum Poenitentibus agant, laevissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, aliorum peccatorum participes efficiantur ». Et S. Carolus Borromaeus, in Instructionibus Sacramenti Poenitentiae: « Injunget, inquit, Poenitentiam pro culpae, et personae ratione: ita ut superbis humilitatis opera: carnis voluptatem sectantibus, jejunia, abstinentiam, cilicii gestationem, aliamque corporis macerationem pro peccati gravitate indicat: in oratione negligentibus, ut singulis diebus mane saltem, et vespere orationi vacent; feria secunda, et aliis certis feriis pro Defunctis orent; certis item definitisque diebus devote visitent Stationales, et praecipuae devotionis Ecclesias, et Altaria, praesertim in Quadragesima, et in Adventu: Mundi pompas, choreas, aliaque opera Satanae consectantibus, eam Poenitentiam imponant, ut in hebdomada mane certis diebus (id quod in singulos dies etiam faciendum esse gravissime Beatus Chrysostomus monet) sancta meditatione sibi proposita, solemnem illam sponsionem, quam per Compatres in Baptismo sancte fecerunt, redintegrent, intime Deum precando: in qua precatione firmo, stabilique animi proposito statuant, se Christo Domino adhaerere, renuntiareque iterum atque iterum saeculi pompis, operibus tenebrarum, et diabolo in primis, cui se adversarios esse, et professi sunt, et profiteri perpetuo ».

XXVIII. Haec autem poenitentiae sunt genera 59
a Sanctis Viris accepta, et Ecclesiasticae disciplinae Interpretibus, quae pro peccatorum ratione adhiberi etiam nunc poterunt, attenta etiam personarum qualitate.

« Ut Poenitens vestium sericarum usu, auri ornamento, conviviorum apparatu, venatione, aliquo certo tempore abstineat ».

« Ut egentibus hominibus cibum suppeditet, ac ministret, pedes item lavet ».

« Ut peregrinos pro facultatum ratione hospitio excipiat ».

« Ut in publica domo hospitali, locove pio aliquot dies operam navet ».

« Ut visitet, qui in carcere sunt, eosdem consoletur, et, cum per facultates potest, alat certo praescripto tempore ».

« Ut se per aliquot dies in Monasterium aliquod, aliumve remotum locum abdat, ubi poenitens vivat ».

« Ut aliquot diebus carne, aut vino item abstineat ».

« Ut certis diebus, praesertim feria quarta, sexta, et Sabbato jejunet; vel etiam vescatur solum pane, et aquae potu utatur ».

« Ut certo aliquo tempore non equitet ».

« Ut, si facultates suppetant, certam pecuniae, aut frumenti, aut vini quantitatem in eleemosynam pauperibus Christi conferat ».

« Ut genibus flexis, aut etiam brachiis extentis in modum crucis, certo tempore, et hora praefinita, ante Crucem, aliamve Sacram Imaginem in Ecclesia oret ».

« Ut humi aliquamdiu jaceat, cubetve ».

« Ut flagella certis praescriptis diebus adhibeat».

« Ut cilicium aliquot dies induat ».

« Ut religiosam aliquam peregrinationem suscipiat, sancteque conficiat ».

« Ut statos Psalmos Poenitentiales, aliasque poenitentiales preces pie recitet aliquot dierum spatio ».

« Ut certas Ecclesias, puta stationales, vel praecipuae devotionis visitet ».

XXIX. Satisfactio itaque pars integralis Sacramenti est, ac suscipienda a Poenitente est, ut peccatum in se puniendo Deo satisfaciat. Si pars integralis est Sacramenti, facile patet, non posse a Poenitente sine gravi culpa omitti, etiamsi levis sit, vel pro levi culpa a Confessario injuncta. Licet enim venialia peccata, vel mortalia jam confessa non necessaria, sed tantum sufficiens materia sint hujus Sacramenti, tamen posito, quod confiteri ea Poenitens velit, et Sacramentum suscipere, partes, quas Sacramentum requirit, sub gravi culpa adimplere tenetur. Sunt vero satisfactiones partes Sacramenti. Gravitas vero illius obligationis, non a levi, vel gravi satisfactionis materia, sed a Sacramenti natura repetitur, ut observat optime Elizalde. Quamobrem corrigendus Ferraris est n. 16. oppositum asserens, et ob eamdem 60

rationem improbandum videtur, quod n. 22. asseritur de eo, qui sine animo satisfaciendi pro injuncta poenitentia opera illa fecerit, quae injuncta a Confessario fuerant. Nam qui animo non contendit satisfacere oneri a Sacro Ministro injuncto, atque ita integrum perficere Sacramentum, opus efficit, quod nulla ratione ad Sacramentum refertur; sola enim facientis voluntate ad illud refertur; ergo opus illud integra pars Sacramenti haberi non potest; praesertim cum praesumatur alia de causa ab homine factum, qui secum ipse constituerit alio voluisse tempore pro injuncta poenitentia opus illud suscipere.

61 XXX. Ac multo minus ferri potest, quod num. 34. adstruitur, scilicet imponi posse pro poenitentia opus aliunde praeceptum. Audiatur Gabriel Antoine *de poenitent. art.* 3. *q.* 3. ubi ait, non posse haec opera licite imponi, si Poenitens possit alia praestare. Quia ex Concilio Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. « Satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum vindictam, et castigationem ». At opera jam aliunde praecepta nequeunt esse ad vindictam, et castigationem peccatorum praeteritorum: nam etiamsi nulla peccata commisisset poenitens, teneretur illa praestare, nec illis iterum impositis puniri censetur. Idcirco restitutio injuriae, et damni compensatio, ac fuga occasionis peccandi non sunt satisfactiones vindicativae.

62 Porro Confessarius censendus est imposuisse opus non aliunde praeceptum, nisi aliud exprimat, vel ex circumstantia colligi queat, nam haec est rationabilis ejus intentio. Quare si simpliciter imponat jejunium, Poenitens non satisfacit jejunando uno die, in quo ex praecepto Ecclesiae, vel ex voto tenetur.

63 XXXI. Duo quoque alia in articulo de satisfactione supersunt animadversione digna. Primum occurrit in *num.* 15. ubi eximitur ab onere iterandae confessionis Poenitens, qui inculpabiliter, vel culpabiliter injunctae poenitentiae oblitus, eamdem praetermiserit; sed sufficere asseritur, « ut in alia confessione petat sibi imponi aliam congruam poenitentiam pro peccatis, quae confiteri solet ». Nam quanam ratione poterit congruam pro peccatis poenitentiam recipere, nisi peccata sua Confessario manifestet? Et quomodo Confessarius causa cognita poenitentiam praescribet, ut jubet Tridentina Synodus, si peccata ipsi non ostendantur per eorumdem confessionem? Tenetur ergo Poenitens ille iterare Confessionem; sicuti etiam iterare confessionem debet, qui poenitentiam commutari velit ab alio Confessario rationabili de causa, cum hic non possit judicium ferre, nisi causa cognita, cumque debitam pro peccatis vindictam decernere, atque aptam medicinam praescribere nequeat, quin cognita per confessionem peccata sint, ac status poenitentis exploratus: quamobrem dum ab eodem Confessario quoque poenitentiae commutatio exquiritur, si hic confusam saltem peccatorum memoriam, ac status poenitentis notitiam non servet, etiam ipse cogere poenitentem debet ad confessionem iterandam.

Alterum occurrit n.51. ubi inter caussas minuendi poenitentiam, Jubilaeum, et indulgentia recensetur: id vero jam refutatum est in nostra de Indulgentia appendice. Ac refelli quoque ex eo potest, quia Seraphicus Patriarcha Franciscus, lumine coelesti perfusus, intellexit ex 24. millibus hominum Assisium confluentium, quatuor, aut sex, ni fallor, lucratos fuisse Indulgentiam illam Plenariam. Debitum satisfactionis exhibendae Deo certum, et liquidum est, et jure divino solvendum; Indulgentiarum assecutio incertissima: et pauci sunt, qui eas assequantur: Debitum autem certum solutione incerta non extinguitur. Rogo ergo benignos nostros Theologos, ut observent, et intelligant, clavium potestatem, Sacramenta, et indulgentias non ad extenuandas virtutes, nec ad impediendum virtutis exercitium, sed in subsidium imbecillitatis nostrae, et ad fovendam, roborandam, perficiendamque virtutem fuisse a Christo Domino hominibus concessa. 64

Ad praefatum Articulum Animadversiones Auctoris.

In hoc articulo R. *Theologus* inter alia carpit sub n. 36. eorum opinionem, qui cum Lacroixio, aliisque benignioribus Theologis tuentur, sufficere in poenitente dolorem de peccatis ob metum poenarum temporalium, ut a Deo immissarum, vel *immittendarum*; et progrediens asserit, ad rem non facere allatum a me Ninivitarum exemplum. Ast tamen Ninivitarum exemplum ad id affertur ab ipsomet Conc. Trid. sess. 14. c. 4. et a Ben. XIV. *de Syn. dioec. l.* 7. *c.* 13. *num.* 3. et a Theologis passim, quos inter illud affert practicissimus Monacelli. in *formular. Legal. pract. par.* 2. *tit.* 16. *formul.* 2. *n.* 15. *editionis Romanae ann.* 1706. ubi sub *n.* 18. dicit, quod dicta sententia est tuta, et sub *n.* 16. allegatis pro ipsa S. Thoma, Scoto, Suarez, aliisque pluribus magni nominis Theologis, subjungit: « Et tandem eam probat, et admitmittit Ecclesia, quod non permitteret, si tuta non esset, exponendo periculo invaliditatis Sacramentum cum damno tot animarum, adeoque non includitur (*ut falso praetendit noster Theologus*) in propositione prima ex damnatis ab Innocentio XI. quae dicit; *Non est illicitum in Sacramentis, relicta tutiore etc.* quia decretum loquitur de propositionibus mere probabilibus, et non de nostra quaestione, super qua adest specificum decretum Alexandri VII. supra relatum, quo praecipit, quod nullus audeat illam censura Ecclesiastica taxare, donec a S. Sede hac in re aliquod fuerit definitum ». Haec ad litteram ille, qui egregium suum opus satis, superque probatum absque ulla minima censura Romae typis tradidit. Decretum autem Ale- 1

xandri VII. quod jam fuit allatum supra *nu.* 8. a me, refertur etiam a Benedicto XIV. *l. c. nu.* 9. ubi subjungit: « Caveant proinde Episcopi, ne in suis Synodis, aut Instructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de attritionis mere servilis ad Sacramentum Poenitentiae sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate: Adhuc quippe sub judice lis est, adhuc impune pro una, et altera sententia dimicatur ». Et deinde refert Card. Gottum non requirentem in Poenitente amorem Dei, ne initialem quidem ad justificationis gratiam in Sacramento Poenitentiae assequendam, et Claudium Frassen, opera, et cura Patris Caroli Jacobi Romilii Ordinis Minorum Conventualium Generalis Ministri Romae typis recusum, strenne defendentem, attritionem ex solo metu poenarum, et gehennae, atque ex amore concupiscentiae, seu affectu spei conceptam, modo supernaturalis sit, omnemque excludat voluntatem peccandi, esse sufficientem dispositionem ad Sacramenti Poenitentiae fructum in se derivandum: relatisque aliis *in cit. cap.* 13. hinc inde diversa sentientibus, sic sub dict. *n.* 9. expresse concludit: « Hinc recte intulit Berti Theologus *tom.* 7. *lib.* 34. *cap.* 5. nihil hactenus a Sede Apostolica de hac quaestione decisum, sed libertatem cuique datam ex praefatis opinionibus eam eligendi, ac docendi, quam maluerit ». Et tamen Theologus noster indebite hic arguit me, quamvis Ego supra *n.* 10. sic expresse tradam: Quibus positis, « opinor, non scrupulizandum, et ipsummet supernaturalem attritionis actum ex sui natura, vel explicite, vel implicite secum semper ducere aliquem Dei amorem »: Movetur enim poenitens per attritionem ad aversionem a peccatis, et conversionem ad Deum, estque illi supernaturalis dolor de peccatis, eo quia ipsis, quatenus Dei offensa, debita est poena, atque adeo ad dolendum movetur poenitens de peccatis, prout sunt offensa Dei, cum proposito observandi deinceps illius mandata, et similia. Haec autem non videntur posse concipi absque aliquo Dei amore explicito, vel implicito, formali, seu virtuali, ac quin vehant secum dilectionem in Deum, ut avertat a poenis, et se misericordem ostendat; unde juxta D. August. *lib.* 14. de Civitate Dei, *cap.* 7. et S. Thomam in suppl. *quaest.* 2. *art.* 1. dolor in amore fundatur rei illius, de cujus jactura dolemus. Igitur etc. Necnon in praefato sensu varia infra posita intelligenda sunt. Quae omnia, si attente, et integre, ut debuerat, percurrisset Theologus, ut juste pro similibus mandat Benedictus XIV. in Constit. *Sollicita, ac provida* §. 18. a dicta injusta censura se abstinere debuisset. Insuper Benedictus XIII. *in Appendic. ad Concilium Romanum*, *Instruct. par.* 3. *del dolore* sic expresse tradit: Interrogat Poenitens: quale di questi due dolori è necessario per la Confessione?

Respond. Confess. « Il sentimento oggi comune è, che il dolore, o contrizione perfetta è buona, ma non necessaria per la Confessione; bastando il dolore imperfetto, cioè l' attrizione, o pura già spiegata di sopra, o al più quella, che è congionta con qualche amor benevolo verso Dio; il che rimane ancora indeciso sin'ora dalla Santa Sede ».

Circa autem id, quod ibi sub *num.* 43. allegat Theologus ex Scoto in 4. *dist.* 18. *et* 20. *quaest. unica*; videatur celeberrimus noster Mastrius fidelissimus Scoti interpres in 4. *disp.* 5. *quaest.* 6. *art.* 1. *num.* 137. *et seq. et art.* 2. *fere per tot.* et signanter sub *num.* 134. *dicti primi articuli*, ubi sic expresse tradit. Et hic notandum est, sub nomine poenarum non solum comprehendi poenam aeternam Inferni, sed etiam poenas temporales Purgatorii, et hujus vitae, v. g. pestis, famis, et belli, vel alterius damni, quo Deus saepe punit peccata etiam in hac vita, et quidem Deus minatur, et poenas aeternas, et temporales hujus vitae ad homines deterrendos; ut ex metu poenae fugiant culpam, ac proinde timor hujusmodi laudabilis est, ac honestus, etiam metus poenae temporalis; hoc enim timore utiliter concussi Ninivitae ad Jonae praedicationem terroribus plenam, poenitentiam egerunt; Ubi tamen advertendum est, poenam hujusmodi metuendam, ut *a Deo inflictam, vel infligendam*, prout expresse trado ego per verba supra adducta *art.* 3. *num.* 10. ubi in fine sic insuper concludo: Nec non *in praefato sensu varia infra posita veniunt intelligenda.* Quae omnia, si attente observasset, ut debuerat Theologus, non potuisset indebite, et injuste redarguere me sic dicendo: *Ita ne mi Luci fideles poenitentes instruendos putas;* Cum ego non sic instruendos Fideles poenitentes putem, ut falso putat Theologus dicendo: *qui ergo de peccato ea unica de causa doleat, quia timet etc.* Ego enim non ea unica de causa admitto sufficientiam illius doloris, sed volo, quod insuper includat aliquem Dei amorem, saltem initialem, ut patet ex praecisis verbis supra relatis, non obstante, quod dictum amorem Dei initialem negent requiri clarissimi Auctores, ut Card. Gottus, Frassen noster supra relati, Henno noster, et plurimi alii, ut eruditis, omnibusque satis superque, compertum est; et Bened. XIV. vetet Episcopis aliquid decernere, aut de attritionis mere servilis ad Sacramentum Poenitentiae sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate etc.; et Clarissimus Pater Berti asserat libertatem cuique datam ex praefatis opinionibus eam eligendi, et docendi, quam maluerit. Et en, en mi Theologe, quomodo ego Lucius fideles poenitentes instruendos putem: quod a me sic traditum, si attente, et totum in omnibus, ut debueras, observasses, certe non sic indebite, immerito, ac injuste censurasses. Insuper quoad Scotum pro se allegatum a nostro Theologo, videatur classicus noster Scotista Henno *tom.* 2. *tr. de poenitentia*, *disp.* 4. *qu.* 6. *art.* 6. ubi diversimode, ac Theologus, Scotum adducit, et per propria verba ipsum explicat. Et quoad id, quod sub dict.

num. 43. subjungit Theologus, nempe: *In hanc opinionem propensos fuisse Tridentinos Patres facile patet*, contrarium sentit, ac refert Henno *loc. cit. art.* 4. *conclus. unica*, *ibi*: Probatur tertio sic ex historia Tridentina Pallavicini *lib.* 12. *cap.* 10. ubi refert, postquam formatum fuisset decretum, ubi de attritione dicebatur: *cum sine aliquo dilectionis motu esse vix queat*, reformatum esse ad instantiam Episcopi Tudetani, qui monuit, *falso dici, hujusmodi dolorem sine amore vix concipi posse*: ergo evidens est ex mente Tridentini, non includi aliquem Dei amorem in praefata attritione. Haec ille, *qui in art.* 5. *seq.* adducendo cum sua solutione objectionem ex eodem Card. Pallavicino productam sic prosequitur.

3 Dices ex Pallavicino supra *num.* 26. Tridentinos Patres jussisse expungi ex *cap.* 4. haec verba: *verum etiam sufficere*, scilicet attritionem, *ad Sacramenti hujus institutionem*, et hoc ad instantiam Episcopi Tudetani monentis circa sufficientiam attritionis non convenire Doctores: ergo signum est, quod non crediderunt, esse dispositionem proximam.

4 Resp. 1. Pallavicinum solam instantiam illius Episcopi referre tamquam caussam motivam illius deletionis, quia illa sola favebat suae opinioni, quae ultra attritionem, aliquem Dei amorem requirebat. Verisimilius est tamen, motos fuisse Patres maxime a rationibus sequentibus, ac primo, quod modus ille loquendi esset improprius, quum pars non dicatur proprie sufficere ad constitutionem totius. Secundo et praesertim, ne fieret praejudicium sententiae Doctoris subtilis admittentis, in sola absolutione consistere totam essentiam hujus Sacramenti: quod colligo ex eodem Pallavicino *num.* 27. ubi tradit, diligenter examinatum fuisse, quibus verbis actus poenitentis declararentur partes hujus Sacramenti sine praejudicio opinionis Scoti, quam Florentinum reliquerat intactam, et tandem resolutum est, quod dicerentur *quasi materia*. Quidni etiam illa verba exponi curaverunt, ut salva maneret ejusdem Doctoris sententia, alias condemnanda.

5 Resp. 2. Quis melius potuit nosse Tridentini mentem, an Pallavicinus, qui ex actis mortuis 120. annis a Concilio Celebrato suam texuit historiam, an illi, qui Tridentino interfuerunt, materiam proposuerunt, discusserunt, ventilarunt, resolverunt? Ecce tamen ex his nonnulli, qui tantum abest, ut dicant, Concilium abstraxisse per illam expunctionem a difficultate hic agitata, ut ex Pallavicino colligunt Vanroy, Henricus a S. Ignatio, et alii, quin econtra fortiter sustineant, doctrinam suam, quae nostra est, doctrinam esse Concilii: Immo adhuc viventibus Tridentinis Patribus, docuerunt Paulus a Palatio circa ann. 1564. Michael a Palatio Frater ejus circa ann. 1579. Molina circa ann. 3584. conclusionem nostram esse a Tridentino definitam. « Alii a Tridentino esse approbatam, Tridentino consonam, a Tridentino determinatam, contrariam autem repugnare Tridentino». Mirum autem esset, Concilii Patres superstites videntes serpere hanc nostrae conclusionis doctrinam, ut Concilii auctoritate munitam per omnes Europae Academias (verba sunt P. Notan), et tamen nullus dixerit, falso Tridentini auctoritate muniri, nullus, Concilium indecisam reliquisse hanc controversiam. Fieri ne potuit, ut nullus se objecerit torrenti scriptorum abutentium auctoritate Concilii in re tanti momenti? Numquid praevidere poterant, quod ex eorum silentio dicturi essent aliqui (quod de facto accidit) « hanc doctrinam esse evidentem, practice tutam, practice veram, Doctorum fere unanimem, certam inter auctores Catholicos etc. » *Unde*.

Concludo, quod etsi Patres illi non crederent forte decisam, sciebant tamen, fuisse in Concilio ita communem, ita receptam, ac tanti momenti, et ponderis, ut non crederent, fere universali Scriptorum multitudini esse contradicendum; alias prorsus inexcusabiles fuissent. Unus quippe, aut alter eorum, qui Concilio interfuerunt, sustinuerunt etiam postea alicujus amoris necessitatem, sed cum viderent Patres superstites, hoc nullatenus obstare torrenti doctrinam suam in doctrina Concilii fundanti, occurrere debebant errori, manifestando, materiam praesentem nihil ex doctrina Tridentini habere roboris: quod tamen ne unus quidem eorum fecit. Immo, ut jam dicemus, Catechismos imprimi curarunt, quibus attritionem sufficere declarabatur. 6

Probatur secundo conclusio ex eodem Concilio *sess.* 14. c. 4. Contritio in genere est pars hujus Sacramenti; ergo et attritio; quod enim convenit generi, convenit et speciei. 7

Probatur tertio ex Catechismo Concilii, seu Romano *ad veram contritionem* tantum requirente conditiones sequentes, scilicet detestationem, et dolorem peccatorum commissorum, voluntatem sinceram peccata confitendi, et pro eis satisfaciendi, firmum melioris vitae propositum, desiderium obediendi Dei mandati, voluntatem restituendi, denique injuriarum condonationem; atqui vere attritus sine amore Dei, cujus non meminit Catechismus, praestat illa omnia: ergo etc. 8

Et postea addit, quod licet Parochi possint alia exigere, puta amorem Dei etc. quibus efficiant, ut « Contritio sit magis perfecta, et absoluta, verum adeo necessaria existimanda non sunt, ut sine his verae, et salutaris poenitentiae ratio constare non possit ». Hujus Catechismi auctoritas magni facienda est, cum ex commissione Tridentini compositus fuerit ab iis, qui eidem interfuerunt, quique ejus mentem optime noverant, et quidem longe melius, quam omnes alii Historici, qui nonnisi ex aliorum auditu, et relatu de rebus in eo gestis scripserunt. Videatur insuper Celeberrimus. P. Liberius in tract. de Poenitent. ubi diffusissime totum probat, solvitque omnes objectiones. 9

In eod. articulo de Poenitentia *n.* 48. asserit 10

Theologus: Non est ergo audiendus Honoratus Tourneiy, qui de amore concupiscentiae, et spei locutos fuisse Tridentinos Patres affirmat. Nec etiam Gabriel Antoine, qui postquam probavit necessitatem initii Caritatis, ad declinandam foriasse aliquorum invidiam, concludit, sufficere amorem, quo Deus diligitur *praecise ex motivo spei, seu concupiscentiae*; Bone Deus! Theologus hic jam bis anno scilicet 1752, et 1757. Theologiam moralem celeberrimi Patris Gabrielis Antoine Romae cum debitis approbationibus, sine ulla sua censura quoad haec, typis tradiderat, ipsum sequens in omnibus; modo in editione promptae meae Bibliothecae (quod ad eum non pertinebat,) vult, Antoine non esse audiendum, dum concludit, sufficere amorem, quo Deus diligitur *praecise ex motivo spei, seu concupiscentiae*, non reflectens, quod sic militat contra se ipsum, qui cum eadem ipsissima conclusione bis Romae typis tradiderat ipsam Antoine Theologiam, adeoque volendo, non esse in hoc audiendum Antoine, vult implicite nec audiendum esse seipsum, qui jam bis, tamquam factam suam ipsam conclusionem sine ulla censura probaverit, typis ipsam tradendo, ut jacet. Et a fortiori non est ipse Theologus audiendus, cum dicit, Antoine sic conclusisse ad declinandam fortasse aliquorum invidiam, quod non parum detrahit nedum aliis, sed et ipsimet Antoine, quasi ad declinandam aliquorum invidiam voluerit ipse contra propriam conscientiam a veritate declinare, cum ipse tamen potius suam conclusionem censuerit magis veram, quam illam adversariorum, sciendo, suam esse suffultam tum ratione intrinseca, tum extrinseca tot classicorum Auctorum Romae, et alibi cum debitis approbationibus sine ulla censura impressorum, a laudato Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 7. *cap.* 3. allegatorum, et passim ab aliis, quamvis non desint contrarium sentientes; eo vel maxime quod nullorum invidiam poterat sic concludendo incurrere, eum inniteretur decreto Alexandri VII. dicentis, talem conclusionem hodie inter Scholasticos communiorem videri, et vetantis sub poena excommunicationis latae sententiae neutram ex contrariis circa id sententiis aliqua censura, injuria, aut contumeliae nota taxare, donec a S. Sede fuerit aliquid in hac re definitum.

11 Ibidem *n.* 53. notat, et asserit *Theologus*. Auctor n. 16. ex Gobat, et Lessio ait, sufficere ad justificationem in hoc Sacramento etiam remississimum dolorem, dummodo verus dolor sit ex motivo supernaturali. Si dolor hujusmodi peccati affectum excludat; non dubito, quin sufficiat, cum quandoque sensibilis apparere possit dolor remississimus. Sed ad quid haec nota Theologi, cum ait haec ipsissima mea conclusio dicendo *ibi* sic: « Si nihil aliud desit, quam intensio, et dummodo sit verus dolor de peccatis conceptus ex motivo supernaturali cum absoluto proposito non peccandi de caetero »: Nonne clarissime ego ostendo, dolorem hujusmodi debere excludere affectum peccandi?

Ibidem *nu.* 54. notat, et censurat *Theologus*, 12 quod Auctor *n.* 95. dicat, non peccare poenitentem contra integritatem Confessionis, si uni Confessario mortalia, et postea alteri bonum opinionem de ipso habenti nimia verecundia affectus confiteatur sola venialia etc. Ast haec mea conclusio, prout jacet, idest non peccare poenitentem praecise contra integritatem Confessionis, est suffulta auctoritate Concilii Tridentini: peccata enim venialia non sunt materia; Unde poenitens non tenetur, ad integrandam Confessionem, ipsa confiteri primo Confessario, ut expresse docet dictum Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. ibi: *Taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt*. Vide tradita a me *ibi*, et Auctores a me allegatos, ultra quos id tenent etiam Suarez, Layman, Enriquez, Raynaud. Lugo, Castrop. Dicastill. Diana, Burg. Gormaz, et reliqui omnes, teste Arriaga, *dist* 31. *n.* 23. et La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1186. et etiam Pontas, verb. *Confessio casu* 26. adducens ad id Tridentinum a me citatum.

Ibidem *num.* 55. notat, et asserit *Theologus*. 13 Probat Auctor *num.* 127. Pat. Vivae, aliorumque opinionem, qui ajunt, circumstantiam consuetudinis, per se loquendo, aperiendam in Confessione non esse, sed per accidens tantum, dum scilicet de ea poenitens a Confessario interrogatur: et dicit *ibi* Theologus, quod est manifestanda necessario talis consuetudo: quod innuere procul dubio voluit Innocentius XI. cum hanc propositionem damnavit; *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*. Ast, si ut praetendit Theologus, id innuere proculdubio voluerit Innocentius XI. in damnata propositione, certe dictam sententiam non amplius tradidissent tot celebres Auctores, qui adhuc post dictam damnationem eam defendunt, ac propugnant, sciente, et non contradicente S. Sede, ut praeter recensitos in conclusione, pergunt adhuc eam libere sustinere celeberrimi Salmanticenses *tr.* 1. *cap.* 8. *punct.* 4. *num.* 67. citantes insuper Castropalaum, Dianam; Liberius de *Sacram. Poenit. tract.* 5. *disput.* 5. §. 4. *num.* 78. cum plurimis aliis; et alii passim, ut revera id propugnant adhuc plures classici Theologi, ut eruditis compertum. Eo vel maxime, quod Ego dico, quod quamvis circumstantia consuetudinis, per se loquendo, non sit necessario aperienda in Confessione, tamen interdum per accidens obligatur poenitens ad talem circumstantiam consuetudinis aperiendam, quae obligatio praesertim urgere potest, cum poenitens cognoscit, quod Confessarius ex reticita tali circumstantia consuetudinis, non satis percipiat suum statum pro formando recto judicio de sua dispositione ad obtinendam absolutionem.

Ibidem *num.* 56. notat, et ait *Theologus*: Placet notare, ac refellere, quod Auctor *num.* 148. 14 scribit de eo, qui circumstantiam speciem mutantem inculpabiliter omiserit, quam ita debent postea in alia Confessione aperire, et non tenea-

tur fateri peccatum, si sola declarari circumstantia possit. Quis namque sanae mentis homo concipiat, quod fieri id rite possit? Ast nedum quis, sed quilibet homo sanae mentis concipere potest, fieri id rite posse. Si enim quis voto castitatis obstrictus heri confitens, et inculpabiliter non reflectens ad circumstantiam sui voti, dixisset: *Fui fornicatus*, satisfaceret hodie dicendo, *se graviter peccasse contra votum castitatis*, quia jam expressit utramque malitiam, et una potest sine altera intelligi, ut sic posse intelligi tradunt Henno *de Poenit. disp.* 5. *q.* 9. *conclus.* 2. Sporer *tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 406. Clericatus de Poenit. *dec.* 26. *num.* 20. cum plurimis aliis, Navarr. Enriq. Sanchez, Bonac. Arriaga, Bosco cum La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1135. *et cit. num.* 1209. testans insuper de communi, quos tam sanae mentis fuisse puto, ac possit esse noster Theologus.

15 Ibidem *num.* 57. notat, et dicit *Theologus*: De Confessionis integritate periculo non carent, quae *num.* 142. *et* 143. ejusdem articuli secundi exposita, atque probata sunt, nempe dum scripsit: « non iterandam Confessionem bona fide factam vel Confessario ita ignaro, et indocto, ut inter mortale, et veniale discernere nequeat, vel factam Confessario surdastro, semidormienti, vel distracto, qui aliqua peccata, etiam mortalia non intellexit sine omni culpa poenitentis ». Sed ad quid aliud tenetur poenitens pro integritate Confessionis, quam cum omnimoda praevia requisita dispositione omnia sua peccata bona fide confiteri? Quilibet enim Confessarius approbatus censendus est idoneus, nisi certo constet de opposito, quod in casu praesenti nullimode constat poenitenti bona fide tali Confessario confesso, sicuti etiam ei non constat, quod Confessarius fuerit surdastrus, semidormiens, vel distractus, dum, ut cantat mea conclusio, poenitens est ei bona fide confessus; aliter, stante Theologi opinione, ponerentur inter non paucas angustias poenitentes, qui possent dubitare semper de sufficienti scientia Confessarii, aut de ejus distractione, semidormitione, aut semisurditate. Staret quidem Theologi opinio, si id poenitens mala fide egisset, prout jam ego expresse conclusi *ibid. n.* 143. falso a Theologo notatus, fortasse ex errore Typographi loco 144. ubi ego insuper sic subjungo: quod si poenitens postea advertat, tenetur in sequenti confessione ea sola repetere, quae probabiliter judicat, aut cognoscit, non fuisse audita, cognita, ac percepta, et *n. seq.* 145. alia superaddo ad rem ibi videnda, et observanda.

16 Ibidem *nu.* 60. notat, et ait *Theologus*: Circa tertium articulum de satisfactione, quemadmodum corrigendus Ferraris est *nu.* 16. asserens oppositum, et ob eamdem rationem improbandum videtur, quod *n.* 22. asseritur de eo, qui sine animo satisfacendi pro injuncta poenitentia, opera illa fecerit, quae injuncta a Confessario fuerant. Ast quod improbandum videtur nostro Theologo, approbatur, et traditur expresse ab innumeris fere Theologis classicis Auctoribus, ut patet ex a me adductis *ibi* et sub verb. *Intentio a n.* 50. *ad* 54. et ex traditis novissime ab eruditissimo D. Alfonso de Liguori nell'istruzione, e pratica per li Confessori italico idiomate impressa in Venezia 1759. nella Stamperia Remondini, *ubi c.* 6. *punto* 3. §. 1. *dell' obbligo di sentir la Messa*, *nu.* 27. sic expresse concludit: Inoltre basta l' aver l'intenzione di adempire l' opera comandata, e non importa, che non s'abbia intenzione di soddisfare al Precetto: onde chi già avesse ascoltata la Messa, ben ha soddisfatto, benchè non avesse saputo, esser quello giorno di festa (e lo stesso dicesi de' voti, giuramenti, e Penitenza Sagramentale, purchè l'opera promessa nel voto, o ingionta per penitenza non si applichi per altro fine) anzi soddisfa, sebbene avesse avuta espressa intenzione di non voler adempire il precetto, secondo la sentenza comunissima, e più probabile dei Suarez, Lessio, Sanchez, Castrop. Tourneiy, Pontas, Valenza, Vasquez, La Croix, Salmaticensi. La ragione è, perchè chi volontariamente adempie l'opera comandata, necessariamente ancora già soddisfa al Precetto: ed ivi scioglie anche l'obbiezione». Et idem etiam expresse concludit *nell' Appendice* 3. *art* 3. §. 2. *n.*75. *ibi*. « Communissime autem, et probabilius cum Suarez, Castropal. Lessio, Tournely, Pontas, Vasquez, et La Croix cum aliis, non requiritur intentio satisfacendi obligationi; immo recitans, implet, etiamsi positive intendat nolle implere, quia impiens non potest non implere, quum satisfactio non pendeat a sua, sed a voluntate legis Ecclesiasticae ».

Ibidem *n.* 61. notat, et subjungit *Theologus*: 17 ac multo minus ferri potest, quod *n.* 34. adstruitur, scilicet imponi posse pro poenitentia opus aliunde praescriptum; Audiatur Gabriel Antoine de Poenit. *art.* 5. *q.* 3. — Ast audiantur, et videantur etiam plurimi alii classici Auctores aliter sentientes, et signanter Petrus Colet. *de satisfactione c.* 7. §. 3. *conclus.* 4. qui licet non mollioris Ethices Auctor, sic expresse concludit: « Potest Minister opera aliunde praecepta in satisfactione injungere: Clericatus de Sacram. Poenit. *dec.* 34. *n.* 10. dicens primo, quod possunt imponi opera, quantumvis alias debita ex praecepto, ut auditio Missae die festo, jejunium in Quadragesima: *Henno tract. de poenit. disp.* 6. *quaest.* 7. *ibi*: Petes 3. An possit imponi opus aliunde praeceptum? Resp. affirmative cum Theologis communiter: Reiffenstuel *tom.* 2. *tract.* 14. *dist.* 10. *quaest.* 2. *n.* 28. Felix potestas *tom.* 1. *part.* 4. *de Poenit. cap.* 4. *n.* 3192. *ibi*: Potest imponi pro poenitentia opus alias debitum ex praecepto, voto, v. g. jejunium in Quadragesima »; Mastrius *Theolog. Moral. dist.* 21. *quaest.* 11. *n.* 172. Aretinus, Poncius, et alii Scotistae; Roncaglia, Lugo, Amicus, Aversa, Liberius, Suarez, Busembaum, Sporer, et novissime laudatus Alfonso de Liguori *loc. cit. cap.* 16. *punt.*

4. n. 53. *ibi* : « Può bene anche darsi in penitenza qualch'opera, alla quale il Penitente è già obbligato, come di sentir la Messa nella Festa, digiunare nelle Vigilie, secondo anche comunemente dice Soto, Layman, Sanchez, Valent. perchè tal'opera essendo soddisfatoria, allora si eleva per mezzo del Sacramento al merito di soddisfazione Sacramentale » ; et sic alii communiter in sensu meae conclusionis; Legantur enim attente, quae ego trado *ibi n.* 34. 35. *et* 36. ubi sic concludo : « Ordinarie tamen, cessante justa causa, non sunt imponenda pro poenitentia opera aliunde jam praecepta, et debita, sed opera supererogatoria, et aliunde indebita ». Hinc censeant eruditi lectores, an id fieri possit, ac debeat a nostro Theologo.

18 Ibidem n. 63. notat, et asserit *Theologus*. Animadversionis digna occurrunt: Primum *nu.* 25. ubi eximitur ab onere iterandae Confessionis poenitens, qui inculpabiliter, vel culpabiliter injunctae poenitentiae oblitus, eamdem praetermisit, sed sufficere asseritur, « ut in alia Confessione petat, sibi imponi aliam congruam poenitentiam pro peccatis, quae confiteri solet ». Alterum occurrit *n.* 31. ubi inter causas minuendi poenitentiam, Jubilaeum, et Indulgentia recensentur. Id vero jam refutatum est in nostra de Indulgentia Appendice. — Ast dignetur benignus, et eruditus Lector ponderare rationes, et Auctores a me sub dict. *n.* 25. allatos, pluresque alios idem sentientes, et signanter cit. D. Alfons. de Liguori, qui in suo opere italice impresso novissime *ann.* 1759. *c.* 6. *punto* 4. §. 1. *nu.* 59. sic tradit expresse: Si dimanda per 2. A che sia tenuto il penitente, che si ha dimenticata la penitenza? Altri, come Bonac. S. Antonin. etc. vogliono che sia tenuto a ripetere la confessione per far intiero il Sagramento. Ma comunemente, e molto, e forsi più probabilmente lo negano Suarez, Vasquez, Layman, Castropal, ed altri, e ciò ancorchè colpevolmente se ne fosse scordato, come dicono Soto, Nav. Lugo, Salm. La Croix, Holzm. etc. perchè in tal caso da una parte la penitenza si è renduta impossibile, e dall' altra è molto dubbia la legge, se debbano ripetersi I peccati già una volta direttamente assoluti, affin di dare intiero il Sagramento; dignetur que etiam benignus, et eruditus Lector ponderare rationes, et Auctores a me sub dict. *num.* 31. allatos, et a me tradita sub verb. *Indulgentia artic.* 3. *num.* 4. *ad* 8. inclusive cum S. Thoma, S. Bonavent. aliisque plurimis classicis Doctoribus ibi allegatis; et omnibus attentis, atque integre perpensis, pronunciet, an animadversione digna sint ibi a me tradita cum tot celeberrimis Auctoribus; vel potius a Theologo notata? Ea vel maxime, quod eruditissimus P. Ubaldus Giraldi cum suo Maschat *Institutionis Canonicae, Editionis Romanae* 1757. *tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 38. *num.* 5. sic expresse concludit : « Poenitentia minor imponi potest, si eo die occurrat aliqua indulgentia, praesertim plenaria, dummodo Poenitens ad eam lucrandam necessaria praestet ». Quamvis ipse, quod mirum est, unus ex Revisoribus probaverit indebitam censuram nostri Theologi.

19 Hic subjicere juvat, quae Benedictus XIV. de Synodo Dioecesana lib. VII. cap. XIII. habet. Igitur cum ipse num. IX. cavendum Episcopis esse dixisset, *ne in suis Synodis, aut in instructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de Attritionis mere servilis ad Sacramentum Poenitentiae sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate*, quem ejus locum Ferraris num. 1. attulit, num. X. subdit: « Non » ideo prohibentur Episcopi Confessarios monere, » ut poenitens ad veram, et perfectam Contritionem hortentur, et excitent: id siquidem faciendum suadent etiam praecipui Auctores, qui pro » sufficientia doloris ex sola metu gehennae, steterunt, uti *Suarez, Gammachaeus, Comitulus*, » quorum testimonia supra retulimus. Et, quod » magis est, ita fieri praecipit Rituale Romanum » jussu *Pauli V.* editum *tit.* 18. Confessario injungens, ut, audita Poenitentis Sacramentali » Confessione, ejusque peccatis diligenter expensis, *opportunas correptiones, ac monitiones, prout » opus esse viderit, paterna charitate adhibeat, et » ad dolorem, et Contritionem efficacibus verbis » adducere conetur* : cui consonat Rituale Argentinense, editum a Cardinali *de Rohan*, *tit. de » Poenit.* §. 1. ubi haec habentur: *Caeterum Poe» nitentes suos admonere non cessent Confessarii, » ne se putent securos in Sacramenti Poenitentiae » perceptione, si, praeter fidei, et spei actus, non incipiant Diligere Deum, tamquam omnis justitiae » fontem, ut loquitur Sacrosancta Synodus Tri» dentina* ». Quoniam vero Ferraris noster num. 13. ut evincat, ex propositione n. LVIII. inter damnatas a Ven. Innocentio XI. minime educi, circumstantiam consuetudinis a Poenitente semper esse manifestandam, confugit ad Auctores, qui adhuc post dictam damnationem, illam opinionem tuentur, eamque ab ipsis, *sciente, et non contradicente S. Sede*, propugnari animadvertit, in Lectorum memoriam revocandam esse ducimus propositionem num. XXVII. ex damnatis ab Alexandro VII. *Si liber sit alicujus junioris, et moderni; debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem*, referendaque verba, quae in Decreto Ven. Innocentii XI. auctoritate edito die 2. Martii anno 1679. leguntur, nempe: « Non intendens tamen » Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, et Sanctitati Suae » quomodolibet, et ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare ». Ex his enim plane efficitur, traditas a Theologis opiniones non eo praecise tutas censeri posse, quod ipsas Apostolica Sedes non damnaverit. Tanti quoque facienda non est recentiorum Theologorum, ac praesertim illorum, qui Probabilismi systema propugnant, ac sequuntur auctoritas, ut traditas ab illis

opiniones, licet ab aliis gravioribus et auctoritatis, et rationis momentis oppugnentur, amplectamur, ac tueamur. Haec si prae oculis Lectores habuerint, facile perspicient, quae pro se Auctor noster a n. 14. affert, infirma esse, ac opiniones, quas confirmare nititur, jure a Romano Theologo notatas fuisse, et reprehensas *.

POENITENTIA PUBLICA

De Poenitentia Publica sequentia notasse expediat.

1 Initium solemnis hujus Poenitentiae repetendum videtur ab ipsis Apostolis, cum jam Paulus 1. Cor. 5. legatur incestuosum quemdam Corinthium tradidisse *Satanae in carnis interitum*, quod excommunicationis quoddam, et publicae poenitentiae genus fuisse veteres existimant. De usu certe ejus Saeculo II. et III. dubitari nequit; adeo clara sunt testimonia Irenaei *L.* 2. *c.* 9. Tertulliani *L. de Poenit. C.* 9. *et* Cypriani *Ep.* 52. ad Antonianum, Neque tamen statim a principio eadem, quae deinceps invaluit, fuit disciplina, seu rigorem, aen diuturnitatem poenitentiae attendas. Etenim Sec. 1. paulo ante memoratus Corinthius, vix anno poenitentiae evoluto, Ecclesiae communioni est restitutus, ut constat ex C. 2. *Ep.* 2. *ad Corinth.* quam post annum ab Epist. 1. elapsum Paulus scripsit. Et (Irenaeo teste L. 3. C. 4.) Cerdo haeresiarcha Saec. II. pluries a sua apostasia reconciliationem obtinuit. Nathalius etiam Episcopus, ab haereticis ad defectionem inductus, ut primum sacco indutus, et cinere conspersus ad pedes Zephyrini sub initium Saeculi III. Papae, se provolvit, continuo pacem, et communionem recepit, quod refert Eusebius L. 6. Hist. C. ult.

2 Severitatis hujus Canonicae disciplina non prius, quam sub medium Saeculi III. inducta est, ut colligitur ex Cypriani Ep. 52. in qua scribit, communi Episcoporum suffragio constitutum, *ut nec in totum spes communicationis, et pacis lapsis denegaretur..... sed traheretur diu poenitentia.* In hunc finem, cum antea poenitentiae tempus, et modus Episcopi arbitrio definirentur, institutae sunt solemnes Poenitentium stationes, ac singulis attributa laboriosae satisfactionis opera; idque tum ad fideles in officio vitae Christianae continendos; tum ad occurrendum Montanistarum, et Novatianorum criminationibus, quibus Catholicos de nimia in lapsos facilitate incusabant. Caeterum haec ipsa poenitentiae solemnitas circa finem Saeculi IV. primum quidem Constantinopoli a Nectario, haud multo post dein in plerisque etiam aliis Orientalibus Ecclesiis, in Occidente vero non prius, quam Saec. VII. abrogata est; hinc sequentibus Saeculis, tametsi quandoque pro publicis delictis publica imponeretur poenitentia, prior attamen ille quoad temporis diuturnitatem, et stationes canonicas rigor integre observatus non legitur.

Erat solemni huic poenitentiae illud peculiare, 3
quod non a quolibet, nec quibusvis peccatoribus injungi posset. Nimirum 1. a solo Episcopo, vel Presbytero speciatim ad id muneris deputato imponebatur poenitentia publica, et quidem solemni ritu, neque nisi in *Capite Jejunii*, seu Feria Cinerum: unde et mos eo die cineres accipiendi profluxit. Ritum hunc videre est apud Martene de antiqua Eccl. discipl. c. 17. ubi ex complurium Ecclesiarum Manuscriptis Codicibus varios ejus Ordines describit. Id. refertur in Pontificali Rom. Clementis VIII. *Tit. de expuls. publice Poenitentium.* Praecipua autem ejus capita haec fere sunt. Poenitentibus templum ingressis, et coram Episcopo prostratis, ac peccatum suum palam confitentibus primum imponebatur cinis cum dicto; *Memento homo, quia pulvis es, et age poenitentiam, ut habeas vitam aeternam.* Aspersi dein aqua lustrali, post manuum impositionem, ciliciis benedictis induebantur; tum, recitatis prius Psalmis Poenitentialibus, et compluribus aliis precibus, ad fores Ecclesiae deductos ejiciebat Episcopus dicens: *Ecce ejicimini vos hodie a liminibus S. Matris Ecclesiae etc.* respondente Choro; *In sudore vultus tui vesceris pane etc.* Postremo jam ejectos, et extra Ecclesiam genibus flexis gementes commonebat Episcopus de poenitentiae operibus, de misericordia Dei, utque non prius, quam Feria V. in Coena Domini, ad Ecclesiam redirent; quo sermone finito, ac Episcopo cum reliquis Fidelibus in Ecclesiam revertente, mox ejus valvae ante oculos Poenitentium claudebantur.

Quod vero ad personas poenitentiae huic subjectas attinet: in primis Clerici majores (quales 4
sunt Episcopi, Presbyteri, et Diaconi) saltem a Saeculo IV. ei non erant obnoxii, ut colligitur ex Conc. Carthaginensi an. 398. Can. 11. item Leonis M. Epist. ad Rusticum Narbon. et Isidoro L. 2. de Eccl. Offic. C. 16. Num autem antea subjecti fuerint, controversum est, nec certi quidquam statui potest. Perinde de Clericis Minoribus aliqui controvertunt: tametsi eos Felix III. sub finem Saeculi V. Pontifex in Ep. 7. solemni poenitentiae subjiciat; iisdem nihilominus a Conc. Toletano IV. an. 633. Can. 29. eadem cum Clericis majoribus poena dictatur. Ego existimo, uti in aliis, sic et in hoc non eamdem fuisse in omnibus Ecclesiis disciplinam, hancque ipsam apud

eosdem progressu temporis non raro variatam. Illud ex laud. Can. Toletano est certius: saltem sub initium Saeculi VII. constitutum fuisse, ut quilibet Clericus a solemni poenitentia exemptus, in locum ejus *ab honore dignitatis depositus Monasterii poenam excipiat, ibique perpetuae poenitentiae deditus scelus admissum luat.*

5 Sed nec Fidelibus reliquis omnia promiscuè peccata, quantumvis gravia, solemni hac satisfactione expianda erant. Non certò occulta; nam Innocentius I. in Ep. ad Exuperium disertè ait: *Non habent latentia peccata vindictam*, intellige publicam. Idem colligitur ex S. Caesarii Hom. I. in Quadrag.; item Concilii Neocaesariensis ann. 314. Can. 4. cum primis autem Augustino. Verba Sancti Doctoris sunt Serm. 16. de verb. Dom. *Novit nescio quem homicidam Episcopus, et alius illum nemo novit, ... prorsus non prodo. nec negligo, corripio in secreto etc.* et ibid. infra: *sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur, ... nos non prodimus malum, sed in secreto arguimus.* Unde Hom. ult. inter 50. in peccatore publicae poenitentiae subjiciendo requirit delictum, quod *non solum sit in gravi malo, sed etiam in scandalo aliorum*, proinde publicum. Nec tamen etiam gravia quaelibet publica delicta solemni hac poenitentia castigabantur: verum, certa dumtaxat, et quidem communiter idolatria, homicidium, et adulterium; reliqua fere arbitrio Episcoporum designabantur, ut adeo in hoc quoque pro Ecclesiarum varietate variam fuisse disciplinam fateri oporteat. Quodcumque interim peccatum fuerit, propter quod poenitentia publica acta est, poenitentes hujusmodi a Clericorum Ordine in perpetuum arcebantur, ut constat ex Siricii Papae Ep. 1. C. 14. cui poenae num etiam illi, qui vel demissionis studio, aut ad vindicandas occultas culpas (quod legimus a quibusdam factum) publicis poenitentibus se sponte, ac ultro adjunxerunt, subjecti fuerint? certi quod dicam, nihil reperio.

6 Tria vero in ritu publicae Poenitentiae observatu digna sunt: poenitentium Stationes, tempus singulis praefinitum, et poenae intra hoc tempus usitatae. I. Ac Stationes quidem, seu gradus poenitentia solemnis complectebatur quatuor: fletum videlicet, auditionem, substrationem, et consistentiam; hinc pro varietate eorum poenitentes alii dicti flentes, audientes alii, vel substrati, aut demum consistentes. Qui in prima Flentium statione versabantur, pro foribus Templi manebant prostrati, ibique, sacco induti, et cinere consporsi, delictum suum coram Episcopo, vel alio Poenitentiario, imo et Fidelibus omnibus palam confitebantur; quin etiam, Templum ingredientium pedibus multo cum gemitu advoluti, eorum preces, et suffragia exposcebant. Istbinc verò colligas: Confessionem publicam repetitis vicibus fieri consuevisse; primum videlicet in impositione poenitentiae, ac rursum in hoc Flentium gradu. Audientium statio fuit in Narthece, seu Templi vestibulo, ubi cum Cathechumenis, et infidelibus audiebant Psalmorum cantus, Scripturae lectionem, et sermones Episcopi, quo per hoec ad veram poenitudinem disponerentur; Missae autem Cathechumenorum interesse non permittebantur. Substratis in ipso Templi ambitu a Porta usque ad ambonem locus erat; hic inter gemitus, et suspiria flentes subjiciebantur manuum impositione, quam Episcopus cum Clero faciebat, orans simul pro illis, eisque benedicens: dum denique, peracta Cathechumenorum Missa, ante Offertorium e Templo ejicerentur. Atque hic poenitentium gradus omnium erat laboriosissimus; in eo quippe plurima poenitentiae opera obeunda erant: unde etiam hujus gradus poenitentes potissimum absoluto Poenitentium nomine veniebant. Consistentes demum intra ambonem, et cancellos in Templo locum occupabant, ac integro Missae Sacrificio, et reliquis communibus precibus intererant; a panis tamen, et vini oblatione, ac etiam Eucharistiae participatione excludebantur, dum solemniter reconciliarentur.

Uti universim toti poenitentiae, sic et Stationibus non erat lege communi certum praefinitum tempus, ut constat ex Conc. Carthaginensi III. quod Can. 3. statuit: *ut poenitentibus, secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernantur.* Inde non raro factum, ut alii uno, alii duobus, imo et pluribus annis in quavis statione detinerentur: aliquando autem ab una Statione, praetermissa media, ad aliam transferrentur. Singulare severitatis exemplum est ex Basilio, qui in Ep. ad Amphiloch. Can. 76. de Homicidae poenitentia ita decrevit: « Qui sua sponte interfecit, et post poenitentia ductus est, viginti annis Sacramento non communicabit.. Viginti autem anni sic in eo dispensentur. Debet quatuor annis deflere stans extra fores Oratorii, et Fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians. Post quatuor autem annos inter Auditores recipietur, et quinque annis cum ipsis egredietur. Septem annis cum iis, qui in Substratione orant, egredietur. In quatuor autem annis solum stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps; tum demum, iis expletis, erit Sacramentorum particeps ». 7

Quodcumque interim hoc tempus fuerit, intra illud variis poenitentiae operibus vacandum erat. Praeter peculiares autem illas poenas, quae singulis pro gravitate delicti ab Episcopo imponebantur, communes omnibus fuisse leguntur sequentes: Confessio publica; privatio Eucharistiae; attonsio capitis, et pullae vestis, ac cilicii gestatio; orationum, humiliationis, jejuniorum, et aliarum corporis afflictationum frequentatio; abstinentia a conviviis, et balneis; a Clero, et Ordinibus in perpetuum exclusio. His, imo in quibusdam Ecclesiis (praesertim Romana, Gallicana, et Africana) etiam aliae adjungebantur poenae; cum videlicet 8

publice poenitentes a contrahendo Matrimonio, aut jam conjugati ab ejus usu prohiberentur; arcerentur a militia saeculari, quo magis Deo, et poenitentiae vacarent; agere Susceptores in Baptismo et Confirmatione vetarentur etc.

9 Poenitentiam solemnem integre peractam sequebatur solemnis reconciliatio, cui ex veterum disciplina suus speciatim erat Minister, certumque praefinitum tempus, et peculiaris coeremonia. Et ad Ministrum quod attinet, quamvis, urgente necessitate, (hoc est in articulo mortis) Sacerdoti cuilibet fas fuerit publice poenitentes reconciliare: regulariter attamen id a solo Episcopo praestabatur. Certe publica illa reconciliatio, quae solemni ritu in Ecclesia fiebat, ita Episcopo fuit propria, ut a nemine alio, nisi forte ad id muneris peculiariter delegato unquam ministrari potuerit. I. Cap. Sed nec tempus ejus erat arbitrarium. In Ecclesia Romana ad id designatam fuisse Maj. hebd. Feriam V. constat ex Innocentii I. Ep. ad Decent C. 7. Sacramentario Gregorii, et Ordine Rom. Eumdem diem observatum in Gallia juxta praescriptum Conc. Cabilonensis Can. 47. item in Anglia, Germania, plurimisque Provinciis aliis docent Ordines Missalium, ab erud. Martene relati de ant. Eccl. discipl. C. 22., et passim Ritualia, ac Pontificalia. Unde peculiare id erat Ecclesiae Mediolanensi, et Hispanicae, quod reconciliationem hanc in Parasceve Sabbathi Sancti peragerent, ut ex S. Ambrosii Epist. 33. et Conc. Toletani IV. Can. 70. colligitur; quamquam et in hoc subinde variaverint.

10 Porro solemnis hujus reconciliationis ritus copiose describitur in Not. et Observ. a Cl. Menardo factis ad Sacramentarium Gregorii Magni; item apud Cl. Martene L. 1. de ant. Eccl. Rit. C. 6. art. 5. ac rursum apud eumdem in Tract. de ant. Eccl. discipl. C. 22. §. 2. in compluribus Ordinibus de reconcil. Poenit. Nos praecipua dumtaxat ejus capita referemus ex Clementis VIII. Pontificali Romano, et quidem retentis, quoad licet, ejusdem verbis. Juxta hoc igitur Tit. de Reconcil. Poenit. in Feria V. Coenae Domini. I. Pontifice cum Clero coram Altari Psalmos Poenitentiales, et Lytanias recitante, Poenitentes ante fores Ecclesiae nudis pedibus ad terram prostrati manent, tenentes in manibus cereos extinctos. Sub Lytaniis ipsis ad verba, *Omnes SS. Patriarchae etc.* Item, *Omnes SS. Martyres etc.* duo Subdiaconi cereos accensos deferentes egrediuntur ad Poenitentes, ac primum dicunt: *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem etc.* vice altera autem: *Dicit Dominus: Poenitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Caelorum*; hisque dictis, extinguunt cereos, et revertuntur. Rursum ante verba, *Agnus Dei etc.* egreditur Diaconus cum majore cereo acenso, et in ostio Templi ad Poenitentes conversus canit Antiphonam: *Levate capita vestra: ecce appropinquavit redemptio vestra.* Tum ex Diaconi cereo accenduntur poenitentium candelae, Diaconoque cum illuminato cereo revertente, dicitur: *Agnus Dei etc.* II. Lytaniis terminatis, Episcopo in faldistorio considenti Archidiaconus ab ostio Templi praesentat, et commendat Poenitentes; quos subinde cum toto Clero accedens Episcopus, primum exhortatur de divina Clementia, de veniae promissione etc. dein, finito sermone, canit Antiphonam: *Venite, venite filii etc.* Mox Poenitentes ostium Ecclesiae ingressi prosternuntur ad pedes Episcopi, nec multo post ab eodem deducuntur in Ecclesiam, Archipresbytero interim nomine poenitentium dicente: *iniquitates meas ego cognosco etc.* Episcopo autem concludente: *Dico vobis, gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.* III. Ad medium Ecclesiae deducti Poenitentes flectunt continuo genua, Episcopus vero ad illos conversus inchoat Antiphonam: *Oportet te Fili gaudere, quia Frater tuus mortuus fuerat, et revixit etc.* recitatisque dein Psalmis quibusdam, et Orationibus compluribus, aspergit eos aqua lustrali, et incensat dicens: *exurgite, qui dormitis, exurgite a mortuis, et illuminabit vos Christus.* Postremum, data singulis indulgentia, omnes simul solemni absolutione reconciliat, et elevatis manibus benedicit. In quibusdam praeterea Missalium Ordinibus a Cl. Martene relatis legitur Episcopum singulis reconciliatis manum imposuisse, ac etiam pacis osculum dedisse cum dicto: *Pax tecum.* Peracta solemni hac coeremonia, crines, et barbam, quam, durante Poenitentia, nutrire moris erat, deposuerunt reconciliati, sacco item, et cilicio dimisso, cultioribus, et mundioribus vestibus induti sunt; quin etiam in quibusdam Ecclesiis hoc die apud Episcopum lautiore coena excipiebantur, ut notat Martene ex antiquo Pontificali Ecclesiae Pictaviensis.

POENITENTIARIA APOSTOLICA

POENITENTIARIUS MAJOR

SUMMARIUM

1. de Poenitentiariae Apostolicae facultatibus, *ad num.* 3. — 4. *Poenitentiariae* Apostolicae Officiales — 5. De hujusmodi Officialibus quaenam notanda; *ad num.* 10. — 11. *Poenitentiariae* expeditiones omnes secreto, et gratis fiunt, *ad num.* 13. — 14. de Poenitentiariae Archivio — 15. de Poenitentiario Majori quid notandum, *ad num.* 36. — 37. Quoad Poenitentiarios Minores vide ibi, *ad num.* 40.; Alia ad rem v. Verb. *Dispensatio a num.* 68.

1 Poenitentiariae facultates late traduntur a Be-
nedict. XIV. tom. 1. Constit. 95. incipient.
2 *Pastor Bonus*. Poenitentiariae Apostolicae
facultates Sede vacante absolvendi a quibus-
libet Censuris, et dispensandi in foro Conscientiae,
et ad tempus perseverant juxta disposita ab eodem
3 *ibidem* §. 51. Pro foro tamen externo conquiescit,
praeterquam quo ad Regulares, et Moniales, et
quo ad absolutiones cum reincidentia. Idem *ibid.*
§. 53.
4 Poenitentiariae Apostolicae Officiales sunt Ma-
jor Poenitentiarius, Regens, Theologus, Datarius,
Canonista, Corrector, Sigillator, Procuratores, seu
Secretarii tres, et Scriptores Ordinarii itidem tres
cum additione unius Procuratoris, et unius Scrip-
toris: Idem Constitut. 66. incip. *In Apostolicae
Poenitentiariae* §. 2. *per tot.* ubi assignantur eorum
qualitates, munera, et emolumenta, et alia eos
5 concernentia. Et §. 21. statuit de Signatura Poe-
nitentiariae, interessentia Officialium, methodo-
que in ea servanda.
6 Ad Poenitentiariae Apostolicae Scriptorum Of-
ficium non debent admitti, qui alienis servitiis,
vel alteri incompatibili Officio addicti sint: Idem
7 tom. 2. Constitut. 41. incip. *Quamvis*. Iisdem in-
jungitur, ut Procuratores, seu Secretariorum Of-
8 ficia frequentent: Idem *ibidem*. Poenitentiariae A-
postolicae Secretarii, seu Procuratores, ipsius Of-
ficii praxim didicisse debent in praevia executione
9 muneris Scriptoris: Idem *ibid.* Tam Procuratores,
quam Scriptores, per Concursum eligendi sunt:
10 Idem *ibid.* Poenitentiario Majori R. E. Card. in-
jungitur praemissorum executio: Idem *ibid.*
11 Poenitentiariae expeditiones omnes secreto, et
gratis fiunt: Idem cit. Constit. incip. *In Aposto-
licae* §. 22.
12 Poenitentiariae emolumenta unde sumenda, et
quomodo administranda, assignat Idem *ibid.* §.
13 29. *et seq.* Superflua applicantur Hospitio paupe-
14 rum invalidorum de Urbe: Idem *ibid.* §. 33. Poe-
nitentiariae Archivium publicum, et secretum,
omni diligentia disponendum, et custodiendum con-
stituitur: Idem *ibid.* §. 37. *et seq.*
15 Major Poenitentiarius unus ex S. R. E. Cardi-
nalibus debet esse Presbyter, et in Theologia Ma-
gister, seu Decretorum Doctor a solo Romano Pon-
tifice per Litteras eligendus. Ipso e vita disceden-
te tempore Sedis vacantis, tunc a majore numero
Cardinalium per secreta suffragia eligendus est a-
lius Cardinalis Pro Poenitentiarius ad ejusdem Se-
dis vacantis tempus: Idem *ibidem* §. 3. *et* 4. Prae-
16 cipuum Majoris Poenitentiarii munus consistit in
recto, ac prudenti exercitio facultatum sibi con-
cessarum. Et in quatuor diebus Majoris hebdoma-
dae, Dominica quidem Palmarum in Basilica San-
cti Joannis in Laterano, Feria vero quarta in Ba-
silica S. Mariae Majoris, et quinta, et sextis feriis
in Basilica Vaticana S. Petri Fidelium confessio-
nes in Sede ad id constituta excipere, nec non ca-
pita pie sese submittentium Virga Poenitentiarii
tangere; Indulgentiam centum dierum ipsis imper-
tiendo, juxta facultatem eidem concessam in alia
Constit. incip. *Pastor Bonus*. Praeterea tribus an- 17
ni diebus, videlicet Feria quarta Cinerum (qua
die ipse Cineres capiti Summi Pontificis, Cardina-
lium, caeterorumque assistentium inspergit), et
mane Feriae sextae in Parasceve, e die Commemo-
rationis Fidelium Defunctorum, solemni ritu rem
Divinam in Pontificia Capella peragere. Et ad haec 18
Romano Pontifici in supremo vitae agone consti-
tuto ad spiritualem eidem in tali articulo feren-
dam opem, assistere; Idem *ibid.* §. 5.
Major Poenitentiarius Minores Poenitentiarios 19
in tribus Basilicis Urbis in Ecclesia Lauretana, ac
pro anni Sancti tempore in Basilica S. Pauli, aliis-
que Urbis Ecclesiis deputat, *ibid.* §. 6. Majori Poe- 20
nitentiario assignantur emolumenta centum scu-
torum auri pro quolibet mense, et aliorum 200.
annorum monetae e superfluis Poenitentiariae e-
molumentis: Idem *ibidem* §. 8. *et* 9.
Poenitentiarius Major potest consulere Papam 21
etiam in prohibitis, et ei de vivae vocis oraculo
asserenti est fides habenda: Idem in cit. Constitut.
95. incip. *Pastor Bonus* §. 5. Poenitentiarii Ma- 22
joris facultates a pluribus Pontificibus concessae
colliguntur, et ordinantur ab eodem *per tot. dict.
Constitutionem*. Absolvit enim a peccatis, et cen- 23
suris: Idem *ibid.* §. 16. Dispensat super irregula- 24
ritate: Idem *ibidem* §. 17. Convalidat titulos Be- 25
neficiorum condonando, seu componendo quo ad
fructus male perceptos: Idem *ibid.* §. 20. Remit- 26
tit, seu condonat alia male percepta, et habilitat
ad percipiendum: Idem *ibidem* §. 25. Relaxat, seu 27
commutat juramenta, vota, et onera: Idem *ib.* §.
28. Regulares habilitat, absolvit, et transitus eis- 28
dem concedit de una ad aliam Religionem: Idem
ibidem §. 31. Et eadem respectu Monialium: Idem 29
ibidem §. 36. Dispensat in Matrimonialibus super 30
impedimentis impedientibus occultis, revalidat dis-
pensationes male obtentas etiam legitimando pro-
lem: Idem *ibidem* §. 39. Dat facultatem Minori- 31
bus Poenitentiariis: Idem *ibid.* §. 47. Concedit In- 32
dulgentiam centum dierum in tactu Virgae: Idem
ibidem §. 50. Commissiones Majoris Poenitentia- 33
rii, vel Pro-Poenitentiarii non expirant, eo dece-
dente, vel ab Officio cessante: Idem *ibidem* §. 49.
Poenitentiarii Minores in Basilicis Urbis, et in Æde 34
Lauretana deputantur a Cardinali Majori Poeniten-
tiario cum facultatibus ipsius arbitrio: Idem cit.
Constit. 66. incip. *In Apostolicae Poenitentiariae*
§. 6. Vide dictas Constitutiones *Pastor Bo-
nus*, *et In Apostolicae Poenitentiariae*, ubi decla-
rantur supradictae facultates, et plurima alia sta-
tuuntur ad rem.
Ad Poenitentiarium Majorem pertinet supplere 35
negligentiam, tam Ordinariorum Localium, quam

Regularium Superiorum Monialum, in deputationibus Confessariorum in casibus a Concilio Tridentino praescriptis, aiiisque recensitis in Constitutione 66. incip. *Pastoralis:* Idem citat. Constitut.
36 Incip. *Quamvis.* Poenitentiarius Major, etiam vacante Apostoiica Sede, Monialibus deputare nequit Confessarios, qui ab Ordinariis iocorum pro Monialibus expresse probati non fuerint: Idem *ibidem*.
37 Poenitentiariis Minoribus Basilicae Lateranensis Ordinis Minorum Reformatorum, inopia laborantibus, annui redditus augentur in scutis ducentis, ex Officio Sigiilatoris Poenitentiariae Apostolicae
dismembratis: Idem Constitut. 39. incip. *Labo-*
rantibus: Item in aliis scutis centum ex redditibus 38
Poenitentiariae arbitrio Poenitentiarii Majoris a-
lias permissis: Idem *ibidem*. Praeterea eorum Col- 39
legio assignantur mulctae ejusdem Officii Poeni-
tentiariae: Idem *ibidem*. Hujusmodi assignatio de- 40
claratur, quod facta fuerit eorum Collegio per modum eleemosynae: Idem Constitut. 31. incipien. *Decet.*

Alia ad rem, vide verb. *Dispensatio a num.* 68. *ad fin.*

POENITENTIARIUS

VIDE VERB. *CANONICUS ART.* 9. *N.* 45. *AD* 49.

POLLUTIO

VIDE VERB. *LUXURIA A NUM.* 35. *AD* 45.

POLYGAMIA

SUMMARIUM

1. Polygamia, seu uxorum pluralitas duplex esse potest, scilicet successiva, et simultanea. — 2. Polygamia successiva quae sit? — 3. Qui duas uxores successive habuit, dicitur *Bigamus*, si tres dicitur *Trigamus*, si quinque, dicitur *Quintogamus*, si octo, dicitur *Octogamus*; et sic de aliis. — 4. Polygamia simultanea quae sit? — 5. Haec simultanea pluralitas Uxorum est vera, et propria Polygamia, de qua in praesenti est sermo. — 6. Et quidem pluralitas successiva Uxorum valida est, et licita. — 7. Polygamia, seu pluralitas simultanea Uxorum est Jure Divino prohibita. — 8. In Lege veteri Polygamia, seu pluralitas Uxorum fuit licita, et permissa. — 9. Polygamia autem, seu potius *Polyviria* plurium virorum simul cum una uxore nunquam, nec in Lege veteri fuit licita, et permissa. — 10. An potuerit Deus in Lege veteri; et possit nunc dispensare in hac polygamia, seu *Polyviria*, Multi negativam sententiam defendunt. — 11. Affirmativa autem sententia est communior, et probabilior. — 12. Circa Polygamiam, seu pluralitatem simultaneam Uxorum, sicuti de facto Deus dispensavit in Lege veteri, ita posset, si vellet, dispensare etiam nunc in Lege Evangelica. — 13. Nullus autem homo, neque Summus Pontifex dispensare potest circa utramque polygamiam, scilicet tam viri cum multis uxoribus simul, quam Uxoris cum multis simul Viris. — 14. Ad evitandam Polygamiam, et contrahendum secundum Matrimonium ob mortem alterius conjugis requiritur, et sufficit certitudo saltem moralis de morte ejusdem Conjugis. — 15. Probatur prima pars, quod scilicet requiratur certitudo, et non sufficiat solum dubium, aut probabilis opinio de morte alterius Conjugis, nec ejus absentia plurium annorum. — 16. Probatur secunda pars; quod scilicet sufficiat certitudo moralis. — 17. Notitia sufficiens, et certitudo moralis de morte alterius conjugis habetur: Primo, si de ea testetur Parochus. — 18. Secundo, si adsit attestatio publica, vel authentica. — 19. Tertio, si adsint duo testes de visu. — 20. In similibus casibus etiam consanguinei, et affines possunt esse testes; Excipiuntur tamen ad id interesse habentes, uti sunt ipsimet conjuges superstites. — 21. Quarto, si cum uno teste de visu, aut cum fama, aut cum pluribus testibus de audito concurrant verisimilia indicia, et conjecturae. — 22. Immo multi volunt sufficere etiam unicum testem de visu. — 23. Et probabilius non sufficit unus testis, nisi concurrant aliqua adminicula, et indicia. — 24. Item non sufficit sola fama sine aliquo ex dictis indiciis, et conjecturis. — 25. Item sine aliquo ex dictis indiciis, seu adminiculis, et conjecturis, nec sufficit absentia alterius conjugis per multos annos. — 26. Quandonam ex supradictis habeatur sufficiens certitudo moralis de morte conjugis, spectat ad Judicem Ecclesiasticum suo prudenti judicio, attentis omnibus circumstantiis locorum, temporum, et personarum, judicare. — 27. Polygami in Jure Civili, etiam ab Imperatoribus Gentilibus infamiae nota, aliisque poenis afficiuntur. — 28. Polygami, nedum in Jure Civili, sed potissimum in Jure Canonico infames declarantur. — 29. Polygami condemnantur ad Triremes per quinquennium: vel si falsos produxerunt testes ad probandam mortem prioris conjugis, ad septennium. — 30. Quinimmo ii, qui, mentito nomine, vel cognomine, prima Uxore vivente, secundam ducunt, damnantur ad Triremes in perpetuum; et si fuerint inhabiles, fustigentur, et ad carceres perpetuos damnantur, et si pro atrocitate criminis majores poenas meruerint, traduntur etiam Curiae saeculari. — 31. Polygami debent abjurare de levi, vel de vehementi, prout fuerint, vel leviter, vel graviter de Haeresi suspecti. — 32. Unde crimen Polygamiae spectat ad Forum Ecclesiasticum, sive ad Inquisitores Haereticae pravitatis privative quoad Judices saeculares. — 33. Polygamus, qui Polygamiae Poenitentiam, seu poenam triremium jam explevit, non potest cum secunda Uxore denuo Matrimonium contrahere, quamvis prima legitima Uxor decesserit, nisi habeat dispensationem Apostolicam.

1 Polygamia, seu Uxorum pluralitas duplex es-
se potest, scilicet successiva, et simultanea.
2 *Communis*. Polygamia successiva est, quan-
do quis successive plures habet Uxores. *Com-*
3 *munis*. Et hic si duas successive habuit, dicitur
Bigamus, si tres, dicitur *Trigamus*, si quinque,
dicitur *Quintogamus*, si octo, dicitor *Octogamus*,
et sic loquendo de aliis, texto expresso in *cap.*
4 *Aperiant* 11. *caus*. 31. *qu*. 1. Polygamia simulta-
nea est, quando quis simul plures habet Uxores.
5 *Communis*. Et haec simultanea pluralitas Uxo-
rum est vera, et propria Polygamia, de qua in
6 praesenti est sermo. Et quidem pluralitatem Uxorum successivam validam esse, et licitam, altero conjugum mortuo, est communis Catholicorum sensus contra Montanistas, et Novatianos olim secundas nuptias damnantes, et expresse habetur *ex* 1. *Ad Corinth*. 6. ibi: *Mulier alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit; Quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino*. Et 1. *Ad Timoth*. *c*. 5. vult Apostolus *Viduas juniores nubere*. Et c. *Aperiant* 11. *caus*. 31. *q*. 6. dicitur expresse: *Ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia Bigamiam, immo nec Trigamiam, et ita licere quinto. et sexto, et ultra; quomodo et secundo Marito recte nubere*. Et hoc supponitur pro certo, et indubitato *tot. tit. de secundis nuptiis* 21. *lib*. 4. *Decret*.

7 Polygamia, seu pluralitas simultanea Uxorum, est jure Divino prohibita. *Est certa de Fide*: ut qui contrarium assereret, esset Haereticus reputandus. *Sic Catholici omnes ex Canon*. 48. *Apostolorum*. ex Concilio Nicaeno 1. *c*. 25. *et* 27. Ex Innocent. I. *Epistola* 37. Ex Syricio *Epistola* 1. *cap*. 4. *ut in cap. De conjugali* 27. *quaest*. 2. Ex Caelestino I. *in cap. Videtur nobis* 35. *quaest*. 6. Ex Concilio Toletano I. *cap*. 17. Ex Alexandro III. *in Appendic. cap*. 15. *et* 25. Ex Nicolao I. *ad consulta Bulgarorum cap*. 15. Ex Innocentio III. *in cap. Gaudemus* 8. *de divortiis*, ubi ad hoc dicit unam tantum costam in unam tantum foeminam conversam fuisse, ut non plures in plures; Ex Concilio Florentino in *Dec. pro Armenis*. Ex Concil. Coloniensi sub Paul. III. *part*. 1. *cap*. 41. Ex Concilio Moguntino sub eodem in *Decretis Fidei cap*. 36. Et ex Concilio Tridentino *sess*. 24. *Can*. 2. ubi sic est definitum: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere Uxores, et hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, anathema sit*: et hoc aperte colligitur ex verbis ipsius Christi *Matth*. 19. *et Marc*. 10. ubi expresse docet, esse adulterum eum, qui, *dimissa Uxore*, ducit aliam; quod non esset, si, vivente priori, alia quoque esset Uxor ejus legitima (*).

In Lege veteri Polygamia, seu pluralitas Uxo- 8
rum, fuit licita, et permissa Divina dispensatione ab ipso Deo indicata primis aliquot Patribus, deinde illorum verbo, aut exemplo ad caeteros perventa. *Communis* cum Scoto in 4. *dist*. 33. *quaest*. 1. *art*. 2. S. Thoma, et S. Bonaventura *ibid*. Bellarmino *l*. 1. *de Matrim*. *c*. 11. *proposition. quarta*, et aliis passim. Et probat Scotus *ex Genes*. 16. *et* 25. de Abrahamo, qui habuit Uxores Saram, Agar, et Ceturam; De Jacob, qui habuit Uxores Rachelem, et Liam; et de David 2. *Reg*. 5. qui plures habuit Uxores: Credibile autem non est, quod hi Sancti Patres ducendo plures simul Uxores fecerint aliquid illicitum, sed potius credendum est, quod illas non accepissent, nisi fuisset illis Divina dispensatione, seu inspiratione concessum, ut in casu paucitatis Fidelium procreantium prolem, ut hoc modo plures mulieres ab uno faecundarentur, et sic proles ad Divinum cultum propagaretur, et multiplicaretur. Et de facto Moyses *in Deuteronomio cap*. 21. tamquam de re nota, et passim licita loquitur dicens: *Si fuerint alicui duae Uxores, una dilecta. altera odiosa* (**).

Polygamia autem, seu potius *Polyviria* plurium 9
virorum cum una Uxore nunquam nec in Lege veteri fuit licita, et permissa. *Communis* cum Sancto Augustino *lib*. 3. *de Doctrina Christiana cap*. 12. *et lib. de bono Conjugator. cap*. 17. S. Thoma *in* 4. *dist*. 33. *quaest*. 1. *art*. 1. *ad* 7. Scoto *in* 4. *dist*. 17. *et* 26. Bellarm. *loc. cit*. Et ratio est, quia haec Polygamia, seu potius *Polyviria*, adversatur fini primario Matrimonii, qui est propagatio prolis, et educatio ejusdem, et ex plurium virorum concubitu cum eadem muliere, vel nunquam proles progignitur, vel non nisi rarissime, ut notavit S. Augustinus *in lib. de bono Conjug*. *c*. 17. et docet experientia de meretricibus.

An autem potuerit Deus in Lege veteri, et pos- 10
sit nunc dispensare in hac Polygamia, seu *Polyviria*, nempe plurium virorum cum una Uxore? Variant Doctores; Negativam sententiam defendunt Bellarminus *cit. l*. 1. *de Matr. cap*. 11. *proposit*. 2. Rosignol. *in universas de Matrim. controversias contract. XV. de Matrim*. 11. *praenot*. 15. *n*. 5. citans ibi S. Augustin. *l*. 3. *de Doctrina Christiana cap*. 12. *et lib. de bono Conjugator. cap*. 17. S. Thomam *in* 4. *dist*. 33. *qu*. 1. *art*. 1. *ad septimum*. et sic tenent plures alii, ex eo quia haec Po-

(*) Accedat vel ipsorum Protestantium Principum severitas adversus impium Theophili Aletei, seu Liseri, librum inscriptum *Polygamia triumphatrix*. Nam non modo Brunsmanus Danus eum acerrime confutavit, edito a. 1661. libro *Monogamiae victricis*, sed etiam Danorum Rex Cristiernus V. praeter execrabilis operis damnationem, illius quoque auctorem a toto suo Regno exulare jussit.

(**) An autem etiam ante diluvium ob eamdem propagandi humani generis necessitatem, quae post diluvium polygamiam, dispensante Deo, induxit, Deus Patriarchis, aliisque polygamiam permiserit, ut Mersennius docuit *in Gen*., vide cl. P. Merlin. dissertationem a Patribus Trevoltiensibus excussam in suis a. 1736. Ephemeridibus mense Julio P. II. 25. 80.

lygamia, seu *Polyviria* plurium virorum cum una Uxore, sit contra prima principia Juris naturae, nec per aliam mutationem circumstantiarum possit fieri bona, cum repugnet omnibus finibus Matrimonii; In iis autem, quae sunt contra principia Juris naturae, non potest Deus dispensare; secus non essent prima principia Juris naturae, adeoque
11 etc. Affirmativam sententiam, nempe posse Deum in hac Polygamie, seu *Polyviria* dispensare, tenent communius, et probabilius Doctores, ut tenet, et testatur Mastrius *in Theol. mor. disp.* 20. *quaest.* 3. *n.* 53. Et ratio est, quia Deus dispensare potest in aliis quoque praeceptis Juris naturae, ut in fornicatione, furto, homicidio, et similibus, ut docet Scotus *in* 3. *dist.* 36. adeoque etiam in hoc dispensare posset, cum non sit praeceptum urgentius istis; Tum quia Deus in tali casu posset res ita disponere, ut ex hujusmodi Polygamia, seu *Polyviria*, non sequerentur illa inconvenientia, ob quae a Lege naturae est prohibita, atque ideo tali dispositione facta Lex naturae non obligaret; Tum quia, quod sit contra Jus naturale, non obstat, quin Deus id concedere possit, quia non est contra Jus naturale stricte sumptum, et primario, sed tantum late sumptum, et secundario, ut distinguit ipsum Jus naturale Scotus *in* 4. *dist.* 17. *et dist.* 26. et repetit *dist.* 33. *quaest.* 1. Mastrius *l. cit. n.* 52. et alii plures; Tum etiam quia, ut docet Scotus *in* 3. *dist.* 36. et sequitur Hurtad. *disp.* 9. *dis.* 2. cum pluribus aliis recentioribus, ipsius Dei concessione, et dispensatione, quae est Juris declaratio, desinit esse contra Jus naturae, quia desinit esse contra Jus mariti, cum Deus ut supremus corporum Dominus possit uxori facultatem concedere, ut velide, et absque injustitia in Meritum, aliis quoque Maritis suum tradat corpus; Sicuti etiam concessione Divina facta alicui, ut alterum occidat, vel ejus bona accipiat, occisio illius, et bonorum acceptio desinit esse injusta, et contra Jus naturae, quia Deus est supremus Dominus bonorum, et vitae omnium; *arg. cap. Gaudemus* 8. *de Divortiis.*

12 Circa Polygamiam, seu pluralitatem simultaneam uxorum, sicuti de facto Deus in Lege veteri dispensavit, ut satis ostensum fuit *supra n.* 8. ita posset, si vellet, dispensare etiam nunc in lege Evangelica. *Communis* cum S. Thoma *in* 4. *dist.* 73. *qu.* 1. *art.* 2. *in corpore*, Scoto *loc. cit.* Rosignol. *n.* 5. et alii passim: Unde non indiget probatione.

13 Nullus autem homo, neque Summus Pontifex dispensare potest circa utramque Polygamiam, scilicet tam viri cum multis uxoribus simul, quam Uxoris cum multis simul viris. *Communis.* Et ratio est, quia Polygamia est Jure Divino prohibita, ut patet ex dictis *supra n.* 7. sed nullus homo dispensare potest in Lege Dei, cum inferior nequeat dispensare in lege superioris, *cap. inferior* 4. *dist.* 21. *cap. Cum inferior* 16. *de major, et obedient. Clement. Ne Romani, de election.* adeoque etc. (*).

Ad evitandam Polygamiam, et contrahendum secundum Matrimonium ob mortem alterius Conjugis requiritur, et sufficit certitudo saltem moralis de morte ejusdem conjugis: Barbosa *in cap. In praesentia* 19. *de spons. n.* 7. Abbas *ibid. n.* 6. Alexander de Nevo *n.* 22. Mascard. *de probationibus conclus.* 1074 Guttierez *pract. l.* 2. *quaest.* 8. *n.* 4. *et seq.* Reiffenstuel *lib.* 4. *decret. tit.* 21. *n.* 7. Rosignol. *loc. cit. nu.* 6. cum aliis ibi citatis, Bosco *disp.* 22. *sect.* 12. *concl.* 2. *n.* 22. Sanchez *de Matrimonio lib.* 2. *disp.* 46. *n.* 6. cum pluribus ibi citatis, Layman *lib.* 5. *tractat.* 10. *par.* 3. *cap.* 3. *num.* 1. *et* 2. ubi testatur de communissima aliorum. 14

Probatur igitur prima pars, quod requiratur certitudo, et non sufficiat solum dubium, aut probabilis opinio de morte alterius Conjugis, nec ejus absentia plurium annorum, *ex cap. Dominus* 2. *de secundis nuptiis*, ubi Lucius III. universis Christianis in captivitate Saracenorum positis sic respondit: « Sane super Matrimoniis, quae quidam ex vobis (nondum habita obeuntia Conjugis certitudine) contraxerunt, id vobis respondemus, ut nullus a modo ad secundas Nuptias migrare praesumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus ». Et ex *cap. In praesentia* 19. *de sponsalibus*, ubi Clemens III. sic respondit Caesaraugustano Episcopo: « In praesentia nostra quaesivisti, quid agendum sit de mulieribus, quae viros suos causa captivitatis, vel peregrinationis absentes ultra septennium praestolatae fuerint, nec certificari possunt de vita, vel de morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem, et pro juvenili aetate, seu fragilitate carnis nequeunt continere; petentes aliis Matrimonio copulari. Consultationi ergo tuae taliter respondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium Canonice convolare. Nec auctoritate Ecclesiae permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum ». Ex quibus Sacris Canonibus clare constat, requiri certitudinem ad secundas nuptias celebrandas, seu secundum Matrimonium contrahendum. 15

Probatur secunda pars, quod scilicet sufficiat certitudo moralis, ut tenent omnes Doctores citati numero antecedenti, Scotus *in* 4. *distinct.* 22. *qu. unic. art.* 5. Valentia *tom.* 4. *disput.* 10. *quaest.* 2. *punct.* 2. et alii passim, *arg. cap. Cum jam bellicam* 1. *caus.* 34. *qu.* 2. ibi: « Nec tamen culpabilis judicetur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit », ubi ly non esse existimabatur, vere, et realiter non plus im- 16

(*) Videant ergo, qui Socratis auctoritate ducti legem a Valentiniano I, editam ferunt, *ut cuicumque volenti liceret uxores duas habere legitimas*, videant, inquam, quam fidem ea Socratis narratio mereatur. Confer P. Nicolai *lection. et dissert. Biblicarum* T. III. p. 170. *seqq.*, ubi etiam disputat, an Ethnicis quoque veteris legis tempore licuerit ex divina dispensatione plures simul uxores legitimas habere.

portat, quam certitudinem moralem, et *cap. final.* §. *Porro ut lite non contestata*: ibi: « Tamdiu alteruter conjugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter praesumatur », ubi ly verisimiliter praesumatur, plus sane non significat, quam certitudinem moralem. Et colligitur etiam ex « Instructione pro examine illorum, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis, tam in Curia Eminentissimi Domini Card. Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis ceterorum Ordinariorum », relata a Monacell. *tom.* 3. *Append. ad Formular. Instructione* 6. ubi *n.* 12. *in fine* sic habetur: « Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de Jure communi possunt admitti; dummodo sint legitimae, et sufficientes ».

17 Probatio autem legitima, et sufficiens, seu moralis certitudo de morte conjugis habetur: Primo, si de ea testetur Parochus, quia hujus testimonium ex libro Baptismi, Matrimoniorum, et Mortuorum sufficienter probat; Ex praescripto enim, et auctoritate Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 1. *et* 1. *de reform. Matrimon.* industria, et Fides Parochi est electa ad conscribendum talem librum, adeoque indubitanter fides tali libro adhibenda est: Mascard. *de probationibus conclus.* 673. *n.* 1. *et seq.* allegans plurimos alios, Pax Jordanus *tom.* 3. *tit. de Fide instrument. n.* 48. citans Rotam *dec.* 321. *n.* 3. *par.* 1. *novis.* Reiffenstuel *loc. cit. n.* 10. et alii passim.

18 Secundo, si constet de tali morte publice, et authentice, idest per attestationem, aut instrumentum publicum, vel authenticum a Magistratu Ecclesiastico, Politico, aut Militari datum, vel a Notario publico, vel alia persona in publica auctoritate constituta confectum. Haec omnia plene probant, ut docet Mascardus *de probationibus conclus.* 1101. *nu.* 5. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 11. *et Communis aliorum.*

19 Tertio, si adsint duo testes de visu; Isti enim ordinarie plene probant, *ex l. Ubi numerus, ff. de testibus.* quae canonizata est *in cap. Si testes* §. *Ubi, n.* 4. *quaest.* 3. quo utroque in loco dicitur: *Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt;* Concordat textus *in c. Licet universis* 23. *de testibus*, ubi Papa Alexander III. sic expresse dicit: « Mandamus, si inter vos... emerserit quaestio... non minus, quam duorum, vel trium virorum, qui sint probatae vitae, et fidelis conversationis testimonium admittatis, juxta illud Dominicum (Matth. *cap.* 18. *et Luc. c.* 17.) in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum; Quia licet quaedam sint causae, quae plures, quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quae unius testimonio quamvis legitimo terminetur »: et quid simile habetur *in c. In omni negocio* 4. *de testibus*: ubi expresse dicitur: « quod duorum hominum testimonium verum est ». Censentur autem ad praesens testes de visu, non solum, qui conjugis morti vere praesentes fuerunt, vel illum mortuum viderunt propriis oculis, sed etiam qui ejusdem sepulturae, aut exequiis die tertia, septima, et trigesima interfuerunt, et consanguineos illius viderunt, et audierunt talem Conjugem mortuum, sepultum, et hujusmodi etc. Mascardus *de probationibus conclus.* 1077. Gobat *tract.* 9. *n.* 312. Reiffenstuel *l. cit. n.* 12.

In similibus casibus etiam parentes, consanguinei, et affines sufficiens testimonium ferre possunt, utpote ordinarie, magis, quam alii, conscii de morte suorum conjunctorum; *arg. l. De tutela* 7. *Cod. de integrum restitutione.* Sic post Jo: Andream Mascard. *loc. cit. n.* 3. Reiff. *l. c. n.* 13. et alii passim; Exceptis tamen ad id interesse habentibus, uti sunt ipsimet Conjuges superstites, quia in propria causa nemo idoneum testimonium ferre potest; *l. Nullus ff. de testibus, et l. Omnibus, C. eod.* Gobat *loc. cit. n.* 310. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 13. et alii. 20

Quarto, si cum uno teste de visu, aut cum fama, et rumore, vel cum pluribus testibus de auditu concurrant alia verisimilia indicia, et conjecturae de morte conjugis, v. g. si casu e ponte, muro, vel navi in flumen deciderit, nec amplius apparuerit, et quamvis diligenter in tali flumine inquisitus, minime repertus fuerit: si periculosam navigationem, aut praelium ingressus, vel in loco, ubi pestis, aut fames grassabatur, diu moratus, jam a longo tempore non compareat, et interim scitur in talibus occasionibus plures naufragio, gladio, contagiosa lue, aut penuria periisse, et hujusmodi; per ipsa enim, et similia fit sufficiens probatio; *arg. l. Ult. Cod. De probation. l. indicia certa, Cod. de rei vindic. l.* 3. §. *Ejusdem. ff. de testibus, l. Haeredes palam* §. *Sed si notam, ff. de testamentis, l. Cum proponeretur, ff. de Legatis* 1. *l.* 1. §. *final. ff. de verbor. obligat.* cum similibus, *cap. Si testes* §. *Saepe* 4. *quaest.* 3. *cap.* 1. *de appellationibus*, *c. Praeterea* 27. *de testibus*, *cap. Illud quoque XI. de praesumptionibus* cum similibus; Ea in specie tenent Gobat *loc. cit. nu.* 314. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 14. Guttierez *de Matrimonio c.* 51. *n.* 2. et alii plures. 21

Immo Abbas in *cap. In praesentia* 19. *de sponsalibus nu.* 6. et ibi Hostiensis *in fine*, Angelus, Veracrux, et alii volunt, etiam unicum testem de visu facere sufficientem probationem de morte Conjugis; *arg. cit. cap. In praesentia* 19. *de sponsalibus*, ubi statuitur, quod mulieres nequeant contrahere aliud Matrimonium, *donec certum nuntium recipiant de morte virorum*, ubi per ly *certum nuntium*, videtur designari unum testem de visu deponentem; Quod admittit etiam Farinac. *in praxi criminal. par.* 5. *quaest.* 140. *n.* 73. casu, quo Conjux obierit in loco ita distanti, ut facile nequeant aliae probationes haberi, quod cum hac limitatione recipit etiam Sanchez *citat. disput.* 46. *n.* 12. 22

At id. Sanchez *ib.* cum Bartolo, Emmanuele, Sa, et aliis docet, probabilius non valere unicum testem, nisi concurrant aliqua adminicula, aut con- 23

jecturae ex recensitis *supra n.* 21. Quod et tenent Rosignol. *loc. cit. n.* 6. *et in fine* cum aliis ibi citatis, Guttierez *de Matrimonio cap.* 51. *n.* 2. Reiffenstuel *loc. cit. nu.* 15. Barbosa *in cit. cap. In praesentia* 19. *de sponsalibus nu.* 3. et alii recte intelligentes dicta verba *Certum Nuntium* non in masculino, sed in genere neutro, ita ut significent *certa nova*, seu certam relationem, non autem certam personam, quia una sola persona, quantumvis legitima, et idonea, relationem de Jure certam non facit, nec sufficienter probat, *l. Jurisjurandi. Cod. de testibus*, ibi: « Manifeste sancimus, ut unius omnino testis responsio non audiatur, etiamsi praeclarae Curiae honore praefulgeat », ubi proinde Summarium refert illud vulgatum *Vox unius, vox nullius:* Concordant *c. Si testes §. Jurisjurandi* 4. *quaest.* 3. *cap. admonere* 33. *quest.* 1. ubi Stephanus Papa V. generaliter inquit: « Nec Evangelium, nec ulla Divina, humanaque Lex unius testimonio quempiam condemnat, vel justificat, *cap. Veniens* 10. *de testibus*, ibi: Nec unius testimonium ad condemnationem sufficiat alicujus, *c. Licet universis* 23. *eod.* ibi: Nulla est tamen causa, quae unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur ».

24 Item nec sufficit sola fama ad probandam mortem Conjugis sine aliquo ex indiciis, adminiculis, aut conjecturis relatis *supra n.* 21. quia sola fama sine adminiculis, et indiciis non facit plenam probationem: Fama enim saepe est fallax, teste experientia, nam *dictum unius facile sequitur multitudo*, ut dicit expresse Innocentius III. *in c. Cum in juventute* 12. *de purgatione Canonica*: Et tenet Barbosa *in cit. cap. In praesentia* 19. *de sponsalibus n.* 3. cum plurimis ibi citatis, Sanchez *cit. disp.* 46. *n.* 15. Rosignol. *loc. cit. n.* 6. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 18. Glossa *in cap. si testes.* 4. *quest.* 3. *verb. Fama*, Maschardus *de probationibus, conclusion.* 754. ubi testatur de communi.

25 Item nec sufficit sine aliquo ex dictis adminiculis, aut conjecturis absentia alterius Conjugis ad multos annos; Sanchez *cit. disp.* 46. Guttierez *loc. cit. n.* 4. Silvester verb. *Matrimonium* 8. *quaest.* 13. Navarr. *c.* 22. *n.* 53. Rosignol. *loc. cit. n.* 6. et alii passim, per textum *cit. cap. In praesentia* 19. *de sponsalibus* relat. *supra n.* 15. ibi: *Absentes ultra septennium . . . Quantocumque annorum numero ita remaneant.*

26 Quandonam autem ex supradictis habeatur sufficiens certitudo moralis de morte conjugis? spectat ad Judicem Ecclesiasticum suo prudenti judicio, attentis omnibus circumstantiis locorum, et temporum, et personarum, judicare; Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 47. *n.* 7. Guttierez *l.* 2. *pract. qq. quaest.* 8. *n.* 9. Layman *l.* 5. *tract.* 10. *cap.* 3. *n.* 1. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 9. Abbas *in cap. In praesentia* 19. *de sponsalibus, n.* 6. et alii passim per textum *in l.* 3. *§. Ejusdem, ff. de testibus.* Quae Lex canonizata est *in cap. Si testes* 3. *caus.* 4. *quaest.* 3. ibi: « Saepe sine publicis monumentis cujusque rei veritas deprehenditur, alias numerus testium, alias Dignitas, et auctoritas, aliàs veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quaeritur, fidem. Hoc ergo solum tibi rescribere possum summatim (alloquitur Judicem Imperator) non utique ad unam probationis speciem cognitionem statim alligare debere, sed ex sententia animi tui te existimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi opinaris. *Et cit. cap. si testes* 3. *caus.* 4. *qu.* 3. ibi: Confirmabitque Judex motum animi sui ex argumentis, et testimoniis, quae rei aptiora, et veritati proximiora esse compererit. *Et cap. Praeterea* 27. *de testibus*, ibi: « Etenim circumspectus Judex, atque discretus motum animi sui ex argumentis, et testimoniis, quae rei aptiora esse compererit, confirmabit ».

Polygami in Jure Civili, etiam ab Imperatoribus Gentilibus, infamiae nota, aliisque poenis afficiuntur; *l. Praetoris verb.* 1. *ff. de his, qui notantur infamia. l. Neminem* 2. *Cod. de incestis, et inutilibus nuptiis:* Bellarmin. *lib.* 1. *de Matrim. cap.* X. *in fine*, et alii passim. 27

Polygami, nedum in Jure Civili, sed potissimum in Jure Canonico infames declarantur, textu expresso *in cap. Nuper* 4. *de Bigamis non ordinandis*; ibi: *Unde illum comitatur infamia, qui duas simul uxores habet.* 28

Polygami condemnantur ad Triremes per quinquennium; vel si falsos produxerunt testes ad probandam mortem prioris conjugis, ad septennium, prout late docet Carena *part.* 2. *de Polygamis tit.* 5. *§.* 12. cum plurimis aliis, Rosignol. *loc. c. n.* 11. 29

Quinimmo Urban. VIII. *die* 20 *Jul.* 1627. Const. incip. *Magnum in Christo*, decrevit, quod ii, qui, mentito nomine, vel cognomine, prima uxore vivente, secundam ducunt; praeter poenas, quas ordinarie incurrunt Polygami, damnentur ad triremes in perpetuum, et si fuerint inhabiles, fustigentur, et ad carceres perpetuos damnentur; Si vero pro qualitate, et enormitate criminis majores poenas meruerint, etiam Curiae Saeculari arbitrio Sacrae Congregationis Cardinalium Generalium Inquisitorum puniendi tradantur. 30

Polygami, tamquam suspecti de Haeresi, debent abjurare de levi, vel de vehementi, prout fuerint, vel leviter, vel vehementer, de Haeresi suspecti; Carena *loc. cit. §.* 11. *per tot.* Rosignol. *loc. c. n.* 11. et alii passim. Unde crimen polygamiae spectat ad Forum Ecclesiasticum, sive ad Inquisitores Haereticae pravitatis, privative quoad Judices saeculares: Rosignol. *loc. cit. n.* 11. cum aliis ibi citatis; et late Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 113. *per tot.* et praesertim *n.* 3. ubi dicit, quod generatim observatur per totam Italiam, et Europam, ac ubicumque sunt Inquisitores Fidei, quod ex hujusmodi Haeresis suspicione Officium S. Inquisitionis procedat contra ducentes secundam uxorem, vivente prima; Quod ab anno 1625. usque ad hanc diem semper in supremo, et universali Inquisitione fuit habitum pro constante, itaut contra Judices Laicos praetendentes causam Polygamiae ad se 31 32

spectare, privative, quoad Ordinarios, et Inquisitores, processerit tamquam contra impedientes S. Officium, praesertim *die* 18. *Jan*. 1601. *et die* 30. *Sept*. 1604.

33 Polygamus, qui Polygamiae poenitentiam, seu poenam triremium jam expievit, non potest cum secunda uxore denuo Matrimonium contrahere, quamvis prima legittima uxor decesserit, nisi habeat dispensationem Apostolicam, quia obstat et Impedimentum criminis: *Sac. Cong. Conc. in S. Severi* 10. *Jun*. 1704. ut refert Monaceli. *tom* 2. *tit*. 16. *formul*. 2. *n*. 30. et Ursaya *in Miscellaneo Sacro, et profano* 1. *litt*. *P*. *n*. 227.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

34 Quomodo sit probanda mors conjugis, ut permittantur secundae nuptiae, non male hic expendit *Auctor*. Sed confer etiam *Naurat de vita, et morte hominis Theorem*. 50. *per tot*. tum *Albic. de Inconstant. in Fid. cap*. 36. *n*. 90. *et plur. seq*.

35 Polygamia non esse delictum mixti Fori, sed unice pertinere ad Judicium Ecclesiasticum, vel Tribunal Inquisitionis, vel Ordinarium, pluribus probat *Albic. de inconstantia in Fide dict. cap*. 36. *a num*. 1. *ad plur. seq*.

36 Quid autem, si Polygamus in Tribunal Inquisitionis exceptionem opponat nullitatis prioris matrimonii a se contracti, an remittenda sit causa ad Ordinarium, ita ut prius de exceptione hac sit cognoscendum?

37 Varias Doctorum opiniones, tum praxim Supremae Inquisitionis affert *Albic. de Inconstant. in Fid. dict. cap*. 36. *n*. 108. *et plur. seq*.

Gravior quaestio est, an puniri in S. Officio possit, qui pendente lite super validitate primi matrimonii, contraxit secundum matrimonium. 38

At consule etiam de hac quaestione eumdem *Albic. de Inconstant. in Fid. cap*. 36. *nu*. 118. *et seq*. 39

Ex Constitutione Urbani VIII. cui initium est, *Magnum*, Polygami, qui falsis testibus deceperunt Curiam Ecclesiasticam ad obtinendam licentiam contrahendi secundum matrimonium, damnandi sunt ad Triremes in perpetuum, vel si sunt inhabiles, publice sunt fustigandi, et damnandi in perpetuum quoque sunt ad carceres; quinimo ex circumstantiis possunt arbitrio Supremae Congregationis Universalis tradi brachio Saeculari. 40

Verum hanc Constitutionem emanasse ad terrorem inde liquet, quod vix elapsis decem annis ab ejus promulgatione, Suprema Congregatio Archiepiscopo Beneventano rescripsit, Polygamos, qui ad suum statum liberum probandum usi haud fuerunt falsis testibus, damnandos esse ad triremes per quinquennium; polygamos vero, qui usi sunt falsis testibus ad probandum suum liberum statum, ad triremes per septennium esse damnandos, et falsos Testes damnandos esse ad triremes ad quinquennium, vel brevius tempus pro varietate circumstantiarum. Et ita semper postea servatum est. 41

Non immerito dubitari potest, an haec poena obtineat contra Polygamos, qui non falsis Testibus, sed falsis scripturis usi sunt? 42

PONTIFICALIA

SUMMARIUM

1. Pontificalia exercere, et Pontificaliter celebrare de jure potest Episcopus in locis exemptis suae Dioecesis. — 2. Pontificalia exercens in Ecclesiis Regularium Baldachinum erigere potest. — 3. Pontificalia exercens Episcopus extra Cathedralem, non Presbyteros simplices, sed Canonicos Cathedralis inservientes adhibere debet. — 4. Pontificalia exercere in Ecclesiis suffraganeorum absque licentia Episcopi Ordinarii prohibitum est Archiepiscopo per Conc. Trident. — 5. Pontificalia exercere non potest suffraganeus datus Episcopo post illius mortem sede vacante, Capitulo contradicente. — 6. De exercitio Pontificalium, et de collatione ordinum in aliena Dioecesi, etc. *ad n*. 8. — 9. Alia ad rem vid. *verb. Episcopus, art*. 4. *et* 7. — 10. Quid amplius ad rem notandum, vide ibi *ad n*. 14.

1 Pontificalia exercere, et Pontificaliter celebrare de Jure potest Episcopus in locis exemptis suae Dioecesis: *Sac. Congr. Rit. in Ferrarien*. 20. *Jun*. 1600. *teste* Aldan. *in Compendio Canon. resol. lib*. 2. *tit*. 8. *n*. 15.

2 Pontificalia exercens Episcopus in Ecclesiis Regularium Baldachinum erigere potest: *Sacr. Cong. Episc. et Reg. die* 10. *Jun*. 1603.

3 Pontificalia exercens Episcopus extra Cathedralem, non Presbyteros simplices, sed Canonicos Cathedralis inservientes adhibere debet: *Sac. Congr. Rit die* 2. *Aug*. 1631. penes Aldan. *d. lib*. 2. *tit*. 8. *n*. 16. Vide tamen verb. *Assistentia, n*. 25.

Pontificalia exercere in Ecclesiis Suffraganeorum absque licentia Episcopi Ordinarii prohibitum est Archiepiscopo per Concil. Trident. *sess*. 6. *de reformat. c*. 5. *S. C. Episcop. et Regul. die* 18. *April*. 1599. apud Aldan. *d. l*. 2. *tit*. 8. *n*. 17. 4

Pontificalia exercere non potest Suffraganeus datus Episcopo post illius mortem Sede vacante, Capitulo contradicente: *Sacr. Cong. Conc. in Vilnen*. 22. *Febr*. 1631. referente Selilo *in Selectis Canon. c*. 22. *n*. 3. 5

Pontificalia exercens Episcopus in aliena Dioecesi de Ordinarii loci expressa licentia potest Ordines conferre, etiam suis propriis Dioecesanis, 6

non obstante Conc. c. 5. *sess.* 6. *de reform. Sac. Congr. Conc.* de qua Sell. *d. c.* 21. *n.* 5.

7 Pontificalia exercere in loco exempto, et Jurisdictionis non Episcopi, sed inferioris, non potest Episcopus vocatus etiam ab Ipso inferiore, sine licentia Episcopi, intra cujus Dioecesis fines esset locus ille, etiamsi ille inferior praetenderet ratione exemptionis vocare Episcopum, quem maluerit, ad administrandum Sacramentum Confirmationis; Dummodo locus ipsius exempti sit intra fines Dioecesis alicujus, ita ut non sit nullius, qia tunc posset; *Sac. Conc. Conc.* cujus meminit Armend. *in add. ad recop. Leg. Navarrae, l.* 1. *tit.* 18. *l.* 7. *de Episc. n* 68. apud Barbosam *in summ. Apost. dec. verb. Pontificalia n.* 7.

8 Pontificalia exercere non potest alienus Episcopus de licentia Patriarchae in Dioecesi alicujus Episcopi Suffraganei sine ipsius licentia, *Sac. Cong. Conc.* apud Barbosam *in Summa Apostolic. dict. verb. Pontificalia n.* 8.

9 Alia. Vide verb. *Episcopus art.* 4. *et art.* 7.

10 Episcopus, et Praepositus Militiae S. Georgii M. in Bavaria Pontificalia exercere solummodo possunt in Ecclesia, in Ædibus Ducalibus, et Electoralibus sita, et Militum Equitum dicti Ordinis Conventui assignata, et exempta, atque immuni ab omni Ordinarii Episcopi loci Jurisdictione.

11 In quibuscumque autem aliis Ecclesiis, nullo pacto, nisi de Ordinarii Locorum permissu, toties quoties occasio postulaverit, sub poenis juxta Canonicas sanctiones infliendis exercere valent: Bened. XIV. tom. 1. Const. 32. incip. *Militares*, §. 6.

12 Pontificalium usus, quo quis ex privilegio gaudeat, non probat illius exemptionem ab Ordinaria jurisdictione: Idem tom. 2. Constitution. 40. incip. *Causarum*: Ideo in cap. *Ut Apostolicae*, *de privileg. in* 6. distinctio fit inter Praelatos Pontificalibus utentes, qui exempti sunt, et eos, qui non sunt exempti: Idem *ibid.*

13

* ADDITIO NOVA.

14 Quae pertinet ad usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum, babes verb. *Abbas* num. 31. in quo refertur Decretum a S. Rituum Congregatione circa usum istum emanatum die 27. Septembris 1659. et Declaratio ejusdem Decreti pro Congregatione Casinensium die 20. Julii 1660. Itaque hic tantum subjiciemus Epistolam Encyclicam, quae inter Constitutiones Selectas Benedicti XIV. *part.* 1. *est num.* XXXI.

Innovatio Decreti Alexandrii PP. VII. circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum.

» Reverendiss. Domine uti Frater: Sanctissimus » Dominus Noster pro diuturno, quo gubernat Ec» clesiam, zelo, ac sollicitudine, animo reputans, » quod ea, quae a longo tempore fuerunt statuta, » quamquam, opportunissima, et necessaria, ita » tamen decursu temporis in desuetudinem abeant, » et in oblivionem, ut penitus tandem negligan» tur: ac proinde varios abusus animadvertens ino» levisse adversus Decreta a San. Mem. Alexan» dro VII. constituta, praesertim circa usum Pon» tificalium; in Congregatione Ordinaria Sacro» rum Rituum habita coram eodem Pontifice anno » 1659. Idem Sanctissimus Dominus Noster no» dum opportunum, sed plane necessarium duxit » praescribere, sicut reapse praescripsit, quod non » solum fieret nova praedictorum Decretorum in » memorata Congregatione editorum impressio, » sed etiam quod ad omnes locorum Ordinarios eo» rum exemplaria transmitterentur (quorum unum » etiam Amplitudo tua hisce adnexum recipiet); » ad hoc, ut pro munere, quod ipsis incumbit, ac » pro peculiari studio, quo in res sacras easdem » affectos esse decet, exactam eorumdem Decre» torum observantiam urgeant, et compleant; Eo» que magis, quod asserentibus tunc temporis Mo» nachis Casinensibus, etiam pro aliena Ecclesia » ex Apostolico Indulto eis licitum esse Ecclesia» sticam Supellectilem benedicere; Et Sacra Con» gregatio mandavit usque ab anno 1660. tale In» dultum authenticum ex Archivio Apostolico de» sumptum exhiberi, et interim abstinere, num» quam huc usque fuit ostensum; et diu felix, ac » incolumis vivat ».

Romae 31. Martii 1744. Amplitudinis Tuae.

Uti Frater,

C. CARD. DE MARINIS PRAEFECTUS.

T. Cervini Patriarcha Hierosolymitanus.

PONTIUS PILATUS

1 Pilatus, quis, et unde esset, variant Auctores. Quidam ipsum dicunt Romanum, et alii Italum. Petrus Comestor sustinet fuisse Gaium a Delphinatu, et Theophylactus natum in Ponto. Calmet in Dictionario verb. *Pilatus* haec habet (*): Pontius Pilatus, cujus genus, et patriae latent; quamvis Romanus, vel saltem Italus vulgo credatur, vir erat ingenio fervido, et pervicaci,

(*) Sunt, qui velint Arretii exstare antiquam Pilati domum. Fabulae hujus origines explicat P. Bernardinus Vestrinius Scholarum Piarum T. II. suarum epistolarum Theologicarum ep 37. Confer Zaccariam in historia litteraria Italiae T. II. p. II.

et (Philon. teste) avarus, insatiab. sententias venditans, rapinas, injurias, clades, tormenta, crebras caedes, saevissim. crudelit., etiam contra innocentes exercens. Is cum sederet pro tribunali in examine causae Domini Nostri Jesu Christi, per internuncium a sua uxore monitus fuit, ne se in caussa justi illius hominis immisceret: « Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: nihil tibi, et justo illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum ». *Matth.* 27. 19.

2 De hoc somnio uxori Pilati immisso an divinitus, vel a diabolo, non conveniunt Doctores. S. Ignatius Martyr *Epist.* 8. *ad Philipp.* vult, somnium illud a diabolo fuisse immissum, quia metuebat, ne Christi morte regnum suum everteretur, ibi: « Cacodemon terrebat muliierculam uxorem Pilati, turbans eamdem in somnis, et ut a crucifigendo cessaret, moliebatur, quia sentiebat suam perniciem ». Et idem sentit Beda in Matth. At Origenes, Theophylactus, Euthimius, Ambrosius, Augustinus, et Chrysostomus tenent, somnium illud divinitus immissum fuisse, ut antequam injustissima Christus damnaretur sententia, hoc quoque somnio illum esse innocentem aperte constaret. Sic apud Card. Lambertin. deinde Benedictum XIV. in Opere *de Festis D. N. J. C. num.* 242. ubi etiam refert, quod dicta uxor Pilati vocaretur, ut tradunt aliqui, *Claudia Procula;* et Cornelius a Lapide testatur, quod apud Grecos sit in Sanctorum numero adscripta. Pilatus autem suo- 3
rum scelerum poenas luit; damnatus enim ad perpetuum carcerem Viennae in Gallia, quam urbem popularis Viennensium traditio fert, suam fuisse patriam, in tantas angustias redactus, eo furoris devenit, ut necem sibi consciceret; Eusebius *lib.* 2. *cap.* 7. Orosius *lib.* 7. *cap.* 5. apud Calmet l. c. Ado Vienn. Episc. in *Chron.* apud Lambertin. *loc. cit.** S. Ignat. non est auctor Epist. ad Philipp. *

PORTA

SUMMARIUM

1. Episcopus facit claudere portas habentes immediate aditum ad Ecclesiam. — 2. Janua domus positae super Sacristiam locatae laicis, si habeat aditum ad ipsam Sacristiam, claudenda est. — 2. Caetera ad rem ad n. 11.

1 Episcopus facit claudere portas habentes aditum immediate ad Ecclesiam: *Sacr. Congr. Immun.* 20. *Novembr.* 1640. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 133.

2 Janua domus positae super Sacristiam locatae Laicis, si habeat aditum ad ipsam Sacristiam, claudenda est: *Sacra Congreg. Immun. in Reatina* 4. *Decemb.* 1628. *lib.* 1. *Decret. Paulucci pag.* 115.

3 Injungitur Ordinario, ut faciat claudere januam apertam a Debitore, per quam sibi aditum aperuit ad Ecclesiam in fraudem Creditorum: *Sacr. Congr. Immun. in Cosentina* 26. *Febr.* 1636. l. 2. *Decret Paul. pag.* 243.

4 Injungitur Episcopo, ut januam Domus Laici tendentem ad Ecclesiam claudere faciat ad vitandam inconvenientiam ob confugium male viventium: *Sacr. Congr. Immun. in Urbevetana* 7. *Maii* 1658. *lib. Decret. Rocci pag.* 89. *in Theanen.* 30. *Mart.* 1677. *lib.* 2. *Decretor. Alt. pag.* 1581. *in Bojanen.* 15. *Jul.* 1679. *ib. cit. pag.* 1699.

5 Similiter Janua e Monasterio habens ingressum ad Molendinum, a quo patet aditus ad viam publicam, est claudenda ad fraudes vitandas: *Sacra Congr. Immun. in una Civitatis Castelli* 13. *Mart.* 1663. *libr. Decretor. Rocci pag.* 464.

6 Janua Domus Ecclesiae Commendae Equitum Hierosolymitanorum, per quam patet aditus ad ipsam Ecclesiam, quatenus locetur Laicis, claudatur: *Sacra Congregat. Immunit. in Asculana* 17. *Septembr.* 1680. *lib.* 2. *Decretor. Alt. pag.* 2049.

Claudatur Janua Sacristiae, per quam habetur exitus extra Civitatem: *Sac. Cong. Imm. in Sorana* 3. *Jun.* 1693. *lib. Decret. Vallemani pag.* 51. 7

Episcopus mandet claudi aditum ad Coemeterium, et, eo clauso, declaret Domum contiguam Ecclesiae, et Coemeterio non gaudere Immunitate: *Sacra Congregat. Immun. in Alatrina* 1. *Martii* 1700. *lib.* 3. *Decretor. Vallemani pag.* 276. 8

Episcopus absque facultate Apostolica nulliter absolvens ab excommunicatione effractores januae Ecclesiae, tenetur illis notificare, se absque facultate absolvisse: *Sacr. Cong. Immun. in Bobien.* 2. *Mart.* 1700. *ibi pag.* 275. 9

Injungitur Episcopo, ut cryptas, et aditus subterraneos a Domibus privatorum ad Ecclesias, et loca immunia claudere faciat: *Sacra Cong. Imm. in Aquilana* 9. *Mart.* 1632. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 115. apud D. Riccium *in sua Synopsi verb. Episcopus quoad Immunitatem n.* 50. 10

Janua, per quam habetur aditus ad Ecclesiam, claudenda est; *S. C. C. in Eugubina* 2. *Jun. et* 4. *Augusti* 1736. non obstante transactione, et concordia cum quadam Societate Lanariorum facta a Dominis de Tundis. Sic apud Thesaurum Resol. S. C. C. tom. 7. 11

PORTIO, PORTIONARII CATHEDRALIUM

SUMMARIUM

1. Portio, quae sit in Ecclesia, erigi non potest in Praebendam Poenitentialem. — 2. De portionibus perpetuo unitis dignitatibus, ibi — 3. Portionarii, et dimidii portionarii vocem in Capitulo habentes, sunt Capitulares, sub conditionibus ut ibi. — 4. Portionarii repraesentant beneficiatos, seu Mansionarios; et adquae tenentur. — 5. Alia notabilia ad rem, ad n. 24.

1 Portio, quae sit in Ecclesia, erigi non potest in Praebendam Poenitentialem, sed Praebenda Canonicalis: at si non essent Praebendae, sed fructus omnes in distributionibus quotidianis consisterent, tunc distributiones habebuntur pro Praebenda: *Sac. Congr. Conc.* teste Nicolao Garc. *de Benefic. part.* 5. *cap.* 4. *n.* 127.

2 Portiones, si perpetuo unitae sint Dignitatibus, ita ut Portionum titulo suppresso, effectum sit unum dumtaxat Beneficium, non tenentur ii, qui tales obtinent Dignitates, ad aliud servitium, quam suarum Dignitatum. Quod si absque suppressione tituli Portiones unitae sint Dignitatibus ad vitam obtinentium, et alias uti duo Beneficia obtineantur, utriusque Beneficii servitia praestanda sunt: *Sacr. Congr. Conc.* referente Nicol. Garc. *de Benef. par.* 3. *cap.* 2. *n.* 509.

3 Portionarii, et dimidii Portionarii vocem in Capitulo habentes sunt Capitulares; sed tunc inter Capitulares censendi sunt, cum ex Apostolico privilegio, vel ex consuetudine, aut Ecclesiae statuto inter Capitulares connumerantur; Si autem ipsi talibus facultatibus non potiantur, Episcopus poterit contra eos absque Adjunctis procedere: *Sac. Congreg. Concil.* penes Nicol. Garc. *in addit. ad suum tract. de Benefic. part.* 11. *cap.* 1. *n.* 219 et Rotam *decis.* 296. *nu.* 1. *part.* 2. *diversor. et decis.* 708, *part.* 2. *recent.* et apud Barbos. *in Summ. Apostol. decis. verb. Portio, Portionarii Cathedralium n.* 3.

4 Portionarii repraesentant Beneficiatos, seu Mansionarios, et tenentur ad omnia sicut Beneficiati: *Sacr. Congr. Rit. in Hispalen. die* 5. *Jul.* 1603. quam refert Sellius in *Selectis Canon. cap.* 35. *n.* 48.

5 Portionarii, et alii Beneficiati, si in omnibus sint aequales Canonicis, duplici ductu, sicut Canonici, thurificandi sunt, non obstante libro Caeremonialis, quia intelligitur, quando Presbyteri non sunt aequales Canonicis: *Sac. Congreg. Rit. in Caesaraugustana de Daroca* 21. *Mart.* 1615. penes Sell. *d. c.* 35. *n.* 47.

6 Portionarii Ecclesiae Cathedralis etiam animarum curam habentes, debent in Processionibus incedere post Canonicos, et tamquam membra non debent a corpore separari per interpositionem Rectorum aliarum Ecclesiarum: *Sacra Congr. Rit. in Turritana* 1. *Jun.* 1601. *et* 27. *Julii ejusdem anni, et in Terulen.* 20. *Decembris* 1601. apud Sellium *dict. cap.* 35. *n.* 48.

Portionarii perpetui Ecclesiarum Parochialium praecedere debent Portionariis amovibilibus Ecclesiae Cathedralis in Processionibus, in quibus dantur distributiones ex redditibus Capituli Cathedralis: *S. Cong. Rit. in Terulen.* 17. *Decemb.* 1695. quam citat Sellius *d. c.* 35. *n.* 49. 7

Portionarii non debent quidquam alterare, et aequiparare se Canonicis in vestibus: *Sacr. Cong. Rit. in Segobien.* 7. *Julii* 1612. de qua Sellius *d. c.* 35. *n.* 50. 8

Portionarii non comprehenduntur sub *c.* 6. *sess.* 25. *de reform.* si solum vocem in Capitulo habeant, et ideo potest Episcopus sine Adjunctis Capitularibus ad correctionem, et punitionem eorum procedere: *Sac. Congr. Concil.* quam adducit Sellius *d. c.* 35. *n.* 51. 9

Portionariis, et Beneficiatis Ecclesiae Toletanae prohibetur uti Habitu concesso Canonicis, sed ut antiquum Habitum retinere debeant, declarat *Sac. Cong. Rit. in Toletana* 17. *Dec.* 1605. apud Sell. *dict. c.* 35. *n.* 52. 10

Portionarii Ecclesiae Terulen. uti de corpore illius Ecclesiae, debent insimul cum Canonicis, et aliis Ministris incedere, et praecedere Portionarios, et Vicarios aliarum Ecclesiarum Parochialium illius Civitatis: *Sac. Cong. Rit. in Terulen.* 15. *Mart.* 1603. *et* 16. *Sept.* 1606. *et* 12. *Maii* 1612. ut per Sell. *d. cap.* 35 *n.* 53. 11

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Sunt in Cathedralibus, et Collegiatis Beneficiarii, qui alibi Portionarii, alibi Mansionarii, alibi Hebdomadarii, et alibi aliter nuncupantur. Videsis *Ayrer de Beneficiar. Assis.* Eorum institutio 12
exeunte saeculo decimotertio Romae primum facta est in Basilica S. Petri a Joanne XXI de anno 1277. *ut ex ejus Bulla relata in collectione Bullarum S. Basilicae Vaticanae* 1. *ad annum* 1277. 13
Primis enim illis temporibus, quibus in Cathedralibus Ecclesiis Capitula inducta fuere, omnes Canonici, si Clericos ministeriales excipias, divina officia in Choro persolvebant, majori, vel minori frequentia pro Cathedralium diversitate. At, ex 14
quo Canonici residentiae leges violare coeperunt, ne ipsa divina officia penitus in Ecclesiis Cathe- 15

dralibus desererentur, instituti fuere hi Beneficiarii, ut vice Canonicorum eademmet divina officia persolverent, cum plena tamen ad ipsos Canonicos subjectione, servitiumque Cathedralis habitum fuit pro titulo Beneficii eorumdem, ut colligitur ex dicta *Bulla Joannis XXI*. tum ex altera *Nico-*
16 *lai III. anni* 1279. Confer etiam *Ayrer ubi supra*. Atque exinde ea differentia nata est inter Canonicos Capitulorum Cathedralium, et hosce Beneficiarios, quod illi pro titulo habent Ecclesiam ipsam, cui *incardinati* sunt, hi vero habent pro titulo non quidem Ecclesiam ipsam, sed ejusdem servitium ab ipsis in illius Choro praestandum, *ut patet ex mox citatis Bullis*.

17 Ex hac ipsa ratione, quod assumpti hi Beneficiarii sunt ad supplendas vices Canonicorum non residentium, facile colligi potest, cur secus ac Canonici ipsi, quippe quibus longe facilius absentia indulgetur, ad assiduam praesentiam, et perpetuam residentiam, neque illam otiosam, et desidiosam, sed laboriosam, qualem Canones volunt, teneantur.

18 Qua Beneficiorum Chori recenti origine spectata, mirandum haud est, si nulla eorum fiat mentio in Decretalibus Gregorii IX. et propterea dum de hujusmodi Beneficiariis disserendum occurrit, loco textus, qui sane deest, allegatur communiter celebris *Glossa in cap. penultimo, verbo Assisios, de Cleric. non residen.* quae *Glossa* post tempora Joannis XXI. et Nicolai III. scripta fuit, et quod a dictis Pontificibus in dictis Bullis traditum est de dictis Beneficiariis, applicat *Assisiis in dict. cap. penultimo* memoratis, vocatosque Assisios vult, quasi assiduos, scilicet ex eo quod in ipso assiduum, et quotidianum Chori servitium rejecerint Canonici, rariori assistentia ob dignitatem sibi reservata; quod etsi verum vocis illius etymon non sit (verum enim profert Ducange) ad rem tamen alludit.

Hi Beneficiarii non veniunt nomine Capituli, 19
neque stallum in Choro, neque vocem in Capitulo habent. Adi *Anton. Fabricium Blenyan. in prax. Beneficial. titul. de Reliq. stipend. Eccles. fere per tot.*

Eadem tamen haud est horum Beneficiariorum 20
conditio in omnibus Ecclesiis; *Idem Auctor ubi supra*. Quinimmo hi Beneficiarii in aliquibus Ecclesiis jure Collegii gaudent, et sic peragunt suas peculiares Congregationes, habent proprium, illudque distincium Archivium, arcam communem, peculiare sigillum, stallum in Choro, tum pro capite Dignitatem. Sed hinc non sequitur, quod corpus efforment a Canonicis distinctum. Jus enim 21
Collegii solummodo tribuere iis valet facultatem se congregandi pro negotiis propriis, et de iis statuendi sine dependentia a Capitulo, tum caetera mox dicta: non item efformationem Corporis distincti, quae in una eademque Ecclesia repugnat. Quocirca et hi Beneficiarii gaudentes ju- 22
re Collegii, in reliquis Capitulo obedire debent. Confer Rot. in *Gerunden. Servitutum super bono jure* 15. *Februar.* 1731. §. *Siquidem, cor. clar. mem. Cincio.*

Nec ulla in Ecclesia sunt hi Beneficiarii in om- 23
nibus aequales Canonicis, et propterea thurificandi duplici ductu non secus ac ipsi Canonici, *ut vult Auctor num.* 5. allegata ex Sellio Resolutione Sacrae Congregationis Rituum in *Caesaraugustana de Daroca 21. Mart.* 1615. Possunt sane ex 24
inveterata consuetudine esse hi Beneficiarii, qui perinde ac Canonici thurificentur duplici ductu, at non inde sequitur, quod sint, et esse possint ii in omnibus Canonicis aequales, contra ipsorum institutionem. Et in his terminis accipienda est dicta Resolutio Sac. Congreg. Rituum, si vera est; nam *Sellius* hic inter Apocryphos Auctores recensendus est, observante Ursaya *tom.* 2. *part.* 2. *discept.* 17. *n.* 37.

PORTIO CONGRUA

De portione congrua Parocho, aut Vicario, vel Seminario constituenda, sequentia notasse satis sit.

1 Portio congrua assignanda Parocho ex causa debiti Pensionum carcerato censeri debet Summa Scutorum centum argenti illarum partium: *Sac. Cong. Concil. in Albiganen.* 26. *Junii* 1626. teste Aldan. *in Compend. Can. res. lib.* 3. *num.* 4.

2 Portio congrua Vicario praestanda interim, dum Parochialis de idoneo Rectore provideatur, est duorum aureorum pro singulis mensibus: *Sac. Congreg. Concil.* referente Nicol. Garc. *de Benefic. par.* 9. *c.* 2. *num.* 14.

3 Portio congrua assignanda Vicario est arbitraria Episcopo, pensata qualitate personae, Beneficii, et loci: *Sacra Congregatio Concil.* juxta Nicol. Garc. *d. p.* 9. *c.* 2. *num.* 15. et Massobr. *in praxi habendi concursum req.* 1. *dub.* 25. et apud Barbosam in *Summa Apostol. Decis. verb. Portio congrua num.* 3.

Portio fructuum Parochialium Ecclesiarum va- 4
cantium constituenda Vicario curam exercenti, quousque ad novam institutionem deveniatur, referenda est ad congruam portionem, et stipendium arbitrio ordinarii ex fructibus percipiendis, nisi aliquae personae sint Jure obligatae ad supplendum aliunde: *S. Cong. Conc.* teste Nicol. Garc. *de c.* 2. *num.* 15.

5 Portio non detrahitur ex distributionibus quotidianis pro constructione, et sustentatione Seminarii: *Sac. Congr. Conc. in Lucana* 5. *Jul.* 1628. *in respons. ad* 2. penes Aldan. *dict. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 6.
6 Portio debita Seminario ratione Beneficiorum exigi potest post unionem ejusdem Beneficii factam Regularibus, qui Mendicantium privilegiis gaudent: *Sac. Congr. Conc. die* 21. *Jul.* 1629. apud Aldan. *dict. lib.* 3. *tit.* 3. *n.* 7.
Alia ad rem. Vide verb. *Congrua*, verb. *Vica-* 7
rius Parochialis.

PORTORIUM

VIDE VERB. *GABELLA NUM.* 8.

POSSESSIO

Haec porro, quae sequuntur de Possessione adnotare operae pretium sit, ubi etiam de Possessione immemoriali.

1 Possessione sua nemo insuditus est spoliandus, quamvis illa dicatur injusta: *Sacra Cong. Rit. in Elven.* 10. *Jan.* 1604. de qua Sell. *in Selectis Canon c.* 43. *num.* 26.
2 Possessionis exercendi suas functiones manutentionem debet habere ille, qui per decennium praeteritum illas exercuit, donec in petitorio aliter declaretur: *Sacra Congregatio Rituum in Asten.* 16. *Julii* 1605, teste Sellio *dict. cap.* 43. *n.* 22.
3 Possessionem quadragenariam cum titulo, seu privilegio sustulit omnino Concil. Trident. *sess.* 24. *de reform. c.* 20. *vers. Ad haec; Sacr. Congr. Concil. in Theatina* 22. *Jul.* 1613. referente Sellio *d. c.* 43. *num.* 25.
4 Possessio capta a Coadjutore, vivente Coadiuto, non suffragatur post mortem Coadjuti, nisi de novo capiatur: *Sacr. Congr. Rit. in Colimbr.* 16. *Sept.* 1606. *et in Patavina* 30. *Jan.* 1616. penes Sellium *d. c.* 43. *num.* 26.
5 Possessio ab obitu Coadjuti numeranda est, quamvis prior possessio per Coadjutorem capta accederet ad annos viginti: *Sac. Cong. Rit.* in *Bergom.* 7. *Aug.* 1627. apud Sellium *d. c.* 43. *num.* 27. et apud Barbos. *in Summ. Apostol. Decis. verb. Possessio* num. 5.
6 Alia. Vide verb. *Dominium art.* 1. *a* num. 21. *usque in finem.*
7 Possessio immemorabilis tribuit Praelato inferiori jurisdictionem intra Episcopi Dioecesim: Bened. XIV. tom. 1. Constit. 76. incip. *Apostolicae* §. 2. Non idem dicendum est de possessione
8 quadragenaria cum titulo colorato: Idem *ibid.* §.
9 3. Possessio immemorabilis solo labefactatur rumore: Idem *ib.* §. 4.
10 Possessio Beneficiorum resignatorum capienda est intra sex menses a data concessionis gratiae, si Beneficia sint citra montes; vel intra novem, si ultra; Idem tom. 2. Constit. 10. incip. *Ecclesiastica Ministeria.*

DE POSSESSIONE IMMEMORIALI ADDITIONES CASINENSES.

« Possessio immemorialis, quamvis legitime sit 1
» probata, non suffragatur, si constaret de injusto,
» et invalido titulo, ac infecto principio: *Sacra*
» *Congregat. Concil.* ». Apud Barbosam *Summa*
Apostolic. decis. V. Possessio immemoralis, n. 1.
Idipsum docuerat el. Hieron. Gonzalez *super* 2
Regul. 8. *Cancell. Gloss.* 18. *n.* 48. in haec sane verba. « Non tamen omitto, quod si constaret » de injusto, et invalido titulo, et infecto principio, tunc quidem non suffragaretur immemorabilis, quamvis legitime sit probata, ut censuit Sacr. Concilii Tridentini Congregatio 2. » Aprilis 1572..... Ratio est (prosequitur Gonzalez *ibid n.* 48.) quia cum constet de veritate » infecti principii, et sic simus in claris, cessat » praesumptio, quae ex immemorabili resultat » praescriptione..... Rota *Decis.* 731. *ex nu.* » 18. *p.* 1. *divers.* ».
(Hoc pacto) « Jus Patronatus ex privilegio E- 3
» piscopi (*) concessum, in cujus pacifica possessione extiterunt praetensi Patroni per 140. annos, non prodest; cum enim constet de Titulo » ex privilegio invalido, centenaria possessio prodesse non potest ob malam fidem: *Sac. Congr.* » *Concil.* 2. *Aprilis* 1572. apud Garciam. *de benefic. p.* 5. *cap.* 9. *n.* 128. ».
« Jus Patronatus (sic pariter Barbosa) ex pri- 4

(*) Episcopus non potest ex privilegio facere Patronum Ecclesiae aliquem, qui non fundaverit, construxerit, vel dotaverit Ecclesiam ipsam; cum non nisi summus Pontifex, ex *privilegio*, alicui de Ecclesia benemerito, vel ab consim. causam, hujusmodi patronatum concedere valeat. Quod etiam intelliga de *privilegio* post Tempora Concil. Trident. concesso, et cum *clausula derogatoria* Sacrorum Canonum, ac praesertim Decretorum Concilii Tridentini: Barbosa de *Officio, et potest. Episcop. allegat.* 70. *n.* 25. Cardinal. de Luca, *de jurepatron. disc.* xr. num. 1. *Reiffenst. de jurepat.* §. 1. *n.* 12.

» vilegio Episcopi concessum, in cujus pacifica » possessione extiterunt praetensi patroni per 140 » annos, non prodest, cum enim constet de Titu» lo ex privilegio invalido, centenaria possessio » prodesse non potest ob malam fidem ». *In Trident. sess.* 25. *de Reformat. cap.* 9. *num.* 18.

5 « Possessio immemorialis probata super cultu, » et veneratione alicujus Sancti non canonizati, » nec beatificati, non suffragatur ad effectum, » quod de illo concedi possit Missa, vel officium, » sed in specie, et in illo loco est probanda im» memorialis quoad cultum cum Missa, et Offi» cio: *Sacra Congr. Rit. die* 20. *Novemb.* 1628 ». apud Barbosam *Summa Apost. decis. V. Possess. immemorialis, n.* 3.

POSSESSOR BONÆ, ET MALÆ FIDEI

SUMMARIUM

1. Possessor bonae Fidei quis dicatur? — 2. Possessor malae Fidei quis dicatur? — 3. Possessor bonae Fidei tempore a Jure statuto potest praescribere, et sibi acquirere, et rem possessam, et fructus inde perceptos. — 4. Et quidem res mobiles cum titulo possessor bonae Fidei praescribit, et sibi acquirit triennio, res vero immobiles per longi temporis possessionem, idest inter praesentes decennio, et inter absentes viginti annis. — 5. Possessor autem malae Fidei nullo tempore potest praescribere, et acquirere sibi rem possessam, et fructus inde perceptos. — Fructus rei alii sunt naturales, alii industriales, et alii mixti, et assignantur omnes. — 7. Alii quartam speciem fructuum addunt, quos *Civiles* appellant. — 8. Item fructus alii sunt percipiendi, et adhuc pendentes, et alii jam percepti. — 9. Fructus percipiendi, et adhuc pendentes qui sint? — 10. Fructus percepti qui sint? — 11. Fructus percepti, alii non amplius extantes, et jam consumpti, et qui sint? — 12 Expensae, quae solent fieri a possessore tum bonae, tum malae Fidei, sunt triplicis generis, scilicet vel necessariae, vel utiles, vel voluptuosae, et assignantur quae sint. — 13. Res aliena apud possessorem sive bonae, sive malae Fidei potest crescere, et decrescere dupliciter, scilicet *intrinsece*, et *extrinsece*, et assignatur quomodo. — 14. Possessor malae Fidei tenetur restituere rem mala fide possessam, si adhuc extet, aut si non extet, quantum ex illa factus est ditior. — 15. Item possessor malae Fidei tenetur restituere etiam omnes fructus naturales ex re aliena perceptos, sive adhuc extent, sive jam consumpti sint. — 16. Item tenetur restituere, non solum fructus perceptos, sed etiam qui a Domino honeste percipi potuissent. — 17. Possessor malae Fidei non tenetur restituere fructus mere industriales. — 18. Possessor malae Fidei tenetur restituere fructus quoad illam partem, quae respondet naturae rei, non autem quoad illam partem, quae respondet suae industriae. — 19. Idem dicendum est de fructibus civilibus. — 20. Item pariter est dicendum de eo, qui male fide possidens alienum torquem aureum, ipsum elocavit pro pretio — 21. Possessor malae Fidei potest in restitutione deducere expensas necessarias factas circa rem, et fructus. — 22. Item potest in restitutione deducere etiam expensas utiles. — 23. — Item potest in restitutione deducere etiam expensas voluptuarias factas in ornatum separabilem a re male fide possessa. — 24. An deducere possit eas, etiamsi sine damno rei separari nequeant? — 25. Possessor malae Fidei tenetur restituere rem alienam cum omni suo incremento, tam intrinseco, quam extrinseco. — 26. Si res aliena apud possessorem malae Fidei aucta sit augmento intrinseco, debet fieri restitutio secundum optimum statum, quem in manu ejus habuit, quamvis fortasse augmentum illud apud suum Dominum habitura non fuisset. — 27. E contra si talis res apud Dominum suum manens incrementum multum intrinsecum recepisset, quod de facto apud possessorem malae Fidei non recepit ob suam culpabilem negligentiam, tenetur possessor malae Fidei reddere aestimationem talis augmenti. — 28. Si res aliena apud possessorem malae Fidei aucta sit augmento, seu valore solum extrinseco, debet fieri restitutio secundum valorem majorem, quo ipsi Domino valuisset, si ei injuste ablata, aut detenta non fuisset, — 29 Item possessor malae Fidei tenetur restituere illum summum valorem, si Dominus ex quo tempore currentis talis summi valoris carendo sua re injuste a possessore malae fidei retenta, debuit emere aliam illo summo valore — 30. Item tenetur possessor malae fidei restituere illum summum valorem, quamvis Dominus rei non fuisset illam venditurus, nec aliam sibi empturus tempore dicti summi valoris, sed eo tempore ipse consumpsisset, vel donasset amico. — 31. Si dominus rei consumpturus, vel alienaturus erat rem suam eodem tempore, quo possessor malae Fidei eam consumpsit, tunc possessor malae Fidei tenetur solum restituere tantum, quanti pro eo tunc valebat ipsa res. — 32. Quamvis Dominus consumpturus, vel alienaturus fuisset rem suam tempore minoris valoris, ante tempus majoris valoris, quo ipsam consumpsit, vel alienavit possessor malae Fidei, adhuc ipse possessor malae Fidei tenetur restituere ipsum totum pretium majus currens tempore, quo eam consumpsit. — 33. Item quamvis Dominus conservaturus fuisset rem suam usque in tempus, quo minus valeret, possessor malae Fidei adhuc teneretur restituere totum pretium, seu illum majorem valorem currentem pro tempore, quo ipse injuste rem consumpsisset, vel alienasset. — 34. Si dubitetur ad quodnam tempus, scilicet majoris, vel minoris valoris Dominus rem suam fuisset servaturus, nisi a possessore malae fidei fuisset inique detenta, et consumpta, probabilius est restituendum pro ratione dubii secundum judicium prudentum. — 35. Adducitur, et solvitur instantia. — 36. Immo possessor malae Fidei nec tenetur credere Domino se rem suam fuisse servaturum, seu venditurum tempore majoris valoris, nisi accedant aliae circumstantiae, et conjecturae, quibus certo cognosci possit talis veritas. — 37. Possessor malae Fidei tenetur compensare omne damnum emergens, et lucrum cessans Domino ex iniqua detentione rei suae. — 38 Possessor malae Fidei debet suis expensis restituere rem male fide possessam in loco, ubi Dominus eam haberet, si inique detenta, aut destructa non fuisset. — 39. Possessor bonae Fidei tenetur restituere rem bona fide possessam, statim ac cognoscit esse alienam, et quam primum commode fieri potest. — 40. Possessor bonae Fidei tenetur rem bona Fide possessam restituere ipsi Domino, etiamsi eam non repetat ob ignorantiam, vel aliam caussam, quae non denotet implicitam remissionem. — 41. Et probabilius tenetur eam restituere ipsi Domino, et non furi, seu alteri possessori malae Fidei, quamvis aliter suum pretium datum pro ea recuperare non possit. — 42. Revera tamen est etiam probabilis contraria opinio. — 43. Nec talis possessor bonae Fidei restituendo talem rem Domino potest ab ipso repetere expensum pro ea. — 44. Possessor bonae Fidei incipiens dubitare solum per leves rationes, seu per leves conjecturas, an res sit sua, vel aliena? non

teneiur examinare veritatem, sed tuto pergit possidere. — 45. Si autem possessor bonae Fidei incipiat dubitare ob graves, et probabiles rationes occurrentes, tenetur omnino inquirere, et examinare veritatem, adhibita diligentia humana, ordinaria, majori, vel minori, prout res possessa incipiens esse dubia, majoris, vel minoris fuerit momenti. — 46. Quod si post tantam talem inquisitionam nequeat reperire veritatem, et deponere tale dubium, tunc possessor potest ipsam rem possessam licita, et juste retinere, ut suam — 47. Si, facta debita diligentia, adheo perseveret possessor bonae Fidei in tali dubio, et interim compareat Dominus, tenetur ei restituere rem extantem; Si autem rem jam consumpserit, vel alienaverit, et postea compareat Dominus, tenetur solum restituere quantum inde factus est ditior. — 48. Unde si quis alius talem rem dubiam a dicto possessore bona fide possessam aeque dubitet, vel probabiliter putet esse suam, oon potest eam sine Iudicis auctoritate auferre; et si auferat, injustum ei damnam infert, et ad integram restitutionem teoetur. — 49. Possessor bonae Fidei, qui, bona fide durante, ita rem alienam consumpsit, ut nihil omnino remanserit, in quo factus sit ditior, nihil restituere tenetur. — 50. Si vero possessor bonae Fidei non ita in totum rem alienam consumpserit, quin remaneat aliquid, in quo factus sit ditior, id restituere tenetor, quam primom advertit sibi provenisse ex re aliena, et non ex sua industria. — 51. Possessor bonae Fidei cognoscens rem esse alienam, non tantum ipsam, sed etiam fructus rei naturales, et mixtos, quoad eam partem, quae respondet naturae rei, restituere tenetur, solum tamen adhuc extantes. — 52 Unde, si, bona fide durante, eos consumpsit, vel donavit, vel perdidit, ad nihil tenetur ratione absumptionis, nisi in quantum factus est ditior. — 53 Possessor bonae Fidei non tenetur restituere dictos fructus naturales, sive adhuc extent, sive eos consumpserit, et ex ipsis factus sit ditior, si eos possedit bona fide per integrum triennium antequam a vero Domino ona cum fundo repeterentor. — 54. Bonae Fidei possessor semper, etiam sine titulo, facit suos fructus industriales. — 55. Si autem habeat titulum, tunc omnes fructus, etiam naturales, non consumptos, facit suos. — 56 Possessor bonae Fidei, etiam sine titulo, facit suos fructus civiles, quos, facta, provisione, seu diligentia sua percipit, eo quod ipsa laboravit, et ei solvens liberatur. — 57. Possessor bonae Fidei non tenetur restituere ullos fructus ante litem contestatam consumptos. si ex eis non sit factus ditior. — 58. Possessor bonae Fidei, re per Dominum evicta, tenetur restituere universos fructus post litem contestatam consumptos. — 59. Possessor bonae Fidei tenetur restituere fructus naturales ante litis contestationem consumptos quoad excessum locupletationis, seu in quantum inde factus est locupletior, deductis prius omnibus factis expensis. — 60. Quoad fructus industriales, et Civiles probabilior, communior, et tutior opinio docet, quod possessor bonae Fidei teneatur eos ante litis contestationem consumptos restituere, in quantum ex eis factus est ditior. — 61. Est tamen satis probabilis etiam contraria sententia docens, quod eos restituere non teneatur, quamvis ex eis factus sit ditior. — 62. Possessor partim bonae, partim malae Fidei, si, bona fide superveniente, consumpsit, tenetur ex re accepta restituere pro tempore bonae Fidei, sed a tempore malae Fidei tenetur etiam ex injusta acceptione ad omnia damna. — 63. Possessor partim bonae, partim malae Fidei, qui prius male fide possedit, et consumpsit partem rei mala fide possessae, at postea cum titulo apparenter justo bona fide consumpsit reliquum; Si inde cognoscat, se verum Jus non habuisse, tenetur ex injusta acceptione ad restitutionem pro tempore malae Fidei, at e tempore bonae Fidei tenetur tantum ex re accepta. — 64. Qui prius percepit, et possedit, mala fide, sed nihil consumpsit, nisi postquam supervenit bona fides, non tenetur restituere, nisi ex re accepta quantum factus est ditior. — 65. Qui bona fide percepit fructus, si supervenit mala fides antequam consummantur, vel quandiu ex illis manet ditior, jam ex tunc tenetur restituere id totum Domino; et si non restituat, tenebitur postea ratione injustae detentionis ad totum damnum inde vero Domino postea sequutum. — 66. Successor possessoris malae Fidei, si succedat ut haeres immediatus, et rem ab hoc acceptam consummat etiam bona fide, usque inde factus sit ditior, tenetur adhuc restituere ex iniusta acceptione sui antecessoris rem, et fructus, et compensare omnia damna, et lucra cessantia ex mala fide antecessoris orta, quantum vires haereditatis patiantur. — 67. Et hoc totum verum est probabilius etiam de haeredibus mediatis. — 68. Si successor possessoris malae Fidei succedat ei, non ut haeres, sed alio nomine v. g. ut Legatarius, Emptor, et hujusmodi, non tenetur ex injusta acceptione, sed tantum ex re accepta. — 69. Alia ad rem *remissive*. — 70. Subnect. addit. ex al. man. ad *n.* 82.

1 Possessor bonae fidei dicitur ille, qui detinet rem alienam bona fide, id est nesciens talem rem esse alienam, et probe existimans ejusmodi rem esse suam: *Communis*, per textum *in leg. Possideri* 3. §. 21. *et* 22. *et cap. Si virgo*
2 3 *caus.* 34. *q.* 2. et similibus. Possessor autem malae fidei e contra dicitur ille, qui detinet rem alienam mala fide, idest certo sciens talem rem esse alienam, et non suam, prout fur detinet rem furtivam. *Communis*, per text. *in cit. cap. Possideri, et cit. cap. Si Virgo*, cum similibus.
3 Possessor bonae fidei tempore a Jure statuto potest praescribere, et sibi acquirere, et rem possessam, et fructus inde perceptos: *Communis*, per text. *in l. Bonae fidei §.* 1. *ff. de acquir. rerum Domin. l. Item veniat §. Praeter haeredit. Instit. de usucapionibus, et longi temporis praescriptionibus*
4 *in princip.* cum similibus. Et quidem res mobiles cum titulo possessor bonae fidei praescribit, et sibi acquirit triennio. **Res vero immobiles** per longi temporis possessionem: *cit: Instit. de usucapionibus, et longi temporis praescriptionibus, in princip.* ibi: « Jure civili constitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cum crederet eum dominum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliave quavis justa causa acceperit. »; ubi vides, quod fit mentio de bona fide, et justo titulo, atque ibidem loquendo de rebus taliter acquisitis, atque possessis subjungitur: « Constitutionem super hoc promulgavimus, qua cautum est, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem (idest inter absentes viginti annis) usucapiantur »; et concordat *l. Quum nostri unic. Cod. de usucapione transformanda*. Possessor autem malae fidei nullo tem- 5
pore potest praescribere, et sibi acquirere rem possessam, et fructus inde perceptos: *Communis*, per text. *in cap. Vigilanti* 5. *de praescriptionibus*,

ibi: « Vigilanti studio cavendum est, ne malae fidei possessores simus in praediis alienis, quoniam nulla antiquorum dierum possessio juvat aliquem malae fieri possessorem »: *et cap. Quoniam* 20. eod ». ibi: « Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio, tam Canonica, quam civilis ». Hinc *cap. Possessor* 2. *Regul. Juris in* 6. absolute dicitur, *Possessor ma-*
6 *lae fidei ullo tempore non praescribit.* Ut recte percipiatur qualis sit obligatio possessoris, tam bonae, quam malae fidei, restituendi cum re possessa etiam fructus, advertendum est, quod fructus rei, alii sunt naturales, alii industriales, et alii mixti. Fructus *naturales* sunt illi, quos res ipsa ex natura sua sponte producit, nullo, seu vix ulle humano labore, vel industria cooperante, ut sunt foetus animalium, herbae pratorum, sylvae caeduae, et hujusmodi; *l. Fructus* 45. *de usuris.* Fructus *industriales* sunt illi, quos sola humana industria profert, et nullo modo natura rei ex se producit, quamvis concurrat ut instrumentum hominis industrii operantis, vel negotiantis, uti est stipendium, quod quis accipit, dum ipsemet ad aliquod opus, seu artefactum utitur alieno instrumento, item lucrum, quod quis reportat ex pecunia, vino, frumento, et hujusmodi ad negotiationem positis, *l. Bonae fidei, ff. de acquirend. rerum domin.* l. *Si ejus, ff. de rei vindicat.* Fructus *mixti* sunt illi, ad quos producendos notabiliter concurrunt tam natura rei, quam industria hominis, uti sunt segetes, uvae, omnesque fructus serendo, et colendo producti, vinum, oleum, caseus, et hujusmodi, quia haec producit quidem natura rei, at debet industria hominis ad ipsa notabiliter concurrere.

7 Alii quartam speciem fructuum addunt, quos *fructus Civiles* appellant, uti sunt pensiones domorum, et navium vecturae, mercedes, salaria, usurae, pretia rerum elocatarum, et hujusmodi, quae omnia in foro Civili habentur veluti fructus; non quia proprie fructus sint, sed quia ad similitudinem fructuum Jure Civili sunt constituta, ut habetur *l. Praediorum* 36. *ff. de usuris.*

8 Item advertendum est, quod fructus alii sunt
percipiendi, et adhuc pendentes, et alii jam per-
9 cepti: *Communis.* Fructus percipiendi, et adhuc pendentes sunt illi, qui nondum sunt collecti, sed in rebus, e quibus nascuntur, adhuc existunt, et pendent; Et tales fundo cedunt, fundumque sequuntur, ac proinde una cum fundo (deductis tamen expensis) restituendi sunt: nam *fructus pendentes pars fundi esse videntur*, ut loquitur textus in *leg. Fructus pendentes* 45. *de rei vindicat.* Fruc-
10 tus percepti sunt illi, qui jam perfecte collecti sunt, et in horreis, vel cellariis jam reconditi. Immo etiam illi, qui industria hominis sunt a solo separati, licet nondum sint in horreis, vel cellariis reconditi, *leg. Si Usufructarius, ff. Quibus modis usufructus, vel usus amittitur,*: ubi expresse *dicitur:* « Fructum percipi spica, aut foeno caeso, aut uva adempta, aut excussa olea, quamvis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, vel vindemia coacta sit ».

Fructus percepti, alii sunt adhuc extantes, et 11
nondum consumpti, et alii non amplius extantes, et jam consumpti. Fructus adhuc extantes, et nondum consumpti, sunt illi, qui adhuc existunt, et nondum a possessore conversi sunt in suos usus. Fructus non amplius extantes, et jam consumpti e contra sunt illi, qui non amplius existunt, et jam a possessore conversi sunt in suos usus: *Communis.*

A possessore rei alienae, tum bonae, tum ma- 12
lae fidei sepe saepius fiunt expensae, vel pro ipsa melioranda, aut pro fructibus ex ea percipiendis. Et tales expensae possunt esse triplicis generis, scilicet vel necessariae, vel utiles, vel voluntariae, et voluptuosae. Expensae *necessariae* sunt illae, quae necessario fiunt ad conservat. rei alienae, quae sine ipsis, vel omnino periret, vel notabiliter deterior efficeretur, aut nullos, seu non ordinarios fructus afferret, ut reficere domum, agrum, vel vineam a tribulis mundare, fruges sub tecto conservare, et hujusmodi. Expensae *utiles* sunt illae, quae fiunt ad rem utiliorem reddendam, seu ut plures fructus afferrat, quam adferret, si fierent solum expensae necessariae, uti esset v. g. agros, et vineas ampliare, extraordinarie meliorare, novas arbores plantare, et hujusmodi. Expensae *voluntariae, et voluptuosae* sunt illae, quae fiunt tantum ad voluptatem, vel ad ornatum, aut ad delicias, ut sunt fontes, viridaria, statuae, et hujusmodi, quibus licet res reddatur pretiosior, et aestimabilior, tamen non ideo affert majores fructus; Unde tales expensae non sunt, nec necessariae, nec utiles, sed voluntariae, et voluptuosae.

Res aliena apud possessorem, sive bonae, sive 13
malae fidei potest crescere, et decrescere dupliciter, videlicet, aut *intrinsece*, et in se, et secundum suam substantiam, ut si vitulus fiat bos, pullus equinus fiat equus, bos, seu equus de macro fiat pinguis, et sic plus valeat: Vel e contra de pingui fiat macer, et de juvene robusto, et forti fiat senex, et debilis, et sic minus valeat. Aut *extrinsece* quoad solum valorem, ut si modius tritici modo valeat quatuor scutis, deinde ob penuriam, vel multitudinem ementium valeat sex, seu octo, deinde propter abundantiam, vel paucitatem ementium valeat solum quatuor, seu quinque: *Communis.*

His notatis, et bene perceptis, resolvitur, quod 14
possessor malae fidei tenetur restituere rem mala fide possessam, si adhuc extet, aut si non extet, quantum ex illa factus est ditior: *Communis, ac*
certa. Item possessor malae fidei tenetur restitue- 15
re etiam omnes fructus naturales ex re aliena perceptos, sive adhuc extent, sive jam consumpti sint: *Communis*, per textum in *leg. Si fundum* 17. *Cod. de rei vindicatione*, ibi: « Tam fundum ve-

atrum .... quam fructus, quos cum mala fide percepisse fuerit probatum, aditus Praeses Provinciae restitui jubebit »; *leg. Certum est* 22. *Cod. eod.* ibi: *Certum est, malae fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re praestare*; et concordat textus *in* §. *Si quis a non Domino* 45. *Instit. de rerum divisione*, ibi: « Qui alienum fundum sciens possederit ... eum fundo etiam fructus, licet consumpti sint, cogitur restituere ». Insuper posses-
16 sor malae fidei tenetur restituere, non solum perceptos, sed etiam qui a Domino honeste percipi potuissent. *Communis*, per textum in *leg. Fructus non modo percepti*, 33. *de rei vindicatione; et l. Si de possessione*, 4. *Cod. Unde vi*, ibi: « Reum causam omnem praestare oportet, in qua fructus etiam, quos vetus possessor percipere potuit, non tantum, quos praedo percepit, venire non ambigitur »: *et cap. Gravis* 11. *de restitutione spoliator.* ubi Papa loquens de restitutione fructuum percipiendorum, clarissime id ipsum insinuat bis praecisis verbis: « Sed quos (si eis possidere fuisset licitum) possessores veteres percepissent, reddi faciatis eisdem ».

17 Possessor malae fidei non tenetur restituere fructus mere industriales: *Communis*. Et ratio est, quia ad eum spectant fructus, cujus est causa fructificans; sed fructus mere industriales non sunt effectus rei alienae, utpote omnino sterilis, ut supponitur, sed solius hominis industrii operantis, vel negotiantis, ergo fructus mere industriales ex re aliena non sunt restituendi a possessore malae fidei, cum isti non sint fructus suae malae fidei, et iniquitatis, sed solius suae industriae: Hine, qui mala fide possidens pecuniam alienam, exponit eam cum lucro ad ludum, ad negotiationem, ad censum etc. non tenetur hoc lucrum restituere, quia pecunia est res de se sterilis, et lucrum inde acquisitum est mere industriale. Si autem Dominus pecuniae, si ipsam habuisset, et ipsa usuris fuisset ad lucrum quaerendum, tenebitur quidem possessor malae fidei compensare lucrum speratum, at non per modum fructus, sed per modum interesse, lucri cessantis, ut fatentur omnes.

18 Possessor malae fidei tenetur restituere fructus mixtos quoad illam partem, quae respondet naturae, non autem quoad illam partem, quae respondet suae industriae; seu, quod idem est, possessor malae fidei tenetur restituere fructus mixtos, sed detractis expensis, et aestimatione suae industriae. *Communis*. Et ratio est, quia fructus rei sequuntur rem, et fructus industriae sequuntur industriam tamquam suam causam; adeoque cum fructus omni jure spectent ad eum, cujus est causa fructificans, ei causa fructificans fructus mixtos partim sit natura rei, et partim industria hominis, sunt pro rata concursus dividendi inter Dominum rei, et possessorem industrium.

19 Idem per eamdem dictam rationem dicendum est de fructibus vocatis, ut supra, Civilibus; Si qui enim mala fide possidens alienam navim, dominum, seu alienum Equum, Camelum, et similia, ea locavit pro pretio, pretium istud spectat ad Dominum rei, detractis tamen, si quae factae sint a possessore malae fidei, expensis. *Communis*.

Idem pariter est dicendum de eo, qui mala fide 20
possidens alienum torquem aureum, ipsum elocavit pro pretio; Hoc enim pretium restituendum est domino torquis, cum non sit fructus industriae locantis, quia torques non habet se veluti instrumentum, per quod operetur industria ipsius malae fidei possessoris, seu veluti domus, quae elocatur; adeoque sicut tenetur restituere pretium acceptum pro elocatione domus alienae mala fide possessae, ita etiam tenetur restituere pretium acceptum pro elocatione torquis mala fide possessi: *Communis*, teste Sporer *tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 2. *n.* 78.

Possessor malae fidei potest in restitutione de- 21
ducere expensas necessarias factas circa rem, et fructus: *Communis*, textu expresso in *l. Domum, Cod. de rei vindic.* Et ratio est, quia dominus ipse dictas expensas facere debuisset. Tum quia fructus non habent rationem fructus, nisi deductis his expensis, *l.* 36. §. *final. ff. de haeredit. petit.* adeoque etc.

Item possessor malae fidei potest in restitutio- 22
ne deducere etiam expensas utiles: *Communis* cum Sporer *loc. cit. num.* 82. Quamvis enim. in *l. Adeo* 7. §. *Ex diverso, ff de acquirendo rerum dominio*, possessori malae fidei negetur actio ad illas repetendas, tamen est Lex poenalis, quae non obligat in conscientia ante sententiam Judicis; Tum quia rigor illius Legis mitigatus est per *leg. Plane* 38. *de haereditatis petitione*, ibi: « Sed benignius est in hujus quoque persona (scilicet malae fidei) haberi rationem impensarum; non enim debet petitor ex aliena jactura lucrum facere. Plane potest in eo differentia esse, ut bonae fidei quidem possessor omnimode impensas deducat, licet res non extet, in quam fecit, sicut Tutor, vel Curator consequuntur; praedo autem non aliter, quam si res melior sit ». Unde etiam in *leg. Fundus* 51. *ff. Familiae erciscundae*, absolute dicitur: « Nullus casus intervenire potest, qui hoc genus deductionis (scilicet expensarum) impediat ». Et ratio est, quia tales expensae cesserunt in commodum, et utilitatem domini rei, adeoque, quamvis possessor malae fide cum utilitate rem domini gesserit, ex aequitate Juris naturalis etiam ipsi compensandae sunt dictae utiles expensae.

Item possessor malae fidei potest in restitutio- 23
nem deducere expensas voluntarias, seu voluptuarias factas in ornatum separabilem a re mala fide possessa. Quae enim ab ipsa re sine sui damno separari possunt, ut portae, fenestrae, statuae, horologia, insignia, et hujusmodi alienis aedibus, seu praediis affixa, licite auferuntur, etiam a possessore malae fidei, ut omnes concedunt, teste Spor. *loc. cit. num.* 85. Si autem sine damno rei sepa-
rari nequeant, Molina, Lessius, Sayr. et alii 24

apud La Croix *lib.* 3. *p.* 2. *num.* 22. dicunt, in foro conscientiae posse deduci etiam tales expensas voluntarias, et voluptuarias factas in dictum ornatum, non separabilem: quia res per illas facta est pretiosior, potestque pluris vendi. Unde videtur iniquum, ut quis ditescat ex damno alterius contra jura in *l. Jure naturae* 206. *ff. de Reg. Juris.* ibi: « Jure naturae aequum est neminem cum alterius detrimento, et injuria fieri locupletiorem »: et *in cap. Locupletari*, 48. *de Reg. jur. in* 6. ibi: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura.* Sanchez tamen, Layman, Rebeli. Castropal. et alii apud eumdem *ibidem* tenent, deduci non posse tales expensas voluntarias, et voluptuarias factas in ornatum non separabilem, quia Dominus injuste cogeretur ornatum illum emere.

» * Neque obstat, *ut inquit Cuniliati tract.* IX. » *de* VII. *Decal. Praecepto cap.* V. §. VI. *num.* II. » *Tom.* I. *pag.* 382. *seq.* quod illa melioramenta » voluptuosa reddant rem aestimabiliorem, et plu» ris valituram, si vendatur a domino; quia in » primis iniquus possessor haec volens fecit, et » praevidere poterat, se in restituendo illa esse » amissurum; unde ipse voluit esse sui damni cau» sa. Secundo, quia cum hujusmodi melioramenta » non raro multas expensas requirant, teneretur » dominus contra suam voluntatem subjici notabili » bonorum suorum jacturae, si res esset compensan» dos, vel pro magna portione emeret rem suam, » si solvere pro melioramentis deberet. Tertio, » quia per accidens est, quod rem illam meliora» tam vendere velit, ut utilitatem ex melioramen» tis reportet: immo evenire potest, quod nequo » illam vendere, neque locare possit, et interea » suis bonis privetur. Proinde non est discedendum ab opinione communiori, et probabiliori, » cum fundamenta adversae opinionis nil aliud con» cludere valeant, nisi conveniens esse, ut dominus » aliquid remittat iniquo possessori pro dictis me» lioramentis; quod et nos fatemur: Si vero nolit, » nihil omnino possessor ille sibi retinere poterit; » quippe quod, ut dixi, ipse solus sit sui damni » totalis causa ».

25 Possessor malae fidei tenetur restituere rem alienam cum omni suo incremento, tam intrinseco, quam extrinseco: *Communis.* Et ratio est, quia quando res crescit, suo Domino crescit, adeoque, cum possessor malae fidei non sit Dominus rei alienae mala fide possessae, non potest esse Dominus ejus augmenti, vel majoris valoris, et consequenter tota res aliena, quomodocumque creverit, est ita restituenda Domino vero, et proprio: Sic v. g. si apud possessorem malae fidei pullus equinus, seu vitulus juvenis jam adolevit, et crevit, vel impinguatus est, si vinea meliorata, si in agro, in viridario multae adauctae sint plantae arborum, et hujusmodi. Item si interim pretium rei alienae, v. g. frumenti, vini, equi, bovis etc. propter raritatem similium, et multitudinem emptorum creverit, quantumcumque creverit, totum spectat ad Dominum, ut docent omnes communiter.

Si res aliena apud possessorem malae fidei aucta sit augmento intrinseco, debet fieri restitutio secundum optimum statum, quem in manu ejus habuit, quamvis fortasse augmentum illud apud suum dominum habitura non fuisset: *Communis*, textu expresso *in* l. *In re furtiva* 8. *de conditione furtiva* §. 3. ibi: « Si ex causa furtiva res condicatur, cujus temporis aestimatio fiat, quaeritur. Placet tamen id tempus spectandum, quo res unquam plurimi fuit, maxime cum deteriorem factam fur dando non liberetur, semper enim moram fur facere videtur ». Sic v. g. qui furatus vitulum, seu bovem macrum, et postea factum bovem adultum, seu pinguem consumpsit, vendidit, vel sua culpa perire, aut deteriorari permisit, tenetur restituere pretium, vel aestimationem bovis adulti, seu pinguis secundum optimum statum, quem talis bos habuit apud ipsum furem, seu possessorem malae fidei, quamvis fortasse apud suum Dominum manens bos ille nnoquam accepisset illud augmentum, nec illum Dominus deduxisset ad illum optimum statum, sed antea consumpsisset, perdidisset, vendidisset. Et ratio est clara, quia talis bos, quando fuit in illo optimo statu apud possessorem malae fidei, erat res Domini sui, ergo secundum illum optimum statum spectabat ad Dominum, cum totum incrementum intrinsecum, et optimus status rei inhaerens, una cum ipsa re ad Dominum spectet, adeoque possessor malae fidei tenetur restituere pretium, vel aestimationem bovis adulti, seu pinguis secundum illum optimum statum, quem semel talis bos habuit apud ipsum possessorem malae fidei, quamvis fortasse manens apud suum Dominum nunquam ad tale intrinsecum incrementum, seu optimum statum pervenisset. 26

E contra autem, si talis vitulus, seu bos macer apud Dominum suum manens adolevisset, seu impinguatus fuisset, sicque incrementum multum intrinsecum recepisset, quod de facto apud possessorem malae non recepit ob ejus negligentiam culpabilem, vel quia statim adhuc vitulum, seu bovem macrum consumpsit, seu vendidit, tenetur possessor malae fidei reddere aestimationem secundum summum illum valorem, ad quem Dominus dictum vitulum, seu bovem macrum certo, vel probabilius deduxisset, seu vendidisset, et hoc ratione damni emergentis, et lucri cessantis. *Communis.* 27

Si res aliena apud possessorem malae fidei aucta sit augmento, seu valore solum extrinseco, debet fieri restitutio secundum valorem majorem, quo ipsi Domino valuisset, si ei injuste ablata, aut detenta non fuisset: *Communis.* Sic v. g. si Dominus fuisset rem suam venditurus tempore, quo summum valorem habebat, tunc clare patet, furem, seu possessorem malae fidei teneri restituere summum illum valorem, quia in summo illo valore 28

29 damnificavit Dominum. Item fur, seu possessor malae fidei tenetur restituere illum summum valorem, si dominus ex quo tempore currentis talis summi valoris carendo sua re injuste a possessore malae fidei possessa, v. gr. tritico, debuit emere aliud illo summo valore, quia sic malae fidei possessor fuit causa, quod tantum damnum injuste emersit Domino rei, adeoque totum compensare
30 debet: *Communis*, Item tenetur fur, seu possessor malae fidei restituere illum valorem, quamvis Dominus rei, v. g. tritici, non fuisset venditurus triticum, nec aliud sibi empturus tempore dicti summi valoris, sed eo tempore ipse consumpsisset, vel donasset amico, qui fuit injusta causa, ne Dominus re sua, scilicet *suo tritico*, eo tempore uteretur; Dominus enim non solum passus est carentiam *tritici*, sed etiam passus est damnum carendo *tritico*, ejusque usu, quando usus erat majoris aestimationis, sive pro se, sive pro aliis; adeoque possessor malae fidei debet reddere tantum, quantum tunc valebat ille usus, nec satisfacit reddendo nunc simile *triticum*. Sic Lugo *disp.* 18. *sect.* 6. *num.* 123. Tambur. *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 2. §. 7. *num.* 9. Illsung *t.* 4. d. 3. *num.* 164. Petschacher *de restitutione par.* 221. Sporer *loc. cit. n.* 151. La Croix *lib.* 3. *par.* 2. *num.* 234. et alii contra Vasquez, Turrian. et alios.

31 Si Dominus rei consumpturus, vel alienaturus erat rem suam eodem tempore, quo fur, seu possessor malae fidei eam consumpsit, tunc possessor malae fidei, seu fur, tenetur solum restituere tantum, quanti pro eo tunc valebat ipsa res, quia Dominus plus non est damnificatus, quam in valore,
32 qui tunc erat: *Communis*, Quamvis Dominus consumpturus, vel alienaturus fuisset rem suam tempore minoris valoris, ante tempus majoris valoris, quo ipsam consumpsit, vel alienavit possessor malae fidei, adhuc ipse possessor malae fidei tenetur restituere ipsum totum pretium majus, currens tempore, quo eam consumpsit: *Communis, et certa* cum Tamburin. *loc. cit. num.* 153. Et ratio clara est, quia res adhuc existens illo tempore aucti valoris, est adhuc Domini sui, et non possessoris malae fidei, et consequenter in valore crevit Domino, et non possessori malae fidei, cum res Domino crescat, adeoque, si illo tempore majoris aucti valoris injuste a possessore malae fidei consumatur, vel vendatur, totum illud pretium majoris est ab ipso restituendum Domino rei, etsi non ratione damni majoris, tamen ratione Juris
33 Dominii. Item quamvis Dominus conservaturus fuisset rem suam usque in tempus, quo minus valeret, possessor malae fidei adhuc teneretur restituere totum pretium, seu illum majorem valorem currentem pro tempore, quo ipse injuste rem consumpsisset, vel alienasset. Sic Lugo *loc. cit. num.* 126. cum aliis ibi allegatis, Sporer *loc. cit. num.* 165. La Croix l. *cit. num.* 223. Petschacher *de restit. pag.* 223. Tamburin. *loc. cit. num.* 13. ubi hanc docet verissimam, licet oppositam sententiam teneat Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 16. *n.* 105. et ex illo Layman l. 3. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. et alii. Et ratio nostra satis urgens a priori est haec, quam affert Sporer *loc. cit.* quia, dicit, quando possessor malae fidei, seu fur rem alienam consumpsit injuste, tunc statim absque mora ratione injustae consumptionis tenebatur ex justitia restituere totum valorem, seu pretium, quantum eo tempore res valebat, et non quantum valitura erat postea, decrescente ejus pretio; Res enim tunc in toto suo valore erat Domini, et non possessoris malae fidei, seu furis, et postea jam absumpta non poterat amplius decrescere Domino, immo nulli, adeoque possessor malae fidei semper restituere debebit eumdem valorem majorem illius temporis, quo rem consumpsit, vel alienavit; Tum quia, si possessor malae fidei, seu fur posset sibi retinere excessum illum majoris pretii, reportaret lucrum, et ditesceret ex duplici suo delicto, scilicet ex furto, seu injusta detentione, et ex injusta rei alienae consumptione, quod nullimode potest dici secundum justitiam, et rectam rationem, quia, ut habetur in *l. Non fraudantur* 134. §. 1. *ff. De Reg. Juris*, ibi: « Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest ». *Ne*, ut dicitur *in cap. Intelleximus* 7. *de Judiciis*, « Ne videatur de sua malitia commodum reportare ».

Si dubitetur ad quodnam tempus, scilicet majo- 34
ris, vel minoris valoris Dominus rem suam fuisset servaturus, nisi a possessore malae fidei fuisset inique detenta, et consumpta? Vasquez, Azorius Reb. et alii censent, esse tunc judicandum in favorem Domini, et totum valorem majorem esse ipsi restituendum, eo quod inclinandum sit in favorem innocentis, cujus conditio melior est; At Lugo *disp.* 19. *num.* 133. Lessius *loc. cit. num.* 109. Tamburin. *loc. cit. numer.* 7. Petschacher *loc. cit. p.* 227. Illsung. *loc. cit. num.* 165. Dicastill. *d.* 2. *num.* 17. La Croix *loc. cit. numer.* 576 Sporer *loc. cit. num.* 159. et alii probabilius docent media via esse incedendum, et ratione dubii esse restituendum secundum judicium prudentum, quia pro damno incerto non debet restitui tantum, quantum pro damno certo; Dubietas enim, et incertitudo imminuit aestimationem lucri, et damni.

Nec valet dicere, quod in dubio est judicandum 35
in favorem innocentis, adeoque totum valorem majorem esse restituendum Domino innocenti. Non valet, inquam, quia hoc verum est solum, quando adest possessio pro innocente, quae in hoc casu non adest, cum necdum extiterit major valor. Vel quando res dividi non potest, neque utrique parti satisfieri, quod utique in hoc casu potest.

Immo possessor malae fidei nec tenetur credere 36
Domino, se rem suam fuisse servaturum, seu venditurum tempore majoris valoris, nisi accedant aliae circumstantiae, et conjecturae, quibus certo cognosci possit talis veritas: Unde si certitudo haberi non possit, et adhuc res maneat dubia, erit

adhuc restituendum solum secundum proportionem dubii, et majoris, vel minoris apparentis veritatis. Sic Sporer *loc. cit. n.* 160. et Diana, Lugo, Tamburin. Lessius, Turrian. Petschacher citati, et secuti a La Croix *loc. cit. n.* 576.

37 Possessor malae fidei tenetur compensare omne damnum emergens, et lucrum cessans Domino ex iniqua detentione rei suae: *Communis*. Possessor enim malae fidei tenetur restituere ad aequalitatem arithmeticam justitiae commutativae, ita ut Dominus tantum recipiat, et habeat quantum habuisset, si res sua injuste detenta non fuisset; ad hoc autem requiritur, ut de se patet, compensatio omnis damni emergentis, et lucri cessantis.

38 Possessor malae fidei debet suis expensis restituere rem mala fide possessam in loco, ubi Dominus eam haberet, si inique detenta, aut destructa non fuisset, *Communis*; Per restitutionem enim Creditor debet reduci ad aequalitatem, ita ut nullum patiatur damnum, aut gravamen ex injusta detentione, aut destructione rei suae; Ad hoc autem requiritur, ut sine ulla expensa rem suam recipiat in loco, ubi eam haberet, si inique detenta, aut destructa non fuisset, alias per restitutionem non reduceretur ad aequalitatem.

39 Possessor bonae fidei tenetur restituere rem bona fide possessam statim ac cognoscit esse alienam, et quamprimum commode fieri potest: *Communis,*
40 *ac certa*. Possessor bonae fidei tenetur rem bona fide possessam restituere ipsi Domino, etiamsi non repetat ob ignorantiam, vel aliam causam, quae non denotet implicitam remissionem. *Communis*; quia cum sciat rem esse alienam, et cujus sit, jam
41 eum urget praeceptum restitutionis. Et probabilius tenetur eam rem restituere ipsi Domino, et non furi, seu alteri possessori malae fidei, quamvis aliter suum pretium datum pro ejus ver. grat. emptione recuperare non possit: Sporer *loc. cit. num.* 120. cum pluribus ibi adductis. Vide verb.
42 *Contr. Empt. art.* 2. *num.* 6. (*) Revera tamen est etiam probabile, quod talis possessor bonae fidei possit talem rem reddere furi, aut alteri possessori malae fidei ad pretium suum recuperandum, seque indemnem servandum; Sporer *loc. cit. nu.*
43 121. cum pluribus ibi citatis. Vide verb. *Contr. Empt. art.* 2. *num.* 7. Nec talis possessor bonae fidei restituendo talem rem Domino potest ab ipso repetere expensum pro ea, textu expresso in l. *Mater* 3. *Cod. de rei vindic.* ibi: « Rem tuam a possessore, etiam non oblato pretio, vindicare poteris ». Vide d. v. *Contr. Empt. ar.* 2. *n.* 22. *et n.* 10. et resolve ut *ibi.*

44 Possessor bonae fidei incipiens dubitare solum per leves rationes, vel leves conjecturas, an res sit sua, vel aliena? non tenetur examinare veritatem, sed tuto pergit possidere, quia nemo tenetur inquisitionem contra se ipsum instituere ex levibus solum rationibus, et conjecturis. Sic expresse Sporer *loc. cit. num.* 91. addita ratione, quod sicut ipse Superior non tenetur, et forte non potest ex levibus conjecturis moveri ad inquirendum contra te v. g. sic multo minus nec tu contra teipsum; perge ergo in possessione tua. *Haec ille.*

Si autem possessor bonae fidei incipiat dubita- 45
re ob graves, et probabiles rationes occurrentes; tenetur omnino inquirere, et examinare veritatem, adhibita diligentia humana, morali, ordinaria, majori, vel minori prout res possessa incipiens esse dubia majoris, vel minoris fuerit momenti. *Communis*; Et ratio est, quia dubitans ob graves, et probabiles rationes, an res sit sua, vel aliena? si omittat inquirere veritatem, desinit esse possessor bonae fidei, cum prudenter timere debeat, ne sua possessio sit injusta, forte talis sibi appparitura post factam debitam inquisitionem ad indagandam veritatem, adeoque, ne se exponat periculo detinendi injuste rem alienam, sicque peccandi peccato injustitiae pergendo possidere cum conscientia practice dubia de validitate, et honestate suae possessionis, debet omnino inquirere, et examinare veritatem pro deponendo tali practico dubio, ut sic inde licite, et tute possideat, si repererit rem possessam esse vere suam; vel restituat, si compererit esse alienam.

Quod si post factam talem inquisitionem ne- 46
queat reperire veritatem, et deponere tale dubium tunc potest ipsam rem possessam licite, et juste retinere uti suam, *Communis*, per textum *in l. Nemo* 126. §. 2. *ff. de Regul. Juris*, ibi: « Cum de lucro duorum quaeritur, melior est causa possidentis », l. *In pari causa* 128. *ff. eod.* ibi: « In pari causa possessor potior haberi debet »; *cap. Quod autem* 5. *De Jurepatronat.* ibi: *Melior est conditio possidentis, c. In pari* 65. *de Reg. Juris* in 6. ibi: « In pari delicto, vel caussa potior est conditio possidentis ».

Si facta debita diligentia, adhuc perseveret pos- 47
sessor bonae fidei in tali dubio, et interim compareat Dominus, tenetur ei restituere rem extantem; Si autem rem jam consumpserit, vel alienaverit, et postea compareat Dominus, tenetur solum restituere, quantum inde factus est ditior; Sic ex communi Covar. *Reg. Possessor*, *part.* 2. §. 5. *et Reg. Peccatum p.* 3. *princ. num.* 4. Vasquez *disp.* 66. *c.* 7. Silvester verb. *Restitutio* 3. *q.* 7. *dicto* 3. Suarez *t.* 5. *disp.* 40. *sect.* 5. *num.*

(*) In addit. ad cit. num. Lectores ad illa, quae P. Cunilati docet cap. cit. in Addit. ad num. 25. hujus Articuli §. IV. num. v. reiicimus. Hic vero iisdem, quo rectius de controversia ista judicare possint, auctores sumus, ut legant, quae tradit Antoine de justitia, et jure cap. v. quaest. XIV. resp. 3. ubi demonstrandum sibi proponit, illum, *qui rem furtivam emit bona fide nesciens, nec dubitans esse furtivam, teneri eam restituere domino etiam non repetenti, nec posse reddere furi, ut pretium datum recipiat, nisi certo sciat ab eo rem domino restitutum iri*, ostenditque, ab homine, qui furi rem emptam reddat, illam in pejori statu poni, cum eamdem privet *statu intermedio meliore, quem acquisiverat, qui undecumque proveniat, spectat ad rem, proindeque dominum rei.*

14. Molina *t.* 1. *art.* 2. *disp.* 25. *et* 36. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 21. Sanchez *l.* 2. *de Matr. disp.* 41. *num.* 12. Sporer *loc. cit. nu.* 95. et alii passim.

48 Unde si quis alius talem rem dubiam a dicto possessore bona fide possessam aeque dubitet, vel probabiliter putet esse suam, non potest eam sine Judicis auctoritate auferre, et si auferat, injustum ei damnum infert, et ad integram restitutionem tenetur; Sanchez *lib.* 2. *de Matrimonio disp.* 41. *num.* 26. Navarr. *cap.* 17. *num.* 117. Layman *loc. cit. num.* 21. Sporer *loc. cit. num.* 94. et alii. Et ratio est, quia dum res incerta est, seu partium jura obscura sunt, interim ordinarie loquendo est praesumptio pro possessore ex Juris dispositione, uti clare constat ex §. *Retinendae possessionis* 4. *Instit. de Interdictis*, ibi: « Commodum autem possidendi in eo est, quod etiamsi ejus res non sit, qui possidet, si modo Actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio, propter quam causam, cum obscura sunt utriusque jura, contra petitorem judicari solet ».

49 Possessor bonae fidei, qui, bona fide durante, ita rem alienam consumpsit, ut nihil omnino remanserit, in quo factus sit ditior, nihil restituere tenetur. *Communis*, per textum *in l. Bona fides* 136. *ff. de Reg. juris*, ibi: « Bona fides tantumdem possidenti praestat, quantum veritas, quoties Lex impedimento non est »: Cum enim talis res, durante bona fide, consumpta, sine ulla culpa contra justitiam fuerit consumpta, non est unde oriatur obligatio restitutionis. Vide verb. *Contr. Empt. art.* 2. *num.* 4.

50 Si vero possessor bonae fidei non ita in totum rem alienam consumpserit, quin remaneat aliquid in quo factus sit ditior, id restituere tenetur, quamprimum advertit sibi provenisse praecise ex re aliena, et non ex industria: *Communis*, per textum *in l. Item veniunt* 20. §. 6. *D. de haereditatis petitione*, ibi: « Eos autem qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque adeo dumtaxat quo locupletiores ex ea re facti essent (condemnandos) », scilicet ad restitutionem, ubi Glossa ait: « Hanc esse optimam regulam, qua nulla verior in jure, ut bonae fidei possessor ad id tantum, quod ad se pervenerit, teneatur ».

51 Possessor bonae fidei cognoscens rem esse alienam, non tantum ipsam, sed etiam fructus rei naturales, at mixtos quoad eam partem, quae respondet naturae rei, restituere tenetur, solum tamen adhuc extantes. *Communis*, textu expresso in *l. Certum est* 22. *Cod. de rei vindicatione*, ibi: « Certum est malae fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re praestare; bonae fidei vero, extantes ». Concordat l. *Fructus percipiendo* 45. *De usuris*, ibi: « Fructus percipiendo Uxor, vel Vir ex re sibi donata suos facit, illos tamen, quos suis operis acquisierit (veluti serendo), nam si pomum decerpserit, vel ex silva caeciderit, non sit ejus, sicut nec cujuslibet bonae fidei possessoris, quia non ex facto ejus is fructus nascitur ».

52 Dicitur autem notanter *solum tamen adhuc extantes*, quia si, bona fide durante, eos consumpsit, vel donavit, vel perdidit, ad nihil tenetur, ratione absumtionis, nisi in quantum inde factus sit ditior; *l. Senatus consultum* 1. *Cod. De petitione hereditatis*, ibi: « Fructus bonae fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint »; *l. Sed et si lege* 25. *ff. De hereditatis petitione* §. 11. ibi: « Consuluit Senatus bonae fidei possessoribus, ne in totum damno afficiantur, sed in id dumtaxat teneantur, in quo locupletiores facti sunt »; *l. Illud* 40. §. 1. *ff. eodem*, ibi: « In bonae fidei autem possessore hi tantum veniunt in restitutione, quasi augmenta hereditatis, per quos locupletior factus est ».

53 Possessor bonae fidei non tenetur restituere dictos fructus naturales, sive adhuc extent, sive eos consumpserit, et ex ipsis factus sit ditior, si eos bona fide possedit per integrum triennium, antequam a vero Domino una cum fundo repeterentur, quia censetur eos praescripsisse; *Instit, de usucapionibus, et longi temporis praescriptionibus in princip.* ibi: *Cautum est, ut res quidem mobiles per triennium ...... usucapiantur*, et concordat *l. Sequitur* 4. §. *Fructus*, *ff. de usurpationibus, et usucapionibus, et l. Cum nostri unic. Cod. De usucapione transformanda;* Covarruv. *lib.* 1 *variar. resolut. cap.* 3. *n.* 7. Menoch *de recuperand. possess. remed.* 15. *n.* 588. Reiffeustuel *l.* 2. *Decr. t.* 3 *num.* 14. et alii passim.

54 Bonae fidei possessor semper, etiam sine titulo, facit suos fructus industriales; *cit. l. Fructus percipiendo* 45. *ff. De usuris*, §. 35. *Inst. de rerum division.* ibi « Si quis a non Domino, quem Dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliaque qualibet justa causa aeque bona fide acceperit; naturali ratione placuit, fructus quos percepit, ejus esse pro cultura, et cura. Et ideo si postea Dominus supervenerit, et fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest »; Sic expresse Fagnan. *lib.* 2. *Decret. in cap. Gravis* 11. *de restitutione spoliat. num.* 45. cum triplici Glossa ibi citata, et plurimis aliis adductis; Ubi *num.* 56. addit, quod si
55 habeat titulum, tunc fructus omnes, etiam naturales non consumptos facit suos; et ita intelligi debet textus *in l. Bonae fidei emptor* 46. *ff. de acquir. rerum Dominio*, ubi dicitur: « Bonae fidei emptor non dubie percipiendo fructus ex aliena re, suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia, et opera ejus provenerunt, sed omnes, quia quod ad fructus attinet, loco Domini pene est »; et plurimis adductis dicit sic hodie communiter sentire modernos, nec obstare textum *in l. Fructus percipiendo* 45. *ff. de usuris*, jam adductum *supra n.* 51. quia, inquit, textus ille intelligi debet de fructibus naturalibus extantibus, quos bonae fidei possessor etiam cum titulo, facit suos, non

autem de consumptis; producitque rationem; Vide ipsum *ibid.* et Reiffenstuel *lib.* 2. *Decretal. tit.* 13. *a num.* 135. *ad* 141. ubi dictos textus *in l. Bonae fidei emptor* 46. *ff. de acquirend. rerum domin. et in l. Fructus percipiendo* 45. *ff. de usuris* explicat, et conciliat.

57 Possessor bonae fidei, etiam sine titulo, facit suos fructus Civiles, quos facto, provisione, seu diligentia sua percepit, eo quod ipse laboravit, et ei solvens liberatur, ut *in l. Si urbana praedia* 55. *De condictione indebiti*, Innocent. *in c. In lit.* 5. *de restit. spol. num.* 3. *in fine vers. Nisi forte*, Bartolus *in l. Ex divers. ff. De rei vindicat. n.* 5. Fagnan. *loc. cit. num.* 49. Butrius, Ancharan. et Bero apud ipsum a fortiori id concludentes: Nam si malae fidei possessor tales fructus civiles facit suos, licet revocabiliter, quia tandem tenetur illos restituere: ergo multo magis bonae fidei possessor sine titulo.

58 Possessor bonae fidei non tenetur restituere illos fructus ante litem contestatam consumptos, si ex eis non sit factus ditior: Glossa *in cit. cap. Gravis* 11. *de restitutione spoliator. verb. Fructus.* Abbas *ibid. n.* 6. Barbosa *ib. num.* 8. Reiffenstuel *loc. c. n.* 142. et, ipso teste, communis aliorum, per textum *in l. Sed et loci* 4. §. 2. *ff. Finium regundorum*, ubi generaliter, et absque distinctione inter fructus industriales, et naturales, vel inter bonae fidei possessorem cum titulo, aut sine titulo expresse dicitur: « Aut enim bona fide percepit, et lucrari eum oportet, aut mala fide, et condici oportet »; concordant textus *in l. Senatus consultum* 1. *Cod. de petitione hereditat. l. Sed et si lege* 25. *ff. de hereditatis petitione*; *l. Illud* 40. *ff. eodem*, adducti *supra num.* 52. quibus, ut patet, statuitur, possessores bonae fidei de fructibus consumptis teneri solum restituere id, in quo ditiores facti sunt; Unde a sensu contrario recte infertur, eos ad nihil teneri, quando non sunt facti ditiores; ut colligitur ex *l. Utrum autem* 23. *ff. De haereditatis petitione*, ubi expresse deciditur, quod bonae fidei possessores nec teneantur ad pretium, nisi quatenus facti sunt locupletiores.

59 Possessor bonae fidei, re per Dominum evicta, tenetur restituere universos fructus ejus post litem contestatam consumptos: *Communis*, per expressum textum *in l. Certum est.* 22. *Cod. de rei vindicatione*, ubi dicitur, quod possessor bonae fidei fructus ante litis contestationem perceptos solent cum ipsa re praestare extantes; post litis autem contestationem universos; ibi: « Certum est malae fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re praestare: bonae fidei vero, extantes; post litis autem contestationem universos»; Et ratio est, quia talis possessor quoad fructus post litem contestatam perceptos, et consumptos incipit esse possessor malae fidei, et concordat textus *in l. Et ex diverso* 35. §. 1. *ff. de rei vindicat. l. Ædiles etiam* 25. §. 8. *ff. de Ædilitio Edicto*, et §. *Et si in re* 2. *Institut. de Officio Judicis*, ubi expresse dicitur: « Post inchoatam autem petitionem, etiam illorum fructuum ratio habetur, qui culpa possessoris percepti non sunt, vel percepti, consumpti sunt ».

An autem possessor bonae fidei teneatur ad restituendos omnes fructus ante litis contestationem consumptos, quando ex eis factus est ditior? Conveniunt Doctores, quod teneatur ad restitutionem fructuum naturalium quoad excessum factae locupletationis, deductis prius omnibus factis expensis: Et id satis patet ex dictis *supra n.* 53. *et* 57. et magis patebit ex mox dicendis. Quantum autem ad fructus industriales, et civiles discrepant Doctores inter se. Plurimi enim, et quidem probabilius, communius, et tutius docent, quod possessor bonae fidei teneatur restituere fructus, etiam industriales, et civiles ante litis contestationem consumptos, in quantum ex iis factus est ditior: Sic Bartolus *in l. Et ex diverso* 35. *de rei vindicatione nu.* 6. *et* 7. Antonius Butrius *in cit. cap. Gravis* 11. *de restitutione spoliatorum n.* 12. *col.* 3. *circa med. vers. Bartolus dicit*, Abbas *ibid. n.* 6. Fagnan. *ib. n.* 57. Covarruv. *lib.* 1. *variar. resolut. cap.* 3. *n.* 6. *conclus.* 3. Alexander *consil.* 21. *n.* 10. *l.* 4. Jason *l. Si me, et Titium n.* 1. *ff. Si certum petatur*, allegans alios, Sanchez *l.* 2. *in Decal. cap.* 23. *n.* 76. *et seq.* Reiffenstuel *loc. cit. n.* 153. Pontas *in suo Dictionario verb. Restitutio casu* 9. et plures alii, per text. *in l. Item veniunt* §. 6. *ff. de heredit. petit. ibi:* « Eos autem, qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent, condemnandos esse », *l. Si et rem, et pretium* 22. *l. Utrum autem* 23. *l. Sed et si lege* 25. *ff. de hereditatis petitione*, *l. Nam hoc natura* 14. *ff. de condictione indebiti*, cum similibus. Et ratio est, quia possessor bonae fidei tenetur vero Domino comparenti restituere fructus, etiam industriales adhuc extantes, ut habetur, *ex cit. l. certum est* 22. *ff. de rei vindicatione*, ibi: *Bonae fidei vero extantes*, cum similibus. Atqui fructus illi, ex quibus possessor bonae fidei factus est ditior, licet secundum se, ac substantiam suam sint consumpti, nihilominus adhuc extant, et perseverant in illo augmento, per quod possessor factus est ditior, ergo tale augmentum (deductis prius expensis) reddi debet vero Domino rei, cum quaelibet res Domino fructificet; Tum quia, « Nam hoc natura aequum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem », ut expresse dicitur *in l. Nam hoc naturae* 14. *ff. de condictione indebiti, et in l. Jure naturae* 206. *ff. De Regul. Juris*, ibi: « Jure naturae aequum est, neminem cum alterius detrimento, et injuria fieri locupletiorem »: *et c. Locupletari* 49. *de Regul. Juris in* 6. ibi: « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura »; Unde cum Leges dicant possessorem bonae fidei non obligari ad restitutionem hujusmodi fructuum, quando eos consumpsit, istud intelligendum est secundum hanc opinionem de iis fructibus, qui sic consumpti sunt,

ut neque in natura sua, neque in pretio suo ullatenus perseverent.

62 Multi autem alii satis probabiliter tenent, non obligari possessorem bonae fidei ad restituendos fructus industriales, et civiles ante litis contestationem consumptos, quamvis ex eis factus sit ditior. Sic Glossa *in l. Et ex diverso* 35. *de rei vindicatione, vers. De consumptis*, dicens expresse, quod bonae fidei possessor *de fructibus consumptis nullo modo tenetur, quia lucrifacit eos pro cultura, et cura*, et hujus Glossae doctrinae communiter acquiescere Doctores fatetur Bartolus *ibid.* §. *Sequitur in Glossa*, quamvis ipse postea teneat oppositum, Joannes Garcias *tom.* 17. *Tractatuum, tract. de expensis c.* 23. *n.* 40. Cynus in *l. Non est, Cod. Familiae Herciscundae*, Baldus *in l.* 2. *Cod. De usur. et fructib. legat.* Angelus, et Imola *in l. Sequitur* §. 1. *ff. de usurpationibus, et usucapionibus*, et plures alii, quos pro hac sententia citat Joann. Garcias *loc. cit.* et Sanchez *loc. c.* ubi appellat hanc sententiam valde probabilem, uti eam censent etiam Abbas *in cit. cap. Gravis n.* 7. Pontas *loc. cit. casu* 9. Reiffenstuel *loc. cit. nu.* 151. *et seq.* per text. *in l. Fructus percipiendo* 5. *ff. de usuris*, ibi: « Fructus percipiendo Uxor, vel Vir ex re sibi donata suos facit, illos tamen, quos suis operibus acquisierit (veluti serendo), nam, si pomum decerpserit, vel ex Silva caeciderit, non fit ejus, sicut nec cujuslibet bonae fidei possessoris, quia non ex facto ejus is fructus nascitur », quibus verbis satis evidenter videtur ostendi, quod possessor bonae fidei suos omnimode faciat fructus industriales, seu civiles, tamquam debitos ipsius industriae, labori, ac diligentiae; *Illos tamen quos suis operis acquisierit, veluti serendo.* Econtra autem suos non faciat fructus mere naturales, quia non sunt fructus de ejus labore, industria, ac diligentia, *Quia non ex facto ejus is fructus nascitur*; Item per textum *in* §. 35. *Instit. De rerum division.* ibi: « Si quis a non Domino, quem Dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliave qualibet justa causa aeque bona fide acceperit, naturali ratione placuit, fructus, quos percepit, ejus esse pro cultura, et cura; Et ideo si postea Dominus supervenerit, et fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest »; Quibus verbis satis indicatur naturali ratione possessorem bonae fidei sibi totaliter acquirere fructus industriales, seu civiles pro ejus erga ipsos adhibita cultura, et cura, nec eos debere restituere Domino comparenti, si ipsis consumptis, inde factus sit ditior; Et Leges numero antecedenti pro contraria opinione adductae, et aliae consimiles, quae videntur dicere possessorem bonae fidei teneri restituere id, in quo ex fructibus ante litis contestationem consumptis, factus est ditior, intelligendae sunt solum de fructibus naturalibus, et nullatenus de industrialibus, uti notat ipsamet Glossa in *cit.* §. 35. *Institut. de rerum divisione, verb. Fructus.*

Possessor partim bonae, partim malae fidei, si bona fide caepit, sed mala fide superveniente consumpsit, tenetur ex re accepta restituere pro tempore bonae fidei; sed a tempore malae fidei tenetur etiam ex injusta acceptione ad omnia damna: *Communis*, per textum *in l. Qui bona fide* 23. *ff. de acquirendo rerum dominio* §. 1. *cap. Si virgo* 5. *caus.* 34. *q.* 2. 63

Possessor partim bonae, partim malae fidei, qui prius mala fide possedit, et consumpsit partem rei mala fide possessae, et postea cum titulo apparenter justo bona fide consumpsit reliquum, si inde cognoscat, se verum Jus non habuisse, tenetur ex injusta acceptione ad restitutionem pro tempore malae fidei, et a tempore bonae fidei tenetur tantum ex re accepta, quia mala fides praecedens non fuit causa posterioris damni, seu consumptionis reliqui factae tempore bonae fidei, cum dicta mala fides fuerit jam purgata per hanc supervenientem bonam fidem; Unde nunc Dominus non patitur damnum ob iniquam perceptionem, sed ob consumptionem bona fide subsequutam, et sic in ordine ad posterius tempus bonae fidei idem est moraliter, ac si non praecessisset mala fides. 64

Qui prius percepit, et possedit mala fide, sed nihil consumpsit, nisi postquam supervenit bona fides, non tenetur restituere nisi ex re accepta quantum factus est ditior, quia influxus perceptionis, et possessionis iniquae in damnum Domini interruptus fuit per bonam fidem supervenientem, qua juste fructus illos retinuit, et inde consumpsit, quae bona fides, et justa retentio fuit causa, quod illi fructus consumerentur, et quod Dominus patiatur damnum non ex injusta perceptione, sed ex justa retentione, bona fide subsequuta. Unde, juxta dicta numero antecedenti, Dominus nunc non patitur damnum ob iniquam perceptionem, sed ob consumptionem bona fide subsequutam, adeoque etc. 65

Qui bona fide percepit fructus, si supervenit mala fides, antequam consumantur, vel quamdiu ex illis manet ditior, jam ex tunc tenetur restituere id totum Domino: Et si non restituat, tenebitur postea ratione injustae detentionis ad totum damnum inde vero Domino postea sequutum. 66

Successor possessoris malae fidei, si succedat ut haeres immediatus, et rem ab hoc acceptam consumst etiam bona fide, neque inde factus sit ditior, tenetur adhuc restituere ex injusta acceptione non sua, sed sui antecessoris rem, et fructus, et compensare omnia damna, et lucra cessantia ex mala fide antecessoris orta, quantum vires haereditatis patiuntur: Sic Afflict. *decis.* 240. *n.* 10. ubi refert, quemdam haeredem a Concilio Neapolitano condemnatum fuisse ad restitutionem fructuum ad exonerandam conscientiam defuncti: Fagnan. *l.* 2. *Decretal.* in *c. Gravis* 11. *de restitutione spoliator. a n.* 130. *ad* 134. cum Bartol. Abbat. Bero, Ruin. Socin. ibi citatis, et alii passim; Et ratio est, quia tunc bona fides haeredis non sibi prodest, quia cum succedat in jus omne Defuncti, et in omnibus ejus 67

personam repraesentet, ut *in Authent. de Jurejurand. a morient. praestit.* sequitur, ut succedat quoque in vitium, ac malam fidem Defuncti, quae propterea sibi etiam nocet, ut habetur *in* l. *Litigator* 2. *Cod. de fructibus, et litium expensis*, ubi postquam statutum est, possessorem post litem contestatam teneri de fructibus perceptis, et percipiendis, statim subjungitur: « Haeredis quoque succedentis in vitium par habenda fortuna est », et in l. *Cum heres* 11. *ff. De diversis temporalibus praescriptionibus*, ubi expresse habetur; « Cum haeres in jus omne Defuncti succedit, ignoratione sua Defuncti vitia non excludit »; et in fine subjungitur: « Neque enim recte defendetur, cum exordium ei bonae fidei ratio non tueatur »: et in terminis docet Glossa in *l. Sequitur §. Fructus, iu verb. Non fuerit, ff. De usurpationibus, et usucapionibus* reddens rationem, quia haeres vitiorum, et culpae Defuncti est successor: l. *Si ego emi* 11. *§. 2. ff. De publiciana in rem action. et cit. l. Cum haeres*
68 11. *ff. de diversis temporalibus praescript.* Et totum hoc etiam verum esse de haeredibus mediatis probabilius docent Lugo, et alii cum La Croix *lib.* 8. *part.* 3. *n.* 490.

69 Si successor possessoris malae fidei succedat ei, non ut haeres, sed alio nomine, v. g. ut Legatarius, Donatarius, emptor, et hujusmodi, non tenetur ex injusta acceptione, sed tantum ex re accepta. Si quis enim a malae fidei possessore emerit, aut dono acceperit bona fide, tunc talis bona fides in successore prodest ad fructuum acquisitionem, potestque ipse successor cum bona fide praescribere, quia non facit unam cum illo personam, et censetur succedere tantum in Juribus realibus, non autem in vitiis personalibus, unde non est inspiciendum exordium personae, a qua causam habuit, quia in illius vitium non succedit, ut colligitur *ex d.* l. *Si ego emi* 11. *§. 2. ff. de Publiciana in rem actione*, ubi textus constituit differentiam inter successorem singularem, et universalem, et ibi hoc tenuit Glossa *in verb. sed haeres*; Abbas in *cit. cap. Gravis* 11. *de restitut. spoliator. n.* 10. Bero *ibidem n.* 38. Fagnan. *ibidem n.* 135. Menoch. *de recuperand. possess. remed.* 15. *n.* 120. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 238. et alii passim.

70 Alis, Vide verb. *Dominium*, verb. *Contr. Empt.* verb. *Restitutio.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

71 Possessor bonae ne, an malae fidei praesumi debeat, utilis disquisitio est. Possessorem autem tametsi titulo destitutum bonae fidei esse praesumendum, si jus commune non contradicat, nec alius appareat antiquior possessor, communis est sententia, ut videre est apud Vasquium *controvers. illustr. lib.* 2. *cap.* 79. *n.* 15. *et cap.* 81. *n.* 8.

72 At Fachineus *controvers. jur. lib.* 8. *cap.* 42. communem hanc sententiam impugnat; tenetque bonae fidei possessorem praesumi eum haud posse, qui titulo careat; idque quia « omnes scire debent, quod suum non est, ad alios modis omnibus pertinere »; *l. ultim. C. Unde vi.*

De possessore autem bonae fidei notissima est 73
Regula illa juris: « Bona fides tantum possidenti praestat, quantum veritas, quoties Lex impedimento non est »; l. 135. *ff. de Reg. Jur.*

Et sane quidem par est bonae fidei possessoris, 74
et domini ratio in actionibus excipiendis, quae est et in actionibus exercendis. Amissa possessione, uti dominus rei vindicatione, ita et possessor bonae fidei Publiciana actione adversus tertium agit; *l.* 1. *ff. de Publician.*

Par ratio est, etsi de utilitate rei disseratur, 75
Possessor enim bonae fidei, non secus ac dominus, de re disponere potest, *L.* 25. *§.* 1. *ff. de usur. L.* 48. *ff. de Acquir. rerum domin. Si quis*
a non domino, Instit. de rer. divis. Immobilium de- 76
mum, sive possessor bonae fidei, sive dominus, judicio sisti, damnique infecti satisdare non cogitur: *L. penult. §.* 7. *ff. Qui satisd. cog. L.* 9. *§. penult. ff. de damn. infect.*

Modus vero huic exaequationi positus est ver- 77
bis illis: *Quoties lex impedimento non est.* Non una vero est Interpretum sententia de *hoc modo.* Vide eas apud Jacobum Gothotredum in *comment. ad hanc leg.* 137. *ff. de Regul. Jur.* qui ita de eo sentit: « Primo igitur (*inquit*) ponamus exemplum in Sen. Cons. Syloniano, eoque odioso: Ibi scilicet domini appellatio non continetur, qui servum bona fide possedit non magis, quam usumfructum habuit, *leg.* 1. *§.* 3. *de Senat. Consulto Sylonian.* Secundo ponamus in actione ex dicto de servo corrupto, quae utique bonae fidei possessori non competit, seu hoc edicto agere non potest, ut idem Ulpianus istud edictum interpretans definit. *leg.* 1. *de serv. corrupt.* quae potissimum species hic mihi placet una cum sequenti. Tertio ponamus, et in edicto *de Religiosis*, ad quod pertinent tres proxime sequentes Regulae, et de quo Paulus egit, lib. 27. Id edictum diserte domino dat actionem in eum, qui mortuum in locum alienum intulit, vel inferre curavit, non vero bonae fidei possessori; *l.* 2. *§.* 1. *de Religio.* ».

Sed nec male exemplum meo judicio in fructi- 78
bus poni potest. In fructuum enim ratione non semper bona fides tantum praestat, quantum veritas. Quare caute idem Jurisconsultus Paulus in *l.* 38. *ff. de acquirend. rer. dom.* scripsit: « Quod ad fructus attinet, bonae fidei emptorem loco domini PENE esse ».

Exempli grat. bonae fidei possessor restituere cogitur domino supervenienti fructus extantes, necdum consumptos. Sed, et quidquid Paulus addat itidem de fructibus naturalibus, Pomponius tamen in *leg.* 45. *ff. de usur.* at hos denegare videtur bonae fidei possessori.

Latissimus hic se offert campus disserendi de fruc- 79
tibus, quos suos facit bonae fidei possessor; Sed ne nimius sim, vide, qui rem pro dignitate tractant,

Stryk. in *usu modern. lib.* 6. *tit.* 1. §. 12. et *plur.*
seq. ubi de eo etiam discutit, an Judex possit ex
80 officio adjudicare fructus ab Auctore non petitos,
et Bohemer. *introduct. in jus digestor. lib.* 6. *tit.*
1. §. 11. *et seq.*
81 De possessore bonae fidei quoad recuperationem
impensarum, adi quoque Stryk. in *usu modern.*
Pandect. lib. 5. *tit.* 1. §. 16. *et seq.*

Et demum quando possessor bonae fidei, talis 82
esse desinat, tradit idem Stryk. in *usu modern.*
Pandect. lib. 9. *tit.* 5. §. 14.

POSTLIMINIUM

SUMMARIUM

1. Postliminium quid sit? — 2. Postliminii Jus non habet locum in Officiis minoribus Regularium — 3. Habet tamen locum in Praelaturis electivis, etiam si non sint perpetuae, sed ad certum tempus. — 4. Et de facto postliminium habet etiam locum in Officiis ad certum tempus solum duraturis, ut patet de Tutore, qui licet captus ab hostibus desinat esse Tutor, tamen reversus recipit tutelam Jure postliminii. — 5. Quo postliminii Jure quicumque reversus statum recuperat pristinum, et munia etiam civilia, et cuncta ei incolumis servantur. — 6. Postliminii Jus secundum Canones locum non habet quantum ad hoc, ut Christiani capti ab hostibus servi eorum efficiantur, sed bene quantum ad hoc, ut reversi a captivitate, omnia, quae habebant, recuperent. — 7. Et ad hoc datur casus Patris Joannis Cheron Provincialis Carmelitarum, qui a Turcis captus, ac postea liberatus, a Sacra Congregatione Episcopor. et Regular. jubetur in possessione provincialatus manuteneri, et ad liberum illius exercitium reintegrari, cassata alterius provincialis electione. — 8. Immo etiam secundum Leges Civiles capti a Piratis, vel Latronibus liberi permaneant, et retinent omnia Jura sua, nec est eis necessarium Postliminium.

1 Postliminium est Jus amissae rei recuperandae ab extraneo, et in statum pristinum restaurandae: *Sic in re Communis*, per textum in *l. Postliminium* 19. *ff. de captivis et postliminio reversis, et redemptis ab hostibus.*

2 Postliminii Jus non habet locum in Officiis minoribus Regularium, ad quae Regulares non assumuntur per electionem Canonicam, sed sunt Obedientiarii, et ad nutum Superiorum amovibiles: *Communis* per textum in *cap. Cum ad Monasterium* §. *Tales*, *vers. Nec alicui committatur aliq.*
3 *obedient. de statu Monachor.* Habet tamen locum Postliminii Jus in Praelaturis electivis, etiamsi non sint perpetuae, sed ad certum tempus, puta ad biennium, triennium, et sexennium, quia Praelati sic Canonice electi, eo tempore durante, Juris ordine non servato, et sine justa, et rationabili causa removeri non possunt; textu expresso *cap. Monachi* §. *Priores*, *de statu Monachorum.*

4 Et de facto Postliminium habet etiam locum in Officiis ad certum tempus solum duraturis, ut patet in Officio Tutelae; Licet enim Officium Tutoris non sit perpetuum, sed temporale, et finiatur pubertate; *ab hostibus* tamen reversus recipit tutelam Jure Postliminii, ut expresse dicitur in *Instit. de Atiliano Tutore*, §. *Ab hostibus*, ibi: « Nam reversus recipiebat Tutelam Jure Post-
5 liminii ». Quo Jure alia quoque omnia recuperat, ut ibi notat Glossa, *in verb. Jure Postliminii*, sicuti quilibet alius reversus ab hostibus, ut est textus expressus in *l. Postliminii* 5. *ff. de captivis, et postliminio*, §. 1. ibi: « Omnia restituuntur ei Jura, ac si captus ab hostibus non esset »; *l. Cum duae* 14. *ff. eodem*, ibi: « Cum duae species postliminii sint, ut aut nos revertamur, aut aliquod recipiamus, cum filius revertatur, duplicem in eo causam esse oportet postliminii, et quod pater eum reciperet, et ipse Jus suum », *l. Hostes*, 24. *eodem*, ibi; « Ab hostibus autem captus .... postliminio statum pristinum recuperat, et *Institut. Quibus modis Jus patriae potestatis solvitur*, §. *Si ab hostibus*: Unde et munia Civilia recuperat; *l. Liber captus* 17. *Cod. de Postliminio reversis*, *l. Libertus* 17. *ff. Ad municipalem*, §. 6. et incolumia cuncta ei servanda sunt; *l. Diversarum*, 20. *Cod. de Postliminio reversis*, *vers. Reddantur*, ibi: « Quibus Jure Postliminii etiam veterum responsis incolumia cuncta servanda sunt ».

Postliminii Jus secundum Canones locum non 6
habet quantum ad hoc, ut Christiani capti ab hostibus eorum servi efficiantur, ut erat cautum de Jure Civili, ut §. *Servi*, *Instit. de Jure personar.* sed bene quantum ad hoc, ut recuperent omnia, quae prius habebant, ut clare constat *ex cap. Prima actione*, 14. *caus.* 16. *q.* 4. *et cap. Cum per bellicam*, 1. *caus.* 34. *quaest.* 1. et tenent communiter Doctores, et sic semper fuit judicatum.
Et signanter in casu Patris Joannis Cheron Pro- 7
vincialis Carmelitarum Vasconiae, qui rediens a Capitulo Generali in Urbe celebrato, *die* 31. *Maii* 1648. fuit in Mari captus a Turcis, et cum Generalis Ordinis de illius captivitate certior factus fuisset, creavit Vicarium Provincialem, sed eo conquerente, quod Vicario nomine non posset Provinciam gubernare, et Regularis observantia multum periclitaretur, cumque nulla spes subesset redemptionis Patris Cheron, comitia Provincialia indixit, in quibus, *die* 8. *Maii* 1650. idem Vicarius in Provincialem electus est: sed *die* 16. *Aprilis immediate praecedentis* antiquus Provincialis praeter spem

redemptus Romam perrexit, et postulavit sibi reddi Provincialatum, sed, Generali renitente, recursum habuit ad Sanctissimum D. N. reque a Sanctitate sua ad Sacram Congregationem Episcop. et Regular. delata, tametsi nonnulli Regulares contenderent, electionem secundi Provincialis fuisse legitimam, nec Provincialem redemptum posse Provincialatum repetere, ut in specie P. Lezana in suis consultationibus, *consult.* 42. nihilominus Sacr. Congregat. mandavit Generali Ordinis, ut Patrem Cheron in possessione Provincialatus manuteneret, et ad liberum illius exercitium restitueret, et reintegraret, electionem novi Provincialis cum omnibus inde sequutis cassando, et annullando, contrariis non obstantibus. *Die* 12. *August.* 1650. Sic refert Fagnan. *lib.* 5. *Decretal. in cap. Per tuas*, 32. *de Simonia num.* 46.

Immo etiam secundum Leges Civiles, capti a Piratis, vel Latronibus liberi permanent, ut expresse habetur, in *cit leg. Postliminium*, 19. *ff. De Captivis, et Postliminio*, §. 2. ibi: *A Piratis, aut Latronibus capti, liberi permanent*, et ideo retinent omnia sua Jura, et postliminium non est illis necessarium, ut expresse dicit textus in *cit. l. Hostes*, 24. *ff. eodem*, ibi: Et ideo qui a Latronibus captus est, servus latronum non est, nec postliminium illi necessarium est. 8

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Num dictio juris postliminii, tum legis Corneliae hodie obtineat, vide apud Styk in *usu modern. Pandect. lib.* 49. *tit.* 15. §. 1. 9

POSTULATIO PRAELATORUM

SUMMARIUM

1. Postulatio proprie dicta, et qualam ad propositum quid sit? — 2. Postulatio est de persona aliquo impedimento, aut defectu laborante, ratione cujus non est eligibilis, ac propterea opus habet dispensatione. — 3. Postulatio potissimum differt ab Electione, quia Electio est personae habilis sine dispensatione ad Dignitatem; Postulatio autem est personae inhabilis sine dispensatione ad ipsam Dignitatem. — 4. Proinde Postulatio innititur Gratiae; Electio vero Juri, seu Justitiae. — 5. Postulatio est duplex, scilicet solemnis, et non solemnis; Et quae utraque sit? — 6. Postulare possunt omnes illi, qui possunt eligere. — 7. Postulari possunt, generatim loquendo, soli illi, qui propter aliquem dispensabilem Canonicum defectum eligi non possunt, et cum dispensatione habiles sunt ad promoveri. — 8. Duplex est defectus, seu inhabilitas, scilicet dispensabilis, et indispensabilis, et quan utraque sit? — 9. In postulatione oportet exprimere omnes hujusmodi defectus, seu inhabilitates, alioquin Postulatio erit irrita. — 10. Episcopus consecratus, immo solum confirmatus nequit eligi ad alium Episcopatum, sed solum potest postulari. — 11. Potest tamen eligi Episcopus nominatus, seu electus ante factam suam confirmationem. — 12. Item Episcopus, qui renuntiavit Episcopatui, eligi potest ad aliam Ecclesiam, nec debet postulari. — 13. Item Episcopi Titulares non sunt eligendi, sed postulandi, ut caeteri alii Episcopi. — 14. Item Cardinales Episcopi non possunt eligi ad alium Episcopatum, sed solum postulari. — 15. Cardinales autem non Episcopi, uti sunt Cardinales Presbyteri, et Diaconi, eligi possunt ad Episcopatum, non vero postulari postulatione solemni, quamvis debeant postulari postulatione non solemni, seu simplici. — 16. Praelati, aliique Clerici, et Religiosi Episcopo inferiores eligi possunt ad alterius Ecclesiae similem, seu superiorem Dignitatem, aut Praelaturam, et etiam ad Episcopatum; Dummodo accedat postulatio simplex, et non solemnis. — 17. Postulantes non possunt amplius variare postulationem, seu ab illa recedere, postquam postulatio est eorum subscriptionibus roborata, et Superiori jam praesentata. — 18. Possunt tamen postulantes variare Postulat., seu ab illa recedere, si Superior cum ipsis ad id consentiret, non obstante tali praesentat. facta, nec non contradictione postulati. — 19. Item postulantes possunt variare postulationem, seu ab illa recedere, quamvis jam fuerit publicata, vel etiam ad Superiorem destinata; Dummodo ipsi necdum actualiter fuerit praesentata. — 20. Immo possunt postulantes variare postulationem, seu ab illa recedere, quamvis talis postulatio jam fuerit ipsi postulato praesentata, et ab eo etiam praestitus conditionatus consensus; Dummodo necdum fuerit praesentata Superiori — 21. Non possunt tamen postulantes in foro conscientiae variare postulationem, seu ab illa recedere absque gravi, et justa causa, Unde si postulatus de consensu postulantium fecisset aliquas expensas, tenentur illi ad earum restitutionem. — 22. Postulantes ad Praelaturam scienter indignum, seu laborantem defectu indispensabili, pro ea vice sunt ipso Jure privati potestate postulandi, seu eligendi. — 23. Item ipso Jure sunt pro ea vice privati potestate postulandi, seu eligendi, qui postulationem vitio personae cassatam denuo innovare praesumunt. — 24. Postulantes ad Episcopatum minorem viginti septem annis saltem inceptis, aut Regularem cujusvis Ordinis Mendicantium non solum sunt ipso Jure privati pro ea vice potestate postulandi, et eligendi, sed etiam Beneficiis, quae obtinent in illa Ecclesia, ad quam postulant, suspensi per triennium declarantur. — 25. In similibus casibus, quando postulantes privati sunt ipso Jure potestate postulandi, et eligendi, ea potestas devolvitur ad alios Capitulares, licet numero pauciores, qui in tales indignas, seu defectuosas postulationes non consenserunt, sed expresse contradixerunt. — 26. Immo, si unus tantum e Capitularibus innocens supersit, aliis omnibus mortuis, vel privatis, ille solus Praelatum eligere, vel postulare poterit. — 27. Si postulatio non concurrat cum electione alterius in discordia, sed sola fiat, parte una Capitularium postulante unum, et parte altera postulante alium, tunc sufficit ad ejus validitatem, et ut admitti possit a Superiore, quod sit facta a majori parte Capituli, etiam penitus invita parte minori. — 28. Si autem postulatio concurrat cum electione alterius in discordia, idest, si una pars Capitularium unum postulet, at altera pars alium eligat, tunc requiritur, quod postulantium numerus sit duplo major, quam numerus eligentium. — 29. Si vero in concursu Electionis cum postulatione numerus postulantium non sit duplo major, tunc rejecta postulatione, electio ab alia parte, quamvis minore, celebrata valet, et confirmari debet; Dummodo haec pars Eligentium superat unum tertium omnium suffragantium saltem per unicum votum, et alioquin de Electus sit idoneus. — 30. Et de facto fuit sic no-

vissime observatum in Coloniensi. — 31. Postulatio fieri debet, et admitti potest ab eo Superiore, ad quem alias spectat Praelati confirmatio; Dummodo habeat potestatem dispensandi super impedimento, et defectu Electionis. — 32. Affertur exemplum de postulatione in meo Seraphico Franciscano Minorum de Observantia Ordine. — 33. Item generatim, si quis legitime postulatur ad aliquam Ecclesiam, seu Dignitatem Episcopatu inferiorem, talis postulatio admitti potest ab Episcopis, aliisque Praelatis, quibus competit potestas confirmandi Electos ad talem Ecclesiam, seu Dignitatem, et qui possunt dispensare super defectu, ob quem fit postulatio. — 34. Item postulatio unius Episcopi ad alium Episcopatum admitti potest a solo Summo Pontifice. — 35. Superior, absolute loquendo, non tenetur ex obligatione Justitiae stricte sumptae admittere postulationem, etiamsi sit facta a Capitularibus unanimiter de persona idonea, sed potest postulationem rejicere absque cujusque injuria. — 36. Tenetur tamen Superior ex debito sui Officii admittere postulationem rite celebratam, et factam ob urgentem necessitatem, vel magnam utilitatem Ecclesiae. — 37. Unde, si Praelatus inferior habens potestatem dispensandi in defectu, seu impedimento, dictam legitimam postulationem rejiciat, et nolit admittere, possunt postulantes Superioris Praelati Officium implorare, ut recusantem compellat admittere. — 38. Postulantes tenentur postulationem praesentare postulato quam citius commode poterunt; Et si ipsi fuerint negligentes, non praesentando infra octo dies, puniuntur, ut Electores. — 39. Postulatus autem post factam sibi praesentationem postulationis, tenetur intra mensem, si velit acceptare Praelaturam, praestare consensum conditionatum. — 40. Pro facienda postulatione solemni tutius est observare formam scrutinii. — 41. Nihilominus non est absolute necessarium pro postulatione facienda observare dictam formam scrutinii. — 42. Pro facienda postulatione invalidae sunt sequentes formulae, nempe *Eligo Postulando, et Postulo Eligendo*, aut *Eligo postulandum, seu postulo*. — 43. Item invalidae sunt istae; *Eligo in postulandum, vel postulo eligendum*. — 44. Item invalida est etiam ista. *Eligo*, et *Postulo, pro ut potest melius de Jure valere*. — 45. Excipitur tamen casus, quando probabiliter dubitatur, utrum quis sit Eligendus, vel potius Postulandus. — 46. Affertur notabilis advertentia. — 47. Postulatus consensum praestare debet intra mensem post praesentationem sibi factam. — 48. Alia ad rem, remissive.

1 Postulatio proprie dicta, et quantum ad propositum, est alicujus personae ad Praelaturam, seu Dignitatem Ecclesiasticam erga Superiorem directa petitio, ut eam dispensative admittere dignetur. *Est in re Communis*; Un-
2 de, ut vides, Postulatio est de persona aliquo impedimento, aut defectu laborante, ratione cujus non est eligibilis; ac propterea opus habet dispensatione, ut si quis non sit procreatus de legitimo Matrimonio, *cap. Innotuit. 20. de electione*, vel quia non habet legitimam aetatem, aut similem defectum patiatur, quem Superior non tenetur dispensative admittere ex Justitia, sed solum ad dispensandum cum eo, atque ad ejus admissionem concedendam quandoque movetur ex Gratia, *cap. Bonae memoriae 3. de Postulatione Praelatorum*, et Glossa *ibi, verb. Gratia*.

3 Hinc Postulatio potissimum differt ab Electione, quia Electio est personae habilis sine dispensatione ad Dignitatem, ut patet ex ejus definitione tradita sub verb. *Electio art. 3. num. 3.* Postulatio vero est personae aliquo defectu, vel impedimento laborantis, ratione cujus non est eligibilis sine dispensatione; Ac proinde Postulatio innititur Gratiae, Electio Juri, ut notat Glossa communiter recepta in *cap. Unico verb. Eligo postulando, de Postulatione Praelat. in 6.* Postulatio enim nullum tribuit jus Postulato, utpote ex aliquo defectu inhabili, quem Superior non tenetur dispensative admittere ex Justitia, sed solum ex Gratia, *cap. Bonae memoriae 3. de Postulatione Praelatorum*, juncta Glossa *ibidem verb. Gratia*. Electio autem, si sit canonice celebrata, et ab Electo acceptata, tribuit Jus ipsi Electo ad Praelaturam, seu Dignitatem, et ei, si dignus, et idoneus sit, ut supponitur, ex Justitia debetur, *cap. Postquam 3. de electione*, et docet communiter recepta Glossa *ad Rubricam tituli de Postulatione Praelatorum in 6.*

Postulatio est duplex, scilicet solemnis, et non 5
solemnis. Postulatio solemnis est, quando postulatur quis ab eo Superiore, qui potest in impedimento, seu defectu Postulati dispensare, et de hac procedit tradita superius definitio Postulationis: Postulatio *non solemnis*, seu simplex est, quando quis postulatur ab eo Superiore, qui non potest dispensare super impedimento, seu defectu Postulati, sed solum licentiam, seu consensum concedere potest ad Postulati promotionem, ex quo Postulatus subsit ejus jurisdictioni, nec possit sine ejus licentia, aut consensu promoveri; ut si Religiosus a Capitulo, seu Canonicis eligatur in Episcopum, debet simpliciter, seu non solenniter postulari a suo Praelato, seu Superiore Regulari pro habenda ejus licentia, ut Religiosus electus, seu eligendus possit in sui electionem consentire, et sic transire de Monasterio ad Episcopatum, quod sine dicta sui Superioris licentia, seu consensu Religiosus nullimode potest, *cap. Si Religiosus 27. cap. Si Abbatem 36. de election. in 6.*

Postulare possunt omnes illi, qui possunt eligere, 6
Communis per tex. in *cap. Ad haec 1. §. Licet, de Postulat. Praelator. cap. Bonae memoriae 3. §. Mandantes, tit. eod. cap. Bonae memoriae 4. §. Caeterum, tit. eod. cap. Innotuit 20. de electione*, ubi electio, et postulatio quo ad Jus suffragandi aequiparantur, et qui eligere possunt, etiam postulare permittuntur

Postulari possunt, generatim loquendo, soli illi, 7
qui propter aliquem dispensabilem Canonicum defectum eligi non possunt, et cum dispensatione habiles sunt ad promoveri: *Communis*, per textum, in *cap. Unico de Postulatione Praelatorum in 6.* Postulatio enim est inventa in subsidium Electio-

nis, ut sic illi, qui secundum Canones eligi non possunt, saltem postulari, atque ex Superioris Gratia dispensative promoveri valeant, quando caeteroquin Ecclesiae utiles esse futuri dignoscuntur; unde quando potest fieri Electio, nequit fieri Postulatio, cum haec duo sibi invicem adversentur; *cap. Unic. de Postulat. Praelat.* in 6. *et ibi* Glossa communiter recepta *in verb. Eligo Postulando.*

8 Dicitur autem notanter *propter aliquem dispensabilem Canonicum defectum eligi non possunt*, quia duplex datur defectus, seu inhabilitas, scilicet dispensabilis, et indispensabilis: Defectus, seu inhabilitas *dispensabilis* est ille, seu illa, in quo, seu in qua Superior potest, et solet dispensare, ut est defectus natalium in illegitime natis, *cap. Innotuit* 20. *de electione*; Item defectus Sacri Ordinis ad Praelaturam requisiti, *cap. Dudum* 22. *de electione;* Item defectus aetatis, *Extravag. Unic. de Postulation. Praelator.* Vinculum etiam alterius Episcopatus, *cap. Etsi unanimiter* 6. *de Postulat. Praelatorum*, et hujusmodi alii defectus dispensabiles, qui non impediunt, quominus Postulatus possit cum utilitate, et aedificatione populi praefici, et Praelati munus obire, de quibus late Joan. Andreas *in cit. cap. Etsi unanimiter* 6. *de Postulatione Praelatorum n.* 4. *et seq.* Defectus, seu inhabilitas indispensabilis est ille, seu illa, in quo, seu in qua Superior non potest, vel non solet dispensare ad Praelaturam obtinendam, ut est morum infamia, Haeresis, insordescentia in Excommunicatione, suspensione, seu interdicto, ut *in cap. Ad haec* 1. *de Postulatione Praelatorum;* Item si defectus, seu inhabilitas sit talis, in quo, seu in qua dispensari non solet, ut si quis sit bigamus, spurius, aut ex damnato coitu procreatus, ut colligitur *ex cap. Nisi cum pridem* 10. *§. Personae vero. de renunciat.*

9 In Postulatione ad Superiorem directa oportet exprimere omnes hujusmodi defectus, seu inhabilitates, etsi dispensabiles in Postulato existentes; alioquin Postulatio erit irrita, ut colligitur ex *citat. cap. Innotuit* 20. *de electione;* Si enim taceatur unus solus defectus, dispensatio veluti subreptitia corruit in totum, *arg. cap.* 1. *de aetat. et et qualitat. in* 6. et tenent Doctores communiter.

10 Episcopus consecratus, immo Episcopus solum confirmatus, licet nondum consecratus, nequit eligi ad alium Episcopatum, sed solum potest postulari: *Communis* per textum expressum *in cit. cap. Etsi unanimiter* 6. *de Postulatione Praelatorum* ibi: « Cum eligi nullo jure potuerit, sed potius postulari »: Episcopus enim, licet solum confirmatus, cum contraxerit spirituale Matrimonium cum sua Ecclesia, *cap. Inter corporalia* 2. *cap. Licet* 4. *de translatione Episcopi*, non potest ad aliam Ecclesiam sine Papae auctoritate transferri, aut propria temeritate transire; *cap. Cum ex illo* 1. *cap. Inter corporalia* 2. *cap. Quanto* 3. *cap. Licet* 4. *de translatione Episcopi.* Potest tamen e- 11
ligi Episcopus nominatus, seu electus ante factam suam confirmationem; quia licet faedus conjugii spiritualis inter Episcopum, et Ecclesiam in electione sit initiatum, adhuc tamen nondum est ratum, seu perfecte contractum, cum ratum primo fiat in ejus confirmatione; per textum *in cit. cap. Licet* 4. *de translatione Episcopi.* Item Episcopus, 12
qui renunciavit Episcopatui, eligi potest ad aliam Episcopalem Ecclesiam, nec debet postulari, quia talis non est amplius alligatus alicui Ecclesiae, cum vinculum prioris Ecclesiae per renunciationem legitime factam, et acceptatam, sit jam penitus dissolutum. *Communis.*

De Episcopis Titularibus est pariformiter di- 13
scurrendum, ac de caeteris aliis Episcopis; Unde dicti Episcopi Titulares non sunt eligendi, sed postulandi, uti alii Episcopi, cum sint veri Episcopi, sicuti alii, *arg. cap. Legimus §. Ubicumque dist.* 93. *cap. Pastoralis* 7. *quaest.* 1. cum similibus, et etiam inter ipsos, et Ecclesias, ad quas consecrantur, intercedat faedus conjugii spiritualis: *cap. Inter corporalia* 2. *de translatione Episcopi*; adeoque dispositio loquens simpliciter de Episcopis comprehendat etiam Episcopos Titulares; quia ubi eadem ratio, eadem est Legis dispositio, *l. Illud, ff. Ad legem Aquiliam, et cit. cap. Inter corporalia* 2. *de translatione Episcopi.* (*)

Item per eamdem rationem Cardinales Episco- 14
pi non possunt eligi ad alium Episcopatum, sed solum postulari, cum hoc generale sit de omnibus, et singulis Episcopis per superius dicta. *Communis.*

Cardinales autem non Episcopi, uti sunt Cardi- 15
nales Presbyteri, et Diaconi, possunt eligi ad Episcopatum, non vero postulari Postulatione solemni, quamvis debeant postulari Postulatione non solemni, seu simplici pro obtinenda licentia Papae, ut possint discedere a Curia Romana, et e suis respective Titulis, et transire ad sibi destinatos

(*) Negat tamen Episcopos titulares postulari debere Georgius Chrystophorus Neller in dissertatione *de postulatione Praelatorum* apud Antonium Schonidt T. II. *Thesauri Ecclesiastici Juris pag.* 744. quia Titularis Episcopus non est *actu*, neque *habitu* suae desponsatus Ecclesiae, utpote quae *non ens est*, neque scit aliquid de Titulari Episcopo, multo minus in eum consentit: non intelligitur autem conjugium sine sponsa *existente, sciente, consentiente.* Neque locus desponsatur cum Episcopo, sed *Ecclesia* viva, quae est in tali loco, ut sumitur ex *cap* 21. *de elect.* Unde est tantum *desponsatus potentia, destinatione, et effectu suo*, et Romani Pontificis; neutiquam *actu*, vel *effectu.* Sola autem providentia, et destinatio Papae non facit spirituale conjugium, ne dicamus, hoc contrahi mox cum quacumque Ecclesia, cui, etiam renitenti, Papa praeficeret Episcopum. Fatemur equidem, Episcopos titulares esse *veros Episcopos, vere consecratos, dignitate Episcopis actualibus pares, habere votum decisivum in Concilio generali:* negamus, eos esse *in vero spirituali conjugio*, cum careant *Clero, et Subditis Christianis*, ut loquitur *Clem.* 5. *de elect.*, adeoque sponsa. Postulationis autem necessitatem non inducit *veritas Ordinis, et caracteris Episcopalis*, sed *veritatis Conjugii spiritualis.*

Episcopalus; Ita Abbas, Panormit. *in c. Cum Ecclesia vestra* 57. *de electione num.* 15. Fagnan. *in cap. Bonae memoriae* 3. *de postulatione Praelatorum num.* 18. Pirhing. *lib.* 1. *Decretal. tit.* 5 *n.* 11. Reiffenstuel *ibidem num.* 56. et alii passim, per textum *in cap. Ecclesia vestra* 57. *de electione*, ubi legitur quemdam Presbyterum Cardinalem fuisse electum in Episcopum; Et ratio est, quia in Cardinalibus non Episcopis cessat ratio spiritualis conjugii, ob quod Episcopi non possunt eligi, sed solum postulari ad alium Episcopatum; Unde Doctores dicentes, Cardinales non Episcopos postulandos esse ad Episcopatum, per textum *in cit. cap. Bonae memoriae* 3. *de postulatione Praelatorum*, intelligendi sunt, sicuti et ipse textus *cap. Bonae memoriae* de Postulatione simplici, et minus solemni, quae reipsa est Electio; Quam postulationem simplicem, et minus solemnem esse necessariam in Electione Cardinalium non Episcoporum ad Episcopatum, et nos ultro fatemur, ut patet supra in conclusione, cum Cardinales habeant alas ligatas, nec possint sine licentia Papae discedere ab Ecclesia Romana, et sui Tituli, ubi residere tenentur; *cap.* 2. *Ex gestis, de Clericis non residentibus*, et si moniti non resideant, seu discessi non redeant ad residentiam, privandi sunt, ut de facto fuit privatus Cardinalis Anastasius a Leone IV. in Concilio Romano, prout refertur *in cit. capit. Ex gestis*, ibi: « In Synodo Anastasius Presbyter Cardinalis Tituli Beati Marcelli ab omnibus Canonice est depositus: eo quod Parochiam suam per annos quinque contra Canonum instituta deseruit, et in alienis usque hodie demoratur ».

16 Praelati, aliique Clerici, et Religiosi Episcopo inferiores eligi possunt ad alterius Ecclesiae similem, seu superiorem dignitatem, aut Praelaturam, et etiam ad Episcopatum; Dummodo accedat Postulatio simplex, et non solemnis, seu licentia suorum respective Superiorum: *Communis*, per textum *in cap. Cum inter* 21. *cap. Dudum* 12. *de electione, cap. Si Religiosus*, 27. *cap. Nullus* 28. *cap. Si Abbatem* 36. *de electione* in 6. Dicti enim Sacri Canones, aliique similes permittunt, ut alii Praelati, et Clerici, seu Religiosi Episcopo inferiores ad alias Dignitates, seu Praelaturas, et etiam ad Episcopatus eligi possint: Dummodo accedat licentia, seu consensus suorum respective Superiorum, sine qua, vel sine quo in electionem de se factam nequeunt consentire: *c. Quorumdam* 24. *c. Si Religiosus* 27. *de electione in* 6.

17 Postulantes non possunt amplius variare postulationem, seu ab illa recedere, postquam postulatio est eorum subscriptionibus roborata, et Superiori, v. gr. Papae, est jam tradita, seu praesentata: *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Bonae memoriae* 4. *de postulatione Praelatorum* §. *Nec obstabat*, ibi: « Si enim postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur, et praesentatur Summo Pontifici approbanda, possent ab ea recedere postulantes » Nobis (inquit Innocentius III. Papa) frequenter illuderent, et judicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur ».

18 Possent tamen postulantes variare postulationem, seu ab illa recedere, si Superior cum ipsis ad id consentiret, non obstante tali Praesentatione facta, nec non contradictione postulati; *arg. cit. cap. Bonae memoriae* 4. *de postulat. Praelat.* ac notant Abbas *ibid num.* 12. Fagnan. *ib. n.* 50. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *ib.* 1. *Decretal. tit.* 5. *num* 21. et alii passim, quia tunc cessaret ratio illudendi Superiori, nec postulatus haberet, unde juste conquereretur, cum nullum adhuc esset ipsi jus quaesitum.

19 Item Postulantes possunt variare postulationem, seu ab illa recedere, quamvis jam fuerit publicata, vel etiam ad Superiorem destinata; Dummodo ipsi actualiter, nec dum fuerit tradita, vel praesentata; Colligitur *ex cit. cap. Bonae memoriae* 4. §. *Nec obstabat, de postulat. Praelatorum*, et tenent *ibi* Abbas *num.* 11. Barbosa *ibidem numer.* 14. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *loc. cit. num.* 14. et alii passim; Per dictam rationem, quod postulatus non habet, unde juste conqueratur, cum per dictam postulationem, nullum adhuc jus acquisierit ratione suae inhabilitatis nondum a Superiore dispensatae.

20 Immo per eamdem rationem possunt Postulantes variare postulationem, seu ab illa recedere, quamvis talis postulatio fuerit jam ipsi postulato praesentata, et ab eo jam praestitus fuerit conditionatus consensus; si tamen necdum fuerit praesentata, et tradita Superiori: Engel. *lib.* 1. *Decretal. tit.* 5. *num.* 4. Reiffenstuel *ibid. num.* 18. Passerinus *c.* 24. *de election. q.* 9. *num.* 17. Baldus *in c. Postulationem* 5. *de postulat. Praelat. num.* 2. Insuper addens hoc ipsum esse verum, quamvis promiserint, se non variaturos.

21 Non possunt tamen in foro conscientiae postulantes variare postulationem, seu ab illa recedere absque gravi, et justa causa, quia talis variatio, seu recessio, ultram quam quod solet parere graves discordias, et inimicitias, cedit in praejudicium honoris, et reputationis postulati, habetque in se contumeliam, *arg. l. Si vero* §. *final. ff. Qui satis dare cogantur*, et notant Baldus *in cap. Publicato* 58. *de electione num.* 19. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 19. Passerin. *loc. cit. q.* 9. *num.* 19. *et* 20. recte addens, quod si postulatus de consensu postulantium fecerit aliquas expensas, teneantur ad earum restitutionem, si sic injuste varient postulationem, cum sit penitus illicitum variare, seu mutare cum alterius detrimento, *cap. Mutare* 33. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Mutare quis consilium non potest in alterius detrimentum.*

22 Postulantes ad Praelaturas scienter indignum, seu laborantem defectu indispensabili, pro ea vice sunt ipso Jure privati potestate postulandi, seu eligendi: *Communis*, per textum *in cap. Ad haec* 1. §. *Licet, de postulatione Praelator. cap. Gra-*

tum. 2. *eod. cap. Scriptum est* 40. §. *Si vero, de electione*, cum similibus.

23 Item ipso Jure sunt pro ea vice privati potestate postulandi, seu eligendi, qui Postulationem vitio personae cassatam, denuo innovare praesumunt: *Communis*, textu expresso *in c. Gratum* 2. *de postulatione Praelator.*

24 Postulantes ad Episcopatum minorem viginti septem annis saltem inceptis, aut Regularem cujusvis Ordinis Mendicantium, non solum sunt ipso jure privati pro ea vice potestate postulandi, et eligendi, sed etiam Beneficiis, quae obtinent in illa Ecclesia, ad quam illum postulant, suspensi per triennium declarantur: *Communis*, textu expresso *in Extravag. Unica*, *de postulatione Praelat. inter communes.*

25 In similibus casibus, quando postulantes privati sunt ipso jure potestate postulandi, et eligendi, ea potestas devolvitur ad alios Capitulares licet numero pauciores, qui in tales indignas, seu defectuosas postulationes non consenserunt, sed expresse contradixerunt: *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Gratum* 2, *de postulatione Praelator.* et concordat. *cap. Bonae memoriae* 3. *et cap. Cum*
26 *Vintoniensis* 25. *de electione.* Immo si unus tantum e Capitularibus innocens supersit, aliis omnibus mortuis, vel privatis, ille solus Praelatum eligere, vel postulare poterit, ut tradit Glossa communiter recepta *in cit. cap. Gratum, verb. pauciores*, et habetur clare *ex l. Sicut* 7. *ff Quod cujuscumque Universitatis nomine* §. 2. ubi statuitur, quod jus, et nomen Universitatis stet, et conservetur etiam in uno, ibi: « Cum jus omnium in unum recideret, et stet nomen Universitatis ». Gloss. *ib. verb. Nomen Universitatis, et Communis Doctorum.* Vide verb. *Electio art.* 2. *num.* 5. *et ar.* 4. *a num.* 23. *ad* 25.

27 Si Postulatio non concurrat cum electione elterius in discordia, sed sola fiat, parte una Capitularium postulante unum, et parte altera postulante alium, tunc sufficit ad ejus validitatem, et ut admitti possit a Superiore, quod sit facta a majori parte Capituli, etiam penitus invita parte minori: Abbas *in cap. Bonae memoriae* 3. *de Postulatione Praelatorum num.* 12. Layman *ibid. num.* 5. Pirbing *l.* 1. *Decretal. tit.* 5. *num.* 18. Reiffenstuel *ibidem num.* 22. et alii passim; Et ratio est, quia ordinarie ad gesta Capituli sufficit, quod concurrat major pars Capitularium suffragantium, per textum *in cap. Cum in cunctis* 1. *De his, quae fiunt a majori parte Capituli*, *cap. Bonae memoriae* 3. *de Postulat. Praelator. cap. Dudum* 22. *cap. Auditis* 29. *cap. Coram* 35. *cap. Quia propter* 42. *cap. Ecclesia* 48. *cap. Cumana* 50. *In Genesi* 55. *de electione*, *cap. Quoniam* 3. *de jurepatronat. cap. Hoc ipsum* 11. *caus.* 33. *q.* 2. *et l. Quod major, ff. Ad municipalem.*

28 Si autem Postuletio concurrat cum Electione alterius in discordia, idest si una pars Capitularium unum postulet, et eitera pars alium eligat, tunc requiritur, quod Postulantium numerus sit duplo major, quam numerus Eligentium, ita ut duae partes, seu duae tertiae Capitularium in Postulationem Personae idoneae concurrant, seu consentiant, quibus duabus partibus concurrentibus, admittitur Postulatio unius, et rejicitur Electio alterius: *Communis*, textu expresso *in cap. Scriptum est* 40. §. *Et si partes*, *de electione*, juncto ejus Summario, in quo sic praecise habetur, ibi: « Si postulatio cum electione concurrit, et numerus Postulantium est duplo major, et Postulatus est idoneus, Postulatio admittitur, rejecta electione.

Si vero in concursu Electionis cum Postulatio- 29
ne, numerus Postulantium non sit duplo major, tunc, rejecta Postulatione, Electio ab alia parte, quamvis minore, celebrata valet, et confirmari debet; Dummodo haec pars Eligentium superet unam tertiam omnium suffragantium, saltem per unicum votum, et aliunde Electus sit idoneus. Colligitur clare *ex cit. c. Scriptum est* 40. *de Electione*, ubi postquam Papa decrevit, quod, rejecta Electione, admittetur Postulatio, si Postulantium numerus fuerit duplo major Eligentium, statim *in* §. *Quod si*, subjungit, oppositum esse observandum, quando Postulantium numerus non reperiretur duplo major, neque Eligentes excederent unam tertiam saltem per unum votum, ibi: « Quod si ad faciendum duplo majorem numerum simul omnes praedicti (*scilicet Postulantes*) minime sufficerent, sive dignus, sive indignus fuerit postulatus; tunc, postuletione repulsa, Electionem Plebeni auctoritate nostra confirmes: Dummodo nihil obsistat eidem, quod tanto praesulatu reddat indignum »; Et sic tenent *in d. cap. Scriptum est*, Innocentius, et Abbas *num.* 13. *et* 14. Barbosa *ib. num.* 1. Hostiensis *in Summa, de postulat. Praelator. num.* 13. §. *final.* Reiffenstuel *lib.* 1. *decretal. tit.* 6. *n.* 154.
et alii plures; et de facto fuit sic novissime obser- 30
vatum in famosa Controversia inter Serenissimum Josephum Clementem e Ducibus Bavariae, et Eminentissimum Cardinalem de Furstemberg, Episcopum Argentinensem pro Electione, et Postulatione de eis respective facta ad Archiepiscopatum Coloniensem *de ann.* 1688. Cum enim dictus Serenissimus, et Reverendissimus Princeps, Josephus Clemens Episcopus tunc Frisingensis, et Ratisbonensis (obtento prius eligibilitatis suae Indulto Apostolico) ex convenientibus viginti quatuor Capitularibus per novem vota electus fuisset in Archiepiscopum Coloniensem, ejusdem Electio per Sacram Congregationem Rebus Consistorialibus praepositam fuit tamquam Canonica, et legitime declarata *die* 15. *Septem.* 1688. et per summum Pontificem Innocentium XI. confirmata fuit *die* 20. *Septembris ejusdem anni* 1688. non obstante concursu Postulationis, per quam dictus Eminentissimus Cardinalis de Furstemberg Epicopus Argentinensis tredecim votis (nam alia duo vota dispersa erant) ad praedictum Archiepiscopa-

tum postulatus fuisset: quae Postulatio, omnibus mature perpensis, et luculenter discussis, fuit rejecta, et repulsa tum a dicta Sacra Congregatione, tum a praefato Summo Pontifice, ut videre est apud P. Justum Redn. *tom.* 1. *Operis Canonico-Politici tit.* 2. *sect.* 4. nu. 133. ubi litteram refert, et Decretum Sacrae Congregationis, et Breve Summi Pontificis, et late per totum dictum articulum secundum refert integre praefatam celebrem Controversiam digno *ibi* animadvertendam.

31 Postulatio fieri debet, et admitti potest ab eo Superiore, ad quem alias spectat Praelati confirmatio, dummodo habeat potestatem dispensandi super impedimento, et defectu Electionis; nam admissio Postulationis vim confirmationis habet:
32 *Communis.* Sic in meo Seraphico Franciscano Minorum de Observantia Ordine, si pro una Provincia, et alia per Provinciale Capitulum legitime celebratum postuletur Pater aliquis in Ministrum Provincialem, cujus alias Electio irrita esset, et nulla ob Canonicum Extraneitatis impedimentum juxta nostra statuta per Summum Pontificem approbata *cap.* 8. §. 37. *num.* 3. admissio hujus Postulationis pertinet ad Ministrum Generalem, cum ad eumdem pertineat confirmatio Electionum Provincialium: *Clementin. Exivi, de verbor. significatione*; Et ita est discurrendum pariformiter de aliis Regularibus habentibus consimiles quo ad hoc Constitutiones.

33 Item generatim, si quis legitime postuletur ad aliquam Ecclesiam, seu Dignitatem Episcopatu inferiorem, talis postulatio admitti potest ab Episcopis, aliisque Praelatis, quibus competit potestas confirmandi electos ad talem Ecclesiam, seu dignitatem, et qui possunt dispensare super defectu, ob quem fit Postulatio; nam qui dispensare non potest, nec potest postulationem admittere, cum in illa requiratur dispensatio, ut patet ex ejus definitione tradita *n.* 1. et declaratione data *n.* 2. Unde si minor 20. annis juxta *cap. permittimus Unic. de aetat. et qualitat. in* 6. vel minor 22. annis juxta Concil. Trid. *sess.* 24. *cap* 11. *de reform.* ad dignitatem, cui Cura animarum non est annexa, v. g. Decanatum, Archidiaconatum, fuerit postulatus, non potest Episcopus talem Postulationem admittere, quin ipse non potest dispensare in defectu aetatis jure communi Canonico requisitae ad Ordines, vel Beneficia, ut desumitur clare *ex citato cap. permittimus, unic. de aetat. et qualitat.* in 6. et Concil. Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 2. *de Reform.*

34 Item Postulatio unius Episcopi ad alium Episcopatum admitti potest a solo Summo Pontifice, cum cessio, et translatio Episcoporum numeretur inter causas majores, seu graviores, quae soli Summo Pontifici sunt reservatae; *cap. Quod translationem* 4. *de Offic. Legat. cap. Majores* 3. *de Baptismo*, *cap. Ut debitus* 59. *in fine*, *de appellation. cap. Cum ex illo* 1, *de translatione Episcop.* cum similibus.

Superior, absolute loquendo, non tenetur ex obligatione justitiae stricte sumptae admittere Postulationem, etiamsi sit facta a Capitularibus unanimiter de persona idonea, sed potest Postulationem rejicere absque cujusquam injuria; Colligitur clare *ex cap. Bonae memoriae* 3. *de postulatione praelatorum*, *vers. Attendentes*, ibi: « Cum enim quando aliquis ab aliis unanimiter postulatur, ad admittendam postulationem eorum, non tam ex justitia, quam ex Gratia moveatur », scilicet Apostolica Sedes, et *ex cap. postulationem* 5. *tit. eodem*, ibi: « Licet ergo per postulationem hujusmodi nullum jus sit alicui acquisitum, ideoque sine praejudicio alicujus postulationem potuissemus repellere memoratam ». Sic tenent Glossa *in cit. cap. Bonae memoriae verb. Gratia*; Hostiens. *in Summa de postulatione praelator. num.* 12. Gregor. Tolosan. *tract. de election. cap.* 2. *num.* 11. Piringh. *lib.* 1. *Decretal. tit.* 5. *num.* 15. Justus Redn. *tom.* 1. *Oper. Canonico-Politic. tit.* 2. *numer.* 129. et alii contra alios. Et ratio nostrae Conclusionis est, quia tota admissio Postulationis nititur Gratiae Superioris, ut patet *ex cit. cap. Bonae memoriae* 3. *de postulatione Praelator. ubi subjungitur: Non tam ex justitia, quam ex Gratia*, et concordat. *cit. cap. postulationem* 5. *cit. eodem*, ubi dicitur, quod « per postulationem hujusmodi nullum Jus sit alicui acquisitum, ideoque sine praejudicio alicujus postulatio possit repelli »; adeoque etc. Tum quia admissio Postulationis continet dispensationem, cum in Postulato semper sit impedimentum, seu inhabilitas ad Praelaturam obtinendam, in quo, seu in qua Superior dispensare debet: Atqui omnis dispensatio Superioris in impedimento, vel inhabilitate, non ex justitiae debito proprie, sed ex Gratia procedit, cum jure inhabilis ad rem aliquam non habeat jus exigendi illam tamquam sibi debitam, *cap. Litteras* 14. *dist.* 63. ergo per Postulationem nullum acquiritur jus Postulato, et consequenter nulla etiam illi irrogatur injuria, seu praejudicium, etiamsi repellatur quaevis Postulatio a Superiore; adeoque Superior non tenetur ex debito justitiae stricte illam admittere, cum nemo invitus de suo cogatur facere beneficium, textu expresso *in capit. Precariae* 4. *caus.* 10. *quaestion.* 2. 35

Quamvis tamen non teneatur Superior admittere talem Postulationem, ut dicebatur, absolute loquendo, et ex obligatione justitiae stricte sumptae; Tamen ex debito sui Officii tenetur Superior admittere Postulationem, rite celebratam, et factam ob urgentem necessitatem, vel magnam utilitatem Ecclesiae, v. g. si Postulatus esset necessarius, vel valde utilis Ecclesiae, seu bono communi, et hujusmodi; Glossa notabilis *in cap. Cupientes* §. *Denique*, *verb. Gratia*, *de election. in* 6. id a simili probans *ex l.* 1. §. *penult. ff. de aqua quotid.* alia Glossa *in cap. Ut constituetur* 25. *verb. Detrahendum*, *dist.* 50. Abbas *in cap. postulationem* 5. *de postulatione praelator. nu.* 2. post 36

Joan. Andream, et Hostiensem *in capit. Cum ad Monasterium, de electione.* Alexander *consil.* 80. *num.* 12. *l.* 1. Fagnan. *in cit. cap. Bonae memoriae* 3. *de Postulatione Praelator. num.* 66. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 5. *sub nu.* 15. Reiffenstuel *ibid. num.* 72. Justus Redn. *loc. cit. num.* 131. et alii passim; Et ratio est, quia Superior ex vi sui Officii tenetur necessitatibus, et utilitatibus commissae sibi Ecclesiae, et boni communis providere, et non impedire; Et si ad id quandoque necessaria sit aliqua dispensatio propter urgentem, justamque rationem, atque majorem utilitatem, erit ab ipso concedenda; Concil. Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 18. ibi: « Quod si urgens justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum »; ergo Superinr in dictis casibus tenetur talem postulationem dispensative admittere, alias si ipsam non admitteret, injustitiam committeret contra Ecclesiam, ut videtur colligi ex *cap. Postulationem* 5. *in fin. de Postulatione Praelator.* ubi Pontifex quo ad controversam Postulationem, citat ad sui praesentiam utramque contendentem partem sic concludens; *Quatenus* (utraque parte praesente) *quod justum fuerit, decernamus;* Superior enim Ecclesiae sibi commissae omni meliori modo ex justitia mutua providere tenetur, *c. Ne pro defectu* 41. *de election.* Immo Superior non admittendo talem legitimam Postulationem, ultra injuriam, quam faceret Postulantibus, faceret injuriam etiam ipsi Postulato, si aliunde, ut supponitur, idoneus esset, *arg. cap. Pastoralis* 29. *de Jurepatron.* ubi Episcopus condemnatur ad providendum de Beneficio competenti, Clerico praesentato legitime a Patronis, et ab ipso injuste repulso, ibi: « Verumtamen constituimus, ut Episcopus, qui praesentatum idoneum malitiose recusavit admittere, ad providendum eidem in competenti Beneficio compellatur, quatenus puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse ».

37 Unde si Praelatus inferior habens potestatem dispensandi in defectu, seu impedimento, dictam legitimam Postulationem rejiciat, et nolit admittere, possunt Postulantes Superioris Praelati Officium implorare, ut recusantem compellat admittere; Glossa *in cit. cap. Bonae memoriae* 3. *de Postulatione Praelator. verb. Gratia*, Layman *ib. n.* 7. Abbas *ib. n.* 13. Pirhing *loc. citat. sub. n.* 16. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 73. et alii.

38 Postulantes tenentur Postulationem praesentare Postulato quam citius commode poterunt; Et si fuerint negligentes, non praesentando infra octo dies, puniuntur, ut Electores: colligitur *ex cap. Quam sit Ecclesiis* 6. *de election. in* 6. *et cap. Cupientes* 16. §. *Ceterum*, *et* §. *Denique eod. in* 6. et Glossa *in d.* §. *Denique. verb. Consensum*, ubi sic expresse habet: « Et si Postulantes negligentes fuerint in praesentando, punientur ut electores »; Electores autem sub gravissimis poenis statutis *in cit. cap. Cupientes* 16. *de election.* in 6. §. *Ceterum*, tenentur Electum praesentare infra octo dies, postquam commode poterunt, ibi: « Ceterum si Eligentes Electiones ipsas concorditer, vel in discordia celebratas infra octo dies, postquam commoda poterunt, Electum praesentare distulerint, ipsos, qui culpabiles in hoc extiterint etc. ».

39 Postulatus autem post factam sibi Praesentationem Postulationis tenetur intra mensem, si velit acceptare Praelaturam, praestare consensum conditionatum, aut saltem dicere, quod non dissentiat, sed in hoc voluntati Domini Papae se submittat, *arg. cit. c. Quam sit Ecclesiis* §. *Electus*, ibi: *Intra mensem a tempore praesentationis*, *et cit. cap. Cupientes* 16. *de election.* in 6. §. 1. ibi: *Infra unum mensem*, *et* §. *Denique*, ibi: *Si non dissenserint*, et Glossa *ib. verb. Consensum*, ubi sic expresse habet: « Episcopus postulatus ad Ecclesiam sic debet respondere: nec consentio, nec dissentio; sed in hoc me voluntati Domini Papae suppono »; *c. Ad hoc*, *c. in Scripturis* 9. *caus.* 8. *q.* 1. ibi: *quod infra mensem facere debet.*

40 Pro facienda Postulatione solemni tutius, seu securius est observare formam scrutinii, qualis pro facienda Electione praescribitur *in cap. Quia propter* 42. *de electione.* Cum enim Abbas Panormitan. in *cit. cap. Quia propter* 42. *de Electione nu.* 9. *qu.* 2. Innocentius *in cap. In causis* 30. *de election.* Gregor. Tholosan. *tract. de elect. cap.* 2. *n.* 11. Baldus *ad Rubricam de election. num.* 4. Layman *in qq. de Praelat. election. q.* 80. et varii alii teneant, etiam in solemni Postulatione necessario observandam esse dictam formam scrutinii, tutius est illam observare: *arg. cap. Si quis autem* 4. *de Poenitent. dist.* 7. ubi ex verbis S. Augustini dicitur: *Ergo tene certum, dimitte incertum.*

41 Nihilominus non esse absolute necessarium pro Postulatione facienda observare dictam formam Scrutinii tenent Hostiensis *in Summa tit. de Postulation. nu.* 10. Fagn. *in cap. Publicato nu.* 50. *de election.* Franchus *in cap. Unico. n.* 3. *de Postulat. in* 6. Layman *ib. n.* 5. Sylvester verb. *Postulatio quaest.* 1. Passerinus *cit. c.* 24. *quaest.* 5. *num.* 9. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 5. *num.* 59. *et seq.* et alii plures; Et ratio est, quia si eadem forma Scrutinii requireretur ad Postulationem, sicuti ad Electionem, sequeretur, quod sicuti publicato Scrutinio, non possunt variare Electores, ita nec possent variare Pustulantes; hoc autem est falsum, ut patet ex dictis *supra num.* 19. *et* 20. adeoque etc. Tum quia nullibi in Jure reperitur expresse requisita talis forma Scrutinii pro facienda Postulatione, sicuti pro facienda Electione reperitur expresse requisita *in cit. cap. Quia propter, de elect.* Et jure merito requiritur pro Electione, et non pro Postulatione, quia per Electionem acquiritur Jus Electo, *c. Postquam* 2. *de election.* cum similibus; per Postulationem autem

nullum Jus acquiritur Postulato; *cap. Bonae memoriae* 3. *et cap. Postulationem* 5. *de Postulatione Praelatorum* per verba adducta *supra num.* 35. Unde non mirum, quod pro Electione requirantur majores solemnitates, quam pro Postulatione; sicuti ad testamentum, quia perfectior est actus, requiruntur plures solemnitates, quam ad Codicillum, utpote actum minus perfectum, adeoque etc.

42 Pro facienda Postulatione prohibitae sunt, et reprobatae a Jure Canonico sequentes formulae nempe: « *Eligo Postulando*, *et Postulo Eligendo*, aut *Eligo Postulandum*, *seu Postulo Eligendum;* Sic textu expresso *in cap. Unic. de Postulatione Praelatorum in* 6. addita *ibi* hac ratione, « cum nec vera Electio, nec vera Postulatio resultet ex ipsis, quin sibi potius invicem adversentur ». Item

43 reprobantur istae formulae: *Eligo in postulandum, vel Postulo in Eligendum*, textu expresso *in citat. cap. Unico*, addita *ibi* hac ratione: *Cum rem imperfectam significare noscantur*. Item reprobatur

44 etiam ista formula: *Eligo, et Postulo, prout potest melius de Jure valere*, textu expresso *ibidem*, addita hac ratione: *Cum incertitudinem contineat.*

Excipitur tamen casus, quando « probabiliter dubitatur, utrum quis sit eligendus, vel potius postulandus, quo casu is, qui sic Postulatus fuerit, et electus, consensus tempore, viam Electionis, vel Postulationis, ne incerto vagetur, eligere necessario teneatur, redeundi ad aliam (postquam unam elegerit) sibi licentia penitus interdicta ». Sic praecise Bonif. VIII. *in c. c. Unic., de Postul. Praelat. in* 6. 45

Ubi, ut vides, in tali casu debet sic Postulatus, seu Electus tempore consensus, eligere viam electionis, vel postulationis, ne vagetur in incerto; Et una harum electa, non poterit redire ad alteram, idest, si elegerit viam Elect., non poterit amplius redire ad viam postulat., et si elegerit viam postulat, non poterit amplius redire ad viam election. 46

Consensum autem praestare debet intra mensem post praesentionem sibi factam, ex citatis Juribus, et Gloss. *supra n.* 39. addita Glos. *in cit. c. Unico, de Postul. Prael.* in 6. *verb. Consensus*, ubi sic expresse dicit: « Quem infra mensem post praesentationem sibi factam exhibere tenetur ». 47

Alia ad rem. Vide verb. *Episcopus art.* 2. *et* 2. 48

PRAEBENDA

SUMMARIUM

1. Praebenda suppressa, ut fructus assignentur Theologo, qui legat, et praedicet, Clerico saeculari, et non Regulari assignandi sunt. — 2. Praebenda, quae mutat statum, et de diaconali effecta est Presbiteralis, debet gerere habitum Presbyteralem, non autem diaconalem. — 3. Praebenda presbyterali vacante, poterit Episcopus eam conferre illi, qui diaconalem, seu subdiaconalem habet etc. — 4. Praebenda in mensibus reservatis sedi Apostolicae vacans non potest erigi in Praebendam Poenitentialem. — 5. Praebenda post Concilium primo vacans, si non fuit in Poenitentialem erecta, potest optari; sed si ante optionem Episcopus erexit, erectio praevalet, etiamsi postea optaretur.

1 Praebenda suppressa, ut fructus assignentur Theologo, qui legat, et praedicet, Clerico Saeculari, et non Regulari assignandi sunt; *Sacra Congr. Rituum in Ilerden.* 15. *Novembr.* 1502. quam refert Sellius, *in Selectis Canon. cap.* 52. *nu.* 11. et Barbosa *in Summ. Apostolic. Decision.* Verb. *Praebenda n.* 1.

2 Praebenda, quae mutat statum, et de Diaconali effecta est Presbyteralis, debet gerere habitum Praesbyteralem, non autem Diaconalem: *Sacra Congr. Rit. in Januen.* 24. *Martii* 1612 teste Sellio *d. cap.* 42. *num.* 12. Barbosa *loc. cit. num.* 3.

3 Praebenda Praesbiterali vacante, poterit Episcopus eam conferre illi, qui Diaconalem, seu Subdiaconalem habet, et has uni, qui aetatem habeat pro his obtinendis: *Sacr. Congr. Conc.* penes Nic. Garc. *de Ben. pag.* 7. *cap.* 4. *num.* 26. Barbos. *loc. cit. num.* 3.

Praebenda in mensibus reservatis Sedi Apostolicae vacans non potest erigi in Praebendam Poenitentialem: *Sacra Congreg. Conc.* apud Nicol. Garc. *de Benefic. p.* 5. *cap.* 4. *num.* 127. Barbos. *loc. cit. num.* 5. 4

Praebenda post Concilium primo vacans, si non fuit in Poenitentialem erecta, potest optari, sed si ante optionem Episcopus erexit, erectio praevalet, etiamsi postea optaretur, *Sacr. Congr. Conc.* apud Nicol. Garc. *de Benefic. part.* 5. *c.* 4. *num.* 129. et apud Barb. in *d. Summ. Apost. decis. verb. Praebenda n.* 4. (*). 5

(1) T. III. *Thesauri Jur. Eccl.* ab Antonio Schmidt collecti extat p. 224. seq. erudita ipsius collectoris Schmidt dissertatio *de varietate Praebendarum in Ecclesiis Germanicis*, ubi multa habes apud nos minus obvia, *c.* 6 de Praebendis *Protestanticis*, itemque *c.* 7. de praebendis *Laicis*, quarum aliquae Imperatorum beneficio, hodieque per *Litteras* dictas *panis*, *panis* a Laicis obtinentur. Agitur ibi etiam de Praebendis Regiis. Verum cum hujusmodi Praebendas *Regias* appellari nonnulli vel ex, quod Reges, et Imperatores in praecipuis olim Ecclesiis ipsi in numerum Canonicorum adlecti fuerint, ut Reges Hispaniae, et Angliae, atque Imperatores in Italia quoque nostra, ut in Romanis Basilicis

PRÆBENDA THEOLOGALIS ET POENITENTIALIS

SUMMARIUM

1 Praebendae Theologalis ad erectionem requiritur actualis deputatio, et ideo si in provisione Praebendae non fuit facta actualis deputatio, non potest provisus compelli obire munus lecturae; *Sacr. Congreg. Conc.* teste Nicol. Garc. *de Benefic. p.* 5. *cap.* 4. *num.* 155. et apud Barbos. *in Summ. Apostol. decis. verb. Praebenda Theologalis num.* 1.

2 Praebendae Theologalis erectio locum non habet in ea, quae vigore statuti a sequenti Canonico optatur, sed illa Praebenda, quam dimittere Canonicus novissime optat, huic muneri unita, et affecta remaneat; *Sacr. Congr. Concil. in Savonen.* 6. *Junii* 1592. penes Nicol. Garc. *in addit. ad suum tract. de Benefic. part.* 5. *cap.* 4. *nu.* 130. et Barbosa *loc. cit. num.* 2.

3 Praebendae Theologalis deputatio non habet locum in Ecclesiis Regularibus, ubi Ecclesiae non sunt distinctae, nec Ecclesiae numeratae, prout est Ecclesia Cathedralis Pampilonensis, sed cogendi sunt Monachi, ut provideant de Lectore idoneo Theologiae, qui publice legat, non solum ipsis Monachis, sed omnibus aliis audire volentibus: *Sacr. Congreg. Conc. in Pampilon.* 9. *Septemb.* 1753. apud Barb. *loc. cit. num.* 3.

4 Praebendae Theologalis collatio erectae post Concilium spectat ad eum, ad quem ante Concilium spectabat, scilicet ad Capitulum, et institutio ad Episcopum: *Sacra Cong. Conc. in Toletana* 24. *Septembris* 1592. apud Barbosam *loc. cit. n.* 5.

5 Praebenda Theologalis Ecclesiae Cathedralis conferri Reguleri non potest: *Sacr. Congr. Episcop. et Regul.* 28. *Jun.* 1583. quam refert Sell. *in Select. Canon. c.* 16. *n.* 42.

6 Praebendam Theologalem habens diebus, quibus legit, habendus est tamquam praesens in Choro, non modo pro illis Horis Matutinis, et Missa solemni, sed etiam pro tota die, ac distributiones quotidianas percipere debet: *Sacra Congr. Conc.* testibus Armendar. *in addit. ad recop. legum Navarrae lib.* 2. *tit.* 23. *l.* 2. §. 2. *de resident. Can. n.* 68. Nicol. Garg. *de Benefic. par.* 3. *cap.* 2. *n.* 218. apud Barb. *l. c. n.* 6.

Praebendam Theologalem obtinens, si legere ullo modo nolit, poterit Episcopus illum cogere comminationibus poenarum, sequestrationibus fructuum, assignatione portionis de iisdem fructibus alteri, qui ipsius loco legat: demum, crescente contumacia, ad alias poenas etiam privationis devenire poterit, factaque privatione ad corroborandum Concilii Decretum Episcopus declarare debet, talem Praebendam, et Canonicatum affectum fuisse, et esse ex Concilio pro Sacrae Scripturae Lectore: tunc eligat personam idoneam, quae id munus per se ipsam exequi valeat, et illi per Ordinarium Collatorem hujusmodi Praebenda conferatur: *Sacr. Cong. Concil. in Majoricen.* apud Sellium in *Sel. Can. cap.* 8. *n.* 12. ec. Barb. *loc. cit. n.* 7. 7

Praebenda Theologalis non est Dignitas, et ideo primum locum eam obtinens relinquere debet antiquioribus Canonicis: *Sacr. Congreg. Conc. in Mediol.* apud Barb. *loc. cit. n.* 8. 8

Praebenda optari non potest, quae fuit erecta, et deputata in Theologalem pro Theologo a sequenti Canon. *Sac. Cong. Conc.* teste Nicol. Garc. *de Benefic. p.* 5. *c.* 4. *n.* 132. 9

Praebenda tam Theologi, quam Poenitentiarii, etiam postquam est effectum sortita, non subjacet optioni: *Sacr. Congr. Conc.* 12. *Februar.* 1601. quam cit. Nicol. Garcia, *de Benefic. in addit. p.* 5. *cap.* 4. *n.* 132. 10

S. Joannis, et S. Petri Henricus VII. a. 1311., et Carolus V. a 1530. conferri poterit Tomo V. ejusdem *Thesauri Schmittidiani pag.* 89. Nellari dissertatio *de Imperatoribus Praebendatis, et Regiis*, de quibus tamen a. 1738 egerat Buderus in *historia Canonicatuum Imperialium, Regumque Germaniae, sive Praebendae Regiae.*

11 Praebendam Theologalem obtinens non est admittendus ad Jus optandi competens Canonicis: *Sacr. Congr. Conc.* quam adducit Nicol. Garc. *in add. ad p.* 5. *c.* 4. *n.* 134.

12 Praebendam Theologalem obtinens non potest illam dimittere, et aliam optare ad instar aliorum Canonicorum: *Sac. Cong. Conc. die* 7. *Jun.* 1601. apud Barbosam *loc. cit. n.* 12.

13 Praebenda Theologalis, vel Poenitentiarii, sicut non potest ab aliquo Canonico optari, cum detur per electionem, praevio examine, ita Theologus, vel Poenitentiarius non est admittendus ad Jus optandi: *Sac. Cong. Conc. die* 12. *Febr.* 1601. quam refert Sell. *d. cap.* 8. *n.* 13.

14 Praebenda Theologalis, dum vacat, potest Episcopus fructus applicare alicui personae, quae suppleat munus legendi: *Sacr. Cong. Episcop. et Regul. in Camer.* 8. *Febr.* 1594. penes Sellium, *d. cap.* 8. *n.* 15. et Barb. *loc. c. n.* 14.

15 Poenitentiarium providere de prima Praebenda non est in optione Episcopi, licet ratione Curae Animarum videatur esse magis necessarium, sed potius de ipso providere debet prius Theologum propter verba Concilii *sess.* 5. *cap.* 1. *de reform.* Verum si magis expediens in aliquo loco particulari fuerit judicatum, ut prius de Poenitentiario provideatur, habenda est confirmatio a Sede Apostolica ad omnem difficultatem tollendam: *Sacr. Congreg. Conc. in Civitatis Castellanae* 17. *Novembr.* 1629. quam refert Sellius *in Select. Canon. c.* 26. *n.* 40.

16 Collatio Praebendae unlendae Officio Poenitentiarii ab illis fieri debet, ad quos antea spectabat: Unde si continget in mense Apostolico Officii Poenitentiarii, et unitae Praebendae vacatio, vel alias Praebenda esset reservata, vel effecta, electio personae hujusmodi Poenitentiarii pertinet ad Papam: *Sacr. Congr. Conc.* teste Nicol. Garcia *de Benefic. par.* 5. *c.* 4. *n.* 144.

17 Alia ad rem; Vide Tom. II. verb. *Canonicus*, *Art.* 1. 2. 4.

ADDITIONES CASINENSES

18 Sub v. *Canonicatus, Canonicus* h. Ferrarianae Biblioth. art. IX. *de Canonico Theologo*, *Poenitentiario etc.* in additionibus ex aliena manu, sub n. 123. traditur sequens doctrina: « electio perso» nae (ad Canonicatum Theologalem * *idem videre*» *tur de Canonic. Poenitent.* *) post dictam Consti» tutionem (nempe Constitut. Benedicti XIII. in» cip. *Pastoralis Officii*) non amplius pertinet ad » Episcopum, sed *ad ipsos examinatores*, ut resol» vit Sacra Congregatio Concilii interpres in *Sa*» *lernitana Canonicatus Poenitentiarii* 1. *septemb.* » 1753 ».

Sed quidquid sit de hujusmodi Resolutione, quae revera, attentis particularibus circumstantiis, edita fuit, ut videre est in Tomo 22. *Thesaur. Resolut. S. C. Concil.* pag. 35. 38. 51. nunc ex ejusdem Sacr. Congregationis Concilii oraculo illud utique tenendum est, in supramemoratis Canonicatibus (Theologali, et Poenitent.) conferendis, idem jus esse Episcopo, ac in Ecclesiarum Parochialium provisione, nempe eligendi quem caeteris magis *idoneum* inter adprobatos ab examinatoribus judicaverit. 19

Et quamvis in cit. Constit. praelaud. Bened. XIII. haec habeantur: « volumus, ut praebendae » Theologales (*id. dic de Canonicatu Poenitentiali*, » *ut ex* d. *Const. in fine* *)... conferri semper de» beant *magis idoneo*, in formali concursu ab exa» minatoribus *renunciato* »; non ita tamen haec verba accipienda sunt, ac si in hujusmodi praebendar. Theologal. vel Poenitent. provisione, praeter judicium approbationis, jus etiam sit examinatoribus decernere *comparative* super majori approbatorum idoneitate: quod judicium unice ad Episcopum spectare, quippe *qui prae omnibus instructus* praesumitur de moribus, et vita Gregis sibi commissi, ex Ecclesiasticae disciplinae regulis haud indubie colligas licet. Id quod non obscure ex eadem cit. Constit. eruitur; siquidem post modo relata verba *magis idoneo.. ab examinatoribus renunciato*, statim ibidem subjungitur, *eodem plane modo, quo Parochiales Ecclesiae conferuntur*; ita ut concindi bene posse videatur, Pontificis mentem fuisse, ut eadem Episcopi potestate pollerent in Parochiarum, ac in Canonicatum memoratorum provisione. 20

Et revera *in Aversana Canonicatus Poenitentiarii* 21. *Decembris* 1829, ad dubium: « An Episcopus » polleat jure eum eligendi ad praebendam Theo» logalem, et Poenitent. quem ipse inter appro» batos in formali concursu digniorem judicave» rit: seu potius *illum* eligere teneatur, quem ma» gis idoneum in eodem concursu examinatores » renunciaverint »: *Sacra Congregatio Concilii respondit*, AFFIRMATIVE *ad primam partem*, NEGATIVE *ad secundam*. 21

Adeo ut exinde sancitum undequaque fuerit jus Episcopi eligendi inter approbatos, qui magis idoneus ad Praebendam, vel Theologalem, vel Poenitentialem, non secus ac in collatione Parochiarum, ab ipso fuerit agnitus, ac judicatus. 22

Id quod in animadversionem supra relatae doctrinae sub antedic. n. 123. cit. Art. IX. v. *Canonicatus etc.* dictum sit.

PRAECEDENTIA

SUMMARIUM

1. Episcopus brevi manu, summarie, et de plano componere potest Praecedentiarum controversias in Processionibus, et Funeralibus exortas. — 2. Dignioribus semper danda est praecedentia. — 3. Episcopi praecedunt inter se secundum tempus Electionis, seu provisionis. — 4. Episcoporum in Conciliis Provincialibus praecedentia statuitur juxta tempus Ordinationis, non secundum Dignitatem Ecclesiarum. — 5. Canonici Ecclesiae Cathedralis praecedunt Canonicis Collegiatae. — 6. Canonicis Ecclesiae Cathedralis danda est praecedentia in Processionibus, et Funeralibus. — 7. Canonici Collegiatarum an habeant praecedentiam supra Collegium Parochorum ? — 8. Parochi Ecclesiarum quomodo inter se praecedant. — 9. Clero Saeculari supra Regulares praecedentia debetur. — 10. Sacerdotes ex antianitate Ordinis, non ex gradu Doctoratus, inter se praecedunt. — 11. Antianitatis praecedentia inter ejusdem, et non diversi Ordinis Milites servanda. — 12. Balivi Capitulares, et Milites magnae Crucis Religionis Hierosolymitanae inter se praecedunt per antianitatem. — 13. Advocatorum Consistorialium praecedentia ante alios Advocatos Rom. Curiae. — 14. Canonicorum Saecularium Ecclesiae Lateran. praecedentia est ante Canonicos Basilicae S. Petri. — 15. Canonici S. Georgii in Alga praecedunt Canonicis Cong. Lateran. — 16. Canonici Regulares Lateran. praecedunt Monachis Casinensibus — 17. Fratres Praedicatores praecedunt aliis Fratribus Mendicantibus, et non Mendicantibus. — 18. Praecedentia inter Regulares in Territorio Romano servanda est sicut in ipsa Urbe. — 19. Monachi praecedentiam servant juxta Bullam Gregorii XIII. — 20 Cistercienses reformati praecedant Mendicantibus. — 21. Fratres Mendicantes semper, et ubique tribuere debent praecedentiam Monachis. — 22. Fratres Minores de observantia praecedunt Fratribus Minoribus Conventualibus. — 23. Fratres Observantes, et Tertiarii S. Francisci praecedunt inter se juxta Bullam Greg. XIII. — 24. Praecedentia inter simplices Presbyteros debetur antianis, nisi Presbyteri Minores suppleant vices, et munus Parochi. — 25. Prothonotarius ratione hujus Dignitatis non praecedit in Choro, et functionibus aliis presbyteris antianis, quamvis in Ecclesia non adsint distributiones. — 26. Declara quatenus non incedat in Habitu prothonotarii. — 27. In Processionibus, quae fiunt cum interventu Capituli Cathedralis, Beneficiati illius praecedunt supra Parochos. — 28. Praecedentia, quae debetur parochis perpetuis, debetur etiam Curatis amovibilibus. — 29. Quod procedit etiam in eorum substitutis, et subrogatis. — 30. Praecedentia inter Regulares utriusque sexus incipit a die professionis, non Habitus, non obstante quolibet praetexto, et contraria consuetudine. — 31. Si duo profiterentur eodem prorsus temporis momento, et eodem quoque tempore fuissent vestiti, data paritate professionis, praecedit qui prius acceptatus fuit, licet in eodem Capitulo. — 32. Etiamsi professio facta fuisset in alio Monasterio. — 33. Licet quis cedere vellet Juri suo. — 34 Non obstante qualibet contraria consuetudine, quae declaratur abusus. — 35. Qui professionem nulliter emissam ratificavit, nonnisi a tempore ratificatae professionis praecedentiam metitur. — 36. Ex gratia concessa fuit praecedentia a Sacra Congregatione a die completi anni Novitiatus, dum per Novitiam non steterat, quominus professionem emitteret. — 37. Praecedentia in professis ante tempus bona fine incipit a fine 16. annorum. — 38. In Laicis factis Clericis per Breve incipit a die professionis Clericatis. — 39. In Novitiis, durante Novitiatu, praecedentia desumitur a die Habitus. — 40. Novitii Clerici in Ordine Minorum de Observantia non praecedunt Laicos professos; Bene vero in Ordine Minimorum, et aliis. — 41. Clerici, et Choristae praecedunt Conversis, licet professione antiquioribus. — 42. Clerici Religionis Ministrantium infirmis, in quibusvis actibus, Laicis ejusdem Ordinis etiam antiquioribus professione praeferuntur. — 43. Praecedentia Fratribus Minoribus de Observantia de una ad aliam provinciam incorporatis debetur a die incorporationis; Quod currit etiamsi Religiosus incorporatus in alia Provincia denuo redeat ad suam primam, ibique, ubi primo Habitum sumpserat, reincorporetur. — 44. Regulares inter se praecedunt secundum ordinem praescriptum in Bulla Gregorii XIII. quae quoatum ad praesens hic affertur. — 45. Insuper affertur ad hoc alia consimilis Constitutio Urbani VIII. Confirmans Decreta Sac. Congregationis, utpote ad mentem dictae Constitutionis Gregorii XIII. — 46. Constitutio Gregorii comprehendit etiam PP. Ordin. Praedicatorum. — 47. Item comprehendit etiam Monachos. — 48. Regulares Conventus de recenti fundati in loco, quo adest alter ejusdem Ordinis Conventus, gaudent eadem praecedentia, qua gaudent Fratres illius antiquioris sui Ordinis Conventus. — 49. Et hoc non solum, quando Fratres modernioris Conventus incedunt simul sub cruce antiquioris Conventus, sed etiam quando incedunt soli sub propria Cruce. — 50. Item Regulares succedentes de recenti in Conventum eis cessum ab aliis Religiosis ejusdem Ordinis gaudent praecedentia, qua super alios gaudebant Religiosi primo ipsum inhabitantes. — 51. Religiosi diversorum Conventuum ejusdem Ordinis praecedunt inter se justa anterioritatem Conventuum: Minores tamen de Observantia ubique, et in omnibus gaudent praecedentia super Reformatos. — 52. Regulares Conventus conato, seu violentia Turcarum, aut Haereticorum, vel hostili furore suppressi, et postea ipsis restituti, gaudent pristina praecedentia, et recuperant omnia primaeva Jura. — 53. Secus autem, si fuerit motu proprio Papae suppressus, et postea ex mera gratia a S. Sede restitutus, nisi in Litteris Pontificiis aliud exprimatur. — 54. Regulares in processionibus incedunt post Confraternitates Laicorum. — 55. Regulares in Suburbiis, et territorio Romano servant praecedentiam sicut in ipsa Urbe — 56. Clerum Saecularem in processionibus antire debent Regulares, nec cum eo possunt mixtim incedere. — 57. Praecedentiam praetendere non possunt Regulares super Parochum Regularem quando inter alios Parochos praecedit in processionibus. — 58. Clero Saeculari in processionibus digniorem locum cedere debent Regulares, licet prior Regularium deferat Reliquiam: Praecedentia enim debetur solis Regularibus paratis. — 59. Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Episcoporum, *remissive*. — 60. Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Vicarii Generalis, *remissive*. — 61. Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Canonicorum, *remissive*. — 62. Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Coadjutorum, *remissive*. — 63. Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Vicarii Foranei, *remissive*. — 64. Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Confraternitatum, *remissive*. — 65. Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Magistratuum, *remissive* — 66 Quoad ea, quae concernunt praecedentiam generatim, *remissive*. — 67. Assignatur, quibus danda sit praecedentia in Disputationibus publicis. — 68. Canonici Clerici, ubi praebendae non sunt distinctae in presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales, cum promoventur ad Sacerdotium, non recuperant praecedentiam, quam prius cesserant Canonicis Presbyteris possessione posterioribus. — 69. Canonici Collegiatae in omnibus praecedunt Parochis etiam Ecclesiae Matricis.

— 70. Quae praecedentia debeatur Missionariis de Observantia pro Sanctis Locis, et aliis? *remissive.* — 71. Canonici Regulares Lateran. praecedunt omnibus Regularibus in processionibus. — 72. Affertur Dispositio Innocentii XIII. quoad praecedentiam inter Clericos et Laicos Reformatos, et Tertii Ordinis.— 73. Alia ad rem cum addit. ex alien. man. *ad num.* 96.

1 Praecedentiarum Controversias in Funeralibus, et Processionibus componere potest Episcopus brevi manu, summarie, et de plano, ac sine strepitu, et figura Judicii: *Sac. Congregatio Conc.* testibus Franc. Leone *in Thesaur. Fori Eccles. part.* 1. *cap.* 8. *n.* 18. Campan. *in diversorio Juris Can. rub.* 12. *cap.* 13. *n.* 120. Armend. *in addit. ad recop. Legum Navarrae lib.* 1. *tit.* 14. *l.* 24. §. 31. *de process. n.* 10. Modern. Hisp. *de Regia protect. tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 9. *nu.* 15. Lezana *in summ. qu. Regul. tom.* 3. *verb. Episcopus quoad Regulares nu.* 13. et Barbosa *in Summ. Apostol. dec. verb. Praecedentia n.* 1.

2 Praecedentia semper Dignioribus danda est: *Sac. Cong. Rit. in Sancti Severini* 1. *Sept.* 1607. quam refert Sellius *in Selectis Canon. cap.* 47. *n.* 5. et Barbosa *loc. cit. n.* 2.

3 Praecedentia inter Episcopos nulla alia ratione regulatur, nisi electionis, seu provisionis, ut qui prius electus, seu provisus fuit de aliquo Episcopatu, alteri postea electo, seu promoto praecedat: *Sacra Congregatio Rituum in Segobien.* 31. *Martii* 1609. penes Sellium *d. cap.* 46. *n.* 6. Et de praecedentia inter Episcopos, et Prothonotarios participantes, Pius II. Const. 4. incip. *Cum servare*, *pridie Id. Jun.* 1459. apud Laert. Cherub. *in Bullar. tom.* 1. *p.* 316.

4 Praecedentia Episcoporum in Conciliis Provincialibus statuenda est juxta tempus Ordinationis, non autem secundum Dignitatem Ecclesiarum: *Sacra Congregatio Conc. die* 9. *Aprilis* 1595. referente Sellio *d. cap.* 46. *n.* 7. et Barbosa *l. c. n.* 4.

5 Praecedentia semper debetur Canonicis Ecclesiae Cathedralis supra Canonicos Ecclesiae Collegiatae, etiam in associandis Funeribus propriae ipsius Collegiatae Parochiae: *Sacr. Congr. Rit. in Praenestina Cavarum* 28. *Aug.* 1618. de qua Aldan. *in Compendio Canon. res. lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 3. et Barbosa loc. *cit. n.* 5.

6 Praecedentia in Processionibus, et Funeralibus danda est Canonicis Ecclesiae Cathedralis: *Sacra Congregatio Rit. in Ripana* 30. *Julii* 1616. apud Aldan. *dict. tit.* 6. *n.* 4. et Barbosa loc. *cit. n.* 6.

7 Praecedentia debetur Canonicis Ecclesiae Collegiatae supra Collegium Parochorum, et aliorum Presbyterorum etiam ipsius Civitatis, dum occasione Synodi, vel alterius similis causae simul conveniunt: *Sac. Congr. Rit. in Faventina Brisiguellae* 12. *Mart.* 1616. attestante Sellio *d. cap.* 47. *n.* 8. et Barb. loc. *cit. n.* 7.

8 Praecedentia inter Curatos Ecclesiarum Parochialium non ratione Regulae, sed ratione antianitatis, seu praerogativae Ecclesiae Parochialis, Curatis danda est: *Sacr. Congr. Rit. in Asten.* 21. *Martii* 1609. teste Sellio *d. cap.* 47. *n.* 9. et Barbosa *loc. cit. n.* 8.

9 Praecedentia semper debetur Clero saeculari supra Regulares, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis; *cap. Alia* 6. *caus.* 16. *quaest.* 1. cum similibus. *Sac. Cong. Rit. in Firmana Terrae Sanctae Victoriae* 31. *Martii* 1618. cujus meminit Joan. Maria Novar. *in Lucerna Reg. verb. Praecedentia n.* 4. *et* 5. Hinc *Eadem Sacra Congreg. Rit. die* 3. *Augusti* 1601. decrevit, et ordinavit, ut in generalibus Processionibus Fratres, seu Monachi, vel Ordines Regulares antecedant, et Presbyteri, seu Clerici Saeculares subsequantur, et ultimum locum teneant, nec mixtim cum Regularibus incedant, et Clemens VIII. in sua Constit. incip. *Quae ad removendum* 5. *Novembris* 1603. ex voto ejusdem Sacrae Congregationis declaravit, Clerum Saecularem in omnibus locis, etiam in propriis Ecclesiis, Conventibus Patrum, Monachorum, et Religiosorum quorumcumque in universo Regno Castellae, et Legionis praeferendum esse, et praecedere debere, quam Clementis VIII. Constitutionem observari mandavit Greg. XV. in sua Constit. incip. *Alias a felicis, die* 3. *Aug.* 1622. quae reperiuntur impressae apud recollectionem Apostolicarum Constitutionum, quam imprimi curavit Status Ecclesiasticus Regnorum Castellae, et Legionis. Sic apud Barbos. *loc. c. n.* 9.

ADDITIONES CASINENSES

Ad n. 5, et 9. h. Edit.

Nota, quod in associatione funeris, Capitulum Cathedrale gaudeat praerogativa, ut omnes funus associantes incedant sua Cruce (* *vid. adnotationem sub v. Parochus art.* 2. *ad n.* 59. *) incessu, et progressu processionis usque ad Ecclesiam tumulantem inclusive; sed post ingressum Ecclesiae, praesertim Regularium, non potest assistere funeri cum Cruce, sed adhibenda est Crux Ecclesiae tumulantis, prout, partibus informantibus, censuit *Sac. Congregat. Rituum in Aretina* 13. *Jul.* 1697 in, qua proposito dubio: « An in associatione Cadaverum sepeliendorum in Ecclesiis quorumcumque Regularium, et praecipue Casinensium, liceat Capitulo, et Canonicis Cathedralis ad associationem invitatis Ecclesiam eorumdem Regularium ingredi cum Cappa, et Rocchetto, et in eadem sic assistere usque ad humationem Cadaveris, sola Cruce dicti Capituli erecta, et non alia? Sacra Congregat. etc. referente clarae memoriae Cardin. Petrucci, respondit *affirmative*, ita tamen, ut *in absolutione funeris sola adhibeatur Crux Ecclesiae tumulantis* ». apud Mons-

» cell. *Formul. leg. pract. tom.* 1. *tit. V. formul.* 7. *num.* 39.

Ad Parochos quod spectat, ad dubium: « An in » Ecclesiam restituto funere, in qua Capitulum » Cathedralis nullam habet Parochialem jurisdict. » ad primam Capituli dignitatem spectet funeris » officium peragere, seu exequias celebrare cada- » veris sibi non subjecti, sive potius ad Parochum, » intra cujus Parochiae fines sita est Ecclesia, in » qua cadaver eidem Parocho, ratione domicilii » subjectum est, tumulandum in casu etc.? *Ne- » gative ad primam partem, affirmative ad secun- » dam* ». S. Rit. Congr. 22. Januar. 1803. *in Tiburtina.*

Amplius eadem S. Rit. Congregat. juxta alias resoluta, respondit: « *Officium super Cadaveribus in » Ecclesiis Regularium per ipsos Regulares*, non » *autem* per Parochos defunctorum peragi debere. » Die 9 decemb. 1638 *in Albanensi* ».

Sacr. eadem Congregat. audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit: « quando Ecclesia tumulans » est a Parochiali diversa, ducto funere ad Eccle- » siam, non Parochus, sed alius Sacerdos ejusdem » Ecclesiae, ad quam cadaver delatum est, indu- » tus cotta, et stola, vel etiam pluviali nigri colo- » ris prosequatur officium a Rituali Romano prae- » scriptum; et Sic. S. Rit. C. servandum esse cen- » suit in Ecclesia PP. Congregationis Oratorii S. » Philippi Nerii in Civitate Mexicana ... die 3. » septemb. 1746 *in Mexicana in Indiis Occidenta- » libus* ». (Vide insuper Additiones Casinenses sub v. Parochus, ubi Decreta Sacr. Congreg. Concilii, nempe *in Hortana Jur. Paroch.* ad rem reperies).

(Supradicta Decreta habentur in Manuale Ecclesiasticorum, seu in Collectione Decr. Authent. S. R. C. Romae primum edit. deinde Neapoli 1847. sub Titul. *de Sepulturis, num.* 280. 275 292.)

« Item non potest Parochus (nisi adsit consue- » tudo) occasione funerum ingredi Ecclesiam Re- » gularium cum stola, et Cruce.. ut respondit » Sacr. Congreg. Rituum *in Vadens. juris fune- » randi* 2. *august.* 1698, referente eminentissimo » Noris; et Sacr. Congregat. Concil. *in Ebrun- » den. Jur. Paroch.* 25. *Jun.* 1695, in responsio- » ne *ad decimum, Potest tamen Parochus assistere » functioni tamquam unus de Populo:* Sac. Rit. » Cong. *in Mantuana funerum* 21. Nov. 1699 ». apud Monacell *Form. legal. pract. Tom.* 1. *Tit. X. form.* 18. *n.* 13.

« Parochi defunctorum (sic pariter Barbosa) in » Regularium Ecclesiis humandorum possunt eo- » rum corpora usque ad easdem Ecclesias associa- » re, ac etiam in illis permanere, absque tamen » eo, quod in Officio decantando nullatenus se in- » tromittant, nisi (*nota*) contraria adsit consue- » tudo: *Sacr. Congregat. Episcop. et Regularium » in Nicoteren.* 6. *Jun.* 1614 ». *In Summa Apostol. Decis. v. Parochus quoad Funeralia n.* 7.

Unde « Potest Parochus permanere in Ecclesiis » Regular. tamquam persona privata, et sicut cae- » teri de populo.... Limita si ex *consuetudine im- » memorabili* reperiretur in quasi possessione pe- » ragendi funeralia etiam intus Ecclesiam Regu- » larium, aqua scilicet benedicta cadavera asper- » gendi, pluviale indutus absolutionem dandi, an- » tiphonas inchoandi, psalmos responsoria, oratio- » nes, preces recitandi, et alia munia exercendi, » quae in hujusmodi ministerio adhiberi solent; » secus autem, *si consuetudo immemorabilis legiti- » me non probetur*, nam hoc casu Parocho non » competit manutentio, ut declaravit *Sac. Congr. » Rituum in Adrien* 12. *Febr. et* 2. *Mart.* 1629. » et 5. *Jul.* 1631. ad relationem Eminentiss. Car- » dinal. Sancti Georgii respondit, *immemorabilem » per Capitulum Adrien. praetensam*, non esse » probatam, et Officium super Cadaveribus in Ec- » clesia S. Mariae Veteris Ordinis Fratrum Mino- » rum de Observantia ad ipsos spectare .... Haec habet clar. Panimolle, *For. Ecclesiast. Decis.* 1. *annotat. X. n.* 22. et 23.

Verum « ad Parrochum spectat Officium facere » supra corpus defuncti *domi*, et per viam, et non » ad Regulares, quamvis in eorum Ecclesiis sepe- » liri debeat: *Sac. Congregat. Concil. in Catanien. » Civitatis Platiae* 12. *Octob.* 1619.

» Limit. ut Parochus hoc casu funeralia tan- » tum ducere, et prosequi, debeat usque ad Ec- » clesiam Regularium, in cujus foribus defuncti » cadaver dimittere, benedicere, et dare ultimum » vale tenetur, Officia vero, et alia munia, quae » in hujusmodi ministeriis adhiberi solent, ab » ipsis tantum Regularibus peragenda sunt, non » autem a Parocho, nec a Clero Saeculari: *Sacr. » Congregat. Rit. in Eugubina* 12. *Martii* 1612; » *et* 5. *Julii* 1614. *in Placentina, et Lycien* 23. » *Maii* 1619. in *sulmonen.* 8. *Augusti* 1629. »: apud Panimolle *l. c. n.* 17. et 18. Quae eadem in terminis traduntur apud Barbosam *Summa Apostolic. Decis. V. Officium defunctorum n.* 3. *et* 4. Vide insuper Lucium nostrum v. *Cadaver* per tot.

Praecedentia inter Presbyteros sumitur ex antianitate Ordinis, non ex gradu Doctoratus, quia Presbyteratus Ordo longe dignior est, quam gradus Doctoratus: *Sac. Congregat. Rit. in Mediolanen.* 29. *Nov.* 1603. *et in Messanen. Taurimen.* 20. *Jun.* 1609. *et in Panormit.* 15. *Maii* 1610. *et in Terrae Coniglionis in Sicilia* 19. *Mart.* 1611. *et in Fanen. Sancti Constantii* 4. *Jul.* 1615. *et in Catanien.* 30. *Januarii* 1616. *et in Nucerina Terrae Gualdi* 19. *Januar.* 1619. *et in Cephaluden. ac Catanien. eadem die, et in Messanen. Terrae Gagliani* 20. *April.* 1618. *et in Catanien.* 22. *Aug.* 1620. *et in Cephaluden.* 30. *Mart.* 1621. quarum meminit Seilius *dict. cap.* 47. *num.* 10. Beneficiatus in Ecclesia sui Beneficii praecedentiam habere debet supra alios Beneficiatos in eadem Ecclesia non Sacerdotes: *Sacra Congregat. Rit. in Nullius Provinc. Florentinae de mense Januar.* 10

1633. quam refert Banfadin. in *Thesaur. Eccles. dec. resol.* 32. *nu.* 10. et Barbosa *loc. cit. n.* 10.

11 Praecedentia antianitatis inter ejusdem Ordinis Milites servanda est, non autem inter milites diversi Ordinis: *Sac. Cong Rit. in Meliten.* 9. *Maii* 1609. penes Aldan. *d. tit.* 6. *num.* 7. Barbosa *l. cit. num.* 11.

12 Praecedentia inter Bailros Capitnlares, et Milites Magnae Crucis Religionis Hierosolymitanae per antianitatem, et non per aliam rationem est discutienda: *Sacr. Congregat. Rit. in Meliten.* 12. *Aug* 1608. teste Aidan. *d. tit.* 6. *num.* 8. et Barbosa *lac. cit. num.* 12.

13 Praecedentia Advocatorum Consistorialium est anto alios Advocatas Romanae Curiae: Sixtus V. Constit. 62. incip. *Sacri* 10. *Kal. Sept.* 1587. apud Laert. Cherub. in *Bullario tom.* 2. *pag.* 588. alias *pag.* 477. in noviss. impress. et Barbos. *loc. citat. num.* 13.

14 Praecedentia Canonicorum Saecularium Ecclesiae Lateranensis est ante Canonicas S. Petri de Urbe: S. Pius V. Constitut. 94. incip. *Infirma* 12. *Kal. Januar.* 1596. apud Laert. Cherub. *tam.* 2. *pag.* 296. alias *pag.* 223. in noviss. impress. et Barbosa *loc. cit. num.* 14.

15 Praecedentiam habent Canonici S. Georgii in Alga quoad Canonicos Congregationis Lateranensis: S. Pius V. Constitut. 127. incip. *Cum alias* 11. *Kalend. Junii* 1571. apud Laert. Gherub. *d. tom.* 1. *pag.* 340. alias *pag* 255. et Barbosa *loc. citat. num.* 15.

16 Praecedentiam habent Canonici Regulares Lateranenses quoad Monachos Casinenses: S. Pius V. Const. 75. incip. *Romanus, pridie Idus Octob.* 1658. apud Laert. Cherub. *d. tom.* 2. *pag.* 272. Immo etiam *ante* omnes *alias* Regulares post Clerum Saecularem; idem S. Pius V. Const. Incip. *Cum ex Ordinum* 19. *Kal. Jan.* 1570. apud Laert. Cherub. *d. tom.* 2. *pag.* 342. alias *pag.* 243. in noviss. impress. et Barbosa *loc. cit. num.* 16.

17 Praecedentiam Fratrum Praedicatorum quoad alios Fratres Mendicantes, et etiam non Mendicantes post Clerum Saecularem, et antiquos Ordines Monachales statuit S. Pius V. Constitut. 75. incip. *Divina* 27. *Augusti* 1578. apud Laert. Cherub. *dict. tom.* 2. *pag.* 267. Clemens VIII. Constit. 13. incip. *Inter caetera* 25. *Sept.* 1592. referente Joann. Maria Novar. *lucerna Regul. verb. Praecedentia num.* 16. et illarum meminere Fr. Emman. *qu. Reg. tom.* 1. *quaest.* 35. *art.* 1. Piasec. *in praxi Episcop. part.* 3. *cap.* 3. *pag.* 210. Scortia in *relect. Summarum Pantificum Const. epist.* 156. *theorem.* 393. Michael Ferrus *de praecedent. Ecclesiast. qu.* 45. *n.* 3. et Barb. *loc. cit. n.* 17.

18 Praecedentia inter Regulares de suburbiis, et territorio Romano servatur sicut in ipsa Urbe: *Sacr. Cangregat. Rit. in Tusculana* 2. *Mart.* 1631. de qua Sellius d. *cap.* 47. *n.* 21. Nam ad tollendas omnes lites, et controversias in materia Praecedentiarum debet servari id, quod in Alma Urbe omnium Magistra servatur: *S. Congr. Episc. et Regul.* 26. *et* 30. *Aug.* 1593. referente R. P. D. Sperello in *dec. For. Ecclesiast. dec.* 76. *nu.* 16. et Barbos. *loc. c. num.* 18.

19 Praecedentia inter Manachas servatur juxta Bullam Gregarii XIII. *Sacr. Congregat. Rit. in Saxoferraten. Nucerinae Dioecesis.* 16. *Maii* 1614. penes Aldan. *dict. tit.* 6. *n.* 10. et Barbosam *loc. citat. num.* 19,

20 Praecedentiam habent Monachi Cistercienses refarmati Ordinis B. Mariae Pulien. ante Ordines Mendicantes: Clamens VIII. Constitut. 56. incip. *Regis, Non Feb.* 1598. apud Laert. Cherub. in *Bullar. tom.* 3. *pag.* 72. alias *pag.* 53. et illius meminit Mich. Ferr. *de praecedent. Ecclesiast. q.* 4. *n.* 5. et Barbos. *loc. c. n.* 20.

21 Praecedentiam Monachis semper, et ubique tribuere debent Fratres Mendicantes: *Sacra Congregat. Rituum in Monopolitana* 23 *Mar.* 1619. teste Aldan. *d. tit.* 6. *num.* 12. et Barbosa *loc. citat. num.* 21.

22 Praecedentiam habent Fratres Minares S. Francisci de Observantia ante Fratres Minores Conventuales, Leo X. Constitut. 26. incip. *Licet* 7. *Decemb.* 1517. apud Laert. Cherub. in *Bullar. tom.* 1. *pag.* 520. alias *pag.* 429. in noviss. impress. et Barbosa *loc. cit. num.* 22.

23 Praecedentia inter Fratres etiam Observantes, et Tertiarios S. Francisci servatur juxta Bullam Gregorii XIII. ut ii praeferantur, qui prius in loco Controversiae Manasterium, et locum obtinuerunt: *Sacra Congregat. Rituum in causa Montis feltri* 3. *Octobr.* 1613. *et in Casentina* 1. *Mart.* 1614. *et in Terracin.* 3. *Septembris ejusdem anni, et in Rassanen. Terrae novae* 14. *Februarii* 1615. *et in Agrigentinae Terrae Mari* 4. *Aprilis ejusdem anni, et in Meliten.* 15. *Julii* 1617. *et in Spoletana* 7. *Augusti* 1618. *et in Oritana Terrae Frattae* 28. *Septemb.* 1619. *et in Tudertina Terrae Altaris* 1620. De quibus Aldan. *d. tit.* 6. *num.* 13. et Barbosa. *loc. cit. num.* 23.

24 Praecedentia inter simplices Presbyteros debetur antianis, nisi Presbyteri minares suppleant vices, et munus Parochi: *Sacra Congregatio Rituum in Praenestina Praecedentiae* 12. *Augusti* 1701. apud Manacell. *tam.* 4. *Supplement. ad tertium tom. num.* 100.

25 Prothonotarius ratiane hujus Dignitatis non praecedit in Choro, et functianibus aliis Presbyteris antianis, quamvis in Ecclesia non adsint distributiones: *Sac. Cangr. Rit.* in *Nullius Phasani Praecedentiae* 24. *Januar.* 1688. apud Manacell. *loc. cit. num.* 101.

26 Secus tamen si incederet in Habitu Prothonotarii, ut declaravit *Eadem Sacra Congregatia in alia Ventimilien.* 13. *Sept.* 1670. apud Manacell. *loc. citat. num.* 301.

27 In Processianibus, quae fiunt cum interventu Capituli Cathedralis, praecedentia debetur Benefi-

ciatis ejusdem supra Parochos: *Sac. Cong. Rit.* in *Taurinen.* 2. *Octob.* 1683. Et licet contrarium decisum reperiatur *in alia Bituntina* 21. *Aug.* 1688. in qua praecedentia data fuit Parochis supra Beneficiatos Cathedralis, hoc venit, quia Parochi Bituntini habent stallum in Choro, et sunt de Gremio illius Capituli, ut positive se recognovisse testatur Monaceli. *loc. cit. n.* 104.

28 Praecedentia, quae debetur Parochis perpetuis, eadem debetur Parochis, et Curatis amovibilibus ad nutum, quia etiam hi gaudent praerogativis Parochorum perpetuorum, ut respondit *S. C. Conc. in una Comensi* 27. *Mart.* 1706.

29 Et hoc procedit etiam in eorum Substitutis, et Subrogatis; *Sac. Cong. Rit.* 20. *Jan.* 1691. apud Monaceli. *loc. cit. n.* 106.

30 Praecedentia inter Regulares utriusque sexus incipit a die Professionis, non Habitus, non obstante quolibet praetextu, et contraria consuetudine: *Sacra Congregat. Episcop. et Regul. in Ravennatensi* 12. *Septembr.* 1588. *in Augustinian. Lombardiae* 7. *Januarii* 1650. *et in alia Observantium* 21. *Augusti* 1654. apud Nicolium in *Flosculis verb. Praecedentia num.* 15. Et pro Monialibus est Decretum *a Sacra Congregat. Concil. in Paduana, de anno* 1680. apud Barbos. in *Summa Apostolic. decis. verb. Praecedentia n.* 29. Quod scilicet praecedentia inter Moniales a die Professionis, non autem receptionis Habitus Regularis, debetur; quatenus vero duae insimul Professionem emitterent, illa, quae prius admissa fuerit, praecedere debet, et si eodem tempore ad Habitum admissae fuerint, data etiam Professionis paritate, quae prius in Capitulo acceptata fuerit praecedere debet. *Haec ibi.*

31 Si duo profiterentur eodem prorsus temporis momento, et eodem quoque tempore fuissent vestiti, data paritate Professionis, praecedit qui prius acceptatus fuit, licet in eodem Capitulo; *Sacra Congregatio Episcoporum, et Regul. in Assisiensi* 13. *Mart.* 1603. apud Nicol. *l. c. sub n.* 15.

32 Etiamsi Professio facta fuisset in alio Monasterio: *Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. in Mexicana* 3. *Januar.* 1594. apud Nicol. *loc. cit. sub num.* 15.

33 Licet quis vellet cedere Juri suo: *S. C. Episc. et Regul. in Assis.* 30. *Octob.* 1600. apud Nicol. *loc. cit. sub num.* 15.

34 Non obstante qualibet contraria consuetudine, quae declaratur abusus: *Sacra Congregatio Episcopor. et Regular. in Neapol.* 23. *Nov.* 1592. *in Anconitana* 14. *Jun.* 1595. apud Nicol. *loc. cit. sub num.* 15.

35 Qui Professionem nulliter emissam ratificavit, non nisi a tempore ratificatae Professionis praecedentiam metitur, prout declaravit, et censuit *S. Cong. Conc.* 1. *Octob.* 1672. *in dubio Praecedentiae.* Quod Decretum refert Card. Petra *in comment. ad Constit. Apostol. tom.* 4. *circa Constit.* 8. *Eugen. IV. sub num.* 17.

Ex gratia concessa fuit praecedentia a Sacra Congregatione a die completi anni Novitiatus, dum per Novitium non steterat, quominus Professionem emitteret; *Sac. Cong. Episcop. et Regul. in una Vallisumbrosianor.* 14. *Nov.* 1657. *et in una Augustinianor.* 24. *Julii* 1654. apud Nicol. *loc. cit. sub num.* 17. 36

Praecedentia in Professis ante tempus bona fide incipit a fine 16. annorum: *Sac. Cong. Episc. et Reg. in una Basilianensium* 13. *Novemb.* 1647. apud Nicol. *loc. cit. num.* 16. 37

In Laicis factis Clericis per Breve, incipit a die Professionis Clericalis: *S. C. Episcop. et Regul.* 26. *Febr.* 1649. apud Nicol. *loc. cit. num.* 16 et Lantusch. *Theatr. Reg. verb. Praecedentia n.* 3. ubi affert Decretum ad litteram. 38

In Novitiis, durante Novitiatu, praecedentia desumitur a die Habitus: *Sac. Cong. Episc. et Regul. in Forosempronien.* 1. *Januar.* 1601. apud Nicol. *loc. cit. n.* 17. 39

Novitii Clerici in Ordine Minorum de Observantia, et Reformatorum non praecedunt Laicos Professos. Sic *Sac. Congregat. Episcop. et Regul.* 8. *Augusti.* 1663. apud Lantusch. *in Theatro Regular. verb. Praecedentia num.* 1. his verbis: « Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcopor. et Regular. praeposita, audito Commissario Generali Ordinis hujusmodi, statuit, atque decrevit, dictis Novitiis quousque Professionem emiserint, tam in publicis, quam in privatis functionibus ultimum locum deberi ». *Romae* 8. *Augusti* 1653. *M. Card. — Ginettus H. Archiepiscop. Patraeen. Secretarius,* et refert etiam Matthaeucc. *loc. cit. num.* 10. Quoad Novitios tamen Minimorum refert Pignatell. *tom.* 10. *consultat.* 56. *num.* 8. *et* 9. quod relata in Sacrorum Rituum Congregatione per Cardinalem Franciottum Controversia a Fratribus Conversis, et Oblatis Professis Ordinis Minimorum excitata, ex quo ipsi praecedentiam sibi deberi praesumerent supra Novitios Clericos, qui nondum Professionem emiserant: « Eminentissimi Domini, visis, ac mature perpensis partium Juribus, censuerunt, praecedentiam deberi Novitiis Clericis supra Laicos juxta dispositionem Juris communis, et Constitutiones editas a Capitulis Generalibus Romano, et Massiliensi, et ita ubique, et in toto Orbe servandum esse mandarunt sub poenis in contravanientes, vel non acquiescentes per Regulae Constitutiones decretis, aliisque arbitrio Sacrae Congregationis. *Die* 25. *Sept.* 1615. Julius Episcopus Sabinensis Cardinalis Sachetus. — Franciscus Maria Phebaeus Congregationis Sacr. Rit. Secretarius ». 40

Clerici, et Choristae praecedunt Conversis, licet Professione antiquioribus: *Sacra Congregat. Episc. et Regul. in Fulginaten.* 19. *Octobr.* 1622. apud Nicol. *in Flosculis verb. Praecedentia sub num.* 15. Et expresse Urbanus VIII. in suo Brevi incipiente *Cum sicut,* in quo sub Excommunicationis 41

poena ipso facto incurrenda prohibetur, ne Laici Ordinis Minorum, etiam ratione antiquioris receptionis ad Habitum, vel Professionis primo emissae, Clericos, tam in publicis, quam in privatis ejusdem Ordinis functionibus praecedere audeant; Qua Censura ligantur quoque Superiores id permittentes. Vide apud Lantusch. *in Theatro Regular. verb. Praecedentia num.* 2. ubi per extensum refert totum dictum Urbani VIII. Breve dat. 16. *Novembris* 1642.

42 Clerici Religionis ministrantium infirmis in quibusvis actibus, Laicis ejusdem Ordinis etiam antiquioribus Professione praeferuntur, ut expresse statuit Alexander VII. in suo Brevi incip. *Alias emanavit, dat.* 5. *Decemb.* 1662. relat. per extensum a Lantuscha *in additione ad Theatrum Regul. verb. Praecedentia n.* 2.

43 Praecedentia Fratribus Minoribus de Observantia de una ad aliam Provinciam incorporatis debetur a die tantum suae incorporationis; Sic expresse statutum est in Capitulo Generali *de ann* 1625. *tit. pro Cismontana Familia*, ibi: « Qui sua sponte, licet obtenta prius licentia, ad alienam Provinciam transierunt, Fratres tam incorporati, quam incorporandi, in ea locum, ordinem, et praecedentiam a die tantum incorporationis suae, non autem a die receptionis Habitus, aut emissae Professionis teneant, et habeant »: quae Statuta fuerunt in forma specifica confirmata ab Urbano VIII. Const. 49. incip. *Sacrosanctum*. Et hoc est intelligendum, etiamsi Religiosus incorporetus in alia Provincia denuo redeat ad suam primam, ibique, ubi primum Habitum sumpserat, reincorporetur. Sic expresse, multis adductis, docet Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 62. *per tot.* et ex ipso Matthaeuc. *Officialis Curiae ultimae impressionis Venetae cap.* 37. *n.* 9. per textum *in c. Mandamus* 2. *caus.* 19. *q.* 2. ibi: « Mandamus, et universaliter interdicimus, ne quis Canonicus Regulariter professus Monachus efficiatur: Quod si Decreto nostro contrarie praesumens agere tentaverit, ad Ordinem Canonicum, praecipimus, ut redeat . . . Et ultimus in Choro maneat »: *et cap. Intelleximus* 12. *de aetate, et qualitate*, ibi: « Ne quis Canonicus Regularis . . . . . . efficiatur Monachus, et si factus fuerit, ad Canonicatus Ordinem revertatur, ultimus in Choro manendo ». Hinc non poterit Definitorium Provinciae, in qua ipse primo Habitum sumpserat, illum reincorporare cum privilegio praecedentiae a die susceptionis Habitus, cum sit contra dictum statutum a Summo Pontifice confirmatum, in quo nullus inferior Romano Pontifice dispensare potest; *c. Inferior.* 4. *dist.* 21. *c. Cum inferior* 16. *de majorit. et obedient. Clementin. Ne Romani, de electione*. Sic. cit. Doctores, et alii.

44 Regulares inter se praecedunt secundum Ordinem praescriptum in Bulla Gregorii XIII. quae quantum ad praesens hic affertur.

Tenor igitur dictae Constitutionis est; *Exposcit* et infra « De Nobis attributae potestatis plenitudine volumus, et Apostolica auctoritate decernimus, quod quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus, inter se de praecedentia hujusmodi contendentibus, aut Confratribus Confraternitatum praedictarum, inter quos lites, et causae praemissorum occasione ortae jam sint, seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione praecedentiae, ac Juris praecedendi sunt positi, quibuscumque reclamationibus, appellationibus, et aliis subterfugiis prorsus remotis, et cessantibus, et postpositis in Processionibus, tam publicis, quam privatis praecedere debeant ».

« Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione praecedentiae hujusmodi inter Fratres quidem Mendicantes, ii, qui antiquiores in loco controversiae, Confratres vero inter se litigantes, ii, qui prius saccis usi sunt, in processionibus tam publicis, quam privatis praecedere debeant, ita ut si contigerit nova Monasteria, aut Domus alicujus Ordinis Mendicantium fundari in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut Domus, prius erecta, et instituta sint, ille Ordo, qui prius Monasterium, seu Domum in loco habuerit, praecedat ».

« Praeterea, quia inter praedictos Ordines plerumque alia in Processionibus, ut alia in Conciliis Generalibus, et aliis actibus publicis, sive privatis, ratio circa modum praecedendi servatur, nolumus per praesentes praerogativis dictorum Ordinum quoad praecedentias hujusmodi, quae propriis Ordinibus, praeterquam in processionibus praedictis debentur, praejudicium generare. Sicque per quoscumque etc. non obstantibus etc. ». *Romae* 25. *Julii* 1583.

Insuper affertur ad hoc alia consimilis Constitutio Urbani VIII. confirmans Decreta Sacrae Congregationis, utpote ad mentem dictae Constitutionis Gregorii XIII. 45

« Nuper pro parte Dilecti filii Blasii a Cherisio, Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci, Conventualium nuncupatorum, Nobis expositum fuit, quod dictus Ordo gravatur admodum litibus occasione praecedentiae cum aliis aliarum Religionum Regularibus in Processionibus, ex quo etiamsi alias a Venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus negotiis Regularium Praepositis, diversis in praefata materia praecedentiae Litteris emanatis, unam videlicet contra ejusdem Ordinis de Observantia nuncupatos Arbenses, aliam contra Servorum B Mariae Virginis Soanen., nec non duas Litteras contra Praedicatorum respective Ordinum Fratres Cassanen. et Ferentinos, obtinuerit tenoris subsequentis videlicet. Arbi All'Arcivescovo ». Pare, che sia nata differenza della precedenza tra cotesti Frati di San Francesco Conventuali, ed Osservanti, allegando ogn'uno di loro alcune ragioni, per le quali si persuadono di dover precedere agli altri, le quali essendosi diligen-

temente considerate nella Congregatione di questi miei Illustrissimi Signori preposti da Nostro Signore sopra le cose de' Vescovi, e Regolari, s'è risoluto, etiam con il parere degl' Illustrissimi Protettori di tutte due le Religioni, di far scrivere a V. S. che occorrendo più simili differenze, le termini senza alcuna eccezione nell' istesso modo, che quel Convento tenga il primo, e più degno luogo, che è più antico nella Città, secondo che si è fatto sin'ora, per quanto si presuppone. Imperciocchè questo mezzo usato altrove è stato tale, che ha finito ogni controversia, come si spera, che farà anche così per mezzo della prudenza, e destrezza di V. S. Die etc. Roma 6. Marzo 1582. »

Al Vescovo di Soana, o suo Vicario. « Avendo inteso questi miei Signori Illustrissimi, che in cotesta Città sono in disparere di precedenza li Frati de'Servi con quelli di S. Francesco Conventuali, hanno voluto, che io faccia sapere a V. S. che nella precedenza di questi Mendicanti, secondo il parere di Nostro Signore, s'attende solamente l'antichità de'loro Conventi, cioè, che precedano quelli, che prima hanno ottenuto i Monasteri de'luoghi, ove è nata la differenza, e perciò ella potrà dichiarare, che quelli precedano, li quali prima sono venuti ad abitare in cotesta Città, che sarà appunto conforme a quello, che s'è risoluto, ed osservato in altri luoghi etc. » *Roma li* 24. *Maggio* 1583.

Al Vescovo di Cassano. « Fu dato in Congregatione un memoriale dal Procuratore Generale dei Frati Conventuali di S. Francesco a nome del suddetto Monastero di Castrovillari di cotesta Diocesi, nel qual si doleva, che alcuni Padri di S. Domenico, che poco fa hanno pigliate luogo nella medesima Terra, pretendevano nelle azioni pubbliche di precedergli, non ostante, che già siano 350. anni, che quel Monastero di S. Francesco è fondato, e sapendosi, che Nostro Signore altre volte aveva dichiarato, come si doveva procedere in simili casi, questi miei Signori Illustrissimi vollero, che se ne dasse conto a Sua Beatitudine, la quale ha commesso, che si scriva a V. S. che faccia avere la prerogativa, ove nascano queste novità, alle Religioni, che sono più antiche nel luogo; il che farà V. S. intendere a'detti Padri di S. Domenico, ed opererà, che così s'eseguisca ». *Roma li* 24 *Maggio* 1583.

Ferentino al Vescovo. « Nella differenza, che verte tra cotesti Frati di S. Domenico, e quelli di San Francesco per conto della precedenza, la Sacra Congregazione vuole, che s'osservi per l'avvenire quello, che è stato osservato tra loro per lo passato, sin tanto che non sia destinato altro, ed inclina, che conforme al moto proprio di Gregorio XIII. di fel. mem. debbano precedere quelli, che prima anno avuto il luogo nella Città; ed i Decreti, che si allegano per parte de' Frati di S. Domenico in contrario, non sono stati fatti per derogare generalmente al moto proprio di Gregorio XIII. oltre che in quelle occasioni militavano altre ragioni da quelle, che possono militare costì. Questa è la mente di questi illustrissimi miei Signori, ed ella doverà eseguire, e Dio etc. » *Roma il* 1. *Giugno* 1604.

« Attamen in casibus occurrentibus eaedem Litterae reputantur provisiones particulares, non autem Declarationes Generales; dictique Fratres Conventuales nova semper judicia iisdem de rebus subire coguntur. Quare d. Blasius Procurator Generalis, Nobis humiliter supplicare fecit, ut circa praedictarum Litterarum observantiam per aliquod opportunum declarationis nostrae ministerium providere, ac alias, et infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur etc. praeinsertas Litteras ab eisdem Card. alias utcumque in casibus particularibus emanatas, cum innitantur Justitiae motus proprii Gregorii XIII. hac de re editi, et sint conformes Declarationibus Sac. Conc. Trid. ac Rituum Congregationum, ut qui sunt in possessione praecedentiae, praecedant, et ubi non probatur, aut non constat de possessione, praecedant ii, qui sunt antiquiores in loco controversiae, esse generaliter observandas, ubicumque contigerit de eadem praecedentia dubitari, Apostolica auctoritate tenore praesentium praecipimus, et mandamus. Decernentes etc. non obstantibus, etc. 18. Decembris 1639.

Constitutio Gregorii XIII. comprehendit etiam PP. Ordinis Praedicatorum, adeo ut in materia praecedentiae in possessionibus, etiam quoad ipsos sit procedendum ad praescriptum dictae Gregorianae, cum etiam respectu dictorum Fratrum vigeat motivum, propter quod Gregorius XIII. edidit dictam Constitutionem, nempe ob sedandas lites, et controversias, quae in dies oriebantur occasione praecedentiae, vel Jure praecedendi in Processionibus, ut innuitur in prooemio dictae Constitutionis. Tum quia etiam ex mox adducta Const. Urb. VIII. constat expresse, etiam contra ipsos fuisse editam sine ullo dubio Constitutionem Gregor. XIII. et revera comprehendere etiam PP. undequaque dignissimos Praedicatores, seu Dominicanos, et dictas Constitutiones Gregorii XIII. et Urbani VIII. moderari quoad hoc Constitutionem Sancti Pii V. incip. *Divina*, et Constitutionem Clementis VIII. incip. *Inter caetera* restringi ad loca Aragoniae, Valentiae, et Cataloniae; ut plurimis adductis iste probat Pignatell. *t.* 1. *cons.* 138. *per tot.* et Matthaeuc. *loc. cit. n.* 3. et alii. Hinc Sacra Congregatio deinceps, ubicumque casus evenit, respondit juxta dispositionem dictae Constitutionis Gregorianae, et praesertim in *una Arben. die* 13. *Mart.* 1582. *in Cassanen.* 24. *Maii* 1583. *in una Ferentina die* 1. *Junii* 1704. *in una Jesuitarum die* 15. *Julii* 1616. *in una Conventualium die* 13. *Novembr.* 1637. *in una Augustinianorum die* 8. *Octobris* 1645. ut observat Pignatell. *loc. cit. n.* 14. et idem confirmavit Urbanus VIII. in allata Constitutione *supra n.* 47, et utriusque Pontificis Litteras expresse servari mandavit *dicta* 46

Sacra Cong. Episcopor. et Regular. die 6. *Octobris* 1635. his verbis: « Sacra Congregatio censuit servandas esse Litteras Greg. XIII. et Urbani VIII. ea de re editas, ut qui sunt in possessione praecedentiae, praecedant; et ubi non constat de possessione, praecedant, ii qui sunt antiquiores in loco controversiae, et ita ab his, ad quos spectat, servari mandat, et praecipit » : et sic refert Lantuscha *loc. cit. nu.* 10. et Matthaeucci *loc. cit. sub n.* 3. ubi subjungit; « Ceterum ubi est consuetudo, quod Regulares praecedant inter se, ratio originis Religionis, et non fundationis Conventus est servanda, ut respondit *Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Forolivien.* 23. *Febr.* 1693. Item dicta Constitutio comprehendit etiam Monachos, nempe quod Monachi praecedant inter se secundum ordinem praescriptum in Bulla Gregorii XIII. incip. *Exposcit*, et adducta *supra n.* 44. Sic *Sac. Congr. Rit. in Saxoferrat. Nucerinae Dioecesis* 19. *Maii* 1614. *et in alia causa Monachorum* 29. *Novembris* 1618. et idem pluries declaravit Sac. Congr. Episc. et Regul. ut referunt Pignatell. *loc. cit. n.* 22. et Barb. *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. Univ. c.* 43. *a n.* 183. ubi varias ejusdem Congregationis in casibus occurrentibus datas declarationes ad litteram adducit.

47 Regulares Conventus de recenti fundati in loco, in quo adest alter ejusdem Ordinis Conventus, gaudent eadem praecedentia, qua gaudent Fratres illius antiquioris sui Ordinis Conventus; Sic expresse habetur ex declaratione, et responsione Sac. Rit. Congreg. ad sequens dubium et propositum his verbis:

« Pro parte Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Observantiae Sac. Rit. Congregationi expositum fuit, quod cum in pluribus locis, et Civitatibus Orbis inveniantur duo, et aliquando plura Monasteria ejusdem Ordinis Minorum Regularis Observantiae, et in publicis, et privatis Processionibus circa modum praecedendi, dubitetur, qui loco incedere debeant Fratres Monasterii novissime fundati in eodem loco, seu Civitate? An in ultimo loco, ut aliqui opinantur, juxta tempus fundationis sui Monasterii, disjuncti, et separati a Fratribus ejusdem Ordinis antiquioribus, qui ab antiquo Monasterium habuerunt in eodem loco, seu Civitate, vel potius uniti, et conjuncti cum Fratribus ejusdem Ordinis incedere, et procedere in publicis, et privatis Processionibus debeant?

Audita relatione Illustrissimi, et Reverendissimi Card. de Monte, cui haec causa commissa fuerat, Eadem Sac. Congregatio respondit, et declaravit juxta Constit. fel. rec. Greg. XIII. quae incipit: Exposcit etc. Praecedentiam dandam esse Ordini, qui prius in loco Monasterium habuit, et non tantum illi Monasterio, ita ut in illo loco per fundationem primi Monasterii acquiratur anterioratus ejusdem, sed etiam cuilibet alii posterius fundato ejusdem Ordinis. Idem quoque servandum, quando praecedentia competit ex quasi possessione, et Jure praecedendi in terminis dictae Constitutionis, et quando concurrant ad Processiones, tam publicas, quam privatas omnes ejusdem Ordinis Fratres uniti, et non divisim debere procedere, ita ut post Crucem Fratres strictioris Observantiae, sive discalceati, seu Recollecti, vel Reformati uniti immediate incedant, et post illos Fratres de Observantia dicti, si juxta Regularia Ordinis statuta, vel ex quasi possessione, et Jure praecedentiam habent. Alioquin in praecedentia servetur etiam inter ejusdem Ordinis Fratres anterioritas fundationis Monasterii cujuscumque. Neque Monasteria alterius Ordinis debere, neque posse impedire frui dicto Jure praecedendi, neque ordinem incedendi pervertere, et ita in causa praedicta eadem Sac. Rit. Congr. declaravit, et servari mandavit. Dei 3. Jun. 1617.

M. MAR. EPISCOP. HOSTIEN. CARD. GALLUS.

Et hoc procedit non solum quando Fratres modernioris Conventus incedunt simul sub Cruce antiquioris Conventus; sed etiam quando incedunt soli sub propria Cruce. Sic expresse decrevit Sac. Rit. Congr. ut infra: 49

Salernitana Praecedentiae.

Orta alias controversia inter Fratres Reformatos ex una, et nonnullos Regulares Civitatis Salernitanae partibus ex altera, de, et super praecedendi Jure in publicis Processionibus, ac Funeralibus, quando Reformati non incedunt cum Familia Min. Observ. Sac. Rit. Congr. die 10. Dec. 1629. *Respondit*, Praecedentiam semper dandam esse Fratribus Reformatis, sive soli de per se, et sub propria Cruce, sive cum familia, et sub Cruce Minor. Observantium processionaliter, sive in funeribus incedant, et ita ubique servari mandavit: Cui Decreto non acquiescentes Patres S. Augustini, B. Mariae de Carmelo, S. Francisci de Paula, et B. Petri de Pisis, ac B. Joannis Dei litis consortes existentes in Civitate Salerni, quotiescumque incedant sub propria Cruce, et sine Fratribus Observantibus de Familia, adiverunt Sacr. Congreg. Rit. ut declarare dignaretur, cui danda sit praecedentia, et proposita iterum causa die 21. Apr. 1640. per Emin. D. Card. Rondininum, pluries citatis, et auditis in Jure, et in facto Procuratoribus Generalibus Ordinum ambarum partium, Eminentiss. Patres Sac. Rit. Congregationi praepositi confirmandum esse praedictum Decretum 1629. censuerunt, sed cum Patres S. Aug. et litis consortes, ut denuo revideretur hujusmodi quaestio, instanter supplicassent, placuit Eminentissimis Dominis novam audientiam eis concedere, unde tertia vice proposita praefata causa per eumdemmet Eminentiss. D. Card. Rondininum, et acerrime utraque parte informante, Sacr. Rit. Congr. statit in decisis.

Die 16. Decembris 1646.

A. A. CARD. CAPPONIUS.

Item aliud consimile in materia dictae Praecedentiae emanavit novissime Decretum a Sacra Rit. Congregatione *die* 8. *Martii* 1700. quod fuit confirmatum ab Innocentio XII. *die* 4. *Junii* 1700. ut infra.

» Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Card. Sacris » Ritibus Praepositorum in causa praecedentiae » inter dilectos Filios Fratres Provinciae S. Didaci » novae Hispaniae in Indiis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum ex una, et Fratres Provinciae Sanctissimi Nominis Jesu Ordinis Eremitarum S. Augustini ex altera, partibus, vertente, Decretum » tenoris, qui sequitur, videlicet.

» Mexicana praecedentiae. Cum sub die 13. » Martii proxime effluxi in causa Praecedentiae inter Patres Discalceatos strictioris Observantiae » Sancti Francisci Provinciae S. Didaci ex una, » et Patres Augustinianos Provinciae Sanctissimi » Dominis Jesu ex altera partibus, super executione Decretorum Sacrae Rituum Congregationis » diversis temporibus ad favorem eorumdem Patrum Discalceatorum S. Francisci alias editorum, » et signanter lati sub *die* 3, *Junii* 1676. et per » Litteras in forma Brevis datas 19. *Junii ejusdem* » *anni* a san. mem. Clem. PP. X. approbati, ac » confirmati in Regno Mexicano ultimo loco agitata; Sacra eadem Rituum Congregatio super infrascripto dubio ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali Petruccio relato, videlicet:

An Fratribus Discalceatis strictioris Observantiae Ordinis Sancti Francisci, non solum Processionibus solis, et sub propria Cruce, sed etiam in Concionibus, disputationibus, concurrentia Praelatorum, aliisque actibus, tam publicis, quam privatis, interveniente, vel non interveniente familia de Observantia, competat praecedentia supra Fratres S. August. tam in voce, quam in scriptis, partibus acerrime informantibus auditis, responderit: la casu, de quo agitur, Praecedentiam competere Patribus Discalceatis S. Francisci, ac amplius dubium proponi vetuerit: » Et nihilominus non acquiescentes Patres Augustiniani institerint praeter ordinem pro declaratione supradicti rescripti: » Sacra eadem Rituum Congr. *die* 8. *Maji currentis* 1700. Partibus auditis, referente Eminentissimo, et Reverendissimo Cardinali Petruccio, » respondit, Fratres Augustiniani pareant, et perpetuo acquiescant, et ita decrevit, et servari, » ac exequi mandavit.

ALDERANUS CARD. CIBO.

» Cum autem, sicut dilectus pariter Filius Josephus Montoro praedicti Ordinis Fratrum de » Observantia Discalceatorum Professor, ac Sacrae » Theologiae Lector, nec non Tribunalis Sac. Inquisitionis Qualificator, ac dictae Provinciae » Sancti Didaci Custos, et Procurator, nomine dilectorum etiam Filiorum Ministri Provincialis, » et Definitorum ejusdem Provinciae Nobis subinde exponi fecit ipse, Decretum hujusmodi, quo » firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, perpetuamque desuper Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini supradictis silentium imponi, ac tandem ejusmodi diuturnam controversiam finiri summopere desideret, Nos ipsis » etc. supplicationibus eorum nomine Nobis super » hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, » ac perpetuum praedictis Fatribus Ordinis Eremitarum S. Aug. silentium super praemissis imponimus. Decernentes etc. sicque etc. irritum » etc. non obstantibus etc.

» Romae 4. Junii 1700.

Unde, ut vides, Praecedentia debetur Fratribus Minoribus Discalceatis, Recollectis, et Reformatis, aliisque de Corpore Observantium, etiamsi sint posteriores in loco controversiae; Dummodo in eo loco priores ad alios Regulares, et in possessione praecedenti fuerint Observantes; Quoties enim in eadem Civitate, seu Oppido existuat plures ejusdem Ordinis Conventus diversis temporibus fundati, antiquioritas unius influit, et communicat praecedentiam omnibus aliis ejusdem Ordinis quomodolibet posterioribus, ut praecisis verbis censuit Rota *die* 21. *Aprilis* 1690. *in Hispalen. Praecedentiae coram Emerix Decano decis.* 16. *n.* 4. ex impressis apud Monacell. *part.* 2. *Append.* addens, quod sic expresse disponit eadem Bulla Gregorii XIII. §. *Quando vero*, ibi: « Si contigerit nova Monasteria, aut Domus alicujus Ordinis Mendicantium in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut Domus prius erecta, et instituta sunt, ille Ordo, qui Monasterium, seu Domum in loco habuerit, praecedat »: et inhaerendo illius Bullae dispositioni tradunt Card. de Luca *de Praeeminent. disc.* 25. Lantuscha *in Theatro Regular, verb. Praecedentia num.* 11. *et in fine*; Novarius in *Summa Bullar. comment.* 96. *numer.* 11. Bordon. *Oper. moral. in Theat. Praecedentia num.* 478. Ac respondit *Sac. Rit. Cong. in Salernitana Praecedentiar sub die* 3. *Jun.* 1617. Et summa quidem ratione, nam alias scinderetur unitas Ordinis, ac non levia scandala orirentur in populo, ut adverit Card. de Luca, *d. disc.* 15. *de Praeeminent.* Sic expresse Rota *loc. cit.*

Quae Rota *decis.* 7. *n.* 8. inter impressas apud eumdem Monacell. *loc. cit.* enervat insuper objectionem, et paritatem adductam in exemplis PP. Carmelitarum, et Augustinianorum Discalceatorum praecedentiam desumentium solum a fundatione propriorum Conventuum, quamvis sint ejus-

dem Ordinis cum aliis Carmelitis, et Augustinianis: Rectissimo enim ibi respondet Rota, quod Patres Carmalitaa, et Augustiniani Discalceati sunt quidem ejusdem Ordinis, sed non ejusdem corporis cum aliis Carmelitis, et Augustinianis Calceatis, cum semper incadant separati ab illis sub proprio Cruca, et regantur a diversis Superioribus, nec eligi possint ad munera aliorum Carmelitarum, et Augustinianorum Calceatorum; At Fratres Discalceati, Recollecti, et Reformati, non solum sunt ejusdem Ordinis, sed etiam absoiuta faciunt unom Corpus cum Observantibus, cum incedant sub illorum Cruce, recognoscant eumdem Superiorem Generalem, et eosdem Definitores Generales etc. Vide apud Monaceil. *loc. cit. decis.* 16. *Hispalen. Praecedentiae coram Emerix Decano*, *decis.* 17. *Eadem coram Caprara*, dec. 19. *Eadem coram Emmanuel. dec.* 20. *Eadem cor. Molines*, in quibus omnia ad rem optime resolvuntur.

50 Item Reguiares succedentes de recenti in Conventum eis cessum ab aiiis Religiosis ejusdem Ordinis gaudent Praecedentia, qua super aiios gaudebant Religiosi primo ipsum inhabitantes. Sic late probant Ursaya *tom.* 2 *part.* 3. *discept.* 11. *per tot.* referens plures Rotaa decisiones, et decreta Sacrae Ritnum Congregationis, et signanter Decretum emanatum per viam legis *dia* 17. *Iunii* 1627. relat. *ibi num.* 24. sub his verbis: « Procuratore enim M. O. R. narrante eidem Saerae Congregationi Fratres Observantes Reformatos pati controversiam circa praecedentiam quasi nuper adscitos in Civitate; Cum tamen ingressi sint, at habitent in Monasteriis Fomiliae, Ideo suppiicavit provideri, et Sacro Congregatio Rituum, referente Cardinali Miilino, mandavit dari omnino praecedentiam dictis Reformatis ». Et concordat Pignatell. *tom.* 4. *consultat.* 19. *num.* 13. ubi postquam probavit, quod quando antiquior Conventus conceditur aiiis Regularibus, in istos traosferuntur omnes praerogativae antiqui Conventus, ait: « Et in hae specie admisit Sacr. Congr. Rit. declarando praecedantiam deberi Fratribus Minoribus strictioris Observantiae ratione Conventuum eisdem cessorum per Fratres Minores Observantes ». Et ipse Ursaya, qui *loc. cit. discept.* 11. *in Pennen. Praecedentiae pro PP. Reformatis Terrae Laureti cum PP. Capuccinis ejusdem Oppidi*, dixerat causam pendera adhue indecisam, postea *in Miscellaneo Sacro*, *et Profano litt. P. num.* 258 *a Sacra Congregatione Episcopar. et Regular. Ponente Card. Casono, resoluta fuit contra Capuccinos.*

51 Religiosi diversorum Conventuum ejusdem Ordinis praecedunt inter se juxta auctoritatem Conventuum, quando quilibet Conventus erigit propriam Crucem juxta Decretum Sacrae Congregationis Ritoum adduct. *supra n.* 48 Et sic Rota 21. *Aprilis* 1690. in d. *Hispalen Praecedentiae coram Emerix Decano* §. *Neque.* Lantuscha *loc. cit. n.* 11. Matthaeucci *loc. cit. sub n.* 7. et alii passim, Minores tamen de Observontia ubique, et in omnibus gaudent Praecedentia super omnes Reformatos, ut novissime statuit Benedictus XIII. Constit. incip. *Pastoralis Officii*, quae hic ad litteram datur.

» Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei
» Ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis Officii
» nobis divinitus injuncti sollicitudo Nos admo-
» net, ut omni cura, ac studio ad ea jugitur in-
» tendamus, per quae Christifidelium sub suavi
» arctioris Raligionis jugo mancipatorum, ube-
» resque bonorum operum fructus, benedicente
» Domino, proferre jugiter satagentium quieti,
» et tranquillitati consulitur, et quae Religiosum
» eorum propositum turbare possunt, removean-
» tur, ut nulla re praepediti, ac sublatis animo-
» rum dissidiis, et aemulationibus juxta Regula-
» ria suorum Ordinum Instituta in pacis amoeni-
» tate gratum Altissimo impendant famulatum,
» felicioribusqua in dies in via Domini proficiant
» incrementia. Cum itaqua, sicut accepimus, ta-
» metsi Fratres Ordinis Minorum Sancti Franci-
« sci da Observantia, Excalceati, Recollecti, ac
» Reformati respectiva nuncupati cum Corpus Re-
» ligionis, ac Ordinem insimul constituant, atque
» sub uno, eodemqua Capita, et Ministro Gena-
» rali, etsi sub divarsis Constitutionibus in Eccle-
» sia Dei militent, antiquus tamen usus, ac gene-
» ralis prope consuetudo invaluit, ut ipsi Fratres
» de Observantia ubique nedum in Galliarum, Hi-
» spaniarum, Port. et Algarbiorum Regnis, ac uni-
» versa Germania, verum et in hac Alma Urbe no-
» stra, ac reiiqua passim Italia, ubi fel rec. Gre-
» gorii XIII. Praedecessoris nostri Constitutio su-
» per Praecedentia edita maxima viget, eosdem
» Fratres Excalceatos, Recollectos, at Reformatos
» in Processionibus, aliisqua tum publicis actibus,
» at functionibus quibuscumque, nulla habita ra-
» tione majoris, vel minoris antiquitatis suorum
» Conventuum, praecedant; solumqua aliquot ab
» hinc annis, pro parta dictorum Fratrum Refor-
» matorum nonnullae quaestiones super ejusmo-
» di praecedentia memoratis Fratribus de Obser-
» vantia in quibusdam Italiae Provinciis motae
» fuerunt sub obtentu, quod quidam eorum Con-
» ventuum tempore, et fundatione illis Fratrum
» da Observantia forent priores, licet in reliquis
» ejusdem Italiae Provinciis Fratres de Observan-
» tia praedicti praecedentiam praefatam pacifice
» obtineant, etiamsi eorum Conventus post alios
» Fratrum Reformatorum inibi arecti reperian-
» tur; Nos considerantes ejusmodi controversias
» inter Fratres dicti Ordinis, qui vota sua in spi-
» ritu humilitatis, et paupertatis Domino exhibère
» profitentur, minime decere, ac turbas in eum-
» dem Ordinem non sine scandalo, ac mutuae in-
» ter eos caritatis detrimento invehere posse, a-
» deoqua illas omni ratione recidere, unamque,
» ac certam hae in re formam ab omnibus Fratri-
» bus Reformatis praedictis servandam praescri-

» bere volentes, nec non Gregorii Praedecessoris Litterarum praedictarum tenorem, et alia quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et exacte specificatis habentes, motu proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberationes nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, quascumque causas, lites, seu controversias inter Fratres de Observantia, et reformatos praedictos super praecedentia praefata ubilibet, et coram quibusvis Judicibus quomodolibet motas, ac pendentes ad Nos harum serie avocamus, illasque penitus, et omnino extinguimus, ac supprimimus, et perpetuum desuper silentium imponimus; Utque deinceps idem usus, ac mos, qui in Urbe praefata, ac alibi inter Fratres de Observantia, et Reformatos servatur, ac retinetur, in universa Italia observari, et retineri debeat, quod scilicet dicti Fratres de observantia ubique in Processionibus, aliisque actibus tam publicis, quam privatis digniorem, et honorabiliorem locum obtineant, ac ipsos Fratres Reformatos praecedant, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, tenore praesentium statuimus, et ordinamus. Districte in virtute Sanctae Obedientiae, et sub Excommunicationis majoris latae sententiae eo ipso per contrafacientes incurrenda poena omnibus, et singulis Fratribus Reformatis Ordinis praedicti nunc, et pro tempore existentibus inhibentes, ne deinceps super praemissis, eorumve occasione Fratres de Observantia hujusmodi molestare, inquietare, perturbare, aut quoquomodo impedire audeant, vel praesumant. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, et alios quoslibet quacumque auctoritate, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis Filiis locorum Ordinariis per praesentes, motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel eorum quilibet per se, vel alium seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum Fratrum de Observantia fuerint requisiti, eis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa juxta praesentium continentiam, et dispositionem observari; Contradictores quoslibet, et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, Censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus dictis Gregorii Praedecessoris litteris, ac Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque, quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, ac Fratrum Reformatorum praedictorum, illorumque Conventuum, Domorum, et locorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, et innovatis; Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam, et expressam, et de verbo etc.

» Volumus autem, quod praesentium Litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quae presentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima quarta Febr. millesimi septingentesimi vigesimi sexti, Pontificatus Nostri anno secundo.

F. CARDINALIUS OLIVERIUS.

Locus ✠ Annuli Piscatoris.

52 Regulares Conventus conatu, seu violentia Turcarum, vel Haereticorum, aut hostili furore suppressi, et postea ipsis restituti, gaudent pristina praecedentia, et recuperant omnia primaeva Jura; Sic enim in facti contingentia fuit resolutum a *Sacra Rit. Congregatione die* 6 *Decembris* 1645. in *Augustana Praecedentiae* inter Minores Conventuales, quorum Conventus fuerat ab Haereticis Lu-

theranis Augustae suppressus), et Fratres Minores de Observantia, qui post Conventualium expulsionem Conventum in dicta Civitate obtinuerant; Et fuit decretum, Praecedentiam tam in Processionibus publicis, quam in eis, quae fiunt in tumulandis Cadaveribus Defunctorum, et in sessionibus, aliisque similibus, deberi Conventualibus postea restitutis. Et quidem merito, quia cum dictus Conventus fuerit injuste, et violenter suppressus, nunquam Conventuales fuerunt privati sua legitima possessione praecedendi, licet per aliquod tempus caruerint exercitio, adeoque ex capite Justitiae illam recuperare potuerunt; *l. Final Cod. Si per vim; et l. Clam possidere §. Qui ad nundinas, ff. de acquirend. vel amittend. possess.* In similibus enim casibus redintegratio retrotrahitur ad tempus primae erectionis, cum currat in istis natura Postliminii, quod rem in pristinum statum reponit, ut patet ex dictis verb. *Postliminium per tot.* et signanter *n.* 7. ubi Pat. Joannes Cheron Provincialis Carmelitarum a Turcis captus, et postea liberatus, et Decreto Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium fuit manutentus in possessione sui Provincialatus, cassata alterius Provincialis electione. Et sic tenet Rota *coram Merlino decis.* 302. *n.* 2. Pignateli. *tom.* 9. *consult.* 183. *n.* 12. Menoch. *de recuperand. possess. remed.* 10. *nu.* 111. Gratian. *discept.* 1545. *n.* 9. *et sequent.* Sapon. *disceptat.* 345. *tom.* 5. et alii passim.

53 Secus autem si fuerit motu proprio Papae suppressus, et postea ex mera gratia a Sancta Sede restitutus; Tunc enim praecedentia in Processionibus, et aliis actibus debetur Regularibus praeexistentibus, quia talis restitutio habetur pro nova fundatione: Sic *Sac. Congreg. Rit. in Senogallien.* 21. *Januarii, et* 1. *Septembris* 1696. apud Monaceli. *part.* 1. *tit.* 6. *formul.* 19. *n.* 14. Nisi restitutio fiat plenarie quoad omnia, de quo textus *in cap. Quamvis* 8. *de rescriptis in* 6. alias nequaquam, ut ibi in littera: « Cum talis restitutio, ubi aliud non exprimitur, intelligatur fieri sine juris praejudicio alieni »: Quia licet dicti Regulares sint primi ratione Conventus, ad quem restituti fuerunt, sunt tamen secundi respectu ad restitutionem, et novam gratiam, adeoque, nisi Pontifex in litteris restitutionis expresserit eos restituere etiam quoad praecedentiam, non possunt praecedentiam praetendere, ut ponderat Gloss. in *cit. cap. Quamvis, vero. Praesupponatur in fine*, ibi: « Nisi aliud Papa diceret in restitutione, videlicet, quod me restituit ad datam, et prioritatem temporis, et vult gratiam meam valere perinde ac si revocata non fuisset, etiam quoad prioritatem temporis ». Pignateli. *tom.* 9. *consult.* 183. *n.* 10. *et seq.* et alii passim.

54 Regulares in Processionibus incedunt post Confraternitates Laicorum, et post eos in digniore loco Clerus saecularis: *Sac. Congr. Rituum* in *Messanen* 7. *Augusti* 1621. apud Seilium in *Select. Canonic. cap.* 25. *n.* 17. Barbosa *Summ. Apostolic. decis. verbor. Regulares quoad praecedentiam num.* 5.

Regulares in suburbiis, et territorio Romano servant praecedentiam, sicuti in ipsa Urbe: *Sac. Cong. Rit. in Tusculana* 2. *Mart.* 1613. *et in Anagnina* 20. *Jun.* 1626. apud Lantusch. in *Theat. Regul. verb. Praecedentia*, ubi per extensum refert dicta Decreta. 55

Regulares in Processionibus debent Clerum saecularem anteire, nec cum Clero saeculari mixti incedere valent: *Sacra Congregatio Rituum in causa Castellae, et Legionis* 30. *Augusti* 1592. *et in Legionen.* 24. *Septembris* 1605. *et in Neapolitana* 7. *Julii* 1612. apud Barbosam *in Summa Apostolicar. decis. verb. Regulares quoad praecedentiam num.* 7. 56

Regulares non possunt praetendere praecedentiam super Parochum Regularem, quando inter alios Parochos procedit in Processionibus: *Sacr. Congreg. Rit. in Asten.* 23. *Novembris* 1602. apud Seilium *cit. cap.* 25. *num.* 18. et Barbosa *loc. c. num.* 8. 57

Regulares debent locum digniorem in Processionibus, cedere Clero saeculari, licet Prior Regularium deferat in Processione Reliquiam: *Sacra Congregat. Rit. in Senogallien. Montis Bodii* 24. *Septembr.* 1605. *et* 23. *Januar.* 1610. apud Barbosam *loc. cit. num.* 9. Praecedentia enim supra Clerum saecularem debetur solis Regularibus paratis deferentibus in Processione Reliquias, non tamen caeteris non paratis: *Sacr. Congregat. Episcop. in Juvenacen.* 4. *Septemb.* 1693. apud Monaceli. *tom.* 1. *tit.* 5. *num.* 32. 58

Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Episcop. nec non Episc. Titularium, et Administratorum: Vide verb. *Episcopus art.* 4. *et* 7. 59

Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Vicarii Generalis. Vide v. *Vicarius Generalis art.* 3. 60

Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Canonicorum. Vide verb. *Canon. art.* 7. *et* 8. 61

Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Coadjutorum. Vide verb. *Canonicus art.* 10. *et verb. Coadjutor.* 62

Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Vicarii Foranei. Vide verb. *Vicarius Foraneus.* 63

Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Confraternitatum. Vide verb. *Confraternitas art.* 6. 64

Quoad ea, quae concernunt praecedentiam Magistratus. Vide verb. *Magistratus.* 65

Quoad ea, quae concernunt praecedentiam generatim. Vide Pignateli. *tom.* 5. *consult.* 12. *per tot.* ubi *n.* 81. habet ut infra. 66

* Praestat heic adnotare, quod anted. Pignateli. *ib. sub. num.* 83. tradit in haec verba: « Prae » caeteris (in materia praecedentiae) juvat tran- » sactio, quae observanda est. Cum enim fiat pro » bono pacis, praesertim inter Ecclesiasticos, su- » per hujusmodi praeeminentiis, servari omnino » debet, ut... semel, ac iterum firmavit Rota apud » Seraph. *decis.* 22. *et* 81. *per tot.* Qua obligan-

» tur etiam successores, quando apparet initam » fuisse bona fide super re quam maxime dubia, » et ad extinguendas gravissimas lites... et Cano» nici, et dignitates successores ligantur concor» dia inita per antecessores, quamvis *confirmatio* » *Papae non intervenerit*. Quod etiam firmavit » Rota *in Cosentina praecedentiae* 6. *Jun*. 1618. » coram Dunozetto. Praesertim si fuerit longo tem» pore observata, ut in specie concordiae obser» vatae per spatium viginti trium annorum tradit » Rota *Decis*. 88. *num*. 5. *et seqq. p*. 6. *recent*. » Per observantiam enim inducitur approbatio... » ex qua vel dicitur praescriptum jus alterius, vel » saltem per spatium decem annorum inducta con» suetudo, *Rot. in Cordubensi decis*. 28. *Jun*. » 1628. coram Ubaldo... Cui concordiae per quae» cumque Rescripta non censetur unquam dero» gatum, nisi de ea fiat specifica mentio »*.

67 In disputationibus publicis Romae observatur fere semper hic praecedentiae ordo. Si inter invitatos ad arguendum aliquis sit Praelatus, hic ratione dignitatis est primus argumentator. Secundus, Regularis Thomista. Tertius, Regularis Scotista, vel alterius Religionis, aut Saecularis. Si vero Praelatus nullus arguat, serventur privilegia concessa a Summis Pontificibus, praesertim Thomistis, et Scotistis repraesentantibus propriam scholam. Unde primus Arguens est Regularis Thomista, secundus, Regularis Scotista, tertius ad libitum, nisi forte tam Praelatus, quam Thomista, et Scotista velit resumere tertium argumentum, quod reputatur specialis honor; Doctores autem saeculares, etiam actu legentes, cum non repraesentent propriam scholam, cedere debent Thomistis, et Scotistis.

68 His adde, quod Canonici Clerici, ubi Praebendae non sunt distinctae in Presbyterales, Diaconales, ac Subdiaconales, quamvis antiquiores receptione, non sunt praeferendi Canonicis Presbyteris, etiam postquam ipsi Canonici Clerici fuerint effecti Sacerdotes, et tunc nec ipsis competit reintegratio, seu praecedentia adversus Canonicos Sacerdotes, et posteriores receptione; cum jus semel adeptum ex Sacerdotio nunquam amittatur, non obstante immemorabili in contrarium consuetudine, quam abusum imperceptibilem declaravit *Sacr. Congr. Rit. in Sutrina Praecedentiae die* 27. *Augusti* 1707. et alibi saepissime, ut refert Scarfantonus ad Ceccoperium *part*. 1. *in animadv. ad tit*. 11. *sub n*. 16. et refert etiam Monacelli *part*. 4. *in supplement. ad III. Tomum n*. 109. et Pitton. *de Sacris Rit. tom*. 2. *n*. 1632.

69 Canonici Collegiatae capitulariter incedentes in omnibus sunt praeferendi Parochis, et etiam Parocho Ecclesiae Matricis: Sic expresse *Sacra Rit. Congregatio anno* 1666. *mense Augusti in respons. ad* 1. *dub*. apud Pignatell. *tom*. 6. *consult*. 74. et novissime *in Januensi* 19. *Jul*. 1710. ubi cum Parochi Urbani praetenderent praecedentiam supra Collegiatam insignem S. Mariae Vinearum, proposito dubio: « An Canonicis dictae Collegiatae debeatur praecedentia adversus Parochos Urbanos »: Sacra Rituum Congregat. ad relationem Eminentissimi Barberini *sub die* 19. *Julii* 1710. *ad* ul. *dub*. respondit: *Affirmative*, ut refert Ursaya, qui in hac causa egregie scripsit ad favorem ejusdem Collegiatae *tom*. 1. *pag*. 1. *discept*. 6. *sub n*. 192. Et iterum confirmavit stando *in Decisis anno* 1716. 19. *Julii*, ut refert eruditissimus Nicolaus Coleti in additione ad Ughellum *in Italia Sacra tom*. 4. *Provinc*. 8. *de Januens. Episcop pag*. 836. Et pluries firmavit etiam Sacra Rota, et signanter *part*. 17. *recent. decis*. 87. *in Burgen. Praeeminentiar. coram Rondinino num*. 4. ubi plura adducit merito videnda.

Quae praecedentia debeatur Missionariis Ord. Min. de Observantia pro Sanctis Locis, et aliis: Vide verb. *Privilegium art*. 1. *n*. 31. 70

Attendenda est hic Constitutio Bened. XIII. incip. *Militantis Ecclesiae*, edita 25. Junii 1727. in qua confirmatur Constitutio S. Pii V. super praecedentia Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini in Processionibus, et aliis actibus publicis, et privatis, statuendo, quod ipsi, ubi interesse contigerit, statim ipsum Clerum Saecularem non exemptum subsequi, dum ipsi subsequendo praecedunt, dum vero praecedendo praecedunt, illum immediate sequi debeant. 71

Observanda est Constitutio Innocent. XIII. incip. *Dudum*, edita 5. Julii 1725. qua statuitur, ut Fratres Laici de Observant. Reform. ac Tertii Ordinis in Regno Siciliae praestent juramentum, vel votum emittant coram testibus cedendi Clericis praecedentiam, nec Superiores Ordinis praedicti possint imposterum Laicos, seu Conversos quoscumque ad Professionem admittere, nisi prius ab ipsis emissa tali voto, vel juramento: Injuncta Superioribus contrafacientibus privationis Officii, et vocis activae, et passivae poena ipso facto incurrenda; Laicis vero, seu Conversis sine praedicto voto, seu juramento profitentibus, nullitatis Professionis. Et interim Superiores ejusmodi Laicos, seu Conversos compellant ad observantiam Litterarum Urbani VIII. hac de re emanatarum 16. Novembris 1642. in quibus statuit praecedentiam deberi Clericis sub poena excommunicationis contra ipsos, et Superiores contrafacientes circa dictam praecedentiam, et non obstante quocumque praetextu anterioritatis Vestitionis, et Professionis, et consuetudinis. 72

Praecedentiae non semper a personali dignitate desumuntur; Abbates enim simplices aliquando praecedere possunt Superioribus Generalibus sui Ordinis, praesertim extra actus Monasticos: Benedict. XIV. tom. 1. tom. 1. Constitut. 98. incip. *Inter plures*, §. 16. ubi affert exempla promiscuae praecedentiae. Nempe, inter Canonicos Basilicarum Urbis, quum aliqui sint Episcopali Di- 73
gnitate insigniti, hi quidem reliquos omnes Cano- 74

nicos praecedunt: Vicarius autem repraesentans
personam Cardinalis Archipresbyteri, qui Basili-
cae caput est, quamvis idem simplex Praelatus sit
absque Ordine Episcopali; tamen in Choro, et in
omnibus actibus Capitularibus, praedictos Canoni-
cos Episcopos praecedit. Extra Chorum vero, et
extra actus Capitulares, infra eosdem incedit, et
75 sedet. Idem pariter procedit in Collegio Advoca-
torum Consistorialium inter Advocatos Episcopali
dignitate insignitos, et Decanum Collegii, qui uti
caput, quamvis plerumque simplex Clericus exi-
stat, in actibus Collegialibus ipsi praecedit, extra
vero in omnibus decedit.

76 Praedentiae inter Graecos, et Latinos desu-
muntur ab Ordine, antianitate, aut dignitate per-
sonali: Idem Constitut. 57. incip. *Et si Pastora-
lis*, §. 9. Praecedentia inter Episcopos, et Guber-
77 natores Praelatos, aut Vicelegatos Ditionis Ec-
clesiasticae stabilitae sunt ab eodem Pontifice Con-
stitut. 18. incip. *Quod Apostolus*, et in *Appen-
dic. tom.* 2. *nu.* 2. *pag.* 6. Vide *ibi* late de omni-
78 bus. Praecedentiae Ordo inter votantes signatu-
rae Justitiae, et Gratiae servandus praescribitur
ab eodem Pontifice tom. 2. Constitut. 9. incip.
Militantis, Ecclesiae, nempe, quod Votans, prius
in suo respective Tribunali admissus, alteri in suo
posterius admisso praecedat. Et si contigerit, am-
79 bos alterius Signaturae Votantes eodem die in suo
respective Tribunali admissos fuisse, praecedentia
detur illi, qui in Praelatura quacumque antiquior,
et prior reperitur. Verum cum aliquis Votans al-
terius Tribunalis hujusmodi sive Episcopali cha-
ractere insignitus, sive Protonotarii Apostolici di-
gnitate ornatus, sive quocumque alio ejusdem Ro-
manae Curia munere, vel Officio decoratus repe-
riatur, praecipit; ut nulla habita Signaturae Ju-
stitiae, aut Gratiae Votantis ratione, illa dum-
taxat praecedentia illaesa remaneat, quae Votanti
80 alias debetur. Et denique statuit, hujusmodi prae-
cedentiam, cum quivis Votans in utroque Signa-
turae Justitiae, et Gratiae Tribunali adscriptus
fuerit, a primaeva ipsius Votantis in altero utrius-
que Signaturae Tribunali admissione esse repe-
tendam, et definiendam.

81 Quoad praecedentiam hic juvat adducere, quae tradit eruditissimus Franciscus Maria Pitonius Advocatus Romanus, Episcopus Imerlae, et Benedicti XIII. Auditor, *in parte tertia disceptat.* 57. *n.* 14. ubi in Summario sic praecise habet: « Parochus Regularis Ecclesiae Matricis praecedit Parocho Ecclesiae Saecularis eidem subditae, et sic etiam Clerus Regularis Ecclesiae Cathedralis quoad Clerum saecularem Ecclesiarum inferiorum, » et in corpore, *sub eodem num.* 54. ita pariter praecise: « Ex quo principio decisam habemus illam quaestionem, an Parochus Regularis Ecclesiae Matricis praecedere debeat Parocho Ecclesiae Saecularis in quibuscumque processionibus, et functionibus publicis; licet enim de jure praecedentia competat Parocho, et Clero Saeculari supra Regularem; id tamen procedit, ubi uterque Clerus, et Parochus interveniunt tamquam Personae de Ordine, et hierarchia Ecclesiastica in genere inter se coaequales, secus autem ubi Parochus, et Clerus Regularis interveniat tamquam repraesentans Ecclesiam Superiorem, nempe aut Cathedralem, aut Matricem: hoc enim casu non intrat ratio ordinis hierarchici circa praecedentiam Clerici Saecularis supra Regularem, sed ratio superioritatis, et respective subjectionis, ne detur absurdum, quod subditus praecedat Superiorem, dum tali casu Regularis dicitur intervenire in figura, et repraesentantia Superioris, et sic praecedit, ut, quidquid dixerit Pignat. *consult.* 26. *tom.* 4. bene firmavit Cardin. de Luca, *de praeeminent. discurs.* 51. *numer.* 20. Ansaid. *in annotat. ad decis*, 55. *num.* 17. et ego obtinui in una Melevitana *praeminentiorum in Sac. Congregat. Rituum* 27. *Februarii.* 1723. in *respon. ad dub. secundum ad relat. Eminent. D. Card. Gualterii*, ubi scribendo pro PP. Dominicanis Ecclesiae Parochialis B. Mariae de Portu Salvo Civitatis Valletae, obtinui resolutionem, quod Parocho Regulari supradictae Ecclesiae Regularis tamquam Matricis competeret praecedentia supra Parochum Ecclesiae Parochialis Saecularis Sancti Pauli in quibuscumque Processionibus Generalibus, et functionibus Episcoporum, juxta quam resolutionem, Me scribente, judicavit etiam Rota in nullius Calaguritana juris ingrediendi Chorum super manutentione 10. Maii 1723. §. aut vero, coram Reverend. Patre Domino Cerro ».

Et revera sapientissimus, et practicissimus Car- 82
din. de Luca loco ab ipso citato sic praecise habet: « His ita constitutis, de consequenti nimium planam esse dicebam responsionem ad objectum praecedentiae debitae Clericis saecularibus supra Regulares ex deductis supra *dict. discurs.* 24. *et alibi*, quod scilicet conclusio sit in suo casu verissima, sed male ad rem applicata: procedit etenim, quando Clerici saeculares, et Regulares diversarum Ecclesiarum inferiorum aeque subditarum in functionibus interveniunt, adeo ut aliam non faciant figuram, nisi illam, quam propr. Ordo, propriaeq. Eccles. qualitas praebeat, cum tunc dicta distinctio hierarchica intret. Secus autem, ubi aliqui Regulares interveniant tamquam repraesentantes corpus Cathedraticum, ut sequitur in illis Cathedralibus, vel Metropolitanis, quae sint Regulares, juxta recensitas supra *dict. discurs* 2. *et sequent.* sive tamquam repraesentantes Ecclesiam Superiorem, et constituentes unum corpus cum Praelato Regulari, ut in istis Ecclesiis Monasterialibus contingit; quoniam tunc non intrat d. ratio ordinis hierarchici, sed intrat altera Superioritatis, et subjectionis respective, et ne detur absurdum, quod subditus praecedat Superiorem, quodque membra inferiora praecedant caput. Ideoque Monachi Benedictini seu Casinenses, vel Canonici Regulares Lateranenses hodie in Urbe occupant suum locum

in ratione antiquitatis, sed quando erant Canonici Ecclesiae Lateranensis, occupabant primum locum supra universum Clerum Romanum cum similibus, atque in hoc versantur adeo frequentia modernorum aequivoca, quae eorum cibus quotidianus esse videntur, intelligendi, et practicandi conclusiones in abstracto, sive in littera, non reflectendo ad hujusmodi distinctiones, et circumstantias, ex quibus applicatio pendet, in qua totum est punctum.

83 Praecedentia inter Parochos debetur illi, qui prior fuit assumptus ad regimen suae Parochialis: de jure enim is praecedit, qui in labore est antiquior instar Militiae; *l. Nemo* 2. *de Officio Magistri Officior. l. Tirones* 5. *Cod. de Tironib.* Ciriac. *controvers.* 201. *num.* 44. Seraphin. *decis.* 326. *num.* 3. Pignatell. *tom.* 6. *consultat.* 67. *nu.* 1. ubi refert, quod id resolvit *Sac. Rit. Congregatio in Maceratensi praecedentiae*, referente Eminentiss. Sacchetto, atque habetur in Statuto Cleri Romani *capit.* 2. §. 6.

84 Quilibet autem Parochus in propria Ecclesia omnibus aliis Parochis praecedit, excepto Capitulo Cathedralis, quia secluso hoc casu de interventu Capituli Cathedralis respectu praecedentiae, quilibet in domo sua regulariter dicitur major: *L. Nihil omnino* 4. *et ibi* Glossa final. *Cod. de Palatinis sacrar. largition.* et expresse cum aliis Rota *recent par.* 1. *decis.* 616. *num.* 3. Rectores autem Ecclesiarum in propriis Ecclesiis dicuntur esse in propria domo *cap. duo* 23. *quaest.* 4. Abbas *in cap. Venerabilem*, *de election. num.* 19. cum aliis relatis per Gonzalez *ad regul.* 8. *gloss.*
85 *num.* 102. Quinimmo in ea sunt Reges, et Imperatores: Unde etiam Rex existens in aliena domo, debet cedere Domino, ut notat Decian. *Consil.* 67. *num.* 12. *et* 13. *volum.* 2. Solorzan. *in allegat. pro supremo Concil. Indiar. super praecedent. num.* 92. Besold. *dissert. de praecedent. cap.* 3. *num.* 15. et expresse Pignatell. *tom.* 3. *consultat.* 17. *num.* 14. Vide in fine h. Tom. in Appendice, Decreta Sacr. Congr. Conc. in *Maceraten. Jurium Parochial. in respons. ad* 6 *et* 7. *dub.*

86 Prior enim in propria Ecclesia, etiamsi sit aliis Parochis inferior, dicitur pro se habere juris assistentiam in praecedendo caeteris aliis, ad text. *in cit. l. Nihil omnino, Cod. de Palat. Sacr. largit. et ibi* etiam Glossa final. Decian. *consil.* 63. *num.* 12. *et sequent. vol.* 2. et Rota in *Calaguritana praeeminentiarum de victoria* 16. *Novembr.* 1591. *coram Penia*, Abbas *in cap. Postulastis n.* 8. *de concess. Praebend.* Geminian. *in cap. A collatione num.* 7. *de appellat.* Put. *decis.* 104. *nu.* 4. 5. *et* 6. *lib.* 3. *in correct.* allegat a Rota *recent. par.* 5. *tom.* 1. *dec. III. num.* 6. *et* 27. et ita expresse resolvit *Sac. Rit. Congregatio in Asculana* 23. *Maii* 1641. apud Pignatell. *tom.* 7. *consultat.* 46. *num.* 6. ubi expresse dicit, quod praedicta eo magis locum habent in Ecclesia propria, etiamsi Parochus alter sit dignior, citans ad id, Abbatem, Gonzalez. et Gratian. et asserens id saepius declarasse eamdem *Sac. Cong. Rit.* Et ad hoc facit etiam, quod nec Episcopo extra suam Ecclesiam, et Dioecesim conveniunt ea, quae proprio Episcopo in sua Ecclesia, et Dioecesi debentur, ut declaravit *ead. Sac. Rituum Congregatio in Policastren.* 21. *Augusti* 1694. hi verbis: « Episcopo extra suam Dioecesim, et in loco, in quo non habet jurisdictionem, non conveniunt ea, quae proprio Episcopo in sua Ecclesia, et Dioecesi debentur » : Sie apud Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 54. *num.* 3.

Attendenda tamen semper in his legitima con- 87
suetudo, quae in materia praecedentiae inducitur per decem annos, eaque praescribitur: Ceriac. *controv.* 201 *n.* 169. Pignatell. *tom.* 6. *consult.* 67. *n.* 5. cum pluribus ibi allegatis, Rota *in Mutinensi praecedentiae* 25. *Junii* 1683. *et par* 5. *recentior. decis.* 483. *numer.* 1. Etiamsi sit contraria juris dispositioni, cum ipsa habeatur pro jure, et praevaleat etiam ipsi juri: Ciriac. *loc. cit. n.* 171. Seraphin. *decis.* 694. *num.* 1. Gregor. *decis.* 224. *num.* 2. Sperell. *decis.* 36. *num.* 4. Pignatell. *l. cit. num.* 3. Et Rota *in dict. Mutinens.* accedente praesertim scientia, et patientia adversarii, Greg. *decis.* 417. *num.* 2. Coccin. *decis.* 26. *num.* 3. *et decis.* 31. *n.* 6. apud Post. *de manutenent.* Pignatell. *l. cit. n.* 3. Rota *recent. par.* 2. *decis.* 716. *num.* 3. quae consuetudo nec interrumpitur per reclamationem, in qua quis succubuit: Rota *recent. par.* 4. *tom.* 2. *decis.* 214. *n.* 2. *et* 3. *et par.* 29 *tom.* 1. *decis.* 99. *n.* 10. *et sequent.* Et actus quamvis unicus tribuit quasi possessionem manutenibilem in materia praecedentiae: Rota *recent. par.* 11. *dec.* 320. *n.* 14. *et par.* 14. *decis.* 148. *n.* 8. Praesertim constito de bono jure: Rota *recent. par.* 17. *decis.* 156. *n.* 13. Licet secus sit, ubi actus sit aequivocus, Rota *recent. par.* 11. *decis.* 320. *numer.* 32.

* Parochus loci, ubi quis obiit, cadaver asso- 88
cians semper habet praecedentiam supra alios, quousque est intra limites Paroeciae suae: *Instit. Ecclesiast.* 105. §. 54.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Consuetudinem utramque paginam facere in 89
subjecta materia praecedentiae, proverbii loco dici solet.

Nihilo tamen minus gravis est quaestio, an sit 90
servanda consuetudo, per quam minus dignus praefertur magis digno? Varii in varias abierunt sen-
tentiae; Rota vero processit hac cum distinctio- 91
ne, ut si agatur de praeferendo minus digno in *omnibus actibus*, stari minime debeat huic consuetudini, sin vero res sit de praelatione minus digni magis digno in *aliquibus tantummodo actibus*, recedi haud possit ab hac consuetudine. Vide Decisiones *in Capuana, seu Casertana Processionum*

super praecedentia 10. *Martii* 1743. §. 8. *cor. bon. mem. de Vais*, *et* 17. *Junii* 1746. §. 8. *cor.*
92 *Eminentiss. Elephant.* quod procedit, tum si triginta, vel quadraginta annorum, tum et maxime si centenaria, vel immemorabilis sit consuetudo.
93 Sed dubitari non immerito potest, an haec distinctio locum sibi vindicare queat, ubi ex dispositione expressa Ritualis, vel Caeremonialis Episcoporum, magis dignus obtinere debeat praecedentiam supra minus dignum in actu particulari?
94 Sacrum Tribunal Rotae etiam in hoc casu admittere videtur mox dictam distinctionem, in mox allegatis decisionibus; sed praeter causae illius necessitatem: nam ut habet *Decisio diei* 17. *Junii* 1746. §. 7. praecedentia in illo casu non descendebat ex Rituali, vel Caeremoniali. Magis arridet sententia eorum, qui hoc in casu teneat,
95 servandam haud esse consuetudinem, ex Decreto irritante, quo munitae sunt Constitutiones confirmatoriae Ritualis, et Caeremonialis; *Sperell. decis.* 179. *num.* 34. *et plur. sequent.* Confer. et *Clericat. de Benefic. disc.* 68. *num.* 6. *et plur. sequent.*
96 De praecedentia, ubi res postulat, consule *Jacobum Gothofredum de jure praecedentiae*, qui accuratissime de ea agit.

ADDITIONES CASINENSES

Liceat insuper sequentia Sac. Rit. Congregationis decreta afferre, *in addit. ad n.* 6. *h. art. quoad praecedentiam Capituli Cathedralis.*

« Contendente Rectore Ecclesiae Paroch. S. » Silvestri Civitatis Sutrinae in funeribus sui Pa» rochiani, in Processionibus, et aliis Functioni» bus Ecclesiasticis, praesentibus Capitulo, et Ar» chipresbytero Ecclesiae Cathedralis ejusdem Ci» vitatis, sibi competere nonnullas praeeminentias. » Hinc super eisdem controversiis exortis, Capi» tulum una cum Archipresbytero pro declaratio» ne infrascript. dubiorum humiliter supplicavit ».

« *Primo*: an Parochus S. Silvestri teneatur ac» cedere ad Cathedralem ad levandum Capitulum » Cathedralis pro associando cadavere sui Paro» chiani defuncti tumulandi in Paroch. vel in qua» cumque alia Ecclesia, etiam Regularium, quando » Capitulum interveniat in associatione? Resp. *Af*» *firmative* ».

« *Secundo*: an etiam Regulares in casibus prae» dictis teneantur prius accedere ad Cathedralem » ad levandum Capitulum, non autem ad Paro» chialem S. Silvestri? Resp. *Affirmative* ».

» *Tertio*: an Capitulum, et Canonici non solum » in via, sed etiam in propria Ecclesia Parochiali » praecedere debeant ipsi Parocho in funeribus, » et aliis Functionibus, non obstante praetensa » contraria consuetudine? Resp. *Affirmative*, prae» terquam in actu faciendi Officium, quoad spec» tat ad Parochum ».

« *Quarto*: an Parocho praedicto, tam in via, » quam in Ecclesia Parochiali, quando associat » Cadavera suorum Parochianorum, prohibita sit » erectio propriae Crucis praesente Capitulo Ca» thedralis? Resp. *Affirmative*, *praeter quam in* » *actu peragendi Officium* (*) ».

« *Quinto*: an liceat dicto Parocho occasione » Processionum discedere a sua Parochia, accede» re, et transire per Parochiam Cathedralis cum » stola, et Cruce erecta, et simili modo redire ad » suam Parochiam, vel potius debeat in Cathedrali » erigere, et deponere Crucem, et stolam? Resp. » *Affirmative* quoad primam partem, *Negat.* quoad » secundam ».

« *Sexto*: an deceat Capitulum, et Canonicos » assistere praedicto Parocho solemniter celebranti » in Festivitatibus SS. Annae, et Silvestri, quan» do invitantur ad Ecclesiam Parochialem: an » vero unus de Capitulo debeat Missam cantare? » Resp. *Affirmative* quoad primam partem, *Nega*» *tive* quoad secundam ».

« *Septimo*: an liceat Archipresbytero Cathe» dralis in associatione cadaverum, aliisque pro» cessionibus ingredi Ecclesiam Parochialem cum » stola, an vero debeat illam in janua deponere? » Resp. *Affirmative* quoad primam partem, *Ne*» *gative* quoad secundam. Et ita declaravit, et » servari mandavit S. Rit. Congregat. partibus » informantibus auditis, *die* 28. *Aprilis* 1703. *in* » *sutrina Praeeminentiarum* ». Apud Manuale decretorum authent. S. Rit. Congreg. primum Romae, deinde Neapoli edit. an. 1747. n. 277.

Item. Ad dub. « An in funere defuncti alterius Parochiae interveniente Capitulo, liceat primae dignitati Cathedralis, sive, ea absente, alteri de Capitulo in ordine digniori incedere cum pluviali, et stola nigri coloris? *Affirmative, et amplius*. S. Rit. Cong. in *Cajetana* 16. *Jul.* 1757. » *cit.* Manual. *num.* 278.

(*) Intellige dummodo secus non obtineat consuetudo: Vid. Lucium nostr. *v. Parochus quoad Resid. Praecedentiam* etc. n. 59. et addit. Casinenses ibi, et in Append. 3. post art. *v. Paroch.* (nec non v. *Crux num.* 37).

PRAECEPTUM

VIDE VERB. *LEX ART.* 1. *A N.* 16. *AD* 19.

PRÆDICARE, PRÆDICATOR

SUMMARIUM

1. Praedicare tenenler Episcopi, et hoc est praecipuum eorum munus, ec per se, vel per alios in casu legitimi impedimenti id facere debent. — 2. Item praedicare tenentur parochi per se, vel per alios. — 3. Immo Parochi, si ab Episcopo moniti trium mensium spatio suo praedicandi muneri defuerint, possunt ad id per Censurae compelli, seu per alias poenas arbitrio ipsius Episcopi, et etiam per subtractionem fructuum Beneficii, alteri, qui id praestet, persolvendorum. — 4. Praedicandum est per annum saltem omnibus Dominicis, et solemnibus diebus Festis; Tempore autem jejuniorum, Quadragesimae, et Adventos Domini quotidie, vel saltem tribus diebus, si ita oportere duxerint Episcopi. Et praedicator dicit salatationem Angelicam semper. Non vero Regina Coeli, etiam tempore Paschali. — 5. Per ly *Tempore jejuniorum* intelligitur solummodo tempus Quadragesimae, et Adventus, non autem tempus Vigiliarum. — 6. Relinquitur arbitrio Episcoporum, an tempore Quadragesimae, et Adventus quotidie, vel tribus diebus in hebdomada, vel minus illis tribus diebus praedicetur. — 7. Praedicationis tempore in Ecclesiis separanda sunt loca Virorum, et mulierum saltem per velum. — 8. Concionandum est Judaeis semel in hebdomada, qui tenentur ad Concionem accedere. — 9. Praedicationem in Ecclesia omnes possunt audire, Gentiles, Judaei, et Haeretici. — 10. Praedicationis tempore interesse tenentur Episcopi non impediti, Clerici, et alii ejusdem Ecclesiae. — 11. Unde potest Episcopus statuere, ne Canonici, et alii de Capitulo discedant ab Ecclesia tempore Concionis, et quod illi intersint quotidie sub poena amissionis distributionum illius diei, in qua defuerint. — 12. Praedicationis tempore non potest in Ecclesia dici Missa. — 13. Praedicationis tempore prohibiti sunt populi stare otiosi in Foro, seu in platea. — 14. Non est praedicandum de nocte, sed tempore praescripto ab Ordinariis; Unde nulla Concio, neque passionis Dominicae debet fieri de nocte. — 15. Si concio habeatur tempore Missae, debet haberi statim post *Evangelium*, vel post *Credo*, si in dicta Missa tali die dicatur; Quod si Celebrans ipse concionetur, deposita casula, et manipulo, sedet ad Cornu Evangelii, vel ascendit Cathedram: Si quis tempore Missae sit concionaturus coram Episcopo loci circa initium Evangelii genuflexus petit ab illo Benedictionem per *Jube Domne Benedicere* osculata Episcopi manu, postmodum Cathedram ascendit, at de more concionatur. — 16. Praedicator, si concionetur, dum est expositum SS. Sacramentum, stat nudo capite — 17. Praedicare non possunt Laici cujuscumque sint Ordinis, et professionis. — 18. Immo Laici praedicantes subjacent Excommunicationi, et nisi quam citius resipuerint, alia competanti poena sunt plectendi. — 19. Et a fortiori praedicare nequeunt mulieres. — 20. Potest tamen praedicationis munus ab Episcopo committi etiam Clerico, qui non sit in Sacris Ordinibus constitutus. — 21. Regulariter vero facultas praedicandi non conceditur, nisi Sacerdotibus; vel saltem constitutis in Ordine Diaconatus. — 22. Episcopus potest praedicare in quacumque Ecclesia, etiam Regulari suae Dioecesis, nec ab ullo potest impediri, aut prohiberi. — 23. Non potest tamen praedicare extra Dioecesim suam sine licentia Ordinarii loci. — 24. Episcopo praedicanti per se ipsum in sua Ecclesia, cum ex proprio munere ad id teneatur, minime licet etiam praetextu paupertatis, praetendere sibi praestari eleemosynam solitam dari praedicatoribus ab Universitate electis. — 25. Quando ipsemet Episcopus praedicat, silere debent alii Concionatores, illisque poterit praecipere, ut eo tempore a predicatione se abstineant — 26. Possunt tamen parochi per se ipsos inter Missarum solemnia sermonem habere, etiam quando Episcopus ipse praedicat. — 27. Parochi, si per se velint munus praedicationis obire, non debent impediri. — 28. Immo tempore Quadragesimae possunt de mane in suis Ecclesiis praedicare, non obstante consuetudine, quod in sola Matrice, vel alia Ecclesia concionetur. — 29. Parocho per se ipsum concionanti in sua Ecclesia, cum ex proprio munere ad id teneatur, minime licet praetextu cujuscumque paupertatis praetendere sibi praestari eleemosynam solitam dari praedicatoribus ab Universitate electis. — 30. Parochi prohibentur in suis Ecclesiis admittere Concionatores ab Ordinario non approbatos, etiamsi praedicare vellet aliquis Episcopus. — 31. Possunt tamen parochi dare licentiam alicui viro docto, et noto etiam Regulari, ut bis, vel ter concionetur in suis Ecclesiis sine Episcopi approbatione. — 32. Et a fortiori possunt, immo debent parochi, concedere approbatis ab Ordinario licentiam praedicandi in suis Parochiis. — 33. Approbare praedicatores spectat ad Episcopum, licet electio spectaret ad alios. — 34. Unde Praelatus exemptus inferior Episcopo, qui non habet Territorium separatum cum vera qualitate *Nullius*, non dat licentiam, neque Benedictionem praedicatoribus, qui praedicare debent in locis suae Jurisdictionis, sed ista facultas spectat ad Episcopum, in cujus Diocesi locus exemptus existit. — 35. Hinc ad Episcopum spectat dare Benedictionem Concionatori, qui praedicare debet in Ecclesia Conventuali Ordinis Militaris Sancti Stephani. — 36. Item ad Episcopum Dioecesanum spectat dare licentiam, et Benedictionem Praedicatoribus, qui debent praedicare in Ecclesiis Prioratuum Religionis Hierosolymitanae non habentium Territorium separatum cum Jurisdictione quasi Episcopali, et vera qualitate *Nullius*. — 37. Ordinarius debet eligere Praedicatores, nisi in contrarium sit consuetudo ab immemorabili. — 38. Electio tamen praedicatoris in sua Cathedrali spectat ad solum Episcopum, nulla habita ratione consuetudinis, etiam immemorabilis, quae competeret Capitulo, seu Episcopo cum Capitulo, vel de consilio Capituli. — 39. Unde Capitulum in electione Praedicatoris pro Ecclesia Cathedrali nihil potest. — 40. Si Civitas, seu Universitas sit in possessione nominandi Praedicatorem pro Cathedrali cum onere solvendi eleemosynam, debet manuteneri in tali possessione; At si Episcopus vellet Jus nominandi sibi vindicare (prout vere potest) non posset eamdem ad solutionem cogere, sed teneretur de proprio expensas, et eleemosynam subministrare. — 41. Nec in tali casu Pensionarii Mensae Episcopalis contribuere tenentur ad dictam eleemosynae taxam, seu praedicatoris manutentionis expensas. — 42. Et dato, quod Episcopus ab exercitio Jurisdictionis pro aliquo tempore suspendatur, et detur ei Vicarius

Apostolicus, adhuc retinet Jus talis electionis. — 43. Consuetudo immemorabilis nominandi, vel praesentandi Praedicatorem Episcopo pro Ecclesiis inferioribus non est sublata: Unde si Communitas, vel Dominus loci temporalis nominat praedicatorem, et solvit eleemosynam, consuetudo hujusmodi servanda est. — 44. Item si Episcopus consuevit eligere, et Communitas solvere, talis consuetudo servanda est. — 45. Si autem Communitas, vel Dominus loci temporalis nominat, et non solvit eleemosynam, tunc nisi consuetudo esset immemorabilis, et probata, posset, et deberet Episcopus hoc Jus impugnare, et sibi vindicare deputando praedicatorem pro libito. — 46. Communitas dare debet praedicatoribus mercedem dari solitam, nec potest ipsam imminuere, et reducere ad certam parvam quantitatem. Et an, et quando teneatur eis alimenta praestare? — 47. Episcopus praetendens Communitatem teneri praestare eleemosynam pro Praedicatore Cathedralis, tenetur ipse probare consuetudinem immemorabilem. — 48. Habentes jus nominandi Praedicatorem Quadragesimalem, debent illum nominare, et praesentare Episcopo in termino a Synodo Dioecesana praescripto; scilicet vel ante Festum Nativitatis D. N. J. C. vel duobus mensibus ante Quadragesimam, vel intra mensem Novembris; at si praesentatus fuerit rejectus, alium per totum mensem Decembris nominare, et praesentare, alias pro illa vice Jus emitterent, et ad Episcopum devolveretur, et solitam eleemosynam adhuc cogerentur solvere. — 49. Si tamen nominatio, et praesentatio praedicatoris fiat, re integra, paulo post terminum elapsum, admitti debet saltem ex gratia. — 50. Item quando habentes Jus nominandi nominaverunt, et praesentaverunt in tempore, si nominatus, et electus postea non vult, vel non potest illuc ire, non idcirco debent privari Jure suo sine culpa. — 51. Nisi accideret in ultimis diebus ante Quadragesimam, quia tunc providebit Episcopus, nec Universitates habentes dictum Jus recusare poterunt praedicatorem, vel ei eleemosynam solitam denegare. — 52. Universitates, seu alii habentes Jus nominandi Praedicatorem non possunt in suis Patentibus Litteris uti verbis *Eligimus, et deputamus, ac electum, et deputatum declaramus*, sed debent uti verbis *Nominamus, et praesentamus.* — 53. Haec regula etiam procedit, quamvis nominatio praedicatoris ad Generalem alicujus Religionis pertineret, quotiescumque non pro Religione, sed pro commoditate Universitatis, quae eleemosynam solvat, in Ecclesia Regulari Concio habenda sit. — 54. Praedicator destinatus ab Episcopo defuncto, vel Electus a Rectoribus antiquis, praedicare debet; nec Successores possunt alium eligere. — 55. Turnus, seu circulus Concionum, ubi est in usu, debet observari. — 56. Licet alternativa esset inter Universitatem, et Regulares. — 57. At ubi non est in usu, non debet introduci. — 58. Quando partes non sunt concordes, seu vertitur lis inter Episcopum, et Communitatem, Sacra Congr. solet eligere Praedicatorem, vel praecipere, ut jam electus prosequatur sine praejudicio partium. — 59. In quo casu tenetur Communitas, seu Universitas eleemosynam erogare. — 60. Casu, quo Parochus velit per se ipsum praedicare, debet id intimare, et notificare iis, qui Jus nominandi Praedicatorem habent ante tempus praefixum ad faciendam nominationem: alias habentes tale jus possunt juxta consuetum libere nominare, et eorum nominatio, et praesentatio esset executioni demandanda. — 61. Ubi adest consuetudo, quod non praedicatur, nisi in Cathedrali, vel Matrice, Episcopus potest prohibere, ne praedicetur in aliis Ecclesiis, etiam Regularium. — 62. Excipiantur tamen Ecclesiae Parochiales, in quibus praedicatio Verbi Dei prohiberi non potest, si Parochus per se ipsum hoc munus adimpleat, cum ad id Parochus teneatur ex suo Officio. — 63. Episcopus prohibere potest Regularibus, ne aliquo die concionentur, ut totus populus conveniat ad Cathedralem. — 64. Absque licentia Episcopi Praedicatores non possunt tempore Quadragesimae, et Adventus, aliisque temporibus commendare in Pulpito pauperes, et miserabiles personas. — 65. Praedicatores, etiam Regulares tenentur emittere Professionem fidei, si ab Episcopo exigatur. — 66. Episcopus examinare potest Praedicatores, etiam Regulares praedicare volentes in Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt. — 67. Et Episcopus licentiam praedicandi semel iisdem Regularibus concessam, ob rationabiles causas, licet occultas, Praedicationem tamen concernentes, suspendere potest. — 68. Non potest tamen Episcopus generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum praedicent. — 69. Praedicatores Regulares non possunt praedicare, nequidem in Ecclesiis sui Ordinis, nisi prius a suis Superioribus Regularibus fuerint examinati et approbati, et ab eis licentiam obtinuerint. — 70. Insuper praedicatores Regulares, ut praedicent etiam in Ecclesiis sui Ordinis, debent prius petere Benedictionem ab Ordinario. — 71. Sufficit tamen, ut Regulares in Ecclesiis sui Ordinis praedicare possint quod Benedictionem ab Ordinario petierint, quamvis illam non obtinuerint. — 72. Dummodo tamen Episcopus expresse non contradixerit. — 73. Nec Episcopus tenetur significare Regularibus caussam, ob quam contradicat eis, ne praedicent. — 74. Praedicatores Regulares tenentur petere Benedictionem ab Ordinario, etiam quando in quibusvis Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad Crates Monasteriorum Monialium sibi subjectarum, licet clausis januis, nullus saecularis ibi intersit, habere voluerint. — 75. Hinc non possunt Regulares in propriis Oratoriis, vel in propriis Ecclesiis, ne quidem unum sermonem in eorum festis, etiam extra tempus Adventus, et Quadragesimae habere coram populo sine Benedictione Ordinarii. — 76. Item Regulares, qui occasione recitandi Rosarium in suis Ecclesiis exponunt Sacra misteria, et faciunt pias exhortationes, tenentur petere Benedictionem ab Ordinario loci. — 77. Tempore Quadragesimae, Adventus, et hujusmodi longi temporis continuate praedicandi, non est necesse, quod Praedicatores Regulares singulis diebus pro singulis Concionibus petant ab Ordinario Benedictionem, sed sufficit, quod illam petant et obtineant in principio. — 78. Regulares ad praedicandum in Ecclesiis non suorum Ordinum, nedum indigent Benedictione, sed etiam licentia Episcopi ultra licentiam suorum Superiorum. — 79. Et Episcopi gratis concedere debent licentiam praedicandi. — 80. In locis Dioecesis distantibus, et difficilis itineris, debet Episcopus aliquem deputare, qui det approbationem, et Benedictionem. — 81. Regulares praedicare volentes in Ecclesiis suorum Ordinum non spectat ad Ordinarium examinare, sed ad eorum Superiores. — 82. Secus autem, si praedicator sit Clericus Saecularis etiam electus a Regularibus, vel si Regularis praedicare velit in Ecclesiis aliorum Ordinum, etiam ab ipsis Regularibus electus. — 83. Regulares nequidem in propriis Ecclesiis possunt tempore Quadragesimae, et Adventus, aliisque temporibus in Pulpito pauperes, et miserabiles personas absque licentia Episcopi commendare. — 84. Possunt tamen commendare propria Monasteria. — 85. Ac etiam possunt, dum praedicant in suis Ecclesiis, recipere, et distribuere eleemosynas arbitrio suo, et commendare quemcumque locum pium ex iis, quae Episcopus edixerit. At extra suas Ecclesias, prout Episcopus voluerit. Ad commendandum vero Familias, seu personas particulares indistincte necessaria est licentia Episcopi. — 86. Ad praedicandum Monialibus mitti potest quilibet Regularis, modo non alloquatur seorsim aliquam ex ipsis. — 87. Etiam pro sermonibus spiritualibus ad Crates. — 88. Vel ad conferendum cum Monialibus sermonem de rebus spiritualibus, sive ad Crates, sive ad Collocutorium. — 89. Regulares vero missi ad Crates Monialium pro munere praedicationis obeundo peccant mortaliter, et incurrunt Censuras, et poenas, si sine expressa licentia ad colloquendum immediate post Concionem cum aliquibus, seu

cum uoa tantum, omnibus aliis audientibus immisceant Sarmones cum quaestionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius Concionis. — 90. Praedicatores regulares non acquirunt stipendium sibi, sed immediate Monasterio. — 91. Praedicatores non possunt allegare Doctores, et Auctores modernos, praesertim viventes. — 92. Praedicatores non possunt publicare Indulgentias non publicatas per Ordinarica locorum. — 93. Protonotarii extra numarum possunt concionari cum Mantelletta, et Rochetto. — 94. Praedicatores debent salutare prius Capitulum, quam Magistratum. — 95. Item Praedicatores debent salutare prius Canonicos, quam Gubernatorem Civitatis, sive absente, sive praesente Episcopo. — 96. Praedicatores institui non debent, nisi sint aetatis triginta annorum, sintque graves, maturi, et docti. — 97. Praedicatores tenentur praedicare Sacram Scripturam receptam a S. Ecclesia, et a Doctoribus Ecclesiae approbatis, sub poena Excommunicationis Papae reservatae — 98. Praedicatores deviantes a communi sensu Patrum in exponendis Sacris Scripturis, sunt ab Ordinario corripiendi, et a Ministerio abjiciendi. — 99. Praedicatores non debent obloqui de Magistratu, vel de Episcopo. Unde Praedicatores, etiam Regulares, obloquentes de Ordinario in sermonibus, quas habent in Oratariis, vel in propriis Ecclesiis, possunt ab eodem Ordinario puniri. — 100 Praedicatores non possunt redarguere aliquem expresso nomine in actu praedicandi sub poena Excommunicationis Papae reservatae. — 101. Praedicatores praedicantes scandala, aut errores in qualibet Ecclesia debent ab Episcopo removeri ab Officio praedicandi, etiamsi sint exempti, et contra ipsos potest procedere prout de Jure. — 102. Praedicatores non debent proponere quaestiones difficiles populo rudi. — 103. Praedicari non potest tempus determinatum futurorum, ut Antichristi, vel Judicii, nec vanae revelationes de his, vel aliis, sub poena excommunicationis Papae reservatae. — 104. Praedicari non possunt novae inspirationes, vel revelationes, nisi a Papa, vel loci Episcopo sint examinatae, et approbatae sub poena Excommunicationis Papae reservatae. — 105. Praedicari non possunt dubia pro certis, neque apocrypha, neque comica, neque anilia, fabulae, obscoenitates, aut quae risum movent, sed quae lacrymas. — 106. Praedicari non possunt miracula nova nisi per Episcopum sint approbata. — 107. Praedicari, aut imprimi non possunt sine licentia Sedis Apostolicae miracula, gratiae, beneficia etc. quae praesumuntur accepta a Deo ad intercessionem alicujus mortui cum opinione Sanctitatis, nisi fuerit Canonizatus, vel Beatificatus. — 108. Praedicari non possunt miracula, gratiae etc. talis mortui non Canonizati, nec Beatificati, sine tali licentia Sedis Apostolicae, sub poenis Clericis saecularibus privationis Officiorum, Suspensionis a Divinis, et administrationis Sacramentorum: Regularibus vero omnium Officiorum, nec non vocis activae, et passivae — 109. Nobiles Faeminae vulgo *Dame* prohibentur quaestuare in Civitatibus eleemosynam pro Concionatoribus. — 110. Canonicus Theologus petita, et obtenta licentia a Capitulo potest concionari per alium. — 111. Alia ad rem *ad n.* 120. — 121. Subnect. Addit. ex al. man. *ad n.* 136.

1 Praedicare tenentur Episcopi, et hoc est praecipuum eorum munus, ac per se, vel per alios in casu legitimi impedimenti id facere debent. Concil. Trid. *sess.* 5. *cap.* 2. *de reform.* ibi: « Quia vero Christianae reipublicae non minus necessaria est praedicatio Evangelii, quam lectio, et hoc est praecipuum Episcoporum munus, statuit, et decrevit eadem Sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, et omnes alios Ecclesiarum Praelatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum Sanctum Jesu Christi Evangelium; Si vero contigerit Episcopos, et alios praedictos legitimo detineri impedimento, juxta formam Concilii, viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi praedicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtae subjaceat ultioni ». *Et sess.* 24. *de reformat. cap.* 4. ibi: « Praedicationis munus, quod Episcoporum praecipuum est ecc. »: Concil. Mediol. *part.* 1. *de praedicat. Verbi Dei*, ubi post multa de gravi obligatione Episcoporum praedicandi Verbi Dei, subjungit: « Quod si levi de causa, quodam animi languore impediti non fecerint, sciant sibi praetermissi necessarii Officii Judici Deo praecipue rationem esse reddendam; Sin autem se interdum vere impeditos cognoverint, per viros idoneos ex praescripto ejusdem Concilii deligendos hoc munus studiosissime populo praestent ». Unde in Episcopali consecratione cuilibet Episcopo dicitur; *Accipe Evangelium*, *vade*, *praedica populo tibi commisso*. Et ideo Apostolus hanc strictam, et gravem praedicandi in Episcopis obligationem agnoscens, tremens 1. *ad Corinth. cap.* 6. scribit: *Vae enim mihi, si non Evangelizavero.*

Item praedicare tenentur Parochi per se, vel 2
per alios; Concil. Tridentin. *cit. sess.* 5. *de reform. cap.* 2. ibi: « Archipresbyteri quoque, Plebani, et quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerit, diebus saltem Dominicis, et Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, etc. »: Concil. Mediolanense *loc. cit.* Immo Parochi, si
ab Episcopo moniti, trium mensium spatio suo 3
praedicandi muneri defuerint, possunt ad id per Censuras compelli, seu per alias poenas arbitrio ipsius Episcopi, et etiam per subtractionem fructuum Beneficii, alteri, qui id praestet, persolvendorum, textu expresso in Concilio Trid. *cit. sess.* 5. *cap.* 2. ibi: « Itaque ubi ab Episcopo moniti, trium mensium spatio muneri suo defuerint, per Censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex Beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens Officium suum impleat ». Quomodo autem, et quando peccent Parochi in hoc deficientes? Vida verb. *Parochus art.* 2. *num.* 71. 72. *et* 73.

Praedicandum est per annum saltem omnibus 4
Dominicis, et solemnibus diebus Festis: Tempore autem jejuniorum Quadragesimae, Adventus Do-

mioi quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint Episcopi ». Sic expresse Concil. Trident. *citat. sess.* 24. *de reform. cap.* 4. Et Praedicator dicit salutationem Angelicam semper, non vero *Regina Coeli*, etiam tempore Paschali. Ita Caeremon Episcop. *lib.* 1. *cap.* 22. §. 3. Merati *tom.* 1. *pag.* 2. *tit.* 6. *num.* 38. *vers. Postquam.*

5 Per ly *Tempore jejuniorum* intelligitur solummodo tempus Quadragesimae, et Adventus, non autem tempus Vigiliarum. Sic decisum refert Barb. *ad Concilium Trid. cit. sess.* 24. *de reform. cap.* 4. *numer.* 14. *et de Offic. et potest. Episcop. par.*

6 3. *allegat.* 76. *num.* 30. ubi insuper addit decisum fuisse per dictum *cap.* 4. *Concilii Trid.* relinqui arbitrio Episcoporum, an tempore Quadragesimae, et Adventus quotidie, vel tribus diebus in hebdomada, vel minus illis tribus diebus praedicetur; Dicit enim Concilium: *Si ita oportere duxerint.* Et de facto tempore Adventus solis Dominicis, et Festivis diebus praedicari solet, ut etiam Romae practicatur, et tempore Quadragesimae pluribus in locis solet praedicari solum tribus diebus in hebdomada, etiam in Ecclesiis majoribus, et Cathedralibus, et teste Barbosa *cit. alleg.* 76. *num.* 30. in Regoo Portugalliae singulis diebus per loci Ecclesias distributis in Quadragesima, excepto Sabbato, praedicatur.

7 Praedicationis tempore in Ecclesiis separata, seu distincta sint loca virorum, et mulierum. Concil. Mediolanense 1. *p.* 1. *tit. de praedicatione Verbi Dei*; ibi: « Concionis audiendae causa loca virorum, et mulierum, si fieri potest, Episcopi cura distinguantur; Qui ad id exequendum idoneos aliquot viros adhibeat, et a saecularibus Magistratibus, si opus erit, auxilium petat ». Unde omnes etiam Regulares tenere debent in Concionibus velum divisivum mulierum a viris: *Sacra Congreg. Episc. et Regul. in Fanensi* 22. *Maii* 1609. apud Nicol. *in Floscul. verb. Praedicator num.* 20. et apud Pignatell. *t.* 4. *consul.* 206. *num.* 72.

8 Concionandum est Judaeis semel in hebdomada, qui tenentur ad Concionem accedere: Gregor. XIII. Constit. 92. incip. *Sancta Mater.*

9 Praedicationem in Ecclesia omnes possunt audire, Gentiles, Judaei, et Haeretici. Conc. Carthag. IV. *c.* 48.

10 Praedicationis tempore interesse tenentur Episcopi non impediti, Clerici, et alii ejusdem Ecclesiae: Conc. Mediolanens. 1. *par.* 1. *tit. de praedicatione Verbi Dei*; Unde potest Episcopus sta-

11 tuere, ne Canonici, et alii de Capituio discedant ab Ecclesia tempore Concionis, et quod illi intersint quotidie sub poena amissionis distributionum illius diei, in qua defuerint: *Sacra Congr. Episcop. in Comens.* 16. *Maii* 1580. *in Castellaneten.* 20. *Aug.* 1602. *et Sacr. Congreg. Concil. in Nicien.* 18. *Novembris* 1628.

12 Praedicationis tempore non potest in Ecclesia dici Missa: Conc. Coloniens. III. *tit. Censurae c.* 19. Concil. Mediolan. *part.* 1. *tit. de praedicat. Verbi Dei.* Praedicationis tempore prohibendi sunt 13
populi stare otiosi in Foro, seu in Platea: Concil. Treviren. *cap.* 10.

Non est praedicandum de nocte, sed tempore 14
praescripto ab Ordinariis: Concil. Mediolanens. 1. *p.* 1. *tit. de praedicatione verbi Dei*; Unde nulla Concio, neque Passionis Dominicae, debet fieri de nocte: *Sacr. Congreg. Episc. et Regul. in Castrensi* 20. *Martii* 1629. apud Nicol. *in Floscul. verb. Praedicator num* 17. et apud Pignatell. *t.* 4. *consul.* 205. *num.* 72.

Si Concio habeatur tempore Missae, debet ha- 15
beri statim post Evangelium, vel post *Credo*, si in dicta Missa tali dicatur; Rubricae enim vetant, ne habeatur post Oblationem. Quod si Celebrans ipse concionetur, deposita Casula, et Manipulo, sedet ad cornu Evangelii, vel ascendit Cathedram. Si quis tempore Missae sit concionaturus coram Episcopo loci, circa initium Evangelii genuflexus petit ab illo Benedictionem per *Jube Domne benedicere*, osculata Episcopi manu, postmodum Cathedram ascendit, et de more concionatur. Praedicator, si concionetur, dum est ex- 16
positum SS. Sacramentum, stat nudo capite, ex Decreto *Sacrae Congregat. Rit.* 16. *Febr.* 1630. ibi: « Ne fiat Concio coram SS. Sacramento in Altari exposito capite tecto », et habetur in Instructione edita de mandato Clementis XI. ab Eminentissimo Urbis Vicario *die* 20. *Jan.* 1705. pro observandis in Oratione 40. horarum cum expositione SS. Sacr. *n.* 22. quae refertur v. *Euch. n.* 64. *De benedict. ad praedic. v. in fin. h art.*.

Praedicare non possunt Laici cujuscumque sint 17
Ordinis, et Professionis; textu expresso in *cap. Sicut* 14. *de Haereticis*, ibi: « Cum igitur nonnulli Laici praedicare praesumant, et verendum nimis existat, ne vitia sub specie virtutum subintrent. Nos attendentes, quod Doctorum ordo est in Ecclesia Dei quasi praecipuus: mandamus, quatenus cum alios Deus Apostolos dederit, alios prophet. alios vero Doctores, interdic. Laicis universis cujuscumque Ordinis censeatur, usurpare Offic. praedicandi », et concordat *c. Cum ex injuncto* 11. *eod.* Conc. Carth. IV. *c.* 68. Conc. Trev. II. *c.* 2. Immo Lai- 18
ci praedicantes subjacent Excom. et nisi quamcitius resipuerint, alia competenti poena sunt plectendi; textu expresso *in cap. Excommunicamus* 13. *de Haereticis*, §. *Quia vero*, ibi: « Quia vero nonnulli sub specie pietatis virtutem ejus (juxta quod Apostolus ait) abnegantes, auctoritatem sibi vindicant praedicandi, cum idem Apostolus dicat quomodo praedicabunt, nisi mittantur? omnes, qui prohibiti, vel non missi praeter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel Catholico Episcopo loci susceptam, publice, vel privatim praedicationis Officium usurpare praesumpserint, Excommunicationis vinculo innodentur, et nisi quam citius resipuerint, alia competenti poena plectantur; et

concordat Concil. Constantiens. *sess. ultim. in Constitutione Martini V. circa finem*, et sic expresse decrevit *Sacra Congreg. Conc. die* 23. *Jun.* 1580. apud Fagnan. in *c. Responso* 43. *de sentent. Excommun. n.* 19.

19 Et a fortiori praedicare nequeunt Mulieres, *l.* 3, *Constit. Apostolor. cap.* 6. ibi: « Igitur mulieribus, ut in Ecclesia doceant, non concedimus, sed tantum ut precationes faciant, et audiant Doctores: Noster enim Magister, ac Dominus Jesus Christus, cum nos duodecim ad docendum populum, et gentes misit, nusquam mulieres ad praedicandum misit, tametsi non deerant. Erant enim nobiscum Mater Domini, et sorores ejus praeterea .... Sane quidem si necesse fuisset, ut mulieres docerent, ipse primus iis quoque mulieribus, quae nobiscum erant, populum erudire praecepisset. Si enim vir caput mulieris est, non est aequum corpus capiti praesse »; et concordat *cap. Mulier* 29. *dist.* 23. Concil. Carthaginens. IV. *cap.* 68. Concil. Constantiens. *sess. ult. in Consiit. Martini V. circa finem.*

20 Potest tamen praedicationis munus ab Episcopo committi etiam Clerico, qui non sit in Sacris Ordinibus constitutus: *Sac. Cong. C. die* 23. *Junii* 1580. apud Fagnan. *in cap. Responsio* 43. *de sentent. Excom. n.* 19. Apud Barbos. *in Summa Apostol. dec. verb. Praedicator n.* 6. *et de Offi. et potest. Episcop. p.* 3. *alleg.* 76. *n.* 45. *et ad Con. Trid. sess.* 5. *de reform. cap.* 2. *n.* 4: Possevin. *de Offic. Curati cap.* 3. *num.* 14.

21 Regulariter vero facultas praedicandi non conceditur, nisi Sacerdotibus, vel saltem constitutis in Ordine Diaconatus; Unde *Sac. Cong. in una Caputaquen.* 14. *Decembris* 1666. cuidam Clerico Andreae Sanson aetatis annorum viginti unius licentiato in Philosophia, et Theologia praedicare volenti tempore Quadragesimae in uno ex locis dictae Dioecesis, et contra Episcopum ei talem licentiam denegantem ad dictam Sacram Congregationem pro facultate recurrenti respondit *Relata*. Et quod talis facultas non sit concedenda, nisi saltem constitutis in Ordine Diaconatus, fuit expresse ordinatum in Edicto de mandato Clementis XI. publicato, *die* 20. *Januar.* 1705. ibi: « Quello poi dovrà sermoneggiare, sarà almeno constituito nell' Ordine Diaconale ».

22 Episcopus potest praedicare in quacumque Ecclesia, etiam Regulari, suae Dioecesis, nec ab ullo potest impediri, et prohiberi: *Sac. Cong. Episc. et Regul. die* 17. *Januar.* 1583. apud Barbosam *in Summa Apostolic. dec. verb. Praedicare n.* 1. *et ad Concil. Trident. sess.* 24. *de reformat. cap.* 4. *n.* 3. apud Lezan. *in Summ. qq. Regular. tom.* 3. *verb. Concionari n.* 12 et apud Nicol. *in Floscul. Verb. Praedicator n.* 14. Non potest tamen prae-
23 dicare extra suam Dioecesim sine licentia Ordinarii loci: *Sac. Cong. Episcop. et Regular. in Theatina* 12. *Decembr.* 1614. apud Nicol. *loc. cit.*
24 Episcopo praedicanti per se ipsum in sua Ecclesia, cum ex proprio munere ad id teneatur, minime licet, etiam ex praetextu paupertatis, praetendere sibi praestari eleemosynam solitam dari Praedicatoribus electis ab Universitate: *Sacr. Con. Episcop. et Regul. in Vestana* 20. *Martii* 1621. apud Sellium *in Selectis Canon. cap.* 23. *n.* 18. et Barbos. *ad Conc. Trid. cit. sess.* 24. *cap.* 5. *n.* 4. et Gavant. *in Manual. Episcop. verb. Concio Sacra num.* 2.

Quando ipsemet Episcopus praedicat, silere de- 25
bent alii Concinatores, illisque poterit praecipere ut eo tempore a praedicatione se abstineant: Sic de mandato Urbani VIII. statuit *Sac. Cong. Con. in Bituntina* 2. *Maii* 1629. Vide verb. *Parochus art.* 3. *num.* 74.

ADDITIONES CASINENSES

quoad tradita sub allata *n.* 25.

« Quo tempore Episcopus concionem habet, nemo alius, neque Regularis, concionetur ». Concil. Mediolan. IV. et ex *Decr. Clement. v.*

« Imo, si Episcopus ex causa publica, convocatis Magistratu, Clero, et Populo, coram se praedicare faciat, potest praecipere Regularibus, ut a praedicando abstineant »: *Sac. Congr. Concil.* 10. *Martii* 1645. apud Gavantum *in Manual. Episcopor. v. Concio, n.* 3.

Praestat insuper heic, quae sequuntur, exscribere ex Benedicto XIV. « Jam vero (sic ille) nulla unquam in Sacra Congregatione Concilii fuit difficultas circa prohibitionem factam Regularibus, ne ea hora in suis Ecclesiis conciones habeant, qua Episcopus per semetipsum praedicat; sed semper, et firmiter censuit, ejusmodi prohibitionem in suo robore permanere, atque ad unguem esse servandam. Ita quippe respondit in *Pacen.* 26. *Aprilis* 1607. *ad* 4. *dub. lib.* 89. *Positionum pag.* 170. *in Bituntina* 17. *Februar.* 1629. *lib.* 14. *decretor. pag.* 32. *Brundusina* 10. *Martii* 1645. *lib.* 17. *pag* 445. quin immo eadem Congregatio semper fuit in sententia, licere Episcopo concionem habere ad populum in qualibet suae dioecesis Ecclesia, etiamsi ad Regulares pertineat, juxta ea, quae congesta leguntur *tom.* 8. *Bullarii Ord. Praedicatorum*, editi ab Antonio Bremond, nunc ejusdem Ordinis Generali Magistro, *tit.* 5. *quaest.* 1. *num.* 37. Sed saepius quaestio agitata est super secunda prohibitionis parte, qua interdicitur Regularibus, ne praedicent, quando Episcopus *coram se solemniter praedicare facit*: quoniam, etsi eadem Congregatio olim respondisset, hanc quoque prohibitionem sustineri, attamen Gregorius XIII. vehementer dubitavit, an id esset usu receptum; sicuti adnotatum reperimus *in cit. lib.* 89. *Positionum pag.* 171. Enimvero, cum soleant Episcopi concionibus in sua Cathedrali interesse tempore Adventus, et Quadragesimae, si praedicta prohibitio vigeret, deberent Regulares ab ha-

bendis in suis Ecclesiis concionibus abstinere eo potissimum tempore, quo Fideles illas audire solent, et hac de causa eorumdem Regularium Ecclesias frequentant. Haec autem ratio tantae efficacitatis visa est sacrae Congregationi Concilii, ut in allegata causa *Pacen.* 26. *Aprilis* 1607. dixerit, nulli quidem fas esse concionari, quando Episcopus ipse per semetipsum ad suum populum verba facit, sed nequaquam impediri posse Regulares, ne in propriis Ecclesiis conciones habeant, quando Episcopus *coram se solemniter praedicare facit*: at postmodum, eadem quaestione novo examini subjecta, in citata causa *Brundusina* 10. *Martii* 1645. eadem Congregatio mentem suam clarius explicans, declaravit, id esse intelligendum, cum Episcopus consuetis concionibus interest, quae per annum fieri solent: sed, si idem Episcopus *ex causa publica, convocatis Clero, Magistratu, et populo, coram se praedicare faciat*, tunc illi licere dixit, praecipere Regularibus, ut a praedicando abstineant, atque inobedientes poenis etiam censurarum coercere. Equidem omnes praedictae rerum circumstantiae videntur efficere illam solemnitatem, quam jura requirunt, ut non liceat eodem tempore Regularibus praedicare: secus vero accidit, eum, tempore Adventus, et Quadragesimae, Episcopus concioni adest; tunc quippe non videtur Episcopus *facere coram se solemniter praedicari*, sed potius concionem audire, quae etiam eo absente haberetur ». De Syn. Dioces. *l.* 9. *cap.* 17. *n.* 7.

---

26 Possunt tamen Parochi per se ipsos inter Missarum solemnia sermonem habere, etiam quando Episcopus ipse praedicat. Sic censuit *eadem Sacr. Con. in Terulen.* 11. *Junii.* 1731. ubi subdit, id non intelligi respectu Parochorum in sua Ecclesia Parochiali. Ita apud Barb. *de Offic. et potest. Parochi par*, 1. c. 14. *n.* 3.

27 Parochi, si per se velint munus praedicationis obire non debent impediri: *Sac. Cong. Con. ad cap.* 2. *sess.* 5. *de ref.* in haec verba: « Si Curatores animarum per se velint munus praedicationis obire, non debent impediri ». Sic refert Barb. *l. c. n.* 5.

28 Immo tempore Quadragesimae possunt de mane in suis Ecclesiis praedicare, non obstante consuetudine, quod in sola Matrice, vel alia Ecclesia concionetur: *Sac. Cong. Conc. in Florentina Juris praedicandi* 26. *Januarii* 1697. apud Monacell. *par.* 1. *tit.* 10. *form.* 19. *n.* 4.

29 Parocho per se ipsum concionanti in sua Ecclesia, cum ex proprio munere ad id teneatur, minime licet praetextu cujuscumque paupertatis praetendere sibi praestari eleemosynam solitam dari Praedicatoribus ab Universitate electis. Vide verb. *Parochus art.* 2. *num.* 77.

30 Parochi prohibentur in suis Ecclesiis admittere Concionatores ab Ordinario non approbatos, etiamsi praedicare vellet aliquis Episcopus. Vid. d. verb. *Parochus art.* 2. *n.* 78.

Possunt tamen Parochi dare licentiam alicui viro docto, et noto, etiam Regulari, ut bis, vel ter concionetur in suis Ecclesiis sine Episcopi approbatione. Vide. d. verb. *Parochus art.* 2. *nu.* 79. 31

Et a fortiori possunt, immo debent Parochi concedere approbatis ab Ordinario licentiam praedicandi in suis Parochiis. Vide d. verb. *Parochus art.* 2. *num.* 80. 32

Approbare Praedicatores spectat ad Episcopum, licet electio spectaret ad alios: *Sacra Cong. Episcop. et Regul. in Aquensi* 8. *Aprilis* 1603. apud Nicol. in *Flosculis verb. Praedicator n.* 15. Unde Praelatus exemptus inferior Episcopo, qui non habet Territorium separatum cum vera qualitate *Nullius*, non dat licentiam, neque Benedictionem Praedicatoribus, qui praedicare debent in locis suae Jurisdictionis, sed ista facultas spectat ad Episcopum, in cujus Dioecesi locus exemptus existit: *Sac. Cong. Conc.* 21. *Novemb.* 1596. Pign. 10. *cons.* 151. *num.* 16. *et* 17. Card. Petra *t.* 4. *Commentar. ad Const.* 5. *Calisti III. sect.* 2. *n.* 57. *et seq.* ubi adducit plures *S. C. C.* et Rotae decisiones. 33 34

Hinc ad Episcopum spectat dare Benedictionem Concionatori, qui praedicare debet in Ecclesia Conventuali Ordinis Militaris S. Stephani, ut declaravit *Sac. Congr. Con. in Pisana Jurisdictionis* 21. *Februarii* 1688. *in responsione ad* 18. Item ad Episcopum Dioecesanum spectat dare licentiam, et Benedictionem Praedicatoribus, qui debent praedicare in Ecclesiis Prioratuum Religionis Hierosolymitanae non habentium Territorium separatum cum Jurisdictione quasi Episcopali, et vera qualitate *Nullius*. Sic *Sac. Cong. Conc. in Vulturariensi* apud Card. Petram *loc. cit. nu.* 58. ubi refert totum Decretum, et etiam plures decisiones Sacrae Rotae Romanae. 35 36

Ordinarius debet eligere Praedicatores, nisi in contrarium sit consuetudo ab immemorabili tempore: *Sac. Cong. Conc.* apud Zerol. *in praxi Episcop. par.* 1. *verb. Praedicatio* §. 7. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 76. *nu.* 5. *et in Summ. Apostolic. decision. verb. Praedicator. nu.* 12. *et supra Concil. Trid. sess.* 5. *cap.* 2. *num.* 5. Electio tamen, et deputatio Praedicatoris in sua Cathedrali spectat ad solum Episcopum, nulla habita ratione consuetudinis etiam immemorabilis, quae competeret Capitulo, seu Episcopo cum Capitulo, vel de consilio Capituli: *S. C. C. in Abulens.* 3. *Augusti* 1686. apud Barbosam *in Summa Apostolic. dec. verb. Praedicator n.* 11. *et supra Concil. cit. num.* 6. *et seq. et cit. allegat.* 77. *n.* 6. et Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 206. *nu.* 41. Unde Capitulum in electione Praedicatoris pro Ecclesia Cathedrali nihil potest: Sic *Sac. Congreg. Conc.* apud Barbosam *in Summa loc. cit. n.* 8. *et supra Conc. loc. tit. num.* 8. *et cit. alleg* 76. *nu.* 7. Addenda sunt sequentia resoluta dubia a Sac. Congr. Conc. die 5. Sept. 1705. in Urgelien. juris concionandi, videlicet. 37 38 39

Primo: an Concionator deputatus ab Episcopo ad praedicandum in Cathedrali, aliisque Ecclesiis in ejus ambitu existentibus, teneatur exhibere Literas Patentales Capitulo in casu etc.

Secundo: an liceat Capitulo, seu ejus Decano retinere clavem pulpiti ejusdem Ecclesiae Cathedralis?

Tertio: An Episcopus procedere possit per censuras in casu, quo Decanus, et Canonici se opponant in casu etc. non obstante quod Capitulum se tuetur observantia sibi favorabili, ac praetensione ordinariae jurisdictionis super Ecclesia Cathedrali, ejusque ambitu?

« Sacra Congregat. die qua supra, respondit: Quoad primum, et secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative, et amplius in omnibus ». Sic apud Scarfanton. *part.* 3. *addit.* 18. *nu.* 11. per tot. ubi multa alia adducit ad rem.

40 Si Civitas, seu Universitas sit in possessione nominandi, et praesentandi Praedicatorem pro Cathedrali cum onere solvendi eleemosynam, debet manuteneri in tali possessione; At si Episcopus vellet Jus nominandi sibi vindicare (prout vere potest), non posset eamdem ad solutionem cogere, sed teneretur de proprio expensas, et eleemosynam subministrare. Sic pluries respondit *Sac. Congreg. Conc.* apud Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 206. *num.* 41. et apud Monacell. *part.* 1. *tit.* 11. *formul.* 7. *num.* 14. et signanter 11. *Junii* 1596. Decreto tenoris sequentis: « Sacr. Congr. Conc. censuit, esse in electione Episcopi, vel deputare in sua Cathedrali Praedicatorem, etiam quod populus illum ab immemorabili tempore eligere consuevisset; Vel praedictam nominationem ipsi populo relinquere, ita ut si Episcopus Praedicatorem eligat, populum ad eleemosynas Praedicatori erogandas non compellet. Verum si populum praedicta facultate eligendi Praedicatorem uti permiserit, tunc populum ad solitas eleemosinas praestandas cogere poterit »; *et in Urbinaten.* 7. *Junii* 1698. *in Æsina* 30. *Septembr.* 1702. *in Neocastren.* 6. *Octobr.* 1703. apud Monacell. *part.* 2. *tit.* 3. *formul.* 8. *num.* 3. et sic pluries respondit etiam *Sac. Cong. Episcop.* apud Pignatell. *loc. cit.* et Monacell. *par.* 1. *loc. cit. num.* 14.

41 Nec in tali casu Pensionarii Mensae Episcopalis contribuere tenentur ad dictam eleemosynae taxam, seu Praedicatoris manutentionis expensas: *Sac. Congr. Conc. in Nullius* 29. *Maii* 1649. in qua sic habetur: « Sacra Congregatio Concilii censuit, Pensionarios Mensae Episcopalis non teneri contribuere pro rata expensis, quas Episcopus annuatim solvit ex fructibus Mensae Praedicatori in Cathedrali concionanti, *lib.* 18. *Decret. pag.* 624

42 Et dato, quod Episcopus ab exercitio Jurisdictionis pro aliquo tempore suspendatur, et detur ei Vicarius Apostolicus, adhuc retinet Jus talis electionis, quia si ipse solvit, debet Praedicatorem in Cathedrali eligere, et non Vicarius Apostolicus, ut respondit *Sac. Cong. Episcop. in Sorana* 13. *Febr.* 1699.

Consuetudo immemorabilis nominandi, vel praesentandi Praedicatorem Episcopo pro Ecclesiis inferioribus non est sublata, ut decisum fuisse refert Barbosa *supra Concil. cit. sess.* 5. *cap.* 2. *n.* 16. et Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 206. *num.* 26. Unde si Communitas, vel Dominus loci temporalis nominat Praedicatorem, et solvit eleemosynam, consuetudo hujusmodi servanda est: *Sac. Cong. Episcop. in Aprutina, seu Interannen.* 7. *Febr.* 1615. *S. C. Conc. in Aquilan.* 1. *Junii* 1696. 43

Item si Episcopus consueverit eligere, et Communitas solvere, talis consuetudo servanda est; absque eo quod Universitas, seu Communitas possit praetendere nominationem: *Sac. Congr. Conc. in Ostunen.* 15. *Novembr.* 1692. *et in Bovinen.* 20. *Jun.* 1693. 44

Si autem Communitas, seu Universitas, vel Dominus loci temporalis nominat, et non solvit eleemosynam, tunc nisi consuetudo esset immemorabilis, et probata, posset, et deberet Episcopus hoc Jus impugnare, et sibi vindicare deputando Praedicatorem pro libito; In hoc enim casu nulla concurrit aequitas, neque adest correspectivitas nominationis ad eleemosynam, ut docent Cardinal. de Luca *adnotat. ad Concil. discurs.* 4. *num.* 6. Monacell. *part.* 1. *tit.* 11. *formul.* 7. *nu.* 13. 45

Communitas dare debet Praedicatoribus mercedem dari solitam, nec potest ipsam imminuere, et reducere ad certam parvam quantitatem: *Sac. Congreg. Concil. in Viterbien. Civitatis Vetulae de mense Septembr.* 1620. apud Barbosam *in Summa Apostolic. decis. verb. Praedicator nu.* et plures *Sac. Cong. Episcop. et Regul.* apud Nicol. *in Floscul, verb. Praedicator n.* 21. et noper *in Tyburtina contra Universitatem Terrae Poli.* 4. *Julii* 1694. *referente Eminent. Card. de Judice*, et recurrente P. Bucciarello Monacho Silvestrino. Vide verb. *Alimenta a n.* 114. *ad* 116. ubi de alimentis Praedicatori debitis. 46

Episcopus praetendens, Communitatem teneri praestare eleemosynam pro Praedicatore Cathedralis, tenetur ipse probare consuetudinem immemorabilem: *Sacra Cong. Conc. in Sutrina* 10. *Mart.* 1618. *et* 10. *Julii* 1617. apud Barbosam *in Summa Apostol. dec. verb. Praedicator n.* 10. *et* apud Sell. *in Selectis Canonic. cap.* 8. *n.* 11. 47

Habentes Jus nominandi Praedicatorem Quadragesimalem, debent illum nominare, et praesentare Episcopo in termino a Synodo Dioecesana praescripto, vel ante Festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, vel duobus mensibus ante Quadragesimam, alias nominatio devolvitur ad Episcopum: *Sacra Congregat. Concil. in Narnien.* 24. *Februar.* 1625. *lib. posit. fol.* 383. *et* 446. *et in Theanen.* 14. *Aprilis* 1685. apud Monacell. *part.* 4. *ad supplement. ad* 2. *tom. num.* 110. Vel ut habet idem Monacell. *part.* 1. *tit.* 1. *formul.* 7. *num.* 1. debent praesentare Episcopo intra mensem Novembris Quadragesimae praecedentem; et si praesentatus fuerit rejectus, alium per totum 48

mensem Decemb. nominare, et praesentare, alias
pro illa vice jus amitterent, et ad Episcopum de-
volveretur, et solitam eleemosynam adhuc coge-
rentur solvere, ut pluries decrevit *Sacr. Congre-
gat. Episcop. et Regul.* apud Pignatell. *tom.* 4.
consult. 206. *num.* 54. et Nicol. in *Flosculis verb.
Praedicator num.* 1. et signanter in *Rossanen.* 10.
Decembr. 1591. in *Marsicensi* 13. *April.* 1612.
in *Milevitana* 21. *Jun.* 1612. *Cassanen.* 11. *Jun.*
1627. et nuper teste ipso Monacell. *cit. num.* 1.
declaravit *Sacr. Congregat. Conc. in Trojano* 14.
Augusti 1700. et novissime *eadem Sacr. Congre-
gat. Concil. in Theanen.* 1728. *ad* 2. *dub.* respon-
dit, quod Communitas tenetur exibere Episcopo
nominationem Praedicatoris per duos menses an-
te initium Quadragesimae. Sic apud Thesaur. Re-
solut. Sacrae Congregationis Concil. tom. 4.

49 Si tamen nominatio, et praesentatio Praedica-
toris fiat re integra, paulo post terminum elap-
sum, admitti debet, saltem ex gratia: *Ead. Sacr.
Congr. Episcop. in Nucerina* 29. *Jan.* 1627. apud
Pignatell. *l. c. num.* 54.

50 Item quando habentes Jus nominandi nomina-
verunt, et praesentaverunt in tempore, si nomi-
natus, et electus postea non vult, vel non potest
illuc ire, non idcirco debent privari Jure suo sine
culpa; *Ead. Sac. Congreg. Episc. in Norniensi*
24. *Febr.* 1612. apud Pignatell. *loc. cit. num.*
54. et Nicol. *loc. cit. num.* 3. *et eadem Sac. Con-
greg. in Ariminen.* 8. *Februar.* 1686. apud Mo-
nacell. *part.* 2. *tit.* 12. *formul.* 8. *n.* 4.

51 Nisi acciderit in ultimis diebus ante Quadrage-
simam, quia tunc providebit Episcopus; Nec Uni-
versitates habentes dictum Jus recusare poterunt
Praedicatorem, vel ei eleemosynam solitam dene-
gare: *Eadem Sacra Congregat. Episcop. in Mon-
tis Falisci* 18. *Septemb.* 1648. apud Pignatell. et
Nicol. *loc. cit.*

52 Universitates, seu alii habentes Jus nominandi
Praedicatorem, non possunt in suis Patentibus
Litteris uti verbis: « Eligimus, et deputamus, ac
electum, et deputatum declaramus »; sed debent
uti verbis: *Nominamus, et praesentamus*, uti
pluries declaravit *Sacra Congregatio Episcoporum
et Regular.* apud Pignatell. *loc. cit. num.* 54. *et
sequent.* et signanter in *Caesenatensi die* 17. *Sep-
temb.* 1655. et nuper *Sacr. Congregat. Concil. in
Sutrina* 8. *Maii* 1686. *et in Urbinaten.* 7. *Jun.*
1698. *et* 10. *Januar.* 1699. apud Monacell. *part.*
1. *tit.* 11. *formul.* 6. *num.* 3.

53 Ubi *sub num.* 4. subjungit, quod haec Regula
etiam procedit, quamvis nominatio Praedicatoris
ad Generalem alicujus Religionis pertineret, quo-
tiescumque, non pro Religione, sed pro commo-
ditate Universitatis, quae eleemosynam solvat, in
Ecclesia Regulari concio habenda sit, prout cen-
suit *Sacr. Congregat. Episcop. et Regul.* in *Ala-
trina* 3. *Jul.* 1693. *proponente Eminentis. Card.
de Judice.*

54 Praedicator destinatus ab Episcopo defuncto,
vel electus a Rectoribus antiquis, praedicare de-
bet, nec Successores possunt alium eligere: *Sacr.
Congreg. Episcop. in Acheruntina* 2. *April.* 1601.
et 17. *Februar.* 1645. et antea in *Mazariensi* 15.
Decemb. 1687. apud Pignatell. *loc. cit. num.* 57.
et apud Nicol. *loc. cit. num.* 4.

Turnus, seu Circulus Concionum, ubi est in 55
usu, debet observari: *Sacr. Congreg. Episcop. in
Sutrino* 4. *Februar.* 1611. *et in Senogalliensi* 3.
Novemb. 1612. apud Pignatell. *loc. cit. num.* 56.
et apud Nicol. *loc. cit. num.* 7. Licet alternativa
esset inter Universitatem, et Regulares; *Sacra* 56
*Congregat. Episcopor. et Regular. in una Augu-
stinianorum* 22. *Jul.* 1646. apud Pignatell. *l. c.
num.* 56. At ubi non est in usu, non debet intro-
duci: *Sacr. Congregat. Episcop. et Regul. in Fir-* 57
mana 24. *Januar.* 1617. apud Pignatell. *loc. cit.
num.* 56. et Nicol. *loc. cit. num.* 7.

Quando partes non sunt concordes, seu verti- 58
tur lis inter Episcopum, et Communitatem, Sa-
cra Congregatio solet eligere Praedicatorem, vel
praecipere, ut jam electus prosequatur sine praeju-
dicio partium; Ita saepe *Sacra Congregat. Epis-
cop. et Regular.* et signanter in *Dertonensi* 10.
Novembris 1645. *et in Montis Falisci* 5. *Martii*
1648. et alibi frequenter apud Pignatell. *loc. cit.
num.* 57. In quo casu tenetur Communitas, seu 59
Universitas eleemosynam erogare: *Sacr. Congreg.
Episcop. et Regul. in una Civitatis Plebis.* 24.
Februar. 1617. apud Pignatell. *loc. cit. num.* 57.
et Nicol. *loc. cit. num.* 6.

Casu, quo Parochus velit per se ipsum praedi- 60
care, debet id intimere, et notificare iis, qui
jus nominandi Praedicatorem habent, ante tem-
pus praefixum ad faciendam nominationem; alias
habentes tale jus possent juxta consuetum libere
nominare, et eorum nominatio, et praesentatio
valeret, essetque executioni demandanda: *Sacr.
Cong. Episcop. et Regul. in Senogall. inter Paro-
chum Matthaeum Fabri, et Universitatem Montis
Novi* 16. *Mart.* 1690.

Ubi eadem consuetudo, quod non praedicetur 61
nisi in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice, Episcopus
potest prohibere, ne praedicetur in aliis Ecclesiis,
etiam Regularium: *Sacra Congregat. Episcop. et
Regular. in Dertonen.* 10. *Februar. et in Asten.*
6. *Septemb.* 1604. apud Monacell. *part.* 2. *tit.*
13. *formul.* 8. *numer.* 5. Excipiuntur tamen Ec- 62
clesia Parochiales, in quibus praedicatio Verbi
Dei prohiberi non potest, si Parochus per se ipsum
hoc munus adimpleat, cum ad id Parochus tenea-
tur ex suo Officio. Vide *supra num.* 26. 27. 28.

Episcopus prohibere potest Regularibus, ne ali- 63
quo die concionentur, ut totus populus conveniat
ad Cathedralem: *Sac. Cong. Conc.* apud Barbosam in
Summo Apostolic. decis. verb. Praedicator n. 19.
et Lezanam *in Summa quaest. Reg. verb. Concio-
nari n.* 13. et Gavant. *in Manual. Episc. verb.
Concio. Sacro, num.* 51.

Absque licentia Episcopi Praedicatores non pos- 64

sunt tempore Quadragesimae, et Adventus, aliisque temporibus commendare in pulpito pauperes, et miserabiles personas: *Sac. Cong. Episcop. et Regul. in Placentina* 20. *Jul.* 1619. apud Barbosam *loc. cit. num.* 17.

65 Praedicatores etiam Regulares tenentur emittere Professionem Fidei, si ab Episcopo exigatur. Vide verb. *Fidei professio n.* 4. *et* 22.

66 Episcopus examinare potest Praedicatores etiam Regulares praedicare volentes in Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt: *Sac. Congreg. Conc. in Ugentin.* 22. *Januar.* 1628. Clemens X. Constit. incip. *Superna*, ibi: « Posse Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt, praedicare volentibus, illos, quamvis ab Universitatibus, aut Magistratibus Laicis nominatos, etiamsi Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quo ad Doctrinam examinare; si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, et discretum esse debet, visum fuerit ».

67 Et Episcopus licentiam praedicandi semel iisdem Regularibus concessam ob rationabiles causas, licet occultas, Praedicationem tamen concernentes, suspendere potest. Sic praecise Clemens X. in dicta Constitut. *Superna*, ibi: « Et licentiam praedicandi semel iisdem concessam, ob rationabiles causas, licet occultas, Praedicationem tamen concernentes, suspendere ».

68 Non potest tamen Episcopus generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum, praedicent. Sic expresse Clem. X. in d. Const. *Superna*, ibi: « Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum praedicent ».

69 Praedicatores Regulares non possunt praedicare, ne quidem in Ecclesiis sui Ordinis, nisi prius a suis Superioribus Regularibus fuerint examinati, et approbati, et ab eis licentiam obtinuerint. Sic expresse Concil. Tridentin. *sess.* 5. *de reform. cap.* 2. ibi: « Regulares vero cujuscumque Ordinis, nisi a suis Superioribus de vita, moribus, et scientiam examinati, et approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum praedicare non possint ».

70 Insuper Praedicatores Regulares, ut praedicent etiam in Ecclesiis sui Ordinis, debent prius petere Benedictionem ab Ordinario: Sic expresse Concil. Tridentin. *loc. citat.* ibi: « Cum qua licentia personaliter se coram Episcopis praesentare, et ab eis Benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant ». Idem statuit Gregorius XV. Const. incip. *Inscrutabili*, et Clemens. X. Constitut. incip. *Superna*, ibi: « Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis praedicare voluerint, teneri ab Episcopo Dioecesano Benedictionem petere ».

71 Sufficit autem, ut Regulares in Ecclesiis sui Ordinis praedicare possint, quod Benedictionem ab Ordinario petierint, quamvis illam non obtinuerint. Sic expresse Clemens X. in d. Const. *Superna*, ibi: « Praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint.

Dummodo tamen Episcopus expresse non contradixerit, quia si Episcopus nedum non concesserit Benedictionem, sed etiam contradixerit, tunc Regulares nequeunt praedicare nequidem in Ecclesiis sui Ordinis. Sic expresse Clemens X. in dicta Costit. *Superna*, ibi: « Quod si Episcopus Benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, ne in praedictis quidem Ecclesiis licere Regularibus praedicare, eosque controvenientes ab illo, tamquam Sedis Apostolicae Delegato, Censuris, aliisque poenis Ecclesiasticis in vim. Constitutionis fel. rec. Gregorii XV, praedecessoris Nostri incip. *Inscrutabili Dei providentia*, coerceri, et puniri posse; Episcopum tamen absque justa, et rationabili causa contradicere non debere ». Et videtur sic prius statuisse Concilium Tridentinum *sess.* 24. *reformat. cap.* 4. ibi: « Nullus autem Saecularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat »: et sic declaravit *Sacra Congr. Concil.* in *una Foroliv.* 4. *Febr.* 1647. ad *cap.* 4. *sess.* 24. *de reform.* apud Pignateil. *tom.* 1. *consult.* 325. ubi reprobat Peyrinum, Dianam, Mirandam, Villalobum, et alios, quos minus recte dicit sequutum esse Barbos. *de pot. Episcop. part.* 3. *alleg.* 76. *num.* 20. Vide ipsum Barbos. *ibi*, *et supra Concil. cit. sess.* 24. *cap.* 4. *de reform. n.* 23. ubi ad id affert Litteras Urbani VIII. in forma Brevis directas Emin. Card. de Sandoval Episcopo Giennensi sub dat. 30. *Jan.* 1629. 72

Nec Episcopus tenetur significare Regularibus causam, ob quam contradicat eis, ne praedicent. Sic decrevisse Sacram Congregationem Concilii refert cum aliis Barbos. *sup. Concil. citat. sess.* 24. *cap.* 4. *num.* 22. et Pignat. *tom.* 4. *consultat.* 206. *num.* 68. Et videtur esse juxta mentem dictae Constitutionis *Superna*; in qua, §. 5. statuitur, Episcopum non teneri significari Regularibus causam ob quam Confessarios a se simpliciter approbatos ad Confessiones Saecularium, ab iisdem audiendis suspendat, ibi: « Nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicae dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit ». Sic cum aliis Anton. *de regimine Ecclesiae lib.* 7. *cap.* 13. *sub n.* 9. Matthaeucci *Official. Curiae c.* 12. *n.* 5. et alii. 73

Praedicatores Regulares tenentur petere Benedictionem ab Ordinario, etiam quando in quibusvis Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates Monasteriorum Monialium sibi subjectarum, licet clausis januis, et nullus saecularis ibi intersit, habere voluerint. Sic expresse Clemens X. in dicta Constitut. incip. *Superna*, ibi: « Et hujusmodi Benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum Jurisdictioni subjectarum, licet 74

clausis januis, et nullus saecularis ibi intersit, habere voluerint ».

75 Hinc non possunt Regulares in propriis Oratoriis, vel in propriis Ecclesiis, nequidem unum sermonem in eorum Festis, etiam extra tempus Adventus, et Quadragesimae, habere coram populo sine Benedictione Ordinarii, ut colligitur ex citatis verbis Constitutionis *Superna*, et expresse jam declaraverat *Sac. Cong. Conc. in Vercellensi die* **21.** *Mart.* **1643.** *et Tridentin. cap.* **2.** *sess.* **25.** *et cap.* **4.** *sess.* **24.** *de reform.* apud Pignatell. *to.* **1.** *consultat.* **266.** Item Regulares, qui occasione
76 recitandi Rosarium in suis Ecclesiis exponunt Sacra Mysteria, et faciunt pias exhortationes, tenentur petere Benedictionem ab Ordinario loci. Sic declaravit *Sacra Congregat. Concil. in una N. die* **14.** *Aug.* **1643.** apud Pignatell. *tom.* **1.** *consultations* **407.**
77 Tempore Quadragesimae, Adventus, et hujusmodi longi temporis continuate praedicandi non est necesse, quod Praedicatores Regulares singulis diebus pro singulis Concionibus petant ab Ordinario Benedictionem, sed sufficit, quod illam petant, et obtineant in principio, ut aperte colligitur ex Concilio Tridentino *cit. sess.* **4.** *de reform. cap.* **2.** ibi: *Antequam praedicare incipiant;* Et pro certo tenet Matthaeucc. *Official. Cur. cap.* **12.** *nu.* **15.** et alii.
78 Regulares ad praedicandum in Ecclesiis non suorum Ordinum, nedum indigent Benedictione, sed etiam licentia Episcopi, ultra licentiam suorum Superiorum. Sic expresse Concil. Tridentin. *sess.* **5.** *cap.* **2.** ibi: « In Ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum ordinum nullo modo praedicare possint; ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant». Quod confirmavit Gregorius XV. cit. Constitut. incip.
79 *Inscrutabili.* Unde nota, quod Episcopi gratis concedere debent licentiam praedicandi, ibi: « Ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant ». Quod et expresse mandatur in *Taxa Innocentiana*, §. *Si dichiara*, ibi: « Si dichiara anche illecito ogni emolumento diretto, o indiretto, e per conseguenza se ne proibisce al Vescovo, o Prelato, Vicario, e Cancelliere, ed ogni altro Ministro, e Famigliare ogni esazione sotto qualsivoglia pretesto, anche di mancia, e donativo, nell' infrascritte cose, cioè per la licenza, o Patente di predicare, così nella Quaresima, o nell' Avvento, come in tutti li altri tempi, ed in qualsivoglia luogo ». Vide verb. *Taxa*
80 In locis Dioecesis distantibus, et difficilis itineris debet Episcopus aliquem deputare, qui det approbationem, et Benedictionem: *Sac. Congregat. Episcop. et Regul.* **20.** *Septembris* **1583.**, *et Sacra Congregat.* **10.** *Maii* **1635.** quae scripsit Litteras hortatorias ad Episcopos, qui perampias habent Dioeceses, ut Regularibus longe distantibus Benedictionem, vel licentiam praedicandi concedant per Litteras Patentes, vel per suos Vicarios Foraneos apud Pignatell. *tom.* **4.** *consultat.* **206.** *numer.* **76.**

Regulares praedicare volentes in Ecclesiis suorum Ordinum non spectat ad Ordinarium eos examinare, sed ad eorum Superiores: *Sac. Cong. Episc. et Regul. in Salernitana* **19.** *Decemb.* **1610.** 81
Secus autem si Praedicator sit Clericus saecularis, etiam electus a Regularibus, vel si Regularis praedicare velit in Ecclesiis aliorum Ordinum, etiam ab ipsis Regularibus electus *Sac. Cong. Episcop. et Regul. in Cajetana* **15.** *Dec.* **1607.** apud Pignatell. *cit. consult.* **206.** *num.* **66.** 82

Regulares nequidem in propriis Ecclesiis possunt tempore Quadragesimae, et Adventus, aliisque temporibus in Pulpito pauperes, et miserabiles personas absque licentia Episcopi commendare: *Sacra Congregat. Episc. et Regular. in Placentina* **20.** *Jul.* **1619.** Possunt tamen commendare propria Monasteria: *Sacra Congreg. Episcop. et Regul.* **8.** *Maii* **1602.** Ac etiam possunt, dum praedicant in suis Ecclesiis recipere, ac distribuere eleemosynas arbitrio suo, et commendare quemcumque locum pium ex iis, quae Episcopus edixerit; at extra suas Ecclesias prout Episcopus voluerit. Ad commendandum vero familias, seu personas particulares indistincte necessaria est licentia Episcopi; *Sacra Congregatio Concil. in Paduana* **27.** *Nov.* **1626.** Sic expresse apud Pignatell. *consult.* **206** *num.* **69.** 83 84 85

Ad praedicandum Monialibus mitti potest quilibet Regularis, modo non alloquatur seorsim aliquam ex ipsis: *Sacr. Congreg. Episcop. et Regulari in Montisfalisci* **25.** *Mart.* **1591.** *et in Hieracens.* **2.** *Martii* **1592.** Etiam pro sermonibus spiritualibus ad crates: *Ead. Sacr. Congr. Episc. et Regul in Interamnensi* **8** *Jun.* **1563.** *et in Teracinensi* **5.** *Martii* **1608.** Vel ad conferendum cum Monialibus sermonem de rebus spiritualibus, sive ad crates, sive ad collocutorium: *Eadem Sacra Congreg. Episc. et Regul.* **2** *Jun. et* **14.** *Novemb.* **1601.** apud Pignatell. *loc. cit. num.* **71.** 86 87 88

Regulares vero missi ad crates Monialium pro munere praedicationis obeundo peccant mortaliter, et incurrunt Censuras, et poenas, si sine expresse licentia ad colloquendum immediate post Concionem cum aliquibus, seu cum una tantum, omnibus aliis audientibus, immisceant sermones cum quaestionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius Concionis: *Sacr. Congreg. Conc. die* **21.** *Maii* **1678.** Vide verb. *Moniales art.* **4.** *n.* **20.** *et* **21.** 89

Praedicatores Regulares non acquirunt stipendium sibi, sed immediate Monasterio: Donat. *prax. rerum Reg. par.* **2.** *tr.* **11.** *quaest.* **3.** Matthéucci *Offic. Curiae cap.* **12.** et Communis aliorum. Quidquid enim acquirit Monachus, acquirit Monasterio; *c. Statutum* **1.** *cau.* **18.** *quaest* **1.** *cap. Abbates* **17.** *caus.* **18.** *qu.* **2.** *Quia ingredientibus* **7.** 90

caus. 19. *quaest.* 3. *cap. In praesentia* 8. *de probationibus, cap. Cum ad Monaster.* 6. *de statu Monach. cap. Dixit in* 6. *de verbor. significatione*, §. *Ne alium*, cum similibus, Fagnan. lib. 3. *Decret. in cap. Monachi* 2. *de statu Monachor num.* 11. et alii passim. Et expresse Concil. Tridentin. *sess.* 25. *de Regularibus, et Monialibus cap.* 2. ibi: « Nemini igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, et Conventui incorporentur ». Et expressius decr. Clement. VIII. pro reformatione Regul. incip. *Nullus omnino*, §. 3. Vide verb; *Legatum a num.* 88. *ad num.* 94. *et verb. Monialis art.* 2. *a num.* 64. *usque in finem.*

91 Die 7. Octobris 1649. Sac. Congr. S. Officii mandavit, ut Superioribus Religionum notificetur, quod Praedicatoribus significent, ut caveant ab allegatione Doctorum, et Auctorum modernorum, praesertim viventium, apud Nicol. in *Flosculis v. Praedicator num.* 28.

92 Praedicatores non possunt publicare Indulgentias non publicatas per Ordinarios Locorum: Concil. Trid. *sess.* 21. *cap.* 9.

93 Protonotarii extra numerum possunt concionari cum amiculo brevi, passim Mantelletta, et Carbasina Praesulari, vulgo Rocchetto. Sic probat Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 22. adducens ad id Decretum *Sac. Cong. Rit. in una Mazariensi die* 28. *Septembris* 1630.

94 Praedicatores debent salutare prius Capitulum, quam Magistratum; In causa enim Capuana fuerunt proposita, et resoluta sequentia dubia:

I. An Capitulo Ecclesiae Metropolitanae debeatur praecedentia super Magistratum Saecularem ejusdem Civitatis in omnibus functionibus Ecclesiasticis?

II. An Concionator debeat salutare prius Capitulum, vel Magistratum?

III. An absente Archiepiscopo, Magistratus debeat salutari cum titulo Illustrissimi, et Capitulum cum titulo Reverendissimi?

Sacra Congregatio Rit. 23. Januarii 1700. respondit.

Ad I. Deberi.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative in casu proposito.

95 Et jam in alia Vercellensi 2. Augusti 1691. declaraverat, quod Concionator debet prius salutare Canonicos, quam Gubernatorem Civitatis. Sic apud Monaceil. *par.* 4 *supplem. ad* 1. *tom. num.* 19. 20. *et* 21. Et in eadem Vercellensi cum *sub die* 11. *Augusti* 1691. Sacrorum Rituum Congregatio ad instantiam Canonicorum Cathedralis Vercellensis declaraverit, a Concionatore salutandos esse prius Canonicos dictae Cathedralis in apparatu Chorali, absente Episcopo, capitulariter sedentes, et deinde Gubernatorem; modo exortum fuit dubium, an hoc procedere debeat, etiam praesente Episcopo? Et eadem Sacra Congregatio respondit: *In decisis, etiam praesente Episcopo die* 24. *Januar.* 1693. Quae Decreta videntur intelligenda, ubi Gubernator est Laicus; secus, si Praelatus, prout esse solet in Provinciis, et Civitatibus status Ecclesiastici; Sic Joann. Baptista Bassi *Tract. de Sodalitiis q.* 19. *sub num.* 15.

Praedicatores instituì non debent, nisi sint aetatis 30. annorum sintque graves, maturi, et docti: 96
Concil. Ravennatens. II. *sub Clemente V. cap.* 13. Conc. Senonens. *in Decret. morum cap.* 33. *Extravagant. de privileg. cap.* 35. *Inter cunctas.*

Praedicatores tenentur praedicare Sacram Scripturam receptam a Sancta Ecclesia, et a Doctoribus Ecclesiae approbatis, sub poena Excommunicationis Papae reservatae: Concil. Coloniens. II. *part.* 6. *cap.* 20. Concil. Lateranens V. *sess.* 11. *Constitut.* 1. 97

Praedicatores deviantes a communi sensu Patrum in exponendis Sacris Scripturis sunt ab Ordinario corripiendi, et a Ministerio abjiciendi: Conc. Mog. IV. *c.* 50. 98

Praedicatores prohibentur obloqui de Magistratu, vel de Episcopo coram populo: *Clem.* 1. *de Privilegiis.* Concil. Mediolan. I. *tit. de praedicatione verbi Dei*; Unde Praedicatores etiam Regulares obloquentes de Ordinario in suis sermonibus, quos habent in Oratoriis, vel in propriis Ecclesiis, possunt ab eodem Ordinario puniri: *Sacra Congregatio Concil.* in *Vercellen. die* 21. *Martii* 1643. *ex cap.* 3. *sess.* 5. apud Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 268. 99

Praedicatores non possunt redarguere aliquem expresso nomine in actu praedicandi, sub poena Excommunicationis Papae reservatae: Conc. Lateran. V. *sess.* 11. *Const.* 5. 100

Praedicatores praedicantes scandala, aut errores in qualibet Ecclesia, debent ab Episcopo removeri ab Officio praedicandi, etiamsi sint exempti, et contra ipsos patest procedere prout de jure: Concil. Tridentin. *sess.* 5. *de reformat. c.* 2. 101

Praedicatores non debent proponere quaestiones difficiles populo rudi: Conc. Trid. *sess.* 24. *de refor. cap.* 4. 102

Praedicari non potest determinatum tempus futurorum, ut Antichristi, vel Judicii; neque vanae revelationes de his, vel aliis, sub poena Excommunicationis Papae reservatae: Conc. Lateranens. V. *sess.* 11. *Const.* 1. 103

Praedicari non possunt novae Inspirationes, vel revelationes, nisi a Papa, vel Loci Episcopo sint examinatae, et approbatae, sub poena Excommunicationis Papae reservatae: Concil. Lateranens. V. *cit. sess.* 11. *Const.* 1. 104

Praedicari non possunt dubia pro certis, neque apocrypha, neque comica, neque anilia, fabulae, obscoenitates, aut quae risum movent, sed quae lacrymas: Conc. Trevirense II. *cap.* 4. Conc. Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 4. 105

106 Praedicari non possunt miracula nova, nisi per Episcopum sint approbata: Concil. Senon. *in Decret. mor. c.* 4. Conc. Trid. *sess.* 25. *dec. de invoc. Sanctorum.*

107 Praedicari, et imprimi non possunt sine Sedis Apostolicae licentia miracula, gratiae, Beneficia etc. quae praesumuntur accepta a Deo ad intercessionem alicujus mortui cum opinione Sanctitatis, nisi fuerit Canonizatus, vel Beatificatus. Urban. VIII. Const. 37. incip. *Sanctissimus.*

108 Praedicari non possunt miracula, gratiae etc. talis mortui non Canonizati, nec Beatificati sine tali licentia Sedis Apostolicae, sub poenis Clericis Saecularibus privationis Officiorum, suspensionis a Divinis, et administrationis Sacramentorum; Regularibus vero omnium Officiorum, nec non vocis activae, et passivae: Urb. VIII. cit. Const. 37. incip. *Sanctissimus.*

109 De mandato SS. injungitur Episcopo, ut prohibeat nobiles Foeminas vulgo *Dame* quaestuare eleemosynam pro Concionatoribus in Civitate Casalen. juxta Edictum ab eodem Episcopo nuper publicatum, et in casu inobedientiae suspendat Concionatorem, et prohibeat, ne concionetur in ea Ecclesia: *S. C. Imm. in Casal.* 17. *Jan.* 1703. *l.* 3. *Decr. Vall. p.* 468.

110 Canonicus Theologus, petita, et obtenta licentia a Capitulo, potest concionari per alium: *Sacra Congregatio Conc. in Urgellen.* 15. *Decembris* 1725. ubi ad 11. dubium, *An Canonicus Theologalis concionari possit per alium in casu?* Respondit *posse, petita licentia a Capitulo.* Et repropositra causa die 28. *Septembris* 1726. ad II. dubium: « An Canonicus Theologalis concionari possit per alium, et quatenus id facere possit petita licentia a Capitulo, sufficiat, quod eam petat, vel ulterius necessarium sit, quod obtineat? Respondit: Quoad secundum teneri petere, et obtinere licentiam a Capitulo, salvo recursu ad Episcopum ». Sic apud d. Thes. Resol. Sac. Cong. Conc. *tom.* 3.

111 Conciones in Ecclesiis de die haberi debent;
Bened. XIV. tom. 1. Constit. 137. incip. *Singu-*
112 *larem*, §. 3. Conciones in Capella Pontificia, et
in Basilica Vaticana habentur inter Missarum so-
113 lemnia; Idem *ibid.* §. 9. Concionatoris Apostolici munus Ordini Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum perpetuo addicitur; Idem Constitut. 75. incip. *Inclytum.*

114 Dum Episcopus per semetipsum praedicat, alii, neque Regul. in propriis Ecclesiis praedicare nequeunt, nisi ipse Episcopus permittat: Bened. XIV. de Synodo Dioecesana lib. 9. *cap.* 17. *num.* 6. *et* 7. *ex Decret. Sacr. Congreg. Concil. in Pacen.* 26. *Aprilis* 1607. *ad* 4. *in Brundusina* 10. *Mar-*
115 *tii* 1645. Possunt tamen, si Episcopus alios coram se praedicare jubeat. Idem *ibid. num.* 7. *ex cit. Decret. in Pacen.* 16. *Aprilis* 1607. Quod si idipsum ex causa publica, convocatis Clero, Magistratu, et populo faciat, potest Episcopus praecipere Regularibus, etiam sub censuris, ut a praedicando, abstineant: Idem *ibid. num.* 7. *ex cit. Decret. in Brundusina* 10. *Martii* 1645. Non expedit ta-
men ad praecavendas lites, et discordias inter E- 116
piscopum, et Regulares, ut id generali Constitutione statuat: Idem *ibidem num.* 8. ex Decreto *Sacrae Congregationis Concilii* 2. *Julii* 1687. quae ad evitandas dictas lites, et discordias, censuit posse quidem Episcopum in peculiaribus eventibus, in quibus opportunum reputet solemnem indicere concionem coram se ab alio habendam, inhibere Regularibus, ne ea ipsa hora in suis Ecclesiis praedicent; minime tamen expedire, ut Constitutione, seu Edicto illis generatim praedicare prohibeat, quotiescumque ipse coram se solemniter praedicare faciet. V. add. Cas. sub. n. 26 hic supra.

* Parochi singuli tenentur concionem habere in 117
suis Ecclesiis, nec excusantur ex consuetudine etiam immemorabili, sive quod in aliis Ecclesiis conciones habeantur, sive ex infrequenti auditorum numero. Ita Innocentius XIII. in sua Constitutione pro reformanda disciplina Regnorum Hispaniae, quam Benedictus XIII. confirmavit, ut esset norma ceteris Ordinariis: *Institut. Eccles.* 10. §. 3.

Sufficit tamen pro concione allocutio pia, sin- 118
gulis festis, ut respondit S. Congregatio die 8. Augusti 1732.

Concionem proprii Parochi, quam in Parochia- 119
li Ecclesia diebus festis habet, auscultare parochiani non tenentur, praecipiente licet Tridentino, cujus sanctionem contraria modo consuetudo abrogavit. *De Synodo Dioec. lib.* XI. *cap.* 14. §. 13.

Concionatores si per scurrilitatem « Verbum 120
Dei, veluti in scenam adducant, non levem culpam committunt, sed grande piaculum »: ita ex verbis encyclicae Sac. Congregationis Concilii sub Innocentio XI. datae 6. Julii 1685. *Institut. Eccles.* 27. §. 15.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Praecipuum Episcoporum munus esse praedica- 121
re, et quidem per se ipsos, pluribus monstrant *Van-Espen. Jur. Eccles. univ. part.* 1. *tit.* 16. *c.* 7. *fer. per tot.* ubi quod nulla consuetudo Episcopos ab hac obligatione eximere valeat, et *Rousseaud de La Combe in sua Jurisprud. Canonic. verb. Praedicator sect.* 1. *n.* 1. *et* 2.

Atque hinc descendit, quod nemo regulariter 122
praedicare potest, dissentiente Episcopo: *Rousseaud de La Combe ubi supra n.* 3. Confer etiam *Ducass. de Jurisdict. Ecclesiast. cap.* 7. *sect.* 4. *num.* 1. Et jure meritoque; repugnat enim ut quis vices alterius gerat, eo contradicente.

Quod attinet ad Regulares, *in Conc. Trid.* diu, 123
multumque disputatum est, an et ii huic legi obstricti esse deberent. Causam disputationi dederunt privilegia, quibus Regulares a S. Sede donati sunt, *Consule Pallavicin. Histor. Conc. Tr. lib.* 7. *c.* 7.

124 At *sess.* 5. *c.* 2. *de reform.* placuit distinguere Ecclesias suorum Ordinum inter, ac Ecclesias non suorum Ordinum. In his, ultra licentiam suorum Superiorum, necessaria quoque fuit existimata licentia Episcopi. In illis vero sufficere visa est simplex Benedictio Episcopi cum licentia suorum Superiorum.

125 Decretum hoc, in quantum permittit Regularibus praedicare in Ecclesiis suorum Ordinum de licentia suorum Superiorum, et vix petita (*) benedictione ab Episcopo, valde displicuit nonnullis Patribus Tridentinis, et praesertim Brachio Martello Episcopo Fesulano. « *Acerbe se ongi* (inquit in coetu Patrum super discussione hujus decreti institota 15. April. 1546.), quod liberum esset Regularibus, neque missis, neque vocatis, suis in Coenobiis per Episcoporum dioeceses concionari. Quod, *exclamovit*, quidnam aliud est, nisi permittere, ut Lupi non per ostium, sed aliundo ingressi ovile perturbent »?

126 Deinde in Congregatione generali habita 10. Maii denuo oratione satis prolixa coram Patribus id ipsum urgere, et quidem vehementissime perrexit. Atque hoc in causa fuit, ut *sess.* 24. *c.* 4. *de Reformat.* habita die 11. *Nov.* 1563. quum jam numerus Episcoporum esset frequentior, et temporum conditio convenientior, decretum fuerit, ut, « Nullus etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat ». Nec diversum statuit Clem. X. Const. quae incip. *Superna*, si serio perpendatur.

127 Quo respiciens *Rousseaud de la Combe loc. cit.* §. 2. 5. ait, Regulares sine permissione Episcopi, vix praedicare posse in eorum Capitulis, aliisque locis Monasteriorum Fratribus suis, non item Populo.

128 Sine Episcopi licentia praedicare et Regulares posse Monialibus subjectis, iisque solis, et clausis janulis, rescripsit Sac. Congr. Conc. interpres *in Conversana Jurisd.* 8. *Maii* 1751. *ad dubium decimumtertium*. Conceptum enim fuerat hoc dubium: « An ad crates Ecclesiae, seu collocutorii, aut alibi, liceat Commissario Monasterii sermonem, aut Conciones habere ad Moniales sine Episcopi licentia? *Et responsum fuit* Affirmative pro solis Monialibus, et clausis Januis ». Videtur autem hac resolutione recessum a mox d. Const. Clem. X. (**)

129 Quod vero conceroit Clericos saeculares, a mox dicta lege excipiendi sunt Parochi, tum Canonici Theologi, qui vi propriorum munerum praedicare possunt, et tenentur, quin opus habeant licentiam Episcopi impetrare. Caeterum si vel Parochus, vel 130
Canonicus Theologus impeditus sit praedicare per se ipsum, nequit alium substituere sine approbatione Episcopi; *Rousseaud de la Combe eod. loc. sect.* 3. *num.* 1. *et sect.* 5. *num.* 5. Quod si vel 131
unus, vel alter negligat praedicare, potest Episcopus alium substituere impensis negligentis; secus vero si praedicare velit; *idem Auctor ubi supra*.

Notabile est, quod Episcopus potest, ubi ita existimat, non approbare Clericum vel saecularem, 132
vel Regularem ad praedicandum, nec tenetur causam aperire cur illum non approbet. Sin autem 133
ipse Episcopus causam manifestaverit, cor illum non approbaverit, eaque minus legitima sit, non prohibetur recursus ad Superiores; *Rousseaud de la Combe ibid. sect.* 3. *num.* 4.

Quamvis autem Episcopi munus praecipuum sit 134
praedicare; nominatio tamen Praedicatorum potest pertinere ad alios, reservata Episcopo approbatione, sed confer *Rousseaud de la Combe c. loc. sect.* 7. *num.* 6. de hac nominatione.

De qualitatibus requisitis in Praedicatore vide 135
Ducasse de Jurisd. Eccles. c. 7. *sect.* 4. *num.* 2. Illud vero non est hic omittendum, necesse haud esse, quod Praedicator sit Sacerdos, vel in sacris Ordinibus constitutus, sed satis esse, quod sit Clericus, *Ducasse ubi supra*. Consule etiam *Fagnon. in c. responso num.* 14. *et plur. seq. de Sent. Excomm.* ubi quod ita resolvit Sacr. Congr. Conc. interpres.

De iis, quae Episcopus Praedicatoribus injunge- 136
re debeat, consule *Acta Eccles. Mediolan. tit. de Concionator.* Confer itidem *Ducasse loc. cit. n.* 3.

ADDITIONES CASINENSES

ad n. 16. h. articuli quoad benedict. Episcop. ad praedic.

« Ad dubium propositum in S. Rit. Congr. pro » parte Illustris. et Reverendiss. D. Card. Aquaviva, Civitatis Neapolitanae Archiepiscopi: An » scilicet conveniat, ut quando aliquis Episcopus » in eadem Civitate Neapolitana, ipso Illustris. » D. Card. Archiepiscopo praesente, sermonem, » vel concionem habuerit, antequam pulpitum, » vel ambonem ascendat, petat ab ipso Archiepis» copo benedictionem, sicut ceteri concionatores » non Episcopi facere solent? Eadem Sacr. Con» gregatio respondit: *ob supremum Ordinem, et* » *dignitatem Episcopalem* non convenire, *ut Epis*» *copus concionaturus ab Ordinario etiam Cardi-*

(*) Nescio qua fide Additionum Auctor τὸ *vix* in hunc locum intruserit. Gravius autem peccat, cum virulentas Brachii Martelli Episcopi Fesulani in Tridentinis coetibus xv. Aprilis, et x. Maii habitis declamationes commemorat, quin Lectores moneat, Episcopum illum, non modo a plerisque Patribus improbatum, ac refutatum, sed etiam a Concilii Legato die xviii. Maji gravi Oratione castigatum, *obortis lacrymis* contestatum esse, *haud suae fuisse mentis, in Synodum, vel Sedem Apostolicam quidquam obloqui; quod si quaedam ambigua verba exciderant, Patres obtestari, ut in saniorem significationem acciperent;* ut narrat Cardinalis Pallavicinus Historiae Concilii Tridentini lib. vii. cap iv. num. 3. et seqq.

(**) Nullo modo S. Congr. Concilii in edenda recitata resolutione a Clementis X. Const. *Superna* recessit. Nam in Resolutione de Commissario, qui Monialium Superior est, non de aliis Religiosis agitur.

» nali ante concionem benedictionem petat. Et ita » censuit, et declaravit, die 28. Aprilis 1607, in » Neapolitana ». apud Manuale Ecclesiast. edit. Neapol. an. 1847. n. 612.

PRÆDICATORUM ORDO

De Ordine FF. Predicatorum haec, quae sequuntur, praestat adnotare.

1 Praedicatorum nomen praeclarissimo Ordini Dominicanorum ab Innocentio III. concessum est. Sic in Bullario dicti Ordinis in Indice rerum *tom.* 8. *pag.* 771. ubi citatur ad id tom. 1. pag. 5. Const. 3. n. 3. in quo sic expresse: Praedicatorum quo tempore nomen illud nobis fuerit inditum, docet Stephanus Auctor coaevus in Tract. *de glorioso nomine Praedicatorum cap.* 1. « Celebrato siquidem Conc. Lateranensi An. MCCXVI. Summus Pontifex (*Innocentius III.*) ordinans quaedam circa negotium Fidei in partibus Tholosanis agenda, et decernens super his scibere B. Dominico, et iis, qui cum eo erant, accito Notario, dixit ei: sede, scribe super his Fratri Dominico, et sociis suis in haec verba . . . . et stans paululum, noli scribere, inquit: sic; sed hoc modo: Fatri Dominico, et cum eo praedicantibus in partibus Tholosanis . . . . . statimque aliquamdiu considerans, pius, sic inquit, scribe: Magistro Dominico, et Fratribus praedicatoribus etc. et surrexit. Sic Dominus, scripsit Notarius, Nutu Dei presens tunc Romae aderat Pater sanctus, qui audito verbo Domini totius mundi Vicarii J. C. gavisus est gaudio magno valde: nam deinceps in Curia, et ubique, ipse, et filii ejus coeperunt se fratres praedicatores vocare, caeperuntque in Curia, et ubique ab omnibus sic vocari ».

2 Qua de causa hoc praeclaro nomine Praedicatorum fuerint insigniti, tradit Benedictus XIII. in Constit. incip. *Pretiosus*, §. 29. ibi: « Memores porro quantum ex praedicatione verbi Dei Catholica Religio incrementum reportaverit, et quantum proinde meritum sibi comparaverint Fratres hujus Ordinis, quos proinde Sedes Apostolica ab incunabulis ejusdem Ordinis praeclaro nomine praedicatorum insignivit etc. ».

3 Ast nedum ex praedicatione Verbi Dei, sed etiam ex eorum scholastica Doctrina Catholica Religio maximum incrementum reportavit, ut jure merito Sanctissimi eorum Angelici Doctoris doctrina, nedum a Summis Pontificibus, omnibusque aliis usque ad sidera commendetur, sed et ab ipsomet Christo fuerit semel, bis, et ter commendata praecisis his verbis: *Bene de me, Thoma, scripsisti*; ut proin Sixtus V. effigiem S. Thomae pingi jusserit sinistra manu Ecclesiam gestantis, dextera vero, qua scribit, magnom luminis splendorem in eam effundentis; hac addita epigraphe: *S. Thomae de Christo scripta, a Christo Crucifixo probantur*. Unde ad id juvat afferre, quae traduntur in laudato Bullario *tom.* 5. *pag.* 157. *nu.* 6. ibi: Factum referunt antiqui scriptores laudatis in notis ad Constit. XI. Joannis dicti XXII. Ejusdem meminere Summi Pontifices, quorum diplomata postea transcribentur. Ex ipsis Clemens VIII. alloquens Neapolitanos, haec babet: « pie prudenterque cogitatis de novo Civitati Patrono adsciscendo, Cive vestro, divinae voluntalis Angelico interprete, vitae sanctitate, et miraculis claro, Thoma Aquinate, cujus doctrinae fuit tantum tributum, ut christianae eruditionis suae divinum etiam illud babeat testimonium: *Bene de me, Thoma, scripsisti* ». In alio autem diplomate sic loquitur idem Clemens: « Doctrinae (S. Thomae) testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit. In quibus conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum, et Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei jussu enarrantes habuit. Quos deinde conscriptos expressa Christi Domini voce comprobatos audivit. Id perenni monumento posteris persuasum esse voluit Sixtus V. prudentissimus Pontifex, cum in Bibliotheca Vaticana S. Thomae pingi jussit effigiem sinistra manu Ecclesiam gestantis, dextera vero, qua scripsit, magnum luminis splendorem in eam effundentis; addita epigraphe: S. Thomae de Christo scripta, a Christo Crucifixo probantur ». Hac de re legendus Angelus Rocca de Bibliotheca Vaticana. Notat Joannes Diestemius Blaerus S. Jacobi Leodiensis Prior Ordinis S. Benedicti art. VIII. Commentarii de Institutione festi Corporis Christi Anno MCCXCVI. conscripti, quod in foribus Ecclesiae Bolsenae . . . depictus . . . est B. Thomas sedens, ac scribens tamquam Doctor in Cathedra, circumstante Curia: depictus est insuper Crucifixus, alloquens S. Thomam, coram se super genua adorantem, et dicens: Bene scripsisti de me, Thoma. Ter a Christo Dno commendatam fuisse doctr. Thomae, referunt Auctores.

Hinc Benedictus XIII. Const. incip. *Demissas preces*, retundit calumnias adversus doctrinam SS. Augustini, et Thomae intentatas, uti et fecit Clemens XII. Constit. incip. *Apostolicae providentiae*, retundens calumnias eorum, qui asserebant, censuris Constitutionis *Unigenitus* doctrinam SS. Augustini, et Thomae Aquinatis de divinae Gratiae efficacia esse perstrictam; laudesque, quibus 4

SS. Augustini, et Thomae doctrina celebratur, confirmat, ne quis eamdem calumnietur, cavet, et scholarum Catholicarum paci consulit. Videatur etiam Constitutio Sixti V. incip. *Triumphantis Jerusalem*, in qua doctrinam SS. Thomae Aquinatis, et Bonaventurae egregiis laudibus ornat: asseritque expresse: « hi enim sunt duae olivae, et duo candelabra in Domo Dei lucentia, qui et caritatis pinguedine, et scientiae luce Ecclesiam collustrant. Hi singulari Dei providentia eodem tempore tamquam duae stellae exorientes ex duabus clarissimis Regularium familiis prodierunt, quae Sanctae Ecclesiae ad Catholicam Religionem propugnandam maxime utiles, et ad omnes labores, et pericula pro Orthodoxa fide subeunda paratae semper existunt, ex quibus tamquam ex fertili, et bene culto solo quotidie per Dei gratiam foecundae, et fructuosae planctae procreantur, hoc est, viri Doctrina, et Sanctitate praestantes, qui Petri naviculae tot fluctibus agitatae, et Romano Pontifici ejus clavum non sine magna sollicitudine tenenti, fortem, et fidelem operam navant ».

Crucis obviae retro incedentibus ubique terrarum (*) PP. Praedicatoribus familiaris est gestatio; ex laudato suo Bullario *tom.* 8. *in Indice rerum pag.* 637. *et pag.* 320. *n.* XIII, ubi traditur, quod ad dubium inter alia quintum; « an liceat dictis Patribus in eisdem processionibus gerere Crucem obviam retro incedentibus? Sac. Congreg. Rituum die 10. Martii 1736. respondit: ad V. *quoad gestationem Crucis obviae retro incedentibus, licere etc.* Sic ubique terrarum Fratribus Praedicatoribus solemne, ut in publicis supplicationibus, seu processionibus, ut loquuntur, Imaginem Crucifixi deferant ad ipsos fratres conversam. Vide etiam ejusdem Bullarii *tom.* 7. *pag.* 392 *et seq.* ubi cum ipso quinto dubio referuntur alia septem proposita, et a dicta Sacr. Congreg. resoluta, die qua supra. 5

PRÆDICTIONES DETERMINATI TEMPORIS FUTURORUM

VIDE VERB. *PRAEDICARE N.* 103. ET VERB. *ASTROLOGIA PER TOT.*

PRÆFATIO

Haec porro ad hanc vocem notare satis sit.

1 Missae Prefationes novem pro diversitate temporum, et Festivitatum secundum Romanum Ritum ab omnibus Sacerdotibus recitandae, fuerunt comprobatae, et mandatae a Pelagio II. in Concilio Romano ad id anno 590. celebrato, ut constat ex Epistola ejusdem Pelagii II. ad Episcopos Germaniae, et Galliae penes Labbè *tom.* 3. *fol.* 913. *Cum in Dei etc.* (**) et referunt Baronius *ad ann.* 590. *nu.* 5. *et seq.* Battaglinus *t.* 1. *Histor. universal. Concilior ad ann.* 590. *fol.* 310. et alii, et tales Praefationes enumerantur *in cap. Invenimus* 71. *distinct.* 1. *de Consecrat.* ibi: « Invenimus has novem Praefationes in Sacro Catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retro vetustas in Romana Ecclesia hactenus servavit, idest unam in Albis Paschalibus, aliam de ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione Domini, sextam de Apostolis, septimam de sancta Trinitate, octavam de Cruce, nonam de jejunio in Quadragesima tantummodo recitandam; Has Praefationes tenet, et custodit Sancta Romana Ecclesia; has tenendas vobis mandamus ». Et de his fit mentio etiam *in cap. Sanctorum* 2. *dist.* 70. (***)

Dictis novem Praefationibus addita est decima 2
de B. M. V. ab Urbano II. in Concilio Piacentino celebrato anno 1095. ipsam canendo, dum Missam

(*) Ritus iste nec Romae, nec in pluribus Italiae Urbibus, a PP. Ordinis Praedicatorum modo servatur.

(**) Ea Pelagii II. Epistola spuria est. Dicendum igitur, Praefationes ad novem fuisse circa XII saeculum a Romana Ecclesia redactas Additae illis postea duae fuerunt, altera communis antiquiss. quae Gelas seu Gregorii esse creditur; altera de B. Virgine ab Urbano II. instituta. Caeterum Praefationum antiquitatem evincunt Cyprianus in Lib. *de Orat.* Augustinus ep 57. 120. 156. aliisque in locis, et Concilium Milevitanum *can.* 12

(***) E. R. Cardinalis Bona Rer. Liturgic. l 2 c. 10. epist. Pelagii II. ad Episcopos Germaniae, et Galliae refert, subditque: » Hoc ipsum Decretum in antiquis editionibus Gratiani *de Consecr.* dist. 1. cap. *Invenimus*, Gelasio adscribitur. Sed hanc epistolam, dum attentius considero, hac suspicione vehementer perculsus sum, ne alterius forte Pontificis recentioris sit, et Pelagio per errorem tributa. Si enim aetate Pelagii illis tantum Praefationibus Romana Ecclesia tamquam dudam in ea receptis, et approbatis utebatur, quomodo Gregorius ejus imediatus successor, sacrorumque rituum tenacissimus custos, alias novas instituit? . . . . . De epistola Pelagii silent scriptores illius, et aliquot sequentium saeculorum. Quod si mea suspicio aequo lectori non placet, hoc saltem negare non poterit . . . Decretum de novem Praefationibus nullibi receptum, nec executioni mandatum, nisi saeculo X, vel XI. Evidens enim est in libris sacramentorum, qui Romanae Ecclesiae titulum praeseferunt, plures reperiri Praefationes, vixque ulla Missa est, cui propria, et peculiaris non assignetur. » Hactenus Bona, qui §. 2. Biblioth Eccles. par. 2. c. 12. laudat librum, in quo sunt ducentae quadraginta Praefationes propriae.

celebrabat in Ecclesis Beatae Mariae Virginis ejusdem Civitatis Placentiae, vulgo noncupatae *Madonna di campagna*, nunc a Nostratibus cum Magnifico Conventu inhabitatae, nec antea compositam, sed ex improviso in illo actu celebrationis Missae sibi coelitus inspiratam, ac revelatam, ut refert Battaglinus *loc. cit. fol.* 302. Et additio talis Praefationis habetur expresse *in cap. Sanctorum* 2. *dist.* 70. ibi: « In eodem etiam Concilio antiquo novem Praefationibus decima addita est, quae ita se habet: « Æquum, et salutare: Et te in Veneratione, vel Assumptione B. V. M. collaudare, benedicere, et praedicare. Quae et Unigenitum tuum Sancti Spiritus obumbratione concepit, et Virginitatis gloria permanente lumen aeternum mundo effudit Jesum Christum Dominum nostrum ».

3 Praefatio Missae Sancti Patris nostri Francisci composita a nostro Beato Joanne ab Alvernia, ut refert P. Petrus Antonius a Venetiis *nel Giardino Serafico tom.* 2. *part.* 5. *c.* 5. quaeque recitatur a Nostratibus in Solemnitate, et tota Octava ejusdem Seraphici Patris, recitari potest, et debet in Festo Omnium Sanctorum nostri Ordinis: *Sac. Cong. Rit.* 22. *August.* 1722. Vide inter *Resol. Sac. Cong.* in Appendice h. Tom.

4 In Missa feriae quartae Quatuor Temporum occurrentis in die Octava Nativitatis B. Virginis Mariae, dicenda est Praefatio communis, non vero de B. M. V. *Sac. Rit. Congregat.* 12. *Decemb.* 1626.

5 Si festa SS. Apostolorum Philippi, et Jacobi, ac Inventionis Sanctae Crucis occurrerint infra Octavam Ascensionis, Praefatio in Missa erit de Apostolis, vel de Cruce, ac *Communicantes* de Ascensione, *Sacr. Rit. Congreg.* 28. *Aug.* 1627. Idem dicendum est de aliis Festis, ac de Missis votivis propriam habentibus Praefationem, et infra eamdem Octavam celebrandis. Non sic autem de Festis occurentibus infra Octavam Nativitatis Dominicae, in quibus non solum semper dicitur *Communicantes*, ejusdem Nativitatis, sed etiam Praefatio, licet Missa occurens propriam habeat Praefationem, uti clare patet ex Missa Sancti Joannis Evangelistae, in qua recitatur Praefatio Nativitatis, non vero Apostolorum. Vide inter *Resolutiones Sacrarum Congregat.* in cit. Append.

* Praefationem SS. Trinitatis singulis Dominicis diebus, quibus Praefationes propriae per rubricas non sunt adsignatae, recitandam decrevit Clemens XIII. die 3. Januar. 1759. cujus Decretum habes inter Decreta S. R. C. sub in fine h. Tom. 6

Nota ** Illustriss. ac Reverendiss. D. Alphonsus de Ligorio in sua Instructione practica pro Confessariis Italice scripta, *Tom.* 2. *cap.* 15. *n.* 88. haec in proposito relati Decreti subjungit: « Si avverta qui di più, che il nostro presente Pontefice Clemente XIII. ha ordinato, che in tutte le Domeniche il Prefazio nella Messa sia *de Trinitate*, purchè non vi sia Prefazio proprio di quel giorno. Si è dubitato poi, se dentro la Quaresima, o dentro l' Ottava (per esempio) della B. Vergine, o degli Apostoli, e simili, debbasi dire il Prefazio proprio, o della Trinità. Sin tanto che dalla Sacra Congregazione de' Riti ciò non si dichiarerà, io stimo, che dentro le Ottave debbasi dire il Prefazio della Ottava, perchè quello è prefazio proprio del giorno, ma dentro la Quaresima debbasi dire il Prefazio *de Trinitate*, perchè quello della Quaresima non è proprio del giorno, ma del tempo ». Haec Auctor doctissimus aeque ac piissimus, cujus ratio, quando subsistat, valebit etiam pro tempore Paschali. **

PRÆLATUS REGULARIS

VIDE VERB. *REGULARIS, PRAELATUS.*

PRÆSCRIPTIO

VID. VERB. *USUCAPIO.*

PRÆSENTATIO, PRÆSENTATUS AD BENEFICIUM

SUMMARIUM

1. Praesentatio, quando competit vigore Turni, non dicitur consumpta in primo praesentato, si hic post acceptatam praesentationem renunciavit, vel alias institutio effectum non habuit. — 2. Praesentantes, aut nominantes ad Episcopatus, digniorem promovere tenentur. — 3. Alia ad materiam praesentationis *ad num.* 6.

1 Praesentatio, quando competit vigore Turni, non dicitur consumpta in primo praesentato, si hic post acceptatam praesentationem renunciavit, vel alias institutio effectum non habuit, ut respondit *Sacra Congreg. Conc. in Bononien.* 10. April. 1680. seu 1681. apud Monacell. par. 2. tit. 15. formul. 1. *n.* 12. et facit *cap. si electio* 25. *de election. in* 6. ac tenet ibi Barbosa *n.* 2. et 3. citans Rotam, et alios.

2 Praesentantes, aut Nominantes ad Episcopatus, digniores promovere tenentur: Benedict. XIV. t.
1. Constitut. 5. Incip. *Ad Apostolicae*, §. 7. Prae-
3 sentatio ad Beneficia de jurepatronatus Ecclesiastici, in mense Apostolicae Sedi non reservato, fieri debet coram Ordinario: Idem tom. 2. Constit. 32. incip. *Deum universi.* Si autem patro-
4 nus sit S. R. E. Cardinalis habens indultum conferendi Beneficia, etiam reservata, quando praesentat vigore indulti, praesentatio fieri debet coram Pontifice; Idem *ibid.*

5 Circa praesentationem ad parochialem notanda sunt responsa Benedicti XIV. ad dubia sibi proposita ab Archiepiscopo Florentino in Epistola in-incip. *Reddita Nobis* 9. April. 1746. I. Patronum Ecclesiasticum teneri in foro externo praesentare ad Beneficium Curatum magis idoneum, et magis dignum inter approbatos ab Examinatoribus. II. Episcopum debere Beneficium conferre praesentato a Patrono absque eo, quod inquirat de illius judicio, si inter examinatos nemo de hoc queratur; si vero sit qui queratur, teneri in dictum judicium inquirere. III. Admittendam esse appellationem in devolutivo tantum, interpositam ab eo, qui se digniorem existimat, et posthabitus est, non retardata possessione praesentati, si Episcopi, et Patroni judicium de magis digno conveniat. Si vero non conveniat, tunc si quis ex approbatis ab examinatoribus, et tamquam magis dignus praeelectus a Patrono, putet se gravatum esse ab Episcopo, et ideo appellat, ejus appellationem operari debere ad effectum suspensionis, et interim Ecclesiam Parochialem remanere sub oeconomo, donec lis finiatur.

Alia ad rem. Vide verb. *Beneficia art.* 3. *a n.* 5
69. *et art.* 5. *a num.* 31. tum verb. *Juspatronatus art.* 3. *a num.* 36. *art.* 4. *a n.* 5. *ad n.* 103.

PRAESTIMONIUM

SUMMARIUM3

1. Praestimonium vi nominis idem est ac praestans munium. — 2. Definitio propria Praestimonii — 3. Praestimonia, cum dantur solummodo ad certum tempus in vitae subsidium, non sunt beneficium Ecclesiasticum proprie dictum. — 4. Si vero conferantur in Titulum, atque in perpetuum, tunc connumerantur inter beneficia proprie dicta. — 5. Alia ad rem, *ad num.* 7.

1 Praestimonium vi nominis idem est *ac praestans munium*, Sic Hostiensis *in c. Postulasti, de Rescriptis*, Menochius *l.* 2. *de Arbitr. Judic. cas* 20. *n.* 56. et alii. Pro ut au-
2 tem Praestimonium sumitur pro *portione praestimoniali*, nihil aliud est, quam stipendium, quod ab Ecclesiasticis redditibus abstractum dari solet Canonicis, vel aliis Clericis in vitae subsidium, praesertim ubi litteris, seu studiis vacant; Menochius *loc. cit. num.* 56. Layman *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. *et* 6. et alii passim.

3 Praestimonia, seu portiones praestimoniales, cum dantur solummodo ad certum tempus in vitae subsidium, v. g. durante tempore studiorum, non sunt Beneficium Ecclesiasticum proprie dictum: Menochius *loc. cit. num.* 57. *et* 60. Layman *loc. cit. n.* 5. *et* 6. Azorius *part.* 2. *Instit. moral. cap.* 7. *q.* 1. testans de communi; Et ratio est clara, quia de ratione Beneficii proprie dicti est tribuere Jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae; Adeoque, cum praestimonia dantur solummodo ad certum tempus studiorum, non sunt Beneficium proprie dictum.

Si autem praestimonia conferantur in titulum, 4
atque in perpetuum, ita ut cum obitu illius, qui accepit, vacent (pro ut in Hispaniis communiter dari talia Praestimonia testantur Garcias *de Benefic. part.* 1. *cap.* 2. *n.* 218. et Fagnan. in *cap. Ad audientiam* 31. *de Rescriptis num.* 62. Gonzalez *ad reg.* 8. *Canc. gloss.* 5. §. 2. et alii), tunc connumerantur inter Beneficia proprie dicta, ut tenent Menoch. *l. cit. c.* 58. *et* 50. Azorius *loc. c. cap.* 7. *qu.* 2. Garcias *loc. n.* 117. et alii passim per text. in *cap. ultim. de concession. praebend. in* 6. ubi praestimonia aperte connumerantur inter Beneficia, ibi: « Concessiones super Canonicatibus, Dignitatibus, praestimoniis, et aliis quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis »: in tali enim casu nihil ipsis deficit ex requisitis ad Beneficium Ecclesiasticum.

Talia praestimonia in titulum perpetuum Bene- 5
ficii data, seu collata, quamvis habeant annexum onus spirituale recitandi Horas Canonicas; ex sua

tamen institutione nullum servitium in Ecclesia habere solent; Garcias *de Beneficiis part.* 1. *cap.* 2. *num.* 116. cum aliis ibi citatis, Azorius *part.* 2. *Instit. moral. cap.* 7. *quaest.* 1. *In hac Controver.* ubi expresse dicit, quod « qui praestimonia nunc habent, liberi sint ab onere, obligatione, et praecepto residendi in Ecclesiis, quarum sunt praestimonia, ita ut nec per se, nec per alios in sui locum suffectos, inservire ullo Jure cogantur, quod certe horum Beneficiorum est proprium ».

6 Praestimonia autem data solummodo ad tempus; v. g. durante tempore studiorum, cum ex dictis *supra num.* 3. non sint proprie Beneficia, habent solum saepe adjunctum onus orandi quotidie quinquies Pater, et Ave. Sic refert La Croix *lib.* 4. *num.* 217.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Praestimonia licet antiquis temporibus nihil aliud essent, quam certae portiones fructuum, quae a Capitulis Ecclesiarum praestabantur iis, qui Litteris operam navarent, deinde tamen inter Ecclesiastica Beneficia enumerata sunt, et tamquam Beneficia Ecclesiastica conferri consueverunt fere ubique, et praesertim in Hispania, itaut obnoxia sint Apostolicis reservationibus. Confer Rot. in *Aurien. Beneficii de Serboi* 12. *Mart.* 1725. §. *non relevante, cor. bon. mem. Ratt. et* 25. *Febr.* 1726. §. *Posita, cor. bon. mem. Cerr. et* 12. *April.* 1728. §. *Hujusmodi, cor. mox dicto bon. mem. Ratt.* 7

PRAESUMPTIO

SUMMARIUM

1. Definitio praesumptionis *ad num.* 4. — 5. Praesumptio alia est *juris*, et alia *ab homine*, *ad num.* 8. — Praesumptio juris subdividitur in Praesumptionem *juris* tantum, et in Praesumptionem *juris*, et *de jure ad nu.* 11. — 12. Praesumptio *hominis* quomodo subdistinquatur, *ad num.* 20. — 21. Alia ad rem *ad num.* 25.

1 Praesumptio generatim sumpta alia est, quae dicitur filia Superbiae, et alia, quae est quoddam probationis genus. *Commun.* Praesumptio filia Superbiae est appetitus teme-
2 re aliquid aggrediendi supra vires, seu contra Jus; sic cum homo vult temere facere, seu tentare aliquid supra id quod potest, seu contra Jus, dicitur *Praesumptuosus*, Unde Praesumptio, prout importat temere tentare, seu facere aliquid contra Jus, habetur in Jure non semel expressa, et signanter in *cap. Sed nec* 4. *Ne clerici, vel Monachi*, ibi. « Nec . . . . . Clericorum quisquam exercere praesumat; *Et Clementin.* 1. *de privilegiis*, ibi: « Religiosi qui .... a poena, et culpa absolvere quemquam praesumpserint »; et saepe alibi.
3 Praesumptio autem, ut est quoddam probationis genus, definitur, quod sit rationabilis conjectura (vel probatio) rei dubiae collecta ex argumentis, et indiciis, quae per rerum circumstantias frequenter eveniunt: *Sic in re Communis*; et de Praesumptione sic sumpta erit hic sermo.
4 Praesumptio igitur sic sumpta ex vi nominis idem est ac *ante, et sumptio*; hoc est *antesumptio*, quia videlicet ante legitimas probationes aliquid sumit pro vero. Ita Simanca *lib.* 1. *de praesumpt. quaestion.* 7. *num.* 4. Reiffenstuel *l.* 2. *Decr. t.* 23. *num.* 2. et alii.
5 Praesumptio alia est Juris, et alia est Hominis: *Communis.*
6 Praesumptio *Juris* est, quae ex Juris auctoritate, ac praecepto procedit, quando scilicet Lex ipsa ex aliquo indicio rem dubiam colligit; Sive quae in ipso Jure est scripta, vel a Lege approbata. *Sic in re communis.* Praesumptio *Hominis* e contra est, quae nullo Jure reperitur, sed juxta 7
rerum, circumstantiarumque exigentiam, et varietatem ex variis verisimilibus conjecturis, seu indiciis prudentis Hominis, scilicet Judicis arbitrio, concipitur, seu formatur. *Sic in re Communis.*

Praesumptio Juris subdividitur in Praesumptio- 8
nem Juris tantum, et in Praesumptionem *Juris*, et *de Jure. Communis.* Praesumptio *Juris tantum* est illa, cui Jus tamdiu innititur, donec contra- 9
rium probetur; contra hanc enim Praesumptionem probatio in contrarium admittitur. *Sic in re communis.* Hinc de Jure quilibet praesumitur bonus, nisi probetur malus; *ut c. Mandata* 6. *de praesumptionibus*, ibi: « Quia ex transacta in te vita didicimus, quid de subsequenti conversatione tua praesumamus »; et *cap. Dudum* 16. *eodem*, ibi: « Cum prima facie praesumatur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur ». Et contra *ex cap. Semel malus* 8. *de Regul. Juris. in* 6. ibi: *Semel malus semper praesumitur esse malus*, intellige tamen in eodem genere mali; ut explicat Glossa *ibid. in casu*, et nisi de emendatione appareat; *cap. Ferrum* 18. *dist.* 50. Item hac praesumptione Juris vicinus praesumitur scire ea, quae facta sunt in vicinia; *cap. Quasdam* 7. *de praesumptionibus*, in cujus Summario sic expresse habet: « Ex vicinitate praesumitur notitia facti loci vicini »; et concordat *c. Quanto* 8. *eodem*; in cujus Summa-

rio sic praecise notantur: « Praesumitur factum notum in vicino loco, quod est notum in remoto ». Item praesumitur filius ex Uxore natus, cum que vir cohabitavit; *l. Filium* 6. *ff. De his, qui sui, vel alieni Juris sunt*, Item si Chirographum Debitoris sit cancellatum, vel deletum, praesumitur Debitori esse satisfactum; *l. Si Chirographum* 24. *ff. de probationibus.* Et sic de plurimis similibus.

10 Praesumptio *Juris*, *et de Jure* est illa, cui Jus adeo fortiter innititur, ut eam piene pro veritate habendam decernat; Unde haec praesumptio in Foro judiciali tantum operatur, quantum veritas. Et contra hanc praesumptionem regulariter non admittitur probatio in contrarium, textu expresso in *cap. Is qui fidem* 30. *de sponsalibus*; « Contra praesumptionem hujusmodi non est probatio admittenda ». Nisi de contraria veritate aperte
11 constet, quia tunc omnis praesumptio cessat, et cedit veritati; *arg. c. Super hoc* 5. *de renunciat. l. Continuus* 137. *ff. De verb. significat. l. ultim. ff. Quod metus causa*, *l. Imperatores*, *ff. De probationibus.* Et sic in re *Communis Doctorum*. Et de hac praesumptione *Juris*, *et de Jure* plena exempla habentur in utroque Jure; Sic in *cit. cap. Is, qui fidem* 30. *de spons.* cognoscens sponsam de futuro praesumitur in Matrimonium consensisse, Ita ut non admittatur probatio in contrarium; Hodie tamen tale Matrimonium praesumptum propter subsequutam copulam carnalem, tamquam clandestinum est reprobatum, et irritatum per Concil. Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de ref. Matr.* Item *in Clement. Litteris*, *de Probat.* contra Litteras Summi Pontificis de facto proprio attestantis non admittitur probatio in contrarium; Item in *l. Ult. Cod. Arbitrium Tut.* praesumitur, quod res in Inventario a Tutore descriptae vere fuerint in bonis Defuncti, nec regulariter admittitur idem Tutor ad probandum oppositum, et sic plura alia hebentur in Jure consimilia exempla, quae adducit Glossa *final.* in *citat. c. Is, qui fidem* 30. *verb. contra praesumptionem*, *de spons.*

12 Praesumptio Hominis subdividitur in vehementem, seu violentam, in probabilem, et in levem,
13 seu temerariam. *Communis.* Praesumptio *vehemens*, seu *violenta*, est, quae per urgentes conjecturas vehementer movet, et quasi violenter trahit animum Judicis ad credendum. *Sic in re communis;* Et exemplum hujus vehementis, seu violentae praesumptionis est, si mulier undecimo mense post mortem mariti peperit; praesumitur enim tunc ex fornicatione peperisse, et sic de similibus. Prae-
14 sumptio *probabilis* est, quae oritur ex probabilibus, et minus urgentibus conjecturis, et indiciis. *Sic in re communis*: Et exemplum hujus probabilis praesumptionis est, quod non sit virgo illa femina, quae saepe in obscuris, et remotis locis sola cum juvenibus, et uxoratis versatur, et sic de si-
15 milibus. Praesumptio *levis*, seu *temeraria* est, quae ex levibus, et minus probabilibus, ac proinde insufficientibus conjecturis, et indiciis oritur, vel ex factis aeque in bonam, et in malam partem referibilibus concipitur. *Sic in re communis*; Et exemplum hujus levis, seu temerariae praesumptionis est, si quis v. g. suspicetur Petrum esse adulterum, quia interdum conversatur cum alterius uxore, etsi non in loco suspecto; et sic de similibus.

Praesumptio levis, seu temeraria nihil penitus 16
probat, sed est omnino repellenda: *Communis* per text. in *cap. Primo semper* 13. *caus.* 2. *q.* 1. *cap. Oves* 9. *caus.* 6. *q.* 1. *et capit. Inquisitioni tuae* 44. §. *in secundo de sentent. excomm.* ubi expresse statuitur, conscientiam levis, et temerariae credulitatis esse expellendam, ibi: « Conscientia levis, et temerariae credulitatis explosa ».

Praesumptio probabilis se sola probat tantum 17
semiplene; colligitur clare *ex cit. c. Inquisitioni tuae* 44. §. *final. de sentent. excomm.* et *ex cap. Tertio loco* 14. *de praesumptionib.* in quo habita tali praesumptione probabili, defertur partibus juramentum suppletorium; Illud enim deferri non potuisset, si praesumptio illa semiplene non probasset; *arg. l. In bonae fidei*, *Cod. De rebus credit.* neque potuisset exigi, si dicta praesumptio plene probasset; *cap. Sicut* 2. *de probationibus.* Et sic tenent passim Doctores.

Si autem praesumptio probabilis adjuvetur pu- 18
blica fama, vel aliis adminiculis, potest etiam facere plenam probationem; colligitur clare *ex cap. Illud* 11. *de praesumptionibus*, juncto ejus Summario, ubi dicitur, quod per cohabitationem diutinam, et famam de Matrimonio, aliaque adminicula, probatur Matrimonium; *et ex citat. capit. Tertio loc.* 13. *eodem*, juncta Glossa, et DD. *ibidem.*

Praesumptio *vehemens*, seu *violenta* facit ple- 19
nam probationem, adeo ut ad condemnationem sufficiat saltem in causis Civilibus non nimium arduis: *Communis*, per textum *in cap. Afferte* 2. *de praesumptionibus*, ubi refertur, quod Salomon Regum sapientissimus ex hujusmodi violenta praesumptione tulerit definitivam sententiam inter duas feminas de filio vivente coram eo litigantes, et in ejus Summario expresse dicitur: « Ex violenta praesumptione fertur definitiva ».

Dicitur autem notanter: « Adeo ut ad condem- 20
nationem sufficiat saltem in causis Civilibus non nimium arduis »: quia an in causis Criminalibus (quibus aequiparantur causae Civiles arduae, et magni momenti) Reus ex praesumptionibus etiam vehementibus, seu violentis condemnari possit, multum variant Doctores. Aliqui enim affirmant, et alii negant: Alii autem mediam viam tenentes, dicunt, condemnari quidem posse reum ex praesumptionibus vehementibus, et violentis, attamen ad poenam solum mitiorem, seu extraordinariam, uti notant, et referunt Menochius *l.* 1. *de praesumptionibus q.* 97. *numer.* 19. *et seq.* Engel *l.* 2. *Decretal. tit.* 23. *nu.* 3. Fachin. *lib.* 1. *Controvers. Jur. cap.* 29. et alii. In hac igitur opinio-

num varietate concludendum est, quod ex solis praesumptionibus etiam vehementibus, et violentis nemo in causa criminaliter mota condemnandus est, nisi tamen indicia sint indubitata, et luce clariora, seu talia, quae evidentiam rei inducant. Sic Engel *l.* 2. *Decr. tit* 23. *nu.* 4. *et seq.* Pirhing *ibid. n.* 49. Reiff. *ib. n* 63. Fachin. *l. c. Jur. c.* 29. Mascard. *de probat. conclus.* 1128. *n.* 73. *et seq.* cum aliis ibi citatis per text. express. *in c. Litteras vestras* 14. *de praesump.*, ibi: « Propter solam suspicionem, quamvis vehementem, nolumus illum de tali gravi crimine condemnari »; juncto ejus Summario, ubi sic expresse habetur: « Propter praesumptionem etiam vehementem non debet quis de gravi crimine condemnari »; Et sic ibi Abbas *nu.* 5. et alii Canonistae communiter, teste Pirhing *loc. c.* Et ratio est, quia in causis criminalibus criminaliter motis, ut possit Reus condemnari, requiruntur probationes indubitatae, et luce meridiana clariores; *l. Ultim. Cod. de Probationibus*, ibi: « Instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, et luce clarioribus expedita »; Alioquin enim praestat nocentem dimittere, quam innocentem condemnare, *l. Absentem* 5. *de poenis*: Tum quia, si in Civilibus causis regulariter favorabiliores sunt partes Rei, quam Actoris, et proniores debemus esse ad absolvendum, quam ad condemnandum, cum promptiora sint Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, textu expresso *in cap. Ex Litteris* 3. *de probationibus*, *l. Arianus* 45. *ff. De obligationibus, et action.* cum similibus, multo magis id debet verificari in criminalibus, cum multo plus sit alicui eripere vitam, et sanguinem, quam pecunias, et modica temporalia.

21 Merito autem fuit addita in conclusione illa limitatio: « Nisi tamen indicia sint indubitata, et luce clariora, seu talia, quae evidentiam rei inducant », ut v. g. Si marito per annum absente, interim uxor praegnans inveniatur: Si vir cum femina in eodem lecto nudus cum nuda deprachendatur, et hujusmodi; quia cum talia indicia sint indubitata, evidentia, et luce meridiana clariora, sufficientem probationem constituunt, adeoque in conclusione expresse excipiuntur; Et sic tenent citati Doctores, et alii passim; Et hoc modo facile solvuntur argumenta, quae ab adversariis afferri solent; Et signanter ad objectionem, quam afferunt *ex l. ult. Cod. de Probationibus*, ubi dicitur, etiam indicia sufficere posse ad condemnationem in causa criminali: Item *ex c. Litteris* 12. *cap. Tertio loco* 13. *de praesumptionibus*, ubi habentur solae praesumptiones, et tamen ex illis lata est sententia. Respondetur enim, quod textus *in cit. l. ult.* loquitur dumtaxat de indiciis indubitatis, et luce clarioribus, ut patet ex verbis ipsius numero antecedenti relatis; Ad *c. Ex Litteris*, *et cap. Tertio loco*, respondetur, quod ibi intervenerunt indicia indubitata carnis, ut legenti patet; Immo indicia *in citat. capit. Tertio loco* relata manifestam facti evidentiam induxerunt, ut ibi fatetur ipsemet Pontifex, qui ex ipsis sententiam tulit, ibi: « Nos autem, quae dicta sunt, intelligentes, praesertim cum hoc non dicatur occultum, sed quasi praedicetur a pluribus manifestum ».

Praesumens prudenter restitutionem faciendam, sibi liberaliter condonandam esse, si debitum suum manifestaret, vel rogaret Dominum, non tenetur ad restitutionem, quia tunc adest voluntas praesumpta Domini sufficiens, ut retentio non fiat illo quoad substantiam invito. Quod si revera Dominum invitum postea resciret, ad eam tenetur: Molina *tom.* 3. *d.* 68. *num.* 3. Berg. *Centur.* 3. *cas.* 85. Lugo *disput.* 21. *a num.* 53. La Croix *lib.* 3. *p.* 2. *numer.* 462. cum Less. Reginald. Se ibi citis, et alii passim. * 22

Nota Romani Theologi.

* Nimis periculosa haec opinio est, adeoque falsa, et in praxi rejicienda.

Responsio Auctoris.

Notet *Theologus*, quod mea, aliorumque conclusio dicit: praesumens prudenter restitutionem faciendam, sibi liberaliter condonandam esse, si debitum suum manifestaret, vel rogaret dominum etc. Id enim prudenter praesumens praesumit cum valido fundamento attentis omnibus circumstantiis v. g. parentelae, amicitiae, liberalitatis, divitiarum domini, seu creditoris, ejusdem commiserationis paupertati debitoris, ac hujusmodi, quibus vere intervenientibus, non est falsa, nec in praxi rejicienda dicta conclusio: praesertim quia Ego *ibi* concludo: « quod si revera dominum invitum postea debitor resciret, ad restitutionem tenetur ».

Inventus mortuus non est praesumendus a seipso, vel Daemone occisus, nisi signa certa adsint, v. g. si inveniatur in laqueo mortuus, si caput plano in tergum sit obtortum, et hujusmodi; Unde non ideo statim privari debet sepultura ecclesiastica, quia talis non sufficienter probatur esse malus, cum potius praesumi debeat mortuus morte naturali; praesumendum est enim semper pro cujusque innocentia, cum de Jure quilibet praesumatur bonus, donec probetur malus, *cap. In cunctis* 52. *caus.* 11. *qu.* 3. *cap. Mandata* 6. *et cap. Dudum* 16. *de praesumpt.* La Croix *l.* 4. *n.* 1477. et alii. 23

Praesumptio Concessionis Apostolicae non admittitur in iis, quae nunquam a Sede Apostolica concedi solent: Bened. XIV. tom. 2. Constit. 3. incip. *Declarasti.* 24

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Probatio inartificialis instruitur ex praesumptione, Est autem praesumptio, « conjectura probabilis desumpta ex circumstantiis ejusmodi, quae probabilitatem animo ingenerare possunt. 25

26 Dividitur praesumptio in praesumptionem *Juris*, et praesumptionem *Hominis*. Vulgo creditur omnem praesumptionem, quae in jure reperitur expressa, *Juris* esse; eam vero praesumptionem, quae in jure non exprimitur, esse *Hominis*: At
27 male. Potest enim esse praesumptio juris, tametsi in jure non expressa. Quum enim is, qui jurisdictionibus praeest, debeat procedere ad similia; *L.* 12. *ff. de Legib.* omnis praesumptio, ex qua aliquid legitime infertur, esset dicenda *juris*, quia licet expresse in legibus non contineretur, sufficere tamen posset, quod Legibus praeeuntibus, ita ad similes casus fieret extensio. Confer Bohemer.
28 *in dissert. de Collis. Praesumpt. cap.* 1. §. 9. Contra vero non omnis praesumptio in jure expressa est *juris*, paritque effectus praesumptionis juris. Aut (recte inquit *Andreol. Controvers.* 104. *in fin.*) lex habet hujusmodi praesumptionem pro vera, adeo ut faciat plenam probationem, tunc semper transfundit onus probandi in eum, contra quem stat praesumptio. Aut lex tantum eam habet pro adjuvante veritatem, non pro fundante, tunc non sufficit ad trasferendum onus probandi contrarium, sed solum confirmat probationem probantis minus plenam ».

29 Quoad effectus differunt inter se praesumptio Juris, et praesumptio Hominis. I. Praesumptio Juris liberat a probando, non vero Hominis, quae probantem solum adjuvat. II. Illam sequitur Judex in dubio in causis civilibus, et pro eo pronunciat, pro quo est praesumptio, nequaquam vero hanc, utpote quae vim probandi plenam non habet. III. Illa rejicit onus probandi in Adversarium, non item haec, quia alioquin Actor, qui onus probandi subire debet, leves quasdam praesumptiones pro se adferre, et ita urgere posset Reum contrarium probare debere, id quod tamen Praxi repugnat. Qui probare tenetur, non nudis conjecturis incedere debet. IV. Illa vim probationis habet; non haec, quae aliquando, vel purgatorio, vel suppletorio facit locum, quum praesumptio juris adjumento nullo indigeat. Consule Coccejum *de direct. probat. negativ. cap.* 3. §. 8. *et* 9.

Praesumptio juris dividitur in praesumptionem 30
juris tantum, et praesumptionem *juris, et de jure*. Haec adeo fortis reputatur, ut probationem in contrarium haud admittat. At admittere probationem in contrarium, et praesumptionem hanc juris et de jure demonstrare nituntur Coccejus *in diss. de Probat. negat. cap.* 3. *fere per tot.* Bohemer. *in diss. de Collis Probat. cap.* 1. §. 4. *et plur sequent.*

Fundantur praesumptiones rationibus naturali- 31
bus, quae ut plurimum locum habere, et in vita communi contingere solent, ex quibus subinde variae speciales conclusiones derivantur. Primo, eaque generalis regula est, quod *naturalia inesse* 32
subjecto praesumantur. Altera regula est: *Mutatio non praesumitur.* Tertia regula: *Praesumptio facienda in meliorem partem.* Vide Conclusiones speciales ex his regulis derivatas apud Bohemer. *in Decretal. lib.* 2. *tit.* 23. §. 4. *et plur. sequent.*

Aliquando utrimque praesumptiones concurrunt 33
ita ut collisio oriatur. Judicio propterea limato opus est, ut attendatur quaenam sint fortiores, probabiliores, et specialiores, utpote quae debiliores enervant, tolluntque ut pro veritate amplius haberi nequeant.

Meo judicio Bohemer. *in cit. disser. de Collis.* 34
Praesumpt. c. 2. *per tot.* rejectis regulis a Menochio aliisque traditis, alias suggessit huic rei maxime inservientes. Adi ipsum, ubi e re tua sit materiam hanc discutere.

PRÆVENTIO JURISDICTIONIS

SUMMARIUM

1. Praeventio jurisdictionis est illa, per quam unus judex jurisdictionem alterius Judicis caeteroquin etiam competentis praeoccupat. — 2. Praeventio jurisdictionis quomodo contingere possit; *ad num.* 3. — 4. Quomodo inducatur; *ad num.* 10. — 11. In delictis mixti fori, qui praevenit in captura rei, procedat, praeter quam in censuris — 12. Alia ad rem, *ad num.* 24.

1 Praeventio Jurisdictionis est illa, per quam unus Judex Jurisdictionem alterius Judicis caeteroquin etiam competentis praevenit, seu praeoccupat, ita ut iste amplius causae praeventae se nequeat intromittere. *Sic in re Communis.*

2 Praeventio Jurisdictionis potest contingere tripliciter. *Primo* in causis mixti Fori, quae scilicet in utroque Foro tam Ecclesiastico, quam Civili tractari possunt, ita ut praeventioni locus sit; Sic desumitur, *ex cap. Sicut quaedam* 38. *caus.* 23. *quaest.* 5. *et cap. de Offic. Ordin.* ac notavit Sacra Congregatio Immunitatis saepe saepius, et signanter *in Sorana* 18. *Februarii* 1631. apud Pignatell. *tom.* 5. *consult.* 2. *num.* 57. et in Decretis, quae infra a num. 11. *Secundo* in Reo mutante domicilium, postquam a Judice prioris loci jam 3
citatus, sicque praeventus fuit, *cap. Proposuisti* 19. *de Foro competenti. Tertio* in pluribus delegatis in solidum; nam tunc uno eorum causam

commissam, seu delegatam inchoante, alii se nequeunt intromittere, *cap. Cum plures* 8. *de Officio Delegati*, in 6.

4 Praeventio Fori, seu Jurisdictionis inducitur per citationem legitime interpositam. *Communis*, per textum in *cit. cap. Proposuisti* 18. *De Foro competenti*, juncto *ejus Summario; cap. Non injuste* 14. de *Procur. cap. Si quis justo* 46. §. 1. *de Elect.* in 6. *l. Si quis posteaquam* 7. l. *Qui appellat* 29. *et l. Ubi acceptum* 30. *ff. De Judiciis*, cum similibus.

5 Ut Praeventio per Citationem inducatur, requiritur, quod fuerit legitime facta; *citat. cap. Proposuisti* 19. *de Foro competenti*; Alias esset invalida; et Citatio invalida, seu facta a Judice incompetente, vel a Jure reprobato, non arctat citatum; *cap. Bonae memoriae* 39. *de Electione*, juncta ibi Glossa finali communiter recepta; Nec perpetuat Jurisdictionem citantis; *arg. cit. c. Proposuisti* 19. *De Foro competenti*, juncta Glossa *ibidem* et DD.

6 Ut per Citationem inducatur Praeventio, atque perpetuetur Jurisdictio Judicis citantis, requiritur, quod dicta Citatio emanaverit auctoritate Judicis ad petitionem partis; Unde ubi agitur ad utilitatem privatam, non sufficit, quod Judex motu proprio aliquem citaverit, aut quis extrajudicialiter alicui litem denunciaverit, ut recte notant Abbas in *cit. cap. Proposuisti num.* 3. Barb. *ibid. num.* 2. *et* 3. Bartolus in l. *Ad peremptorium, ff. de Judiciis*, et alii, *arg. cit. cap. Proposuisti*, ibi: « Ad petitionem cujusdam Adversarii sui a Te legitime citatus ad causam ».

7 Sufficit tamen Citatio facta a Judice motu proprio, quando procedit ex Officio ad utilitatem publicam, uti fit in Judicio inquisitionis, *arg. cap. Qualiter, et quando* 24. *de Accusationibus;* Et sic Abbas *loc. cit. n.* 3. Eng. *l.* 2. *Decret. tit.* 2. *n.* 52. et alii passim.

8 Sufficit citatio unica, et simplex ad notitiam citati perventa, sive sit verbalis, sive sit realis, seu facta per capturam; Mascardus *de Probationibus conclus.* 1233. *num.* 7. *et* 8. et alii passim.

9 Citatio autem realis fortior est, ac praefertur Citationi verbali etiam anteriori: Fagnan. *l.* 5. *Decret. in cap. Pervenit* 2. *de Adulteriis num.* 40. ubi cum Bartol. *in* l. *Sepultura, ff. de sepulcr. violat.* et aliis ibi citatis, docet, quod si in crimine mixti Fori, Judex Ecclesiasticus praeveniat in Citatione, Laicus autem Judex praeveniat in capturam criminosi, adhuc praeventio realis, seu captura facta a Judice Laico praefertur praeventioni verbali, licet anteriori factae a Judice Ecclesiastico, et idem tenet etiam Farinac. *lib.* 1. *prax. crimin. tit.* 1. *de Inquisitione q.* 7. *nu.* 55. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *lib.* 2. *Decretal. tit.* 2. *num.* 174. et alii; Et id sentire videtur *Sacr. Congreg. Immunit. in sequent. Decret.*

10 In Delictis mixti Fori, qui praevenit in captura reali, procedat, praeterquam in Censuris; Nam super his solus Judex Ecclesiasticus procedere potest. *S. C. Imm. in Senogall.* 9. *Octob.* 1640. *lib.* 3. *Decret. Paul. p.* 133.

11 Judex, qui praevenit realiter, cognoscere debet causam mixti Fori, et in contumaciam uterque Judex procedere potest: *Sacra Congregatio Immun. in Caesenaten.* 11. *Julii* 1626. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 9.

12 In dubio de praeventione utriusque Curiae, causa stupri cognoscenda est ab Episcopo: *S. Congr. Immunit. in Anagnina* 30. *Martii* 1666. *lib. Decret. Borrom. pag.* 146.

13 Attenta praeventione in causa vulnerum Clerico inflictorum a Laico spectat ad Curiam Episcopalem, non ad Gubernatorem: *Sacra Congregat. Immunit. in Senogallien.* 11. *Augusti* 1631. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 87.

14 Quando Laicus dedit causam rixae cum Clerico a se invicem vulnerato, attendenda est Praeventio Judicis Laici: *Sacra Congregatio Immunitatis in Æsina* 10. *Januarii* 1639. *libr.* 3. *Decret. Paul. pag.* 83.

15 Data praeventione per Curiam Ecclesiasticam in cognitione causae criminis nefandi, et facta assignatione Domus pro carcere, Reus postea carceratus formiter per Curiam Saecularem, restituendus est Curiae Archiepiscopali in formalibus carceribus', inde non dimittendus, nisi consulta Sacra Congregatione: *Sacra Congregat. Immunit. in Bononien.* 13. *Martii* 1683. *lib.* 3. *Decret. Altoviti pag.* 153.

16 Posita praeventione Curiae Laicae super delicto mixti Fori, v. gr. Stupri, Curia Ecclesiastica abstineat a procedendo; *Sacra Congregatio Immunit. in Nucerina* 8. *Julii* 1687. *lib. Decret. Martell. pag.* 130.

17 Amplia. Quamvis praecipitanter, et absque sufficientibus probationibus Reus fuerit absolutus: *Sac. Cong. Immun. ibid.*

18 In dubio an testis Laicus pro falsitate examinis commissa coram Judice Ecclesiastico puniri possit a Judice Laico, vel potius ab eodem Judice Ecclesiastico privative, non obstante Praeventione Fori Laici, Congregatio censuit locum esse praeventioni, nisi adsit contraria consuetudo: *S. Cong. Immun. in Lycien.* 11. *Jan.* 1665. *lib.* 1. *Decret. Vall. pag.* 166.

19 Non obstante Praeventione Fori Ecclesiastici in causa furti sacrilegi Sanctissimus avocat causam a Curia Ecclesiastica, et illam committit Eminentissimo Legato: *Sacra Congregatio Immunitatis in Urbinaten.* 21. *Septembris* 1697. *libr.* 2. *Decret. Vallemani* 113. etiamsi fures sint Coloni Commendae Religionis Hierosolymitanae: *Eadem Sacra Congregatio Immun. in Senogallien.* 25. *Febr.* 1698. *pag.* 139.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

20 Gravissima hic se offert quaestio, an praeventio

locum sibi vindicet per citationem, *ex L. Diffamari, C. de Ingen. et Manumiss.*

21 Praeventionem, et litis pendentiam per citationem hanc induci non tam respectu judicii diffamatorii, sed et respectu ipsius causae principalis, tradunt Ægid. Boss. *de crimin. tit. de For. compet. n.* 107. Blarer. *ad L. Diffamari* c. 4. *n.* 4. Adde etiam Mynd. *ad eamdem l. Diffamari cap.* 5. §. 1. *num.* 37. *et sequent.*

22 At negant Brunemann. *ad L. Diffamari fere per tot C. de Ingen. et Manumiss.* Carpzov. *lib.* 2. *Respons* 34. *num.* 10. *et seq.* Zanger. *de exceptione par.* 2. *cap.* 13. *num.* 31. Mev. *decis.* 108. *fere per tot. par.* 1. Diffamatus enim, ut *mox laudati Auctores ajunt*, non agit, sed per citationem alterum ad agendum invitat. Atque hinc inferunt, quod ejus citatio nullum litis pendentiam, seu praeventionem inducere potest.

Alii distinguunt judicium diffamationis inter, et 23
causam principalem; tenentque induci praeventionem quoad diffamationem, non item quoad causam principalem, quum sint separata judicia, quorum diversi sunt fines; Gall. *lib.* 1. *observat.* 11. *n.* 6 Graev. *lib.* 1. *conclus.* 11. *n.* 4.

PRAGMATICA SANCTIO GALLORUM

Attexitur brevis historia de Pragmatica Sanctione, ejusque fatis.

1 Cum Basileense Concilium varia decreta contra Romanos Pontifices, eorumque jura, ac privilegia condidisset, 38. ejusdem Canones in Catalogum relati, Carolo VII. Francorum Regi fuerunt a Concilio missi. Rex in quodam Conventu Bituricensi anno 1438. eosdem Canones Concilii Basileensis recepit, ac famosa illa Gallorum *Sanctione Pragmatica* firmavit, in Senatu Parisiensi promulgata. Cui deinceps Romani Pontifices acriter se opposuerunt. Juvat summatim illius articulos adducere.

2 Sunt hi 1. Papa singulis decennis Concilium celebret. Si negligat, Patres suppleant. 2. Basileensis Concilii authoritas sit perpetua. 3. Praelaturas electivas Papa non reservet, neque Canonicatus, nisi in casibus, in Jure scripto expressis. 4. Electiones sint omnino liberae. 5. Electionis forma observetur; et electus a Praelatis confirmetur. 6. Papa huic Sanctioni non deroget. Si faciat, deferatur ad Generalem Concilium. 7. Si electio sit irrita, Electoribus altera relinquatur. Electus ab immediate Superiore confirmetur. 8. Generali Synodo etiam Papa obediat, quatenus Fides, et Schismatum abolitio postulat. 9. Concilii decreta a Christo protinus authoritatem obtinent. 10. Ecclesiis digni praeficiantur. 11. Expectativis gratiis non sit locus. 12. Beneficia vivo Rectore nemini reserventur. 13. In qualibet Ecclesia Episcopali constituatur Theologus. 14. In Beneficiis conferendis praeferantur Graduati. 15. Graduati nomina sua offerant. 16. Collatio prima aliis facta, est nulla. 17. Nemo, quatuor dierum itinere Roma distans, in jus vocetur Romam, nisi in majoribus causis. 18. Appellatio fiat ad immediate Superiorem. Exemptorum vero causam Papa Judici regionis committat. 19. Qui inaniter ante sententiam appellat, 15. florenos pendant, praeter litis expensas. 20. Triennalis possessio quieta non amplius turbetur, nisi impedimentum justum obstiterit, quo minus potuerit possessor impeti. 21. Cardinales sint tantum 24. docti, 30. annorum, legitimis natalibus. 22. De Dignitatibus, ac Beneficiis Ecclesiasticis nihil prorsus, neque annatam, neque Primitias Pontifex exigat. Secus irrita est provisio: Et poena simoniacis debita infligatur. Scribis tantum, et Notariis merces solvatur. 23. Res divina sancte, ac devote peragatur. 24. Qui tantum in aliqua horarum est praesens, non fruatur distributione quotidiana. 25. Hoc etiam ad Decanum, et Praepositum extendendum. 26. Idem de garrientibus, aut deambulantibus in Ecclesia. 27. Insuper unius mensis stipendiis priventur, 28. Tabula Officiorum hebdomadalium in Choro sit appensa. 29. Symbolum integrum canatur. 30. Camaenae vulgi in Ecclesia ne canantur. 31. Missa non celebretur sine Ministro, illaque alta voce legatur. 32. Canonici debita non solventes statuto tempore, interdicuntur Divinis, et trimestri stipendio Ecclesiae. 33. Solemnibus diebus nullum celebretur Capitulum. 34. Profana facessant ab Ecclesia. 35. Clericus Concubinarius post secundam sanctionis istius promulgationem non resipiscens, tribus mensibus fructibus beneficii careat. 36. Haeretici non denunciati non sunt vitandi. 37. Nulli communitati sacris interdicatur, nisi per seipsam, aut per Magistratus suos deliquerit. 38. Non credendum litteris, quibus scribitur, quempiam beneficio suo se abdicasse, nisi testibus id, aut documentis idoneis comprobetur.

Haec sunt Capitula *Sanctionis Pragmaticae Gal-* 3
licanae, ex Concilio Basileensi prognata. Quamvis autem Rex Carolus ista reciperet, ac promulgaret, quoad ea tamen, quae Conciliabulum egit in deponendo Eugenio Pontifice, noluit consentire, quin imo ad disturbandum ibid Conventiculum Ludovicum Filium ad fines Basileensium misit, qui cruento praelio Helvetiorum copias fudit. Porro Successor Caroli VII. Ludovicus XI. rescidit quidem anno 1462. Sanctionem istam Pragmaticam (tamquam seditionis, et schismatis tempore

latam ad infringendam Sedis Apostolicae authoritatem), urgente Pio II., cui Ludovicus illam rescissionem promiserat, si quiete ad Regnum perveniret.

4 Verum cum Galli Sanctionem Regno admodum utilem dicerent, propter abolitionem appellationum, reservationum Beneficialium, gratiarum expectativarum, ac praesertim Annatarum, per quas multum pecuniae e Regno esset exportatum, quoties minus ipsis cum Pontifice conveniebat, eamdem rursus instaurarunt. Donec anno 1516. illa in Lateranensi Concilio abrogata inter Leonem X. et Franciscum I. Bononiae statum est *Concordatum;* quo, sublata electionum libertate, coacessum est Regi Jus praesentandi ad Episcopatus, et Praelaturas Galliae, Pontifici vero reservatae annatae, Controversiae Ecclesiasticae, ac Jus confirmandi Episcopos et Praelatos sibi a Rege legitime praesentatos:

5 Ægre hoc Concordatum Clerus Gallicanus habuit, eo quod per illud Capitulis sit adempta eligendi potestas, et electis impositum Annatarum onus. Sed neque ipsi Reges Concordatum, quantumcumque sibi favens, integrum semper reliquerunt: Quin ultra Sanctionem Pragmaticam, et Basileensis decreta est progressus Ludovicus XIV, dum cum Innocentio XI. collisus, anno 1675. Beneficiorum Ecclesiasticorum collationem, ac perceptionem fructuum ex Beneficiis vacantibus, tanquam *Jus Regale*, ac Majestaticum praetendit. Unde magnae illae *Regaliarum* Controversiae, de quibus infra V. *Regalia.* His tandem sopitis, restitutum in integrum fuit *Concordatum*, agnitumque Jus praesentandi ab Ecclesiastica Potestate esse concessum, permissaeque Pontifici Annatae.

6 Circumfertur praeterea quaedam antiquior Sancti Ludovici Galliarum Regis Sanctio Pragmatica, quam anno 1268., vel, ut aliis placet, 1269. statuisse dicitur, ut Ecclesiarum Praelatis, Patronis, et Beneficiorum collatoribus ordinariis jura sua integra serventur et liberae sint Ecclesiarum electiones. Simonia eliminetur. Provisiones beneficiales secundum Juris Communis dispositionem fiant. Libertates, ac privilegia Ecclesiis, et Monasteriis concessa, rata, firmaque maneant. Additurque Articulus, quo vetatur, ne Curia Romana exactiones pecuniae in Ecclesia Gallicana faciat.

Verum S. Ludovici Regis Constitutionem anno 1228. praecipue adversus Haereticos latam novaramus ab Innocentio IV. in Litteris ad Reginam Franciae anno 1250. scriptis, atque a Balutio in Appendice Conciliorum Galliae Tit. XX. editis laudatam. Sed quod ad Sanctionem illam ann. 1268. spectat, eam plures eruditi Viri, ut Thomassinus, Bollandiani, P. Roncaglia in Notis ad Natalis Alexandri Historiam Ecclesiasticam, ac Diarii Ecclesiastici Romani Auctores, et quod mireris magis, Bohemerus in suis ad Petri de Marca librum IV. cap. 9. observationibus, non immerito supposititiam habent. Profecto praeterquamquod aliter ejus editiones maxime discrepant, ut vel Cabassutii *notitiam Ecclesiast.* ad ann. 1268. cum Richerii historia Concil. general. *L.* 11. *c.* 7. conferenti constabit; qui vitam, et gesta S. Ludovici scripserunt, nullam hujus Pragmaticae mentionem sujiciunt; quin potius Guillelmus ipsius Capellanus in libro *de illius vita*, *et miraculis* insignem erga Sedem Romanam devotionem, et obedientiam praedicat, ut *admodum improbabile inde evadat*, inquit citatus Bohemerus, « Regem hanc talem Sanctionem obedientiae, venerationi huic contrariam unquam condidisse ». Equidem pro vindicanda hac Sanctione Natalis Alexander (*ad Saec. XIII. cap.* 10. *art.* 3.) adducit notabilem quemdam locum ex Matthaei Parisii *Historia Anglicana* ad annum 1247. Verum quae ibi Parisius tradit, eodem Bohemero judice, « vix trahi possunt ad pragmaticam hanc Sanctionem, quae demum anno 1268. et sic longe post viginti annos lata fertur, atque inde vel occasio, vel causa hujus Edicti promulgandi desumi haud potuit ». Monet praeterea P. Biner in suo *Apparatu eruditionis* (*P. VI. cap. I. art.* 4. §. 1. *pag.* 15.) notum esse, quam modica adhibenda sit fides Parisio in Romanos Pontifices scribenti, ac praeterea Articulum Sextum de prohibitione exactionum, ad quem Parisii locum nonnulli trahunt, alienum esse a temporis illius usu, cum pro Terrae Sanctae necessitatibus plures per Galliam, et quidem Rege ipso consentiente, sint factae. Sed quoniam ineptus quidam Scribillator nuper hanc Sanctionem Romanae Sedi objicere ausus est, brevi habebunt Lectores mei Commentariolum, quo Anonymi illius tam inconsulta temeritas, atque inscitia pro meritis castigabitur. 7

PRECARIUM, PRECARIÆ

SUMMARIUM

1. Precarii Definitio, *ad num.* 2. — 3. Precarium differt a donatione, nec non a Commodato, *ad num* 7. — 8. Quomodo Precarium expiret, *ad num.* 10. — 11. *Precaria* quid sit, at quomodo a *Precario* differat, *ad num.* 17. — 18. Precaria quo modo expiret. — 19. Alia ad rem *ad num.* 22.

1 Precarium est, quod « precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur »; Sie expresse definitur *in l. Precarium* 1. *ff. de Precario*, et concordat *cap. Precarium* 3. *de Precariis*, ibi: « Precarium utendum conceditur, quamdiu patitur qui concessit ».

2 Precarium est species quaedam liberalitatis, adeoque contractus gratuitus; textu expresso *in citat. leg. Precarium* §. 1. *ff. De Precario*, ibi: « Quod genus libertatis ex Jure Gentium descendit.

3 Precarium differt a donatione per hoc, quia qui donat, sic dat, ne amplius recipiat; Qui autem Precario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit Precarium solvere, seu revocare, textu expresso *in citat. leg. Precarium* §. 2., ibi: « Et distat a donatione, eo quod qui donat, sic dat, ne recipiat; at qui Precario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit Precarium solvere ».

4 Precarium quamvis *ex cit. l. Precarium* §. 3. simile sit Commodato, quantum ad hoc quia, etiamsi, qui commodat alteri rem suam, sic commodat, ut eam non faciat recipientis, sed post certum tempus, aut completum usum ab eo recipiat, ibi: « Et est simile Commodato, nam et qui commodat rem, sic commodat, ut non faciat rem accipientis, sed ut ei uti re commodata permittat »; Nihilominus differt a Commodato in pluribus aliis. *Sic Communis Doctorum.* Primo igitur

5 differt Precarium a Commodato, quia qui rem commodatam recipit, nec civiliter, nec naturaliter possidet, cum rei commodatae possessionem retineat ipsemet Commodatus; *leg. Rei commodatae* 8. *ff. Commodati*, ibi: « Rei commodatae, et possessionem, et proprietatem retinemus »: et concordat §. *Possidere*, *Instit. de interdictis;* At vero is, qui Precario rem accepit, naturaliter eam possidet, remanente possessione solum Civili penes Dominum concedentem; *l. Et habet* 15. §. 4. *ff. De Precario*, et *ibi* Glossa *verb. Corpore, et verb. A possessione*, et Glossa *in cap. Precarium* 3. *de Precario*, *verb. Precarium*, Azor. *par.* 3. *lib.* 7. *c.* 2. *quaest.* 4. Pirhing. *lib.* 3. *Decretal. tit.* 14. *sub num.* 6. *verb. Secundo differunt*, Reiffenstuel *ibid. num.* 8. et alii passim.

6 Secundo differt Precarium a Commodato, quia Commodatum conceditur utendum ad certum, et specialem usum, et ad certum tempus expressum, vel tacitum, ut si alicui commodetur equus ad faciendum iter, ad quod certum tempus requiritur, videlicet quantum ad commode faciendum tale iter sufficit, et exigitur, *l. Interdum* 73. *in princip. et l. Continus* 137. §. *Cum ita*, *de verb. Obligat.* Precarium autem non datur ad certum determinatum usum, neque ad certum tempus, sed quamdiu concedens permiserit, sive Precarium non revocaverit; *cit. l. Precarium* 1. *ff. de Precario, et cit. cap.* 3. *Precarium, de Precario;* Immo etiamsi Precarium concedatur ad certum tempus, v. g. ad Kalendas Julias, ut *in leg. Cum Precario* 12. *ff. de Precario;* tamen eo pacto conceditur, ut semper liberum sit concedenti revocare rem Precario concessam, etiam ante tempus illud finitum; textu expresso *in cit. leg. Cum Precario, ff. de Precario*, et concordat *citat. lex Precarium, et cit. cap. Precarium*, juncta Glossa *ibidem verb. Per conventionem*, et tenent Abbas *ibidem n.* 11. *et* 12. Pirhing. *loc. citat. num.* 6. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 6. *et* 7. et alii communiter.

Tertio differt Precarium a Commodato, quia qui rem Precario accepit, tenetur dumtaxat ex dolo, et culpa lata, quae dolo in Jure aequiparatur, non tamen ex culpa levi, et levissima; *l. Quaesitum* 8. §. 3. *ff. de Precario, l. Contractus* 22. *ff. de Regul. Juris.* Qui autem Commodatum accepit tenetur etiam ex culpa levi, et levissima, *cit. leg. Quaesitum* 8. §. 3. *ff. de Precario;* Ubi etiam ratio affertur, quia Precarium totum procedit ex mera liberalitate Concedentis, qui potest illud revocare, quandocumque voluerit, et ideo sibi imputare debet, si ipsum non revocaverit antequam accipiens commisisset culpam levem in ejus custodia; Secus autem est dicendum de Commodato, quia ipsum non potest revocari ante completum usum, sive tempus determinatum: Unde Commodatarius tenetur adhibere in custodia rei sibi commodatae majorem diligentiam, quam is, qui Precario accepit in custodia rei Precario acceptae; Sic Glossa *in citat. leg. Quaesitum* §. 3. *verb. Ex liberalitate*, Abbas *in citat. cap. Precarium n.* 15. Pirhing. *loc. citat. num.* 6. *verb. Tertio differt*. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 9. et alii passim. 7

Precarium expirat per revocationem Concedentis: *Com.* per text. *in l. Precarium* 1. *et l. Ait Praetor* 2. *de Precario*, *et c. Precarium* 3. *de Precariis*, ibi: « Precarium utendum conceditur, quamdiu patitur qui concessit »: uti expresse etiam dicitur *in cit. l. Precarium*, per verb. adducta *sup. num.* 1. 8

Item Precarium expirat moriente illo, cui concessum est, non item morte illius, qui concessit. *Communis*, textu expresso *in cit. c. Precarium* 3. *de Precariis*, ibi; « Solvitur quoque obitu ejus, cui concessum est, non etiam concedentis »; Licet enim expiret per obitum ejus, cui concessum est, ex quo Precarium sit Beneficium personale ipsi precanti concessum, et Beneficium personale sequatur personam, et eum ipsa extinguatur, textu expresso *in c. privilegium* 7. *de Regul. Juris in* 6. ibi: « privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona »; Tamen non expirat per obitum ejus, qui concessit, sed transit ad ejus heredem; textu expresso *in l. Quaesitum* 8. §. 1. *et l. Cum Precario* 12. §. 1. *ff. de Preca-* 9

rio, ibi: « Precarii rogatio et ad heredem ejus, qui concessit, transit; Ad heredem autem ejus, qui Precario rogavit, non transit, quippe ipsi dumtaxat, non etiam heredi concessa possessio est ».

10 Item precarium expirat, si istud concedens, rem Precario concessam alienaverit; Tunc enim emptor eam revocare potest, et sic per ejus revocationem expirat, et tollitur Precarium; *Communis*, textu expresso *in cit. c. Precarium 3. de Precariis*, ubi dicitur, quod solvitur Precarium: « Aut cum ipsum alienari contingit alicui hoc revocare volenti, quia per conventionem hujusmodi non licet rem alienam invito Domino possideri ».

11 Precariae, seu *precaria* in singulari numero, est contractus Jure Canonico introductus, quo alicui ad preces, et plerumque causa remunerationis ususfructus alicujus praedii, vel alterius rei Ecclesiasticae immobilis ad dies vitae, vel ad aliud tempus conceditur, ea lege, ut singulis quinquennaiis renovatio hujus concessionis, seu contractus petatur; *Sic in re communis*, per text. *in c. Ea etiam 2. c. precariae nomine 3. c Precariae, de quinquennio 4. et c. de precariis 5. caus. 10. q. 2. et c. Precariae 1. et c. de Precariis. 2. de Praecariis.*

12 Contractus Precariae, seu Precariarum multum differt a contractu Precarii: Primo enim differt, quia Precario concedi possunt tam res mobiles, quam res immobiles: Item Jura, et servitutes, v. g. iter, vel actus per fundum alterius; *l. Praetor 2. §. 1. In rebus 4. in princip. ff. De Precario*; Precariae autem locum solum habent in possessionibus, seu rebus immobilibus, *c. Ea etiam 2. §. si Oeconomus, et cap. Precaria a nemine 3. caus. 10. qu. 2.* Et sic notent Pirhing l. 3. *Decretal. tit. 14. n. 10.* Reiffenstuel *ibidem nu. 11.* et alii.

13 Secundo differt contractus Precariae, seu Precariarum e contractu Precarii, quia Precarium ordinarie ad certum, et determinatum tempus non conceditur, sed solum tamdiu, quamdiu placuerit concedenti, *l. Precarium 1. ff. De Precario, c. Precarium 3. de Precariis*; Praecariae autem concedi possunt, vel ad dies vitae, vel ad aliud certum tempus, quamvis de quinquennio in quinquennium renoveri debeant; *c. Precariae 1. et c. Precarium 3. de Precario, c. Precariae de quinquennio 4. caus. 10. q. 2.*

14 Tertio differt contractus Precariae, seu Precariarum a contractu Precarii, quia Precarium potest semper revocari pro arbitrio concedentis: *l. Precarium 1. ff. De Precario, capit. precarium 3. §. 1. de Precariis*; Precariae autem revocari non possunt, antequam tempus concessionis sit elapsum, textu expresso *in c. Precarium 3. §. final. de Precariis*, ibi: « Porro Precariae, quae quandoque de Ecclesiarum possessionibus fieri solent, non sunt pro voluntate concedentium revocandae ».

15 Dummodo tamen Precariae de rebus Ecclesiae non sint irrationabiliter, seu in grave damnum Ecclesiae factae; nam in tali casu revocari possent, ac deberent a successore concedentis; textu expresso *in cap. de Precariis 2. De Precariis* juncta Glossa communiter recepta *ibid. verb. Ab eo*; ubi insuper, adductis variis Juribus, dicit posse, et debere etiam revocari ab ipsomet concedente, et sic tenent Engel. *l. 4. Decretal. tit 14. nu. 5.* Reiffenstuel *ib. nu. 14.* et alii passim.

Et ratio est clara, quia ad alienationem quamcumque rerum Ecclesiasticarum, immo etiam ad locationem ultra triennium requiruntur solemnitates Juris; textu expresso *Extravag. Ambitiosae, de rebus Eccles. non alienand* Unde cum Precariae contineant hujusmodi alienationem similem locationi ultra triennium, ex quo, ut patet ex dictis per illas Precarias concedetur ususfructus rei Ecclesiasticae immobilis ad dies vitae, vel ad certum tempus, si concedantur, ut fieri solet ultra triennium, requirantur solemnitates Juris, quae si non adhibitae fuerint, tales Precariae, utpote nullae, ipso Jure revocari possunt, ac debent, nedum a Successore, sed etiam ab ipsomet concedente, seu alienante. Secus autem, si Precariae essent concessae ad solum triennium, seu infra triennium, quia tunc, cum non requirantur solemnitates Juris, sicuti nec requiruntur ad locationem (cui assimilantur) non excedentem triennium *ex citat. Extravant. Ambitiosae de reb. Eccles. non alienand.* si rationabiliter, et sine gravi damno Ecclesiae sint concessae, revocari non debent, nec possunt, nec a Successore, nec ab ipsomet concedente, ut patet ex dictis *verb. Alienatio, et verb. Locatio.* 16 17

Precariae expirant, quando ipsae fuerunt concessae ad longum tempus, et elapso quinquennio, is, qui eas accepit, non petiit renovationem earum, ut colligitur ex *c. Precariae. de quinquennio 4, caus. 10. q. 2. et c. Precariae 1. de precariis*; ubi expresse praecipitur, quod « Precariae da quinquennio in quinquennium secundum auctoritatem, et antiquam consuetudinem renoventur »; Adeoque qui negligunt sic renovare, cadunt Jure suo, sicuti cadit suo Jure Vassallus non petens renovationem Investiturae a novo Domino intra legitimum tempus, ut recte probant Abbas *in cit. cap. Precariae 1. de precariis num. 1.* Pirhing. *loc. cit. num. 14.* Reiffenst. *loc. cit. n. 21.* et alii. 18

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Varias a variis adductas rationes, cur in precario praestetur dolus, et, quae in civilibus nomine doli venit, *culpa lata*, et in commodato praestetur culpa etiam levissima, affert, et una confutat Jacob. Gothofred. *in l. 23. ff. de Regul. Jur.* 19

Meo judicio: «Ulpiani rationi (recte inquit idem Jacobus Gothofred. ubi supra) adhaerendum est *in d. leg. 14. §. 11. de Furt.* quae huic conjungenda est, ut et secundae, quae ab Interpretibus redditur, sed quas ita evolvo. In precario ideo dolus dumtaxat praestatur, eo quod hac liberalitas 20

sit, seu donatio, qua scilicet possessio rei datur, donatur, *leg.* 15. §. *Eum, qui de Precar. conceditur* (qua quidem in re concedendi vox propria est *leg.* 1. *in princip.* §. 2. *leg.* 4. *in fin. leg.* 6. §. 4. *leg.* 7. 8. §. 3. *leg.* 12. §. 1. *de Precar. l.* 1. §. 11. *de Itinere. actuque privat. l.* 163. *infr.*) etsi non perpetuo jure habenda (precario enim id opponitur) attamen proprio interim quodam jure Precarium conceditur possidendum, fideique Rogantis committitur, sic ut re tamquam sua, qui precario habet, interim utatur, eamque possideat. Quare ab eo culpa exigi non debet, nec potest, quum res ejus sit interim quodammodo; sed dolus tantum, quia reddendi conditio ei inest. Nam etsi rogantis arbitrio res utenda, possidenda conceditur, tamen ex fide bona oritur precarium, *l.* 2. §. 2. *ff. de Precar.* quae in omnibus contractibus, quibus vitae societas continetur, praestanda est. Neque is, qui precario rogavit, eo animo possessionem nanciscitur, ut credat se dominum esse, *leg.* 13. §. 1. *ff. de Publician.* Eadem proinde hic ratio. quae in deposito, quod in utroque res in totum fidei, arbitrioque accipientis deposita, vel precario data committatur, concedatur ».

Titulus *Precariae* olim denotavit « concessionem ad preces factam ex largitate Episcoporum, qua ostendebatur res tales mansisse in dominio Ecclesiae, et redditus tantum detentori attributos fuisse ». Ea de causa antiquitus priusquam Beneficia ecclesiastica ita ut hodie, ordinata fuissent, Clerici ab Episcopo nonnunquam bona ecclesiastica in vicem salarii fruenda hoc titulo occuparunt, ut docet *Concilium Toletanum VI. cap.* 5. *relatum in cap.* 74. *caus.* 12. *quaest.* 2. 21

Laici quoque nonnumquam per preces ab Episcopis obtinebant, ut rerum ecclesiasticarum redditus usque ad vitam suam perciperent, maximo qui valde pauperes erant, idque quia ex penu Ecclesiae alendi erant omnes Pauperes. Confer de Precariis Bohemer. *in decretal. l.* 3. *t.* 14. *per tot.* 22

PRECES PUBLICÆ

Principes saeculares, si petant ab Episcopo, ut preces publicae indicantur pro necessitate status, id utique potest, et debet. Nonnisi vero summa abusio esset, si etiam ex consuetudine Principes, Episcopali auctoritate neglecta, indicere illas vellent: Benedictus XIV. Constitut. *Bull. tom.* 1. *num.* 82. incip. *Quemadmodum preces.* * V. addit. Cas. v. *Oratio* sub *n.* 33.

PRESBYTERATUS

VIDE VERB. *ORDO A N.* 48. *AD.* 50.

PRESBYTERIUM

Lubet de Presbyterio sequentia tradere

1 Cum multa *Presbyterium* significare possit, id praesertim considerandum, quod ad Ecclesiarum regimen spectat, hoc nomine a dignioribus, qui in Clero sunt, nempe Presbyteris, sumpto, totius Cleri coetum significari. Nimirum Presbyterorum praesertim, sed et Diaconorum, imo universi Cleri consilia adhibebant Episcopi, sive de ordinandis Clericis, sive de recipiendis poenitentibus, sive de haeresibus condemnandis, sive de alio quopiam gravi negocio Ecclesiastico agerentur. Hinc quod hic *Presbyterium* dicimus, alii veterum Senatum Ecclesiae appellant.

2 Certe ad Carthaginensem Ecclesiam quod spectat, ex pluribus Cypriani testimoniis manifeste liquet, ejusmodi morem in ea perpetuo servatum, ut nil grave Episcopus sine Cleri sui Consilio perageret. Et sane *Ep.* xxiii. *al.* xxxviii. de Clericorum ordinationibus haec habet: « In ordinandis Clericis solemus vos ante consulere, et mores, ac merita singulorum comuni consilio ponderare ». Et generatim de universo Ecclesiastico regimine *Epist.* vi. *al.* xiv. scribit: « Ut ea, quae circa Ecclesiae gubernaculum utilitatis communis exposcit, tractare simul, et plurimorum consilio examinata limare possimus ».

De universis Africanis Ecclesiis Conc. Carthag. iv. Can. xviii. sic decrevit: « Ut Episcopus nullius caussam audiat absque praesentia Clericorum suorum: alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum praesentia confirmetur ». 3

Eamdem regulam tum Ephesi in condemnando Noeto, tum Alexandriae in prima Arii ejectione fuisse servatam, testatur Epiphanius. Tum Cotelerius in suis adnotationibus ad Constitutiones sic 4

dictas Apostolicas formulam quamdam depositionis Arii ex antiquo quodam manuscripto erutam evulgavit, quae aeque Episcopos Dioeceseos Ægypticae, ac Presbyteros Alexandrinos Arii depositioni suffragatos exhibet.

5 Idem quoque in Origenis condemnatione obtinuisse testatur Pamphilus, qui lib. 11. *Apolog.* pro Origene apud Photium *c.* CXVIII. narrat *Synodum Episcoporum, et Presbyterorum adversus Origenem* fuisse habitam, cujus Decreto Alexandria ejiciendum sancitum est, nec ipsi permittendum, ut ibi vel doceret, vel habitaret.

6 Antiochiam quoque ad Pauli Samosateni caussam discutiendam, eumdemque deponendum plurimos quoque Presbyteros cum Episcopis convenisse testatur Eusebius *lib. VI. cap.* 28.

7 Neque aliud a primis usque temporibus Romani Pontificis servarunt. Plura exempla dabit Selvaggius Antiquit. Christianar. *lib.* 1. *cap.* 16. *pag.* 9. Paucis contentus ero. S. Cornelius a. 251. Cypriano scribens, qua demum ratione ad ejurandum schisma perducti fuerint Maximus Presbyter, Urbanus, et Sidonius ait: « Omni igitur actu (*eorum*) ad me perlato, placuit contrahi presbyterium (adfuerunt etiam Episcopi quinque, qui et hodie praesentes fuerunt), ut firmato Consilio, quid circa Personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur ». Coegit etiam a. 385. Siricius presbyterium adversus Jovinianum Haereticum, ut ipsemet scribit ep. VII. in eoque *omnium nostrum tam Presbyterorum, et Diaconorum, quam etiam totius Cleri* (en quid *Presbyterium* fuerit) *unam scitote fuisse sententiam, Jovinianum, Sociosque damnandos esse.* Hinc intelligere est, quid omne *Presbyterium Romanae Ecclesiae* fuerit, quod Liberius ep. XI. ad Ursacium etc. *testes* appellabat. Etiam S. Innocentius I. *consessum Presbyterii*; idest Cleri Romani, et acta in eo confecta urget *ep.* 3.

Quod hi *Presbyterium* vocarunt, Zosimus *ep.* 8. *Sedis Apostolicae Caetum* dixit. Bonifacius quoque *Presbyterio universo* litteras se praelegisse, quibus Thessalonicensem Episcopum in vicaria Sedis Apostolicae delegatione confirmaverat, testatur *Ep.* XV. Huic vero Presbyterio, quod Romanae Ecclesiae Synodum Dioecesanam non immerito dicas, aderant quoque Episcopi, quos in Urbe esse contigisset; ut vel Cornelii recitatus locus ostendit. 8

PRETATICUM

VIDE VERB. *HEBRAEUS* N. 7.

PRIMÆ PRECES IMPERATORIS

VIDE VERB. *BENEFICIA ART.* 12. *PER TOTUM.*

PRIMATES

De Primatum jurisdictione, et Praeminentia sequentia delibasse juvet.

1 Qui apud Graecos *Exarchi* dicti sunt, *Primates* apud Latinos fuere. Ut autem apud Graecos Exarchorum, ita etiam apud Latinos diversa Primatum, et acceptio fuit, et potestas: alii enim jam a primis temporibus integram regebant dioecesim, ut et Romanus Italiam, et Carthaginensis Africam, et multo post Hispaniam Toletanus. Alii vero dioecesis tantum parti praeerant; ut Lugdunensis, et Bituricensis certis quibusdam Galliae provinciis: et aetate nostra, quod antea factitatum nusquam legitur, *Primates* dicuntur multi, quorum jurisdictio tum primatialis, tum metropolitana iisdem est terminata finibus. Sed illorum dispar est ratio, sunt enim, qui nullis umquam praefuerint Metropolitanis, ut Rotomagensis: sunt qui olim multis, nunc nullis; sed eorum alii suos habent, ut vocant, *Officiales*; quorum alter Metropolitani jure, alter Primatis judicet; itaut a priori ad posteriorem provocetur, ut Bituricensis: apud alios verò idem est Judex Primatis, qui Metropolitae.

In Africa tot erant *Primates*, quot Provinciae. Provinciam quisque suam administrabat: Carthaginensi parebant omnes. Illorum jura eadem fuerunt, quae apud alias gentes Metropolitanorum. Inter illos tamen, et Metropolitas hoc intererat, quod metropoles statae, et fixae semper erant; primae autem Sedes in Africa desultoriae, et nunquam fere eaedem, sed nunc hac, nunc illae; cum Metropolitanum ipsa Metropolis faceret, primam Sedem ipse Episcopus: nec enim Urbi, si Carthaginem exceperis, sed aetati, et ordinationis prae- 2

rogativae addicta fuit Primatis dignitas: quo quisque antiquior in Provincia Episcopus, is eo Primatui vicinior; ille demum *Primos*, qui omnium antiquissimus.

3 Olim in Synodis generalibus post Patriarchas, Primatum, ut potior Authoritas, ita honestior locus erat: ii erant omnino tres, Thraciae Heracleensis, Ephesinus Asiae, Ponti Caesareensis. Illis proximus erat Thessalonicensis Vicarius, qui jussu Romani Praesulis toti Illyrico praeerat. Huic assidebat Episcopus Carthaginensis, ut ex quinta Synodo intelligere licet.

4 Si generalis Synodus hoc tempore habenda foret, haec fere esset, si Jacobatio, aliisque credimus, considendi ratio. Primum locum, ut par est, obtinet Summus Pontifex, princeps, et moderator totius Concilii; secundum Ostiensis Episcopus, cujus est consecrare Romanum Antistitem; tertium Constantinopolitanus Patriarcha, qui Innocentii III, Conciliique Lateranensis suffragio praelatus est caeteris; quartum Alexandrinus; quintum, et sextum reliqui duo, Antiochenus, et Hierosolymitanus. Hos excipiunt Occidentis Patriarchae, aliis nomine quidem pares, re tamen, et dignitate inferiores multo, Bituricensis, Venetus, Cantuariensis, quibus, ut nonnullis placet, Pisanus additur. Deinde sedent Primates, ut Lugdunensis, ut Toletanus etc.

PRIMICERIUS

Haec quae sequuntur, de Primicerio notasse expediat.

1 Primicerius, generaliter loquendo, dicitur ille, qui primus juxta antiquorum consuetudinem erat scriptus in ordine cerae, seu scripturae; Mos enim erat antiquis in tabulis ceratis, et pugillaribus scribere, et hinc quicumque in quolibet hominum ordine primo loco scriptus erat in Albo, seu tabula cerata, *Primicerius* appellabatur; et qui secundo loco, *Secundocerius*, et qui tertio, *Tertiocerius*, ut colligitur *ex l. Primicerius* 2. *et l. Lege pragmatica* 4. *De domesticis, et protectoribus*; Sic in *Rubrica Cod. de primicerio lib.* 12. Primus Notariorum appellatur *primicerius*, eo quod in Matricula Notariorum primo loco sit scriptus, ut explicat Glossa *ibidem*. Similiter *l. Primicerium* 2. *Cod. de Fabricensibus*; Primus Fabricensium vocatur *primicerius*, ut tradunt Gregor. Tholosan. *lib.* 15. *Syntagm. Jur. cap.* 22. *num.* 5. *et sequent.* Azorius *part.* 2. *lib.* 3 *cap.* 16. *quaest.* 1. Pirhing *lib.* 1. *Decret. tit.* 25. *numer.* 1. Reiffenstuel *ibid. n.* 1. et alii passim.

2 Quoad praesens autem *Primicerius* dicitur *primus Cantor*, seu primus in Cantu, seu Choro, qui alio nomine appellatur *praecentor*, ut patet *ex cap. Cum olim* 6. *de consuetud.* et qui secundum locum post ipsum tenet, ejusque absentis vices gerit, vocatur *Succentor*, ut *cap. Inter dilectos* 11. *de excessibus Praelator.* sive *Vicecantor;* Azor. *cit. part.* 2. *lib.* 3. *c.* 22. *q.* 2. Pirhing *loc. cit. nu.* 1. et alii; Et alicubi vocatur *Magister Scholarium*, seu *Scholasticus;* Sic notat Hostiensis. *in Summar. n.* 1. *tit. de Primicerio*, Pirhing *loc. cit. n.* 1. Reiffenst. *loc. cit. num.* 1. et alii.

3 Primicerii Officium describitur *in cap. perlectis* 1. §. *ad primicerium dist.* 25. *et c. Unic. de Officio primicerii*, quod sit praesse Diaconis, et reliquis Clericis in docendo ordinem, et modum psallendi, et canendi in Choro pro diversitate, et solemnitate temporum, et ad ipsum spectet Divinum Officium ordinare, Psalmos, Lectiones, Responsoria, et alia hujusmodi assignare, quae quisque Clericorum dicere debeat, ipsumque Chorum regere, et operam dare, ut omnes ab ipso, vel a quo ipse jusserit, instruantur, et disciplina inter eos observetur, tamquam pro iis rationem coram Deo reddituros, alioquin enim tenebitur de negligentia in Officio suo commissa.

Primicerius, Cantor, seu Praecentor in illis locis, seu Ecclesiis, in quibus ratione sui Officii praecedit aliis Canonicis, censetur constitutus in Dignitate, seu Personatu, ibique Primiceriatus est Dignitas, seu Personatus, ut constat *ex cap. Cum accessissent* 8. *de Constitutionibus*, *et cap. Cum olim* 6. *de consuetud.* Ubi vero nullam praeeminentiam, seu praecedentiam inter alios Canonicos habet, non censetur in Dignitate, seu Personatu constitutus, sed ibi nudum Officium, seu administrationem habet. Et idem dicendum est de Thesaurario, Sacrista, et Custode; Azorius *loc. cit. cap.* 16. *qu.* 3. *et cap.* 22. *q.* 1. Pirhing *loc. cit. nu.* 2 Reiffenstuel *loc. cit. n.* 4. Layman *in cit. cap. Unic. de Officio primicerii*, et alii passim. 4 5

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Vicarii nati Episcopi primitus fuere *Archidiaconus*, *et Archipresbyter*. Additus postmodum fuit in Ecclesiis Cathedralibus *Primicerius*, qui ex delegata potestate Episcopi praeerat Clero inferiori, seu minori. Primis temporibus haec potestas Archidiacono demandata erat ab Episcopo, ut omni Clero, etiam Presbyteris, et Archipresbyteris praeesset, ut ejus quasi esset administrator, et Vicarius Generalis. Quum vero hic potissimum auctoritatem suam in Clerum majorem, et Superiorem extendisset, substitutus est ei alius Vicarius, a quo Clerus inferior regeretur: Thomassin. *vet. et nov.* 6 7

Eccles. disc. t. 1 *lib.* 2. *c.* 103. §. 10. Factum est inde, ut in absentia Episcopi his tribus Vica-
8 riis *Archidiacono*, *Archipresbytero*, et *Primicerio* gubernacula Ecclesiae demandarentur: ut mox laudatus Auctor *loco citato* §. 3. ex Epistola Papae Martini ostendit.

9 Plene officium Primicerii in Cathedralibus describit Isidorus *in C.* 1. *d.* 25. *Ad Primicerium*, inquit, *pertinent Acolythi, Exorcistae, Psalmistae, atquae Lectores*. Pergit vero: « Signum quoque dandum pro Officio Clericorum, pro vitae honestate, et Officio meditandi, et peragendi sollicite lectiones, benedictiones, psalmum, laudes, offertorium, et responsoria, quis Clericorum dicere debeat. Ordo quoque, et modus psallendi in Choro pro solemnitate temporum, ordinatio quoque pro luminibus deportandis. Si quid etiam necessarium est pro reparatione Basilicarum, quae sunt in urbe, ipse denunciat Sacerdoti. Epistolas Episcopi pro diebus jejuniorum Parochianis ipse per Ostiarios dirigit: Clericos, quos delinquere cognoscit, ipse distinguat. Quos vero emendare non valet, eorum excessus ad cognitionem Episcopi deferat. Basilicanos ipse constituat, et matriculam ipse disponat ». Plenius hoc declaratur *in C. unic. de offic. Primicer.* ubi additur, quod praesit Diaconis, et reliquis gradibus Ecclesiasticis in ordine positis, quamvis sub Archidiacono constitutus sit, et ejus Sub-officialis esse videatur.

De Primicerio juxta hodiernam disciplinam consule Corvin. *de Person. et Benefic. Eccles. tit. de Primic.* 10

Alias constat Primicerium vocari Antesignanum cujuscumque Officii Civilis, et Sacri. Fit hoc sensu in antiquis monumentis mentio « Primicerii Notariorum, Palatii, Aulae, sacri cubiculi, sacrarum largitionum, Defensorum, Judicum, Lectorum, Silentiariorum etc. ». *Ducange in Glossar. ad Script. med. et infim. Latinit. voce Primicer.* Confer. etiam Jacob. Gothofred. *ad L.* 19 *C. Theodos. de Palatin Sac. Larg.* Brisson. *de verb. signifi. voce Primicerius*. Sicuti itaque qui primum locum tenebant, *Primicerii* appellabantur; ita qui 11
secundum, et tertium locum, dicebantur *Secundicerii, Tertiocerii;* Brisson. *ubi supra* (*). 12

PRIMITIÆ

SUMMARIUM

1. Primitiae quid importent: *ad num.* 4. — 5. Primitiae lege veteri debebantur jure divino positivo. — 6. Quid juris sub lege nova: *ad num.* 7. — 8. Quaenam differentia intercedet inter Primitias, decimas, et oblationes? — 9. Alie ad rem, *ad num.* 19.

1 Primitiae sunt primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, arborum, et hujusmodi: *Communis*, et colligitur aperte *ex lib. Exodi cap.* 23. *vers.* 16. *et* 19. *ex lib. Num cap.* 18. *vers.* 12. *et ex lib. Deuteronom. c.* 16.
2 *vers.* 2. Vocantur autem *primitiae*, quia sunt primi fructus. *Communis*, per text. *in lib. Num. cap.* 18. *vers.* 12. *et* 13. ibi: « Quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi, Universa frugum initia, quas gignit humus, et Domino deportantur, cedant in usus tuos ». Insuper Barbosa *in Rubric de primitiis nu.* 6. Sylvester verb. *Decimae nu.* 1. *in fine* Reiffenst. *lib.* 3. *Decretal. tit.* 30. *n.* 171. addunt vocari *primitias*, quia sunt fructus optimi, sive primi in bonitate, per text. *in cit. lib. Num. cap.* 18. *vers.* 12. ibi: « Omnem medullam olei, et vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino etc ». Quod negant Suarez *lib.* 1. *de Divino cultu cap.* 8. *num.* 2. Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 30. *num.* 169. et alii dicentes, quod significantur hic nomine Primitiarum primi fructus tempore, non bonitate, idest optimi, ut colligitur *in citat. lib. Numer. c.* 18. *vers.* 13. ibi: *Universa frugum initia* (idest Primitias), *quas gignit humus etc.*

Per primitias non intelliguntur, nec olim in- 3
telligebantur, omnes primi fructus alicujus terrae, agri, verbi gratia, aut vineae; nec erat quantitas certa, et determinata; Postea vero fuit determinata haec quantitas, scilicet, quod nemo plusquam quadragesimam partem dare teneretur, et nemo minus, quam sexagesimam dare posset de primis fructibus, textu expresso *in cap. Decimam partem* 1. *de Decimis, Primitiis, et Oblationibus* §. *At vero*, ibi: « At vero primitiae, quas de frugibus offerebant, non erant speciali nomine definitae, sed offerentium arbitrio derelictae; Traditionem quoque accepimus Hebraeorum, non Lege praeceptam, sed arbitrio Magistrorum inditam; Quod qui plurimum, Quadragesimam partem dabant Sacerdotibus, qui minimum, Sexagesimam; Inter Quadragesimam, et Sexagesimam licebat quodcumque vo-

(*) Vide hac de re disserentem comprimis Illustriss. Cyronensium Episcopum Aloysium Gallettum in egregio opere, quod *de Primicerio*, edidit: ubi et illud *pag.* 26. animadvertit, inter Primicerios, qui Romae erant, *Primicerium Notariorum eminuisse*, huncque illum fuisse, qui vel *Primicerius* absolute appellabatur, vel *Primicerius Sanctae Sedis Apostolicae*, vel *primus Primicerius*, vel etiam *Primicerius judicum*.

luisset offerre; Quod igitur in Pentateucho dubium derelictum est, hoc specialiter propter Sacerdotum avaritiam, ne amplius a populo exigant in Primitiis offerendis ».

4 Ad primitias reducuntur omnia Primogenita, idest primi partus, tam de hominibus, quam de animalibus, qui Deo specialiter offerri, et sacrificari debebant, juxta *cap.* 13. *Exodi vers.* 2. ibi: « Sanctifica mihi omnem primogenitum, quod aperit vulvam, tam de hominibus, quam de jumentis », et cap. 18. *Num.* ibi: « Quidquid primum erumpit e vulva cunctae carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui Juris erit, ita dumtaxat, ut pro hominis Primogenito pretium accipias.

5 Primitiae Lege veteri debebantur Jure Divino positivo: *Communis*, per text. in *cap.* 23. *vers.* 19. *Exodi*, *c.* 18. *vers.* 12. *Num. c.* 16. *vers.* 2. *Deuteron.* cum similibus.

6 Primitiae secundum substantiam, quatenus videlicet spectant ad honestam sustentationem Ministrorum Ecclesiae etiam in Lege nova adhuc debentur de Jure Divino; Formaliter vero sumptae, seu pro certa quantitate, debentur solum Jure humano. Prima pars colligitur *ex cap. Revertimini* 65. *caus.* 16. *quest.* 1. ubi Decimae, ac Primitiae quoad substantiam Jure Divino obligari supponunt, et *capit. Tua* 26. *De Decimis*, *Primitiis*, *et Oblationibus*, ubi expresse habetur: « Nimis profecto videtur iniquum, si Decimae, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi praecepit, suas esse Decimas, et Primitias asseverans etc. diminui valeant ». Et tenent Glossa in *cap. Ecclesias* 1. *caus.* 13. *q.* 1. *verb. Primitias*, Guttierez *Canonic. qq. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 6. Barbosa *de Offic. et potest. Parochi part.* 3. *cap.* 27. *numer.* 5. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 175. Didac. et alii. Secunda autem pars clare patet *ex cap. Revertimini* 65. *cap.* 16. *quaest.* 2. *et cap. Decimas* 1. *ead. caus.* 16. *quaes.* 7. ibi: « Oportet autem .... Primitias, quas Jure Sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere »; *cap. praeter* 6. *dist.* 32. *in fine*, ibi: « *Primitias* .... *fideliter reddantur a Laicis.*

7 Primitiae formaliter sumptae non amplius debentur; ubi non adest consuetudo eas solvendi: *Communis*, ut patet ex fere universali praxi eas non solvendi. Cum enim primitiae formaliter sumptae, idest secundum specificam, et determinatam quantitatem, sint introductae sola Lege humana, potuit huic derogare consuetudo legitime praescripta; textu expresso *in cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine.*

8 Inter Primitias, Decimas, et Oblationes haec adest differentia, quod *Primitiae* solvuntur semel tantum de primis fructibus Novalium, agrorum, vinearum, arborum, et animalium in signum gratitudinis erga Deum; *Decimae* solvuntur singulis annis in recognitionem universalis Dei dominii de omnibus fructibus; *Oblationes* solvuntur sine determinatione temporis, qualitatis, aut quantitatis ex causa devotionis. Sic expresse Engel. *lib.* 3. *Decret. tit.* 30. *num.* 60. et alii. Vide verb. *Decimae*, et verb. *Oblationes*

ADDITIONES EX ALIENA MANU

Primitiae dicuntur primae fructuum obventiones, ut primi animalium foetus, primi fructus de terra ad culturam redacta, et denique prima de fructibus singulorum annorum commoda. 9

Antiquissimi sane fuit instituti, eas Deo consecrare Fonti omnis boni, et omnium commodorum largitori. Tenebantur hac etiam devotione Gentiles; Consule *Samuel. Pitisc. in Lexic. antiq. Roman. voce Primitiae. Spencer. de leg. Hebraeor. Ritual. lib.* 3. *diss.* 1. *cap.* 6. *Guther. de vet. jur. Pontif. lib.* 4. 10 11

Male vero *Spencerus* inde colligit, institutum primitiarum ex Religione Gentilium esse petendum. Prima ejus vestigia inter eos, qui verum Deum colebant, deprehendimus e Sacra Scriptura, exemplo Abelis id corroborante; *Genes. IV.* 4. 12

Nulla in Ecclesia nascente erat Lex de Primitiis solvendis. Quod enim *in can.* 4. *Apostolorum apud Harduin. tom.* 1. *Concil. p.* 10. *et p.* 33 de Primitiis traditur, non est Apostolicum institutum, sed saeculorum subsequentium usus; « Pseudo-Clemens ait: Omnis autem fructus domum mittatur. Primitiae Episcopis, et Presbyteris. Clarum est, quod Episcopi, et Presbyteri Diaconis, et reliquis distribuant: Canone praecedente III. Apostoli finguntur induisisse, ut tantum legumina nova tempore opportuno ad Altare deferantur, quod eo tempore inter non entia relatum est. Qui mensas Agapis destinatas Altaria fuisse asserunt, nec graviter errant, ut Eruditi docuerunt ». 13

Si Canones Arabici Nicaeni genuini forent, jam saeculo IV. fuisset Lex de solvendis primitiis. Siquidem *cap.* 1. constitutum apud *Harduinum tom.* 1. *Conc. p.* 510. fingitur: « Item exigit a vobis Deus, ut offeratis primitias frugum vestrarum, et primitias fructuum vinearum, et jumentorum vestrorum Ecclesiis, ut ex iis alantur Sacerdotes, et Ecclesiae Ministri »: Hanc vero Legem ignorant Canones Nicaeni genuini, ignorant Canones Synodorum reliquarum hujus saeculi. 14

Posterioribus vero temporibus legem de solvendis primitiis in Ecclesia fuisse indictam, tenent nonnulli praesertim ex *Can.* 7. *Conc. a S. Gregorio VII. Romae in Laterano anno* 1078. *habiti*, quod relatum est in *Can.* 1. *q.* 7. At alii censent, potius contineri adhortationem, et consilium, quam jussum. Sed quidquid hujus rei sit, si spectes usum, primitiae non sunt sub obligatione. 15 16

Duobus vero casibus adhuc debentur. Primo, si Parochorum facultates adeo angustae sint, ut congruae ipsorum sustentationi haud sufficiant. Secundo, si solvi alicubi consueverunt. Et, quod mirum est, *Jacobus de Lande in Rubric. ad tit. De-* 17 18

19 *cret. de Decim.* censet, oblationes consuetudine quaotumvis vetustissima haud evadere obligatorias, primitias vero consuetudine obligatorias evadere. Rationem vero diversitatis his verbis nititur dare: « Oblationes (*inquit*) ex pietatis officio, et mera donantinm voluntate proficiscuntur, et nullo jure cogente praestari debent, juxta id quod ait sacer textus: *Voluntarie sacrificabo tibi:* et illud *Exodi* 35. Omnes viri, et mulieres mente devota, obtulerunt donaria, ut fierent opera, quae jusserat Dominus per manum Moysi: cuncti filii Israel voluntaria donaria Domino dedicaverunt: *can.* 6. Concilii Cabilon. Aliud obtinet circa Primitias, propterea quod specialis sit ratio eas praestandi, nimirum in recognitionem divinae liberalitatis ob fructus concessos, quae cum temporis diuturnitate concurrit, atque ita primitiae duobus casibus obligationis nexu continentur, si Populus usu longaevo eas rependere solitus sit, vel si Sacerdotes indigeant, quibus intervenientibus, sunt in mandato, et primitias renuentes possunt excommunicari », *Canon. Praeter hoc, dist.* 32. Sed et obla- 20
tiones consuetudine obligatorias evadere, monstravimus *in addit. ad verb. Oblationes.*

PRIVATIO VOCIS ACTIVÆ, ET PASSIVÆ, ET OFFICII VEL BENEFICII

VIDE VERB. *LEX ART.* 2. *A N.* 27. *AD* 44.

PRIVILEGIUM

ARTICULUS I.

QUOAD EA, QUAE CONCERNUNT PRIVILEGIORUM NATURAM, DIVISIONEM, CONCESSIONEM, ACQUISITIONEM, ET COMMUNICATIONEM,

SUMMARIUM

1. Privilegium quid importet; quidve ad substantiam ejus requiratur, *ad num.* 2. — 3. Divisio Privilegii, *ad num* 13. — 14. Quis Privilegium concedere valeat, et quinam ejusdem capaces sint: *ad num.* 16. — 17. Ut concessio Privilegii sit licita, requiritur justa causa, *ad n.* 19. — Privilegium acquiri potest praescriptione. — 21. Item privilegium acquiritur per communicationem *ad n.* 22. — 23. Regulares Mendicantes habent inter se plenissimam communicationem, privilegiorum, *ad num.* 24. — 25. Adducuntur ad rem duae Constitutiones Clementis VIII, *ad num.* 26. — 27. Regulares Mendicantes communicant in omnibus Privilegiis Societatis Jesu, etiam in quibus opposita reperitur clausula, *ne illis per communicationem fruantur caeteri mendicantes, ad nu.* 28. — 29. Alia ad rem *ad num.* 30 — 31. Afferuntur duae Constitutiones, quarum una est Clementis XI, altera Innocentii XII. *ad num* 32. — De Privilegio personali, et de Privilegio Reali, *ad num.* 47.

1 Privilegium proprie sumptum est Supremi Principis Constitutio specialem favorem concedens; Unde Privilegium dici solet Lex privata, contra, vel praeter Jus, aliquid concedens; *cap. Privilegia* 3. *dist.* 3. *et cap. Abbate* 25. *de verbor signific.* ibi: « Cum Privilegium sit Lex privata, nec esset privata, nisi aliquid specialiter indulgerat ». Sic in re *Communis.*

2 Ad substantiam Privilegii non requiritur, quod sit scriptum; *cap. Institutionis* 7. *caus.* 25. *qu.* 2. et ibi Glossa verb. *Praesentia*, *Clementin.* 2. §. *Nos enim, de sepulturis*, ibi: « Universa privilegia, gratias, Indulgentias, verbo, seu scripto concessa etc. ». et Glossa ibidem v. *verbo.* Et *Extravag. ultim. post initium, de poenit. et remissionib. inter Communes*, ibi: « Facultatum per Nos concessarum, tam verbo, quam in scriptis, confectis exinde litteris, vel non ». Et sic *Doctores communiter.*

3 Privilegium dividitur primo in Privilegium contra Jus, et Privilegium ultra, vel praeter Jus. Privilegium *contra Jus* est, quo Juri communi derogatur, ut exemplo a solvendis Decimis, vel a Jurisdictione Ordinarii, et hujusmodi, quae conceduntur contra Jus commune; Privilegium *ultra*, *vel praeter Jus* est, cujus actus, vel materia non est quidem Jure prohibita, sed tamen non nisi certis personis concessa, ut potestas absolvendi a reservatis, vel dispensandi, et hujusmodi.

Secundo, Privilegium dividitur in Privilegium 4
clausum in corpore Juris, et in Privilegium extra Corpus Juris, seu datum per speciale Rescriptum Principis. Privilegium *clausum in corpore Juris* est, quod inter alia Jura, seu alias Leges Corpori Juris insertum est, ut sunt Privilegia Ecclesiarum, et Ecclesiasticorum, quae habentur passim, tum in Jure Canonico, tum etiam Civili in *Codic. Titulo, de SS. Eccles. et Cod. de Episcop. et Cleric.* Item Privilegia Pupillorum, Minorennium, Studiosorum, Militum, Fisci, Creditorum, et similia, quae passim habentur in utroque Jure. Privilegium *extra Corpus Juris* est illud, quod per speciale

Rescriptum Principis, seu per speciales litteras, vel per Bullam, Diploma, seu Indultum alicui personae, Communitati, vel loco est concessum, et necdum Juri communi est insertum.

5 Tertio, Privilegium dividitur in reale, personale, et mixtum. Privilegium *reale* est illud, quod proxime, immediate, et directe confertur rei, loco, muneri, dignitati, et hujusmodi, v. g. Praedio, Ecclesiae, Monasterio, Praelaturae, et consequenter etiam, et ultimate personis, quae talem rem, locum, Praelaturam, Dignitatem, vel Officium habent. Privilegium *personale* est illud, quod proxime, immediate, et directe confertur personae ratione illius personae sine contemplatione rei, *arg. cap. Mandata* 6. *de Praesumpt.* ibi: *Quos non loco tribuimus, sed Personae.* Privilegium *mixtum*, idest partim personale, et partim reale est illud, quod conceditur certo personarum generi, seu qualitati, ut privilegium restitutionis in integrum concessum Minoribus 25. annis, quod etiam ad heredes transit, *l. Non solum* 6. *ff. de in integrum restitut.* Item Privilegium S. C. Velejani concessum foeminis, ne ex fidejussione obligentur; Item Privilegium S. C. Macedoniani concessum filiis familias, ne ex mutuo sine consensu Patris accepto obligentur. Item Privilegia Clericorum, Studiosorum, Militum, et hujusmodi; Talia enim Privilegia dicuntur mixta, quia conceduntur non mere respectu personae, nec mere respectu rei, sed mixte, et respectu personae, et respectu rei, videlicet intervenientis laesionis, vel ratione status, Dignitatis, Officii, aut conditionis ipsis adhaerentis, ideoque etiam perpetua sunt, ei transeunt ad personas succedentes in Dignitate, Officioque, et sic etiam realia privilegia censentur.

6 Quarto, Privilegium dividitur in Privilegium remuneratorium, et in privilegium mere gratiosum. Privilegium *remuneratorium* est illud, quod conceditur intuitu meritorum, v. g. laborum, molestiarum, fidelitatis, servitiorum, expensarum, et hujusmodi, in conversione Infidelium, Haereticorum, Rebellium, Schismaticorum, in bello, et hujusmodi exibitorum, et praestitorum; sicque hoc Privilegium censetur datum, seu concessum tamquam in praemium, et quamdam remunerationem, seu compensationem. Privilegium *mere gratiosum* est illud, quod ex mera Concedentis gratia, et benevolentia, non intuitu meritorum, aut in illorum compensationem conceditur.

7 Quinto, Privilegium dividitur in scriptum, et non scriptum. Privilegium *scriptum* est illud, quod per scripturam, seu Rescriptum Principis conceditur. Privilegium *non scriptum* est illud, quod Princeps oretenus dumtaxat sine scriptura concedit, et dicitur privilegium *vivae vocis oraculo concessum*, de quo fuse sub verb. *Oraculo vivae vocis.*

8 Sexto, Privilegium dividitur in perpetuum, et temporale. Privilegium *perpetuum* est illud, quod conceditur absque limitatione temporis, vel adhaeret rei de se perpetuo duraturae. Privilegium *temporale* est illud, quod conceditur pro determinato, et limitato tempore.

Septimo, Privilegium dividitur in Commune, seu Communitatis, et in privatum, seu privatorum. Privilegium *Commune*, *seu Communitatis* est, quod primario conceditur Communitati, seu Universitati, et per se respicit bonum Communitatis, cui est concessum, quamvis etiam redundet in membra ejus, ut est privilegium Fori, et Canonis concessum toti statui Clericali. Privilegium *privatum*, *seu privatorum*, est, quod primario conceditur personis particularibus, et per se respicit bonum personarum particularium, quamvis mediate redundet etiam in bonum Commune, ut est privilegium restitutionis in integrum Minoribus 25. annis concessum, et hujusmodi. 9

Octavo, Privilegium dividitur in purum, et in Conventionale. Privilegium *purum* est illud, quod sine aliqua conventione, seu reciproca obligatione conceditur. Privilegium *Conventionale* est illud, quod conceditur cum conventione, et obligatione aliquid dandi, aut faciendi, et hujusmodi; Unde hoc privilegium quodammodo emitur, seu per contractum onerosum acquiritur. 10

Nono, Privilegium dividitur in Privilegium pro foro conscientiae tantum, et pro foro externo. Privilegium *pro foro conscientiae* est, quod solum prodest, ut quis, salva conscientia, illo uti possit, non vero, ut quis exterius, et in foro contentioso pro privilegiato agnoscatur. Privilegium *pro foro externo* est, quod non tantum prodest in conscientia, sed etiam in Judicio externo. 11

Decimo, Privilegium dividitur in Privilegium concessum ex motu proprio concedentis, et in privilegium concessum ad preces, seu supplicationem Privilegiati. Privilegium concessum *ex motu proprio* est illud, quod in Litteris privilegii insertam habet clausulam *Motu proprio*, etiamsi forte privilegiatus per se, vel per alium pro eo supplicaverit; Textus, et Glossa communiter recepta, *in c. Si motu proprio* 23. *de Praebend.* in 6. Unde idem operatur motus proprius ad instantiam partis concessus, ac motus proprius ex mera Principis liberalitate procedens: Barbosa *clausul.* 79. *num.* 6. et alii passim. Privilegium concessum *ad preces*, *seu supplicationem Privilegiati*, est illud, quod sine dicta clausula simpliciter ad preces, seu supplicationem conceditur. 12

Inter utrumque hoc Privilegium notabilis intercedit differentia, quod scilicet Privilegium *motu proprio* concessum, non tantum sit altero favorabilius, et plenissimae interpretationis, c. *Quamvis* 4. cum ibi notatis per Glossam in verb. *Plenissimae, de Praebend. in* 6. sed etiam non possit argui de subreptione, *cit. cap. Si motu proprio* 23. *de Praebend. in.* E contra vero Privilegium, quod sine dicta clausula simpliciter ad preces, seu supplicationem conceditur, corruit per falsa narrata, vel tacitam veritatem, quae de jure, aut stylo Cu- 13

riae exprimi debuisset; Semper enim intelligitur illa tacita conditio: *Si preces veritate nitantur*, textu expresso in *cap. Ex parte* 2. *de Rescriptis*, ibi: « In hujusmodi Litteris intelligenda est haec conditio, etiamsi non apponatur: Si preces veritate nitantur ».

14 Privilegium concedere potest solus ille, qui Legem condere potest. *Communis*; Privilegium enim, vel est *contra Jus*, et tunc clarum stat, quod soli Legislatori, vel ejus Successori, vel utriusque Superiori competit facultas concedendi tale privilegium, cum includat dispensationem, et derogationem Legis. Vel est privilegium *ultra*, seu *praeter Jus* commune, vel municipale, et tunc etiam clare patet, quod solus Legislator, vel Successor, seu Superior utriusque potest ipsum concedere, cum solus ipse obligare possit saltem suos subditos, ne impediant privilegiatum in usu sui privilegii.

15 Privilegium *contra Jus*, non potest concedi nisi aliquo modo subditis. *Communis*. Per tale enim privilegium eximitur privilegiatus a Lege, seu Jure, cui subdi debet; aut exercetur aliquis actus Jurisdictionis, qui exerceri non potest, nisi in aliquo modo subditos.

16 Privilegium autem *ultra*, seu *praeter Jus* potest concedi etiam non subditis. *Communis*. Concessio enim talis privilegii non est tam actus Jurisdictionis, quam cujusdam donationis, et dominii illius rei, vel Juris, quod per privilegium datur: Videmus enim in dies Principes concedere sibi benemeritis forensibus, et extraneis privilegium, ut in suis Ditionibus liberi sint a praestandis Vectigalibus, ut possint extrahere frumentum, merces, arma, milites, et hujusmodi.

17 Ut concessio privilegii sit licita, requiritur justa causa. *Communis*; Justitia enim distributiva, et Legalis requirit, ut nullus absque rationabili causa eximatur a Lege communi, et sic ne concedatur alicui privilegium contra Jus: Immo neque privilegium *ultra*, seu *praeter Jus*, quia si sine justa causa id Princeps concederet, argueretur prodigalitatis, et acceptionis personarum, daretque occasionem invidiae, et perturbationis aliis non privilegiatis.

18 Potest tamen concessio privilegii esse valida, quamvis sit facta sine justa causa. *Communis*: Valor enim privilegii, sive *contra Jus*, sive *ultra*, seu *praeter Jus* pendet omnino a voluntate Concedentis ipsum privilegium. Unde sicut ipse potest absque ulla causa tollere valide hujusmodi Jus, seu Legem ex toto; ita a fortiori ex parte unam, vel aliam personam per speciale privilegium ab ejus obligatione eximendo saltem valide.

19 Privilegium acquiri potest ex concessione Principis, sive facta motu proprio ex ultronea ipsius liberalitate, sive facta ad preces, at supplicationem privilegiati. Qui tamen privilegiatus ad hoc, ut valide, et licite privilegium acquirat debet in supplicatione evitare obreptionem, et subreptionem; necessario enim debet fideliter exprimere ea omnia, quae verisimiliter retrahere possent animum a concessione Privilegii. Sic notant passim Doctores post Clarum, §. *final. qu.* 59. *verb. Debes advertere*.

20 Item privilegium acquiri potest Praescriptione, seu consuetudine legitime praescripta: *Communis*, per textum, *in cap. Novit*. 13. *de Judiciis*, *et cap. Super quibusdam* 26. *de verborum significat*. Consuetudo enim legitime praescripta habet vim Privilegii, et inducit Jus, *arg. citat. cap. Novit* 13. *de Judiciis*, ibi: « Nisi forte Jure communi per speciale Privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum ». Ubi Glossa communiter recepta verb. *Consuetudinem*, sic dicit: « Nota, quod consuetudo parificatur privilegio »; *cap. Conquestus* 8. *caus.* 9. *quaest*. 3. *cap. Quia sancta* 28. *dist*. 63. *cap. Quia per ambitionem* 6. *dist*. 64. Unde per consuetudinem legitime praescriptam acquiritur Jurisdictio, *cap. Duo simul* 9. *et ibi* Glossa *verb. Consuetudo*, *de Offic. Judic. Ordinar. cap. Cum contingat* 13. *in fine de Foro competenti*. Item per ipsam acquiritur Jus exigendi tributa, et pedagia, *cap. Super quibusdam*, 26. §. *Praeterea*, *et ibi* Glossa *verb. Non extat memoria*, *de verborum significatione*. Item per ipsam acquiritur exemptio a Decimis, a Funeralibus, et similibus; *cap. De quarta* 4. *et cap. Cum olim* 18. *de Praescriptionibus*, cum similibus.

21 Item Privilegium acquiritur per communicationem: *Communis*.

22 Communicatio autem, seu communicare idem est, ac commune facere, et conferre alicui, quod prius jam alteri fuerat concessum: Unde communicatio Privilegiorum consistit in participatione, et concessione quadam Privilegii, quod Superior, postquam illud uni simpliciter concesserat, etiam ad alium extendit, *arg. cap. Cum de diversis* 2. *de Privilegiis in* 6.

23 Regulares Mendicantes habent plenissimam inter se communicationem Privilegiorum; Immo communicant etiam Privilegiis concessis aliis Ordinibus non Mendicantibus: Sic Heriocx *disput*. 4. *de legibus*, *quaest*. 6. *num*. 73. Sannig. *dist*. 2. *de privileg. Regular. quaest*. 4. Cassaing. *de privileg. Regular. tract*. 1. *cap*. 3. *praeposit*. 1. Portel. *verb. Communicatio privilegiorum*, Casarubios *eodem verbo*, Rodriquez *tom*. 1. *quaest. Regular. quaest*. 55. Reiffenstuel *lib*. 5. *Decretal. tit*. 33. *num*. 55. *et seq*. et alii communiter. Et id clare patet ex variis Summorum Pontificum Constitutionibus, et signanter Sixti IV. Alexandri VI. Julii II. Leonis X. Clementis VII. Pii IV. S. Pii V. Gregorii XIII. Sixti V. Clementis VIII. Pauli V. pluriumque aliorum, quos enumerat, et adducit novissime Benedictus XIII. Constitut. incip. *Summe decet*, et Constitut. incip. *Pretiosus*, et in aliis Constitutionibus specificatis, et moderatis a Clemente XII. Constitut. incip *Romanus Pontifex*.

24 Et quo ad hanc Privilegiorum communicationem mea Religio Fratrum Minorum Regularium Observantiae inter alias amplissimam concessionem obtinuit a Clemente VII. Constitut. incip. *Dum fructus uberes*, quae Bulla fuit postea confirmata a Paulo IV. Pio IV. Gregorio XIII. Sixto V. et aliis Pontificibus, et specialiter a Clemente VIII. Constit. incip. *Ratio Pastoralis*, et a Benedicto XIII. Constit. incip. *Summe decet*; quae tamen Benedicti XIII. Constitutio quo ad maximas ampliationes, et ingentes novas concessiones una cum aliis ab eodem emanatis pro aliis Ordinibus Regularibus, fuit moderata a Clemente XII. d. Constit. incip. *Romanus Pontifex*.

25 Unde hic juvat adducere dictam Constitutionem Clement. VII. quae est, ut sequitur.

CLEMENS PAPA VII.

« Dum fructus uberes, quos ordo Sacer dilectorum Fratrum Minorum Regularis Observantiae in agro militantis Ecclesiae cum propagatione Religionis, ac defensione, et augmento Fidei Catholicae, ac salute Christifidelium produxit hactenus, et in dies producit, diligenter attendimus, dignum, quin potius debitum putamus (ut ejus statum prosperum, et tranquillum omni diligentia procuremus), illius Religiosas personas specialibus favoribus, et gratiis prosequi. Hinc est, quod Nos motu proprio, et ex certa nostra scientia, tenore praesentium, omnia, et singula Privilegia, immunitates, exemptiones, praesertim de non solvendo Clericis Saecularibus Quartam funeralium, quoad Fratres in possessione non solvendi quartam hujusmodi existentes, ac omnia, et singula Indulta, Indulgentias, peccatorum remissiones, et gratias dicto Minorum, ac S. Clarae, ac tertio de Poenitentia nuncupato Ordinibus, illorumque Fratribus, Monialibus, Sororibus, et utriusque sexus personis, atque Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, et Locis quibuscumque, etiam per modum extensionis, seu communicationis, et per alias quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac per Nos, et Sedem praedictam concessa, auctoritate Apostolica, tenore praesentium approbamus, et innovamus, et perpetuae firmitatis robur obtinere, et inviolabiliter observari debere, ipsosque Fratres, Moniales, Sorores, Personas, Monasteria, Domus, Ecclesias, et alia loca hujusmodi omnibus, et singulis Privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, peccatorum remissionibus, et gratiis, quibusvis Congregationibus dictorum Ordinum, aliorumque Ordinum Mendicantium quomodolibet concessis, et concedendis, nec non etiam quibusvis facultatibus, et gratiis suae possessioni Regularis Observantiae non contrariis, aliis Ordinibus quibuscumque non Mendicantibus quomodolibet concessis, et concedendis, uti, frui, et gaudere posse, atque debere in omnibus, et per omnia perinde, ac si eis specialiter concessa fuissent; et Constitutiones in ultimo Capitulo Generali dicti Ordinis Minorum Regularis Observantiae, in Provincia Burgensi Regni Castellae factas pleno robore firmitatem obtinere, et ab omnibus, quamdiu per Capitulum aliud Generale dicti Ordinis mutatae non fuerint, inviolabiliter observari debere, nec non Regulam ipsam per Sanctum Franciscum pro Fratribus Minoribus institutam, observabilem, meritoriam etc. Cum omnibus clausulis revocativis ».

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 30. Maii Anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto Pontificatus Nostri Anno secundo.

Haec Bulla videri potest in compendio privilegiorum nostrorum P. Alphonsi Casarubios in fine.

Adducitur etiam alia dicta Constitutio Clementis VIII. quae est, ut sequitur. 26

CLEMENS PAPA VIII.

« Ratio Pastoralis Officii nostri exigit, atque efflagitat, ut quorum Religionem, ac virtutem Sedi Apostolicae, totique Ecclesiae non modo illustrem, et praeclaram, sed utilem etiam, ac necessariam esse animadvertimus, eosdem nostris, et ejus Sedis Apostolicae honoribus, ac beneficiis libenter prosequamur. Cum vero ex bonis, et commodis spiritualibus Ordinum Mendicantium, ea longe, lateque pateant, semperque patuerint, quae a Sacro Ordine Fratrum Minorum de Observantia, ab ipsis fundatae Religionis initiis, in omnes Christianae Reipublicae Provincias profluxerunt, quotidieque profluunt, et promanant, faciendum Nobis esse statuimus, ut in eodem Ordine, nostris, et Sedis Apostolicae gratiis, atque muneribus honestando, nihil Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum benignitati, ac studio concedamus.

§. 1. Cum igitur pro parte dilecti Filii Joannis Baptistae Moles Commissarii Generalis in Romana Curia ultramontanae Familiae praedicti Ordinis de Observantia Nobis expositum fuerit, ex ipsius Sedis benigna dignatione provenire, ut Romanus Pontifex quandoque Praedecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innovet, ac Apostolica auctoritate innovata, et restaurata muniat, et fulciat, et in pristinum statum reponat, ac reducat, nec non propterea nonnulli Romani Pontifices Praedecessores nostri quasdam gratias, Concessiones, Indulgentias, et peccatorum remissiones, absolutiones, etiam plenarias, libertates, praerogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, multaque alia Privilegia, et indulta, tam praedictis Fratrum Minorum, quam S. Clarae, ac tertio de Poenitentia nuncupato Ordinibus, illorumque Superioribus, Fratri-

bus, Monialibus, et Sororibus, ac utriusque sexus personis, et Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, et locis quibuscumque dictorum Ordinum nunc, et pro tempore existentibus in genere, vel in specie etiam per modum communicationis, sive extensionis privilegiorum aliis Ordinibus, Domibus, Ecclesiis, et utriusque sexus personis Ordinum Mendicantium, et non Mendicantium existentibus concessorum concesserunt, aut jam concessa confirmarunt, prout in singulis Concessionibus, Declarationibus, et Litteris eorumdem Praedecessorum expeditis plenius dicitur contineri:

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, illa, quae saepius Apostolica auctoritate praedicta, munita existunt, majorem obtineant roboris firmitatem, pro parte praedicti Joannis Baptistae Moles Nobis fuit humiliter supplicatum, ut praedictis Privilegiis, Immunitatibus, favoribus, conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, Indulgentiis, et Indultis, pro illorum observantia, nostrae approbationis robur adjicere, aliasque in praemissis opportune providere, benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur, qui omnium votis, praesertimque illorum, qui sub suavi Religionis jugo Divinis Laudibus, et Christianae Religionis augmento incumbentium personarum tranquillitati, et commoditati consulunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, hujusmodi supplicationibus inclinati, quaecumque praemissa, ac omnia singula alia Privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, Concessiones, Indulgentias, et Indulta spiritualia, et temporalia, etiam per modum communicationis, et extensionis inter se, et cum aliis Ordinibus Mendicantibus, et non Mendicantibus ejusdem Fratrum Minorum Regularis Observantiae, et S. Clarae, et de Poenitentia Tertio Ordinibus, etiam in Congregatione sub trium votorum substantialium Professione, et eorumdem Superiorum Ordinis Minorum Regularis Observantiae hujusmodi obedientia degentibus: ipsorumque Superiorum Fratribus, Monialibus, Sororibus, ac utriusque sexus etiam singularibus personis, nec non Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, et locis quibuscumque in genere, et in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivae vocis oraculo, ut praefertur, aut alias per eosdem Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, ac Nos, et Sedem praedictam, sub quacumque forma, et expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, nec non omnibus, et singulis, in eis forsan contentis clausulis, Decretis, et Declarationibus quibuscumque, ac singulis desuper etiam pluribus vicibus confectas litteras, et in eis contenta, et inde secuta quaecumque illorum omnium tenores, et formas datas, effectus, et Decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, et in his essent inserta, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, dicta Auctoritate Apostolica, tenore praesentium, ex certa scientia (in his omnibus, in quibus Decretis Concilii Tridentini non adversantur, salvis etiam Decretis a Nobis in favorem Fratrum Reformatorum concessis) approbamus, et confirmamus, ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, et firmiter observare, nec non Ordinibus Fratrum Minorum Regularis Observantiae, et Sanctae Clarae, ac Tertio de Poenitentia nuncupato, etiam in Congregatione sub obedientia Fratrum Minorum de Observantia hujusmodi degentibus Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis, Sororibus, personis, Monasteriis, Domibus, et Ecclesiis, et locis praedictis, etiam per modum communicationis, et extensionis hujusmodi suffragari, illisque frui, uti, et gaudere, et quando, et quoties opus fuerit, posse, et debere, in Judicio, et extra, ac etiam in foro conscientiae, in omnibus, et per omnia, ac si specialiter, et expresse eisdem Fratrum Minorum, et S. Clarae, et Tertio de Poenitentia Ordinibus per Nos concessa fuissent, decernimus; Supplentes omnes, et singulos Juris, et facti, ac solemnitatum etiam de Juris necessitate, aut alias quomodolibet requisitarum forsan omissarum, et alios quoscumque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

§. 4. Quo circa venerabilibus Fratribus Mantuan. et Canarien. Episcopis, ac dilecto Filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali Auditori per easdem praesentes committimus, et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, vel unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate nostra praesentes Litteras, et in eis contenta quaecumque, plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos, concernunt, pacifice frui, et gaudere. Non permittentes quemquam desuper contra praesentium tenorem sub quovis praetextu, et causa, etiam defectu intentionis nostrae per quoscumque quomodolibet indebite molestari: quinimmo quidquid contrarium attentari, vel fieri contingat, omnia semper in pristinum reponi; Contradictores quoslibet, et rebelles, etiam per quascumque poenas Ecclesiasticas, et alia opportuna Juris, et facti remedia, appellatione quacumque postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis, servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Sicquo per quoscumque Judices, et Commissarios, ac S. R. E. Cardinales, nec non Sacri Palatii Apostolici causarum Auditores, sublata eis quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII. etiam Praedecessoris nostri de una, et in Concilio Generali de duabus dietis; dummodo ultra tres dietas aliquis praesentium vigore ad Judicium non trahatur, aliis-

quae Apostolicis Constitutionibus, ac Provincialibus, et Capitularibus statutis, et Constitutionibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis, etiam in forma Brevis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac etiam Nos, et Sedem praedictam, et motu proprio, ac scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis irritativis, annullativis, restrictivis, reservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, quomodolibet, etiam pluries concessis, firmatis, et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, earumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, et non autem per Clausulas Generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam, quod in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, et forma derogari posset, tenoris hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, motu, scientia, et auctoritate similibus derogamus. Aut si aliquibus communiter, vel divisam ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas; non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Verum, quia difficile foret, praesentes Litteras ad singula quaeque loca, in quibus forte opus esset, deferri, volumus, et pariter Apostolica auctoritate decernimus, quod illarum transumptis manu alicujus ex Secretariis cujusvis praedictorum Praelatorum, Generalium, ac Romanae Curiae Commissarii, et suorum successorum, aut Notarii publici subscriptis, et Sigillo Officii alterius eorumdem, aut alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae, seu Curiae Ecclesiasticae munitis, eadem prorsus fides in Judicio, et extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima Dec. 1595. Pontificatus Nostri Anno sexto ».

Haec Bulla habetur in Bullario Cherubini tom. 3. *pag.* 66.

27 Regulares Mendicantes communicant in omnibus privilegiis Societatis Jesu, etiam in quibus apposita est sequens, seu similis clausula: (*) *Ne illis per Communicationem fruantur ceteri Mendicantes.* Sic Diana, *par.* 3. *tract.* 2. *resol.* 81. Rodriquez, *tom.* 1. *quaest. Regular. quaest.* 55. *art.* 7. Herincx *disp.* 4. *de Legibus quaest.* 6. *num.* 75. Donatus, *tom.* 1. *par.* 1. *tract.* 7. *quaest.* 8. Miranda *in Manual. Praelat. tom.* 2. *quaest.* 46. *art.* 5. *conclus.* 2. Reiffenst. *lib.* 5. *Decretal. titul.* 3. *num.* 64. Kazenberger, *in Supplement. Theol. moral. P. Sporer, cap.* 1. *sect.* 4 *§.* 2. *num.* 225. et alii. Et ratio est, quia Pontifices Successores Gregorii XIII. (qui talem clausulam prohibitivam communicationis apposuit) in Constitutione incip. *Pium, et utile,* de novo absque tali, seu simili clausula prohibitiva Communicationis amplissimam concesserunt Mendicantibus, et confirmerunt communicationem Privilegiorum, quorum Pontificum potestati derogare non statuit, immo non potuit ullus Antecessor, quia Par in Parem non habet imperium; *cap. Innotuit* 20. *de electione, §. Quamvis, et Cap. Exiit* 3. *§. Ceterum Sanctae memoriae, de verbor. signific.* in 6.

Quod autem sine tali, seu simili clausula prohibitiva communicationis concesserint, seu confirmarint Successores Pontifices, patet ex variis eorum Bullis, et signanter ex Bulla Pii IV. incip. *Circumspecta,* confirmata per S. Pium V. Constit. incip. *Etsi cuncta*, et per ipsummet Gregorium XIII. Constit. incip. *Quo magis*, et per Sixtum V. Const. incip. *Etsi*, et per Gregorium XV. Constit. incip. *Quanta Christianas*, et per Clement. VIII. Const. incip. *Pastoralis.* Quibus accedunt Constitut. Clementis VIII. incip. *Ratio Pastoralis* adducta *supra num.* 24. in qua Ordini nostro Minorum de Observantia, et singula Privilegia, quibuscumque, et quomodocumque concessa, *non obstantibus quibusvis clausulis irritativis, annullativis, cassativis etiam privilegiorum, earum revocativis, et restrictivis etc.* prout amplius potest videri in dicta Bulla, §. 5. Item Constitutio Gregorii XIV. incip. *Illius, qui*, in qua concessit Cisterciensibus, et Cruciferis praeter cuncta alia privilegia, etiam in specie privilegia Societatis Jesu; Item Constitutio Bened. XIII. incip. *Summe decet* emanata pro nostro Ordine Minorum de Observantia, et alia incip. *Pretiosus*, emanata pro praeclarissimo Praedicatorum Ordine, in quibus praeter omnia alia summa privilegia concedit eis in specie sine ulla limitatione cuncta privilegia praestantissimae Societatis Jesu, quamvis dictae Benedicti XIII. Constitutiones, quoad maximas ampliationes, et ingentes novas concessiones, una cum aliis ab ipso pariter editis pro diversis aliis Ordinibus Regularibus fuerint moderatae a Clemente XII. Constit. incip. *Romanus Pontifex.* Et jam amplissimam Privilegiorum confirmationem, extensionem, et innovationem sine superius dicta limitatione, aut simili restrictione concesserant nostro Minorum Ordini de Observantia varii Summi Pontifices, et signanter ipsemet Gregorius XIII. Constit. incip. *Ex benigna* Clemens VIII. Constit. incip. *Ratio Pastoralis*; Paulus V. Constit. incip. *Injuncti Nobis*; Urbanus VIII. Constit. 28

(*) E. R. Nota. Nisi aliunde constet de Communicatione, et quidem expresse, id falsum est.

incip. *In plenitudinem*, quae omnes et aliae confirmatoriae Bullae Privilegiorum nostrurum de novo fuerunt plenissime, et amplissime confirmatae sine tali, aut simili clausula prohibitiva communicationis ab Innocentio XI. Constit. incip. *Exponi Nobis*; Unde ut concludunt Reiffenstuel. loc. cit. num. 65. Kazenberger *loc. cit. num.* 425. et alii, nullum prorsus dubium superest, quin ceteri Mendicantes, et praesertim Fratres Minores, gaudeant quoque Privilegiis Societatis Jesu, etiam cum clausula: *Ne illis per communicationem fruantur ceteri Mendicantes*, aut alia simili concessis.

29 Si Privilegium alteri Religioni communicatum, apud primam Religionem privilegiatam restringatur, vel usu contrario penitus aboleatur, seu abrogetur, id non nocet dictae secundae Religioni privilegiatae per communicationem: Sic Engel *lib.* 5. *Decret. tit.* 33. *num.* 1. Suarez *de Legibus cap.* 15. Reiffenstuel loc. *cit. num.* 69. et, ipso teste, alii passim. Et ratio est, quia licet tale Privilegium dependeat a priore privilegiata Religione in productione, non dependet tamen ab ipsa in conservatione, sed a secunda privilegiata per Communicationem, cum statim ac Privilegium est concessum uni Religioni, efficiatur etiam proprium alterius Religionis habentis communicationem cum illa; adeoque quamvis prima Religio privilegiata per non usum, seu revocationem illud amiserit, adhuc reservatur in secunda Religione, cui fuit communicatum, potestque ipsa illo libere uti, cum eidem Jus fuerit jam acquisitum ante illius cessationem seu revocationem.

30 Communicantes Privilegiis aliorum possunt illis uti contra eosdem. Unde Regulares *communicantes* in Privilegiis aliorum Regularium possunt illis uti in Judicio contra eosdem Regulares, quibus ea primitus fuerunt concessa; dummodo Regulares *communicantes* sint rei, vel agant de damno vitando; Facta enim semel privilegiorum *communicatione*, quaelibet Religio aequaliter, et independenter ab alia gaudet talibus Privilegiis: *Communis*, teste Reiffenstuel loc. *cit. num.* 70. *et seq.*

31 ## APPROBATIO.

Et confirmatio Regularum Collegii, seu Seminarii Missionariorum in Conventu S. Bartholomaei in Insula de Urbe Ordini Fratrum Minorum de observantia nuncupatorum destinati.

CLEMENS PAPA XI. ETC.

« Commissi Nobis Divinitus Sacrosancti Apostolatus officii ratio postulat, ut illis, quae provido consilio pro Collegiorum, seu Seminariorum, in quibus Religiosi viri ad Christianam Fidem, et Catholicam Religionem propagandam mittendi opportune instituantur, salubri directione, feliciique progressu constituta esse noscuntur, quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolici muniminis adjungamus firmitatem.

§. 1. Alias siquidem Nos juxta Decretum, quod prius, nempe in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis propagandae Fidei praepositorum die tertia Octob. MDCCVII. coram Nobis habita edideramus, dilectis Filiis quorumdam Religiosorum Ordinum Superioribus praecepimus, ut omnino, ac quamprimum suo cuique in Ordino Conventum aliquem, veluti pro Seminario Missionariorum, adinstar Seminariorum, seu Collegiorum in S. Pancratii prope, et extra muros Urbis Ordinis Fratrum B. M. Virginis de Monte Carmelo discalceatorum nuncupatorum, ac S. Petri in Monte aureo de eadem Urbe Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum etiam nuncupatorum Conventibus respective institutorum deputarent, in quo diu, ac diligenter vocatio, et spiritus eorum, qui Missionibus destinarentur, probaretur, ipsique etiam ibidem de omnibus, quae ad hoc Apostolicum Ministerium cum laude, et fructu exercendum utilia, ac necessaria forent, plene instruerentur: quatenus vero in aliquo Ordine Conventus hujusmodi destinatio ad hunc effectum tantum non tam cito fieri posset, donec ea fieret, ea omnia in aliquo Conventu, vel Domo ejusdem Ordinis, ubi Regularis Observantia magis vigeret, executioni mandarentur.

§. 2. Porro in praemissorum implementum, sicut praefati Cardinales Nobis nuper exposuerunt, novissime in Conventu S. Bartholomaei in Insula de Urbe praefata Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum novum Collegium, seu Seminarium pro Missionariis hujusmodi erectum, seu destinatum, nec non dormitorium pro duodecim Religiosis ad loca Terrae Sanctae, et alias Missiones expediendis assignatum fuit, et insimul nonnullae Regulae pro novo Collegio, seu Seminario hujusmodi confectae, illaeque ipsis Cardinalibus, ut ab iis confirmarentur, exhibitae fuerunt tenoris, ut sequitur, videlicet: « Regulae, et provisiones pro novo Collegio, seu Seminario Minorum Observantium erecto in Conventu S. Bartholomaei in Insula ejusdem Ordinis a Sacra Congregatione Generali de Propaganda Fide confirmandae ».

I. Cum a Congregatione particulari habita die duodecima Septembr. MDCCIX. resolutum fuerit esse destinandum locum, seu dormitorium in dicto Conventu pro duodecim Religiosis expediendis ad loca Sancta, et respective ad alias Missiones, et Pater Coelestinus a Mediolano Vice-Commissarius Generalis assignaverit Dormitorium, e conspectu Palatii Dominorum de Sabellis continens duodecim cellas, et alias contiguas pro Lectoribus juxta numerum inferius praefigendum, confirmanda videtur dicta assignatio, et ponenda in principio Dormitorii, vel in loco aptiori inscriptio:

Collegium, seu Seminarium pro Missionibus Sanctorum, et aliorum locorum.

II. Ut Missionum munus, quod vere Apostolicum est, per viros undequaque idoneos omni cura, et fervore, ac cum fructu exerceatur, incumbat Superior Generalis eligere Religiosos Regulari disciplina, probitate morum, ac zelo Gloriae Dei praeditos, et ad animarum salutem eximia caritate accensos, qui veluti candelabra super Montium jugis sita, ad tenebras tam infidelitatis, quam haereseos pro viribus dissolvendas sint apti, quique nec minores sint annis vigintiquinque, nec trigesimoquinto majores, exceptis tamen lectoribus Jubilatis, et sexennalibus Sacrae Theologiae ad has Missiones divinitus vocatis, dummodo tamen quadragesimum annum non excedant, robusta quoque corporis valetudine polleant ad jugiter laborandum in vinea Domini, et quidem indistincte, tam pro locis Terrae Sanctae, quam pro aliis Missionibus: Theologiae pariter cursum expleverint, ac Lectores, seu Concionatores fuerint, aut saltem in Morali Theologia bene versati, illosque non ex sola Italia, sed ex omnibus Provinciis advocare curet, et plures etiam ex una Provincia, dummodo sic electi praedictas habeant qualitates, moneatque insuper Provinciales, Guardianos, aliosque, si opus fuerit, Religiosos, ne accedere volentes ullo modo retrahant, et contra tales dissuadentes, ac male consulentes, poenas comminetur privationis vocis activae, et passivae, aliasque arbitrio Sacrae Congregationis.

III. In ipso ingressu singuli exercitia spiritualia peragant per decem, aut saltem octo dies, cum omne donum perfectum desursum sit, descendens a Patre luminum, et deinde immediate in manibus dicti Patris Superioris Generalis Cismontani, aut, eo absente, alterius ab eo deputandi, juramentum juxta infrascriptam formulam praestent, illudque ad Sacram Congregationem transmittatur. Formula juramenti talis est.

Ego Frater N. professus in Conventu N. Provinciae N. Ordinis S. Franc. de Observantia, juro, et promitto in manibus Paternitatis vestrae Reverendiss. N. sive Superioris Delegati, me ab hoc Seminario non discessurum, neque discedere procuraturum, mediate, vel immediate per interpositam Personam, nisi ex legitima causa admittenda a Paternitate vestra Reverendissima, vel a vestris Successoribus canonice intrantibus, et non alias, Insuper pro Fidei Catholicae propagandae causa, ac salute infidelium procuranda ad loca Terrae Sanctae, aut aliam quamcumque Provinciam, vel Regnum, sine aliqua repugnantia, et exceptione, quandocumque iturum, et ad illam partem ex dictis locis, aut Provinciis, ad quam a Paternitate Vestra Reverendissima ero destinatus, et missus; Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia: Ego N. N. affirmo, ut supra, manu propria.

IV. In dicto Seminario permaneant spatio duorum annorum, et non ultra, nisi fortasse cum aliquo ob insignis spem profectus, vel ex alia legitima causa censuerint Lectores protrahendam esse moram ad triennium, idque cum dispensatione in scriptis Patris Superioris Generalis Cismontani, et Sacrae Congregationis.

V. In omnibus Collegiales subsint, prout etiam Lectores, obedientiae Guardiani, et Superiorum Ordinis respective, sicut ceteri Fratres, et Lectores de Familia, ac de iis habeatur, dum in Seminario permanserit, eadem ratio, ac si hujus Provinciae Fratres essent, tum circa praecedentiam juxta susceptionem habitus, cum hac tamen declaratione respectu Lectorum Jubilatorum, et Sexennalium, ut dum actu sunt Collegiales, praecedentia, et praeeminentiis ipsis competentibus secundum statuta Ordinis fruantur; et si Sexennales in propria Provincia locum non haberent, sint immediate post ultimum aggregatum de numero; Tum etiam circa reliqua eorum Religiosis necessitatibus convenientia, exceptis his, quae sequuntur hoc modo, nempe vestiarium cuique ex dictis studentibus subministretur a singulis respective eorum Provinciis, juxta morem in Religione observatum, ac practicatum erga alios studentes. Quo vero ad Lectores actu legentes, Vestiarium subministretur ex pecuniis Terrae Sanctae, mediante Syndico Apostolico, eisdemque Lectoribus, prout etiam sex studentibus ex eisdem pecuniis subministrentur ceterae, quae in Religione vocantur necessitates. Quo vero ad alios sex, subministrentur a Guardiano dicti Conventus, et Dominus Secretarius Sacrae Congregationis supplicabit Sanctissimo pro eleemosyna Missarum in dicta Ecclesia S. Bartholomaei celebrandarum pro sex ad minus dictorum Religiosorum, ne pro habenda dicta eleemosyna, ad alias Ecclesias divagentur.

VI. Duo semper in hoc Seminario ad minus pro nunc adsint Lectores, alter controversiarum, et alter pro lingua Arabica; et si possibile sit, addatur tertius, pro lingua Illyrica, et remittitur prudentiae Patris Superioris Generalis Cismontani invenire lectorem, qui utramque ex dictis linguis calleat, et non admittantur nisi praevio examine, et confirmatione Sacrae Congregationis, iisdemque serio injungatur sedulitas, et assiduitas in lectionibus, repetitionibus, et exercitiis, ac dicti Lectores dum actu legunt, habeant praecedentiam modo, quo sequitur, nempe Lector Controversiarum, si fuerit lector Jubilatus de non numero, inter lectores Jubilatos de numero ultimo tamen loco; si fuerit solum sexennalis, omnes Ex-Definitores: Lectores linguae Arabae, si fuerint Jubilati, vel sexennales, eo modo, quo lector Controversiarum; si tantum instituti Lectores Theologi, inter Ex-Definitores juxta antiquitatem habitus: si non sint Lectores Theologi, et trigesimum annum compleverint, immediate post Vicarium; si non compleverint trigesimum annum, inter Lectores artium cum praerogativis secundum morem, et statuta

Ordinis respective competentibus praecedant, incedant, et potiantur.

VII. Praefatus lector Controversiarum binas ad minus singulis hebdomadis tradat in scriptis lectiones utiles locis Terrae Sanctae, ac aliis respective locis, ubi Religio Missiones habeat, et post Vesperas earumdem agat conferentiam, frequentibusque exercitiis studentes instituat, singulis vero mensibus traditae doctrinae disputationes habeantur intervenientibus etiam aliis Lectoribus, et Religiosis ejusdem Conventus. Alii autem Lectores linguarum ter in hebdomada legant, et rerum, quas docuerint, repetitionem a studentibus exigant singulis diebus, quibus legere tenentur, per horam post Vesperas auditores suo exercendo.

VIII. Prohibetur aeque Lectoribus, ac studentibus, diebus Lectionum a Conventu egredi quacumque de causa, nisi expletis integre lectionibus, ac exercitiis ea die, qua fieri debebunt, ut in hoc Guardianus diligenter incumbat, et si Theses eadem die habeantur, si ita expediens videbitur, absolute licentiam denegat.

IX. Interdicitur pariter aeque Lectoribus, ac Collegialibus quadragesimalium concionum cursus aggredi, et solummodo permittatur studentibus sermonem aliquem, aut concionem interdum infra annum habere ob aliquam occurrentem Festivitatem, aut quadraginta horarum, et similiter in mensa, aut in Conventu, ad hoc ut prompti sint ad hujusmodi exercitium subeundum tempore Missionum, dummodo per id a studiis praedictis nulla penitus distractio sequatur.

X. A lectionibus, repetitionibus, ac exercitiis utriusque studii, nemo prorsus ex studentibus quocumque titulo, aut colore eximatur, aut unquam permittatur abesse, et si quis neglexerit, a Guardiano corrigatur; idemque fiat, si aliquem negligentem in exscribendis lectionibus, aut in dictis studiis desidiosum reperiat, et tam Lectores, quam Guardianus de omnibus Superiorem Generalem, ac etiam Sac. Congr. certiorent.

XI. Senis quibuscumque mensibus Theses Theologiae, seu Controversiarum Arabico, Latino, et quatenus fieri possit, Illyrico idiomate habeantur, quibus Guardianus interesse teneatur ad dignoscendum eos, qui proficiunt; et monere debeat Patrem Superiorem Generalem de iis, qui forsan studio hujusmodi minus vacaverint, ut valeant, illis submotis, alios subrogare.

XI. Curet Superior Generalis aliquem Religiosum deputare, qui ad ipsos studentes singulis mensibus magno zelo, ac fervore concionem habeat de Missionariorum muneris praestantia, deque peculiaribus eiusdem functionibus, quo Spiritus Apostolicus in eis succendatur, ac perseveret, erudianturque in iis omnibus, quae ad illud congrue, et cum Dei Gloria peragendum pertinent.

XIII. Superior Generalis Familiae Cismontanae, vel alter ab eo delegatus singulis saltem quatuor mensibus studium istud visitet, et si studentem aliquem minime proficientem invenerit, aliqua poenitentia injuncta, qua alii ab assumpto munere negligendo deterreantur, eum ad propriam Provinciam redire jubeat, et eamdem Sacram Congregationem de remotione moneat, aliumque in remoti locum quamprimum subroget. Ultra vero praefatam Patris Superioris Generalis visitationem, Secretarius itidem Sacrae Congregationis idem Collegium bis visitet in anno absque Superiorum interventu, ut liberius queat statum, et necessitates Collegii exponere; adhibito secum dumtaxat aliquo Arabicae linguae perito, per quem possit alumnos examinare, et de eorum progressu certiorare.

XIV. Singulis diebus Dominicis, et aliis festivis de praecepto, praefati Collegiales in loco per Superiorem Cismontanum in Conventu destinando post Vesperas serio, et cum opportunis observationibus explicent Religiosis Sacerdotibus, Clericis, et Laicis Catechismum Romanum, unusquisque turnarie continuet per mensem, quousque compleatur, et deinde de novo per ordinem incipiatur, ad hoc, ut aptiores evadant, tempore, quo in Missionibus permansuri erunt.

XV. Completo biennio, singuli Collegiales, juxta Decretum die tertia Octobris MDCCVII. emanatum, in Congregatione coram Sanctitate sua examinentur, praesente quoque Eminentissimo Protectore Ordinis, qui cum Superiore Generali eligat illos ad Sancta loca mittendos, et alios pro ceteris Missionibus eidem Eminentissimo benevisis, et referre dignabitur Sacrae Congregationi, et si nullus tunc temporis in promptu sit Terrae Sanctae, vel Missionis locus, aut saltem non pro omnibus Collegialibus, a Patre Superiore Generali destinentur, ut inferius, in aliquibus Conventibus, quousque advenerit occasio juxta indigentiam, et opportunitatem transmittendi, et Sacram Congregationem certioret, et si aliquis ad locum destinatum renueret, aut accedere negligeret, arbitrio Sacrae Congregationis plectatur, et advenientibus novis Collegialibus, praemissis exercitiis spiritualibus, factoque juramento, illud ad Sacram Congregatione transmittat.

XVI. Ut autem dicti Ordinis Collegiales aliquo etiam temporali praemio alliciantur, animosque libentius intendant ad Sacrum Missionum Ministerium, ac consequenter studiis praefatis, veluti ad Missiones ipsas directis, infra dicendis privilegiis gaudeant, et potiantur.

XVII. Donec completo studio sese obtulerit occasio ad loca Sancta, vel alias Missiones accedendi, Pater Superior Generalis illos ad proprias revocet, collocetque in aliquo principali Provinciae Conventu iisdem grato, ex quo ipso Generali Superiore Cismontano inconsulto, dimoveri nequeant.

XVIII. Iis vero, qui in Missione aliqua Praefecti munere per sexennium laudabiliter perfuncti fuerint, liceat in reditu aliquem ex principalibus propriae Provinciae Conventibus sibi deligere, ac

inter Lectores Jubilatos de numero praecedentiam habere juxta antiqnitatem institutionis, cum omnibus praeeminentiis per Constitutionem san. mem. Urbani VIII. concessis: et si jam iidem Praefecti fuerint Lectores Jubilati instituti, sive de numero sive de non numero, potiantur praecedentia, et loco immediato ad ultimum Ex-Ministrum Provincialem in propria Provincia, nec non praeeminentiis eorumdem Ex-Ministrorum Provincialium in propria Provincia, ac si officio Ministeriatus hujusmodi functi fuissent.

XIX. Liceat pariter iis, qui laudabiliter duodecim annorum spatio Sacrae Congregationi in Missionibus, vel in locis Sanctis inservierint, post reditum unum ex principalibus propriae Provinciae Conventibus sibi deligere, eorumque locus sit (si jam non fuerint instituti Lectores Jubilati, vel Lectores sexennales) immediate post actuales Definitores supra quoscumque alios; si vero jam fuerint instituti Lectores Jubilati, vel Sexennales, et inservierint, ut supra, per octo annos post reditum ad propriam Provinciam, potiantur praecedentia, et praeeminentiis Lectoribus Jubilatis de numero concessis, servando inter se anterioritatem institutionis; Et si discedentes ex Missionibus pro negotiis earumdem Missionum ad Urbem se conferant de licentia Sac. Congregationis, maneant in dicto Conventu S. Bartolomaei si commode recipi possint, vel in alio Conventu B. Mariae de Aracoeli, et interim habeantur, ac si essent de Familia, quousque per Sacram Congregationem expediantur.

XX. Utque similiter tam Lectores Controversiarum, quam Lectores, seu Magistri linguarum, qui laudabiliter, et cum approbatione Patris Superioris Generalis Cismontani in praedictis se gesserint, aliquod praemium pro eorum laboribus consequantur, conceditur, ut si Lectores Jubilati de non numero per quadriennium, sexennales per octennium, et Lectores Theologi tantum instituti per decennium legerint; non instituti vero Teologi, linguas per quinquennium docuerint, redeuntes ad propriam Provinciam, potiantur eadem praecedentia, et praeeminentiis, quibus gaudent Lectores Jubilati de numero, servata pariter inter eos anterioritate institutionis.

XXI. Studeat Superior Generalis Cismontanus deputare Procuratorem pro Missionibus, qui vel in Sancti Bartholomaei, vel in Aracoelitano Conventibus commoretur, et unum socium gratum habeat, qui in gerendis negotiis Missionum eum coadjuvet, et petita solita benedictione a Superiore locali, e Conventu exeat, qui quidem Procurator, vel per sexennium completum fuerit Praefectus, aut Officialis locorum Terrae Sanctae, vel per decennium Missionarius, aut servitio Terrae Sanctae per idem tempus permanserit. In his omnibus Sacra Congregatio conscientiam Superiorum Ordinis Familiae Cismontanae oneratam esse voluit, eorumque arbitrio reliquit Regulas (supradictis tamen firmis remanentibus) tum exactam regularem disciplinam, tum studiorum Praefectum respicientes, et per eamdem Sacram Congregationem approbandas.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, memorati Cardinales, facta sibi per dilectum Filium Secretarium praedictae Congregationis omnium, et singularum Regularum hujusmodi distincta relatione, unanimi consensu illas approbantes, confirmandas esse censuerint: Hinc est, quod Nos inviolabili earumdem Regularum robori, et efficaciae providere volentes, supplicationibus eorumdem Cardinalium Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, easdem praeinsertas Regulas cum omnibus, et singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

§. 4. Decernentes, easdem praesentes Litteras, ac Regulas hujusmodi, semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore; suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, praefati Conventus S. Bartolomaei, et illius Ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, et usibus, privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Januarii 1710. Pontificatus nostri anno decimo ».

P. Oliverius.

32 *Concessio Indulgentiae Plenariae Missionariis Ord. Min. de Observantia, et Christifidelibus, ad quos missi fuerint.*

INNOCENTIUS PAPA XII.

Universis Christifidelibus praesentes Litteras inspecturis salutem, et Apostolicam benedictionem.

« Coelestium munerum Thesauros, quorum dispensatores esse Nos voluit Altissimus, libenter iis impertimur, quos pro sua in Deum, et proximos caritate, et Christianae Religionis zelo animarum salutem omni studio procurare intelligimus. Quo in genere cum Fratres Minores Ordinis Sancti Francisci de observantia babeamus, eosque in primis, quos Dilecti Filii eorumdem Fratrum Superiores ob hanc causam hoc ipso, et consequentibus annis in diversas Provincias Christianae Reipublicae mittere constituerunt; Nos sane eorumdem Fratrum pietatem, ac operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, religionem, et devotionem spiritualibus gratiis confovere, atque augere cupientes, Supplicationibus dilecti filii Matthaei a Sancto Stephano Dicti Ordinis Ministri Generalis Nobis super boc bumiliter porrectis inclinati, piamque illius deliberationem, quantum cum Domino possumus, promovere volentes, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, et singulis Fratribus dicti Ordinis tam Reformatis, quam non Reformatis, Ministro Generali ejusdem Ordinis subjectis, ad Missiones in quibusvis locis de Ordinariorum licentia respectiva exercendas in futurum mittendis (ubi tamen non erunt Missionarii congregationis de propaganda Fide), et aliis utriusque Sexus Christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, nostram, et Apostolicam benedictionem per praesentes impertimur: Nec non iisdem vere poenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui pro Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, Principum Christianorum unione, Infidelium conversione, haeresum extirpatione, prout unicuique suggerat devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino auctoritate Apostolica tenore praesentium pro una vice dumtaxat pro unaquaque Missione de Ordinariorum locorum licentia respectiva facienda concedimus, et elargimur. Hortantes Venerabiles Fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, et alios Ecclesiarum Praelatos, et Rectores, ac verbi Dei Praedicatores, ut in suis quisque Ecclesiis, cum populus frequentior fuerit, praesentes Litteras, et omnia in eis contenta publicent, et publicari faciant, ac omnem eisdem fratribus, tam Reformatis, quam non Reformatis, favorem, et auxilium in praemissis praestent: Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae ».

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XX. Aug. MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Nono.

J. F. CARDINALIS ALBANUS.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De Privilegio personali, tum de reali, de quo frequenter in Foro disputari solet, non male paulo latius hic agitur. 33

Personale Privilegium dicitur, quod Personae concessum, cum ea extinguitur, nec ad heredes transit. Reale vero, quod rei cohaeret, et ad heredes, aliosque successores transmittitur; *L.* 3. §. 1. *L.* 4. §. 3. *ff. de censib. L.* 4. *ff. de Jur. Immunitat. L.* 7. §. 1. *ff. de except. L.* 196. *ff. de Regul. Jur.* 34

At privilegium personale non est tantum, quod uni certae personae datur, sed et quod uni generi certarum personarum lege generali conceditur. Sic quondam Pupillis pro administratione tutelae, Uxori pro recuperatione dotis, privilegium inter Tutorum, ac Maritorum creditores tributum, ipsis solis, non item heredibus praelationem tribuebat; *L.* 19. *ff. de reb. Auctor. Jud. possid. L. unic. C. de privileg. Dot.* §. *Fuerat.* 29. *Instit. de Action.* Pariter solis Maritis conventis de dote, uti et caeteris, quibus competentiae beneficium a Lege datum, id ipsum prodest, nequaquam beredibus; *L. Maritum, et L. seq. ff. solut. matrim. L.* 24. §. 1. *et L. seq. ff. de re Judic. Leg.* 7. *princip. ff. de except.* Reale quoque privilegium non rei, seu caussae tantum singulari, sed et generaliter conceditur. Actioni enim judicati contra condemnatos intentandae privilegium dilationis quatuor mensium additum est, non ipsis solummodo condemnatis, sed et heredibus, at aliis in locum eorum succedentibus profuturum; *L.* 29. *ff. de re Judic.* et actioni funerariae cohaerens privilegium religionis favore, non funeranti tantum, sed et heredi ejus agenti utile est. 35 36 37 38 39 40

Privilegium personale uti ad heredes non transit, ita nec cessione juris, aut actionis in aliam personam transferri potest; idque quia hac ratione personam egrederetur contra concedentis intentionem; *L.* 42. *ff. de Admin. et peric. Tutor.* Contra reale privilegium cessione transit; *L.* 68. *de Reg. Jur.* Licetque fortassis extra materiam privilegiorum non universaliter verum sit illud, omne, quod ad heredes transire valet, etiam posse cessione transferri; tamen quum reale privilegium dicatur ex eo, quod rei, seu causae ipsi adsit, at insit, aequum est, ut quemadmodum ipsa causa, seu 41 42

actio recte ceditur, ita et inhaerens ei privilegium cedendo censeatur translatum; Confer Anton. Matth. *de Auction. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 3. *et seq.*
43 Quod si de concesso privilegio non satis constet, utrum personale, an reale sit, illud ex onerosa, vel gratuita concessione dijudicari oportere censent Gail. *l.* 2. *observ.* 2. *n.* 13. *et seq.* Ant.
44 Matthaei *de Auction. lib.* 2. *c.* 7. *nu.* 50. sic ut gratis datum, putent in dubio personale; ex con-
45 tractu oneroso impetratum, reale esse. At quum causa onerosa impedire haud debeat restrictionem ejus, quod odiosum est, maxime si per modum privilegii concessum sit, ac gratuitam concessionem non raro praecedant benemerita, Principis benevolentiam non minus provocantia, quam ex contractu numeratum pretium; ideo inspiciendum potius, utrum in privilegio id comprehensum sit, quod est favorabile, et publicam utilitatem, et jus tertii non laedit, an contra odiosum in praejudicium Reipublicae, aut juris tertio quaesiti, datum. Priori casu Privilegium personale, posteriori vero reale censendum est; Zoes. *in commentar. ad*
Pandect. lib. 1. *tit.* 4. *num.* 18. Consule etiam 46
Enenkel *de Privileg. l.* 3. *c.* 1. *num.* 25. Klock. *de contrib. c.* 16. *num.* 51. *et seq.* Mev. *part.* 5. *dec.* 182. *n.* 8. Christin. *vol.* 5. *dec.* 47. *nu.* 37.
Negandum vero haud est, quod ex variis perso- 47
narum, rerumque circumstantiis aliis, utrum privilegium personale, an reale sit, quandoque sit judicandum, uti id pluribus tractant Menoch. *de praesumpt. l.* 3. *praesumpt.* 103. Klock. *de contribut. c.* 16. *num.* 75. *et sequent.*

ARTICULUS II.

QUO AD EA, QUÆ CONCERNUNT PRIVILEGIORUM CONFIRMATIONEM, EXTENSIONEM, ET INTERPRETATIONEM.

SUMMARIUM

1. Confirmatio privilegiorum quid sit? — 2. Confirmatio est duplex; una in forma communi, seu simplici, et ordinaria, et alia in forma speciali, seu ex certa scientia. — 3. Confirmatio in forma communi, seu simplici, et ordinaria quae sit? — 4. Confirmatio in forma communi nullum Jus novum tribuit. — 5. Confirmatio in forma speciali, seu ex certa scientia quae sit — 6. Unde cognoscatur, confirmationem esse factam in forma speciali, et non solum in forma communi. — 7. Confirmatio privilegiorum alia censetur utilis, et alia inutilis — Quae censetur confirmatio utilis? — 9. Quae censcatur inutilis? — 10 Regularium privilegia pluries sunt a Summis Pontificibus concessa, innovata, et confirmata, non tantum in forma communi, sed etiam in forma speciali, et sic non confirmatione inutili, sed confirmatione utili. — 11. Et hoc clare patet ex plurimis Constitutionibus, et concessionibus Pontificiis favore signanter Fratrum Minorum emanatis. — 12 Ex quibus colligitur privilegia Fratrum Minorum etiam nunc valere, quibusdam exceptis. — 13. Idem dicendum est de Privilegiis aliorum Regularium. — 14. Dum privilegia saepius confirmantur, et in una Bulla confirmatoria quaedam omittuntur, quae in alia ponuntur, non censentur esse revocata, quae fuerunt omissa. — 15. Quomodo sit intelligenda clausula: *Quatenus, vel Dummodo sint in usu.* — 16. Quomodo clausula: *Dummodo Sacris Canonibus, et Decretis Concilii Tridentini non adversentur.* — 17. Per clausulam: *Dummodo Decretis Concilii Tridentini non adversentur*, secundum aliquos Classicos Doctores a confirmatione eximuntur illa dumtaxat privilegia, quae a Concilio Tridentino expresse sunt revocata. — 18. Quomodo intelligatur clausula: *Quatenus, vel Dummodo non sint revocata*, vel *sub aliqua revocatione comprehensa?* — 19. Extensio, et interpretatio privilegiorum est duplex, una proprie dicta, quae dicitur *extensiva*, *seu* interpretatio *per extensionem*: Alia improprie dicta, quae dicitur *comprehensiva*, seu interpretatio *per comprehensionem.* — 20 Interpretatio *per extensionem*, seu *extensio extensiva* quae sit? — 21. Interpretatio *per comprehensionem*, seu *extensio comprehensiva* quae sit? — 22. Interpretatio alia est auctoritativa, seu Authentica, et alia Doctrinalis, seu Magisterialis, et quae utraque sit? — 23. Interpretatio privilegiorum Authentica, seu Auctoritativa fieri potest a solo concedente privilegium, vel ejus Successore, aut Superiore. — 24 Interpretatio Doctrinalis, et Magisterialis potest fieri etiam a Doctoribus, et Magistris, aliisque viris doctis, et in Jure versatis. — 25. Ubi verba sunt clara, nulla admittitur interpretatio. — 26. Privilegium non est extendendum ab una persona, cui concessum est, ad aliam non expressam; Nec ab uno casu ad alium. — 27. Privilegia, quae non sunt contra Jus commune, sed solum praeter, vel ultra Jus, nec cedunt in praejudicium alterius, sunt late interpretanda. — 28. Privilegia autem, quae sunt contra Jus commune, et cedunt in praejudicium alterius, sunt stricte interpretanda — 29. Alia ad rem, *ad n.* 34. — 35. Subnectuntur Addit ex alien. man. *ad n.* 43.

1 Confirmatio, seu innovatio Privilegiorum est *Privilegii prius legitime habiti per legitimum Superiorem facta corroboratio.* Est in re Communis.
2 Confirmatio est duplex, una in forma communi, seu simplici, et ordinaria, et alia in forma
3 speciali, seu ex certa scientia: *Communis.* Confirmatio *in forma communi*, quae et confirmatio simplex, et ordinaria appellatur, ea est, qua Jus, seu Privilegium, prout hic et nunc reperitur, non praecedente alia cognitione causae, corroboratur, seu confirmatur, relinquendo ipsum in eodem statu, in quo prius fuerat: *Communis*, per textus mox adducendos. Notanter autem additur: *Relinquendo ipsum in eodem statu, in quo prius fuerat*; Quia
Confirmatio in forma communi nullum Jus novum, 4

neque valorem tribuit illi, cui accedit, sed supponit Privilegium jam validum, approbatque illud sicuti reperitur validum; nec tamen facit Privilegium de novo validum, si prius reperiebatur invalidum, ut clare habetur *ex cap. Cum dilecta* 4. *de confirmatione utili, vel inutili*, ubi Pontifex in simili confirmatione sic loquitur: « Nolentes, quod ex innovatione hujusmodi novum Jus Monasterio acquiratur, sed antiquum (si quod habet) per innovationem Privilegii conservetur »; *et cap. Quia diversitatem* 5. *de concession. praeben.* ubi sic dicitur: « Non obstante confirmatione a Sede Apostolica obtenta sub forma communi, quae confirmat Beneficia, et Praebendas, sicuti juste, et pacifice possidentur, et concordat id, quod habetur *in capit. Praeceptis* 2. *dist.* 12. ibi: « Non novum aliquid praesenti jussione praecipimus, sed illa, quae olim videntur indulta, confirmamus ».

5 Confirmatio *in forma speciali*, seu *ex certa scientia* ea est, quae fit cum perfecta notitia totius negotii, seu Privilegii, et omnium circumstantiarum, novumque Jus tribuit, ita ut non solum valida corroboret, sed insuper, revalidet, et de novo concedat *Privilegia* etiam revocata; *Communis, argum. cap. Sicut grave* 1. *de transactionibus*; Et ratio est clara, quia confirmatio in forma speciali, seu ex certa scientia non est nuda, et simplex confirmatio, sed potius est in re, et effectu nova concessio, adeoque vim habet Privilegia ceteroquin nulla, et invalida reddendi valida.

6 Quod confirmatio facta sit in forma speciali, et non solum in forma communi, colligitur ex variis signis, videlicet si in ipsa confirmatione apponatur clausula *Ex certa scientia*, seu clausula *Ex plenitudine potestatis*, aut clausula *Non obstante quacumque Lege, consuetudine in contrarium*, vel clausula *Supplentes omnes Juris, et facti defectus*, seu clausula *Sublata etc.* aut in Litteris confirmationis inseratur tenor totius Privilegii, aut Instrumenti. *Sic passim doctores.*

7 Confirmatio Privilegiorum alia censetur utilis,
8 et alia inutilis. *Communis.* Confirmatio utilis tunc censetur, quando est valida, et tali Judex inferior nequit contravenire, nec de ea judicare potest; *cap. Si quis* 1. *et cap. De confirmationibus* 2. *de*
9 *confirmatione utili, vel inutili.* Confirmatio inutilis tunc censetur, quando ipsa nullius est valoris, ut si obreptitie, vel subreptitie fuit obtenta, narrato scilicet falso, aut suppresso, et rejecto vero, quod de Jure exprimi debuisset; *cap. Bonae memoriae* 3. *cap. Ad nostram* 5. *capit. Porrecta* 6. *et capit. Examinata* 7. *de confirmatione utili, vel inutili, et cap. Super Litteris* 20. *de Rescriptis*, cum similibus.

10 Regularium Privilegia pluries sunt a Summis Pontificibus concessa, innovata, et confirmata, non tantum in forma communi, sed etiam in forma speciali, seu ex certa scientia, et sic non confirmatione inutili, ut patet ex variis Summorum Pontificum Constitutionibus, et signanter editis pro nostro Ordine Minorum, quas ad 120. enumerat, et initiative adducit una cum aliis favorabilibus Decretis Benedict. XIII. Constitut. incip. *Summe decet.*

Et ad haec habentur plurimae aliae Pontificiae 11
concessiones, innovationes, confirmationes, ampliationes, et extensiones, et communicationes in nostro Compendio privilegiorum Fratrum Minorum, omni cum debita reverentia, et obedientia erga S. Sedem juxta Dec. Concilii Tridentini, et aliarum Constitutionum reformato, et sic reformato edito, adeout nullum in illo reperiatur Privilegium a Concilio Tridentino, vel aliqua Constitutione usque ad Clementem VIII. (sub quo reformatum fuit) renovatum, seu abrogatum, ut testantur Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 33. *num.* 235. Kazenberger *loc. cit. sub num.* 441. *vers. Quantum ad privilegia.*

Unde ex his colligitur, quod Privilegia nostra 12
etiam per communicationem cum aliis tam Mendicantibus, quam non Mendicantibus, vel alia ratione nobis competentia omnino adhuc valere, et firma subsistere, solis illis exceptis, quae Constitutionibus Apostolicis post allegatas Bullas, et dictum reformatum Privilegiorum compendium emanatis expresse fuere derogata, et quae Sacri Conc. Tridentini Decretis, aut Regularibus nostri Ordinis Institutis adversantur. Sic expresse Reiffenstuel *loc. cit. num.* 87. Kazenberger *loc. cit. num.* 441. et alii.

Idem dicendum est de Privilegiis aliorum Re- 13
gularium a variis Summis Pontificibus eis concessis, confirmatis, et communicatis, et in Pontificiis Constitutionibus, atque in suorum Privilegiorum reformatis compendiis contentis.

Dum Privilegia saepius confirmantur, et in una 14
Bulla confirmatoria quaedam omittuntur, quae in alia ponuntur, non censentur esse revocata, quae fuerunt omissa, sed relinquuntur in suo vigore, quem pro tunc habent; Unde plene adhuc valent, nisi sint revocata ab aliqua posteriore Constitutione, aut Sacris Canonibus, et Decretis Concil. Tridentini adversentur: Pontifex enim per Constitutiones confirmatorias non intendit, nec solet aliqua Privilegia revocare, nisi id exprimat: *Communis.*

Clausula: *Quatenus*, vel, *Dummodo sint in usu* 15
(quae in Constitutionibus confirmatoriis Privilegiorum solet apponi) significat, quod Papa nolit de novo confirmare, seu confirmando de novo revalidare illa Privilegia, quae per non usum, vel usum contrarium jam cessarunt, seu amissa fuere, et consequenter non amplius sunt in usu: Sic Donatus *tom.* 1. *part.* 1. *tr.* 11. *q.* 13. Rodriq. *tom.* 1. *qu. Regular. q.* 8. *art.* 3. Peyrin. *in declarat. privileg. Ordin. Minimor. tom.* 2. *Constit.* 1. *Gregorii XIII. num* 1. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 108. et alii passim.

Clausula: *Dummodo Sacris Canonibus, et De-* 16
cretis Concilii Tridentini non adversentur, facit

solum hunc sensum; *Dummodo Sacris Canonibus Concilii Tridentini, et Decretis Concilii Tridentini non adversentur*; Non enim per illa verba *Sacris Canonibus*, intelliguntur Sacri Canones in Corpore Juris clausi, seu contenti, alias nulla, et otiosa, sibique contradictoria esset omnis confirmatio Privilegiorum, cum omnia Regularium Privilegia proprie dicta adversentur Juri communi: Privilegium enim dicitur Lex privata contra, vel praeter Jus aliquid concedens; *cap. Privilegia* 3. *dist.* 3. *c. Abbates* 25. *de verb. signification.* Et sic illam clausulam intelligit Communis Doctorum, teste Reiffenstuel *loc. c. n.* 113. (*)

17 Per clausulam: *Dummodo Decretis Concilii Tridentini non adversentur*, Reiffenstuel *loc. cit. nu.* 116. *et. n.* 139. *usque ad* 146. cum Suarez, Miranda, Rodriquez ibi citatis, et pluribus rationibus adductis, contrariisque argumentis solutis, dicit, et docet, quod probabilissime a confirmatione eximuntur illa dumtaxat Privilegia, quae a Concilio Tridentino sunt revocata, qualia sunt omnia, quae contraria sunt Decretis *sess.* 25. *de Regularibus*, sicut, et illa, quae adversantur praecedentium Sessionum Decretis positis cum clausula, *Non obstantibus privilegiis*, seu alia simili clausula privilegiorum derogatoria, seu revocatoria. Alia vero Privilegia, quae contraria sunt Decretis aliarum Sessionum (excepta dicta *sess.* 25. *de Regularibus*) et clausulam Privilegiorum derogatoriam expressam non habentibus, docet non censeri revocata ab eodem Concilio, nec eximi a confirmatione per illam clausulam: *Dummodo Decretis Concilii Tridentini non adversentur*. Vide ipsum *loc. cit.* ubi multa ad rem. Vide tamen dicta infra *n.* 31. (*).

18 Clausula: *Quatenus*, vel *Dummodo non sint revocata*, vel *sub aliqua revocatione comprehensa*, significat aperte, quod Pontifex nolit confirmare illa Privilegia, quae per Legem, Constitutionem, vel Decretum generale, aut speciale, expresse, vel tacite fuerunt revocata, et de novo non amplius concessa, vel confirmata: *Communis, ac certa.*

19 Extensio, et Interpretatio Privilegiorum est duplex, una proprie dicta, quam aliqui *extensivam* vocant; et alia improprie dicta, seu *comprehensiva*: Seu ut loquitur Fagnanus in *c. Quod nonnullis* 25. *de privileg. num.* 26. *et* 28. duplex est interpretatio, una per *extensionem*, seu *extensiva*, et alia per *comprehensionem*, seu *comprehensiva.*

20 Interpretatio *per extensionem*, seu interpr. *extensiva* est illa, per quam Legis alicujus decisio transfertur, seu extenditur ad alium casum, vel personas, tam ultra verba Legis, quam ultra mentem Legislatoris, quamvis non contra mentem ipsius, *arg. cap. Cum dilecta* 4. §. *Nos igitur*, *de confirmation. utili, vel inutili.*

Interpretatio per *comprehensionem*, et Declarationem, seu *extensio comprehensiva* est illa, quae fit ultra verba Legis, sed non ultra mentem Legislatoris; Et haec tunc intervenit, quando decisio Legis transfertur, seu extenditur ad alium casum, seu personam non comprehensam sub verbis Legis, comprehensam tamen sub mente Legislatoris, juxta quod *l. Scire oportet* 13. §. 2. *De excusationibus*, dicitur: *Sed etsi maxime verba Legis hunc habeant intellectum, tamen mens Legislatoris aliud vult*: Interpretatio enim potius menti, quam verbis Legis convenire debet. *cap. Humanae aures* 11. *caus.* 22. *quaest.* 5. ibi: *Non debet aliquis verba considerare* (intellige nude, et simpliciter) *sed voluntatem, et intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni.* Unde *l. Scire* 16. *ff. De legibus* dicitur: *Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim, ac potestatem*; *et cap. Certum est* 88. *de Regulis Juris* in 6. expresse habetur: « Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem ». Idem dicitur *in l.* « Nun dubium est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem ». 21

Interpretatio, alia est *Auctoritativa*, seu *Authentica*, vel *Definitiva*, ac *Judicialis*, et alia *Doctrinalis*, seu *Magisterialis*. Prima est illa, quae fit a Principe privilegium concedente, seu ejus Successore, et ipsi standum est, tam in, quam extra Judicium, *arg. l. Inter aequitatem* 1. *l. leges* 9. *l. Si imperialis* 12 *Cod. De legibus*, ibi: « Si enim in praesenti leges condere soli Imperatori concessum est, et leges interpretari solo dignum Imperio esse oportet », juncto ejus Summario, in quo praecise dicitur: *Ejus est legem interpretari, cujus est condere*; *et capit. Inter alia* 31. *de sententia excomm.* ibi: *Unde Jus prodiit, interpretatio quoque procedat.* Secunda, scilicet *Doctrinalis*, seu *Magisterialis* est illa, quae a Magistris, seu Doctoribus dari potest, et solet *l. Unic. Cod. De Professoribus Urbis Constantinopolit.* 22

Hinc Interpretatio Privilegiorum *Authentica*, seu *Auctoritativa*, vel *definitiva*, ac *judicialis* fieri potest a solo Concedente Privilegium, vel ejus Successore, seu Superiore, *arg. cit. l. Inter aequitatem* 1. *l. leges* 9. *l. Si imperiali* 12. *Cod. De legibus*, *cap. Cum venissent.* 12. *de judiciis*, ibi: « Cum super privilegiis Sedis Apostolicae causa vertatur, nolumus de ipsis per alios judicari », juncto ejus Summario, ibi: « Solus Papa cognoscit de dubiis Privilegiorum Apostolicae Sedis, et 23

(1) E. R. Nimis deflectit a sensu istorum verborum: *Dummodo Sacris Canonibus, et Decretis Concilii Tridentini non adversetur*, explicatio ab Auctore tradita. Canones Tridentini Fidem dumtaxat spectant. Numquid praesumendum est Pontificem concedere valle privilegium fidei contrarium? Igitur verba illa: *Sacris canonibus*, denotant Canones in corpore juris contentos, quibus Papa derogare minime intendit per privilegiorum confirmationem, nisi alias privilegium aliquod speciale concesserit ipsis contrarium.

(*) E. R. Nota. Haec opinio Regularibus nimium indulget, proptereaque non videtur in omnibus probanda.

non inferior » : et concordat *citat. cap. Inter alia* 31. *de sentent. excomm.* Interpretatio autem *Doc-*
24 *trinalis*, seu *Magisterialis* Privilegiorum potest fieri etiam a Doctoribus, seu Magistris, aliisque viris doctis, et in Jure versatis, *cit. l. Unic. Cod. de Professoribus Urbis Constantinopolit.* quae tamen interpretatio probabilitatem dumtaxat affert, non autem necessitatem, sicuti prima *Auctoritativa*, seu *Authentica*, vel *Definitiva*, ac *judicialis*.

25 Ubi verba sunt clara, nulla admittitur interpretatio; *l. Licet imperator*, *ff. De legatis* 1. *et l. Ille, aut illa*, *ff. de legatis* nI. *cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis*, *cap. Porro* 7. *de Privileg.* ibi: « Quod totum inspectione Privilegiorum suorum plenius advertere potes, et secundum quod inveneris, ita observes »; *capit. Recepimus* 8. *eod.* ibi: « Inspicienda sunt ergo Privilegia, et ipsorum tenor est diligentius attendendus ». Unde Glossa communiter recepta *in capit. Cum dilectus.* 8. *de consuetudin verb. Nec juri communi in fine*, sic expresse habet: « Ubi verba non sunt ambigua, non est locus Interpretationi, sed ubi sunt dubia, necessaria est interpretatio.

26 Privilegium non est extendendum ab una persona, cui concessum est, ad aliam non expressam, et sic nec ab uno casu ad alium: *Communis*, per text. *in cap. Sane* 9. *de Privileg.* ibi: « Temerarium est, et indignum, aliquem sibi sua auctoritate praesumere, quod Romana Ecclesia alicui, certa ratione inspecta, singularibus voluit beneficiis indulgere, *et cap. Quod alicui* 74. *de Reg. juris in* 6. ibi: « Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum »: Rota recent. *part.* 13. *decis.* 70. *num.* 43. *part.* 14. *dec.* 238. *num.* 12. *part.* 18. *tom.* 2. *dec.* 741. *num.* 10. et saepe alibi.

27 Privilegia, quae non sunt contra Jus commune, sed solum praeter, vel ultra Jus, nec cedunt in praejudicium alterius, cum sint merae gratiae, seu beneficia Principis, sunt late interpretanda: *Communis*, per text. *in c. Cum olim* 16. *de verbor. significat.* ubi dicitur: *Cum beneficia Principum sint interpretanda latissime*, *et l. Beneficium* 3. *ff. de Constitutionib. Princip.* ibi: « Beneficium Imperatoris, quod a Divina scilicet ejus Indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpetrari debemus «; *cap. Quia circa* 22. *de Privileg.* ibi: « Ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda »; *cap. Odia* 15. *de Regul. juris in* 6. ibi: « Odia restringi, et favores convenit ampliari ».

28 Privilegia autem, quae sunt contra Jus commune, et quae cedunt in praejudicium alterius, sunt stricte interpretanda: *Comm.:* Et quidem quoad primam partem ratio est clara, quia omnis recessus a Jure communi censetur odiosus, *cap. Is qui* 1. *et cap. Si quis* 2. *de filiis Presbyt.* in 6. Odiosa autem sunt restringenda, *cap. Odia* 15. *de Reg. juris in* 6. ibi: *Odia restringi, et favores convenit ampliari*, *et cap. Quae a jure* 28. *de Reg. juris in* 6. ibi: « Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda ». Quoad secundam autem partem clare desumitur *ex cap. Super eo* 15. *de Officio Delegati*, ibi: « Non tamen est nostrae intentionis Dioecesano Episcopo praejudicium generare »; et concordant *cap. Licet* 12. *de Offic. Ordinar. cap Cum Capella* 16. *cap. Pastoralis* 19. *et cap. Dudum* 31. *de privileg.* juncta Glossa, et DD. inde inferentibus, quod Pontifex nullius Juri intendat derogare, nisi fortasse hoc expresserit, adeoque Privilegium cedens in praejudicium alterius, si in ipso aliud non sit expressum, est stricte interpretandum.

Privilegia non attenduntur, nisi de eorum ve- 29
ritate doceatur: Bened. XIV. tom. 2. Constitut.
incip. *Causarum*. Privilegia Regularium a Grego- 30
rio XIII. redacta fuerunt ad terminos juris: Idem
Constitut. 27. incip. *Impositi Nobis*. Privilegia re- 31
cipiendi Ordines a quocumque abolita fuerunt in Concilio Tridentino, ideoque, nisi post confirmationem ipsius Concilii ex integro concessa fuerint, minime suffragantur: Idem Constitut. 40. incip. *Causarum*. Vide tom. V. verb. *Ordo, Ordinare*. Art. 3. et add. Cas. ibi.

Privilegia honoris non inducunt exemptionem 32
ab Ordinaria Episcopi jurisdictione: Idem Consti-
tut. 40. incip. *Causarum*. Privilegium, ne locus, 33
aut personae Ecclesiasticis Censuris subjiciantur sine mandato Sedis Apostolicae, non probat loci, aut personarum exemptionem ab Ordinaria Epis-
copi jurisdictione: Idem *ib.* Hujusmodi privilegia, 34
praeterquam Regibus, Reginis, eorumque Filiis, aut Ordinibus Regularibus universim concessa ad Ordinariorum sententias, et processus non extenduntur: Idem. *ib.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Valde interest dignoscere, utrum confirmatio 35
privilegii facta sit in *forma communi*, an in *forma specifica*. Duas inter alias solent Doctores afferre conjecturas, quibus confirmationem in *forma specifica* esse credunt.

Prima est, si tenor privilegii confirmationis fue- 36
rit insertus, quod colligitur ex *c.* 8. *de confirmat,*
util. vel inutil. At Bohemer. *in decretal. lib.* 2. 37
tit. 30. §. 4. *et seq.* postquam ostendere conatus est, textum hunc minime primam hanc conjecturam suppeditare. « In privilegiis (*ait*) ubique praxis obtinet, ut confirmationibus tenor privilegiorum plene inseratur, unde tamen majorem vim haud accipiunt, Insertio siquidem privilegiorum docet scientiam ejus confirmantem habuisse, est quod certam, et solidam scientiam habuerit, inde non liquet, quam aliter habere nequit, nisi matura, plena, et solida causae cognitio, et dubiorum
excussio deliberata accesserit». Quidquid vero di- 38
cat Bohemer. confirmatio in forma specifica dicenda est semper ac totus tenor privilegii confirmati fuit confirmationi insertus, ut probat Rot. *cor. Coccin. decis.* 1573. *a numer* 15. *ad plur.*

seq. cor. **Falconer.** *decis.* **9.** *nu.* **24.** *de Offic. Ordinar. et Territ. separat.*

39 Altera est, si confirmationi apposita sit clausula: « Ex certa scientia, *vel* ex plenitudine potestatis, *vel* non obstante quacumque lege, statuto, et
40 consuetudine, quae sint in contrarium ». Hanc vero conjecturam ab *Auctore* traditam *nu.* 6. non male rejiciunt inter alios, Bohemer. *in Decretal. lib.* 21. *tit.* 39. §. 6. *et seq.* Stryk. *juridic. dissert.*
41 *vol.* 1. *disp.* 2. *cap.* 1. §. 5. idque quia clausulae hodie plerumque fere apponuntur potius de stylo, quam ea mente, ut singulare quid ex Principis intentione operari debeant.

42 Praecipua autem differentia confirmationem *in forma communi* inter, et confirmationem in *forma specifica* quod attinet ad privilegia, est, quod ex illa probatum haud remanet ipsum privilegium confirmatum, ex hac vero privilegium confirmatum remanet probatum; Stryck. *juridic. dissert. vol.* 11. *disp.* 2. *c.* 1. §. 28.

De interpetratione privilegiorum, de qua pari- 43
ter in hoc articulo agit Auctor, consule Stryck. *Juridicar. dissertat. volum.* 4. *disp.* 24. *de privilegiorum interpretatione*, qui septem integris capitulis materiam hanc tractat, et quidem accuratissime. Primo enim capitulo agit *de sensu Rubricae*, secundo, *de Privilegiorum interprete*, tertio, *de modo interpretandi privilegia in genere*, quarto, *de authentica*, *et in specie de simplici Privilegiorum interpretatione*, quinto, *de extensiva privilegiorum interpretatione*, sexto, *de respectiva Privilegiorum interpretatione*, et septimo, *de correctiva Privilegiorum interpretatione.*

ARTICULUS III.

QUOAD EA, QUAE CONCERNUNT MODOS, QUIBUS PRIVILEGIA CESSANT, SEU AMITTUNTUR.

SUMMARIUM

1 Privilegium singulariter personale cessat per mortem personae privilegiatae. — 2. Non cessat tamen privilegium per mortem, seu depositionem ab Officio ipsius privilegiatis, seu concedentis privilegium absolute, et sine limitatione. — 3. Si autem privilegium non sit absolute, et sine limitatione concessum, sed cum aliqua conditione, aut limitatione ad certum tempus, dicendo v. g. *usque ad beneplacitum nostrum*, tunc ipso facto cessat per mortem concedentis. — 4. Si vero privilegium concessum sit sub clausula *usque ad beneplacitum Sedis Apostolicae*, aut hujusmodi, durat perpetuo, nisi a Concedente, vel ipsius Successore revocetur, neque cessat morte ipsius Concedentis. — 5. Item non cessat morte Concedentis privilegium concessum sub Clausula: *Donec revocavero.* — 6 Privilegium reale cessat, et extinguitur, extincta re, cui inhaeret. — 7. Intellige tamen, si ipsa res privilegiata extinguatur sine spe restitutionis. — 8. Si autem res privilegiata extinguatur cum spe restitutionis, tunc conservantur omnia ejus privilegia, et Jura. — 9. Sed tamen cum hoc discrimine, quod si privilegia, seu jura sint concessa ipsi loco, seu pavimento, eique adhaereant, tunc semper remanent, et conservantur. — 10. Si vero privilegia loci sint concessa principaliter ipsi Ædificio, aut Ecclesiae, Altari, et hujusmodi; Tunc vel privilegia sunt talia, ut eorum usus praecise requirat illum locum; Et hoc casu quamvis privilegia illa non omnino extinguantur, suspenduntur tamen, donec reaedificetur talis Ecclesia, seu tale Altare. — 11. Vel privilegia sunt talia, ut etiam extra illum locum exerceri possint, et tunc privilegia nequidam suspenduntur pro illo tempore — 12. Sic si Superioris auctoritate Ecclesia, Monasterium, seu Conventus, Civitas, vel Oppidum transferantur ad alium locum, vel alteri uniantur, tunc non cessant ejus privilegia. — 13. Privilegium cessat etiam, et perditur per abusum. — 14. Privilegium autem non semper ipso Jure, et facto amittitur per abusum, sed per sententiam, et revocationem est auferendum, nisi in Jure aliud exprimatur. — 15. Privilegium revocari potest saltem per sententiam, si incipit cedere in grave praejudicium aliorum, seu Communitatis. — 16. Privilegium cessat etiam cessante caussa, ob quam datum est. — 17 Hoc tamen intelligendum est solummodo de caussa finali, non autem de caussa dumtaxat impulsiva. — 18. Item est hoc intelligendum solum de privilegio, quod *derogat Juri communi, vel alterius tertii;* Secus autem est de privilegio *praeter*, vel *ultra Jus commune.* — 19. Privilegium cessat etiam lapsu temporis, ad quod dumtaxat fuit concessum, et restrictum. — 20. Idem dicendum est de Privilegio concesso sub conditione. — 21. Privilegium cessat etiam per renunciationem liberam, et expressam alicujus personae particularis, si in ejus solius favorem sit privilegium concessum. — 22. Si autem privilegium sit principaliter concessum in favorem alicujus Communitatis, dignitatis, vel Loci, non potest ei renunciari a personis particularibus illius Communitatis, vel Loci. — 23. Unde Clerici, nec volentes possunt renunciare privilegio *Fori.* — 24. Neque possunt renunciare privilegio *Canonis.* — 25. Item nec Religiosi possunt renunciare privilegiis suae Religioni concessis. — 26. Possunt tamen Praelati Regulares limitare, restringere, immo etiam tollere suis subditis usum quorumcumque privilegiorum, etiam a Sede Apostolica concessorum, ita ut nequeant talibus privilegiis uti. — 27. Sic tota potest aliqua Communitas renunciare privilegio sibi concesso, quod eidem, vel non est utile, vel est indifferens. — 28. Secus autem, si talis renunciatio cederet in praejudicium Ecclesiae, vel Communitatis, in quo casu etiam unus solus de Capitulo contradicens impedire potest renunciationem. — 29. Si vero privilegium incipiat esse nocivum, per se cessat, ita ut observari non debeat. — 30 Privilegia *affirmativa* concessa cum gravamine aliorum amittuntur *per non usum* via praescriptionis, *si interim fuit occasio utendi privilegio, et tamen eo usus non fuerit Privilegiatus scienter, sponte, ac voluntarie, et per tempus requisitum ad Praescriptionem pro qualitate Privilegiorum.* — 31. Unde ad id requiritur, quod privilegiatus habuerit occasionem utendi privilegio. — 32. Item, quod habuerit notitiam illius — 33 Item, quod sponte, ac voluntarie, idest sine ulla coactione, aut impedimento illo uti omiserit. — 34. Et hoc per tempus requisitum ad praescriptionem pro qualitate privilegiorum respectiva cujusvis privilegii in specie ad instar cujusvis respective in specie rei, Juris, actionis, et servitutis. — 35. Privilegia *affirmativa*, quae sunt merae gratiae, atque in nullius gravamen cedunt, *per merum non usum*, numquam amittuntur. — 36. Similiter per eamdem rationem privilegia *negativa* mere gratiosa nun-

quam amittuntur *per usum contrarium*. — 37. E contra autem privilegia *negativa* cum onere alicruio concessa amitti possunt *per usum contrarium*. — 38. Ut dicta privilegia *negativa* amittantur *per usum contrarium*, requiritur tantum temporis, quantum requiritur ad praescriptionem. — 39. Privilegium cessat, seu amittitur per revocationem Concedentis, Successoris, vel Superioris. — 40. Revocatio privilegiorum est duplex, una expressa, et alia tacita. — 41 Revocatio expressa subdividitur in generalem, et specialem, et quae sit utraque? — 42. Revocatio generalis alia est communis, et alia extraordinaria, et quae sit utraque — 43 Per clausulam communem generalem: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis*, in posteriore privilegio positam absque alia expressa, et specifica mentione non revocantur privilegia clausa in corpore Juris, et certis personis concessa. — 44 Per dictam clausulam communem generalem: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis*, nec revocantur privilegia extra corpus Juris existentia, si fuerint concessa cum clausula, quod revocata non censeantur, nisi expresse eorum mentio fiat. — 45. Dicta tamen privilegia revocata censentur per clausulam: *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis sub quacumque verborum forma concessis*. Vel sic, *Etiamsi de verbo ad verbum deberet de ipsis fieri mentio*, et hujusmodi. — 46. Per nullam ex praedictis clausulis generalibus censentur revocata privilegia per modum Contractus concessa, vel remunerationem meritorum, et obsequiorum praestitorum, nisi saltem in genere addatur clausula: *Etiamsi per modum contractus fuerint concessa; Vel etiam meritorum intuitu*. — 47. Tacita privilegii revocatio quomodo fiat? — 48. Circa tacitam privilegiorum revocationem traduntur communiter sequentes Regulae; et assignatur prima. — 49. Assignatur secunda. — 50. Assignatur tertia. — 51. Privilegium mere gratiosum subdito concessum potest ex justa caussa revocari a Concedente, vel ejus Successore, seu Superiore valide, et licite; Sine justa caussa autem valide quidem, sed illicite. — 52 Si autem privilegium mere gratiosum sit concessum non subdito, nequit amplius revocari. — 53. Hinc privilegia, quae Imperatores, aliique Principes concesserunt Ecclesiis, nequeunt amplius revocari. — 54. Privilegia remuneratoria, vel per modum pacti, seu Contractus onerosi concessa etiam subdito nequeunt amplius revocari, nisi ex gravi caussa spectante ad bonum commune, et cum compensatione aliqua Juris ablati. — 55. Privilegia Regularium non sunt omnia a Conc. Tridentino revocata, sed plurima ab eodem sunt confirmata. — 56. Omnia, et singula privilegia Regularium ante Concilium Tridentinum eis concessa, quae adversantur Decretis in sess. 25. *de Regularibus, et Monialibus*, sunt revocata ab eodem Concilio. — 57. Item revocata sunt privilegia illa Regularium ante Tridentinum eis concessa, quae adversantur praecedentium Sessionum Decretis habentibus supradictam, vel similem clausulam privilegiorum revocatoriam: *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis* etc. — 58. An revocata censeantur non solum illa Regularium privilegia, quae adversantur alicui ex Decretis Conc. Tridentini *cit. sess.* 25. *de Regularibus*, vel alicui ex Decretis praecedentium sessionum habentibus supradictam expressam clausulam privilegiorum revocatoriam: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis*, sed illa quoque, quae adversantur Decretis aliarum Sessionum (excepta dicta *sess.* 25. *de Regularibus*), et clausulam privilegiorum revocatoriam expressam non habentibus — 59. Regulares non possunt nec in foro conscientiae, uti suis privilegiis, quae sunt expresse revocata a Concilio Tridentino. — 60 Immo Regulares non possunt in foro conscientiae uti suis privilegiis a Concilio Tridentino expresse revocatis, nec in locis, ubi Tridentinum Concil. non est receptum. — 61. Nec secundum communiorem sententiam possunt Regulares in foro conscientiae uti suis privilegiis solum implicite a Tridentino revocatis. — 62. Quamvis multa Regularium privilegia, tam per Concilium Tridentinum, tum per varias Pontificias Constitutiones fuerint vere revocata, adhuc tamen multa, et plurima alia existunt, quae non sunt revocata. — 63. Alia de Privilegiis. *remissive*. — 64. Affertur Constitutio Clem. XII. sedulo attendenda, per quam moderantur nonnulla Regul. et Mendicantibus a Bened XIII. concessa. — 65. Subnect. add. ex al. man. *ad* n. 74.

1 Privilegium singulariter personale cessat per mortem personae privilegiatae: *Communis* per text. *in c. privilegium* 7. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona*, et concordat *l. In omnibus causis* 68. *et l. Privilegia quaedam* 196. *ff. de Regul. Jur.*

2 Nec cessat tamen Privilegium per mortem, seu depositionem ab officio ipsius Privilegiantis, seu concedentis Privilegium absolute, et sine limitatione; Regula enim generalis est, et communiter recepta, quod Gratia, uti est Privilegium, absolute concessa, et acceptata non cesset per mortem, aut depositionem ab Officio ipsius Concedentis, *cap. Si super Gratia* 9. *de Officio Jud. Delegat. in* 6. *et cap. Si cui de praebend. in* 6.

3 Si autem Privilegium non sit absolute, et sine limitatione concessum, sed cum aliqua conditione, aut limitatione ad certum tempus, dicendo v. g. *Usque ad beneplacitum nostrum*, tunc ipso facto cessat per mortem Concedentis; per mortem enim Concedentis omnino etiam extinguitur ipsius beneplacitum: *Communis*, textu expresso *in c. Si gratiose* 5. *de Rescriptis in* 6. ibi: « Hujusmodi Gratia per ejus obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipso expirat ».

4 Si vero Privilegium concessum sit sub clausula: *Usque ad beneplacitum Sedis Apostolicae*, aut hujusmodi, durat perpetuo, nisi a Concedente, vel ipsius Successore revocetur, neque cessat morte ipsius Concedentis: *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Si gratiose* 5. *de Rescriptis in* 6. ibi: « Secus autem, si usque ad Apostolicae Sedis beneplacitum Gratia concedatur praedicta; Tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a Successore fuerit revocata ».

5 Item non cessat morte Concedentis Privilegium concessum sub clausula: *Donec revocavero*; Suarez *lib.* 8. *de Legibus cap.* 32. *num.* 2. *et seq.* Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 11. post Navarrum, Covarruviam, et alios, Pirhing *lib.* 5. *Decretal. tit.* 33. *num.* 172. Reiffenstuel *ib. nu.* 170. *et lib.* 1. *Decret. tit.* 3. *num.* 262. ubi testatur de communi, Barbosa *clausula* 53. *num.* 12. Menochius *de arbitr. Judic. lib.* 1. *quaest.* 63. *n.* 12. citans Communem aliorum contra Bartolum.

Et ratio est, quia ad revocationem requiritur actus novus positivus contrarius, qualis non habetur per solam mortem Concedentis; Nam, ut recte argumentatur Menochius *consil.* 360. *num.* 9. cum aliis, aliud est voluntatem cessare, et aliud eam revocare; Voluntatis cessatio fit per mortem, quia morte finitur voluntas hominis; *l. Locatio* 4. *ff. Locati*; Voluntatis vero revocatio requirit factum quoddam, nempe expressionem ipsius revocationis.

6 Privilegium reale cessat, et extinguitur extincta re, cui inhaeret: *Communis*, per text. *in c. Accessorium* 42. *de Regul. Juris in* 6. ibi: Accessorium naturam sequi congruit principalis ».

7 Intellige tamen cum hac distinctione, nempe quod Privilegium reale cesset per extinctionem rei, cui inhaeret, si ipsa res privilegiata extinguatur sine spe restitutionis, prout contingit, si res, Ecclesia, vel alius locus destruatur Superioris auctoritate absque ulla spe restitutionis, aut reparationis; Tunc enim extinguuntur etiam, et perduntur omnia privilegia ei cohaerentia, tamquam sublata in perpetuum a fundamento, cui inhaerent, nec amplius dici possunt illius Ecclesiae Clerici, aut illius Oppidi Cives, vel Municipes, ut colligitur *ex cap. Placuit* 26. *dist.* 1. *de consecrat. et cap. Et hoc diximus* 9. *caus.* 16. *q.* 7. Sic Glossa communiter recepta *in cap. Privilegium* 7. *de Reg. Jur. in* 6. Pirhing *loc. cit. num.* 198. Reiffenst. *loc. cit. num.* 171. *et* 172. *et Communis aliorum*.

8 Si autem res privilegiata extinguatur cum spe restitutionis, prout contingit, si res, Ecclesia, vel alius locus ab hostibus destruatur, aut occupetur, seu casu fortuito comburatur cum spe refectionis, aut reaedificationis, tunc conservantur omnia ejus Privilegia, et Jura, ut colligitur *ex cap. Pastoralis* 24. *caus.* 7. *quaest.* 1. *et cap. Quae semel* 4.
9 *caus.* 19. *quaest.* 3. Sed tamen cum hoc discrimine, quod, si Privilegia, seu Jura sint concessa ipsi loco, seu pavimento, eique adhaereant, ut est Consecratio, et Benedictio loci sacri, et privilegia inde provenientia, nempe quod locus ille non possit vendi, nec converti in usus profanos, et hujusmodi, tunc semper remaneant, et conservantur, quia eorum fundamentum non est destructum, *l. Æde Sacra* 73. *ff. de contrahenda emptione*, ibi: *Æde Sacra terraemotu diruta, locus Ædificii non est profanus*; Reiffenstuel *loc. cit. num.* 173. Pirhing *loc. cit. num.* 199. Suarez *lib.* 8. *de Legibus cap.* 6. *num.* 6. et alii passim.

10 Si vero Privilegia loci sint concessa principaliter ipsi aedificio, aut Ecclesiae, Altari, et hujusmodi, tunc, vel Privilegia sunt talia, ut eorum usus praecise requirat illum locum v. g. ut intra talem Ecclesiam, seu ad tale Altare fiat, ut Indulgentia concessa visitantibus talem Ecclesiam, Indultum pro celebrantibus ad tale Altare privilegiatum; et hoc casu, quamvis Privilegia illa non omnino extinguantur, suspenduntur tamen, donec reaedificetur talis Ecclesia, seu tale Altare; *arg. cap. Pastoralis* 24. *caus.* 7. *quaest.* 1. *et leg. Cum loca* 36. *ff. de Religios. et sumptib. funer.* Pirhing *loc. cit. num.* 199. Reiffenstuel *loc. cit. nu.* 164. Suarez *loc. cit. num.* 6. Zoesius *lib.* 5. *Decretal. tit.* 13. *de privileg. num.* 53. et alii communiter.

Vel Privilegia sunt talia, ut etiam extra illum lo- 11
cum, v. gr. extra illam Ecclesiam alibi exerceri possint, et tunc Privilegia ne quidem suspenduntur, pro illo tempore, quia manent in personis, quae uti possunt talibus Privilegiis loci; Sic Episcopus, vel Canonicus alicujus Ecclesiae occupatae, vel destructae ab infidelibus, seu Haereticis adhuc retinet denominationem ab illa Ecclesia, quamvis extra illam resideat, et gaudet Privilegiis ipsi concessis ratione Episcopatus, vel Canonicatus talis loci, ut patet de Episcopo Gebennensi, seu Genevensi, qui cum suis Canonicis fruitur titulo, et Privilegiis Ecclesiae Gebennensis, seu Genevensis, quamvis cum ipsis resideat Annesii in Sabaudia, et sic de aliis; Pirhing *loc. cit. num.* 199. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 175. Suarez *loc. cit. num.* 6. et alii passim.

Sic si Superioris auctoritate Ecclesia, Monaste- 12
rium, seu Conventus, Civitas, vel Oppidum transferatur ad alium locum, vel alteri uniatur, tunc non cessant ejus privilegia, sed una cum Ecclesia, Monasterio, seu Conventu, Civitate, vel Oppidu transferuntur, quando non sunt concessa ratione situs; sed directe ipsi Ecclesiae, Monasterio, seu Conventui, Civitati, vel Oppido, ejusque nomine; colligitur *ex cap. Et temporis* 48. *et cap. Postquam* 49. *caus.* 16. *q.* 1. *et cap. Quia Monasterium* 2. *de Religiosis Domibus*; Ita Glossa communiter recepta *in cit. cap. Privilegium de Regul. Juris in* 6. Pirhing *loc. cit. n.* 168. Suar. *loc. cit. n.* 4. *et seq.* Azorius *part.* 1. *l.* 5. *cap.* 22. *q.* 11. et alii communiter.

Privilegium cessat etiam, et perditur per abu- 13
sum, textu expresso *in c. Ubi ista* 7. *dist.* 84. ibi: « Nam Privilegium Dignitatis meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate: *cap. Privilegium* 63. *caus.* 11. *quaest.* 4. ibi: Privilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, et cap. *Ut Privilegia* 13. *de Privilegiis*, ibi: Quia Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate ».

Privilegium autem non semper Ipso Jure, et 14
facto amittitur per abusum, sed per sententiam, et revocationem est auferendum, nisi in Jure aliud exprimatur: Zoesius *lib.* 5. *Decret. tit.* 33. *de Privileg. num.* 38. Reiffenstuel *ibidem num.* 179. Suarez, et alii, per text. *in cit. cap. Ut Privilegia* 24. *de Privileg.* ibi: « Quaedam in eisdem Privilegiis duximus declarare, ne minus sane intellecta pertrahantur ad abusum, propter quem possint merito revocari ».

Privilegium revocari potest saltem per senten- 15
tiam, si incipit cedere in grave praejudicium aliorum, seu Communitatis: Colligitur *ex c. Sugge-*

stum 9. *de Decimis*; ubi Summarium sic expresse habet: *Revocatur Privilegium, si ex post facto incipit enormiter esse nocivum, et cap. Cum ad hoc sint* 16. *de Clericis non residentibus*, in cujus Summario sic expresse dicitur: « Si Ecclesia patitur Ministrorum defectum, Privilegiati super absentia per subtractionem proventuum redire coguntur ».

16 Privilegium cessat etiam, cessante causa, ob quam datum est: *Communis*, per textum *in cap. Cum cessante* 60. *de appellation.* ibi: *Cum cessante causa, cessat effectus.*

17 Hoc tamen intelligendum est solummodo de causa finali, quae est principalis causa Privilegii, sine qua princeps Privilegium nullo modo concessisset, et a quo valor Privilegii pendet in fieri, et conservari; non autem de causa dumtaxat impulsiva, quae secundario solum movet Principem ad concessionem Privilegii, adeoque, ipsa cessante, non cessat Privilegium, cum in ea non nitatur: Abbas *in cap. Suggestum* 9. *de Decimis. num.* 5. Suarez *lib.* 8. *de Legibus cap.* 30. *num.* 1. cum aliis ibi citatis. Reiffenst. *loc. cit. num.* 184. Pirhing *loc. cit. num.* 168. et alii passim.

18 Item est hoc intelligendum solum de Privilegio, quod *derogat Juri communi, vel alterius tertii*, ad cujus etiam conservationem requiritur causa: Secus autem est de Privilegio *praeter*, vel *ultra Jus commune*, seu quod continet merum beneficium Principis; et ad sui conservationem non requirit aliam causam praeter liberalem Principis concessionem; Tale enim Privilegium perseverat, etiamsi causa, ob quam concessum fuit, cessaverit; Suarez *loc. cit. num.* 169. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 185. Zoesius *loc. cit. num.* 32. et alii per text. *in cap. Decret.* 16. *de Regul. Juris in* 6. ibi: « Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum »; juncta Glossa *ib. verb. Decet*, cum pluribus Juribus ab ipsa adductis.

19 Privilegium cessat etiam lapsu temporis, ad quod dumtaxat fuit concessum, et restrictum, quod verificatur solummodo in Privilegio temporali, et non in perpetuo: *Communis, arg. cap.*
20 *De causis* 4. *de Offic. Judic. Delegat.* Idem dicendum est de Privilegio concesso sub conditione. Nam ipsum est solum concessum pro tanto tempore, quanto duraverit ipsa conditio, adeoque, cessante conditione, cessat etiam Privilegium, cum sit finitum tempus, pro quo fuit concessum: *Communis*

21 Privilegium cessat etiam per renunciationem liberam, et expressam alicujus personae particularis, si in ejus solius favorem sit Privilegium concessum: *Communis*, textu expresso *in cap. Si de terra* 6. *de Privilegiis*, ibi: *Cum liberum sit unicuique Juri suo renunciare, et l. Si quis* 29. *Cod de pactis*, ibi: « Regula est Juris antiqui, omnes licentiam habere, iis, quae pro se introducta sunt, renunciare ».

22 Si autem Privilegium sit principaliter concessum in favorem alicujus Communitatis, Dignitatis, Loci, v. g. Civitatis, Ecclesiae, vel Monasterii, non potest ei renunciari a personis particularibus illius Communitatis, vel Loci: *Communis*, textu expresso *in cap. Si diligenti* 12. *de Foro competent.* ibi: « Cum non sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest ».

Unde Clerici nec volentes possunt renunciare 23 Privilegio fori: *Communis*, per text. *in cit. cap. Si diligenti* 12. *de Foro compet.* Neque possunt re- 24 nunciare Privilegio *Canonis*: *Communis*, textu expresso *in cap. Contingit* 36. *de sententia excommun.* ibi: « Cum ille Canon. non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem ordinis clericalis fuerit promulgatus ».

Item nec Religiosi possunt renunciare Privile- 25 giis suae Religioni concessis, ut Privilegio exemptionis, sine consensu Papae, qui eos ab aliorum Ordinariorum jurisdictione exemit, et suae gubernationi, ac protectioni immediatae subjecit; *arg. cap. Cum tempore* 5. *de Arbitrio n.* 2. Suarez *lib.* 8. *de Legibus cap.* 53. *n.* 2. Pirhing *loc. cit. nu.* 174. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 193.

Possunt tamen Praelati Regulares limitare, re- 26 stringere, immo etiam tollere suis subditis usum quorumcumque Privilegiorum etiam a Sede Apostolica concessorum, ita ut nequeant talibus Privilegiis uti; Sic concessit Leo X. Minoribus, et Augustinianis, Clemens VII. Cisterciensibus, et Gregorius XIII. Societati Jesu: *Compend. privilegior. Mendicant. verb. Privilegia Fratrum* §. 26. Miranda *in Manual. tom.* 2. *quaest.* 43. *art.* 4. Rodriquez *tom.* 1. *quaest. Regular. qu.* 9. *art.* 2. Tamburin. *de Jure Abbatum tom.* 1. *disput.* 16. *quaest.* 9. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 199. *et* 200. Lezana *in Summa qu. Regular. tom.* 2. *cap.* 18. *num.* 56. et alii; et ad hoc faciunt *cap. Cum accessissent* 8. *de Constitutionibus, cap. Per illorum* 22. *de Praebend.* Et ad hoc locum habet Regula, quod favori suo ij, quibus competit, renunciare possunt; *arg. l. Si quis* 39. *Cod. de pactis, c. Si de terra* 6 *de Privilegiis*; Et quod nemo beneficio sibi concesso uti cogitur; *arg. l. Invito, ff. de Regul. Jur.*

Sic potest tota aliqua Communitas, v. g. Civi- 27 tas, Praelatus cum Capitulo, et hujusmodi renunciare Privilegio sic concesso, quod eidem vel non est utile, vel est indifferens; *per citat. cap. Cum accessissent* 8. *de Constitutionibus, cap. pro illorum* 22. *de Praebend. cap. Si de terra* 6. *de privileg. l. Si quis* 19. *Cod. de pactis, l. Invito, ff. de Regul. Juri.*

Secus autem, si talis renunciatio cederet in prae- 28 judicium Ecclesiae, vel Communitatis, in quo casu etiam unus solus de Capitulo contradicens impedire potest renunciationem: Innocent. *in cap. Accedentibus* 15. *de privilegiis*, et Glossator, Abbas, Alexander de Nevo *ibidem in additionibus*, Pirhing

loc. cit. n. 174. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 196. et alii passim.

29 Si vero Privilegium incipiat esse nocivum, per se cessat, ita ut observari non debeat: *Communis*, per text. *in cap. Quod ob gratiam* 61. *de Regul. Juris in* 6. ibi: « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum ».

30 Privilegia *affirmativa* concessa cum gravamine aliorum, v. gr. exigendi Decimas, imponendi Tributum, et hujusmodi, amittuntur *per non usum* vin Praescriptionis, si interim fuit occasio utendi privilegio, et tamen eo usus non fuerit Privilegiatus « scienter, sponte, ac voluntarie, et per tempus requisitum ad praescriptionem pro qualitate privilegiorum »: *Communis*, per text. *in cap. Cum super* 23. *de Offic. Delegat.* ibi: Cum noluerit, quod potuerit, *et leg. Nundinis* 1. *ff. de Nundinis* ibi: « Nundinis impetratis a principe non utendo, qui meruit, decennii tempore usum amittit »: *et cap. Si de terra* 6. *de Privileg.* ibi: « De privilegio tamen induito tanto tempore vobis detrahere voluistis, cum liberum sit unicuique suo Juri renunciare, eoque modo non potestis vos in hac parte tueri ».

31 Dicitur tamen notanter; *Si interim fuit occasio utendi Privilegio, et tamen eo usus non fuerit Privilegiatus*, quia si occasio utendi Privilegio nunquam se offerat, per *non usum* non amittitur, quamvis per mille annos nullus exerceatur usus Privilegii: *Communis*, *arg. l. Et Atilicinus*, *ff. de servitut. Rust. praedior.*

32 Item notanter dicitur *scienter*, quod quis sciat se habere tale Privilegium, et tamen, oblata sibi favorabili occasione, eo uti omittat; Quia qui ignorat se habere tale Privilegium, illud non amittit, si eo uti omittat: *Communis*, *arg. l. Is qui usumfructum* 20. *ff. Quibus modis ususfructus, vel usus amittitur.*

33 Item notanter dicitur *sponte*, *ac voluntarie*, quia si quis violenter, aut ob infirmitatem, vel absentiam *ab usu* impeditur, Privilegium non amittit: *Communis* cum Glossa *in cap. Ut privilegia* 24. *de privilegiis*, *verb. Semel in anno.*

34 Item notanter dicitur; « Et per tempus requisitum ad praescriptionem pro qualitate Privilegiorum »; quia tempus ad Praescriptionem requisitum est varium pro diversitate rerum, Jurium, Actionum, et Servitutum, ut patet ex dictis sub verb. *Usucapio* §. 6. Unde cum Jura, Actiones, Privilegia, et similia veniant nomine rerum immobilium, ex dictis sub *dict. verb. Usucapio* §. 5. *n.* 3. *et* 4. Et res immobiles privatorum cum titulo, et bona fide praescribantur decennio inter praesentes, et 20. annis inter absentes, ex dictis *ibidem n.* 1. sine titulo autem, sed cum bona fide praescribantur triginta annis, ex dictis *ibidem n.* 12. Et res immobiles Ecclesiae Romanae praescribantur dumtaxat spatio 100. annorum, ex dictis *ibidem n.* 12. Et res immobiles aliarum Ecclesiarum inferiorum, et aliorum locorum piorum, seu causarum piarum praescribantur spatio 40. annorum, ex dictis *ibidem n.* 15. Et res immobiles Ordinum, et Monasteriorum Regularium praescribantur sola centenaria, ex dictis *ibidem n.* 16. Sic pariformiter est discurrendum de tempore requisito ad Praescriptionem cujusvis respective Privilegii in specie. *Communis.*

Privilegia *affirmativa*, quae sunt merae Gratiae, 35
atque in nullius gravamen cadunt, v. g. celebrandi ante auroram, absolvendi, dispensandi, et hujusmodi, per *merum non usum* nunquam amittuntur; Glossa *in cap. Ut privilegia* 24 *de Privileg. verb. Semel in anno*, Engel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 22. *n.* 19. Pirhing *ibidem nu.* 176. Reiffenstuel *ibid. n.* 787. Bassaeus *verb. Privilegium* 3. *n.* 16. Suarez, Layman, Bonacina, Rodriquez, et alii passim; Et ratio est, quia *merus non usus est* actus liberae facultatis, qui non inducit praescriptionem, seu renunciationem. In facultativis enim non datur praescriptio, ex dictis sub verb. *Usucapio* §. 2. *n.* 17.

Similiter per eamdem rationem Privilegia *negativa* mere gratiosa, v. gr. non jejunandi, nunquam amittuntur *per usum contrarium*; Suarez *lib.* 8. *de Legibus cap.* 25. *n.* 22. Pontius *lib.* 8. *de Matrimonio cap.* 18. *n.* 25. Pirhing *loc. cit. n.* 183. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 212. cum communi aliorum. 36

E contra autem Privilegia *negativa* cum onere aliorum concessa, v. gr. non solvendi Decimas, seu Tributum, amitti possunt *per usum contrarium*: Suarez *loc. cit. cap.* 34. *n.* 20. *et cap.* 35. *n.* 1. *et* 2. Layman *lib.* 1. *tract.* 9. *c.* 23. *n.* 23. Pirhing *loc. cit. n.* 178. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 213. cum communi, et certa aliorum; *arg. cap. Cum accessissent* 8. *de Constitutionibus.* 37

Ut dicta Privilegia *negativa*, quae in non faciendo consistunt, et aliis onerosa sunt, ut est Privilegium immunitatis a solvendis Decimis, vel Tributis, Privilegium exemptionis a Jurisdictione Ordinarii, amittantur *per usum contrarium*, v. g. voluntarie, libere, ac sponte solvendo Decimas, vel Tributa, sistendo se Tribunali, seu Jurisdictioni Ordinarii sine protestatione, requiritur tantum temporis, quantum requiritur ad Praescriptionem, juxta dicta *supra n.* 34. 38

Privilegium cessat, seu amittitur per revocationem Concedentis, Successoris, vel Superioris: 39
Communissima Revocatio autem Privilegii duobus modis fieri potest, scilicet expresse, vel tacite; seu duplex est revocatio, una *expressa*, et alia *tacita*: *Communis*. Revocatio expressa subdi- 40
viditur in specialem, et generalem. *Specialis* est, quando istud, vel illud Privilegium in specie revocatur. *Generalis* est, quando in genere revocantur omnia privilegia alicui Constitutioni, et Decreto contraria: Sic *Doctores communiter*. Revocatio Generalis, alia est communis, et alia extraordinaria; Revocatio generalis *communis* est, quae fit per clausulam generalem communem, di- 41 42

cendo v. gr. *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis*; Ravocatio generalis *extraordinaria* est, quae fit per clausulam generalem extraordinariam, et fortiorem, dicendo v. gr. « Non obstantibus Privilegiis quibuscumque sub quacumque verborum forma concessis »; Vel sic: « Etiamsi de verbo ad verbum deberet de ipsis fieri mentio », et hujusmodi: *Communis*.

43 Per clausulam communem generalem, *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis* In posteriore Privilegio positam absque alia expressa, et specifica mentione non revocantur Privilegia clausa In corpore Juris, et certis personis concessa: *Communis*. Et ratio est, quia correctio Jurium est evitanda, quantum fieri potest, nec est facile praesumenda, nisi clare exprimatur, *arg. cap. Cum expediat, de election.* in 6. adeoque per generalem derogationem, nisi clare exprimatur, non censetur tolli jus speciale prius habens rationem specialem; Si enim hoc Princeps voluisset, expressisset, *arg cap. Inter Corporalia* 2. *de translatione Episcopi §. Sed neque istud, cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis, et cap. Quia circa* 21. *de privileg.*

44 Per dictam clausulam communem generalem, *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis*, nec revocantur Privilegia extra corpus Juris existentia, si fuerint concessa cum clausula, quod revocata non censeantur, nisi expresse eorum mentio fiat:
45 *Communis*. Dicta tamen Privilegia revocata censentur per clausulam « Non obstantibus quibuscumque Privilegiis sub quacumque verborum forma concessis »: *Vel sic* « Etiamsi de verbo ad verbum deberet de Ipsis fieri mentio »; et hujusmodi: *Communis*, et clare patet ex ipsismet verbis clausularum.

46 Per nullam ex praedictis clausulis generalibus censentur revocata Privilegia per modum contractus concessa, vel in remunerationem meritorum, et obsequiorum praestitorum, nisi saltem In genere addatur clausula: « Etiamsi per modum contractus fuerint concessa, vel etiam meritorum intuitu »: *Communis*. Et ratio est, quia talis revocatio cedit in praejudicium tertii, auferendo ei *Jus quaesitum*, adeoque non praesumitur in Principe voluntas revocandi, nisi exprimatur: Tum quia talia Privilegia ordinarie revocari non possunt, nisi ex causa gravi ad bonum publicum pertinente, adeoque revocata censeri non debent, nisi specialiter exprimatur.

47 Tacita autem Privilegii revocatio fit per actum Principis directe contrarium Privilegio, seu qui non potest subsistere, vel non habere effectum intentum sine revocatione Privilegii antea concessi; Dummodo possit praesumi eum scire Privilegium antea concessum, illiusque recordari: *Communis, arg. l. Idem Ulpianus, ff. de excusationibus Tutorum etc.*

48 Unde circa hanc etiam Privilegiorum revocationem traduntur communiter sequentes Regulae. Prima est: per Legem generalem, et quae non expresse revocat Privilegia, censentur tacite revocata Privilegia in Corpore Juris contenta; Non autem censentur revocata Privilegia extra Corpus Juris existentia, nisi eorum mentio specialis fiat. Et ratio primae partis est, quia cum Privilegia in Corpore Juris contenta pertineant ad Legem universalem, praesumitur Legislatorem ea scire, adeoque revocare Legem priorem continentem Privilegium Juris communis, quamvis in posteriore Lege non exprimat. Ratio autem secundae partis est, quia cum Privilegia extra Corpus Juris existentia contineant Jus privatum, et particulare factum, Legislator vero non praesumatur scire Jura privata, aut particularia facta, *cap. Licet* 1. *de Constitut.* in 6. sequitur aperte, quod non censeatur ea velle revocare, nisi ea exprimat.

49 Secunda Regula est: Privilegium prius concessum non tollitur, nec tacite revocatur per Privilegium posterius priori contrarium, nisi illius prioris fiat mentio specialis; Cum enim Privilegium sit Jus privatum, et particulare, praesumitur, quod Princeps concesserit Privilegium secundum ex ignorantia primi, si de illo nullam mentionem fecit; Adeoque secundum concessum privilegium censetur subreptitium, et invalidum, *argum. cap. Cum ordinem* 6. *de Rescriptis, cap. Ex parte* 12. *de Offic. Delegat. cap. Veniens* 19. *de Praescriptionibus, cap. Licet* 1. *de Constitut.* in 6. et late id declarat Glossa *in cap. Sicut* 1. *de Rescriptis, verb. Mandatum.*

50 Tertia Regula: Per sententiam latam contra Privilegium a Principe, qui potuit Privilegium concedere, non revocatur Privilegium tacite; sed potius reprobatur, idest tamquam defectuosum, seu invalidum rejicitur, et sic non tamquam prius validum aufertur, seu tacite revocatur, *arg.* c. *Suborta* 21. *de sent. et re judicat.*

51 Privilegium mere gratiosum subdito concessum potest ex justa causa revocari a Concedente, vel ejus Successore, seu Superiore valide, et licite; Sine justa autem causa valide quidem, sed illicite: *Communissima, et satis clara*, unde non indiget probatione.

52 Si autem Privilegium mere gratiosum sit concessum non subdito, nequit amplius revocari: *Communis* cum Pirhing *loc. cit. num.* 186. Suarez *lib.* 8. *de Legibus cap.* 37. *num.* 2. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 121. Et ratio est, quia, postquam Privilegium fuit acceptatum, transit in pactum, seu contractum, quo proprie dictum Jus acquiritur Privilegiato, quod non subdito auferri nequit; Tale enim Privilegium concessum non subdito, quamvis ab initio sit contractus voluntarius, ex post facto tamen est necessitatis, ut dicit Glossa *in cap. Decet* 16. *de Regul. Juris in* 6. verb. *Nota ulterius in fine*, juxta illud vulgatum: *Quod a principio est voluntatis, expost fit necessitatis; arg. l. Sicut* 5. *Cod. de obligat. et actionib.*

53 Hinc per dictam rationem Privilegia, quae Imperatores, aliique Principes concesserunt Eccle-

siis, nequeunt amplius revocari: Sic expresse Glossa in cit. *cap. Decet*, Pirhing *loc. cit. num.* 186. Reiffenst. *loc. cit.* num. 122. Layman *loc. cit. c.* 23 *num.* 25. et alii passim.

54 Privilegia remuneratoria, vel per modum pacti, seu contractus onerosi concessa etiam subdito, nequeunt amplius revocari, nisi ex gravi causa spectante ad bonum commune, et cum compensatione aliqua Juris ablati: Pirhing *loc. cit. num.* 187. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 122. Engel *loc. cit. num.* 22. Suarez *loc. cit. cap.* 37. *num.* 5. *et seq.* et alii passim; Et ratio est, quia etiam Princeps tenetur servare pacta, praesertim onerosa, inita cum subditis; *arg. cap.* 1. *de probationibus*, adeout ab eis recedere non possit, etiam de plenitudine potestatis, ut notat Fagnanus *in cap. Antigonus num.* 7. *de Pactis*. Et ratio est, quia Princeps ex pacto praesertim oneroso obligatur Jure naturali, ac Divino, cui et Papa, et Imperator subjiciuntur; Et licet ob publicam necessitatem possit rescindere contractum cum subdito initum, non tamen potest juste illum omnino privare re sua sine ulla compensatione, cum Princeps non sit absolutus Dominus rerum subditi.

55 Privilegia Regularium non sunt omnia a Concilio Tridentino revocata, sed plurima ab eodem sunt confirmata: *Communis* textu expresso in eodem Concilio *sess.* 25. *de Regular. cap.* 20. *ad finem*, ubi in plurimis Privilegia Regularium firma, et illaesa asserens, ac denuo confirmans, sic expresse habet: « In caeteris omnibus praefatorum Ordinum Privilegia, et facultates, quae ipsorum personas, loca, et Jura concernunt, firma sint, et illaesa ».

56 Omnia, et singula Privilegia Regularium ante Concilium Tridentinum eis concessa, quae adversantur Decretis *in sess.* 25 *de Regul. et Monialib.* sunt revocata ab eodem Concilio: *Communis*, per text. ejusdem Concilii *cit. sess.* 25. *de Regularibus cap.* 22. ubi ab omnibus Regularibus « omnia, et singula in superioribus Decretis contenta observari praecipit etc. « Non obstantibus eorum omnium, et singulorum Privilegiis sub quibuscumque verborum formulis conceptis, ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non Constitutionibus, et Regulis etiam juratis, atque etiam consuetudinibus, vel Praescriptionibus, etiam immemorabilibus etc. »

57 Item revocata sunt Privilegia illa Regularium ante Tridentinum eis concessa, quae adversantur praecedentium sessionum Decretis habentibus supradictam, vel similem clausulam Privilegiorum revocatoria: *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis etc. Communis*. Et ratio est, quia, ubi adest expressa clausula Privilegiorum revocatoria, de Revocatione dubitare non licet; In claris enim, et expressis non datur interpretatio, vel voluntatis conjectura, *l. Licet Imperator*, *ff. De Legatis* 1. *et l. Ille, aut Illa*, *ff. De Legatis* 3. Unde Glossa communiter recepta *in cap. Cum dilectus* 8. *de consuetudine verb. Nec Juri communi*, sic expresse habet: « Ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi, sed ubi sunt dubia, necessaria est interpratio »: et concordat *c. Ad audientiam* 12. *de Decimis*, *et cap. Porro* 7. *de privilegiis*.

An autem revocata censeantur non solum illa Regularium Privilegia, quae adversantur alicui ex Decretis Concilii Tridentini *cit. sess.* 25. *de Regularibus*, vel alicui ex Decretis praecedentium Sessionum habentibus supradictam expressam clausulam Privilegiorum revocatoriam *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis etc.* sed illa quoque, quae adversantur, seu contraria sunt Decretis aliarum Sessionum (excepta dicta *sess.* 25. *de Regularibus*) et clausulam Privilegiorum revocatoriam expressam non habentibus, ita ut per Bullas confirmatorias Privilegiorum Regularium nunquam censeantur confirmari, sed potius pro invalidis declarari per illam clausulam: « Dummodo Sacris Canonibus, et Decretis Concilii Tridentini non adversentur »? Non conveniunt Doctores; Donatus enim *tom.* 1 *part.* 1. *tract.* 11. *quaest.* 15. *a num.* 4. Peyrin. in *declarat. privilegior. tom.* 2. *in Constit.* 1. *Gregorii XIII. num.* 3. et alii, tenent sententiam affirmativam. Suarez autem *lib.* 8. *de Legibus cap.* 18. *in fine*. Rodriquez *tom.* 1. *qu. Regular. quaest.* 6. *art.* 7. Miranda *Manual. Praelat. tom.* 2. *quaest.* 8. *art.* 3. *vers. Sed alii*, et plures alii, signanterque Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 33. *a num.* 116. *ad num.* 118. *et a num.* 139 *ad* 146. defendunt sententiam negativam, dicentes, quod illa Regularium Privilegia, quae adversantur, seu contraria sunt Decretis aliarum sessionum (excepta dicta *sess.* 25. *de Regularibus*), et clausulam Privilegiorum revocatoriam expressam non habentibus, probabilissime non censentur revocata ab eodem Concilio, nec eximuntur a confirmatione per illam clausulam, *Dummodo Sacris Canonibus, et Decretis Conc. Trid. non adversentur*. Vide ipsum Reiffenstuel *loc. cit.* ubi pluribus rationibus, et Juribus adductis, contrariisque argumentis solutis, solide, et fuse hanc sententiam propugnat. 58

Regulares non possunt nec in foro conscientiae uti suis Privilegiis, quae sunt expresse revocata a Concilio Tridentino: *Communis, ac certa*; Sententia enim contraria fuit expresse damnata ab Alexandro VII. *die* 18. *Martii* 1666. propositione 36. in ordine, ibi: « Regulares possunt in foro conscientiae uti Privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum ». Immo Regulares non possunt in foro conscientiae uti suis Privilegiis a Concilio Tridentino expresse revocatis, nec in locis, ubi Tridentinum Concilium non est receptum. Sic cum aliis solide probat Viva *ad dictam propositionem* 36. *num.* 10. Qui *ibidem num.* 11. ex communiori dicit, neque posse Regulares in foro conscientiae uti suis Privilegiis solum implicite a Tridentino revocatis; 59 60 61

quia Tridentinum condendo Legem in contrarium, illam revocavit implicite; et in Bullis confirmatoriis Privilegiorum Regularium addi solet clausula illa, *Dummodo Decretis Concil. Tridentin. non adversentur*, adeoque neque iis possunt Regulares uti in foro conscientiae, quidquid in contrarium docuerit Rodriquez cum Miranda, et Portello, quos postea cum aliis sequutus est Reiffenstuel *loc. supra cit.*

62 Quamvis multa Regularium Privilegia, tum per Concilium Tridentinum, tum per varias Pontificias Constitutiones fuerint vere revocata; adhuc tamen multa, et plurima alia existunt, quae nec dicto Concilio Tridentino, nec dictis Constitutionibus Pontificiis adversantur, seu contraria sunt, et consequenter non sunt ab eis revocata, uti clare patet in Compendiis Privilegiorum Regularium recenter editis, et juxta Decreta Conc. Trident. et aliarum Pontificiarum Constitutionum reformatis, et signanter « in nostro Privilegiorum Compeodio primitus compilato ab Alphonso de Casarubios Hispano »; et postea *per Hieronymum a Sorbo* omni debita cum reverentia, et obedientia erga Sedem Apostolicam juxta Decreta Conc. Trid. et aliarum Pontificiarum Constitutionum reformato, in quo nullum Privilegium a Conc. Trident. vel aliqua Pontificia Constitutione usque ad Clementem VIII. (sub quo reformatum fuit) reperitur revocatum, et tamen plurima in illo reperiuntur Privilegia etiam nulli posteriori Constitutioni Pontificiae contraria, nec « per usum contrarium, *vel* non usum, Renunciationem, Praescriptionem », vel aliam viam amissa. Sic Reiffenstuel *loc. cit. a num* 323. Kazenbeger *loc. cit. n.* 441. et alii.

63 Alia, vide verb. *Oracula vivae vocis*, *per tot.* hic antem pro complemento tandem sit

Constitutio Clementis XII. In qua nonnullas Apostolicas Litteras Ordinibus Regularibus, et Mendicantibus a piae mem. Benedicto Papa XIII. concessa moderatur, ac reducit ad terminos juris communis, Concilii Tridentini, et Constitutionum Apostolicarum.

CLEMENS EPISCOPUS ETC.

« Romanus Pontifex, quem Caelestis Paterfamilias Vineae suae custodiendae praeposuit, diu noctuque operarios impigre in ea laborantes, circumspicit, congruam, immo amplam mercedem eis largiturus, ut Vinea, probis agricolis hoc pacto ad eam alacrius excolendam incumbentibus, uberiori proventu fructificare possit ».

« Sane fel. record. Praedecessor noster Benedictus Papa XIII. strenuas Ordinum Regularium, et Mendicantium cohortes, hanc Domini Vineam, atque Agrum Ecclesiae indesinenter colere conspicatus, ac paterno erga eos animo affectus, quo etiam Nos ipsi utique afficimur, plura eis privilegia concessit, ratus ea pari voluntate universim excipienda: Quod tamen secus evenisse, Nos ad Supremi Sacerdotii apicem, disponente Domino, evecti, aegre intelleximus; inde nimirum praeter omnem expectationem Nostram variis litibus, et controversiis exortis, ac nisi opportune occurratur, fortasse in posterum exorituris. Quare nonnullis ex hujusmodi Litteris, et Constitutionibus Apostolicis mature perpensis ad sedandos rumores propterea excitatos, mutuamque, et vere Christianam inter Episcopos, et Regulares Familias, ac etiam Seculares Ordines, et Sodalitates, publicasque Universitates benevolentiam, et pacem ubique in Ecclesia servandam, de consilio nonnullorum ex venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in hanc sententiam devenimus, ut subsequentibus Litteris, et Constitutionibus eodem Pontifice Benedicto sedente vulgatis, moderationem aliquam auctoritate nostra adhibendam esse decerneremus. Litterae vero ipsae, et constitutiones Ordinibus Regularibus pridem concessae hae sunt ».

« Editae IV. Idus Dec. an. MDCCXXV. quae incipiunt: *Paterna* ».

« Aliae IX. Kal. Jun. an. MDCCXXVI. quae incipiunt *Ratio Apostolici ministerii* ».

« Aliae 3. Nonas Julias ejusdem anni, quae incipiunt: *Singularis devotio* ».

Aliae VIII Augusti ejusdem anni, quae incipiunt: *Exponi nobis nuper fecerunt* ».

« Aliae Kalendis Septembris ejusdem anni, quae incipiunt: *Vitae, et morum integritas* ».

« Aliae Kal. Jan. anni MDCCXXVII. quae incipiunt: *Libenter* ».

« Aliae V. nonas Martias ejusdem anni, quae incipiunt: *Loca Sancta* ».

« Aliae Kalendis Aprilis ejusdem anni, quae incipiunt: *Ex quo Sedes* ».

« Aliae V. Nonas Aprilis ejusdem anni, quae incipiunt: *Summe decet* ».

« Aliae VII. Kal Junias ejusdem anni, quae incipiunt: *Pretiosus*, cum declarationibus sub die XXVIII. Septembris anni MDCCXXVIII. ab eodem Pontifice factis super quibusdam dubiis circa intelligentiam rerum in ipsa Constitutione contentarum exortis ».

Aliae XXI. Mart. anni MDCCXXIX. quae incipiunt; *Exponi nobis fecit* ».

« Aliae demum VII. Kalend. Apr. Ejusdem anni MDCCXXIX. quae incipiunt: *In Sede* ».

« Quamvis autem haec omnia, et singula ex ejusdem recolendae memoriae Benedicti pia, et laudabili erga Regularium Familias voluntate profecta fuerint, quos ipse ob eorum zelum de salute animarum, religionis fervorem, doctrinam, et regularis disciplinae observantiam, magna, ac vere paterna dilectione prosequebatur, concessa, extensa, decreta, confirmata, et declarata fuerint; Nos, tamen, qui post varias altercationes, et difficultates de eisdem Litteris, et Constitutionibus excitatas, et optatam Sanctae Dei Ecclesiae tranquillitatem prae oculis habemus, volentes, ut universis Dominici gregis Pastoribus, ac praesertim

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis in partem solicitudinis nostrae vocatis, liberum jurium suorum, quae summi Dei gloriam, et animarum salutem respiciunt, in illorum Dioecesibus exercitium servetur, quaeque illud quomodocumque impedire, et laedere fortasse possunt, pro virili nostra penitus amovere cupientes, quemadmodum alias Romani Pontifices Antecessores nostri saepius egerunt; Nos quoque ad praeservandum iisdem Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, ac quibuscumque aliis Ordinibus, ac Caetibus Ecclesiasticis, et Saecularibus suorum jurium exercitium, et possessionem, amovendamque quarumque dissensionum, et litium occasionem, ex concessa Nobis Divinitus Apostolicae potestatis plenitudine, eorumdem Antecessorum nostrorum Pontificum Romanorum vestigiis inhaerentes, statuimus, et decernimus de omnibus, et singulis praedictis Litteris, et Constitutionibus, quae ab eodem Antecessore nostro Benedicto prodierunt, nec non de omnibus privilegiis, Gratiis, Favoribus, Indultis, Exemptionibus, Facultatibus, et Declarationibus in iisdem contentis, eam deinceps Decisionem, ac judicium, etiam in foro conscientiae habendum, quod sive ex jure communi, sive ex Decretis, et Constitutionibus Apostolicis, sive alias, legitime habebatur, antequam eaedem Litterae, et declarationes ab eodem Benedicto concessae fuissent, perinde scilicet, ac si illae non emanassent; Ad quam dispositionem, ejusque pristinum statum, ac terminum, omnia superius enunciata omnino reducimus, et reducta esse volumus, itaut in posterum supradicti Ordines Regulares earumdem Litterarum, et Constitutionum usu, commodo, et effectu penitus carere debere intelligantur ».

« Hinc ad praemissorum effectum pro nullis, et infectis haberi volumus omnia Decreta irritantia Prohibitiones, Declarationes, Mandata, et quaecumque in Litteris, et Constitutionibus praedictis quomodolibet apposita, atque alia eorumdem occasione facta, huic reductioni, Decreto, et Voluntati nostrae quomodocumque adversantia, quibuscumque ea essent concepta formulis, ac praeservationibus, declarationibus, modificationibus, restrictionibus, explicationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisque validissimis, efficacissimis, et inviolabilibus clausulis, praesertim, quod semper in data cuicumque Constitutioni illarum revocatoriae, in posterum edendae, posteriores censeantur; Etiam motu proprio, et potestatis pari plenitudine, ac ex certa scientia; Etiam Consistorialiter, etiam pro conservatione status regularis, etiam in vim contractus, et stipulationis inter Sedem Apostolicam, et Ordines praedictos initae, quam ad hujusmodi effectum rescindimus, et ex nunc rescissam, nulliusque roboris, et momenti esse volumus, et decernimus; Ideoque omnes dissensiones, altercationes, et lites coram quibuscumque Judicibus Ordinariis, Extraordinariis, et Commissariis, etiam a Causarum Palatii nostri Auditoribus, et S. R. E. Cardinalibus, etiam de Latere Legatis nec non quacumque eorumdem Cardinalium Congregatione, praedictarum Litterarum, et Constitutionum occasione, jam motas, necdum decisas, aut finitas, vel etiam, quae jam decisae essent, si modo tractum habeant successivum, easque rursus in posterum excitari contingat, juxta juris communis, Conc. Trid. Decretorum, et Constitutionum Apostolicarum, ac praesentem hanc nostram dispositionem, nec aliter decidendas esse praecipimus. Futura vero dubia, et difficultates ubicumque, et quandocumque oriantur, ad Nos, et Sedem Apostolicam, ad quam Pontificiarum Constitutionum, atque Ecclesiasticarum sanctionum interpretatio pertinet, referenda esse decernimus ».

« Itaque omnia, et singula hactenus memorata, nec non praesentes, etiam ex eo quod causae, ob quas emanaverint, comprobatae, expressae, et verificatae, aut in praemissis interesse habentes, vel praetendentes, ad hoc vocati, citati, et auditi non fuerint, neque eisdem consenserint, vel alias ex quocumque capite, praetextu, colore, ingenio, vel causa, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, sive alio quovis defectu notari, et impugnari, argui, infringi, retractari, in jus, vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut contra eas quodvis gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse; Sed eas, ac omnia, et singula in eis contenta semper, et perpetuo valida, firma, et efficacia esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, omnino statuimus; Sicque, et non alias per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii nostri Auditores, ac praedictae S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, definiri, et interpretari debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, et decretum esse volumus; Non obstantibus praemissis, nec non nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, nec non omnibus, et singulis praedicti Benedicti praedecessoris, declarationibus super dubiis, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non omnium, et singulorum Ordinum praedictorum, ac eorum cuilibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, etiam Mare Magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis, Litterisque Apostolicis sub quibuscumque tenoribus,

et formis, cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus, aliisque decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, et Consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum, concessis, confirmatis, et pluries innovatis: Quibus, omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu, quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret: eorum omnium, et singulorum tenores, iisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque quomodolibet contrariis quibuscumque ».

Volumus autem, etc.

Nulli ergo omnino hominum, etc.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominciae 1732. tertio Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno secundo.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

64 De singulis modis, quibus Privilegia amittuntur, agere pro dignitate, immensi esset laboris. Vide de iis, ubi necessitas postulet, Grebuer *de*
65 *Privileg. Religios. tract.* 1. *disp.* 5. *per tot.* Paucis disserendum de revocatione tantummodo Privilegiorum.
66 Et quoad revocationem privilegiorum, adhiberi solet distinctio, utrum subdito, an non subdito privilegium concessum sit, sic ut illo quidem casu revocatio saepe Principi permissa sit, hoc non item: Gail. *observ. l.* 3. *observ.* 60. *n. ult.* Merul.
67 *in Prax. tit.* 4. *cap.* 3. *nu.* 33. Ast quum non magis subjecti fraudandi sint suis commodis, quam hisce fides ex jure gentium servanda certe sit, nulla sufficiens ratio apparet talis distinctionis, sive quaestio sit de Privilegiis indultis ex mero beneplacito Principis, sive de istis, quae descendunt ex praecedenti quodam contractu, seu causa.
68 Rectius meo judicio sentiunt, qui Principi tribuunt facultatem revocandi in iis privilegiis, quae profluxerunt ex mera ejus liberalitate, non praecedente, vel subsequente conventione, et obligatione, quaeque ipse indefinite sine ulla temporis adjectione concessit, aut (quod non infrequens) circa quae tempore concessionis sibi potestatem revocandi, mutandi, diminuendive nominatim reservavit; eo quod haec non alio, quam precarii jure, videri possunt haberi, atque possideri ab illis, quibus sunt acquisita; Nec ullam inferre dici potest injuriam, qui repetit concessa precario, aut utitur jure sibi reservato, et quidem tametsi nulla penitus causa revocandi subesset; Besold. *Delibat. Jur. ad Pandect lib.* 1. *n.* 12 Auton. Matth. *de Auction. l.* 2. *c.* 7. *num.* 51.

Sin autem mediante contractu interveniente 69
causa onerosa ob factum aliquod impletum, vel implendum, aut dationem praesentem, vel futuram constet, Privilegia concessa, vel ob benemerita talia, et operas navatas, quae saepe tanti valent, quanti pecunia: nonnisi ex causis justis legitimis, et satis gravibus de novo emergentibus ea jure revocat Princeps; Besol. *ubi supra*, Zoes. *in Comment. ad Pandect. l.* 1. *tit.* 7. *n.* 30.

Nec aliter dijudicandum est de Privilegiis illis, 70
quae cum ex mera benevolentia Principum indulta essent, jurejurando tamquam leges fundamentales tempore suscepti Imperii fuerunt a Successore firmata; Besold. *eod. loc.*

Quod si Privilegia, vel ad certum numerum an- 71
norum, vel in perpetuum impetrata ita sint, ut manifesto constet obreptum concedenti, vel veritate suppressa, vel suggesto mendacio; impetrationis effectu quantocius privari a Principe possunt tales Precatores.

Justa itidem revocationis causa erit, si proba- 72
tum sit, Artifices, Opifices, aliosve similes Privilegio sibi concesso contra intentionem Principis concedentis in fraudem aliorum subjectorum abuti; Zoes. *ibid. n.* 9. Jacob. Coren. *observat*, 27. *n.* 57. Uti si obtentu Privilegii sibi ipsi jus dicant,
factis magis, et violentiis, ac armis de Privilegio 73
contendentes, quam implorato Judicis competentis auxilio: Iidem Auctores *iisdem locis*.

At nota, haec procedere, si tota illa Societas 74
Artificum sic Privilegio sit abusa. Si enim, cum universitati indultum esset, per membra quaedam ejus singularia sine ipsius Universitatis assensu sub velamento Privilegii peccatum fuerint; iniquum erit, ex paucorum forte facto, insontes quoque caeteros, atque ipsam Universitatem quaesito jure fraudari; Gayl. *observat. l.* 2. *observ.* 60. *num.* 15.

ARTICULUS IV.

QUOAD EA QUAE CONCERNUNT PRIVILEGIA VIVAE VOCIS ORACULO CONCESSA.

VIDE VERB. *ORACULA VIVAE VOCIS, PER TOT.*

ARTICULUS V.

QUOAD EA, QUAE CONCERNUNT PRIVILEGIUM FORI, ET PRIVILEGIUM CANONIS.

VIDE VERB. *CLERICUS ART.* 2, *PER TOT.*

APPENDIX EDITORUM CASINENSIUM.

De privilegii natura, ejusque usu, atque extensione.

1 Privilegium est lex privata, speciale aliquod beneficium, aut favorem, contra, vel Praeter jus concedens. Ita *S. Anton. p.* 1. *tit.* 19. *c.* 1. Suar. Pirhing aliiq. comm. Hinc de ratione privilegii est, ut concedat aliquid speciale, quod jure communi concessum non erat; *neque enim privilegia aliquibus concederentur, si praeter generalem legem nulli aliquid speciale indulgeretur: ex Can. fin.* §. *si ergo caus.* 25. *q.* 1.

2 Privilegium differt a lege: 1. quia privilegium immediate spectat bonum personae, aut loci, Collegii, seu Universitatis privatae: lex immediate intendit bonum totius multitudinis; 2. lex semper adstringit ad sui observantiam eos, in quos fertur: non ita obbligat ad sui usum privilegium illos, quibus collatum est, cum *invito beneficium non datur*, juxta *Reg. invito* 69. *ff.* (v. infra); 3. per legem constituitur jus: per privilegium privilegiatus eximitur a jure. Vasquez *D.* 115. *c.* 1. *n.* 2. *et* 3. aliiq.

3 Differt a dispensatione: 1. quia dispensatio semper est adversa legi, in qua dispensat; privilegium vero, etsi aliquando sit contra legem, aliquando tamen etiam est praeter legem: 2. dispensatio fere sine duratione, aut notabili stabilitate conceditur; privilegium contra datur cum stabilitate aliqua ad modum legis; 3. dispensatio plerumque ad unum dumtaxat actum, v. g. ad matrimonium contrahendum, ad ordinem suscipiendum etc. datur: privilegium autem ad actus plures: Suarez *lib.* 8 *de leg. c.* 2. *n.* 10. Layman, Schmalgrueber, aliique.

4 Differt a *gratia*, vel *beneficio*: quippe beneficia, gratiae etc. ad *unum* solummodo se possunt extendere; sic absolutio ab excommunicatione incursa, est gratia, et beneficium, non tamen privilegii rationem habet, cum per se nullum jus, vel facultatem tribuat; e contra de ratione privilegii est, ut ad omnem actum generis privilegiati immunitatem concedat illi, cui datum est, quasi legis permissionem obtinuisset: Suarez l. c.

5 Quaeres: an quando dubitatur, an privilegium sit concessivum, an vero declarativum tantum, id intelligendum sit de concessivo, an solum de declarativo? Resp. Intelligendum de concessivo, ita Abbas, Felin. Azor. Salas. Suar. apud Schmalzgruberium *ad tit. ex de privileg.* §. 1. *n.* 11. Ita, si Episcopo concedatur facultas, et privilegium, ut testari possit, intelligi illud debet non de bonis Patrimonialibus, de quibus jure communi testari potest, sed de Ecclesiasticis, quae acquisivit ratione Ecclesiae, cui praest: sic, si detur privilegium, ut procedatur in causa, appellatione remota, intelligitur de justa appellatione, nam si injusta sit appellatio, ea semota, procedere quilibet judex potest.

Idem dicendum de aliis casibus; et ratio horum omnium est, quia alias privilegium nihil speciale concederet, et verba gratiam continentia, ceteris paribus, continent tantum, quantum possunt: Schmalzgrueber *ib. n.* 11.

Quaeres amplius: utrum ad valorem privilegii requiratur justa causa? dicendum, concessionem privilegii, etiam sine causa factam, validam esse, *modo nil aliud obstet: Ita Suarez l.* 8. *de leg. c.* 21. *n.* 4. Pirhing *ad tit. ex de privileg. n.* 12. *Reiffenst. ad tit. cit. n.* 36, *Schmalzgrueber l. c. n.* 17. aliique communiter. 6

Addidimus, *modo nil aliud obstet:* quippe non valet privilegium datum contra jus naturale, vel divinum, *Can. lege*, 1. *dist.* 10. quidquid enim bonis moribus adversatur, invalidum est. Nec etiam valet datum in magnum Universalitatis damnum, vel contra manifestam ejus utilitatem, *l. jubemus* 16. *de Sacr. Eccles.* Schmalzgrueber *n.* 6. 7

Similiter « Pontifex non solet concedere privilegia adversus se, quatenus imminuant ejus dignitatem, utpote quam non potest dividere, vel diminuere; neque illa, quae sunt Ecclesiasticae gubernationi contraria, quod feret abusus suae potestatis, et prodigalitas, quae in Pontifice non praesumitur. Nec etiam valent data in grave damnum tertii, nisi bonum, quod ex privilegio dato speratur eliciendum, multo sit melius ». Schmalzgrueber, *cit. n.* 19. 8

Illud heic haud omittendum, nempe ut *licite* conferantur privilegia, semper requiri justam causam; Suarez, Palao Pirhing, Reiffenst, apud cit. Schmalzgrueberium, (*ib. n.* 18.). Siquidem « privilegium vel est contra ius, vel praeter jus concessum. *Si primum*, repugnat justitiae distributivae, quae exigit, ut a communi obligatione sine 9

» causa nemo eximatur. *Si secundum*, concessio » talis sapit acceptionem personarum, ed introdu» cit improportionem inter membra Communita» tis, sicque aliis non privilegiatis dat occasio» nem invidiae, et perturbationis ». Ita in terminis Schmalzgrueber l. c. n. 18.

10 Privilegium potest esse vel derogatorium juris communis, vel tertii. Posteriori casu, nempe si sit contrarium juri tertii, vel consuetudini, aut statuto speciali, ut vim habeat privilegium hujusmodi, addi debet clausula derogatoria hujus juris, consuetudinis, aut statuti, etiam tum, quando motu proprio, conceditur: Suar. l. 8. *de leg*, *c.* 14. *n.* 8. *et c.* 22. *n.* 11. aliiq. siquidem concedens tale privileg. nunquam praesumitur, specialibus juribus derogare, nisi illorum mentionem faciat, eo quod praesumatur illa ignorare: Schmalzgrueber *ib. n.* 20.

11 At si privilegium iuri Communi deroget, probabilius sufficit ipsa concessio privilegii, sine *adiecta clausula derogatoria juris communis:* quippe concedens «non praesumitur ignorare jus commu» ne, sed potius illud scire (*c. licet.* 1. *de Constitut.* in 6.); ergo dum privilegium concedit, » quod derogat juri Communi, praesumitur per » privilegium velle eidem derogare; alias nihil om» nino concederet, et efficeret actionem inutilem»: Idem *l. c. n.* 21. Procedit hoc etiam de privilegio concesso adversus aliud privilegium insertum Corpori juris communis; hoc ipso enim, quod juri communi insertum sit, praesumitur non ignorari a concedente, consequenter, dum privilegium adversus illud concedit, velle illi derogare: Idem Schmalzgrueber *n. c.*

12 » Bene tamen huic doctrinae limitationem ad» dit Palao... *dummodo jus commune non resi» stat;* nam si jus commune resistit derogando, » vel revocando hujusmodi privilegia, debet pri» vilegio tali, ut effectum habeat, addi clausula » derogatoria juris Communis, alias nullius valoris » erit; et ratio est, quia lex sic fortificata derogat » omni privilegio non munito clausula illius legis » derogatoria; igitur nisi efficacia clausulae sic for» tificantis tollatur per aliam ejus derogatoriam, » privilegium adversus jus commune datum habe» re effectum nequit ». Idem *n.* 22.

13 » Dubitatur: quando concessio privilegii effe» ctum habeat? Resp. cum distinctione, vel enim » privilegium concessum est *motu proprio* conce» dentis, vel ad istantiam privilegiati per literas, » vel procuratorem facta. Si *motu proprio* (idem » dicendum, si ad istantiam alicujus tertii, sine » mandato tamen privilegiati) concessum est pri» vilegium, regulariter effectum non habet ante ac» ceptationem, et consequenter ante notitiam suf» ficientem privilegii dati (*). At si privilegiatus » ipse *per litteras, aut procuratorem* pro eo antea » supplicavit, effectum per se habet a die conces» sionis illius, et expeditionis, seu a die *datae*, ut » ajunt, et non primum a die *praesentatae* ». Idem » *n.* 29.

Excipitur priori casu, quando per se, ac motu, proprio concedens privilegium, vult illud statim habere effectum suum a die concessionis. Accedit, quia nonnulla privilegia auferunt aliquod onus a privilegiato, v. g. solvendi poenam, decimas etc. proindeque non est ratio, cur ea non possint habere effectum suum illico a die concessionis, dummodo ex post facto acceptentur a privilegiato; sicut a pari legatum in testamento relictum, secuta ex post facto acceptatione, cedit, seu debetur legatario a die mortis testatoris, *l. si tibi* 86. §. *cum servus*, 2. *ff. de legat.* 1. Idem *n.* 30.

Privilegii usum quoad spectat: quaer. utrum privilegiatus teneatur uti suo privilegio? ℟. distinquendo inter privilegium commune, et singulare, privilegio communi, tenetur uti quilibet, qui est de Communitate, cui illud concessum est, quia si non uteretur, saltem pro illo actu, quo ipse non utitur, censeretur eidem renuntiare: quod fieri nequit, quippe privilegio Communi renuntiare privatus non potest. (Vid. dicta a Lucio nostro sub num. 22. et seqq. art. 3. h. Rubricae). 14

E contra privilegio privato, et quod ipsi privilegiato proprium, ac specialiter concessum est, *per se loquendo*, nemo tenetur uti: Suarez, Palao, Pirhing, aliiq. apud Schmalzgrueberium *loc. cit. num.* 98. Ratio est, quia quod in favorem alicujus factum est, non debet in gravamen ejus retorqueri, *Reg.* 61. *in* 6. esset autem magnum gravamen, si privilegiatus teneretur uti suo privilegio etiam contra suam voluntatem. 15

Diximus *per se loquendo;* nam per accidens privilegiatus potest aliquando obbligari ad privilegii sui usum: potest quippe contingere, ut privilegium removeat obicem, quo remoto, privilegiatum afficit obligatio juris communis; ut fit in eo, qui privilegium habet audiendi Missam tempore Interdicti; tunc enim die festo tenetur audire Missam ex praecepto Ecclesiae, quod obligat omnes non impeditos: Suarez *l.* 8. *de legib. c.* 23. *n.* 8. Schmalzgrueber *n.* 99. 16

« Dub. utrum privilegiatus uti possit privilegio suo adversus alium pariter privilegiatum? Duobus modis dici possunt duo pariter privilegiati; 1. quia aequalia privilegia habeat, et in re simili; ut si exemptus es a decimis solvendis, et alter similiter exemptus: 2. respective, et cum mutua oppositione in ordine ad usum ejusdem privilegii, ita ut si concurrant, sibi invicem opponantur; ut si exemptus es a solvendis decimis, alter privilegium habeat percipiendi decimas a quocumque, qui in territorio suo existit; item, si tu habens 17

(*) « Ex quo sequitur, privilegiatum (in hoc casu) re» gulariter ante notitiam privilegii sibi dati, nec valide, » nec licite illo uti ». Schmalzgrueber *loc. uti supra cit.* » *num.* 30.

privilegium, ne ob debita tua possis vinculis alligari, alter privilegium habeat comprehendendi quemcumque sibi debitorem ».

« Si *primum*, est affirmativa responsio, quod scilicet privilegiatus possit uti privilegio suo contra alium pariter privilegiatum; Suar. Palao, Zoes. Pirhing .... Ratio est, quia in hoc casu nullius privilegium derogat alteri, neque per hoc, quod unus habeat simile privilegium, potest illum alter impedire ab usu ».

« Si *secundum*, videndum est, an unum ex his privilegiis sit generale, alterum speciale; vel an utrumque sit aeque generale, aut aeque speciale. Nam *in primo casu* praeferendus est ille, qui habet privilegium speciale, quia species derogat generi, *Reg.* 34. *in* 6. Covarr. Suar. Palao. *In secundo casu*, si vere contraria inter se sint, praevalebit, quod fortius, scilicet antiquius, vel a potestate Superiore concessum est; Suarez, Palao, Haun. Wiest. Sic enim si unus Ordo Religiosus gaudeat privilegio prohibendi alterius aedificationem prope sua Monasteria inter certas cannas, id, quod antiquius, vel a Papa concessum est, praevalebit ei, quod recentius, aut ab Episcopo impetratum est; Rodriq. *Tom.* 1. *Regul. qu.* 90. *art.* 11. ».

18 « Si vero non vere, sed quoad speciem solum contraria sunt privilegia, praevalebit id, quod magis est absolutum, illud autem, quod conditionem imbibitam habet, respectu prioris manebit suspensum. Et hinc 1. si una Ecclesia habeat privilegium non solvendi decimas, altera exigendi, non potest haec priorem cogere, ut decimas sibi solvat; quia privilegium illius censetur conditionatum, nisi alter habeat exemptionem a decimis persolvendis. 2. si unus privilegium habet, ut intra certum tempus cogi non possit ad solvendum debitum, alter vero, ut cogere possit quemlibet debitorem, non potest creditor contra ejusmodi debitorem uti privilegio suo; quia censetur ipsi permissa coactio tantum illius, qui privilegio non est exemptus: 3. si Filiusfam. mutuum accepit a minore, non potest uti S. C. Macedoniano, quia magis habetur ratio aetatis, quam Senatusconsulti 1. *Verum* 11. §. *fin. ff. de Minor.* et sic de ceteris ». Schmalzgrueber *l. cit. num.* 100, et seqq.

19 Quaeres: quam vim, et efficaciam in ordine ad usum privilegii habeant verba *ex certa scientia*, quae saepe in confirmatione privilegiorum addantur? ℟. Confirmationem ejusmodi habere vim, et efficaciam renovandi privilegium, si forte usu, vel alia via amissum fuisset: quippe confirmans sic privilegium vel cognoscit defectum, et nullitatem privilegii confirmandi, et tamen illud confirmat, et tunc ne frustra videatur agere, talis confirmatio censeri debet aequivalere novae concessioni; vel non cognovit nullitatem privilegii, et adhuc censendus est vim dare privilegio, ne cogamur dicere inutiliter ipsum addidisse ea verba *ex certa scientia*. Schmalzgrueber *n.* 114.

Duae tamen faciendae sunt exceptiones, in quibus privilegia, his verbis (*ex certa scientia*) additis, non confirmantur: 1. namque excipiuntur privilegia subreptitia, quia haec nulla sunt, confirmans autem vult jam concessa firmare: 2. excipiuntur ea, quae generali Concilio revocata sunt; quia non praesumitur talis confirmans velle legi a Concilio stabilitae derogare ob concessionem ita generaliter factam. Idem *num.* 119. 20

Tandem ut de privileg. extensione quaedam dicamus, illud praemonendum, extensionem privilegii tunc fieri, quando scilicet constet, Legislatorem privilegia concedentem, per verba privilegii non intendisse alias personas, vel casus eximere, quam quae personae, et casus per verba privilegii clare exprimuntur. *Namque* ubi similis casus, et ratio adsit, privilegium sic concessum etiam ad istum porrigetur. Schmalzgrueber *n.* 130. 21

Nunc vero disquirendum, an, et quale privilegium, et quibus casibus, item ad quos possit extendi? « Resp. cum distinctione, si privilegium odiosum sit (*), extendi illud non debet, nec potest; » quia *Odia sunt restringenda; Regul. Odia* 15. » in 6. Si favorabile sit, extendi potest ad personas, et casus virtualiter saltem in privilegii forma comprehensos. Sed haec non est vera extensio, sed tantum interpretatio comprehensiva; » Ita communiter DD. » Idem *l. c. n.* 131. 22

Hoc pacto « Privilegium concessum Religiosis, etiam sub nomine Masculino, extendi debet etiam » ad feminas Religiosas ejusdem Ordinis, modo » hae privilegii capaces sint; Rodriq. *Tom.* 1. *Regul. q.* 13. *n.* 22. *Suar. l.* 8. *de leg. cap.* 10. » *n.* 7. Bonacina . . Palao . . Ratio est, quia in » illo privilegio jam satis exprimuntur, cum ibi » potius attendatur qualitas, quam sexus. *Excipitur*, nisi in privilegio adderetur *Viris Religiosis*; nam ea adjectione censeri debent feminae » potius exclusae, quam inclusae in privilegio ». Idem *ibid. n.* 132. 23

Sic quoque « Privilegium concessum filiis potest extendi etiam ad feminas (Suar. *loc. cit.*) » quia nomine *Filii* etiam Filiae intelligendae sunt, » *l. cognoscere* 56. *l. Filii* 84. *l. justa* 201. ff. de » V. S. — Pariterque « Privilegium concessum fratribus, etiam commune est sororibus, nisi aliunde appareat restrictio; quia sub nomine *Fratrum* etiam sorores intelligendae veniunt; l. 24 25

(*) Privilegium *odiosum* dicitur, quod ita favet privilegiato, ut simul alteri afferat praejudicium; tale est v. g. privilegium, quo aliquis eximitur a decimis solvendis; nocet enim illi, cui decimae debebantur, etsi prosit habenti hanc exemptionem. Dicitur » contra privilegium *favorabile*, quod ita favorem continet, ut nemini incommodum afferat; tale v. g. est privilegium vescendi lacticiniis, et carnibus in quadragesima etc. Schmalzgrueber *ad Tit. hic supra cit. de Privileg. num.* 63, 64.

» *tres Fratres* 35. *ff. de Pact. l. Lucius* 95. §. » *Quaesitum* 3. *de legat.* 3. ».

26 » Non tamen privilegium concessum *Filiis* etiam » extendendum est ad *Nepotes;* Petr. Barbosa *in l.* » *Maritum*, 12. ff. *solut. Matrim. n.* 80. Ratio est, » quia etsi benigna juris interpretatione, nomine » *Filiorum* saepe etiam *nepotes* veniant, regula- » riter tamen, et juxta verborum proprietatem » non continentur; §. *Fin. Inst. qui Test. Tutor.* » *dar. l. Quid, si nepotes* 6. *ff. de Testam. Tutel.* » Unde aliter de mente concedentis constare de- » bet, ut etiam ad istos privilegium extendi pos- » sit, alias procedet Regula Communis, quod pri- » vilegia personalia non egrediantur personas, ad » quas diriguntur, nec extendantur ultra verbo- » rum proprietatem ».

27 Pari modo « Nec socius privilegiati gaudet pri- » vilegio socii, nisi huic privilegium aut inutile, » aut grave fieret, si socius eo uti non posset. » Hinc si quis ob debilitatem oculorum privilegium » habeat, una, vel altera hora post prandium re- » citandi matutinum pro crastino, posset illud » etiam cum eo recitare socius, nec tenebitur hic » dein repetere: et ratio est, quia intelligitur da- » tum eo modo, quo communiter recitari potest, » et solet; potest autem recitari cum socio, quem » tamen non facile inveniret sic privilegiatus, si » socius sic recitando non etiam ipsi satisfaceret: » ne igitur cum magno suo incommodo cogatur » solus recitare, aut privilegium fiat inutile, di- » cendum est, hoc casu illud etiam extendi ad » socium ». Schmalzgrueber *loc. cit. num.* 133. 134. 135. 136.

28 Quaeritur hic: An privilegium extendi possit etiam ad personas non expressas in forma privi- legii? Dicendum, non extendi, nisi ad personas vel formaliter, vel virtualiter saltem expressas in privilegio: Ita Rodriq. Suar. Bonac. Pirhing, Reiffenst. Fagn. aliique. Ratio est, quia tota ef- ficacia privilegii pendet ex intentione conceden- tis, quae intentio significatur verbis; et hinc est, quod communiter dicitur, *privilegia valere tan- tum, quantum sonant.* Item quia, quae per privi- legium conceduntur, non debent trahi ab aliis auc- toritate, vel potius temeritate propria in exem- plum; *non enim quod uni singillatim conceditur, statim omnibus convenit,* prout habetur *can. hinc est,* 39. *caus.* 16 *q.* 1. ubi Glossa v. *singillatim*, ait, quod privilegium concessum uni non exten- datur ad alios, et privilegia singulorum commu- nem legem facere non possint. His accedit, quod privilegium est jus singulare, sequiturque perso- nam privilegiatam, cumque illa extinguitur, adeo- que ab una persona ad aliam non transit, juxta Regul. *Privilegium* 7. *in* 6. Schmalzgrueber ibid. *num.* 139.

29 Quaeres adhuc: An Privilegium ad casus, loca, et personas in privilegii forma non expressas ex- tendatur saltem tunc, quando similis, vel effica- cior pro his adsit ratio? Resp. Negative: Siqui- dem tota efficacia privilegii nonnisi ex voluntate concedentis per verba privilegii concessi signifi- cata, pendet; adeoque licet fortasse eadem sit utrobique ratio, si tamen verba casum, vel perso- nam similem non comprehendant, ad illos privi- legium extendi non debet; quippe privilegium est lex privata alicui concessa ob specialem ratio- nem; hinc etiamsi eadem, vel etiam efficacior ratio sit in alio, non propterea inferri potest, tali privilegio frui posse. His adde, quod si ob si- militudinem rationis liceret extendere privilegia, nihil esset in privilegiis firmum, et plures frui privilegio possent, ultra quam concedens intende- ret. Schmalzgrueber ibid. *num.* 143.

30 « Et hae rationes (prosequitur idem Cl. Cano- » nista *loc. cit. num.* 144) probant non tantum » in odiosis, ubi jus ipsum jubet restrictionem, » sed etiam in favorabilibus, imo etiamsi sit » causa pia; alioquin privilegia concessa uni Re- » ligioni possent extendi ad aliam aequalem, vel » strictiorem, ob solam paritatem rationis, quod » est falsum, cum nemo possit talem extensionem » facere, nisi Papa communicationem privilegio- » rum concesserit. (*) Neque obstat, quod ratio » in his expressa reperiatur etiam in aliis perso- » nis, vel casibus; quia si hoc sufficeret ad privi- » legii extensionem, sequeretur, quod casu, quo » dispensatum est cum Titio ad plura beneficia ob » ejus merita, hoc ipso etiam dispensatum esset » cum Cajo, habente similia, vel majora me- » rita »: quod nemo sanae mentis admittet.

PROBATIO

SUMMARIUM

1. Probatio quid sit, et quomodo dividatur: *ad n.* 5. — 6 Probationum species reducuntur ad novem, et assignantur, *ad num.* 7. — 8. Probatio debet esse clara, et certa, non dubia, seu equivoca, *ad n.* 9. — 10. Probatio judicialis debet fieri secundum formam libelli, et regulariter debet esse plena, et concludens, *ad n.* 12. — 13. Assignantur casus, in quibus non requiritur probatio plena, sed sufficit semiplena, *ad num.* 19. — 20. In con-

(*) Hinc concludi bene posse videtur cum Suar. *de leg. cap.* 17. *num.* 3. quae est etiam doctrina Schmalzgrueberii *loc. hic supr. cit. num.* 89. nempe ut privilegia, de quibus cavetur, ne aliis communicentur, concessa per communicationem censeantur aliis, necessariam esse specialem clausulam, quae huic prohibitioni deroget, alias non censebuntur communicata. Id quod in animadversionem ejus, quod tradit Lucas noster sub. *n.* 27. *art.* 1. 4. Rubr. dictum sit.

cursu contrariarum Probationum, plenior, fortior, seu efficacior praevalere debet, et minor, sive minus plena habetur pro non facta. — 21. Item Probatio clara, et magis distincta praevalet probationi praesumptivae, obscurae, et minus distinctae. — 22. Item Probatio certa, et concludens superat Probationem aequivocam, et imperfectam. — 23. Item Probatio specialis praevalet Probationi generali. — 24. Probatio per aspectum corporis praefertur probationi per attestationem juratam in contrarium. — 25. Probatio per evidentiam facti, seu per inspectionem ocularem, vel per instrumentum, vel per rem judicatam, vel per confessionem partis superat quamcumque aliam probationem. — 26. Sic nulla alia datur major probatio, quam ea, quae fit ex proprii oris confessione. — 27. In aequalitate probationum favetur reo. — 28. Item in aequalitate probationum favetur possessori. — 29. Excipiuntur tamen hinc quatuor caussae favorabiles, quae assignantur. — 30. Plures probationes semiplenae possunt conjungi ad faciendam, seu constituendam plenam probationem; Dummodo quaelibet de per se, et in suo genere sit perfecta, et tendat ad eumdem finem. — 31. Si autem probationes semiplenae in suo genere sint imperfectae, licet plures, non conjunguntur ad constituendam plenam probationem. — 32 Ubi probationes concludentes requiruntur, debent illae per necesse concludere, et non per possibile. — 33. Probatio plena, et concludentissima requiritur in materia objective, et quae sapiat delictum, praesertim ubi agitur de magno praejudicio. — 34. Unde probatio ex solis praesumptionibus, etiam vehementibus, nemo in causis Criminalibus criminaliter motis (quibus aequiparantur causae Civiles arduae, et magni momenti) condemnandus est; Nisi tamen indicia sint indubitata, et luce clariora, seu talia, quae evidentiam rei inducant — 35. Verba narrativa Papae, quibus in suis Apostolicis Litteris proprium factum narrat, plenam probationem faciunt, si super illis intentio ipsius fundetur. — 36. Secus autem, si intentio Papae super eis non fundetur. — 37. Hinc si Papa suis Litteris Apostolicis salutet excommunicatum, non per hoc censetur eum absolvere. — 38. Immo quamvis Papa scienter excommunicato participet Litteris, verbis, osculo, aut quovis alio modo, non idcirco censetur eum absolvere, nisi expresse se declaret velle per hoc ipsum absolvere. — 39. Similiter si Papa quempiam sub titulo cujuslibet Dignitatis nominet, honoret, tractet, et hujusmodi, non per hoc in Dignitate illa ipsum approbare intelligitur. — 40. Quando intentio Papae fundatur super facto alieno a se narrato, tunc narratio, seu assertio Papae facit quidem plenam fidem, si nihil opponatur; sed tamen admittitur probatio in contrarium. — 41. Enunciativae Papae matura consideratione emissae omnino probant. — 42. Unde Enunciativae Papae motu proprio emanatae plene probant etiam de facto alieno. — 43. Item etiam unica in antiquissimis probationem constituit. — 44. Item Enunciativae antiquissimae Pontificis probant qualitatem Ecclesiae. — 45. Item probant etiam Dominium possessionis. — 46. Item probant Ecclesiam esse in uno potius Territorio, quam in alio. — 47. Limitantur praedicta tamen, quando non motu proprio, sed ad instantiam, supplicationem, vel suggestionem partis sunt emissae, quo casu, licet sint antiquae, contra tertium non probant. — 48. Quod procedit, etiamsi in illis fundetur intentio Papae. — 49. Assignatur differentia inter *narrativas*, *et enunciativas*. — 50 Probatio est facienda Judici, et non adversario, vel alteri. — 51. Potest tamen Judex alium deputare ad recipiendos testes, depositiones, aliasque probationes. — 52. Probationes ex testium depositionibus recipi non possunt, nisi citato, et si venire voluerit, praesente adversario, alioquin nihil valent. — 53. Probationes Judiciales debent fieri Judici in praesentia publici Notarii, aut duorum Virorum idoneorum, qui praeter caetera acta Judicii, diligenter easdem conscribant. — 54. Probationes generatim loquendo faciendae sunt ab eo, qui dicit, non ab eo, qui negat. — 55. Probatio, seu onus probandi regulariter incumbit Actori. — 56. Quandoque tamen onus probandi incumbit ipsi Reo, et signanter, si is excipiendo aliquid affirmet, quod deinde in replicatione ab Actore negatur. — 57. Item Reo incumbit onus probandi, quotiescumque praesumptio Juris stat pro Actore. — 58. Item etiam Reo incumbit probatio in Judiciis duplicibus, seu communibus. — 59 Hujusmodi Judicia duplicia, seu communia assignantur. — 60. Item etiam reo incumbit probatio in Interdictis duplicibus, quae assignantur. — 61. Reus non tenetur regulariter suas scripturas, et instrumenta, quibus in judicio non est usurus, tradere, seu consignare Alteri, nec ipse Actor potest ipsa petere. — 62. Tenetur tamen reus tradere Actori petenti instrumenta communia: — 63. Probationes post publicationem attestationem regulariter non possunt amplius fieri, seu alii testes super eisdem articulis vel directe contrariis produci, quamvis possint produci nova instrumenta usque ad conclusionem in causa. — 64. Post conclusionem in causa non amplius super eisdem articulis examinandi sunt testes, neque admittendae novae probationes per instrumenta, vel hujusmodi, sed est ferenda sententia super allegata, et probata. — 65. Possunt tamen admitti aliae probationes super novis articulis, etiamsi pendeant ex veteribus, aut ex illis oriantur. — 66 Quamvis praemissae conclusiones regulariter procedant; Nihilominus dantur plures casus, in quibus possunt adhuc produci novi testes, etiam super eisdem articulis post publicationem attestationum, et admitti novae probationes post conclusionem in causa. — 67. Sic in primis casibus, ubi agitur de valore Matrimonii. — 68. Item in causis Beneficialibus. — 69. Item in causis Criminalibus, praesertim capitalibus. — 70. Item dantur alii consimiles casus videndi apud assignatos Auctores. — 71. Alia ad rem, cum additionibus ex aliena manu, *ad n.* 82.

1 Probatio ut sic, est rei dubiae, seu controversae per legitima argumenta facta ostensio: Mascard. *de probationibus*, *volum.* 1. *q.* 2. *prooemial.* *n.* 3. Abbas *ad Rub. de probationib. num.* 1. Hostiens. *in Summa de probationib. num.* 2. Reiffenstuel *lib.* 2. *Decret. tit.* 19. *num.* 2. et alii passim. Probatio Judicialis est Judici rei
2 dubiae apud eum controversae per legitimos modos facta ostensio: Mascard. *loc. c. n.* 17. Engel *l.* 3. *Decret. tit.* 19. *n.* 1. Vallens. *ib.* §. 4. Sannig *ib. c.* 1. Reiffenst. *ib. n.* 5. et alii.

Probatio generatim sumpta dividitur in Judi- 3
cialem, et extrajudicialem. *Judicialis* est illa, quae fit in Judicio; *Extrajudicialis* est illa, quae fit extra Judicium, ut sunt probationes, quae solent adhiberi inter homines privatos in Contractibus Civilibus. *Sic in re Communis.*

Insuper probatio dividitur in plenam, et semi- 4
plenam. *Plena* est illa, quae tantam fidem facit, quanta ad definiendas controversias sufficit; ut est probatio, quae fit per duos testes omni exceptione majores, per instrumenta authentica, per

confessionem propriam, et hujusmodi. *Semiplena* est illa, quae facit quidem aliquam fidem rei gestae, sed non tantam, quae sufficiat ad definiendas controversias, ut est probatio per unum testem, per confessionem extrajudicialem, per scripturam privatam, per fugam Rei, qui debuisset respondere, per famam, et hujusmodi, *Sic in re Communie.*

5 Probatio plena subdivitur ab aliquibus in plenam, pleniorem, et plenissimam, seu in evidentissimam, claram, et minus evidentem. *Probatio evidentissima* censetur illa, quae fit per Privilegia, et instrumenta indubitata, ut notant Mascard· *l. cit. q.* 4. *n.* 5. Abbas in *c. Licet n.* 11. *de probationibus*, Reiffenst. *loc. cit. n.* 12. et alii. Et huc accedunt probationes apertissimae, prout appellantur in *c. Pia, de exceptionibus in* 6. *et l. Sciant, Cod. de probation.* et istae probationes *apertissimae*, seu *plenissimae*, atque luce clariores habentur per facti evidentiam, et aliis modis indubitatis. *Probatio clara* est illa, quae fit per testes, et hujusmodi. *Probatio minus evidens*, quae alio nomine dicitur *Probatio praesumptiva*, est, illa, quae fit per conjecturas, et praesumptiones, ut *cap. Afferte* 2. *de praesumptionibus.*

6 Probationum species quamvis alii assignent duodecim, alii decem, commode tamen reducuntur ad novem, prout assignantur ab Hostiensi *in Summa tit. de probationibus num.* 6. Engel. *loc. c. n.* 7. Reiffenstuel *loc. c. n.* 18. et ab aliis, quae in sequentibus versiculis breviter continentur:

Aspectus, Sculptum, Testis, Notoria, Scriptum.
Jurane, Confessus, Praesumptio, Fama probavit.

7 Per ly autem *Aspectus* indicatur probatio per *Inspectionem ocularem.* Per ly *Sculptum* indicatur probatio per antiquas *Scripturas* in lapidibus marmoreis impressas: Per ly *Testie* indicatur probatio, quae fit *per Testes.* Per ly *Notoria* indicatur probatio, quae fit *per Evidentiam rei*, seu per *Notorietatem.* Per ly *Scriptum* indicatur probatio, quae fit *per Instrumenta.* Per ly *Jurans* indicatur probatio, quae fit *per Juramentum.* Per ly *Confessus* indicatur probatio, quae fit per propriam confessionem. Per ly *Praesumptio* indicatur probatio, quae fit *per Praesumptionem.* Per ly *Fama* indicatur probatio, quae fit *per Famam.* Ad quas novem praecipuas probationum species, ut vides, caeterae aliae possunt commode reduci.

8 Probatio debet esse clara, et certa: *Communis*, per text. *in c. In praesentia* 8. *de Probationibus*, juncta Glossa *in casu ad cit. c. in praesentia*, ubi expresse dicit, quod *Clara, et certa debet esse pro-*
9 *batio, et non dubia.* Unde probatio dubia, seu aequivoca, idest, quae postest referri ad unum, et ad alium, non relevat probantem, sed rejici debet, cum nihil concludat, nec ullum probationis gradum constituat: Rota recent. *part.* 3. *dec.* 176. *n.* 8. *dec.* 232. *n.* 9. *dec.* 311. *nu.* 2. *dec.* 509. *nu.* 5. *dec.* 511. *n.* 3. *par.* 4. *tom.* 1. *dec.* 263. *num.* 3. *part.* 4. *tom.* 2. *dec.* 254. *num.* 22. *dec.* 335. *n.* 5. *dec.* 487. *num.* 11. *part.* 6. *dec.* 121. *num.* 22. et saepissime alibi cum communi Doctorum. Nam juxta illud vulgatum: « Non probat hoc esse, quod ad hoc, quandoque contigit abesse », prout loquitur Summarium *in l. Neque Natales, Cod. de probationibus*, et probat text. *ibid. et l. Non hoc, Cod. Unde vi*, et Rota rec. *part.* 19. *t.* 1. *dec.* 469. *num.* 15.

10 Probatio Judicialis debet fieri secundum formam Libelli, *cap. Cum dilectus* §. *Sed quoniam, de ordin. cognition.* Est enim pronunciandum secundum formam Libelli: *Clementin. Saepe contingit*, §. *Verum quia, de verbor. significat.* Et ideo illa solummodo sunt probanda, quae mediante Libello in Judicium deducta fuerunt, ac desuper lis movetur, sive directe, sive in modum executionis, vel replicationis, ut *cap. De testibue* 29. *Titul. de testibus, et leg. Ad probationem dominii, Cod. de Probationibus.* Unde si per testes probatur aliud, quam quod est deductum per Libellum in Judicium, non valet dictum eorum super illo, *leg.* 1. §. *Divue Antoninus, ff. de Quaestionibus*, junctis Juribus proxime allegatis, Hostiens. *in Summa tit. de probationibus numer.* 5. Mascard. *de probationibus, quaest.* 17. *n.* 17. Speculator *tit. de Teste* §. *num.* 62. Reiffenstuel *loc. c. nu.* 56. *et* alii passim.

11 Probatio Judicialis regulariter debet esse plena, et concludens: Rota recent. *par.* 1. *dec.* 160. *n.* 1. *et dec.* 568. *n.* 5. et saepe alibi, et *Communis Doctorum*, per textum in *cit. cap. In praesentia* 8. *de Probationibus*, *cap. Recipimus* 18. *de Privileg. et ex l. Judices, Cod. de Judiciis*, ibi: « Judices oportet imprimis rei veritatem plena inquisitione discutere »,

12 Quaenam autem probatio hic et nunc sit plena, et concludens, ut plurimum Judicis arbitrio relinquitur: Rota recent. *part.* 3. *dec.* 466. *sub n.* 4. *par.* 4. *tom.* 2. *dec.* 53. *n.* 13. *par.* 18. *t.* 1. *dec.* 146. *num.* 19. et saepe alibi, et Doctores communiter, per text. in *l.* 3. §. *Ideoque Divus, ff. de Testibus, cap. In nostra* 33. *de Testibus.*

13 Dantur tamen plures casus, in quibus non requiritur probatio plena, sed sufficit semiplena, vel alia ex conjecturis deprompta, ut sunt casus, in quibus sententia lata facit modicum praejudicium: Rota recentior. *part.* 15. *dec.* 190. *nu.* 15. *et Communis Doctorum*, per text. in *l.* 3. §. *Causae, ff. de Carbonian. Edict. et l.* 4. §. *Sciendum; ff. Ad exhibendum.*

14 Sic probatio plena non requiritur, sed sufficit semiplena, et praesumptiva in materia difficilis probationis: Rota *part.* 4. *tom.* 3. *dec.* 619. *n.* 4. *par.* 13. *dec.* 537. *n.* 9. Et Doctores communier per text. in *c. Cum Dilectus* 32. *de election. cap. Praeterea* 27. *de Testibus, l. Filium, ff. de his, qui sui, vel alieni Juris etc.*

15 Item sufficit probatio semiplena, et ex conjec-

cturis, seu indiciis in rebus antiquis, praesertim si excedant 100. annos: Rota rec. part. 2. *dec.* 556. *nu.* 3. *part.* 4. *tom.* 2. *dec.* 254. *num.* 48. *par.* 10. *dec.* 284. *nu.* 10. *p.* 19. *t.* 1. *dec.* 44. *nu.* 17. *et dec.* 270. *num.* 8. et saepe alibi. Et Doctores passim per text. in *l. Census, et monumenta, ff. De probationib. l. Qui ex liberis, ff. de bonorum possessione secundum tabul. capit. Cum causam* 13. *de probation. cap. Cum olim* 19. *de Censibus*, juncta Glossa *ibid. verb. Antiquis.*

16 Item sufficit probatio semiplena, et unius testis depositio in iis, quae nemini nocent, et alteri prosunt: *Communis*, per text. in *c. Parvulus*, et *cap. Itaque, dist.* 4. *de Consecrat.*

17 Item sufficit probatio semiplena in Judicio Manutentionis Interdicto retinendae: *Communis* cum Rota recent. *par.* 2. *dec.* 147. *n.* 1. *par.* 10. *decis.* 11. *n.* 2. *par.* 24. *dec.* 494. *n.* 8.

18 Item sufficit probatio semiplena in materia de sui natura verisimili: *Communis* cum Rota *par.* 18. *t.* 1. *dec.* 92. *num.* 7. Et quando agitur de aliqua re incidenter: Rota *par.* 14. *dec.* 361. *numer.* 6.

19 Tandem sufficit probatio semiplena in causis summariis, ubi agitur de rebus modicis, et quasi nullius praejudicii: *Communis* cum Rota *par.* 15. *dec.* 190. *num.* 14. per textum in *cap. Ex litteris, de in integrum restitution. cap. Cum Bertoldus* 18. *de sentent. et re judicat. l.* 3. §. *causae, ff. de Carbonian. Edict. et l.* 4. §. *Sciendum, ff. Ad exhibendum*, cum similibus.

20 In concursu contrariarum probationum plenior, fortior, seu efficacior praevalere debet, et minor, seu minus plena habetur pro non facta; *Communis* cum Rota recent. *part.* 1. *dec.* 303. *nu.* 13. *dec.* 494. *n.* 11. *dec.* 509. *n.* 9. *part.* 2. *dec.* 44. *n.* 6. *par.* 7. *dec.* 203. *nu.* 12. *par.* 8. *dec.* 212. *num.* 10. *par.* 12. *dec.* 336. *num.* 34. et saepe alibi, per text. *in cap. cum Ecclesia* 3. §. *Partibus, de causa posses. c. Licet causam* 9. §. *finni. de probat. l. Nam et iis, ff. de inofficios. testament.* cum similibus.

21 Item probatio clara, et magis distincta praevalet probationi praesumptivae, obscurae, et minus distinctae: *Communis* cum Rota *par.* 7. *dec.* 269. *num.* 12. *par.* 14. *dec.* 520. *num.* 80. *part.* 15. *dec.* 323. *num.* 5. per text. in *l. Imperatores, ff. de probationib. l. In rebus, Cod. de Jure Dotium*, cum similibus.

22 Item probatio certa, et concludens superat probationem aequivocam, et imperfectam: *Communis*, cum Rota *par.* 5. *t.* 1. *dec.* 313. *num.* 6. *par.* 5. *tom.* 2. *dec.* 430. *nu.* 104. *par.* 17. *dec.* 208. *nu.* 17. per text. *in cap. Per totas, Qui filii sint legitimi, et l.* 1. *et seq. Cod. Plus valere quod etc. et l. Ob carnem* § *final. ff. de Testibus.*

23 Item probatio specialis praevalet probationi generali: *Communis*, cum Rota *par.* 1. *dec.* 256 *n.* 5. *part.* 2. *dec.* 299. *par.* 3. *dec.* 536. *nu.* 3. *par.* 4. *dec.* 447. *n.* 3. *part.* 7. *dec.* 272. *nu.* 7. *part.* 11. *dec.* 305. *n.* 8. et saepe alibi, per text. in *c. Generi* 34. *de Reg. Juris in* 6. cum similibus.

24 Probatio per aspectum corporis praefertur probationi per attestationem juratam in contrarium: *Communis*, per text. in *cap. Proposuisti* 4. *de probationibus*, juncta Gloss. *ibid. verb. Pusline.*

25 Probatio per evidentiam facti, seu per inspectionem ocularem, vel per instrumentum, vel per rem judicatam, vel per confessionem partis superat quamcumque aliam probationem: *Communis*, cum Rota *part.* 4. *t.* 1. *decis.* 568. *n.* 7. per text. *in c. Evidentia* 9. *de accusationibus, cap. ult. De cohabit. Cleric. c. Cum olim* 24. *de verbor. signific. l. Cum te, Cod. de transactionibus, l. Generaliter, Cod. de non numerand. pecun.* cum similibus.

26 Sic nulla alia datur major probatio, quam ea, quae fit ex proprii oris confessione: *Communis* cum Rota *part.* 9. *tom.* 1. *dec.* 98. *n.* 4. per text. *in cap. Per tuas* 10. *de probationib. l. Cum te, Cod. de transact. l. Generaliter, Cod. de non numerand. pecun.*

27 In aequalitate probationum favetur Reo: *Communis*, per text. *in c. Ex litteris* 3. *de probationib. c. ultim. de sent. et re judicat. c. Cum sunt* 11. *de Reg. Juris in* 6. juncta Glossa *ib. verb. Cum sunt*, cum pluribus Juribus ab ipsa citatis.

28 Item in aequalitate probationum favetur possessori: *Communis*, per text. *in c. In pari* 15. *de Regul. Juris in* 6. *et l. In pari, ff. de Regul. Jur.*

29 Excipe tamen hic causas favorabiles, quales sunt quatuor; scilicet pro Matrimonio, pro Libertate, pro Dote, ac pro Testamento; Nam si in istis utriusque partis probationes fuerint aequales, non pro possessore, sed pro valore Matrimonii; sive pro Libertate, vel pro Dote, aut Testamento profertur sententia; Istae enim quatuor causae propter favorem excipiuntur: *Communis*, per text. in *c. Ex litteris* 3. *de probationibus, etc. ultim. de sent. et re judicat.* Gloss. *ibid. verb. Proferentibus, in fine;* ubi allegat sequentes vulgatos versiculos.

Stat Testamentum, Libertas, Conjugium, Dos.
Si sint aequales, qui producuntur utrinque.

30 Plures probationes semiplenae possunt conjungi ad faciendam, seu constituendam plenam probationem; Dummodo quaelibet de per se, et in suo genere sit perfecta, et tendat ad eumdem finem: *Communis*, cum Rota *par.* 2. *dec.* 519. *num.* 7. *par.* 3. *dec.* 526. *nu.* 10. et saepe alibi per text. in *cap. Cum causam* 13. *de probationib. c. Per tuas* 32. *de Simonia, l. Instrumenta, Cod. de probationibus*, cum similibus.
31 Si autem probationes semiplenae in suo genere sint imperfectae, licet plures, non conjunguntur ad constituendam plenam probationem: *Communis*, cum Rota *part.* 3. *dec.* 117. *num.* 3. *part.* 4. *tom.* 2. *dec.* 391. *nu.*

34. *part.* 12. *dec.* 8. nu. 29. *part.* 17. *dec.* 172. *num.* 26. et saepe alibi.

32 Ubi probationes concludentes requiruntur, debent illae per necesse concludere, et non per possibile: *Communis* cum Rota *part.* 4. *t.* 2. *dec.* 173. *num.* 13. *et Annotat. ad dec.* 131. nu. 50. *et seq. part.* 8. per text. in *l. Non hoc. Cod. Unde legitimi*, *l. Neque natales* 10. *et l. Ad probationem* 22. *de probationibus.*

33 Probatio plena, et concludentissima requiritur in materia objectiva, et quae sapiat delictum, praesertim ubi agitur de magno praejudicio: *Communis* cum Rota *part.* 3. *dec.* 179. *num.* 3. *part.* 3. *dec.* 117. *n.* 11. *part.* 10. *dec.* 51. nu. 30. *part.* 11. *dec.* 229. *n.* 7. *art.* 12. *dec.* 347. *nu.* 26. et saepissime alibi, per text. in *cap. per Litteras vestras* 14. *de praesumptionibus*, *l. ult. Cod. de probationibus*, cum similibus.

34 Unde probatio ex solis praesumptionibus etiam vehementibus, nemo in causis criminalibus criminaliter motis (quibus aequiparantur causae Civiles arduae, et magni momenti) condemnandus est. Nisi tamen indicia sint indubitata, et luce clariora, seu talia, quae evidentiam rei inducant. Vide verb. *Praesumptio a n.* 19. *ad* 21.

35 Verba narrativa Papae, quibus in suis Apostolicis Litteris proprium factum narrat, plenam probationem faciunt, si super illis intentio ipsius fundetur: *Communis* cum Rota *part.* 1. *dec.* 416. *n.* 1. *part.* 4. *tom.* 1. *dec.* 307. *num.* 12. *part.* 12. *dec.* 337. *n.* 26. *part.* 18. *tom.* 1. *dec.* 159. *nu.* 9. per text. in Clem. un. *de prob.* juncto summ. *ibidem*, in quo sic expresse habetur: « Verba Litterarum Apostolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plene probant, si super illis gratia, vel intentio Papae fundetur ».

36 Si autem intentio Papae super eis non fundetur, tunc verba narrativa Papae, seu Litterarum Apostolicarum nihil probant: Glossa communiter recepta in *citat. Clement. Unica verb. Fundatur*, Abbas *ibid. num.* 1. Mascard. *de probationibus conclus.* 236. *num.* 25. *et* 29 Reiffenstuel *lib.* 2. *Decretal. tit.* 19. *num.* 108. et alii passim, *arg. cap. Si aliquando* 41. *de sent. excomm. Clementin. Si summus* 4. *de sent. excommun.*

37 Hinc si Papa suis Litteris Apostolicis salutat Excommunicatum, non per hoc consetur eum absolvere, quia intentio Papae Litteras illas dantis super impertienda tali absolutione se non fundabat: *Communis*, textu expresso in *citat. cap. Si aliquando* 41. *de sentent. excomm.* ibi: « Si aliquando forte contingerit, quod eis, qui auctoritate Apostolica sunt excommunicationi subjecti, nostrae Litterae cum salutationis alloquio destinentur, non propter hoc excommunicationis credatur sententia relaxata. Dum per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam per subreptionem (tacendo videlicet quod quis sit excommunicatus) *contigat hujusmodi Litteras impetrari* ». Et ibi Summarium expresse habet. « Si Papa suis Litteris excommunicatum salutat, non propter hoc eum absolvit ».

Immo quamvis Papa scienter excommunicato participet Litteris, verbis, osculo, aut quovis alio modo, non idcirco censetur eum absolvere, nisi expresse se declaret velle per hoc ipsum absolvere: *Communis*, textu expresso in *Clementin. Si summus* 4. *de sent. Excom.* ibi: « Si Summus Pontifex scienter etiam excommunicato participet Litteris, verbo, vel osculo, seu alio quovis modo, ipsum per hoc absolvere nulla ratione censetur, nisi se velle forsitan exprimat illum ex hoc pro absoluto haberi »; juncto ejus Summario sic expresse habente: « Si Papa etiam scienter excommunicato participat, illum per hoc non absolvit, nisi exprimat, hoc se velle ». 38

Similiter si Papa quempiam sub titulo cujuslibet Dignitatis nominet, honoret, tractet, et hujusmodi, non per hoc in Dignitate illa ipsum approbare intelligitur: *Communis*, textu expresso in *cit. Clementin. si Summus* 4. *de sent. Excomm.* ibi: « Similiter quoque, si quem sub titulo cujuslibet Dignitatis ex certa etiam scientia, verbo, Constitutione, vel Litteris nominet, honoret, seu quovis alio modo tractet, per hoc in Dignitate illa ipsum approbare non intelligitur, aut quicquam el tribuere novi juris »; juncto Summario *ibidem* sic expresse dicente: « Et si scienter sub titulo Dignitatis aliquem nominet, vel honoret, per hoc illum in Dignitate non approbat ». Et ratio est, quia super talibus verbis, signis, vel factis non fundatur intentio Papae, seu talia non sunt ad conferendam, vel approbandam dignitatem illam, sed incidenter solum similia narrantur, aut fiunt, et ita dicendum est de similibus. 39

Quando intentio Papae fundatur supra facto alieno a se narrato, tunc narratio, seu assertio Papae facit quidem plenam fidem, si nihil opponatur; sed tamen admittitur probatio in contrarium: Rota *part.* 2. *dec.* 580. *n.* 6. *part.* 5. *dec.* 510. *num.* 1. et saepe alibi Glossa in *cit. Clement. Unica, de probat. verb. Fecisse narramus*, Abbas *ib. num.* 2. Barbosa *num.* 6. Pirhing *lib.* 2. *Decret. tit.* 19. *num.* 61. Mascard. *de probat. conclus.* 130. *num.* 21. *et* 22. cum pluribus aliis docens, quod attestationi Papae de facto alieno statur, donec probetur contrarium; Cum enim ob falsam aliorum relationem, seu informationem possit Papa in narrativa facti alieni errare; *c. Lator* 7. *de sent. et re judicata*, *et c. A nobis* 28. *de sent. Excomm.* merito relinquitur locus probationi in contrarium. Unde Rota *part.* 2. *dec.* 46. *num.* 2. dicit, quod narrativa Papae facta per verba *Ut accepimus*, non probat, sed debet a parte justificari. 40

Enunciativae Papae matura consideratione emissae omnino probant: Rota *part.* 18. *tom.* 1. *dec.* 192. *num.* 13. praesertim si sint antiquae, et motu proprio emanatae: Rota *part.* 1. *dec.* 312. *num.* 18. *par.* 5. *tom.* 1. *dec.* 288. *num.* 7. *part.* 41

17. *tom.* 1. *dec.* 754. *num.* 6. Unde Enunciati-
42 vae Papae motu proprio emanatae plene probant
etiam de facto alieno: Rota *part.* 1. *dec.* 212
num. 18. Item etiam unica in antiquissimis pro-
43 bationem constituit: Rota *part.* 1. dec. 22. *num.*
44 2. Item Enunciativae antiquissimae Pontificis pro-
bant qualitatem Ecclesiae: Rota *part.* 4. *tom.* 1.
dec. 120. *sub num.* 6. Item probant etiam domi-
45 nium possessionis: Rota *part.* 5. *tom.* 1. *dec.* 93.
46 *num.* 21. Item probant etiam Ecclesiam esse in
uno potius Territorio, quam in alio: Rota *part.*
1. *dec.* 432. *num* 2.

47 Limitantur praedicta tamen, quando non motu proprio, sed ad instantiam, supplicationem, vel suggestionem partis sunt emissae, quo casu licet sint antiquae, contra tertium non probant: Rota *part.* 1. *dec.* 25. *num.* 3. *part.* 4. *tom.* 3. *dec.* 722. *num.* 9. *part* 5. *tom.* 1. *dec.* 353. *nu.* 95. *part.* 10. *dec.* 147. *num.* 20. *part.* 12. *dec.* 336. *num.* 11. *part.* 13. *dec.* 432. *nu.* 11. *part.* 18. *tom.* 2. *dec.* 628. *num.* 14. et saepissime alibi.

48 Quod procedit, etiamsi in illis fundetur intentio Papae: Rota *part.* 19. *tom.* 2. *dec.* 494. *num.* 21. praesertim ubi de illis certiorem notitiam verisimiliter non habebat: Rota *part.* 5. *tom.* 1. *dec.* 353. *num.* 95. *part.* 10. *dec.* 347. *num.* 30.

49 Hinc inter *Narrativas, et Enunciativas* colligitur esse hanc differentiam, quod per *Verba narrativa* dicatur quis loqui, quando narrat factum aliquod, v. g. quod talis commiserit adulterium, prout accidit, si Papa dicat; *Multorum clamor ad nos pervenit, quod talis commiserit adulterium etc.* At vero per *verba Enunciativa* dicitur quis loqui, quando loquitur hoc modo: *Quia constat nobis talem commisisse adulterium etc.* Ita Abbas in c. *Cum oporteat num.* 7. *de accusationib.* Mascard. *de probationib. conclus.* 622. *num.* 1. *et conclus.* 754. *num.* 35. cum aliis a se citatis, Petrus Duennas *Regul.* 229. *limit.* 18. Reiffenstuel *lib.* 2. *Decretal. tit.* 19. *num.* 103. et alii.

50 Probatio est facienda Judici, et non Adversa-
rio, vel alteri: Glossa communiter recepta *in l.*
Quinquaginta verb. Judici, ff. de probationib. Ro-
ta recent. *part.* 6. *dec.* 8. *n.* 3. Mascard. *de pro-*
bationib. quaest. 2. *proemial.* *n.* 24. Hostiens. in
Summa tit. de probationib. n. 3. Abbas in *cap. Ex*
litteris 3. *de probationib. n.* 7. et alii passim, per
text. in *cit. l. Quinquaginta de probationib. in cit.*
c. Ex litteris 3. *de probationib. cap. in nostra* 32.
51 *de testibus* cum similibus. Potest tamen Judex a-
lium deputare ad recipiendos testes, depositiones,
aliasque probationes: *Communis* ex praxi univer-
sali.

52 Probationes ex testium depositionibus recipi non possunt, nisi citato, et si venire voluerit, praesente Adversario, alioquin non valent: *Communis*, textu expresso *in* c. *In nomine Domini* 22. *de Testibus.* juncto ejus Summario sic dicente: *Nulla est receptio Testium facta contra non citatum*, et concordat *Authentic. de Testibus* §. *Et haec vero, Collat.* 7.

Probationes Judiciales debent fieri Judici in praesentia publici Notarii, aut duorum virorum idoneorum, qui praeter caetera acta Judicii diligenter easdem conscribant: *Communis*, textu expresso *in cap. Quoniam* 11. *de probationib.* juncto Summario *ibidem* sic expresse habente. « Judex debet habere Notarium, vel duos viros idoneos, qui scribant Acta Judicii; Alias si quid difficultatis emerserit, per Superiorem punietur. Nec creditur ei super processum, nisi in quantum per acta, vel alias per legitima documenta constabit ». 53

Probationes generatim loquendo faciendae sunt ab eo, qui dicit, non ab eo, qui negat: *Communis*, textu expresso *in l. Et incumbit* 2. *ff. de probationibus*, ibi: *Et incumbit probatio, qui dicit, non qui negat.* Et hoc jure merito, quia *negantis factum per rerum naturam nulla est directa probatio*, ut expresse dicitur *in cap. Bonae memoriae* 23. *de Election. cap. Accusator* 6. *q.* 5. *l. Actor* 22. *Cod. de probationib.* cum similibus. 54

Probatio, seu onus probandi regulariter incumbit Actori. Ad ipsum enim spectat illud, quod proposuerit, probare, si Reus id neget; alioquin, ipso non probante, Reus absolvetur ab ejus impetitione: *Communis*, textu expresso in *cap. Cum Ecclesia* 3. *fin. de causa possession. et l. Qui accusare* 4. *Cod. de Edendo*, ibi: « Actore non probante, qui convenitur, et si nihil ipse praestiterit, obtinebit »; et concordat textus *in cit. cap. Accusator* 6. *q.* 5. *et l. Actor* 23. *Cod. de probationib.* ibi: « Actor (seu Accusator), quod asseverat, probare se non posse profitendo, reum necessitate monstrandi contrarium non adstringit, cum per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit ». 55

Dicitur autem notanter, quod onus probandi incumbit Actori *regulariter*, quia quandoque transfertur onus probandi in Reum, et signanter ipsi Reo incumbit onus probandi, si is excipiendo aliquid affirmat, quod deinde in replicatione ab Actore negatur, textu expresso *in l.* 1. *ff. de Exceptionibus*, ibi: « Agere etiam is videtur, qui exceptione utitur. Nam Reus in exceptione Actor est»; *et l. In exceptionibus* 19. *ff. de probationibus*, ibi: « In exceptionibus dicendum est, Reum partibus Actoris fungi oportere, ipsumque exceptionem velut intentionem implere, ut puta si pacti conventi exceptione utatur, docere debet pactum conventum factum esse «. 56

Item Reo incumbit probatio, quotiescumque praesumptio Juris stat pro Actore: Hinc si Parochus petat decimas intra fines suae Parochiae existentes, nihil probare tenetur; sed Reus tenetur ostendere, quo Jure ad ipsum decimae pertineant; Parochus enim habet fundatam intentionem in Jure, quod decimae ad se pertineant, nisi contrarium ostendatur: *Communis*, textu expresso *in cap. Ad decimas* 2. *de restitut. spoliator in* 6. 57

58 Item etiam Reo incumbit probatio io Judieiis dupiicibus, seu communibus, quia in ipsis utraque pars litiganilum vicem duorum sustinet, scilicet Actoris, et Rei, *cap. Ex litteris* 3. *de probationib. l. Judicium* 10. *ff. Finium regundorum, et* i. *Inter Cohaeredes*, §. *Qui familiae*, *ff. Familiae erciscundae*, in quibus Juribus habetur, quod in Judiciis duplicibus utrique parti incumbat onus probaodi, et quae melius suam Intentionem probave-
59 rit, obtineat. Hujusmodi autem Judicia duplicia, seu communia sunt tria, videlicet Judicium *communi dividundo*, quo agitur ad communium rerum divisionem; Judicium *Familiae ereiscundae*, idest hereditatis inter cohaeredes dividendae; et Judicium *Finium regundorum*, quod datur inter eos, qui agros, et confines habent, et praedia ad horum fines dirimendos, textu expresso *in l. In tribus* 14. *De Judiciis*, ibl: « In tribus istis Judiclis Familiee ereiscundee, Communi dividundo, et Finium regundorum, quaeritur quis Actor intelligatur, quia par causa omnium videtur? Sed magis placuit, eum videri Actorem, qui ad Judicium provocesset; *l. Judicium* 10. *ff. Finium regundorum*, ibl: « Judicium Communi dividundo, Familiae erciscundae, Finium regundorum, tale est, ut in eo singulae personae duplex Jus habeant, Agentis, et ejus, cum quo agitur ».

60 Item etiam Reo incumbit probatio In interdictis duplicibus, quaiia sunt, Interdictum *Uti possidetis*, et Interdictum *Utrubi*, quorum priore certatur de retinenda possessione rei immobilis v. g. fundi, aedium, et hujusmodi; posteriore vero, seu Interdicto *Utrubi* contenditur de rerum mobilium possessione, textu expresso *in* §. *Retinendae* 4. *Institut. de Interdictis*, ibi: « Sed interdicto quidem Uti possidetis, de fundi, vel aedium possessione contenditur; Utrubi vero Interdicto, de rerum mobilium possessione »; *et* §. *Tertia divisio* 7. *Institut. eod.* ibi: « Duplicia sunt, veluti Uti possidetis Interdictum, et Utrubi; Ideo autem duplicia vocantur, quia par utriusque litigatoris in his conditio est, nec quisquam praecipuae Reus, vel Actor intelligitur, sed unusquisque tam Rei, quam Actoris partes sustinet ». Quibus Interdictis accedit etiam Interdictum *De superficiebus*. nam et hoc duplex est exemplo Interdicti *Uti possidetis*, prout desumitur *ex l.* 1. §. *Proponitur*, *ff. De superficiebus*. In hujusmodi enim Judiciis, atque Interdictis dupliciibus, cum uterque litigans, tam Actoris, quam Rei partes sustineat, *cap. Ex litteris* 2. *de probat.* l. *Si duo ff. Uti possidetis, l. Judicium* 10. *ff. Finium regundor. et* §. *Tertia divisio* 7. *Instit. de Interdictis*, proinde utrique parti incumbit onus probandi, et quae melius probaverit suam intentionem, obtinebit; *arg. cit. Juribus*.

61 Actor non potest regulariter petere, ut Scripturee, et Instrumenta propria Rei sibi ab ipso tradantur ad probandam suam intentionem; Nec Reus suas Scripturas, et Instrumenta, quibus in Judicio non est usurus, tenetur tradere, seu consignare ipsi Actori: *Communis*, per text. *in c.* 1. *de probationibus*, juncto ejus Summario, io quo expresse dicitur: *Reus Actori sua propria instrumenta edere non tenetur*, *et.* l. *Qui accusare* 4 *Cod. de Edendo*; Non enim Juris, aut Æquitatis ratio permittit, ut quis invitus arma, quibus impugnetur, Adversario suo tradere, eumque contra se adjuvare cogatur, *leg. Nimis grave Cod. de Testibus*.

Tenetur tamen Reus tradere Actori petenti in- 62
strumenta communia; Et si Judex parti petenti non faciat tradi instrumenta communia, licite ab ipso appellatur, et quidquid post appellationem attentatum fuerit, non valet: *Communis*, textu expresso in *cap. C. Perpetuus Vicarius* 12. *de Fide Instrumentor.* juncta Glossa *ibid. verb. Instrumentorum communium*, cum pluribus Juribus ibi a se adductis,

Probationes post publicationem attestationum 63
regulariter noa possunt amplius fieri, seu alii Testes supra eisdem articuiis, vel directe contrariis produci, quamvis possint produci nova instrumenta usque ad conciusionem in causa; Sic Glossa communiter recepta in *c. Cum dilectus* 7. *de Fide Instrumentor. verb. Post publicationem*, Mascard. *de probationib. quaest. proemial.* 5. *n.* 45. *et q.* 6. *n.* 130. Speculator *tit. de Testib. verb. Satis utiliter nu.* 3. *et tit. de Instrumentorum editione* §. *Nunc dicamus n.* 1. Farinac. *tit.* 8. *de Testibus q.* 75. *n.* 68. *et seq.* et alii passim per text. *in cap. Fraternitatis* 17. *cap. Intimavit* 18. *cap. Ex tenore* 35. *de Testibus, cap. Cum dilectus* 9. *de Fide instrumentor. Authentic. de Testibus* §. *Quia vero, verb. Illud tamen, collat.* 7. *et Authent. Qui semel, Cod. de probationibus*.

Post conclusionem in causa non amplius super 64
eisdem articulis examinandi sunt Testes, neque admittendae novae probationes per Instrumenta, vel hujusmodi, sed est ferenda sententia super allegata, et probata: Ita Glossa communiter recepta *in cap. Cum dilectus* 9. *de Fide Instrumentor. verb. Conclusum*; Abbas *ibid. nu.* 8. Menoch. *part.* 6. *speculi aurei tit. de Instrumentor. production. n.* 47. et alii passim, per tex. *in cap. Juravit.* 6. *de probationib. cap. Cum dilectus* 9. *de Fide Instrum.* Et ratio est claraex ipsamet significatione hujus verbi *conclusio in causa*, cum per ipsam, ut ipsiusmet nomen importat, partes sive expresse, sive tacite ulteriori probationi renuntient, seque ad sententiam submittant, id quod extra controversiam tenendum.

Dicitur autem notanter *super eisdem articulis*, 65
quia super novis articulis, etiamsi pendeant ex veteribus, aut ex illis oriantur, bene possunt aliae probationes admitti, *arg. cap. Fraternitatis* 17. *et cap. Ex tenore* 35. *de Testibus, cap. Cum Joannes* 10. §. *Penultim. de Fide Instrumentor.* juncta Glossa communiter recepta *in cit. cap. Fraternitatis, verb. Nobis, et in citat. cap. Cum Joannes, verb. Postquam.*

Quamvis autem praemissae conclusiones *sub n.* 66

63. et 64. regulariter procedant; Nihilominus dantur plures casus, in quibus possunt adhuc produci novi testes, etiam super eisdem articulis post publicationem attestationum, et admitti novae probationes post conclusionem in causa: *Communis*, et ostenditur inductione.

67 Sic in primis post publicatas attestationes possunt adhuc produci novi testes super eisdem articulis, et admitti novae probationes post conclusionem in causa in casibus, ubi agitur de valore Matrimonii; Nam in his ob periculum animarum, seu ne Conjuges legitime copulati separentur, etiam post publicatas attestationes, et conclusionem in causa, debent admitti novi testes, et novae probationes pro valore Matrimonii jam contracti militantes. Immo etiam ipsamet sententia contra Matrimonium contractum lata, nunquam transit in rem judicatam, sed potest quocumque tempore revocari, ostensa per novas attestationes, et probationes ejusdem falsitate, *c. Lator* 7. *et c. Consanguinei* 11. *de sent. et re judicat.*

68 Item possunt adhuc produci novi testes, et admitti novae probationes in causis Beneficialibus: Idque propter dictum periculum animarum, et ne quis per subreptionem ad Dignitatem Ecclesiasticam ascendat: Mascard. *de probationib. q.* 17. *proemial. num.* 47. allegans Rotam *dec.* 1. *et dec.* 2. *de Testibus in novis*, Reiffenstuel *loc. cit. n.* 164. et alii passim.

69 Item in causis Criminalibus, praesertim capitalibus; Ubi enim agitur de causis criminalibus capitalibus, possunt ad defensionem Rei etiam post publicationem attestationum produci novi testes, et post conclusionem in causa admitti novae probationes ad ejus innocentiam detegendam, et vitam conservandam, ne Reus subitis Accusatorum criminibus opprimatur, et injuste condemnetur: *Communis*, textu expresso *in l. Unius facinoris* 18. §. 9. *ff. de Quaestionibus*, ibi: « Ne hi, qui defendendi sunt, subitis Accusatorum criminibus opprimantur, defensionem quocumque tempore, postulante Reo, negari non oportet ».

70 Alii plures consimiles casus referuntur passim ab Auctoribus, et signanter ab Abbate *in cap. Fraternitatis* 17. *de Testibus n.* 4. Farinac. *tit.* 8. *de Testib. q.* 75. *a n.* 98. *usque ad n.* 255. Speculator *tit. de Testib.* §. *Satis utiliter, n.* 3. *et sequent.* qui brevitatis gratia relinquuntur videndi apud ipsos.

71 Nominis identitas personarum identitatem non probat: Benedict. XIV. Constitut. incip. *Inter caetera*, §. 11. ubi affert exempla, quibus non semel contingit, ut uno nomine, et Sanctus, et Haereticus designarentur; Ex Raymundis enim Lullis, unus martyrii fama praedicatur, at non aliter, qui infelicem vitam, ac mortem sortitus est; Unus pariter Joannes Cantius Beati nomine insignitur, alter vero haeresi inquinatus execratur, et sic de aliis.

Alia ad rem. Vide verb. *Fama*, verb. *Scripturae*, *Instrumenta*, verb. *Sententia*, et verb. *Testis*, *art.* 2. 72

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Negativam directo haud posse probari, communis fere est sententia. Causam huic sententiae dederunt textus nonnulli, tum juris civilis, tum juris canonici, quibus asseri videtur, Negantem probare nec posse, nec debere. Confer *L.* 103. *C. de Probat. L.* 10. *C. de non numerat. pecun. c.* 11. *et* 12. *eod. tit. de Probat.* 73

Quoniam vero ex multis aliis textibus apparet, negativam, et probari posse, et aliquando debere, ut ipse Pontifex *in cap.* 5. *in fin. de renunc.* non diffitetur; Hinc est, quod multi post Glossam in *cap.* 13. *de elect.* excogitarunt tres species negativae, *juris, facti, et qualitatis*; negativam *juris* probari posse, et debere censent, ut si quis impugnet testamentum, quod rite haud sit conditum; idem affirmant de negativa *qualitatis*, quando scilicet negatur qualitas inesse, quae communiter, et regulariter inesse solet; circa vero negativam *facti*, distinguunt, utrum sit *facti definiti*, an *indefiniti*; hanc probari directo posse negant, illius autem probationem saltem per indirectum admittunt. Hoc etiam concedunt, si negativa praegnans est, quae propositionem affirmantem implicite in se contineat. Vide Granatien. *in c.* 11. *n.* 3. *de Probationib.* Wiestner *in Decretal. lib.* 2. *tit.* 19. *n.* 11. *et seq.* Alia via processit Herculanus *in tract. de proband. negat.* Primo enim Regulam praemittit: *negativam ab eo probandam esse*, *qui in ipsa se fundat*, at *n.* 27. *et seq.* plures subdit limitationes, quae fere destruunt Regulam. 74 75 76 77 78 79

Ostendit vero et quidem solidissime Coccejus in dissertatione *de directa probatione negativae*, negativam non tantum directo probari posse, sed etiam probari debere ab eo, qui in ea se fundat, sive is sit Actor, sive sit Reus: ut non sit necesse ad distinctiones illas confugere, quas mox attulimus. Consule etiam Zoes. *in tract. de Except. non numerat. pecun. thes.* 4. §. 12. 80

Patet autem hinc male ex sententia illa, quae negativam haud probari posse tenebat, olim non fuisse admissas *positiones negativas*, vitiosos fuisse reputatos *articulos negativos*, et non probandos esse ab eo, qui Judici ipsos offert. 81

De collisione probationum, materia in Foro frequentissima, agendum hic quoque esset. Sed ne nimius sim, vide Bobemer. *in Exercit. Pandect. lib.* 22. *Pandect. tit.* 3. *exercit.* 65. 82

PROCESSIONES

SUMMARIUM

1. Processiones unde dicantur? — 2. Processiones dicuntur Chori ambulantes. — 3. Processiones semper fuerunt in usu in Ecclesie etiam e primordiis illias. — 4. Processiones publicas indicere, dirigere, et ordinere spectat ad Episcopom privetive quoad alios. — 5. Et hoc non obstante, quod Capitulam, vel alii sint per longam tempus in possessione indicendi peblicas processiones, vel praescribendi modem, quomodo, et quo sint dirigendae. — 6. Et non obstente etiam immemorabili consuetudine. — 7. Requiritur tamen ed id consilium, non eutem consensus Capituli. — 8. Ita ut Episcopus solus sine consilio Capituli eas indicere, et dirigere minime veleat. — 9. Processionis hore indicenda est arbitrio Episcopi, cui Magistratus, et omnes debent obedire. — 10. Processiones ex devotione populi, et Confratrum introdectae, possunt es caussa ab Episcopo prohiberi. — 11. Quamvis processiones colitae privatae, quae fiant e Parochis in Parochia, et e Capitulo in Cathedrali, fiant sine licentia Episcopi, edhuc tamen, si transferantur, exigitur Episcopi approbatio Nec ipse Parochus sine licentia Episcopi potest processiones extraordinarias facere. — 12. Processiones publicas indicere, et dirigere, absente Episcopo, spectat ad Vicariam Generalem cum consilio Capituli. — 13. Processionibus generalibus indictis pro causa, bono, vel honore publico, tam Clerici saeculares Beneficia, vel Officia Ecclesiastica habentes, quam Regulares invitati, omnes interesse tenentur, et adesse compellantur Juris remediis. — 14. Processiones, ad quas accedere tenentur Regulares, assignanter. — 15 Processiones, quae referuntur ad caussam, bonum, et honorem publicum, demonstrantur. — 16 Istae processiones ad effectum obligendi Regulares ad interessendem, non sunt renovandae annuatim, et perpetuandae, nisi nove motiva, et novae causae concurrant. — 17 Nec possant Episcopi obligare Regulares ad interessendum cum Clero saeculari processioni indictae occasione suae primae Visitationis. — 18. Nec possunt Episcopi cogere ad interessendum processionibus publicis Regulares distantes e Civitate, vel Oppido per dimidium milliare. — 19. Ubi tamen viget contraria consuetudo, est servanda. — 20. Regulares ad processiones, ad quas tenentur accedere, sufficit, quod invitentur per Edictum; Ubi autem adesset legitima praxis in contrarium, esset servande. — 21. Regulares non debent accedere ad processiones publicas cum Cruce, et numero duorum tantom Religiosoram. — 22. Neque etiam Laici deferentes Crucem in processionibus, vel candelabra, debent uti Alba, seu Dalmatica, vel Pluviali. — 23 Regulares in processionibus deferre non debent Galerum, sive Pileum, non obstante praetenso solito, et contumaces cogi possunt ad deponendum etiam censuris. — 24. Crux in processionibus deferenda est a Regularibus cum velo pendente, seu pallio. — 25 Regulares accedentes ad publicas processiones non debent, processione terminata, statim e loco recedere, sed tenentur ibi precibus, seu Benedictionibus assistere usque in finem. — 26. Regulares in processionibus, quas ipsi faciant extra claustra, egent licentia Episcopi, vel respectivi Parochi, non obstante quacumque consuetudine in contrarium; nisi pro aliquibus Processionibus habeant speciale Privilegiam. — 27 Episcopi autem, et Parochi non debent denegare talem licentiam Regularibus. — 28. Regulares omnes nulla indigent licentia, nec Episcoporum, nec Parochorum pro faciendis processionibus SS. Sacramenti in quacumque die infra Octavam Corporis Christi. — 29. Et quidem eadem die possunt plures fieri processiones a diversis Regularibus, dummodo fiant distinctis horis. — 30. Et sic expresse fuit resolutum etiam novissime a S. C. Episcop. et Regul. cum praeciso Rescripto: *Affirmative: Dummodo fiant Processiones distinctis horis.* — 31. Item speciale Privilegium habet Praestantissima Praedicatorum Religio pro facienda sine praedicta licentia processione SS. Rosarii. — 32 Regulares, qui gaudent speciali privilegio faciendi dictas processiones extra claustra sine licentia, tenentur incedere per viam semel electam. — 33. Regulares possunt in suis processionibus uti Pluviali. Nec talis usus est signum, seu testimonium Jurisdictionis in utente Sacerdote. — 34. Regulares in suis processionibus non possunt, nec debent ducere puellas habitu fictitio Angelorum, neque Bizzocheras — 35. Regulares non possunt processiones in Monialium Ecclesias quamvis eorum regimini subjectarum inferre, et introducere, licet adesset consuetudo. — 36 Intra clausuram Monialium fieri non debent ab exterie processiones, neque cum Sanctissimo Sacramento. — 37. Imaginem B V. cum Baldachino, et intortitiis in processione deferri non est prohibendum. — 38. Idem dicendum est de Imaginibus, sive statuis Sanct. — 39. Regularibus paratis, et deferentibus in processione Reliquias, debetur praecedentia (non tamen caeteris non paratis) supra Clerum saecularem. — 40 Quomodo regulanda sit praecedentia Regularium inter se, et inter alios in processiones? *remissive* — 41. Processio SS. Sacramenti inchoari non debet ab Ecclesia inferiori, non attenta immemorabili consuetudine. — 42. Item processio SS. Sacramenti terminari debet in illa Ecclesia, a qua incoepit — 43. Processio Ss. Corporis Christi cur Sede plena fiat in Ecclesia Vaticana, et Sede vacante in Ecclesia S. Joannis Lateranensis? — 44. Processiones in Festo Corporis Christi facere non licet aliis Ecclesiis, sed soli Episcopo, seu Ecclesiae Cathedrali — 45. Processio SS. Sacramenti in ejus Festo debet inchoari e Cathedrali, et in ea terminari. — 46. In Festo Corporis Christi non est deferenda in processione Eucharistia Sacerdotum humeris, sed celebrantis manibus. — 47. In Festo Corporis Christi Eucharistia non est deferenda per vias Hebraeorum. — 48. In Festo Corporis Christi debet deferri Eucharistia a Celebrante, et in Vesperis diei octavae, si fiat processio, debet deferri ab eo, qui cantavit Vesperas, modo saltem sit Canonicus in Collegiata — 49. Non convenit, quod prima Dignitas celebret Missam ante processionem SS. Sacramenti, et deinde altera Dignitas minor gestet illud in processione. — 50. Si Episcopus in Festo Corporis Christi non deferat Eucharistiam, Canonici tamen debent induere sacras Vestes. — 51. Canonici Ecclesiae Collegiatae non debent in processionibus incedere parati sicut Canonici Cathedralis — 52. In Festo Corporis Christi non sunt canendae cantiones vulgari sermone. — 53. In Festo Corporis Christi non est facienda processio sine Pluviali — 54. In processionibus, quae fiant cum Ss. Sacramento, qui incedunt ante illud, in occursu, et transitu a latere ejusdem debent facere genuflexionem, dummodo illud videant. — 55. In processione solemni Corporis Christi, quando processio sistit, Sacerdos celebrans, Subdiaconus, et Diaconus non debent sedere, neque in scamno, neque in sedibus. — 56 In processione, in qua defertur Ss. Sacramentum, vel Lignum Ss. Crucis, tam Clerici saeculares, quam Regulares, omnesque Laici incedere debent detecto capite; In aliis vero processionibus Clerici deferentes Reliquias, et omnes saeculares comitantes incedere debent detecto capite, alii vero Clerici tecto capite cum bireto. — 57. Episcopus vero deferens Reliquiam Ss. Crucis in Pontificalibus poterit incedere cum Mitra. — 58. Occurrente Festo S. Antonii de Padua in Dominica infra Octavam Corporis Christi,

quamvis PP. Dominicani in dicta die peragant processionem Ss. Sacramenti; Nihilominus potest a Franciscanis fieri processio de dicto Sancto; Dummodo fiat diversa hora, et data praelatione temporis PP. Dominicanis de mane, vel de vespere. — 59. In processionibus non sunt deferendae Reliquiae Beatorum. — 60. Abusus antiqui in processionibus tollendi sunt cum magna cautela, ne majora scandala sequantur. — 61. Canonici in processione intra Ecclesiam debent incedere capite detecto, et extra eam cum bireto in capite. — 62. Dum fiunt processiones intra Ecclesiam sine Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem Ss Sacramenti in Missa privata; Quod si pulsetur, et advertatur elevatio, tunc genuflectendum est utroque genu a transeuntibus ante Altare, ubi Missa celebratur, et deposito SS. Sacramento progrediendum. — 63. Processiones facere de nocte cum SS. Sacramento feria quinta, et sexta majoris hebdomadae non convenit, et repugnat Mysteriis Ecclesiae, et est abusus omnino tollendus. — 64. Processiones, ut de nocte fieri possint feria sexta majoris hebdomadae, arbitrio Episcopi conceditur. — 65. Si autem aliqua processio fiat de nocte, non debet inferri in Ecclesiis Monialium. — 66. Patres Capuccini non possunt retinere, et processionaliter deferre Imagines S. Antonii, et S. Francisci cum inscriptione, quod dictus habitus Capuccini sit verior forma habitus ipsius S. Francisci, sed moniti debent illam delere, et cancellare. — 67. Episcopus potest cogere Clericos Beneficiatos ad interessendum processionibus publicis. — 68. Item processionibus publicis interesse etiam tenentur Clerici saeculares alicujus Ecclesiae, quamvis in fundatione illius exempti sint a Jurisdictione Ordinarii intra cujus Dioecesim existunt. — 69. Item processionibus publicis interesse cogi possunt Sacerdotes inservientes Ecclesiis Religionis Hierosolymitanae. — 70. Non sunt tamen ab Episcopo compellendi interesse processionibus publicis Sacerdotes nullum Officium, aut Beneficium Ecclesiasticum in Civitate, vel Dioecesi obtinentes. — 71. Processiones publicas comitari cogere non potest Episcopus Clericos, qui sunt nullius Dioecesis. — 72. Processionibus publicis ab Episcopo cogendi non sunt interesse degentes extra Civitatem in locis, in quibus habent plebem. — 73. Processionibus publicis cogi non possunt interesse Clerici Regulares Societatis Jesu. — 74. Processionibus publicis interesse cogi non possunt Clerici Regulares Congregationis S. Pauli Decollati. — 75. Item nec Clerici Regulares Matris Dei Scholarum piarum. — 76. Item nec Canonici Regulares Congregationis Lateranensis ultra solitum. — 77. Item nec Monachi Casinenses, nisi ad processionem SS. Sacramenti. — 78. Item nec Monachi Olivetani. — 79. Item nec Monachi S. Hieronymi. — 80. Item nec Monachi Sanctissimae Trinitatis Caveo. — 81. Item nec Carmelitae Discalceati, ac plures alii Regulares. — 82. Episcopus cogere non potest Canonicos ad interessendum processioni, quae fit in tertia Dominica Mensis. — 83. Processiones fieri possunt a Canonicis Cathedralis, etiam per limites Parochiarum sine licentia Curati. — 84. Episcopus sub poenis compellere potest Confratres, ut conveniant solitis processionibus. — 85. Processiones debent fieri ordinatim, et successive absque aliqua divisione, tam quando incedunt, quam quando stant. — 86. Edictum Episcopi prohibens explodi tormenta bellica per vias, dum fiebant processiones, sustinetur. E contra Edictum Curiae Laicae permissivum post peractam processionem refellitur, prout de Jure. — 87. Si ratione alicujus solemnis processionis omnes Religiosi egrediantur e Monasteria, nequeunt Foeminae tunc ingredi clausuram dicti Conventus. — 88. Alia ad rem, *remissive* — 89. Quid amplius notandum in hac materia, *ad num.* 101.

1 Processiones a procedendo, et eundo dicuntur (*): nam convocato, et procedente Clero cum Crucibus, Vexillis, et Cereis, ac sequente populo fiunt. Ita Petrus Gregor. *lib.* 1. *partition. Juris Canonici tit.* 20. *cap.* 4. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 78. *n.*
2 1. et alii. Unde Processiones dicuntur Chori ambulantes, ut ex aliis notat Ursaya *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 26. *n.* 38. *vers. Quin obstet*, *et tom.* 2. *part.* 2. *disceptat.* 23. *n.* 50.

3 Processiones semper fuerunt in usu in Ecclesia, etiam a primordiis illius: Card. Baronius *in notis ad Martyr. Roman.* 7. *Kalendas Maii*, Durand. *de Ritibus Eccles. lib.* 2. *cap.* 10. Rota Recent. *part.* 17. *decis.* 87. *nu.* 13 Fuerunt enim adumbratae etiam in veteri Testamento, *Esdrae cap.* 12. ubi habetur, quod, instaurata Jerosolyma post captivitatem Babilonicam, indicta fuit solemnis Processio cum interventu Sacerdotum, Levitarum, et populi ad reddendas in gratiarum actionem pro tanto beneficio cum Choris canentium debitas Deo laudes. *Josue* 6. refertur quod in obsidione Civitatis Jericho celebrata fuit, Dei monitu, veluti quaedam Processio circumeundo per septem dies dictam Civitatem cum delatione Arcae foederis omnes Sacerdotes, Levitas, Milites, ac reliquum populum buccinis clangentes, ac concrepantes. 2. *Reg.* 6. *et* 3. *Reg.* 9. etiam innuuntur quaedam nostrarum Processionum figurae occasione translationis Arcae foederis ex uno in alium locum indictae a David, et Salomone. In novo autem Testamento coeptas quodammodo fuisse a Christo Domino Processiones habetur *Matthaei* 21. ubi ipse ascensurus in Jerusalem ad perficienda Mysteria nostrae Redemptionis veluti processionaliter solemni ritu voluit ingredi in Sanctam Civitatem, turbis praecedentibus, ac sequentibus, clamantibusque, *Hosanna Filio David, Benedictus, qui venit in nomine Domini*; a qua originem desumpsisse nostras Processiones certius tenent Gavantus, et Merati *p.* 1. *tit.* 19. *litt. E.* ubi sic expresse habent: *cujus*, idest Processionis, *origo an a Purificatione B. M. Virginis cum Josepho, Simeone, et Anna*; *Vel certius ex Historia Evangelica a turbis in die Palmarum etc.* Hinc patet, usum Sacrarum Processionum esse antiquissimum, et post promulgationem Evangelii dicendum est, manasse ex doctrina, et traditione Apostolica. Et quamvis tempore Apostolorum ob saevitiem persecutionum non potuerint, sicuti nunc, palam, et publice fieri, credibile tamen est, etiam a primordiis Ecclesiae celebratas fuisse Sacras Processiones in cryptis, et

(*) De hujus nominis etymo, variaque significatione nonnulla attigit Zaccharia in *Onomastico Rituali T. II. pag.* 106.

speluncis ad memorias Martyrum ibi quiescentium. Et tandem cessata saevitie persecutionum tempore Constantini Magni Imperatoris, et S. Silvestri Papae, juxta doctrinam, et traditionem Apostolicam tempore opportuno exequendam, statim coepit frequens usus publicarum Processionum, cum interventu utriusque Cleri, et populi, ut variis adductis exemplis referunt Baronius, *tom.* 5. *Annalium, et in annotationibus ad Martyrologium Romanum sub die* 25. *Aprilis*, Gulielmus Durandus *in suo Rationali lib.* 4. *cap.* 6. Stephanus Durandus *de Ritibus Eccles. lib.* 2. *cap.* 10. et alii. Et sic tenent expresse Gretserus, *de Sacris Processionibus lib.* 1. *cap.* 1 Quarti *de Processionibus in genere, sect. punct.* 3. et alii (*).

4 Processiones publicas indicere, dirigere, et ordinare spectat ad Episcopum privative quoad alios. Sic saepius decrevit *Sacra Congregatio Rituum*. et signanter *in Trullen.* 17 *Decembris* 1602. *in Elbor.* 14. *Januarii* 1617. *et* 28. *Martii* 1628. *et in*
5 *Squillacen. Processionum* 9. *Maii* 1693. Et hoc, non obstante, quod Capitulum, vel alii sint per longum tempus in possessione indicendi pubblicas Processiones, vel praescribendi quomodo, et quo sint dirigendae: *Sacr. Congreg. Concil. sub die* 16.
6 *Februarii* 1619. Et non obstante etiam immemorabili consuetudine; *Sacra Congreg. Rit. in Camerinensi* 24. *Augusti* 1619.

7 Requiritur tamen ad id consilium, non autem consensus Capituli: *Sacr. Congreg. Rit. in Elboren.* 28 *Martii* 1628. Et expresse quod consilium requiratur, declaravit *Sac. Cong. Conc. in Comensi* 7. *Februar.* 1632.

8 Ita ut Episcopus solus sine consilio Capituli eas indicere, et dirigere minime valeat, ut decisum fuisse ab eadem Sacra Congregatione referunt Francisc. Leo *in Thesauro Fori Ecclesiastic. part.* 4. *cap.* 2 *num.* 145. Armendar, *in addit. ad compil. legum Navarrae l.* 2. *tit.* 14. §. 1. *de processionib. num.* 4. Aloysius Ricc. *Neapolit. decis. p.* 4. *decis.* 379. *num.* 4. Valenzuel. *consil.* 184. *n.* 23. *volum.* 1. *et num.* 31. *et* 32. Barbos. *supra Conc. Trident. sess.* 25. *de Regul. cap.* 13 *n.* 41 *et part.* 3. *de Offic. et potest. Episc. allegat.* 78. *n.* 4. *et in Summ. Apostol. decis. verb. Processio num.* 3.

9. Processionis hora indicenda est arbitrio Episcopi, cui Magistratus, et omnes debent obedire: *Sacra Congregatio Rituum in Urbevetana* 17. *Junii* 1606. apud Barbos. *in Summ. Apostolic. dec. verb. Processio num* 9.

10 Processiones ex devotione populi, et Confratrum introductae possunt ex causa ab Episcopo prohiberi: *Sac. Cong. Rit. in Elbor.* 14. *Januar.* 1617. apud Barbos. *loc. cit. n.* 10.

11 Quamvis Processiones solitae privatae, quae fiunt a Parochis in Parochia, et a Capitulo in Cathedrali, fiant sine licentia Episcopi, adhuc tamen si transferantur, exigitur Episcopi approbatio, ut, partibus informantibus, fuit decisum *a Sacra Congreg. Rituum in Hispalen.* 3. *Septemb.* 1595. *et* 21. *Jul.* 1696. *et in Asten.* 31. *Januar. ejusdem anni* apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 5. *form.* 7. *n.* 22. Nec ipse Parochus sine licentia Episcopi potest Processiones extraordinarias facere: *Sac. Congreg. Conc.* 13. *Jul.* 1636. in qua fuit dictum, non sufficere licentiam Vicarii Foranei.

Processiones publicas indicere, et dirigere, ab- 12
sente Episcopo, spectat ad Vicarium Generalem cum consilio Capituli, prout posset Episcopus, si praesens esset: *Sacra Congreg. Rit. in Vigilien.* 28. *Septembr.* 1630. *in Bituntina* 3. *Aprilis* 1632. *et in Cassan.* 3. *Martii* 1633. apud Barbos. *in Summa Apostolicar. decis. loc. cit. num.* 7. *et* 8. *super Concilium Tridentinum loc. citat. num.* 42. *et citat. alleg.* 78. *num.* 5.

Processionibus generalibus indictis pro causa, 13
bono, vel honore publico, tam Clerici saeculares Beneficia, vel Officia Ecclesiastica habentes, quam Regulares invitati, omnes interesse tenentur, et adesse compelluntur Juris remediis, juxta dispositionem Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 13. *de regular. Sacr. Congreg. Episcop. in Cajetana* 25. *Octobris* 1602. confirmat. 7. *April.* 1690. et novissime *Sacr. Cong. Conc. in Neapolitana processionum* 3. *Augusti* 1709. *et in alia Neapolitana processionis* 11. *Novembr.* 1724. ubi fuit resolutum, quod ad Processiones generales tenentur accedere exempti, et illis recusantes intervenire, excommunicationis poena puniri possunt, teste Ursaya in *Miscellaneo sacro, et profano* 1 *l. P. n.* 32.

Tales autem Processiones, ad quas tenentur ac- 14
cedere Regulares, sunt solum illae, de quibus fuit dispositum in Congregatione particulari de ordine Urbani VIII. celebrata *sub die* 27 *Julii* 1628. *et* 21. *Augusti*, *ac* 19 *Septembr. ejusdem anni* apud Pignat. *t.* 1. *consult.* 122. ut infra: «Auditis Procuratoribus Ordinum, negotioque mature discusso, unanimiter censuerunt, posse Episcopos poenis sibi benevisis compellere quoscumque Regulares recusantes, etiamsi Monachos, et quomodolibet exemptos, ad infrascriptas processiones accedere, atque illis interesse, exceptis dumtaxat in strictiori clausura viventibus, et Monasteriis ultra medium milliare a Civitate distantibus, nempe in die Festo SS. Corporis Christi, in Litaniis majoribus, in Rogationibus, ac in quibuscumque aliis publicis, et consuetis, vel pro bono, causa, aut honore publico, ab Episcopis indictis processionibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis, consuetudinibus, vel praescriptionibus etiam immemorabilibus, privi-

(*) Quos inter nominandi Nicolaus Serarius, cujus *de Sacris Ecclesiae Catholicae Processionibus* libri duo ann. 1607. Coloniae prodierunt, Nicolaus Sanderus in auctariolo ad Serarium, Gretserumque *de ritu Catholicarum Processionum* Ipris 1640., Christianus Lupus dissertatione IX *de Sacris Processionibus*, Bruxellis 1690. et Valar in Gallico Libro *des Processiones* de l'Eglise, de leurs antiquites, utilites etc. Parisiis 1705.

» legis tantum Apostolicis S. Conc. Tridentini » posterioribus contrarium desuper disponentibus » minime sublatis ».

15 Processiones vero, quae referuntur ad causam, bonum, et bonorem publicum, sunt illae quae fiunt, et indicuntur pro gratiarum actione de re gravi, pro pace inter Catholicos Principes, vel victoria impetranda contra infideles, pro electione Romani Pontificis, pro lucrando Jubilaeo, pro placando Deo occasione pestis, famis, belli, sterilitatis, terraemotus, et similium, ut tradunt Pax Jordan. *Lucubrat. tom.* 2 *lib.* 11. *tit.* 2. *num.* 4. Passerin. *de statibus homin. tom.* 3. *quaest.* 189. *num.* 996. et alii passim.

16 Istae tamen Processiones ad effectum obligandi Regulares ad interessendum, non sunt renovandae annuatim, et perpetuandae, nisi motiva, et novae causae concurrant. Sic censuit *Sacr. Congr. Rit. in Bitecten.* 19. *Januar.* 1697. *ad relationem Cardinal. Petrucci*, in qua declaratum fuit *Edictum Episcopi* (quo adstringebantur Regulares sub poena suspensionis, et Interdicti Ecclesiae ipso facto incurrenda ad interessendum Processioni indictae pro obtinenda liberatione a terraemotu semel jam factae anno praecedenti, et postea renovatae) *non sustineri cum omnibus inde secutis*. Sic refert Monacell. *tom.* 1. *tit.* 5. *formul.* 7. *num.* 25.

17 Nec possunt Episcopi obligare Regulares ad interessendum cum Clero saeculari Processioni indictae occasione suae primae Visitationis, ut expresse censuit *Sacra Cong. Concilii in Anagnina processionis* 9. *Decembr.* 1662. Decreto ut infra.

In Anagnina Processionis.

Occasione suae primae Visitationis, primique ingressus in Terram Carpineti Dominus Episcopus Anagninus Plenariam Indulgentiam ex auctoritate S. D. N. publicare intendens, Edictum tenoris sequentis promulgavit. Omissis etc.

Di qui è, che abbiamo risoluto di fare una pubblica generale, e generalissima Processione per solennizzare con la dovuta decenza dette Sacre azioni per eccitamento maggiore de' Fedeli alla divozione, e pietà; che perciò invitiamo tutto il popolo, comandando a detto effetto a tutti gli Ecclesiastici, così Secolari, come Regolari di detta Terra, che debbano intervenirvi personalmente, sotto pena a detti Ecclesiastici di Scommunica latae sententiae da incorrersi ipso tunc, che non saranno intervenuti, ed altre pene a nostro arbitrio etc.

Conqueruntur Fratres Ordinis strictioris Observantiae, se immerito, atque injuste compelli ad hujusmodi Processionem; E contra vero conqueritur D. Episcopus, dictos Fratres praefatum Edictum non sine populi scandalo contemnentes dictae Processioni non interfuisse, et non obstantibus Censuris ob eorum contumaciam ipso facto incursis, a celebratione Divinorum Officiorum non abstinuisse; Quare praesuppositis iis, quae ab utraque parte informante deducuntur;

Quaeritur, an dicti Fratres potuerint ad praenominatam Processionem ab Episcopo compelli.

Die 9. Decembris 1662.

Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit non potuisse.

F. EPISC. SABINEN. CARD. SACCHETTUS.

Nec possunt Episcopi cogere ad interessendum Processionibus publicis Regulares, qui distant a Civitate, vel Oppido per dimidium milliare; Sic decisum fuisse a *Sacra Congr. Concil.* referunt Piasec. Armendar. Lezana, Idelphons. a Jesu Maria apud Barbos. *in Summa Apostolic. decis. Collectan.* 607. *num.* 17. *et de Offic. et potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 78. *num.* 21. et expresse patet etiam in Decreto allato *supra num.* 14. 18

Ubi tamen viget consuetudo, quod Regulares, vel etiam Confraternitates Laicorum, non obstante distantia unius milliarii, conveniant ad Processiones, est servanda, et convenire tenentur; Passerin. *de stat. homin. tom.* 3. *qu.* 189. *art.* 10. *inspect.* 10. *num.* 100. Monacell. *loc. cit. num.* 30. et novissime censuit *Sacra Congreg. Rit. in Nucerina Paganorum* 12. *Sept.* 1699. *ad relationem Card. Francisci Barberini.* 19

Regulares ad Processiones, ad quas tenentur accedere, sufficit quod invitentur per Edictum: Monacell. *tom.* 1. *tit.* 5. *formul.* 7. *num* 23. *et tom.* 3. *tit.* 3. *formul.* 6. *num.* 3. ubi tradit formulam Edicti, et docet quomodo Regulares, et exempli sint in Edicto invitandi, et monendi; Et sic multis in locis servat praxis; Ubi autem adesset legitima praxis in contrarium, esset servanda, *arg. cap. Cum tanto* 11. *de consuetud.* cum similibus. 20

Regulares non debent accedere ad Processiones publicas cum Cruce, et numero duorum tantum Religiosorum: *Sac. Congr. Concil. in Aquen.* 9. *Jun.* 1708. *in responsion. ad* 2. Neque eorum Laici deferentes Crucem in Processionibus, vel Candelabra debent uti Alba, vel Dalmatica, seu Pluviali, ut respondit *Sacra Congreg. Rit. in Caesenat. ad* 6. et quod talis usus non sit permittendus, declaraverat 10. *Maii* 1659. apud Monac. *t.* 4. *supplem. ad* 1. *tom. n.* 78. 21 22

Regulares in Processionibus deferre non debent Galerum, sive Pileum, non obstante praetenso solito: *Sac. Congr. Rit.* 30. *Augusti* 1664. cum facultate data Episcopis illos cogendi ad deponendum etiam Censuris; Quod Decretum eadem Congregatio innovavit, et servari mandavit in *Aquipendii* 26. *Aprii.* 1662. contra PP. Augustinianos, et Minores Conventuales. 23

24 Crux in Processionibus deferenda est a Regularibus cum velo pendente, seu pallio: *Sac. Congr. Rit.* 14. *Januarii* 1617.

25 Regulares accedentes ad publicas Processiones, non debent, Processione terminata, statim a loco recedere, sed tenentur tam in accessu, quam in reditu Ecclesiam ex qua, et in qua functio incipit, vel terminatur, ingredi, ibique precibus, seu Benedictioni assistere usque in finem. Sic decrevit *Sacr. Congr. Rit. in Siracusana* 6. *Sept.* 1636. *et in Pisaurensi* 7. *Mart.* 1648. apud Pignat. *tom.* 3. *consult.* 46. *a n.* 32. ubi docet id haberi etiam *ex Rituali Romano tit. de Procession. Corporis Christi, et ex Ceremoniali Episcop. lib.* 2. *cap.* 32. *et seq. et ex Decreto Sacrae Congregationis Episcop. et Regular.*

26 Regulares in Processionibus, quas ipsi faciunt extra Claustra, egent licentia Episcopi, vel respectivi Parochi, non obstante quacumque consuetudine in contrarium; Nisi pro aliquibus Processionibus habeant speciale Privilegium; Sic pluries decrevisse Sacram Congreg. Concilii, et Rituum referunt Riccius, Lauret. de Franch. Donat. Ventriglia, Romaguerra apud Monacell. *t.* 1. *tit.* 5. *formul.* 7. *n.* 26.

27 Episcopi autem, et Parochi non debent denegare talem licentiam Regularibus, alioquin si denegetur, recurritur ad Sedem Apostolicam, a qua vel rescribitur Episcopo, ut licentiam concedat, pro ut rescripsit *Sacr. Cong. Episcop. in Papien.* 11. *Maii* 1696. Vel *servetur solitum*, ut *ab eadem Sacra Congr. Episc. fuit rescriptum in Savon.* 4. *Septemb.* 1693. *et a Sacr. Cong. Rit. in Ferentina* 21. *Nov.* 1696. Et a *Sacr. Cong. Concilii in Aquen.* 6. *Junii* 1708. *ad* 7. *Dubium*, ibi: « An Patribus Carmelitis *loci Incisae* liceat extra propria claustra, et districtum, per loca consueta facere Processionem B. M. V. de Monte Carmelo, occasione suae Festivitatis, petita tamen licentia a Parocho, licet non obtenta »? Respondit, *Affirmative*. Et *die* 27. *Aprilis* 1709. reclamante Parocho, stetit *in decisis*.

28 Notanter autem *supra n.* 26. fuit dictum: « Nisi pro aliquibus Processionibus habeant speciale Privilegium »; quia pro ipsis nulla indigent licentia, nec Episcoporum, nec Parochorum, ut pro faciendis Processionibus Sanctissimi Sacramenti in quacumque die infra Octavam Corporis Christi habent Regulares omnes Privilegium cum amplissimis derogatoriis sibi concessum a Gregorio XIII. Constitutione 10. incipiente *Cum interdum*, *Tom.* 12. Bull. in cujus §. 2. sic expresse habetur: « Universis, et singulis Clero, et Clericis, ac personis Ecclesiasticis, tam Saecularibus, quam Ordinum, Religionum, ac Militiarum Regularibus, ac etiam etc. liceat ipsis, tam die ipsa Dominica infra Octavam Corporis Christi, quam aliis totius Octavae praedictae diebus, Processiones suas celebrare etc. Nec super eo tam ab Ordinis Praedicatorum hujusmodi, quam aliis quibuscumque personis etc. quomodolibet molestari, inquietari, vel perturbari, etc. tenore praesentium concedimus, et permittimus »; Quam late examinat, et propugnat D. Ursaya *tom.* 2. *part.* 1. *discept.* 4. in cujus Sommario, seu argumento sic expresse habet: « Vigore Constitutionis 10, Sanctae memoriae Gregorii XIII. absque ulla Ordinariorum, vel Parochorum licentia possunt omnes, tam de Clero Saeculari, quam Regulari etiam extra eorum claustra facere processiones in die Octavae SS. Corporis Christi, et in aliis diebus ejusdem Festivitatis ». Et pluries id novissime statuit *Sacra Congregatio Episcoporum, et Regular.* et signanter in *Tricaricen. Processionis* 18. *Aprilis* 1714. *et* 4. *Martii* 1717. *et in Potentina Processionis* 13. *Martii* 1718.

Et quidem eadem die possunt plures fieri Processiones a diversis Regularibus; Dummodo fiant distinctis horis, pro ut Innocentius XI. disposuit in causa vertente inter Fratres Ordin. Minor. et PP. Ordin. Praedicat. in Indiis Constit. incip. *Sua Nobis*, in qua sic expresse habetur: 29

« Cum Sacra Rituum Congreg. sub die decima » Mensis Februarii de Anno Domini, millesimo » sexcentesimo quinto decrevisset, competere PP. » Dominicanis Jus peragendi processionem Sanctissimi Corporis Christi Dominica infra Octavam » illius, privative ad PP. Minores de Observantia, » et signanter in Civitate Quiten. ita tamen, ut » liceret eisdem PP. Minoribus eadem die Dominica infra Octavam facere processiones intra Claustra eorum Conventus.

« Pro parte eorumdem PP. Dominicanorum Provinciae Quiten. habitus recursus ad Sanctae Memoriae Innocentium Papam XI. praedecessorem » nostrum ad obtinendam specificam confirmationem praememorati Decreti, quam eis idem Innocentius Praedecessor benigne impertitus est » per Litteras in forma Brevis incipientes *Emanavit*, sub die vigesima sexta Martii ejusdem » anni millesimi sexcentesimi octuagesimi quinti » expeditas.

« Verum causa hujusmodi, cum Juribus ex tunc » ad Urbem pro Patribus Franciscanis allatis, iterum coram eadem Sacra Congreg. ad plenum discussa, ipsamet Congregatio Decretum edidit, » quo praescripsit, quid tandem observandum sit » ab utraque parte circa praedictam processionem, » tenoris sequentis, videlicet: In causa Quiten. » inter PP. Ordinis Minorum Familiae Ultramontanae, Conventus Civitatis Quiten. ex una, et » PP. Dominicanos ejusdem Civitatis ex altera » partibus a dilecto Filio nostro Cardinali Pamphilio reproposita dumtaxat super dubio processionis Sanctissimi Corporis Christi, eadem Sacra Congreg. auditis utriusque partibus, tam in » voce, quam in scriptis informantibus, censuit, » recedendum a decisis, et in casu, de quo agitur, » licere Patribus Franciscanis facere Processionem » die Dominica infra Octavam Sanctissimi Corpo-

» ris Christi: Sed PP. Ordinis Praedicatorum de ma» ne; Patribus vero Minoribus de sero, et ita de» crevit, et servari mandavit die vigesima quarta » Martii, millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti.

« Attamen non acquiescentibus praedictis PP. Ordinis Minor. Familiae Ultramontanae Conventus Quiten. hujusmodi Decreto in ea tantum parte, in qua hora peragendi processionem ipsi praescribitur, repreposito ab eodem Cardinali Pamphilio in Sacra Rituum Congregatione hujusmodi dubio, eadem Congregatio PP. Dominicanis licet citatis non informantibus: In decisis super negotio principali, et licere PP Franciscanis facere Processionem etiam de mane, distinctis tamen horis ab Episcopo praescribendis, censuit, et ita servari mandavit die septima Aprilis millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti ».

« Sed ab hujusmodi Decreto reclamantibus Patrib Dominicanis, proposita iterum causa per praefatum Cardinalem Pamphilium, utraque parte informante, Juribus hinc inde discussis, Sacra Congreg. praedicta rescribendum censuit; In decisis super negotio principali, et licere Patrib. Franciscanis facere Processionem extra claustra per loca solita, etiam de mane, distinctis tamen horis, ab Episcopo praescribendis, et data electione horae Patribus Dominicanis, a qua semel electa, non liceat amplius recedere, et ita decrevit, et servari mandavit die prima Septembris millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti.

« Verum, quia sicut eadem petitio subjungebat, » dicti Patres Franciscani dubitant, ne executio, » et observatio Decreti hujusmodi a dictis Patri» bus Dominicanis forsan impugnari possit, et in » simili eventu idem Decretum suo frustretur ef» fectu; ideo praedictus Frater Nicolaus ad Nos » recurrit humiliter supplicando, quatenus tibi, » ut ad executionem dicti Decreti juxta illius te» norem, et formam procedas, Apostolica aucto» ritate committere, aliasque sibi in praemissis » opportune providere de benignitate Apostolica » dignaremur. Nos igitur statum, et merita caus» sae hujusmodi praesentibus etc. » Deinde committit Episcopo Quitensi, ut contradictores ad exequendum Decretum omnibus Juris remediis, et facti compellat, ut ibi late, *non obstantibus etc. Romae* 5. *Kal. Martii* 1696.

30 Et sic expresse fuit resolutum etiam novissime *a Sacr. Cong. Episcop. et Regul. in Tricaricensi Processionis die* 17. *Aprilis* 1714. *et* 4. *Martii* 1717. cum praeciso Rescripto: *Affirmative, dummodo fiant Processiones distinctis horis.*

31 Item speciale Privilegium habet praestantissima Praedicatorum Religio pro faciendo sine praedicta licentia Processione SS. Rosarii, uti inter alios refert Eminentissimus Card. Petra *tom.* 5. *Commentariorum ad Constit. XVIII. Sixti IV. n.* 13. *et* 15. his verbis: « Adsunt tamen resolutio» nes SS. Congregationum favorabiles dictae Pro» cessioni Rosarii, ut sine licentia aliqua celebre» tur, sed concurrente consuetudine celebrationis, » ut in Baren. *resolvit* Sacra Congreg. Rituum 11. » Martii 1690. et Sacra Congreg. Concilii in Ri» pana Confraternitatis 30. Mart. 1715. in qua » causa aderat consuetudo, ut ad rem fuerunt in» ter alia proposita plura dubia respicientia con» troversias inter Confratres Sanctissimi Rosarii, » Patres Praedicatores, et Episcopum, quae pos» sunt videri in Regesto Congregationis pro op» portunitate, et integrum referendum puto ad » rem infrascriptum dubium VIII. An liceat Fra» tribus sine licentia Episcopi peragere per Civi» tatem Processiones tam in prima Dominica Oc» tobris, quam aliis temporibus, in casu, etc. Sa» cra Congreg. censuit ad VIII. negative, excep» tis Processionibus Sanctissimi Corporis Christi, » et Rosarii in prima Dominica Octobris; Verum » Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIII. » in re edidit novissime Litteras Apostolicas in » forma Brevis sub die 10. Aprilis 1725. anno » primo Pontificatus, in quibus Fratribus Praedi» catoribus indulsit, ut ipsi de cetero processio» nem praefatam Sanctissimi Rosarii, qualibet pri» ma Dominica Mensis Octobris, ingrediendo li» mites cujuscumque Parochiae, Ordinarii licen» tia minime requisita, et absque assistentia Pa» rochi, ac cum omni pompa peragere libere, et » licite possint ».

Regulares, qui gaudent speciali Privilegio fa- 32
ciendi dictas Processiones extra claustra sine ulla licentia, tenentur incedere per viam semel electam: *Sac. Cong. Rit. in Pisauren.* 3. *Novembr.* 1013. *in Materan.* 15. *Maii* 1632. *in Belcastren.* 28. *April.* 1690. *ad relat. Cardin. Petrucci, et in Quiten. Processionis* 1. *Septembris* 1696. *referente Card. Pamphilio.*

Regulares possunt in suis Processionibus uti 33
Pluviali; Nec talis usus est signum, seu testimonium Jurisdictionis in utente Sacerdote, ut patet ex resolutione, et responsione Sacrae Cong. Rit. ad sequentia dubia,

« Supplicante humiliter P. Procuratore Generali Ordinis Minorum Observantium S. Francisci a Sacra Rituum Congregatione declarari infrascripta dubia ».

« Primum. An Guardiani Ordinis Minorum Observ. S. Francisci Provinciarum Regni Neapolis, obtenta ab Ordinariis locorum oretenus, vel in scriptis licentia faciendi solemnes Processiones per Civitates, vel Oppida extra limites Conventuum suae Religionis cum statua, aut Reliquia alicujus Sancti, possint Religiosi sui Ordinis uti pluviali, licet in licentia obtenta non fuerit expressus usus pluvialis » ?

« Secundum, An usus pluvialis in Processionibus solemnibus sit testimonium, et signum Jurisdictionis in utente Sacerdote » ?

Sacra eadem Rituum Congregat. censuit respondendum.

Ad primum Affirmative.

Ad secundum Negative, et ita declaravit, *die* 21. *Martii* 1699.

34 Reguiares in suis Processionibus non possunt, nec debent ducere pueilas habitu fictitio Angeiorum, neque Bizzocheras, ut deciaravit *Sacra Congreg. Episcop. et Regul.* in *Ebredun.* 19. *Januar.* 1691. apud Monac. *t.* 1. *tit.* 5. *formul.* 7. *n.* 33. Et jam decrevurat *in Placentina* 4. *Septemb.* 1602. *et in Mutinen.* 14. *Jun.* 1619. quod in dictis Processionibus, nec intermisceantur pueri, pueilae, vei etiam viri cum extreordinariis habitibus, puta Angelos, vei Doemones referentibus; Pueilae vero neque cum suis vestibus ordinariis, nisi in loco solito aliarum mulierum, cum facuitate Ordinario procedendi contra Regulares cujuscumqun Ordinis tnobedientes, ut *in Cremon.* 6. *Septembr.* 1604. apud Nicol. *in Floscul. verb. Processio n.* 8.

35 Regulares non possunt Processiones in Monialium Ecciesias, quamvis eorum regimini subjectarum, inferre, et introducnre, licet adesset consuetudo: *Sic Sac. Congregat. Episcop. et Regul.* in *una Olivetanorum* 27. *Mart.* 1602. *et in Pisauren.* 24. *Novembr.* 1617. *in una Dominicanorum*, his verbis: « Cum Sacreu Congregationi innotuissut, nonnuilos Ordinis S. Dominici Regulares occasione Processionum per eosdem diebus Dominicis, post Vesperas celebrari solitarum processionaliter in Monialium eorum regimini subjectarum Ecclusiis ingredi consuuvisse, Illustrissimi ejusdem Congregutionis Patres Episcopo Pisauren. Litteras dari mandarunt, ut praefatum abusum omnino tollat, provideatqun, ut praefati Reguiares, quovis praetextu Processionum per ipsos fieri solitarum, in dictarum Moniaiium Ecciesias in posterum nullatenus ingrediantur ».

36 Intra clausuram Monialium fieri non debent ab axteris Processiones, neque cum Sanctissimo Sacramento: *Sacra Congreg. Episcop. et Regul. in Neapolitana* 19. *Januar.* 1596. apud Nicol. *loc. citat. num.* 18.

37 Imaginem Beatissimae Virginis eum Baidachino, ut intortitiis in Processione deferri non est prohibendum: *Sac. Congregat. Episcop. et Regul. in Cremon.* 11. *Mart.* 1579. *in Patavina* 20. *Decemb.* 1609. *et in una Servitarum Perusiae* 20. *Julii* 1621. Modo petetur ab Ordinario iicentia, ut occurri possit abusibus: *Eadem Sacra Congreg. in Taurinen.* 12 *Martii* 1623.

38 Idem dicendum est de imaginibus, sive statuis Sanctorum: *Eadem Sacra Congregatio* 19. *Julii* 1647.

39 Reguiaribus paratis, ut deferentibus in Procussione Reliquias debetur praecedentia (non tamen ceteris non paratis) supra Clerum Saecularem: *Sac. Congregat. Episcop. et Regul. in Juvenac.* 4. *Septembris* 1693.

40 Quomodo reguianda sit praecedentia Reguiarium inter se, et inter alios in Processionibus? Vide verb. *Praecedentia a n.* 44. *ad* 48.

41 Processio SS. Corporis Christi inchoari non debet ab Ecclesia inferiori, non attenta immemorabili consuetudine: *Sac. Congr. Conc. in Sarnen.*
7. *Augusti* 1683. Itom Processio SS. Corporis 42
Christi terminari debet in illa Ecclesia, a qua incoepit: *Sac. Congr. Rit. in Nolana Processionis* 1. *Sept.* 2718. apud Ursayam *tom.* 3, *part.* 1. *disceptat.* 26. *num.* 45. et 46.

Processio SS. Corporis Christi, Sede plena, ob 43
commodum Papae fit in Basilica Vaticana. At, Sede vacante, quia cessat dicta ratio, fit in Ecclesia S. Joannis Lateranensis, ut evenit tempore Sedis vacantis per obitum Alexandri VIII. anno 1691. cum ipsa sit major Ecclesia: Rota *part.* 19. *tom.* 2. *recent. decis.* 479. *num.* 64. Card. Petra *tom.* 4. *Comment. ad Constitut.* 1. *Gregorii XI. num.* 18. *et* 19.

Processiones in Festo Corporis Christi facere 44
non licet aliis Ecclesiis, sed soli Episcopo, seu Ecclesiae Cathedrali: *Sacra Rit. Congregat. in Pisa-*
na 22. *Maii* 1615. Processio Sanctissimi Sacra- 45
menti in ejus Festo debet inchoari a Cathedrali, ut in ea terminari: *Sacr. Rit. Congr. in Tuscan.* 29. *Augusti* 1519.

In Festo Corporis Christi non est deferenda in 46
Processione Eucharistia Sacerdotum humeris, sed Celebrantis manibus: *Sacra Rituum Congregat.* 2. *Jun.* 1618.

In Festo Corporis Christi Eucharistia non est 47
deferenda per vias Hebraeorum: *Sac. Congr. Rit.* 22. *Febr.* 1593.

In Festo Corporis Christi debet deferri Euchari- 48
stia a Celebrante; Et in Vsperis dini Octavae, si fiat Processio, debet deferri ab eo, qui cantavit Vesperas, modo saltem sit Canonicus in Collegiatis: *Sacr. Rit. Congregat.* 12. *Junii* 1637. *et* 23. *Maii* 1709. *in respons. ad* 4. teste Ursaya *tom.* 2. *p.* 1. *num.* 59.

Non convenit, quod prima Dignitas celebret 49
Missam ante Processionem SS. Sacramenti, ut deinde altera Dignitas minor gestet illud in Processione, *Sacra Congregat. Rit.* 31. *Jun.* 1632. *et* 13. *Mart.* 1700. *in respons. ad* 5. test. Ursaya *loc. citat. num.* 60.

Si Episcopus in Festo Corporis Christi non de- 50
ferat Eucharistiam, Canonici tamen debent induere Sacras Vestes: *Sacra Congregat. Rituum* 17. *Mart.* 1628.

Canonici Ecclesiae Collegiatae non debent in 51
Processionibus incedere parati sicut Canonici Cathedralis: *Sac. Rit. Cong.* 17. *Maii* 1607.

In Festo Corporis Christi non sunt canendae 52
cantiones vulgari sermone: *Sac. Rit. Congreg.* 21. *Martii* 1609.

In Festo SS. Corporis Christi non est facienda 53
Processio sine Pluviali: *Sacra Rit. Congr.* 21. *Januar.* 1701.

In Processionibus, quae fiunt cum Sanctissimo 54
Sacramento, qui incedunt ante illud, in occursu, et transitu a latere ejusdem debent facere genuflexionem, dummodo videant praedictum Sanctis-

simum Sacramentum: *Sacr. Rit. Congreg.* 1. *Martii* 1681.

55 In Processione solemni Corporis Christi, quando Processio sistit, Sacerdos celebrans, Subdiaconus, et Diaconus non debent sedere, neque in scamno, neque in Sedibus: *Sacra Congregatio Rituum in Hispalen.* 21. *Januarii* 1690. *in responsione ad* 4.

56 In Processione, in qua defertur SS. Sacramentum, vel Lignum Sanctissimae Crucis, tam Clerici Regulares, quam Saeculares, omnesque Laici incedere debent detecto capite: in aliis vero Processionibus Clerici deferentes Reliquias, et omnes saeculares comitantes incedere debent detecto capite; Alii vero Clerici detecto capite cum bireto: *Sac. Congr. Rit. in Cajetana* 2. *Septembris* 1690.

57 Episcopus vero deferens Reliquiam Ligni Sanctissimae Crucis in Pontificalibus poterit incedere cum Mitra: *Sacra Congregat. Rit. in Maceraten.* 14. *Junii* 1692.

58 Occurrente Festo S. Antonii de Padua in Dominica infra Octavam Corporis Christi, quamvis PP. Dominicani in dicta die peragant Processionem SS. Sacramenti; nihilominus potest a Franciscanis fieri processio de dicto Sancto; dummodo fiat diversa hora, et data praelatione temporis PP. Dominicanis de mane, vel de vespere: *Sacra Congreg. Rit. in Placentina* 30. *April.* 1701. *et in Aliphana* 18. *Mart.* 1702.

59 In Processionibus non sunt deferendae Reliquiae Beatorum: *Sacra Rituum Congregat.* 27. *Septembris* 1659.

60 Abusus antiqui in Processionibus tollendi sunt cum magna cautela, ne majora scandala sequantur: *Sac. Cong. Rit.* 13. *Maii* 1603.

61 Canonici in Processione intra Ecclesiam debent incedere capite detecto, et extra eam cum bireto in capite: *Sacra Rituum Congregat.* 30. *Martii* 1633.

62 In Processionibus Candelarum, Palmarum, et similium, quae fiunt intra Ecclesiam sine Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem SS. Corporis Christi in Missa privata; Quod si pulsetur, et advertatur elevatio, tunc genuflectendum est utroque genu a transeuntibus ante Altare, ubi Missa celebratur, et deposito SS. Sacramento, progrediendum; Similiter si aliqui transeant in elevatione Calicis: *Sac. Rit. Congregat.* 1. *Mart.* 1681.

63 Processiones facere de nocte cum SS. Sacramento feria quinta, et sexta majoris hebdomadae non convenit, et repugnat Mysteriis Ecclesiae, et est abusus omnino tollendus: *Sacr. Congr. Rit. in Mantuana* 18. *Aug.* 1606. apud Barbos. *in Summ. Apost. dec. verb. Processio num.* 12.

64 Processiones, ut de nocte fieri possint feria sexta majoris hebdomadae, arbitrio Episcopi conceditur: *Sac. Cong. Rit. in causa Indiarum* 20 *Jul.* 1600. apud Barb. *loc. cit. num.* 13.

65 Si autem aliqua Processio fiat de nocte, non debet inferri in Ecclesiis Monialium: *Sac. Cong. Episc. et Regul.* 6. *Sept.* 1709.

66 Licet PP. Capuccini possint retinere, et processionaliter etiam deferre Imagines S. Antonii Patavini, et S. Francisci in habitu Capuccini, non possunt tamen subtus Imagines S. Antonii, vel S. Francisci de Assisio depictas, sculptas, vel impressas cum eodem habitu apponere, et retinere inscriptiones indicantes illas esse effigies dictorum Sanctorum cum veriori forma habitus ipsius S. Francisci, sed moniti debent illas delere, et cancellare, ut jussit *Sac. Cong. Rit. in Neocastren.* 22. *Jan.* 1707.

67 Episcopus potest cogere Clericos Beneficiatos ad interessendum Processionibus publicis: *Sacr. Congr. Concil. in Nullius Altamurae* 26. *Mart.* 1678. etiam Censuris, quamvis non probetur consuetudo accedendi; Dummodo Censurae sint comminatoriae, ferendae sententiae, et in subsidium: *Ead. Sac. Cong. in Surrentina* 6. *Aug.* 1689.

68 Item Processionibus publicis interesse etiam tenentur Clerici Saeculares alicujus Ecclesiae, quamvis in fundatione illius exempti sint a Jurisdictione Ordinarii, intra cujus Dioecesim existunt: *Sac. Cong. Conc.* 21. *Mart.* 1702.

69 In Processionibus publicis interesse cogi possunt Sacerdotes inservientes Ecclesiis Religionis Hierosolymitanae: *Sac. Cong. Conc.* apud Barb. *in Summ. Apostol. decis. Collect.* 607. *num.* 3.

70 Non sunt tamen ab Episcopo compellendi interesse Processionibus publicis Sacerdotes nullum Officium, aut Beneficium Ecclesiasticum in Civitate, vel Dioecesi obtinentes: *Sac. Cong. Conc.* 9. *Maii* 1597. apud Barbos. *loc. cit. num.* 5. et Bened. XIV. *Instit. Eccles.* 21. §. 2.

71 Processiones publicas comitari cogere non potest Episcopus Clericos, qui sunt nullius Dioecesis: *Sac. Congregat. Concil.* apud Barbos. *loc. cit. num.* 6.

72 Processionibus publicis ab Episcopo cogendi non sunt interesse degentes extra Civitatem in locis, in quibus habent plebem, quia cum illa plebe debent facere Processionem: *Sacra Congreg. Conc.* apud Campanil. *in diversor. jur. Canonic. rub.* 12. *c.* 33. *n.* 117. Barbos. *loc. c. n.* 7.

73 Processionibus publicis cogi non possunt interesse Clerici Regulares Societatis Jesu: Gregorius XIII. Constit. incip. *Quaecumque.*

74 Processionibus publicis interesse ab Episcopo compelli non possunt Clerici Regulares Congregationis S. Pauli decollati: Sixtus V. Constit. incip. *Rationi.*

75 Processionibus publicis interesse cogi non possunt Clerici Regulares Matris Dei Scholarum Piarum: Urbanus VIII. Constitut. incipient. *Debitum.*

76 Processionibus publicis ultra solitum cogendi non sunt interesse Canonici Regulares Congregationis Lateranensis: *Sac. Cong. Rit. in causa Canonic. Regular. Lateran.* 30. *Jul.* 1616.

77 Processionibus publicis interesse non sunt ullo

modo cogendi Monachi Congregationis Casinensis, nisi ad Processionem SS. Sacramenti, juxta eorum antiquam consuetudinem: *Sac. Cong. Rit. in Placentina* 10. *Junii* 1602.

78 Processionibus interesse cogi non debent Monachi Olivetani: *Sac. Cong. Rit.* apud Joan. Mariam Novar. *in Lucerna Regul. verb. Processio n.* 11. et Barbos. *loc. c. n.* 13.

79 Processionibus publicis interesse non sunt cogendi Monachi S. Hieronymi: *Sac. Cong. Conc.* apud Joan. Mariam Novar. *loc. cit.* et Barbos. *l. c. n.* 14.

80 Processionibus publicis interesse compelli non possunt Monachi SS. Trinitatis Caven. quorum Monasterium est immediate subjectum Sedi Apostolicae: *Sac. Cong. Conc.* 13. *Aug.* 1579.

81 Processionibus publicis interesse cogi non possunt Carmelitae Discalceati: Clemens VIII. Constitut. Incip. *Religiosorum*. Et sic etiam plures alii Regulares, uti constat ex eorum respectivis Privilegiis.

82 Episcopus cogere non potest Canonicos ad interessendum Processioni, quae fit in tertia Dominica mensis: *Sac. Cong. Conc in Sarnen.* 27. *Junii* 1705. *in responsione ad* 7.

83 Processiones fieri possunt a Canonicis Cathedralis etiam per limites Parochiarum sine licentia Curati: *Sac. Cong. Rit. in Thelesina* 28. *August.* 1615. *et* 15. *Jun.* 1619.

84 Processionibus solitis, ut Confratres conveniant, compellere potest Episcopus sub poenis arbitrio illius, maxime stante possessione illos vocandi per Edicta: *Sac. Cong. Conc.* 21. *Januar.* 1622. *et* 8. *Maii* 1627.

85 Processiones debent fieri ordinatim, et successive absque aliqua divisione, tam quando incedunt, quam quando stant: *Sac. Cong. Rit. in Toletana* 15. *Maii* 1612.

86 Edictum Episcopi prohibens explodi tormenta bellica per vias, dum fiebant Processiones, sustinetur; E contra Edictum Curiae Laicae permissivum post peractam Processionem refellitur, prout de Jure: *Sac. Cong. Immun.* 2. *Decembr.* 1698. *libr.* 2. *Decret. Vall. p.* 190.

87 Si ratione alicujus solemnis Processionis, seu alterius urgentis necessitatis Religiosi omnes egrediantur a Conventu, foeminae tunc illum ingredientes, graviter peccant, et poenis ingredientium afficiuntur: Sic expresse Bonacina *tom.* 1. *tract. de clausura quaest.* 5. *punct.* 2. *num.* 7. Donatus *Prax. Regular. tom.* 1. *tract.* 5. *quaest.* 16. et alii. Et ratio est, quia in tali casu facerent contra Legem, quae sub gravissimis poenis prohibet foeminas introire in Conventus virorum. Nec obstat, quod pro tunc cesset finis Legis, nempe Regulares perturbari, vel incitari ad peccandum, cum, ut supponitur, in Conventu nullus existat; quia per accidens est, finem Legis in aliquo raro casu non violari; Lex autem respicit id, quod est per se, et saepius accidit, non autem id, quod est per accidens, et raro contingit; *l. Ex his* 4. *et l. Nam ad ea* 5. *ff. de Legib. Authent. Ut sine prohibitione matres* cum similibus.

Nec valet dicere, quod, cessante causa prohibitionis, cessat ipsa prohibitio, *cap. Cum cessante* 60. *de appellationib. leg. Cum ancillam* 6. *Cod. de condictione ob causam* et Glossa *final. ibidem*, cum similibus: Non valet, inquam, quia id procedit quando causa cessat per se; secus autem si ex aliquo accidenti, ut in nostro casu. Et id quod dicitur de Ingressu foeminarum in Conventus Religiosorum, venit dicendum etiam de Ingressu virorum in Monasteria Monialium, si ex aliquo accidentali casu ad breve tempus omnes egrediantur a Monasterio. Et a fortiori si aliquis Religiosus, vel aliqua Monialis remaneat in Conventu, et respective Monasterio ad custodiam, vel ob aliam causam pro illo brevi tempore; maxime cum novissime editae sint a Bened. XIV. duae Constitutiones rigidissime prohibentes quemcumque ingressum in clausuram Religiosorum, una quae incipit: *Regularis disciplina*; et altera Ingressum in clausuram Monialium, quae incipit: *Salutare in Catholica Ecclesia Institutum*.

Alia ad rem. Vide verb. Crux. 88

Processio Generalis in solemnitate Corporis Christi, Sede Apostolica vacante, de more celebrari jubetur, cum praescriptione ritus, et personarum, quae interesse debent: Bened. XIV. tom. 1. Constitut. 112. Incip. *Pastoralis Sollicitudinis*. Et praescribit, quod celebretur apud Basilicam Vaticanam: Idem *ibid.* §. 3. Electio Antistitis, qui deferat Sanctissimum Sacramentum, tribuitur Collegio Cardinalium: Idem *ibid.* §. 5. 89 90 91

Processiones Confraternitatum singulis diebus per Octavam Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli in Urbe habendae statuuntur ad diversas, et designatas Ecclesias: Idem Constit. 83. incip. *Admirabilis* §. 11. Vide supra ad verb. *Capella a num.* 65. ubi assignantur Ecclesiae, et Indulgentiae. 92

Regularibus liberum est pro Processionibus peragendis extra Claustra licentiam petere vel ab Episcopo, vel a Parocho; Immo, habita licentia ab Episcopo, qui est Parochus Parochorum, etiam contradicente Parocho, possunt Processiones ipsas extra Claustra peragere: *Sacra Congregat. Concil. in Nepesina* 3. *August.* 1686. *et in Volaterrana* 16. *Mart.* 1625. *ad decimum*, ut refertur in Thesauro Resolutionum *Sacrae Congreg. Conc. tom.* 4. *in dicta Volaterrana*. 93

Processio Kalendis Augusti ab Ecclesia S. Francisci Assisien. ad Ecclesiam S. Mariae Angelorum, ad formam veterum Indultorum approbata, et confirmata fuit a Benedicto XIV. Constitut. incip. *Fidelis Dominus* §. 10. 94

Processionibus publicis, quocumque jure, seu auctoritate indictis ab Archiepiscopo Neapolitano, interesse non tenentur Rector, aliique Clerici, seu Presbyteri actu inservientes in Hospitali S. 95

Angeli a Nido Neapolitanae Civitatis. Benedict. XIV. Constit. incip. *Praeclarum* §. 15.

96 Processiones prius fieri debent, dein Missa solemniter cantanda ex Rubrica Missalis Romani; *Institut. Eccles.* 68. §. 12. Nisi tamen aliter ob gravem causam Episcopo, vel Clero videatur. *ibid. ex ead.*

97 Processio in Festo Sancti Marci, si incidat in ipsam Paschae Resurrectionis diem, transferenda est ad tertiam diem Paschae, ex decreto *Sacrae Congregat. Rit. die* 25. *Septembris* 1734. *Institut. Eccles.* 28. §. 3.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

98 Non obstante Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 23. *de Regular.* obligante Regulares, tametsi exemptos, ad publicas processiones, possunt adhuc ii, vel ex privilegio, vel ex praescriptione non teneri iis intervenire.

99 Quod attinet vero ad privilegium, nota hoc debere esse *recta* concessum, minimeque venire in generali privilegiorum communicatione, ne ex ea, quam fere omnes Religiones habent, communicatione privilegiorum, Regularibus orbatae remaneant publicae precessiones contra mentem Concili Tridentini: Pellizar. *in Manual. Regular. tract.* 5. *c.* 2. *qu.* 4. Pasqualig. *ad Lauret. de Franch. de Process. qu.* 2. *n.* 63. Quarti *de Process. sect.* 2. *punct.* 1. *quaesit.* 4. *in fin.* P. Gaudent. a Janua *de Visitat. c.* 4. *dub.* 10. *sect.* 4. *n.* 63. Rota *in Meliten. Processionum* 24. *Januar.* 1758. §. 6. *cor. R. P. D. Paraccian. et* 14. *Febru.* 1759. §. 2. *coram R. P. D. Herreros.*

100 De Privilegio concesso a S. M. Pio V. in Bulla *Et si mendicantium* Collegiis Studiorum non interveniendi in publicis Processionibus, quaeri solet, an revocatum illud fuerit a Gregorio XIII. in Bulla *In tanta?* Affirmavit autem Rota *in d. Meliten. Processionum* 23. *Januar.* 1757. §. 3. *et* 14. *Februarii* 1759. §. 3.

101 Caeterum, attenta Bulla *Etsi mendicantium*, non omnia Collegia Studiorum, sed Mendicantium tantum, non item Monachorum, et quidem ea, in quibus Fratres sub arctiori custodia degunt, ita ut nec in Choro cantent, nec ad mortuos accedant, sed tantum studiis, et lectionibus vacent, gaudent privilegio non interveniendi in publicis processionibus: Rot. in *d. Meliten. Processionum* 24. *Januar.* 1757. §. 4. *et* 14. *Febr.* 1759 §. 3.

102 Quod vero concernit praescriptionem, ea non aliter potest opponi, quam si Regulares vocati, per tempus legitimum non intervenerunt in publicis processionibus. Caeterum Regulares non vo-

103 cati, tametsi per diuturnum tempus non intervenerint in publicis Processionibus, praescriptionem opponere nequeunt, idque quia ubi quaestio est de praescriptione juris negativi cum iis, qui ante interpellationem nulla tenentur obligatione, ea non incipit nisi a die, qua interpellati contradixerint, et sic possidere coeperint; Peyrin. *ad Constitut.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *nu.* 57. Maron. *Respons.* 12. *nu.* 3 *et* 35. Pellizar. *in Manual. Regular. tract.* 1. *cap.* 11. *num.* 13. Bordon *variar. resolut. part.* 2. *resolut.* 7. *num.* 142. Lezan. *in Summ. tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 47. Rot. *in dicta Meliten. Processionum* 24. *Januar.* 1757. §. 15. *et* 14. *Febr.* 1746. §. 10.

Quantum vero tempus requiratur ad hanc prae- 104
scriptionem, variant Doctores. At si ponderetur, quod singulis Decretis Concilii Tridentini inest *decretum irritans* ex Constitutione S. M. Pii IV. ejusdem Concilii Tridentini confirmatoria, quae in radice submovet quamlibet contrariam consuetudinem in futurum, vim nullam habere poterit quadragenaria; Ursaya *discept. Eccles. tom.* 6. *part.* 2. *discept.* 19. *num.* 105. *et plur. seq. Rot. in d. Meliten. Processionum* 24. *Jan.* 1757. §. 14. *et* 14. *Februarii* 1759. §. 10.

APPENDIX EDITORUM CASINENSIUM.

Processio in sua Ecclesiastica significatione de- 1
sumpta, *est publica supplicatio facta Deo a communi coetu Fidelium, certo cum ordine disposito, et procedente e loco sacro in sacrum*; Quarti apud Baruffaldum *in comment. ad Ritual. Tom. Tit.* 76. *n.* 4.

Dicitur *supplicatio*, quia forma cujuslibet pro- 2
cessionis consistit in supplicationibus, et precibus, quae ad Deum funduntur certo cum ordine, atque ritu particulari; proindeque omnes processiones sunt ejusdem speciei moralis, quatenus omnes conveniunt in certis ritibus, et precibus: Quarti apud eumdem Baruffaldum *l. c. n.* 20.

Porro « dividuntur Processiones in publicas, et 3
Privatas. Privatis nullus praefigitur ritus ab Ecclesia, cum fiant inter privatas aedes, puta Monasteriorum, et Parochiae, seu a personis privatis, caetum universalem Ecclesiae non convocando; quae personae proprium ritum habent, et illarum institutionis praescriptum in suis processionalibus libris, quorum usus est praecipue apud Monachos, et Fratres Mendicantes ». *Idem* Baruff. *ibid. num.* 7. *et* 8. (*)

Publicae vero processiones, vel ita appellantur, 4
quia palam fiunt, et publice apparent, vel quia cunctis licet illis interesse; imo ad illas convocantur quicumque Ordines Regulares, et Confratriae, ut intersint, et ea comitentur ordine praescripto. Baruffaldus *l. c. n.* 10.

Hinc « Processionibus generalibus indictis pro 5

(*) Illud vero notandum, quod quamvis istae processiones privatae fiant sine Episcopi licentia, nihilominus sine ejusdem licentia trasferri non possunt, prout, partibus informantibus, fuit decisum a S. Congr. Rit. *in Hispalen.* 3. *Septembris* 1695. apud Monacell. *Tom.* 1. *tit.* 5. *form.* 7. *num.* 22 cujus etiam Lucius noster hic supra *num.* 11. meminit; quem etiam vide sis *ibid. num.* 26. *et* 93.

causa, bono, vel honore publico, tam Clerici saeculares beneficia, vel officia Ecclesiastica obtinentes, quam Regulares invitati, omnes interesse tenentur, et adesse compelluntur juris remediis, juxta dispositionem Concil. *sess.* 25. *cap.* 13. *de Regular*. S. Cong. Episcop. *in Cajetana* 25. *Oct.* 1602. confirmata 7. *Apr.* 1690. ». Ita Monacellus *T.* 1. *Tit.* V. *Form.* 7. *n.* 23. Qui idem cl. scriptor *in Tom.* 3. *Tit.* 3. *form.* 6. *n.* 13. haec addit. « Quod autem Regulares, et alii exempti renuentes accedere ad publicas processiones possint ab Episcopo censuris compelli, et puniri, hodie planum est: cum enim subjiciantur hac in re suae jurisdictioni absque poenae determinatione, valet illos coercere poena Canonica sibi benevisa, ut communiter tradunt Riccius, Leo, Pax Jord. Ventriglia, Pignatell. Cardin. de Luca, et ingenue fatetur Passerinus *de stat. hom. Tom.* 3. *q.* 189. *art.* 10. *n.* 768. his verbis: *sed ubi Episcopis datur facultas coercendi, corrigendi, et puniendi Regulares, datur etiam facultas eos excommunicandi: et si v. g. sess.* 25. *cap.* 13. *datur Episcopis facultas compellendi eos ad processiones, datur etiam facultas compellendi per censuras*: cujus doctrina (subjungit Monacell. ibid.) notanda est ». (*)

6 Et revera « Sacra Congregatio Concilii saepius » declaravit quoad omnes Regulares (* *si modo* » *excipias per Lucium nostrum denotatos hic su-* » *pra n.* 73. *et seq.* *) etiam Monachos non vi» ventes sub strictiori clausura, et non distantes » ultra medium milliare (* *Vid. eumd. Ferrar. ib.* » *n.* 19. *) eos teneri indistincte accedere ad pu» blicas processiones, et ad id compelli posse, etiam » per censuras, ut in specie die 27. Julii 1627, » in hunc modum — Negotio mature discusso. S. » Congregatio censuit, posse Episcopos poenis sibi » benevisis, etiam censurarum, compellere quos» cumque Regulares recusantes, etiam Monachos, » et quomodolibet exemptos, ad infrascriptas pro» cessiones accedere, atque illis interesse ... nem» pe in die Festo Sanctissimi Corporis Christi etc. » *ac in quibuscumque aliis publicis, et consuetis.* » Non obstantibus etc.

« Et in una Mediolanen. 3. Augusti 1658. Sa» cra etc. censuit, Regulares ad processiones Cor» poris Christi etc. nec non ad alias quascumque » *pro bono publico, aut honore indictas*, teneri ac» cedere, ubi vocati fuerint . . . . . . Et quatenus » accedere noluerint, compellendos per censuras, » vel alias poenas Episcopo bene visas ». Apud Pignatellum *Tom.* 3. *Consultat.* 46. *num.* 11. 12. 13. qui plura alia decr. d. S. Cong. affert ad rem.

Insuper e regula generalis supra firmata, quod nempe omnes Regulares ad processiones indictas pro causa, bono, vel honore publico intervenire teneantur, habet locum etiam in illis Conventibus, in quibus degit minor numerus Religiosorum, quam duodecim, quia nulla indecentia est, quod pro paucis vexillum crucis erigatur ». Monacell. *Tom.* 1. *Tit. V. Form.* 7. *n.* 29. (Limita si tantum duo Religiosi adessent, prout tradit Lucius noster hic supra *n.* 21.).

« Et hoc intelligitur non solum de processionibus publicis, quae fiunt in civitate, et ubi Episcopus residet, sed etiam de illis, quae fiunt in aliis locis, et Plebibus, ubi Regulares habent Monasteria, juxta Decretum S. Congr. Concilii, quod ex Lezana refert Barbosa *in Summ. Decis. Apost. Collect.* 604. *n.* 23. ibi: Lezana ait, Sac. Cong. Conc. declarasse, publicas processiones, ad quas Regulares compelli possunt per Ordinarios, esse, quae fiunt in Festo Corporis Christi, in Litaniis, et Jubilaeis publicis faciendis in plebibus, in quibus ipsi habent Monasteria ». Ita Monacell. *Tom.* 1. *Tit.* 6. *formul.* 20. *n.* 11.

« Non est (tamen) apud Ordinarios locorum 7 » facultas compellendi Regulares ad interessendum » processionibus ab iisdem indictis *non pro bono* » *publico*, ut notavit Peyrin. *de privileg. Regular. ad Const.* 2. *Jul.* II. §. 25. *num.* 68. ». Apud Matthaeucci *Official. Curiae Eccles. cap.* 40. *n.* 4. Vid. Lucium Nostrum hic supra *n.* 17.

Si quae vero Controversiae de praecedentia forte obortae fuerint, ad Episcopum spectare eas dirimere, statuit Tridentinum per haec verba: « Controversias omnes de praecedentia, quae per» saepe cum scandalo oriuntur, inter Ecclesiasti» cas personas, tam saeculares, quam Regulares,

(*) Porro formula edicti, seu intimationis Processionis habetur apud Monacellum in haec sane verba...... (praemisso praeambulo Processionis indicendae) « idcirco e» nixe hortamur, et paterne charitate monemus omnes, et » singulos, utriusque sexus Christi Fideles ad interessen» dum, Clericis autem Officia, aut beneficia obtinentibus, » tam saecularibus, quam Regularibus omnibus, et aliis » etiam exemptis, et in strictiori clausura non degentibus, » nec non Confraternitatibus accedere solitis, praecipi» mus, eosque vocamus, et monemus, ut die, et hora, ut » supra praescripta omnino in d. nostra Cathedrali conve» niant, et Processioni, ut moris est, interveniant, sub » poena Interdicti Ecclesiae, aliisque censuris, et poenis » arbitrio: quod si ante statutum terminum justi impedi» menti excusatio deducta non fuerit, absque alia monitio» ne contra contumaces, et inobedientes non interessentes » ad comminatas poenas procedatur. Volumus autem quod » praesens indictionis Edictum vim habeat, et arctet, ac » si singulis supra vocatis personaliter fuisset intimatum ». *Tom.* 3. *tit.* 3. *form.* 6.

In casu inobedientiae pronuncialur, ut sequitur; « Con » autorità a Noi delegata dal Sacro Concilio di Trento si » denuncia sottoposta all' Ecclesiastico Interdetto la Chie» sa N. dei PP. dell' Ordine N. perchè chiamati, od inti» mati ad intervenire alla Processione generale indetta, » o convocata da Noi per cause ecc. con ammirazione, e » scandalo del Popolo hanno ricusato d' intervenire ». Apud eumdem Monacell. *loc. cit. formul. V.*

Vel latine: — « Auctoritate Nobis a S. Concilio Tridenv tino delegata, denunciatur supposita Ecclesiastico In» terdicto Ecclesia N. PP. Ordin. N. ex eo, quia vocati ad » interessendum processioni generali a Nobis pro causa, » et bono publico indictae, cum admiratione, et populi » scandalo accedere renuerunt.

» cum in processionibus publicis, tum in iis quae » fiunt in tumulandis defunctorum corporibus ... » Episcopus, amota omni appellatione, et non ob» stantibus quibuscumque, componat »: *sess.* 25. *de Regular. Cap.* 13.

» Heic advertendum, quod Sac. Congregatio » Concilii (Teste Campanili *in divers. Jur. Can.* » *Rubr.* 12. *cap.* 13. *n.* 122.) vigore harum claus. » *amota appellatione, et non obstantibus quibuscum-* » *que*, declaravit, in his causis debere Episcopum » procedere brevi manu, summarie, et de plano, » ac sine strepitu, et figura judicii. Nec vigore » dictae clausulae *amota appellatione*, censetur » sublata appellatio quoad *effectum devolutivum*, » sed tantum quoad *effectum suspensivum* (*) ». Sic Ventriglia *Prax. For. Eccles. Tom.* 1. *annotat.* 12. *n.* 14.

Illud denique notandum, quod « quamvis Episcopus, adhibito consilio Capituli, praefigat, dirigat, ac transferat processiones, non tamen potest pervertere, et immutare ritum processionum praescriptum a Ceremoniali, et Rituali Romano, neque de consensu Capituli: *Sac. Rituum Congregatio in Cajetana* 26. *Januarii* 1698 ». Monacell. *Tom.* 4. *supplem. ad Tit.* 5. *Form.* 7. *Tom.* 1. *n.* 76.

PROCESSUS CURIÆ LAICÆ LÆSIV. IMMUNITATIS

In hac Rubrica sequentia notanda veniunt.

1 Processui Laicorum post confugium facto nulla adhiberi potest fides per Judicem Ecclesiasticum; quo vero ad probationum relevantiam remittitur judicio Episcopi: *Sacra Congr. Immun. in Lauden.* 13. *Decemb.* 1633. *l.* 4. *Decret. Paul. pag.* 179.

2 Immo injungitur Episcopo, ut non recipiat Processus fabricatos in Curia Laica post extractionem confugitorum: *Ead. Sac. Cong. Immun. in Pennen.* 2. *Junii* 1624. *ex Regesto Scripturarum veterum pag* 26.

3 Processibus Curiae Laicae super delictis eorum, qui fuerunt ab Ecclesia postea extracti, Episcopus potest adhibere fidem, si ante extractionem fuerint fabricati, vel ante confugium: *Eadem Sacra Cong. Immun. in Caputaquen.* 15. *Jul.* 1636. *l.* 3. *Decret. Paul. p.* 9. *in Syracusana* 13. *Jul.* 1626. *l.* 1. *Decr. Paul. p.* 8.

4 Processus originalis cum omnibus actis contra Clericum per Judicem Laicum est ab ipso transmittendus Judici Ecclesiastico, ut aboleatur, et igni tradatur: *Eadem Sacra Congregatio Immunitatis in Nepesina* 27. *Aprilis* 1638. *l.* 3. *Decret. Paul. p.* 6. *Civitatis Plebis* 31. *Maii* 1639. *dict. l. pag.* 92.

Quatenus sit impossibilis laceratio Processus in ea parte, quae concernit Ecclesiasticum, vel cassatio nominis ipsius Ecclesiastici, facta prius declaratione per Judicem, qui confecit dictum Processum, irritante ipsum cum omnibus actis contra Ecclesiasticum, uti invalidum defectu Jurisdictionis, datur facultas absolvendi censuratos, tam nominatos, quam innominatos in Cedulonibus: *Ead. Sac. Cong. Immun. in Aquilana* 27. *Jan.* 1634. *l.* 3. *Decr. Paul. p.* 194. 5

Processus, et alii actus Curiae Laicae contra Equites Hierosolymitanos sunt prorsus invalidi: *Eadem S. C. Immun. in Messanen.* 18. *Nov.* 1653. *l.* 5. *Decr. Paul. p.* 25. 6

Officiales, et Ministri Curiae Laicae conficientes Processum contra Clericum, excommunicationem incurrant: *Eadem Sacra Congreg. Immunit. in Ricineten.* 27. *Julii* 1683 *l.* 3. *Decret. Altoviti pag.* 211. 7

PROCESSUS CURIÆ ECCLESIASTICÆ

SUMMARIUM

1. Processus Curiae Ecclesiasticae non sunt consignandi Judici Laico — 2. In confectione Processus super immunitate non est permittenda a Ministris Episcopi assistentia Judicis Laici — 3. In fabricatione processus contra personas Ecclesiasticas caveat Episcopus, ne utatur ministerio Laicarum Ministrorum — 4. De modo Fabricandi Processus; et quid amplius attendendum in hac materia, *ad n.* 38.

(*) Hoc idem docuerat clar. Barbosa *Collect. DD in Trid. sess.* 25. *de Regular. c.* 13. *n.* 9. *littera B.* ubi ad illa verb. d. Conc. *Episcopus, amota omni appellatione*, etc. haec habet: « Procedere quoad effectum suspensivum dumtaxat, » asserit resolutum Salgado . . ut Armend . . . et hoc Decretum non tollere appellationem devolutivam censuit » Rota in Colonien. *praecedent.* 9. *Jun.* 1627, coram Ubaldo *vers, non obstat, quod in Concil.* ».

1 Processus Curiae Ecclesiasticae non sunt consignandi Judici Laico: *Sacra Congreg. Immun. in Terracinen.* 18. *Febr.* 1631. *l.* 2. *Decr. Paul. pag.* 97.

2 In confectione Processus super Immunitate non est permittenda a Ministris Episcopi assistentia Judicis Laici: *Sac. Cong. Immun. in Ariminen.* 6. *Maii* 1631. *ibi p.* 76.

3 In fabricatione Processus contra personas Ecclesiasticas caveat Episcopus, ne utatur ministerio Laicalium Ministrorum: *Sacra Congreg. Immunitat. in Pientina* 30. *Jun.* 1700. *leg. Decret. Vall. pag.* 297.

4 Episcopus conficiat Processum ad formam Bullae super delicto praetenso exceptuato, observans, quod nullus habendus est respectus ad Processum fabricatum in Tribunali Laico pro probatione juridica delicti, sed solum permissum est uti Processu Curiae Laicae pro simplici instructione animi: *Sacr. Congr. Immunit. in Alexandrina* 17. *April.* 1700. *ibi pag.* 282.

5 Aliquando injungitur Vicario, ut abstineat ab ulteriori Processu super delictis Extractorum, attenta eorum restitutione ad Ecclesiam: *Sac. Cong. Immun. in S. Severin.* 18. *Augusti* 1663. *l. Decret. Fani p.* 10.

6 Cum Curia Legationis peteret sibi communicari Processus fabricatos in Curia Ecclesiastica contra Extractos, Sacra Congregatio respondit: Communicatio Processus non est facienda, nisi comprehensis in Monitoriis: *Sac. Congregat. Immunit. in Bononien.* 19. *Julii* 1695. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 201.

7 Processus occasione Immunitatis factus a Curia Ecclesiastica ex stylo Sacrae Congregationis non consignatur Partibus: *Sacr. Congregat. Immunit. in Januen.* 23. *Julii* 1632. *libr.* 2. *Decret. Paul. pag.* 133.

8 Confectio Processus super loco capturae ad effectum declarandi, an quia gaudeat, nec ne Immunitate? spectat ad Episcopum: *Sac. Cong. Immun. in Neritonen.* 1. *Septemb.* 1643. *l.* 3. *Decr. Paul. pag.* 208.

9 Episcopus Mantuanus supplicat Sac. Congreg. pro resolutione infrascriptorum dubiorum, scilicet: aliqui Sacerdotes cum aliis Laicis praetensi Monetarii carcerati fuere a Curia Saeculari, et adhuc detinentur in Carceribus Laicis pro tuta custodia, sed nomine Episcopi, qui quaerit.

I. An possit Episcopus circa Ecclesiasticos conficere Processum conjunctim cum Curia Laica ob Laicos complices.

II. An ad conficiendum Processum possit delegare usque ad sententiam exclusive Judicem Laicum?

III. An facto Processu in Curia Episcopali, possint communicari indicia resultantia ab ipso Curiae Saeculari contra Laicos?

IV. An dato, quod Curia Saecularis perseveret in denegatione communicationis sui Processus Curiae Episcopali in parte tangente Ecclesiasticos, si vicissim Curia Episcopalis non communicet Curiae Saeculari indicia, quae resultabant ex dicto suo Processu, debeat Episcopus dimittere Sacerdotes, cum contra ipsos, nec indicia, nec corpus delicti habeat?

Sacra Congregatio respondit:

Ad I. Episcopum non posse conjunctim procedere, et ad ipsum spectare integram cognitionem causae.

Ad II. Eumdem Episcopum non posse delegare Judicem Laicum.

Ad III. Non posse Processum communicare.

Ad IV. Non posse de rigore Juris procedere, sed facere debere diligentias pro habendo Processu, et corpore delicti; quod si non habuerit, dimittat carceratos cum cautione de se praesentando; *S. C. Immun. in Mantuana* 18. *Julii* 1651. *l.* 4. *Decr. Paul. p.* 154.

Episcopus formet Processum contra eos, qui in 10
actis produxerunt, Episcopum non esse Judicem competentem Immunitatis Ecclesiasticae, neque Sac. Cong. sed solum Regiam Cameram: *Sac. Congreg. Immun in Orien.* 29. *Decemb.* 1625. *l. Scripturarum Veterum pag.* 80.

Pendente fabricatione Processus super requisi- 11
tis Clericatus, Episcopus faciat sibi consignare Clericum a Curia saeculari, et caute in suis carceribus custodiat: *Sacr. Cong. Immun. in Aquin.* 18. *Febr.* 1673. *lib.* 1. *Decr. Altov. p.* 771.

Processus fabricatus a Clerico conjugato uti sub- 12
delegato a Delegato Papae contra Personas Ecclesiasticas, est nullus, eo quia subdelegatio virtute facultatis Pontificiae solum concedi solet Clericis simpliciter: *Sacra Congregatio Immunit. in Viterbien.* 13. *Septembris* 1679. *lib.* 2. *Decret. Altov. pag.* 1833.

Processus fabricatus a Clerico conjugato de or- 13
dine Sacrae Consultae ex facultate habita a Sanctissimo, in qua tamen non erat expressum, Processum fieri posse a Clerico conjugato, non sustinetur: *Sacra Congregat. Immunit. in Interamn.* 20. *Decembr.* 1702. *lib.* 3. *Decr. Vallem p.* 46.

Processus confectus a Bigamo absque expressio- 14
ne Bigamiae in facultate concessa a Sanctissimo procedendi contra Clericum, non sustinetur: *Sac. Cong. Immun. in Montis Falisci* 19. *Decemb.* 1702. *ibi pag.* 462.

Processus Curiae Episcopalis, et condemnatio 15
ad Triremes Clerici dolose extracti ab Ecclesia per Capitaneum di *Campagna*, ut dicitur, est omnino abolendus; *Sac. Congr. Immun. in Casanen.* 10. *Martii* 1693. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag* 29.

Cum Episcopus suffraganeus in confectione Pro- 16

cessus contra Canonicum praetensum Reum homicidii proditorii commiserit plurimos defectus, ad eos vitandos Sacr. Congr. ordinat, ut praevia consignatione Canonici carcerati Metropolitano, idem conficiat novum Processum juxta instructionem faciendam per D. Ponentem: *Sacr. Congreg. Immun. in Oppiden.* 17. *Februarii* 1693. *lib.* 1. *Decr. Vallem. p.* 24.

17 Processus fabricatus a Vicario Gener. contra perturbatores Libertatis Eccles. cum subscriptionibus dedita opera falsis, et datis dierum pariter falsis, impedit validitatem Censurarum, et Episcopus procedat contra falsarios: *Sacr. Congreg. Immun. in Caven.* 24. *Augusti* 1694. *ibi pag.* 141.

18 Confectio Processus super extractione Parochi a propria Domo Parochiali propter causam Civilem committitur Episcopo viciniori, quando Episcopus Dioecesanus Parochi est suspectus extracto, immo allegatur ut ordinans talem extractionem: *Sacr. Cong. Immun. in Oppiden.* 21. *Januarii* 1687 *lib. Decret, Martelli pag.* 42.

19 Assignandus est terminus duorum mensium Fisco, et adhaerentibus pro legitimatione Processus, quo elapso, et nihil justificato, restituantur Ecclesiae extracti: *Sacr. Congreg. Immun. in Squilac* 25. *Maii* 1655. *lib.* 5. *Decret. Paul. p.* 66. *in una Marsorum* 9. *Maii* 1656. *ibi pag.* 94.

20 Aliquando in causis particularis attentionis injungitur Episcopo, ut per se ipsum conficiat Processum: *Sacr. Congr. Immun. in Tudertina* 17. *April.* 1675. *lib.* 1. *Decr. Altov. pag.* 1087.

21 Impinguatio Processus committitur Metropolitano, quando Episcopus non agit viriliter circa Ordines Sacrae Congr. pro reparatione Immunitatis: *Sacr. Cong. Immun. in una S. Agathae Got.* 27. *Maii* 1687. *l. Decret. Martelli pag.* 108.

22 Injungitur Judici Ecclesiastico, ut in construendo Processu utatur Cancellario idoneo, et examinare faciat testes de visu inductos: *Sacr. Cong. Immun. in Viterbien.* 3. *Martii* 1694. *l.* 1. *Decret. Vallem. p.* 107.

23 Aliquando, ut utatur alio Cancellario Ecclesiastico Partibus secreto: *Sac. Cong. Immun. in Meliten.* 7. *Julii* 1699. *l.* 2. *Decret. Vallem. pag* 230. et in locum Assessoris deputet alium Partibus non suspectum: *Sac. Cong. Immun. in eadem* 9. *Februarii* 1700. *ibi pag.* 270.

24 Quoad Processum formatum in Curia Episcopali, solvenda est merces dumtaxat Copistae: *Sac. Cong. Immun. in Balneoregien.* 6. *Julii* 1694. *l.* 1. *Decret. Vallem. p.* 132.

25 Aliquando transmittitur Processus absque solutione, donec cognoscatur de asserta paupertate Partis: *Sacr. Congr. Immun. in Trojana* 6. *Dec.* 1692. *d. l. pag.* 9.

26 Aliquando, praevia cautione, personae Eccles. ab Episcopo approbandae solvendi Cancellario Episcopali summam taxandam a Sacr. Congregat. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Theanen.* 13. *Nov.* 1694. *d. l. pag.* 156. *et Nullius Atini* 11. *Decemb. d. Anni, et l. pag.* 161.

Saepe Sacr. Congreg. injungit Judici Ecclesiastico, ut conficiat Processum, et transmittat, ac informet: *Sac. Congreg. Immunitat. in Terracinen.* 13. *Maii* 1693. *l.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 154. *et alibi.* 27

Aliquando jussu Sac. Congr. per D. Ponentem, vel D. Secretarium datur instructio Judici Eccles. sive Episcopo, seu Vicario Apostolico, seu Capitulari, seu Generali, seu Nuncio pro conficiendo, vel impugnando, et etiam ulterius impinguando Processu: *Sac. Congr. Immun. in Perusina* 14. *Jan.* 1689. *d. l. pag.* 135. *in Sorana* 8. *Jul. d. Anni, et l. p.* 162. *et in eadem* 13. *Januarii* 1699. *lib.* 2. *Decret. Vall. pag.* 197. *et alibi.* 28

Pro sanatione praeteritorum Processuum agendum cum Sanctissimo: *S. C. Immun. in Urbevetana* 16. *Januar.* 1391. *l. Dec. Martell. p.* 719. 29

Sanantur, annuente Sanctissimo, Processus facti contra Reum assassinii extractum, tam ob nullitatem provenientem ex eo, quod Judices subdelegati auctoritate Apostolica processerunt in Constitutione Rel, et in aliis actibus, non conjunctim juxta eorum deputationem, sed divisim; tum ob nullitatem provenientem ex eo, quod ad efficiendos complices contumaces recepta fuit ratificatio extracti in tormentis absque speciali facultate Apostolica: *S. Cong. Immun. in Bonon.* 16. *Apr.* 1669. *l.* 2. *Dec. Vall. pag.* 86. 30

Processus fabricatus a Curia Episcopali super delicta extracti auctoritate Laicali, est nullus, sed, annuente Sanctissimo, sanatur: *Sac. Congreg. Immun. in Asten.* 11. *Martii* 1681. *lib.* 2. *dec. Altov. pag.* 2165. 31

Saepe injungitur Judici Ecclesiastico, ut, legitimato Processu, assignet defensiones, et transmittat: *Sacr. Congr. Immun. in Capuana, seu Neapolitana* 12. *Julii* 1698. *lib. Decret. Martelli pag.* 491. *in Anglonen.* 2. *Junii* 1699. *lib.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 223. 32

Item ut impinguet Processum, eum legitimet, et assignet defensiones, ac transmittat: *S. C. Immun. in Nullius Atini* 16. *Sept.* 1698. *l.* 2. *Decr. Vall. pag.* 176. 33

Saepe ex commissione Sanctissimi, vel Sacr. Cong. Curia Ecclesiastica Processum a se factum consignat Curiae Laicali: *Sac. Cong. Immun. in Pisaur.* 21. *Apr.* 1694. *lib.* 1. *Decr. Vallem. p.* 178. *et alibi in Senogallien.* 17. *Dec.* 1658. *lib. Decret. Rocci pag.* 143. 34

Modus fabricandi processus, brevitatis gratia, videndus relinquitur apud Farinacium, Julium Clarum, Gomez, Raynaldum, Passerinum, Sanctorium, Reiffenstuel, de Bictis, aliosque similes classicos Auctores. 35

PROCURATIO

SUMMARIUM

1. Procuratio ad praesens quid sit? — 2. Sub nomine Procurationis quae veniunt? — 3. Omnia, quae veniunt sub nomine procurationis debent subministrari Episcopo, seu Visitatori, a Clericis, et Ecclesiis visitatis. — 4. Non potest tamen Episcopus, seu Visitator Ordinarius exigere pro equitaturis, seu vecturis neque pro aliis expensis faciendis extra victum. — 5. Si autem Visitator sit Delegatus Apostolicus, ultra victum, sunt etiam ei solvendae expensae pro equis, seu vectura, et itinere de loco ad locum necessariae. — 6. Ordinario loquendo ad procurationem praestandam Visitatoribus tenentur omnes Ecclesiae Visitationi subjectae, nisi privilegio, vel legitima consuetudine sint exemptae. — 7. Unde Ecclesiae, quae speciali privilegio Pontificio sunt exemptae, ad eam praestandam non tenentur. — 8. Sicuti etiam non tenentur Ecclesiae illae, quae legitimam consuetudinem habent eam non praestandi. — 9. Sic non potest Episcopus visitans parvos Conventus sibi subjectos aliquid accipere procurationis nomine, seu in pecunia, seu in victualibus: — 10. Item non potest Episcopus procurationem exigere pro visitatione Oratorii privati. — 11. Item Episcopus non potest procurationem exigere ab Ecclesiis, et Beneficiatis pauperibus sufficientes redditus non habentibus ad ipsam Visitatoribus praestandam. — 12. Item Episcopus non potest procurationem exigere ab Hospitalibus, leprosariis, et aliis piis locis pro pauperibus, aut infirmis deputatis, etiamsi amplissimos habeant redditus. — 13. Item non potest Episcopus post Concilium Tridentinum procurationem exigere ab Ecclesia sua Cathedrali, aut aliis Ecclesiis, seu locis piis, et Clero Civitatis, in qua Sedem habet: Imme etiamsi ipse Episcopus moretur in alio Oppido Dioecesis. — 14. Episcopus, quando vadit per Dioecesim extra Visitationis occasionem, vel Sacramentum Confirmationis administrandum, neminem cogere potest ad subministrandas expensas, neque pro Equis, neque pro victualibus. — 15. Procuratio non debetur Episcopo, cum per alium visitat, sed ipsi Visitanti. — 16. Visitatores contenti esse debent modesto equitatu, famulatuque, ne scilicet inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint. — 17. Unde non debet Episcopus secum ducere plusquam ad summam octo personas, ut observabat S. Carolus, qui etiam pro sua mensa uno solo ferculo contentus erat. — 18. Vicarius autem Capitularis, seu Vicarius Generalis, vel alius substitutus, qui non sit Episcopus, non potest exigere nisi medietatem procurationis dari solitae Episcopo. — 19. Quod procedit etiam respectu Vicarii Apostolici visitantis. — 20. Procurationum numerus commensurandus est numero dierum, in quibus munus visitationis impenditur. — 21. Unde, si Visitator una die plures Ecclesias visitando absolvat, non licet ei accipere ab omnibus ipsis simul, nisi unam procurationem pro tali unica die, quamvis quaelibet Ecclesia de per se sufficiat ad integram procurationem praestandam. — 22. Nullam tamen procurationem exigere potest Ordinarius pro visitatione Parochialium unitarum Religioni Hierosolymitanae. — 23. Visitator hospitatus a Laicis non potest exigere procurationem a Clericis dummodo isti victualia non recusaverint. — 24. Laici, nisi velint sponte solvere, non debent cogi censuris, ut solvant procurationem, non obstante solito. — 25. Visitator potest nunc licite recipere procurationem in pecunia, si visitati velint eam sponte solvere, quamvis olim id fuerit prohibitum. — 26. Intuitu procurationis non potest Visitator, sive ejus Secretarius, sive quivis alius de suo comitatu aliquod munus, etiam gratis oblatum recipere, et hoc sub gravibus poenis quae assignantur. — 27. Alia ad rem cum addit. ex alien. man. *ad n.* 38.

1 Procuratio, quamvis generatim varia significet, ad praesens tamen nihil est aliud, quam contributio sumptuum, et expensarum necessariarum pro victu, et honesta sustentatione tempore Visitationis praestanda illis, qui Ecclesias Dioecesis visitant: *Sic in re Communis, arg. cap. Procurationes* 23. *de censibus*, et Conc. Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 3.

2 Sub Procuratione comprehenduntur omnia, quae sunt necessaria pro victu, nempe cibus, potus, et habitatio ipsius Visitatoris, et honesti comitatus ejusdem. Idem pabulum pro equis, et jumentis necessariis: *Communis*, Omnia enim supradicta veniunt nomine victus; *l. Verbo victus* 43. *l. Et cetera* 44. *et l. in stratum* 45. *de verb.*

3 *significat.* Unde supradicta omnia debent subministrari Episcopo, seu Visitatori a Clericis, et Ecclesiis visitatis: *Communis* per text. *in c. Procurationes* 33. *c. Venerabili* 24. *et fere per tot. tit. de Censibus*, et Conc. Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 3.

4 Non potest tamen Episcopus, seu Visitator Ordinarius exigere Procurationem pro equitaturis, et vecturis; neque pro aliis expensis faciendis extra victum, quia ad ista, et alia (solo victu excepto) tenetur de suo; *Sac. C. Episcop. et Regul. in Vintimiliens.* 21. *Augusti* 1606. *in Cajacen.* 20. *Martii* 1615. *et Sacra Congr. Concil. in Larinen.* 12. *April.* 1698. *et in Amalphit.* 18. *Julii* 1699. Et sic *communis Doctorum.*

Si autem Visitator sit Delegatus Apostolicus, 5 ultra victum, sunt etiam ei solvendae expensae pro equis, seu vectura, et itinere de loco ad locum necessariae: *Communis*, ex Decreto *Sac. Congreg.* 10. *Junii* 1627. relato per extensum a Nicol. *in Flosculis verb. visitatio nu.* 15. ubi recte advertit, quod ea, quae statuit Conc. Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 4. non intelliguntur nisi de Visitatione Ordinarii, non autem de Apostolica, quae ad relationem Sacrae Congregationis destinari solet a Summo Pontifice sub forma ibi a se adducta.

Ordinarie loquendo ad Procurationem praestan- 6 dam Visitatoribus tenentur omnes Ecclesiae Visitationi subjectae, nisi Privilegio, vel legitima consuetudine sint exemptae: *Communis, arg. cap. Conquerente* 16. *de Offic. Ordinar. cap. Ex Offic.*

16. *de praescript. cap. Procurationes* 23 *de Censibus* cum similibus, juncto Concilio Trid. *cit. sess.* 24. *de reform. cap.* 3.

7 Dicitur autem notanter: *Nisi privilegio, vel legitima Consuetudine sint exemptae*, quia Ecclesiae, quae speciali Privilegio Pontificio sunt exemptae, ad eam praestandam non tenentur, textu expresso *in cap. cum instantia* 17. *de censibus.*

8 Sicuti etiam non tenentur Ecclesiae illae, quae legitimam consuetudinem habent eam non praestandi, textu expresso in Conc. Trid. *cit sess.* 24. *de reform. cap.* 3. ibi: *In iis vero locis, seu Provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur.*

9 Sic non potest Episcopus visitans parvos Conventus sibi suppositos, seu subjectos aliquod accipere Procurationis nomine, seu in pecunia, seu in victualibus, ut expresse declaravit Sac. Congr. super statu Regularium 25. *Junii* 1665. Papa approbante Decretum, ut sequitur.

« Cum Sacra Congregatio super statu Regula» rium alias consulta: An Episcopus visitans par» vos Conventus suae Jurisdictioni suppositos, aut » personas in eis degentes ad praescriptum Decreti » san. mem. Innocentii X. quod incipit, *Ut in » parvis* etc. possit a visitatis procurationem exi» gere in victualibus, vel in pecunia, duxerit » expedire, ut Sanctissimus D. N. decernat, et » declaret non licere Episcopo tales Conventus vi» sitanti quicquam accipere procurationis nomi» ne; Sanctitas Sua Congregationis sententia au» dita, eam expresse approbavit, noluitque licere » Episcopis hujusmodi Conventus visitantibus ali» quid accipere procurationis nomine, seu in pe» cunia, seu in victualibus: et ita observari prae» cipit, non obstantibus constitutionibus, et Or» dinationibus Apostolicis, etiam in corpore Juris » clausis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Rom. die 23. *Junii* 1665.

MARCUS ANTONIUS CARD. FRANCIOTTUS.

10 Item non potest Episcopus Procurationem exigere pro Visitatione Oratorii privati: *Communis*, textu espresso *in cap Auctoritate* 27 *de Censibus* juncto ejus Summario, in quo sic praecise habetur: *Propter privatum Oratorium Pocuratio rationе visitationis non debetur.*

11 Item Episcopus non potest Procurationem exigere ab Ecclesiis, et Beneficiatis pauperibus sufficientes redditus non habentibus ad ipsam praestandam: *Communis; arg. c. Cavendum* 7. *caus.* 10. *qu.* 3. c. *Statutum* 21. §. *Insuper. de rescript. in* 6. ibi: « Ubi notabiliter fuerint pauperes, etiam pro expensis nihil prorsus exigatur ab eis, *c. Placuit* 1. *q.* 2. ibi: Si autem paupertas, aut necessitas illum retinet, nihil exigatur ab eo c. *cum instantia* 17 *de censibus: et ibi* Glossa verb. *Indebite praegravari*, ubi ait; « Immo a paupere non debet exigere, quia nec judex exigit sportulas a pauperibus ». *Novell.* 17. c. 3.

Item non potest Episcopus Procurationem exigere ab Hospitalibus, Leprosariis, et aliis piis locis pro pauperibus, aut infirmis deputatis, etiamsi amplissimos habeant redditus: Redditus enim talium locorum omnes, quantumvis ampli, applicari debent in usus pauperum: *Clement. Quia contingit, De Religiosis Domibus;* Unde si quid ab eis exigeretur, pauperibus praejudicaretur, utpote qui ad victualia praestanda non tenentur; *arg. c. Licet multum* 4. *de censibus;* Et sic expresse declarasse *Sacr. Congregationem Concil.* testatur Fagnan. *l.* 3. *Decretal. in cap. Venerabili* 24. *de Censibus, num.* 34. 12

Item non potest Episcopus post Concilium Tridentinum Procurationem exigere ob Ecclesia sua Cathedrali, aut aliis Ecclesiis, seu locis piis, et Clero Civitatis, in qua Sedem habet: *Communis;* Et sic expresse pluries declaravit *Sac. Cong. Episcop.* apud Nicol. verb. *Visitatio* nu. 10. *Amplia* 1. *et Sac. Cong. Conc. ex* c. 3. *sess.* 24. teste Fagnano *loc. cit. num.* 15. *et* 38. Immo etiamsi ipse Episcopus moretur in alio Oppido Dioecesis: *Sacr. Congr. Conc in Aliphana* 19. *Jul.* 1705. apud Monacell. *l.* 4. *supplement. ad tom.* 3. *n.* 78. 13

Episcopus, quando vadit per Dioecesim extra Visitationis occasionem, licet ad consecrandam, vel reconciliandam Ecclesiam, vel Sacramentum Confirmationis administrandum, neminem cogere potest ad subministrandas expensas, neque pro equis, neque pro victualibus: *Sacr. Congreg. Episcopor. et Regular. in Ajacen.* 14. *Novem.* 1581. *in Albinganen.* 18. *Januar. et in Fiorentina* 25. *Jun.* 1627. apud Nicol. *in Flosculis, verb. visitatio limit. num.* 10. 12. *et S. Congreg. Conc.* in *Amalphitana* 18. *Jul.* 1699. *in responsione ad secundum* apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 5. *fol.* 1. *a num.* 29. *ad* 23. ubi, plurimis adductis, testatur de communi, et Fagnan. *loc. cit. num.* 19. 14

Procuratio non debetur Episcopo, cum per alium visitat, sed ipsi Visitanti: *Communis*, per text. *in* c. 6. *si Episcopus, de Offic. Ordinarii in* 6. juncto Summario *ibi;* et Concil. Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 3. et expresse declaravit *S. Cong. Conc. in Eiven.* 23. *Nov.* 1613. apud Fagnan. *in cap. Procurationes* 23. *de Censibus num.* 14. 15

Visitatores contenti esse debent modesto equitatu, famulatuque, ne scilicet inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint: *Communis*, per text. *in* c. *Cum Apostolus* 6. c. *Procurationes* 23 *de Censibus, cap. Conquerente* 19 *de Offic. Ordinarii*, et Conc. Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 3. ibi: « Exceptis tantum victualibus, quae sibi, ac suis frugaliter, ac moderate pro temporis tantum necessitate, et non ultra erunt ministranda »; Unde *in cap. Cum Apostolus* 6. *de Censibus*, expresse prohibetur « ne Visitatores cum canibus venatoriis, et avibus proficiscantur, sed ita procedant, 16

ut non quae sua sunt, sed quae Jesu Christi, quaerere videantur; Nec sumptuosas epulas quaerant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honeste, et competenter eis fuerit ministratum ».

17 Unde non debet Episcopus secum ducere plusquam ad summum octo personas, ut observabat S. Carolus, qui etiam pro sua mensa uno ferculo contentus erat: *Sacr. Congr. Episc. in Camerinen.* 26. *Aug.* 1575. apud Nicol. *loc. cit. num.* 10. *limit.* 1.

18 Vicarius autem Capitularis, seu Vicarius Generalis, vel alius Substitutus, qui non sit Episcopus, non potest exigere, nisi medietatem Procurationis dari solitae Episcopo. Sic pluries decrevit *Sac. Congregat. Episcop.* apud Nicol. *loc. cit. n.* 19. *limitat.* 9. et novissime *Sacr. Congregat. Concil. in Amalphitana* 18. *Jul.* 1699. *in responsione ad* 4. confirmata *auditis partibus* 6. *Febr.* 1700. *et in Nullius Provinciae Hispalen. excessum* 11. *Septemb.* 1706. *ad* 5. apud Monacell. *tom.* 3. *tit.* 3. *formul.* 3. *num.* 3. *et eadem Sacr. Congregat. Concil. in Ostien.* 28. *Jul.* 1708. *in responsione ad* 5. apud. Monacell. *tom.* 4. *supplement. ad tom.*
19 3. *num.* 79. Ubi *num.* 80. ex aliis resolvit, quod hoc procedat etiam respectu Vicarii Apostolici Visitantis, cum et ipse visitet tamquam Vicarius Capitularis, adeoque tractandus est tamquam inferior Episcopo.

20 Procurationum numerus commensurandus est numero dierum, in quibus munus Visitationis impenditur: *Communis;* textu expresso *in cit. c. Procurationes* 23. *de Censibus*, ibi: « Ita quod numerus Procurationum numerum dierum, quibus hujusmodi moram fecerint, non excedat ». Fagn. *ibid. num.* 19. Et concordat *c. Inter cetera* 8. *caus.* 10. *qu.* 3. ubi ad evitanda gravamina Ecclesiarum ordinatur, ut nisi necessitas aliquid exigat: « Cum Episcopus Dioecesim visitat . . . amplius, quam una die per unamquamque Basilicam remorandi licentiam habeat ».

21 Unde si Visitator una die plures Ecclesias visitando absolvat, non licet ei accipere ab omnibus ipsis simul, nisi unam Procurationem pro tali unica die, quamvis quaelibet Ecclesia de per se sufficiat ad integram Procurationem praestandam: *Communis*, textu expresso *in cap. Felicis* 3. *de Gensibus in* 6. ibi: « Adjicientes, quod non licet Visitanti, nisi unam Procurationem recipere una die, sive unum locum solum visitaverit, sive plura: etiamsi locus quilibet visitatus ab illo sufficeret ad Procurationem integram persolvendam, cum eidem sufficere debeat, ut temporalia metat a locis personaliter visitatis pro diebus, quibus eis spiritualia subministrat ». Et in tali casu illae plures Ecclesiae, una die visitatae debent inter se proportionaliter dividere solas expensas necessarias pro tali unica Procuratione, seu honesta sustentatione unius diei ipsius Visitatoris, et comitatus ejusdem, et nihil amplius; ut notant *communiter Doctores.*

Nullam tamen Procurationem exigere potest 22
Ordinarius pro Visitatione Parochialium unitarum Religioni Hierosolymitanae; Nisi ipso Ordinarius, quando concessit Ecclesiam illi Religioni, sibi, et Successoribus suis Jus Procurationis expresse reservasset: S. Pius V. Constit. 136. incip. *Exposcit*, ut saepius declaravit *Sac. Cong. Episcop.* ut signanter *in Perusina* 11. *Jan. et in Senensi* 8. *Mart.* 1578. *et in Elven.* 20. *Jun.* 1604.

Visitator hospitatus a Laicis non potest exige- 23
re Procurationem a Clericis, dummodo isti victualia non recusaverint: Barbosa *de Offic. et potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 73. *n.* 66. *et in cap. Felicis* 3. *de Censibus* in 6. *num.* 3. Graff. *dec. aur. par.* 2. *c.* 27. *n.* 90. *lib.* 3. Monacell. *tom* 3. *tit.* 2. *formul.* 4. *n.* 6. et alii passim, *arg. c. Procurationes* 23. *de Censibus, et citat. capit. Felicis* 3. *eodem* in 6. cum similibus.

Laici, nisi velint solvere, non debent cogi Cen- 24
suris, ut solvant Procurationem, non obstante solito; Glossa *in c. Cavendum* 7. *caus.* 10. *quaest.* 3. Glossa *in citat. capit. Felicis* 3. *de Censibus in* 6. *verb. Laicos.* Monacell. *loc. cit. n.* 4. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 47. *per tot. et tom.* 9. *consultat.* 146. *n.* 30. ubi ad id plura decreta affert.

Visitator non potest praetendere victualia in pe- 25
cunia praecise, quamvis antea visitati soliti fuisset solvere tantam pecuniae summam loco victualium, sed est in optione eorum, qui visitantur, an malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi certa pecunia taxata consuetum, an vero praedicta victualia subministrare, textu expresso in Conc. Trid. *cit. sess.* 14. *de reform. cap.* 3. ibi: « Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere, id quod erat ab ipsis ante solvi certa pecunia taxata consuetum, an vero praedicta victualia subministrare ». Et concordat *cap. Felicis* 3. *de Censibus in* 6. ubi conceditur facultas Visitatoribus accipiendi Procurationem in pecunia a volentibus illam solvere, ibi: « Concedimus, ut Episcopi, et alii, quibus ex Officio competit visitare, a volentibus Ecclesiarum, et locorum visitatorum Rectoribus, seu personis pecuniam libere accipere valeant pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus, quibus Visitationis officium personaliter exercebunt ». Non obstante, quod olim id, scilicet pretium moderatae *Procurationis*, in pecunia accipere prohibitum fuerit, in *c. Relata* 9. *caus.* 10. *quaest.* 1. *cap. Romana* 1. §. *Procurationes*, *et c. Exigit* 2. *de Censibus* in 6.

Intuitu Procurationis non potest Visitator, si- 26
ve ejus Secretarius, sive quis alius de suo comitatu aliquod munus, etiam gratis oblatum, accipere, etiam quovis praetextu, seu quaesito colore, puta pro equis ferrandis, seu pro xeniis famulorum, seu qualitercumque; Et hoc sub poena maledictionis, a quo non liberetur, nisi duplum restituat; textu expres. *in cit. c. Romana* 1. *de Censibus* in 6. §. *Procurationes*, ibi: « Caveat in-

super, ne ipse, vel quisquam suorum aliquod munus, quodcumque sit, et qualitercumque offeratur, praesumat recipere: Ut non quae sua sunt videatur quaerere, sed quae Jesu Christi. Quod si fuerit contra praescriptum recipiens, maledictionem incurrat, a qua nunquam, nisi duplum restituat, liberetur. Volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari ». Insuper si duplum ejus, quod receperit, intra mensem non restituerit, si sit Episcopus, vel Superior, est ipso facto interdictus ab ingressu Ecclesiae; Si vero sit Inferior, ipso facto est suspensus ab Officio, et Beneficio, quousque de duplo hujusmodi gravatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendat, nulla ei in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratia valitura. Et praeterea aliis poenis absque ulla spe veniae arbitrio Synodi Provincialis puniri debet: *Communis*, per text. *in cap. Exigit* 2. *de Censibus*, *in* 6. et Conc. Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.*

27 Addendae sunt ad rem sequentes resolutiones *S. C. Conc.* prout habentur in Thesauro Resolutionum *tom.* 6 *S. Marci Visitationis* ibi: Anno 1708. Clerus Oppidi Belvederii ejusdem Dioecesis Sancti Marci alias quaestiones adversus Episcopum praedecessorem proposuit circa modum, et quantitatem Procurationis. Disceptatum quippe fuit:

I. An sit in libertate Cleri Terrae Belvederii solvere Episcopo S. Marci visitanti Procurationem in pecunia, vel subministrare victualia? Et quatenus in pecunia.

II. An, et in qua summa sint taxanda?

III. An, et per quot dies liceat Episcopo visitanti protrahere visitationem?

IV. An, et quot personas possit secum ducere Episcopus occasione dictae visitationis?

V. An Clerus teneatur quidquam solvere Ministris, aliisque Officialibus Episcopi visitantis?

VI. An idem Clerus teneatur solvere Episcopo visitaeti vecturas equorum.

Die vero 7. Julii rescriptum fuit: Danda esse Decreta alias edita, et signanter ad I. in Tyrasonen. Junii 1586. lib. 4. Decret. pag. 146. et in Potentina Procurationis 24. Jan. 1705. ad primum dubium, lib. 5. Decret. pag. 23. ad II. in eadem Potentina ad secundum dubium, ad III. in Turritana 25. Novembris 1704 ad sextum dubium lib. 14. Decretor. pag. 415. ad IV. in Foresempronien. Novembris 1587. lib. 5. Decret. pag. 64. ad V. in Amalphitana 18. Julii 1699. ad tertium dubium, lib. 49. Decret. pag. 252. ad VI. In Aprutina Dec. 1584. lib. 4. Decr. pag. 10.

Sensus autem, qui hujusmodi responsis inest, ex vi aliorum Decretorum, quae ibi indicantur, est hic, videlicet. Ad I. Affirmative. Ad II. in summa moderata ad formam Concilii. Ad III. arbitrio, et conscientiae Ordinarii ad formam Concilii. Ad IV. Episcopum modesto equitatu, et famulatu oportere contentum esse. Ad V. deberi victualia tantum ad formam Concilii. Ad VI. Negativa.

Rursus in alia causa Sancti Marci, die 16. Jan. 1723. proposita fuerunt haec quae, sequuntur dubia. 28

I. An Episcopus S. Marci possit per se ipsum quotannis visitare omnes Ecclesias, omniaque loca suae Dioecesis, et an intra annum possit plures facere visitationes?

II. An dicto Episcopo visitanti per se ipsum debeatur integra solita procuratio, seu potius sit servanda alternativa?

III. An praedicta integra solita procuratio sit solvenda in illa solita quantitate pecuniae juxta morem cujuscumque loci visitandi, et in tribus prandiis dandis Episcopo, ejusque comitatui in vecturis, habitatione, et utensilibus necessariis juxta praetensam antiquissimam consuetudinem?

IV. An Episcopo ejusque comitatui debeantur cibaria, aliaque necessaria toto tempore permanentiae in visitatione?

V. An eidem Episcopo visitanti possit praefigi numerus personarum ejus comitatus?

VI. An eidem Episcopo visitanti possit praefigi numerus dierum, quibus permanere debet in visitatione loci visitandi?

Rescriptum vero sic fuit; Ad I. Affirmative quoad primam, et secundam partem pariter affirmative, sed absque ulla procuratione. Ad II. servandam esse alternativam. Ad III. esse in optione visitandorum solvere procurationem vel in victualibus, vel in pecunia, exclusis tribus prandiis in casu solutionis pecuniae, et quoad vecturam equorum detur decretum 7. Julii 1708. in S. Marci ad sextum. Ad IV. provisum in tertio. Ad V. et VI. arbitrio, et conscientiae Episcopi ad formam Concilii, et ad mentem, ut in lib. 73. Decret. pag. 4.

In Fereotina, in qua proposito inter alia hoc secundo dubio: « II. An, et in qua summa, seu specie sit taxanda procuratio solvenda, seu subministranda Episcopo Visitanti? *S. Cong. Concil. die* 26. *Mart.* 1735. Respondit: Ad secundum, taxandum esse in scutis septem, quatenus visitandi nolint praestare victualia danda in quantitate moderata ad formam Conc. » Sic apud Thesaurum Resolutionum *tom.* 7. *in d. Ferentina*. 29

Quae autem summa aliquando augenda decernitur, cum paupertas intervenit Episcopi, ac multiplicantur dies in Visitatione necessarii, attentis Ecclesiis pluribus, et locis piis non adeo perfuectorie, et per selam apparentiam visitandis, ut resolutum fuit in *Juvenacen. sub die* 3. *Septembris* 1740. in qua proposito dubio; « An, et in qua summa, seu quantitate debeatur Episcopo Juvenacen. Procuratio pro Visitationibus Ecclesiarum, et locorum piorum Oppidi Terlitii expletis absque solutione per tres vices, scilicet annis elapsis 1734. 1735. et 1737. » Eadem Sac. Congregatio Concil. die qua supra, auditis partibus, discussisque earum rationibus, respondit « contra Capitulum Collegiatae Oppidi Terlitii, deberi pro utraque Visitatione in ducatis biscentum, non comprehensis 30

ducatis septendecim jam solutis ». Et reproposita causa sub *die* 20. *Januar.* 1742. Ead. Sac. Cong. respondit *in decisis, et amplius*, ut apud Thes. Resolution. *dictorum annorum.*

31 Episcopus Procurationem exigere nequit nedum ab Ecclesiis, et Clero Civitatis suae Ordinariae Residentiae, sed neque ab Ecclesiis, et Clero Oppidi, in quo aliqua parte anni resideat, ut resolvit *Sac. Congreg. Concil. in Policastren. Procurationis* 4. *Junii* 1737. In qua inter alia propositis quatuor sequentibus dubiis, « I. An Episcopus in actu visitationis possit exigere ab Archipresbytero, et Clericis Participantibus Ecclesiae S. Nicolai Terrae Laureae procurationem in casu etc. et quatenus affirmative, II. An dictus Episcopus possit exigere ab eodem Archipresbytero, et Clericis ultra procurationem ducatorum 15. in pecunia, victualia, et vecturas equorum pro se, et familia in casu etc. III. An idem Episcopus, non completo anno ab ultima visitatione, possit iterum eamdem Ecclesiam visitare, et aliam procurationem a visitandis exigere, et quatenus in omnibus negative: IV. An praefatus Episcopus teneatur restituere hucusque exactum: Eadem Sacr. Congr. Conc. die qua supra, Respondit: ad primum *Negative*, quatenus Episcopus resideat aliqua parte anni in terra Laureae. Ad secundum *Negative*. Ad tertium *Affirmative* quoad primam partem, et *Negative* quoad secundam. Ad quartum *ad Mentem*.

32 Et cum nihilominus Episcopus, posthabita dicta resolutione, Procurationem singulis annis adhuc voluisset exigere, propositis duobus sequentibus dubiis: I. An constet de exactione procurationum contra formam Resolutionis Sacrae Congregationis die 1. Junii 1737. in casu etc. et quatenus Affirmative, II. An Episcopus Policastren. incurrerit paenas contentas *in cap. Exigit de censib.* » *in* 6. *et cap.* 3. *sess.* 24. *de reformat. Sac. Concil. Tridentin. in casu etc.* Eadem Sacra Congregatio die 7. Aprilis 1742. Respondit: *Affirmative ad utrumque*. Sic apud Thesaurum Resolut. *dictorum annorum.*

33 Et eadem Sacra Congregatio, si quando aliquid exactum fuit supra quam exigi debuisset, jussit restui, *ut in Nullius Provinciae Hispalen.* 11. *Septembris* 1706. *in Brictinorien.* 27. *Aug.* 1712. *lib.* 61. *Decret. p.* 326. *in Florentina* 7. *Junii* 1727. *lib.* 77. *decret. p.* 342. *et in Pacen.* 29. *Jan.* 1729. *lib.* 79. *decret. p.* 35 ut apud Thesaur. Resolution. *tom.* 6. *in causa S. Marci Visitationis.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Quaestio, de qua *Auctor. n.* 13. agit, an Episcopus exigere valeat procurationem ab Ecclesiis in Civitate positis, si ad tramites juris resolvenda sit, non negative, ut sentit *ipse Auctor*, sed affirmative resolvi debet. In textu enim in *c.* 24. *de Censib.* Honorius III. statuit, ut et Ecclesiae positae in Civitate oneri procurationis subjectae esse debeant, ut patet ex ejus verbis, et tradunt Gonzalez in *Commentar. ad d. c.* 24. *n.* 2. et Nicolaus le Maistre *de Bon. et Possess. Ecclesiar. lib.* 2. *c.* 1. *fol.* 174. *edit. Parisiensis anni* 1636. 34

Caeterum in Foro praevaluit opinio, quod non tenentur ad procurationem Ecclesiae in Civitate positae. Quinimo et receptum est, ut Episcopus exigere nec valeat procurationem visitando Clerum, et Oppidum suae Dioecesis, si aliqua parte anni resideret, rescripsit S. Cong. Conc. interpres in Polycastren. Procurationis 1. Junii 1637. *Vid. n.* 31. *et seqq.* 35 36

Pariter quaestio illa, an Episcopus iterando eodem anno visitationem, possit iterum procurationem exigere: attenta dispositione juris *in cap.* 21. *de censib.* pro ipso Episcopo esset decidenda. At et contrarium in praxi servatur. Quo fortassis respiciens S. Cong. Conc. interpres resolvit, Episcopo eodem anno iteranti visitationem non deberi iteratam procurationem, ut *in S. Marci* 23. *Jan.* 1723. *et in alia Polycastren.* 18. *Maii* 1737. Vide *n.* 28. *et* 31. 37

De summa, in qua praestari debeant procurationes, quatenus non subministrentur victualia, vide Resolutiones S. Congregationis Concilii interpretis relatas a *P. Gaudentio a Janua, de visitat. dub.* 6. *proemial. n.* 6. easque varias pro varietate locorum. 38

ADDITIONES CASINENSES

Circa exactionem procurationis visitantium, tria attendenda sunt. Primum, quod recipiantur solum a locis visitatis(* *exceptis excipiendis secundum tradita a Lucio nostro hic supra num.* 9. *et seqq.* *). Secundo, quod (recipiantur) limitative, nempe quatenus opus sunt pro victu, non pro aliis expensis. Tertio, quod visitantes, et eorum familiares munera non recipiant. (*) Monacell. *Tom.* 3. *Tit.* 2. *form.* 4. *n.* 2. 39

Hinc Episcopis, et aliis visitatoribus praecipi- 40

(*) Invitis S. Canonibus agerent, si dona, seu munera Visitatores recepisse in visitatione constaret; nisi essent esculenta, et poculenta in parva quantitate, quae in loco visitationis absumpta fuissent, non autem si alio asportata, et quando procuratio daretur in victualibus; secus si in pecunia. nam tunc nec esculenta absumenda accipi debent. Imo etiam si procuratio detur in victualibus, tutius est, nec esculenta absumenda recipere, quia Concilium Trid. omne munus tempore visitationis excludit absoluta per illa verba, *nec munus, quodcumque sit, recipiatur:* ex quo Pirhing *in Tit. ex. de Censibus etc*, deducit, quod munera ista non possint recipi sine peccato; et concordat Barbosa *in c.* 1. *cit. Tit. de Censibus, etc. in* 6. *num.* 23. Nam, ut dicit Sapiens, *Xenia, et dona excoecant oculos Judicum, et quasi mutos in ore avertit correptiones eorum:* Eccles. *cap.* 20. *vers.* 31. Haec Monacell. *Tom.* 3 *Tit.* 2. *form.* 4. *n.* 9.

Porro Barbosa *loc. cit.* scribit in haec verba. « Et quod » munera qualiacumque, etiam comestibilia, non possit E- » piscopus a visitatis ratione visitationis accipere, resolvunt » Piasec. *in Prax. Episc. p.* 2. *cap.* 3. *n.* 73. *Marc. Ant.* » *Genuensis Prax. Arch. cap.* 21. *n.* 13. »

tur, ne inutilibus, et sumptuosis itinerum impedimentis visitationem obeant, sed cum apparatu, et comitatu moderato, prout praescribitur *cap. Cum Apostolus* 6. *Tit. ex. de Censibus etc.* Item, ut procurationes secundum Ecclesiarum, et Ecclesiasticarum personarum facultates, frugales, et moderatas exigant: *C. Conquerente*, 16. *de Offic. Ordinar.* Schmalzgrueber *ad d. Tit. de Cens. n.* 104.

41 Quaeritur: An procurationes ab Episcopo remitti possint? Etsi Episcopus, ut visitatores alii, quando actu visitant, procurationum ob id debitam remittere possint in speciali, quippe nullum inde praejudicium successori obvenit, non tamen remittere eas possunt generaliter, et ita, ut hujusmodi remissione subditus omnino eximatur ab onere solvendi procurationes etiam in futurum. Ita Abbas, Azor. Pirhing, aliiq. et patet ex *cap. Cum Venerabilis* 21. *Tit. cit. de Censibus* etc. Idem *l. cit. n.* 109. *et seqq.*

42 Quaeres amplius: An procurationes, ratione visitationis debitae, contra Praelatum praescribi possint a subditis tempore saltem immemorabili? Felinus, Azorius, Barbosa (*Jus Eccl. univer. c.* 22. *num.* 23.) Vallens. Pirbing (*de praescr. n.* 24.) tenent negativam, nique tantum tribuit Fagnan. *in cap. cum Venerabilis cit. Tit. de censib. etc. n.* 28., ut inter hanc, et affirmativam haesitando, suadeat recursum *ad S. Congreg. Conc.* Sumi negativa videtur *ex cap. Cum ex Officii* 16. *de praescr.* ubi cum Abbas, et alii assererent, se non meminisse, quod procurationem Archiepiscopis visitantibus solverint, hoc tamen immemoriali tempore non obstante, praescriptio generaliter, et indistincte fuit reprobata.

43 « Sed non improbabiliter dici adhuc potest, » praescriptione immemoriali procurationibus ratione visitationis debitis derogari posse. Ratio » est, quia immunitas haec acquiri potest Privilegio Apostolico; sed praescriptio immemorialis, si praescribens sit capax possessionis, ut jus » commune ei non resistat, aequivalet privilegio; » ergo etc. ». Schmalzgrueber *loc. cit. n.* 115.

Amplius, cum ex Trident. *sess.* 24. *de Reformat.* procuratio ex consuetudine tolli possit, inde inferas licet, consuetudinem illam, quae ibi permittitur, proprie praescriptionem esse, quippe cum per eam jus Praelati tollatur, et per quasi possessionem tempore legibus definito continuatam, subditis acquiratur immunitas ab onere procurationes istas solvendi. Schmalzgrueber *ibid. num.* 116.

Haec pariter est doctrina Piasecii, tenoris ut sequitur: » Insuper etiamsi de jure communi pro» curatio praescribi non possit, *c. cum ex Officii,* » *de praescr.* hodie tamen ex nova dispositione » Concil. Trid. (*sess.* 24. *c.* 3. *de reformat.*) prae» scribitur, nec peti potest, ubi illam non dandi » viget consuetudo, propter illa verba Concil. » *ibid. In illis vero locis, seu provinciis, ubi con-* » *suetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec* » *quicquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed* » *omnia gratis fiant, ibi id observetur* ». *Part.* 2. *cap.* 3. *de visitat. quorumvis exempt. in fin. num.* 65. *vers. Insuper.*

Nota etiam, quod quamvis Barbosa in *Jur. Eccl. univ. loc. sup. cit.* attento jure communi, in eam iverit opinionem, procurationes praescribi non posse, attamen, spectato Conc. Trid. praescriptionem utique admisit per haec verba: « Jure communi procuratio praescribi non posset, *Cap. cum* » *ex Officii de praescr.* Hodie tamen ex nova dis» positione Conc. Trid. praescribitur, nec peti » potest, ubi illam non dandi viget consuetudo ». *de Officio, et potest. Episc. Allegat.* 73. *n.* 48. 44

Liceat adhuc sequentia ex Schmalzgruebero exscribere: « Praescriptioni locus est quoad pro» curationum exhibendarum modum, ut observant » DD. *° Vide Lucium nostrum hic supra n.* 25.° — » 2. Praescribi potest, (super) procurationibus » praeteritis, non praestitis pro tempore; quia in » hoc nullum vertitur praejudicium visitationis, » sed visitantis tantum. (DD. comm.) — 3. Prae» scribi potest, ut, cum duae Ecclesiae eadem die » visitantur, ad procurationes praestandas obligetur tantum una abundans redditibus». *l. c. n.*113. 45

PROCURATOR

SUMMARIUM

1. Procurator quid sit. — 2 Procurator, alius est Procurator ad Judicia, seu Judicialis, et alius Procurator ad Negotia, seu Extrajudicialis, et qualis sit uterque? — 3. Item Procurator, alius est generalis, et alius specialis, et qualis sit uterque? — 4. Item Procurator generalis, alius est constitutus adjecta clausula *cum libera*, et alius sine tali clausula, et quid importet talis clausula? — 5. Item Procurator, alius est datus in rem alienam, et alius datus in rem suam, et qualis sit uterque? — 6. Item Procurator, alius est verus, et alius falsus, et qualis sit uterque. — 7. Item Procuratores, alii sunt simpliciter constituti, et alii in solidum, et quales sunt utrique? — 8. Generatim loquendo quilibet, qui non reperitur in Jure prohibitus, potest Procuratorem constituere. — 9. In Jure autem prohibetur constituere procuratorem pupillus, seu Minor habens Curatorem, nisi adsit Tutoris, seu Curatoris Auctoritas. — 10. Item filius familias non aliter constituit Procuratorem, nisi quatenus ipse experiri potest. — 11. Item capti ab hostibus nequeunt dare, vel habere Procuratorem — 12. Item excommunicati Excommunicatione majori non possunt constituere procuratorem ad agendum — 13. Possunt tamen Excommunicati Procuratorem constituere ad defendendum, seu quando ab aliis in Judicio conveniun-

lar. — 14. Generatim loquendo quilibet, qui non reperitur in Jure prohibitus, potest Procurator constitui. — 15. In Jure autem prohibentur esse procuratores Excommunicati Excommunicatione majori. — 16. Item procuratores constitui in Foro Laicali prohibentur Clerici Beneficiati, seu in Sacris constituti. — 17. Item prohibentur esse procuratores Religiosi, nisi cum licentia sui Praelati, et pro utilitate sui Monasterii, vel suae Religionis. — 18. Fratres autem Minores, nedum non possunt esse procuratores, et advocati, sed neque possunt personaliter assistere procuratoribus, et Advocatis ad eosdem instigandos, quando ipsorum negotia pro rebus temporalibus agitantur in Curiis. — 19. Item prohibentur esse procuratores omnes impuberes. — 20. Item etiam Minores septemdecim annis non possunt esse Procuratores, ne quidem ad negotia, et minores viginti quinque annis nequeunt esse procuratores ad Judicia. — 21. Item prohibentur, et ab Officio procuratoris excluduntur foeminae — 22. Item prohibentur esse procuratores in alienis negotiis milites, quamvis possint esse in propriis, et in negotiis suae cohortis — 23. Item potentiores prohibentur esse procuratores ad lites. — 24. Item Jure Canonico prohibentur esse procuratores omnes infames, quamvis Jure Civili non prohibeantur. — 25. Procurator Judicialis post litem contestatam potest alium substituere. — 26. Et a fortiori potest alium libere substituere procurator Extra judicialis. — 27. Procurator non praejudicat Domino, si extra fines mandati aliquid egerit. — 28. Procuratoris generalis omnium rerum factum, seu negligentia, vel dolus nocet Domino. — 29. Poterit tamen Dominus *actione mandati directa* agere contra talem procuratorem de omni damno, et interesse per ejus dolum, culpam, aut negligentiam sibi illato. — 30. Item nocet Domino etiam factum, seu negligentia, vel dolus procuratoris specialis, qui fines Mandati non excessit. — 31. Et contra hunc etiam procuratorem poterit Dominus *actione mandati directa* agere de omni damno, et interesse per ejus dolum, culpam, aut negligentiam sibi illato. — 32. Procuratoris tamen specialis factum, seu negligentia, vel dolus non nocet Domino, si fines mandati excesserit. — 33. Procuratoris Officium finitur quinque potissimum modis. Et primo finitur *Revocatione*. Et quidem re integra potest procurator revocari etiam sine caussa: Re autem non amplius integra revocari potest solum cum justa, et rationabili caussa. — 34. Recensentur caussae justae, et rationabiles revocandi procuratorem, etiam re non amplius integra. — 35. Secundo finitur *Renunciatione*, seu mutuo consensu principalium. — 36. Tertio finitur *Finita instantia Judicii*, idest post latam sententiam definitivam — 37. Quarto finitur *per mortem Domini ipsum constituentis*, si moriatur re integra, alias secus. — 38. Quinto finitur *per mortem ipsiusmet Procuratoris*. — 39. Patrini in Baptismo esse non possunt duo Viri, vel duae mulieres; bene tamen possunt esse procuratores. — 40. Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti. — 41. Procurator pro contrahendo cum absente Matrimonio potest esse diversi sexus ab illo, cujus nomine contrahit — 42. Nec requiritur, quod procurator sit certae aetatis, cum possit esse etiam impubes. — 43. Procurator cum suscepta ad Baptismum contrahere potest Matrimonium. — 44. Procurator Generalis Observantium debet praecedere in Cappella Pontificia procuratori Patrum Conventualium. — 45 De procuratoribus Monasteriorum Monialium quoad durationem *ad n.* 46. — 47. Alia ad rem *ad n.* 51.

1 Procurator ex nominis etymologia idem est, *ac pro alio Curator*, nempe pro Domino, cujus loco, et nomine res, seu negotia sua gerit, et administrat; Unde *Procurator est, qui aliena negotia mandato Domini, administrat*; Sic expresse definitur *in l. Procurator* 1. *ff. de Procuratoribus*.

2 Procurator alius est Procurator ad Judicia, seu Judicialis, et alius Procurator ad Negotia, seu Extrajudicialis: *Communis, ex jur. et DD.* Procurator *ad Judicia, seu Judicialis*, est ille, qui alterius vices in sustinendis Judiciis gerit, atque in his alieno nomine lites prosequitur *; Jure vetustissimo paucis casibus admittebatur, ut quis alieno nomine experiretur, vetante regula, *nemo alieno nomine lege agere potest. l.* 123. *ff. de reg. jur.* quae regula licet quoad judicia in desuetudinem abierit, tamen obtinere perrexit circa caeteras legis actiones. Haec regula consentanea erat alteri regulae juris, *per extraneam personam nihil acquiri posse.* Hinc aut judicati actionem, aut rei iudicatae exceptionem Procurator acquirere non posse videbatur, Praeterea legis actiones, quo in numero erant actiones, nec diem, nec Procuratorem recipiebant ex vulgata regula. Repugnabat etiam solemnis conceptio formularum, quae ita conceptae erant, ut quisque, quod suum, esset peteret: « Ajo hanc rem meam esse: ajo te mihi dare oportere », nec ulla erat prodita, qua quod alteri dari oporteret peteretur. Tamen, necessitate suadente, receptum fuerat ut, cum populus, et servus ipsi pro se agere non possent, posset agi alieno nomine pro populo, et pro libertate, et pro pupillo, cujus quis tutor esset. Permissum etiam fuit lege Hostilia agere *Furti* pro iis, qui absentes Reipublicae causa, aut captivi essent. Haec omnia videre est in *Instit. tit. de iis, per quos agere possumus.* Tandem paulatim invaluit in quibuscumque causis Procuratorum usus, sed ut subtilitas juris servetur, fingitur dominium litis in eos Procuratores transire, cujus fictionis effectus plurimos, si otium erit, in decursu indicabimus. Hac de causa post mortem principalis citationes non fiunt nomine haeredum, sed nomine Procuratoris *tamquam dominum litis effectum*. Hinc Ulpianus inquit, « Usus Procuratoris, per quam necessarius est, ut qui rebus suis ipsi superesse, vel nolunt, vel non possunt, per alios possint vel agere, vel conveniri » l. 1. §. 2. *ff. hoc tit.* Quidam Procuratores dicebantur Cognitores, quidam simpliciter Procuratores. « Cognitor est, qui litem alterius suscipit coram eo, cui datus est. Procurator autem absentis nomine actor fit »: Festus in verbo *Cognitor*. Qui reum defendit, speciali nomine vocatur Defensor. Justiniani aevo Cognitoris appellatio exoleverat *. Procurator *ad Negotia, seu Extrajudicialis* est ille, cui negotia extra Judicium gerenda committuntur, seu demandantur. *Sic in re Communis.*

Item Procurator alius est generalis, et alius 3

specialis. Procurator *generalis* est ille, cui universorum bonorum, seu negotiorum administratio commissa est; *l. Procurator* 1. §. 1. *et l. Procurator totorum bonorum* 63. *ff. de Procuratoribus*, *et c. Dilectus* 11. juncta Glossa verb. *Generalis*, *de Procuratoribus*. Et sic etiam Procurator *generalis ad Judicia*, *seu lites* est ille, qui ad omnes lites, tum praesentes, tum futuras sui Principalis prosequendas constitutus est. Procurator *specialis* a contra est ille, qui ad certum dumtaxat negotium, aut ad certam dumtaxat litem expediendam constitutus est: *l. Procurator* 1. §. 1. *ff. de Procuratoribus*. *Et sic in re Communis.*

4 Item Procurator generalis, alius est constitutus adjecta clausula *cum libera*, hoc est cum plena, et libera Potestate administrandi omnia, quae Domini sunt; ut *l. Procurator cui* 58. *de Procuratoribus*: et alius simpliciter constitutus sine adjecta tali clausula *cum libera*, ut fit *in cit. leg. Procurator totorum bonorum* 63. *ff. de Procuratoribus* *. Haec tamen distinctio minime placet Duareno, et Vinnio, qui nullum putant discrimen intercedere inter eum, cui totorum bonorum simpliciter, et eum cui libera administratio bonorum concessa est. Si lubet, de ea re consule Vinnium *quaest. lib.* 1. *cap.* 9. Displicet non minus Heinecio, quem vide ad hunc titulum §. 430. in suo commentario ad Pandectas *.

5 Item Procurator alius est datus in rem alienam, et alius datus in rem suam. Procurator *datus in rem alienam* est ille, qui aliena negotia de mandato Domini administrat in ejus utilitatem, et talis est proprie dictus Procurator. Procurator *datus in rem suam* est ille, qui aliena negotia de mandato Domini administrat, sed in propriam suam utilitatem, sive commodum; ut si Pater Filio, vel Dominus Extraneo cedat omnia sua Jura, et bona, et eum constituat Procuratorem in talia Jura, et bona, et talis dicitur Procurator solum improprie. *Sic in re Communis.*

6 Item Procurator alius est verus, et alius falsus. Procurator *verus* est ille, qui legitimum habet mandatum procuratorium. Procurator *falsus* est ille, qui vel nullum habet mandatum procuratorium: Vel si habet, non est legitimum, nec sufficiens; ut si habeat solum mandatum generale, ubi requiritur speciale: vel habet mandatum impertinens ad causam pendentem, vel mandatum jam revocatum. *Sic in re Communis.*

7 Item Procuratores alii sunt simpliciter constituti, et alii in solidum. Procuratores *simpliciter constituti*, sunt illi, qui plures simul constituuntur, non adjecta clausula *in solidum*, adeout unus sine alio non debeat admitti, nec negotium, sine causam ejusmodi solus possit expedire; sed necesse sit, ut simul intersint, et quisque eorum pro sua concurrant, *cap. Si duo* 6. *de Procuratoribus in* 6. *cap. causam Matrimonii* 116. *de offic. Delegat. et l. Duo ex tribus*, *ff. de re judicat.* Procuratores *in solidum constituti*, sunt illi, qui plures simul constituuntur, adiecta hac clausola *in solidum*, hoc est in totum, adeo ut quilibet eorum ex se solo possit negotium, sive causam ejusmodi expedire; Cum hoc tamen, quod postquam unus primo per litis contestationem negotium, seu causam occupavit, alii penitus excludantur, nisi forsan in Constitutione talium Procuratorum fuerit adiectum, quod, primo occupante causam non prosequente, nec alium substituente, alter admittatur; textu expresso in *citat. cap. Si duo* 6. *de Procuratoribus in* 6. ibi: « Si duo Procuratores, simul, non adjecto in solidum, deputentur, unus sine altero non debebit admitti; Secus si sint in solidum constituti, sed tunc illius melior erit conditio, qui per litis contestationem negotium primitus occupabit: Post occupationem autem, aut hujusmodi, alter se intromittere nequibit ulterius, cum ille litis Dominus sit effectus; Nisi dictum in constitutione fuisset, quod non fieret melior conditio occupantis: Tunc enim, si eum, qui occupavit, infirmari, mori, absentari, vel alias impediri contingat, aut si qui prosequi forte nolit, poterit alter suscipere, ac perficere negotium ab alio inchoatum, dum tamen ab alio non fuerit alius substitutus; nam si sit, is praeferri debebit eidem »; juncto Summario, et Glossa *ibid.* communiter recepta.

Generatim loquendo quilibet, qui non reperitur 8
in Jure prohibitus, potest Procuratorem constituere: *Communis*, per text. *in l. Mutus* 43. §. *ff. de Procurator.*

In jure autem prohibetur constituere Procura- 9
torem Pupilius, vel Minor habens Curatorem, nisi adsit Tutoris, seu Curatoris auctoritas; *l. Neque Tutore* 11. *Cod. de Procurator.*

Item Filius familias non aliter constituit Pro- 10
curatorem, nisi quatenus ipse experiri potest: *l. Filius familias* 8. *ff. de Procurator.*

Item capti ab hostibus nequeunt dare, vel ha- 11
bere Procuratorem, quia quandiu sunt in potestate hostium, non sunt sui Juris, nec rerum suarum Domini, *l. Ab hostibus*, *ff. Ex quibus causis majores etc.* Et sic de aliis similibus.

Item Excommunicati excom. majori non possunt 12
constituere Procuratorem ad agendum: *Comm.*, *arg. c. ult. de Procuratoribus.* Possunt tamen Ex-
communicati Procuratorem constituere ad defen- 13
dendum, seu quando ab aliis in Judicio conveniuntur: *Communis*, textu expresso *in c. Intelleximus* 7. *de Judiciis*, ibi: « Quia postulasti a nobis, utrum Excommunicatus in Judicio stare possit? Respondemus, quod conveniri potest; et debet per alium respondere in Judicio, ne videatur de sua malitia commodum reportare ».

Generatim loquendo quilibet, qui non reperitur 14
in Jure prohibitus, potest Procurator constitui: *Communis*, per text. in *cap. Non indiscrete* 1. § 1. *de Procuratoribus* in 6. *et l. Mutus* 43. §. 1. *ff. eod.*

In jure autem prohibentur esse Procuratores Ex- 15
communicati Excommunicatione majori: *Commu-*

nis, arg. cap. ult. de Procurat. et c. Intelleximus 7. de Judiciis.

16 Item Procuratores constitui in Foro Laicali prohibentur Clerici Beneficiati, seu in Sacris constituti: *Communis*, per text. *in Authent. de Sacr. Episcop.* §. *Deo autem, cap. Quia Episcopus* 5. *q.* 3. *cap. Nullus* 11. *quaest.* 1. *cap. Credo* 21. *quaest.* 3. *cap. Clerici* 1. *de Postulando, cap. Multa sunt negotia* 1. *cap. Sacerdotibus* 2. *et cap. Sed nec* 4. *Ne Clerici, vel Monachi.* Vide verb. *Clericus art.* 3. *n.* 59. *et seq.*

17 Item prohibentur esse Procuratores Religiosi, nisi cum licentia sui Praelati, et pro utilitate sui Monasterii, vel suae Religionis: *Communis*, per text. *in Clementin. Religiosus de Procuratoribus, cap.* 2. *de postulando, cap. De praesentium, et cap. Monachi* 16. *q.* 1. cum similibus.

18 Fratres autem Minores, nedum non possunt esse Procuratores, et Advocati, sed neque possunt personaliter assistere Procuratoribus, et Advocatis ad eosdem instigandos, quando ipsorum negotia pro rebus temporalibus agitantur in Curiis: *Communis*, per text. *in Clementin. Exivi* §. *Proinde, de verbor. significat.* Ubi adducitur ratio, quia Fratres Minores nihil habent proprium, ne quidem in communi, sicuti habent alii Regulares; Atque « ex talibus assistentiis in Curiis, et instigationibus, cum de rebus agitur in ipsorum commodum convertendis, creduntur verisimiliter ex his, quae foris patent (de quibus habent homines foris judicare) in ipsis rebus Fratres assistentes aliquid quaerere tamquam suum »; prout argumentatur Pontifex *ibidem*, adeoque nullo modo debent hoc facere, « ut et testimonium habeant ab his, qui foris sunt, et puritati satisfaciant voti sui, ac evitetur per hoc scandalum pusillorum »; ut *ibidem* subjungit Pontifex.

19 Item prohibentur esse Procuratores omnes impuberes, *l. Feminae* 2. *de Regul. Juris.*

20 Immo etiam minores septendecim annis non possunt esse Procuratores, nequidem ad negotia; et Minores vigintiquinque annis nequeunt esse Procuratores ad Judicia, c. *Qui generaliter* §. *fin. de Procuratoribus in* 6. *et l. Minores* 51. *ff. eod.*

21 Item prohibentur, et ab Officio Procuratoris excluduntur feminae, *l. Alienum, Cod. de Probationibus, et cit. leg. Feminae* 2. *ff. de Regul. Juris*; Exceptis necessitatibus suorum parentum, pro quibus, alio non existente Procuratore, possunt Feminae Procuratoris obire Officium, textu expresso in *l. Feminas* 41. *ff. de Procurator.* ibi: « Feminas pro parentibus agere interdum permittetur causa cognita, si forte parentes morbus, aut aetas impediat, nec quemquam, qui agat, habeant ».

22 Item prohibentur esse Procuratores in alienis negotiis milites, *leg. Neque Feminae* 54. *de Procuratoribus*; Ipsi enim, quia armis, et non privatis negotiis occupari debent, nec pro conjunctis personis, v. g. Patre, Matre, vel Uxore, Procuratoris vices agere possunt, *l. Militem* 7. *Cod. De Procuratoribus.* Possunt tamen Milites esse Procuratores in propriis causis, et negotiis, *l. Qui stipendia* 9. *Cod. de Procuratoribus.* Sicut et in negotiis suae Cohortis, *l. Filius familias* §. *Veterani, ff. de Procuratoribus.*

Item Potentiores prohibentur esse Procuratores ad lites, *leg. Divini admodum* 1. *Cod. Ne liceat potentioribus.* Et idem dicendum est de Redemptoribus alienarum litium, *arg. l. Litem* 15. *de Procuratoribus.* 23

Item Jure Canonico prohibentur esse Procuratores omnes infames, textu expresso *in cap. Infamis* 1. *caus.* 3. *q.* 7. ibi: « Infamis persona nec Procurator esse potest », *c. Infames* 2. *ead. caus.* 3. *et q.* 7. ibi: « Infames non possunt esse Procuratores, vel Patroni causarum »; cum similibus. Dicitur autem notanter *Jure Canonico*; Nam, spectato Jure Civili, infames non prohibentur esse Procuratores, §. *Final. Institut. de Exceptionibus.* 24

Procurator Judicialis, seu ad judicia post litem contestatam potest alium substituere; Tunc enim Dominus litis jam effectus est: *Communis*, textu expresso *in cap. Non indiscrete,* 1. § *Licet a Procuratoribus in* 6. *et l. Nulla, Cod. eod.* cum similibus. 25

Et a fortiori potest alium libere substituere Procurator Extrajudicialis, seu ad negotia: *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Non indiscrete* 1. §. *Procurator, de Procuratoribus in* 6. Cum enim in negotiis non agatur de tam gravi praejudicio, sicut in Judicialibus, si potest alium substituere Procurator judicialis, seu ad judicia, vel ad lites; a fortiori poterit alium substituere Procurator extrajudicialis, seu ad negotia. 26

Procurator non praejudicat Domino, si extra fines mandati aliquid egerit: *Communis*, per text. *in l. Si Procurator* 19. *Cod. de Procuratoribus.* Talis enim Procurator fines mandati excedens, aliud agit, quam sibi fuerat injunctum; *l. Diligenter, ff. Mandati*, adeoque non praejudicat Domino, ne quis alieno facto oneratur, *l. In causa* 27. *ff. de Procuratoribus.* 27

Procuratoris generalis omnium rerum factum, seu negligentia, vel dolus nocet Domino: *Communis*, per text. *in l. Procuratoris, ff. de Tributor. action.* Dominus enim debet sibi imputare, quod negligentem, aut dolosum Procuratorem, praesertim generalem omnium suarum rerum, constituerit, *l. Cum mandato, ff. de Minoribus* Poterit tamen Dominus *actione mandati directa* agere contra talem Procuratorem de omni damno, ut interessu per ejus dolum, culpam, aut negligentiam sibi illato, *l. Si Procurator* 10. *l. Licet in popularibus* 42. §. *Ea obligatio, Cod. de Procuratoribus, l. Si Procuratorem* 8. §. *final. ff. Mandati, et l. Procuratorem, Cod eod.* cum similibus. 28 29

Item nocet Domino etiam factum, seu negligentia, vel dolus Procuratoris specialis, qui fines Mandati non excessit: *Communis*, per text. *in l.* 30

Procurator 10. *Cod. de Procuratorib. l. Eum qui res, Cod. eod. l. Quoties, Cod. de dignitat. capit. Cum olim Abbas* 32. *de Offic. Delegat. cap. Cum olim* 7. *de causa possess. et proprietat.*, cum si-
31 milibus. Et contra hunc etiam Procuratorem poterit Dominus, *actione Mandati directa*, agere de omni damno, et interesse per ejus dolum, culpam, aut negligentiam sibi illato: *Commun.* per citata Jura *sub num.* 29.

32 Procuratoris tamen specialis factum, seu negligentia, vel dolus non nocet Domino, si fines Mandati excesserit: *Communis*, per text. *in l. Si Procurator* 10. *Cod. de Procuratoribus*, ibi: « Si Procurator ad unam speciem constitutus Officium mandati egressus est, id, quod gessit, nullum Domino praejudicium facere potuit »; et patet ex dictis *supra num.* 27.

* Ut quis alterius nomine valeat cum effectu, et rite agere, omnino praecedat oportet mandatum. Regulariter enim non admittitur quis ad agendum alieno nomine, nisi de mandato doceat. Caeterum qui ad aliquam actionem mandatum habet, et ad ea, per quae ad hanc actionem pervenitur, mandatum habere intelligitur *l.* 56. *l.* 57. *leg.* 72. *et leg.* 78. §. 1. *ff. hoc tit.* Quaedam nihilominus personae sunt, quae cum naturali affectione ad agendum pro aliquo invitentur, etiam sine mandato admittuntur. Talis primo est maritus pro Uxore, *l.* 21. *Cod. hoc tit.* Secundo idem dicendum de liberis, qui pro parentibus agerent, et viceversa, *l.* 35. *ff. hoc tit. l.* 51. *l.* 56. §. 1. *ff. de verb. sign.* Tertio admittuntur etiam fratres, et affines, puta socer, si agat pro nuru, *l.* 50. *ff. eod.*

Quisquis autem ille sit, qui alieno nomine experiatur, haec ab eo exiguntur, nimirum « ait Pretor. Cujus nomine quis actionem dari sibi postulabit, is eum viri boni arbitratu defendat, et ei quo nomine aget, id ratum habere eum, ad quem ea res pertinet boni viri arbitratu satisdet ». *l.* 33. §. 3. *ff. hoc. tit.* *

33 Procuratoris officium finitur quinque potissimum modis. Et primo, finitur *Revocatione*: Procurator enim, tum judicialis, tum extrajudicialis, re integra, potest libere a Domino revocari etiam sine causa, *cap. Quamvis* 2. *de Procuratoribus in* 6. *l. Si Procuratorem* §. *Recte, Institut. de Mandato.* Re autem non integra, seu post litem contestatam, aut incaeptum negotium, revocari potest solum eum justa, et rationabili causa, *cit. c. Quamvis*, *de Procuratoribus in* 6. *l. Post litem* 17. *ff. de Procuratoribus.*

34 Causae autem justae, et rationabiles revocandi Procuratorem, etiam re non amplius integra, recensentur in *cit. cap. Quamvis* 2. *de Procuratoribus in* 6. ubi postquam Pontifex dixit: « Quamvis Procurator possit ante litem contestatam, etiam sine causa, libere a Domino revocari, *statim subjungit*: Postea tamen ipso nolente nequibit, nisi eum cum Domino inimicum fieri, vel suspectum, aut adversario affinitate conjungi, vel ejus heredem fieri, seu ingredi Religionem, aut in longum peregrinari, vel aegritudine, aut vinculis detineri contingat, seu alia rationabilis causa subsit, propter quam sit merito revocandus ».

Secundo, finitur *Renunciatione*, seu mutuo consensu Principalium, scilicet Domini constituentis, et Procuratoris constituti, *l. Mutari* 24. *ff. de Procuratoribus*, juncta Glossa *ibidem* communiter recepta, et *cap. Omnis res* 1. *de Regul. Juris*, ibi: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur ». 35

Tertio, finitur *Finita instantia Judicii*, idest post latam sententiam definitivam; Tunc enim licet possit, et debeat Procurator a tali sententia appellare, vel saltem statim Dominum admonere, ut ipse, si velit, appellare possit, tamen non tenetur appellationem prosequi invitus, adeoque censetur ex tunc expirare ejus Officium; *c. Non injuste* 14. *de Procuratorib. et l. Invitus* 17. *Cod. eodem.* 36

Quarto finitur *per mortem Domini ipsum constituentis*, si moriatur re integra, alias secus, §. *Item* 10. *Institut. de mandato*, *l. Inter causas* 25. *ff. Mandati*, ibi: « Inter causas amittendi Mandati etiam mors Mandatoris est, nam Mandatum solvitur morte: Si tamen per ignorantiam impletum est, competere actionem utilitatis causa dicit »: Ne scilicet justa ignorantia culpiam damnum afferat, ut dicitur *in citat.* §. *Item*, ibi: « Alioquin justa, et probabilis ignorantia tibi damnum adferret ». 37

Quinto, finitur, *per mortem ipsiusmet Procuratoris*; Tale enim Officium non transit ad heredes, cum censeatur electa industria personae: *l. Si quis alicui* 37. §. 3. ibi: « Morte quoque ejus, cui mandatum est, si is, integro adhuc Mandato, decesserit, solvitur Mandatum, et ob id heres ejus, licet executus fuerit Mandatum, non habet Mandati actionem »; et concordat *cit.* §. *Item* 10. *Instit. de Mandato.* 38

Procurator unus, qui sit Viri, et alter, qui sit Procurator Mulieris, baptizatum de sacro Fonte suscipere possunt, sed non duo viri, nec duae Mulieres, unusquisque tamen proprio nomine, Vir loco Mulieris, vel Mulier loco Viri: *Sacr. Congr. Conc.* apud Barbosam *in Summa Apostolic. Decis. verb. Procurator n.* 1. 39

Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed Mandanti. *Sac. Congregat. Concil. in Tridentina* 16. *Maii* 1630. Barbos. *loc. c. num.* 4. 40

Procurator pro contrahendo cum absente Matrimonio potest esse diversi sexus ab illo, cujus nomine contrahit; Unde potest femina contrahere pro viro, et econtra vir pro femina: Agit enim non suo, sed alterius nomine. Vide verb. *Matrimon. art.* 1. *n.* 36. 41

Nec requiritur, quod Procurator sit certae aetatis; Quamvis enim *c. Qui generaliter* §. *fin. de Procuratorib. in* 6. *et l. Minor* 51. *ff. eod.* juxta 42

dicta *supra num.* 20. dicatur, Procuratores ad negotia debere esse 17. annorum, tamen id non requiritur in Matrimonio, in quo non exigitur industria Procuratoris, sed tantum manifestatio consensus: Unde sufficit, quod sit in aetate sufficiente ad manifestandum sui Principalis consensum, quamvis nec dum esset pubes. Vide d. verb. *Matrimonium n.* 37.

43 Impedimentum cognationis spiritualis Procuratoris, qui puellam ad Baptismum suscepit, non obstare, quo minus Matrimonium contrahere valeat cum puella suscepta, respondit *Sac. Congreg. Conc. in Theatina Matrimonii* 23. *Aug. et* 18. *Sept.* 1721. apud Thesaurum Resolutionum Sacrae Congreg. Conc.

44 Procurator Generalis Observantium debet praecedere in Capella Pontificia Procuratori Patrum Conventualium: *Sac. Congregat. Rit.* 26. *Nov.* 1593. *et* 11. *Jan.* 1602. approbante Sanctissimo, ut patet ex Decreto ad litteram relato a Lantusca *in Theat. Regul. verbo Procurator, num.* 6. ut infra.

« Viso memoriali pro Procuratore Generali Ordinis Minorum Sancti francisci de Observantia Sanctissimo Domino Nostro porrecto, et a Sanctitate Sua Congregationi Sacrorum Rituum transmisso super praecedentia eidem Procuratori in Capella Sanctissimi ante Procuratorem generalem ejusdem Ordinis Conventualium competenti, ac Decreto alias sub *die* 26. *Nov.* 1593. ad ejusdem Procuratoris de Observantia favorem facto ».

« Congregatio *die* 21. *Jan.* 1602. stetit in decisis, factaque eidem Sanctissimo Domino Nostro (juxta ejusdem Sanctissimi Rescriptum) de praemissis relatione, Sanctitas Sua dicta Decreta approbavit, et ab his, ad quos spectat, observari mandavit ».

P. H. Card. Com.

45 Procuratores, seu Officiales deputati Monasteriorum Monialium durare debent per triennium, et non ultra, seu de triennio in triennium mutari debent: *Sacra Congreg. Episcop. et Regul. in Orien.* 16. *Jul.* 1615. apud Barbos. *in Summa Apost. decis. verb. Procurator n.* 3. et Monac. *t.* 1.

46 *tit. XI. formul.* 14. *n.* 8. Immo si Episcopus animadvertat non esse utiles, parumque propensos, et diligentes servitio, etiam durante triennio, poterit eos removere: *Eadem Sacra Congregat. in Surrentina* 12. *Maii* 1617. apud Monac. *loc. cit. n.* 8.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

47 Procurator contrahendo, etsi regulariter non propriam, sed personam obliget mandantis, plures tamen sunt casus, in quibus propriam obligat personam.

48 Primus casus est, si sine legitimis facultatibus contraxerit. Dicitur autem contrahere sine legitimis facultatibus, si mandato contrahendi caruerit, ut respondit Rota *in Melevitana Redditionis rationis super indemnitate*, 24. *Aprilis* 1740. §. 3. *cor. Reverendiss. Molin.* Idem est, si mandatum 49
fuerit revocatum, nec juvatur ambiguitate revocationis, et credulitate ratificationis, et vanum est dicere *putabam*, ut firmavit idem Sacrum Tribunal *in Romana Frumenti super reservatis*, 7. *Mart.* 1742. *cor. eodem.*

Alter casus est, si Procurator habeat mandatum, 50
sed mandans sit *exterus*, *et ignoti nominis*; Rota *dict. Romana Frumenti super reservatis* 7. *Mart.* 1742. *cor. eodem.*

Tertius casus est, si substituerit, et substitutus 51
male se gesserit. Et nota id locum sibi vindicare, etiamsi Procurator facultate substituendi donatus fuerit, modo facultas substituendi non sit directa in certam personam. Confer Rot. *in Romana Pecuniaria* 9. *Decemb.* 1743. *cor. Reverend. P. D. Canilliac Decano*, ubi quando Procurator non teneatur pro male gestis a substituto.

* Multa sunt onera defensorum, quae hic non recensentur, sed unusquisque per se videt, procuratorem in re aliena se gerere debere, ac si de re propria ageretur. Sed si procurator officio functus sit, vel defecerit, tum ipsi, tum domino competit actio. « Siquidem ea obligatio, quae inter dominum, et procuratorem consistere solet, mandati actionem parit. *l.* 42. §. 2. *ff. hoc tit.* Unde procurator ut in caeteris quoque negotiis gerendis, ita et in litibus bona fide rationem reddere debet. Itaque quod ex lite consecutus erit, sive principaliter ipsius rei nomine, sive extrinsecus ob eam rem debet mandati judicio restituere, usque adeo ut etsi per errorem, aut injuriam judicis non debitum consecutus fuerit, id quoque reddere debeat *l.* 46. §. 4. *ff. eod.* Item contra, quod ob rem judicatam Procurator solverit, contrario mandati judicio recuperare debet *d. l.* §. 5. Nam litis impendia bona fide facta, vel ab actoris procuratore, vel a rei debere ei restitui aequitas suadet *d. l.* §. 6. Poenam autem quam ex suo delicto praestitit recuperare non debet, *ibid.* §. 8. ».

» Aliquando tamen non contrahitur obligatio mandati sicut evenit, cum in rem suam procuratorem praestamus, eoque nomine judicatum solvi promittimus. Nam si ex ea promissione aliquid praestiterimus, non mandati, sed ex vendito, si hereditatem vendidimus (finge: heres vendidit hereditatem, deinde is heres conventus a creditore hereditario emptorem dedit procuratorem pro quo *judicatum solvi* promisit) vel ex pristina causa mandati agere debemus, ut fit cum fidejussor reum Procuratorem dedit. » *l.* 42. §. 2. *vers. aliquando ff. hoc tit.* Idest ex illo pristino mandato, quod contractum est cum reus mandavit fidejussori, ut pro ipso fidejuberet, non ex illo mandato, quo fidejussor mandavit reo, ut ipsum adversus creditorem defenderet *.

PRODIGALITAS

VIDE TOM. 1. VERB. *AVARITIA N.* 13. *ET* 14.

VIDE VERB. *FIDEI PROFESSIO.*

PROFESSIO FIDEI

VIDE VERB. *FIDEI PROFESSIO.*

PROFESSIO REGULARIS

VIDE VERB. *REGULARIS PROFESSIO.*

PROPOSITIONES DAMNATÆ

1 Propositiones damnatae in Conciliis Carthaginensi, et Milevitano annis 411. *et* 416. in causa Pelagianorum, habitis ex capite secundo Appendicis De damnatis propositionibus Theologiae Moralis P. Gabrielis Antoine a P. lippo a Carboneano subjectae.

1. Naturaliter potest implere legem, qui vult, et Deus legem ad adjutorium dedit.
2. Ad perficiendam justitiam, et Dei mandata complenda, sola humana sufficere potest natura.
3. Parvuli propter salutem, quae per Salvatorem Christum datur, baptizandi non sunt.
5. Potest homo in hac vita, praeceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiae sine adjutorio gratiae Salvatoris, per solum liberae voluntatis arbitrium pervenire, ut etiam non sit necessarium dicere: *Dimitte nobis debita nostra.*
5. Illud, *et ne nos inferas in tentationem*, non ita intelligendum, tamquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, quoniam hoc in nostra positum est potestate, et ad hoc implendum sola sufficit hominis voluntas.
6. Non est orandus Deus ut contra peccati malum, et ad operandam justitiam sit noster adjutor.
7. Non opitulatur parvulis ad consequendam vitam aeternam Christianae gratiae Sacramentum.

2 *Propositio Abbatis Joachim* De unione Divinae Trinitatis in natura, *damnata in Concilio Lateranensi IV, sub Innocentio III. anno* 1215. *Collect. Concilior. Edit. Venetae anno* 1730. *tom.* XIII. col. 929. seqq.

1. Unitas divinarum personarum in natura non est vera, et propria, sed quasi collectiva, et similitudinaria, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, et multi fideles una Ecclesia.

Propositiones duae, altera De usuris, *Altera* De anima rationali *a Clemente V. in Concilio Generali Viennensi anno* 1311. *damnatae; illa Clementinar. lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. Fidei Catholicae, *haec lib.* V. *tit.* V. *cap. unic.* Ex gravi. 3

1. Exercere usuras non est peccatum.
2. Anima rationalis non est vere, et proprie forma corporis humani.

Propositiones Beguardorum et Beguinarum ab eodem Pontifice in eodem Concilio damnatae, Clementinarum lib. V. *tit.* 3. *cap.* 3. Ad Nostrum. 4

1. Homo in vita praesenti tantum, et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis, et amplius in gratia proficere non valebit. Nam (ut dicitur) si quis potest semper proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.
2. Jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradus perfectionis hujusmodi fuerit assecutus, quia tunc sensualitas est ita spiritui, et rationi subjecta, quod homo potest libere concedere corpori quidquid placet.
3. Illi qui sunt in praedicto gradu perfectionis, et spiritu libertatis, non sunt humanae subjecti obedientiae, nec ad aliqua praecepta Ecclesiae obligantur. Quia (ut asserunt) *ubi spiritus Domini, ibi libertas.*
4. Homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in praesenti assequi, sicut eam obtinebit in vita beata.
5. Quaelibet intellectualis creatura in seipsa naturaliter est beata, et anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beate fruendum.
6. Se in actibus exercere virtutum est hominis

imperfecti, et perfecta anima licentiat a se virtutes.

7. Mulieris osculum (cum ad hoc natura non inclinet) est peccatum mortale; actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non est, maxime cum tentatur exercens.

8. In elevatione corporis Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere, asserentes, quod esset imperfectionis ejsdem, si a puritate, et altitudine suae contemplationis tantum descenderent, quod circa mysterium, seu sacramentum Eucharistiae, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.

5 *Propositiones* Joannis de Poliaco *Doctoris Parisiensis damnatae a Joanne* XXII. *Constit.* Vas electionis *Extravag. Commun. lib.* V. *tit.* De haereticis *cap.* 11., *et Collect. Concilior. Edit. citatae* 1731. *Tom.* XV. *col.* 156. *seqq.*

1. Confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quae confessi fuerant, iterum confiteri proprio sacerdoti.

2. Stante *omnis utriusque sexus* edicto in Concilio generali, Romanus Pontifex non potest facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri (quem dicit esse parochianum curatum). Immo nec Deus posset hoc facere, quia (ut dicebat) implicat contradictionem.

3. Papa non potest dare licentiam generalem audiendi confessiones, immo nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio sacerdoti, quem dicit esse (ut praemittitur) proprium curatum.

6 *Propositio de paupertate Christi, et Apostolorum ab eodem Joanne* XXII. *damnata*, *ut haeretica*, *in Extravag.* Cum inter nonnullos, *et* Quia quorumdam. *Extravag. Joannis* XXII. *tit.* XV. De verbor. signif. *cap.* IV. *et* V.

1. Christus et Apostoli, in iis quae habuisse leguntur, tantum habuerunt absque jure aliquo simplicem usum facti.

7 *Propositiones quinque* Marsilii Patavini, et Joannis de Janduno *ab eodem Joanne* XXII. *damnatae Const.* Licet juxta. *Apud Odoricum Raynaldum in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi* 1327. *n.* XXVIII. *seqq.*

1. Illud, quod de Christo legitur in Evangelio beati Matthaei, quod ipse solvit tributum Caesari, quando staterem sumptum ex ore piscis, illis, qui petebant didrachma, jussit dari, hoc fecit non condescensive, et liberalitate suae pietatis, sed necessitate coactus.

2. Beatus Petrus Apostolus non fuit plus caput Ecclesiae, quam quilibet aliorum Apostolorum; nec habuit plus auctoritatis, quam habuerunt alii Apostoli, et Christus nullum caput reliquit Ecclesiae, et nullum fecit vicarium suum.

3. Ad Imperatorem spectat corrigere Papam, et punire, ac instituere, et destituere.

4. Omnes Sacerdotes, sive sit Papa, sive Archiepiscopus, sive Sacerdos simplex quicumque, sunt aequalis auctoritatis, et jurisdictionis ex institutione Christi; sed quod unus habet plus alio, hoc est secundum quod Imperator concessit plus, vel minus, et sicut concessit, revocare potest.

5. Papa, vel tota Ecclesia simul sumpta, nullum hominem, quantumcumque scelcratum, potest punire punitione coactiva, nisi Imperator daret eis auctoritatem.

Articuli XLV. Joannis Wicleff *a Synodo Constantiensi damnati sess.* VIII. *Collect. Concilior. cit. edit. Tom.* XVI. *col.* 119. *seqq. tum a Martino V. Const.* Inter cunctas. *tom. eod. col.* 751. *et seqq.* 8

1. Substantia panis materialis, et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris.

2. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.

3. Christus non est in eodem Sacramento identice, et realiter in propria praesentia corporali.

4. Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, nec consecrat, non conficit, non baptizat.

5. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

6. Deus debet obedire Diabolo.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua, et inutilis.

8. Si Papa sit praescitus, et malus, et per consequens membrum Diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare.

9. Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Graecorum sub Legibus propriis.

10. Contra Scripturam Sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullus Praelatus debet aliquem excommunicare; nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo, et qui sic excommunicat, fit ex hoc haereticus, vel excommunicatus.

12. Praelatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis, et Regni.

13. Illi, qui dimittunt praedicare, sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in Dei Judicio traditores Christi habebuntur.

14. Licet alicui Diacono, vel Presbytero praedicare verbum Dei absque autoritate Sedis Apostolicae, sive Episcopi Catholici.

15. Nullus est Dominus civilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, idest ex habitu, non solum actu delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

18. Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt Parochiani propter peccata suorum Praelatorum ad libitum suum eas auferre.

19. Speciales orationes applicatae uni personae per Praelatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales ceteris paribus.

20. Conferens eleemosynam Fratribus est excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum, quam Mendicantium, redditur ineptior, et inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

22. Sancti instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, et non per mendicitatem.

25. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

26. Oratio praesciti nulli valet.

27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

28. Confirmatio juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum Consecratio reservantur Papae, et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, et honoris.

29. Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, et Magisteria, quae in eisdem sunt vana gentilitate introducta, tantum prosunt Ecclesiae sicut Diabolus.

30. Excommunicatio Papae, vel cujuscumque Praelati non est timenda, quia est censura Anti-Christi.

31. Peccant fundantes claustra, et ingredientes sunt viri Diabolici.

32. Ditare Clerum est contra Regulam Christi.

33. Silvester Papa, et Constantinus Imperator errarunt Ecclesiam dotando.

34. Omnes de Ordine Mendicantium sunt haeretici, et dantes eis eleemosynas excommunicati.

35. Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina praecepta, et per consequens ad perveniendum ad regnum coelorum, nisi apostataverint ab eisdem.

36. Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici, eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet Domini saeculares, et ceteri laici.

37. Ecclesia Romana est Synagoga Satanae, nec Papa est proximus, et immediatus Vicarius Christi, et Apostolorum.

38. Decretales Epistolae sunt apocryphae, et seducunt a Fide Christi, et Clerici sunt stulti, qui student eis.

39. Imperator, et Domini saeculares sunt seducti a Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio Papae a Cardinalibus, a Diabolo est introducta.

41. Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

42. Fatuum est credere Indulgentiis Papae, et Episcoporum.

43. Juramenta illicita sunt, quae fiunt ad corroborandos humanos contractus, et commercia civilia.

44. Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sunt, nisi poenituerint de hoc, quod habuerunt possessiones, et instituerunt, et intraverunt Religiones, et sic a Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt haeretici.

45. Omnes Religiones indifferenter introductae sunt a diabolo.

Articuli xxx. Joannis Hus *damnati ab eadem* 9
Synodo sess. xv. *Tom. cit. Collect. Concilior. col.* 284. *et seqq. et a Martino V. Const.* Inter cunctas *Tom. eod. col.* 758. *seqq.*

1. Unica est Sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas.

2. Paulus nunquam fuit membrum Diaboli, licet fecerit quosdam actus actibus Ecclesiae malignantium consimiles.

3. Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars ejus similiter excidat ab ea, eo quod praedestinationis caritas, quae ipsam ligat, non excidat.

4. Duae naturae Divinitas, et Humanitas sunt unus Christus.

5. Praescitus, etsi aliquando est in gratia secundum praesentem justitiam; tamen nunquam est pars Sanctae Ecclesiae, et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis.

6. Sumendo Ecclesiam pro convocatione praedestinatorum, sive fuerint in gratia, sive non, secundum praesentem justitiam, isto modo Ecclesia est articulus Fidei.

7. Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiae Sanctae Catholicae.

8. Sacerdotes quomodolibet criminose viventes Sacerdotii polluunt potestatem, et sic ut filii infideles sentiunt infideliter de 7. Sacramentis Ecclesiae, de clavibus, Officiis, Censuris, moribus, caeremoniis, et sacris rebus Ecclesiae, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, et Ordinibus.

9. Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae perfectio, et institutio a Caesaris potentia emanavit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel alio, quod esset caput Ecclesiae particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanae Ecclesiae particularis.

11. Non oportet credere, quod iste, quicumque est, Romanus Pontifex, sit caput cujuscumque particularis Ecclesiae sanctae, nisi Deus eum praedestinaverit.

12. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud Officium Vicariatus requiritur, et morum conformitas, et instituentis Auctoritas.

13. Papa non est verus, et manifestus successor Apostolorum Principis Petri, si vivit moribus contrariis Patro; et si quaerit avaritiam, tunc est Vicarius Judae Iscariot. Et pari evidentia, Cardinales non sunt veri, et manifesti Successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata, et consilia Domini nostri Jesu Christi.

14. Doctores ponentes, quod aliquis per Censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, saeculari Judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas, et Pharisaeos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes; *nobis non licet interficere quemquam*, ipsum saeculari Judicio tradiderunt, et quod tales sint homicidae graviores, quam Pilatus.

15. Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum Ecclesiae, praeter expressam auctoritatem Scripturae.

16. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt, vel virtuosa, vel vitiosa, quia si homo est vitiosus, et agit quicquam, tunc agit vitiose; et si est virtuosus, et agit quicquam, tunc agit virtuose, quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

17. Sacerdotes Christi viventes secundum legem ejus, et habentes Scripturae notitiam, et affectum ad aedificandum populum debent praedicare, non obstante praetensa Excommunicatione. Quod si Papa, vel aliquis Praelatus mandat Sacerdoti sic disposito non praedicare, non debet subditus obedire.

18. Quilibet praedicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit, et illud mandatum debet exequi, praetensa excommunicatione non obstante.

19. Per Censuras Ecclesiasticas Excommunicationis, suspensionis, et Interdicti ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, et viam praeparat Anti-Christo; Signum autem evidens est, quod ab Anti-Christo tales procedunt Censurae, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus Clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Christi, qui Clerum pro se maxime usurpabit.

20. Si Papa est malus, et praesertim si est praescitus, tunc ut Judas Apostolus est Diaboli, fur, et filius perditionis, et non est caput Sanctae Militantis Ecclesiae, cum nec sit membrum ejus.

21. Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiae, et quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papa, vel Praelatus malus, et praescitus est aequivoce Pastor, et vere fur, et latro.

23. Papa non debet dici Sanctissimus, etiam secundum Officium, quia alias Rex deberet etiam dici Sanctissimus secundum Officium, et tortores et praecones dicerentur sancti; immo etiam Diabolus deberet dici Sanctus, cum sit Officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam, et legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet, quam per Christum, dato etiam, quod intraret per electionem a Deo principaliter factam: nam Judas Iscariotes rite, et legitime est electus a Deo Christo Jesu ad Episcopatum, et tamen ascendit aliunde ad ovile Ovium.

25. Condemnatio 45. articul. Joannis Wicleff per Doctores facta est irrationabilis, et iniqua, et male facta, et ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet eorum aut est haereticus, aut erroneus, aut scandalosus.

26. Non eo ipso, quo Electores, vel major pars eorum cousenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus, et manifestus successor, vel Vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in Officio Ecclesiastico; unde sive Electores bene, vel male elegerint, operibus electi debemus credere, nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiae, habet a Deo ad hoc copiosius facultatem.

27. Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur, et conservetur.

28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces Discipulos sparsos per Orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet.

29. Apostoli, et fideles Sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papae Officium foret introductum: sic facerent, deficiente per summe possibile Papa, usque ad diem Judicii.

30. Nullus est Dominus Civilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

10 *Propositio de occisione Tyranni damnata a Synodo Constantiensi sess.* XV. *tom. eod. Collect. cit. col.* 262. *quam condemnationem innovavit, et quatenus opus esset, approbavit, et confirmavit Paulus V. Const.* Cura Dominici Gregis, *Bullarii Romani Edit. Romqn. Mainard. tom.* V. *part.* IV. *pag.* 170.

Quilibet tyrannus potest, et debet licite, et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, et subtiles blanditias, vel adulationes; non obstante quocumque praestito juramento, seu confoederatione factis cum eo, non expectata sententia, vel mandato judicis cujuscumque.

11 *Propositiones XVII. Nicolai Serurarii ex propositionibus ejusdem damnatis a Martino V. Const.* Ad hoc praecipue, *Bullar. Rom. Edit. cit. Tom. III. part.* 2. *pag.* 435. *et seq.*

1. Charitas est ad Deum, et proximum, et non ad se ipsum.

2. Deus non remisit, nec remittere potest culpam absque praevia contritione.

3. Presbyteri publici concubinarii non habent auctoritatem, seu potestatem absolvendi peccatorem, et peccator confessus Sacerdoti publico concubinario recedit absque absolutione.

4. Orationes, et preces Missales talium Sacerdotum publicorum concubinariorum sunt nullius valoris, et Missae per tales concubinarios celebratae pro defunctis, aut vivis sunt nullius valoris.

5. Oratio non debet dirigi nisi ad Deum solummodo, et non ad Sanctos.

6. Curati dicunt Parochianis suis, quod saltem semel in anno Parochianus tenetur confiteri suo proprio Curato.

7. Religiosi sunt proprii Sacerdotes, et veri Curati.

8. Curati impediunt Parochianos suos, ne dent, nec faciant eleemosinas, dona, aut legata mendicantibus, et ne dicti Parochiani eligant sepulturas in domibus eorumdem mendicantium.

9. Mendicantibus praesentatis, ipsis confessus licite potest recipere corpus Christi, et non potest, nec debet Curatus Confessor mendicantibus praefatis denegare Corpus Christi, quod si deneget, dictus Curatus peccat mortaliter, et est excommunicatus.

10. Statim mortali peccato commisso; peccator sub poena peccati mortalis debet illud confiteri, antequam obliviscatur.

11. Non est mulieri opus purificari, quin imo hoc, scilicet purificari, est judaizare.

12. Presbyteri publici concubinarii sunt pejores Juda, qui de loculis Apostolorum nutrivit suam concubinam, et suas proles.

13. Presbyteri concubinarii sunt excommunicati, et sanctum publice scienter participantes.

14. Plures Sacerdotes a modico tempore citra licentiaverunt suas concubinas, ficte inquam, quia occulte bibunt, et comedunt cum suis concubinis, quod nullus debet pati, imo cum iisdem Sacerdotibus concubinariis publicis conversantes, et eos favorizantes sunt in pari peccato, et peccant, qui eos nituntur excusare falsis glossis.

15. Si Parochiani alicujus Curati concubinarii publici bene Deum diligerent, deberent inhibere suo Curato publico concubinario, ne Missam, aut aliud divinum officium coram eis Parochianis celebraret.

16. Facientes celebrare Missam per Sacerdotes concubinarios publicos peccant mortaliter.

17. Audientes scienter Missas Sacerdotum concubinariorum peccant mortaliter.

Propositiones decerptae ex libro Augustini de Roma Archiepiscopi Nazareni damnatae in Synodo Basileensi sess. XXII. anno 1435. Concilior. Edit. citat. tom. XVII. col. 322. 12

1. Christus quotidie peccat, et ex quo fuit Christus, quotidie peccavit, quamvis de capite Ecclesiae Christo Jesu Salvatore nostro dicat se non intelligere, sed ad membra sua, quae cum Christo capite unum esse Christum asseruit, intelligentiam eius esse referendam dicat.

2. Non omnes fideles justificati sunt membra Christi, sed soli electi finaliter in perpetuum regnaturi cum Christo.

3. Secundum ineffabilem praescientiam Dei sumuntur membra Christi, ex quibus constat Ecclesia, quae tamen non constat nisi ex eis, qui secundum propositum electionis vocati sunt.

4. Non sufficit Christo uniri vinculo caritatis, ut aliqui efficiantur membra Christi, sed requiritur alia unio.

5. Humana natura in Christo vere est Christus.

6. Humana natura in Christo est persona Christi.

7. Ratio suppositalis determinans humanam naturam in Christo non realiter distinguitur ab ipsa natura determinata.

8. Natura humana in Christo procul dubio est persona Verbi: et Verbum in Christo, natura assumpta, est realiter persona assumens.

9. Natura humana assumpta a Verbo ex unione personali, est veraciter Deus personalis, et proprius.

10. Christus secundum voluntatem creatam tantum diligit naturam humanam unitam personae Verbi, quantum diligit naturam divinam.

11. Sicut duae personae in divinis sunt aequaliter diligibiles, ita duae naturae in Christo, humana, et divina, sunt aequaliter diligibiles propter personam communem.

12. Anima Christi videt Deum tam clare, et intense, quantum clare, et intense Deus videt seipsum.

13 *Propositiones Magistri Petri de Osma damnatae in Congregatione Complutensi, quarum condemnationem Sixtus IV. confirmavit auctoritate Apostolica anno* 1489. *Const.* Licet ea, *Collect. Concilior. Edit. citat. Tom.* XIX col. 378. seqq.

1. Peccata mortalia, quatenus ad culpam, et poenam alterius seculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.

2. Confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto utilis Ecclesiae, non de jure divino.

3. Pravae cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves.

4. Confessio debet esse secreta, id est de peccatis secretis, non de manifestis.

5. Non sunt absolvendi poenitentes, nisi peracta prius poenitentia eis injuncta.

6. Papa non potest indulgere alicui viro poenam purgatorii.

7. Ecclesia urbis Romae errare potest.

8. Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiae.

9. Sacramentum poenitentiae, quantum ad collationem gratiae sacramentalis, naturae est, non alicujus institutionis veteris, vel novi testamenti.

14 *Propositiones duae* De anima rationali *damnatae a Leone X. sacro approbante Concilio, Constit.* Apostolici regiminis, *edita sess.* VIII. *Concilii Lateranensis V. Collect. Concil. Edit. citat. tom. eod. col.* 842.

1. Anima intellectiva mortalis est, saltem secundum philosophiam.

2. Anima intellectiva est unica in cunctis hominibus.

15 *Articuli* XLI. Martini Lutheri *anno* 1520. *damnati ab eodem Leone X. Constit. incip.* Exurge Domine.

1. Haeretica sententia est, sed usitata, Sacramenta novae Legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum, et Christum simul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu Coeli.

4. Imperfecta Caritas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui ex se solo satis est facere poenam Purgatorii, et impedit introitum regni.

5. Tres esse partes Poenitentiae, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem, non est fundatum in S. Scriptura, nec in antiquis Sanctis Christianis Doctoribus.

6. Contritio, quae paratur per discussionem, collationem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, et foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, haec Contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.

7. Verissimum est proverbium, et omnium doctrina de Contritionibus hucusque data praestantius, de cetero non facere, summas Poenitentias; optima Poenitentia nova vita.

8. Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia peccata mortalia cognoscas; unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiae Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote, credat sibi remitti: immo peccatum maneret, nisi remissum crederet, non enim sufficit remissio peccati, et gratiae donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam Contritionem, sed propter verbum Christi: *Quodcumque solveris etc.* Hic, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quidquid sit de Contritione.

12. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

13. In Sacramento Poenitentiae, ac remissione culpae non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos, immo ubi non est Sacerdos, aeque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.

14. Nullus debet Sacerdoti respondere, se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

15. Magnus est error eorum, qui ad Sacramenta Eucharistiae accedunt, huic innixi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis: quod praemiserint orationes suas, et praeparatoria; omnes illi judicium sibi manducant, et bibunt; sed si credant, et confidant se gratiam ibi consecuturos, haec sola fides facit eos puros, et dignos.

16. Consultum videtur, quod Ecclesia in Communi Concilio statueret Laicos sub utraque specie communicandos: nec Bohemi sub utraque specie communicantes sunt Haeretici, sed Schismatici.

17. Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi etc.

18. Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum, et sunt de numero eorum, quae licent, et non de numero eorum, quae expediunt.

19. Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro

peccatis actualibus debitae apud Divinam Justitiam.

20. Seducuntur credentes Indulgentias esse salutares, et ad fructum spiritus utiles.

21. Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo, et impatientibus.

22. Sex generibus hominum Indulgentiae, nec sunt necessariae, nec utiles; videlicet mortuis, seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his, qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantum externae poenae, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus.

24. Docendi sunt Christiani plus diligere Excommunicationem, quam timere.

25. Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in Beato Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum: *Quodcumque solveris super terram etc.* extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum est, in manu Papae, aut Ecclesiae prorsus non esse statuere articulos Fidei, immo nec Leges morum, seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiae sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret; adhuc non est peccatum, aut Haeresis contrarium sentire, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et judicandi eorum decreta, et confitendi quidquid verum videtur sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Joannis Hus condemnati in Concil. Constantiensi sunt Christianissimi, verissimi, et Evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

31. In omni opere bono justus peccat.

32. Opus bonum optime factum, est veniale peccatum.

33. Haereticos comburi est contra voluntatem Spiritus Sancti.

34. Praeliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35. Nemo est certus se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiae vitium.

36. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo, et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non potest probari ex Sacra Scriptura, quae sit in Canone.

38. Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute saltem omnes, nec probatum est ullis, aut rationibus, aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi, aut augendae Caritatis.

39. Animae in Purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem, et horrent poenas.

40. Animae ex Purgatorio liberatae suffragiis, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41. Praelati Ecclesiastici, et Principes saeculares non male facerent, si omnes Saccos mendicitatis delerent.

Propositiones LXXIX. Michaelis Baii, et alio- 16
rum, quas damnavit S. Pius V. die 1. *Octobris anno* 1567. *Const.* Ex omnibus; *quam damnationem confirmarunt Gregorius XIII. die* 29. *Januarii anno* 1579. *Const.* Provisionis nostrae, *et Urbanus VIII. die* 6. *Martii anno* 1641. *Const.* In eminenti *Bullar. Roman. Edit. citat. tom.* IV. *part.* II. *pag.* 426. *seqq. et tom.* VI. *part.* II. *pag.* 270. *seqq.*

1. Nec Angeli, nec primi Hominis adhuc integri merita recte vocantur Gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitae aeternae meritorium.

3. Et bonis Angelis, et primo Homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces, et non gratia.

4. Vita aeterna Homini integro, et Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex Lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta, et Angelo, et primo Homini continetur naturalis justitiae constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita aeterna justis promittitur.

6. Naturali Lege constitutum fuit Homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi Hominis integri merita fuerunt primae creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturae Sacrae non recte vocantur gratia, quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa Homini integro, et Angelo, forsitan non improbanda ratione possunt dici Gratia, sed quia secundum usum Sacrae Scripturae nomine Gratiae tantum munera intelliguntur, quae per Jesum Christum male meritis, et indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quae illis redditur, Gratia dici debet.

10. Solutio poenae temporalis, quae, peccato dimisso, saepe remanet, et corporis resurrectio proprie non nisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie, et juste in hac vita mortali usque in finem conversati vitam consequimur aeternam, id non proprie Gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio Creationis constitutae, justo

Dei judicio deputandum est, neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua Lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur.

12. Pelagii sententia est: Opus bonum, citra Gratiam adoptionis factum, non est regni Coelestis meritorium.

13. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei sed tantum ex eo, quod sunt conformia Legi, quodque per ea praestatur obedientia Legi.

14. Opera bona justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam Justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat Gratiam, et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod obedit Divinae Legi.

16. Non est vera Legis obedientia, quae fit sine Caritate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut Fides, et Poenitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera Justitiae, et Temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.

21. Humanae naturae sublimatio, et exaltatio in consortium Divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. *Gentes, quae Legem non habent, naturaliter ea, quae Legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus Fidei Gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali, et gratuito, supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, et Caritate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis, et otiosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quae ad Pelagianismum rejicienda est, Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, et ad Dei Filium adoptatus.

25. Omnia opera Infidelium sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primae conditionis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29 Non soli fures ii sunt, et latrones, qui Christum viam, et ostium veritatis, et vitae negant; sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum, in viam justitiae (hoc est ad aliquam justitiam) conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli sine gratiae ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, ac ab ea non superetur.

31. Caritas perfecta, et sincera, quae est de corde puro, et conscientia bona, et Fide non ficta, tam in Catachumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Caritas illa, quae est plenitudo Legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus juste, et recte, et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac Legem implet per caritatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in Baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, et commentitia, et ad illudendum Sacris Litteris, et plurimis veterum testimoniis, excogitata.

35. Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur ex sola Philosophia per elationem praesumptionis humanae, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor Creaturae rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis; sed solum nomen libertatis a peccato.

42. Justitia, qua justificatur per Fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum justitia, non autem in Gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, et secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinae naturae consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, et Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus poenitentibus, ante Sacramentum absolutionis, et in Catechumenis ante

Baptismum, est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quae a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt Legis obedientia, et vera Legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missae, non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhaereat.

46. Ad rationem, et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae, et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione, ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et Legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto, *Non concupisces*.

51. Concupiscentia, sive Lex membrorum, et prava ejus desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera Legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum Auctorem, et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio,

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54. Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus, et reatus, transeunte autem actu, nihil manet, nisi reatus sive, obligatio ad poenam.

57. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator Poenitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui Poenitentiam suggerens, et inspirans vivificat eum, et resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas, aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, et communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem Caritatis nobis eorum passiones impartiuntur, et ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.

61. Celebris illa Doctorum distinctio, Divinae Legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum (hoc est ad modum meritorium) commentitia est, et explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, et omnibus circumstantiis rectum est, et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium Regni aeterni, eo quod sit a vivo Christi membro per Spiritum Caritatis, rejicienda est.

63. Sed et illa distinctio duplicis justitiae, alterius, quae fit per Spiritum Caritatis inhabitantem, alterius, quae fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, et in eo Caritatem diffundentis, qua Divinae legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei poenitentiae, et vitae novae propositum, et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, et Scripturis minime congruens.

65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, et gratiae Christi injuriam facit, qui ita sentit, et docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum et.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, et inspirationem Gratiae, quae per eam justificatos facit implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis potest habere veram Caritatem, et Caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum Caritate perfecta, et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum ne-

cessitatis, aut Martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino Justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum. Unde et Job, et Martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt,

73. Nemo, praeter Christum, est absque peccato Originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum Justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiae sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti praecepto, *Non concupisces;* Unde homo eos sentiens, et non consentiens, transgreditur praeceptum *Non concupisces*, quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, non facit praeceptum, *Diliges Deum tuum ex tota corde tuo.*

77. Satisfactiones laboriosae Justificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam conditionatam.

78. Immortalitas primi Hominis non erat Gratiae beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia primum Hominem potuisse a Deo creari, et institui sine Justitia naturali.

17 *Declaratio, quod liceat per litteras, seu internuntium Confessario absenti, peccata Sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere: Et prohibitio hanc propositionem defendendi* facta a Congregatione S. Romanae, et universalis Inquisitionis die 20. Julii 1602. Decreto incip. *Sanctissimus* a Clemente VIII. approbato, quod inter ejus Constitut. est 87., et reperitur *Bullarii Romani Edit. cit. tom.* v. *part.* II. *pag.* 460.

« Sanctissimus D. N. D. Clemens Papa VIII. etc. auditis votis Patrum Theologorum, et re cum Illustriss. et Reverendiss. Dominis Cardinal. contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus mature, ac diligenter considerata.

§. 1. Hanc propositionem, scilicet licere per Litteras, seu Internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus oti falsam, temerariam, et scandalosam damnavit, ac probibuit.

§. 2. Praecepitque, ne deinceps ista propositio in publicis, privatisque lectionibus, concionibus, et congressibus doceatur, neve umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur: quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputative tractaverit (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directe, seu indirecte deduxerit, praeter Excommunicationem latae sententiae, quam ipso facto incurrat, et a qua non possit (praeter quam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, etiam S. R. E. Majori Poenitentiario, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi, aliis etiam poenis infligendis subjaceat.

In Generali Congregatione Sanctae Roman. et universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali, die 20. Mensis Julii 1602.

Decretum Innocentii X. adversus libros continentes propositionem, qua asseritur aequalitas SS. Petri, et Pauli in Indice Decretorum subjecto indici Librorum prohibitorum Alexandri VIII. jussu edito pag. 357. 18

Feria v. die 24 Januarii 1647. In Congregatione Generali S. Romanae, et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D. Innocentio Divina Providentia Papa X. ac Eminentissimis, et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in universa Republica Christiana adversus haereticam pravitatem inquisitoribus generalibus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

« Editus est anno 1654. Liber Gallico idiomate impressus, cui titulus; *De l' autorité de S. Pierre, et de S. Paul, qui reside dans le Pape Successeur de ces deux Apotres*, absque nomine Auctoris, et impressionis loco. Hujus libri evulgationem subsecuta editio est alterius Libri anonymi eodem idiomate impressi, cui titulus: *La Grandeur de l' Eglise Romaine etablie sur l' autorité de S. Pierre, et de S. Paul*, necnon Epistolae ejusdem argumenti Latino idiomate conscriptae, ac typis excusae, plurimis adductis, atque congestis Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, et Doctorum locis ».

« Quo circa, ne in re tanti ponderis error aliquibus mentibus Christifidelium irreperet, libris praedictis de mandato Sanctissimi mature examinatis, locisque adductis diligenter inspectis, ac ponderatis ».

« Sanctissimus, relata unanimi Theologorum ad hoc specialiter deputatorum censora, et auditis votis Eminentissimorum, et Reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, propositionem hanc: S. Petrus, et S. Paulus sunt duo Ecclesiae Principes, qui unicum efficiunt. Vel sunt duo Ecclesiae Catholicae Coriphaei, ac Supremi Duces summa inter se unitate conjuncti. Vel sunt geminus universalis Ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt. Vel sunt duo Ecclesiae Summi Pastores, ac Praesides, qui unicum caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum, et S. Paulum sine subordinatione, et subjectione S. Pauli ad

S. Petrum in potestate suprema, et regimine Universalis Ecclesiae, haereticam censuit, et declaravit ».

« Epistolam vero, ac libros praedictos, aliosque, in quibus propositio, ut supra, explicata, et damnata asseritur, et defenditur, tam impressos, quam imprimendos, quocumque idiomate, aut quomodolibet, etiam in scriptis evulgatos, vel imposterum evulgandos, Sanctitas sua omnino damnatos, et prohibitos esse voluit, prout praesenti Decreto damnat, et prohibet ».

« Mandans, ut nemo cujuscumque gradus, et conditionis existat, etiam speciali, seu specialissima nota dignus, libros praedictos, aut aliquem ex illis apud se retineat, aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, sub censuris, et poenis contra hujusmodi delinquentes statutis; sed statim a praesentis Decreti notitia, quicumque illos habuerit, locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus consignare teneatur.

19 *Propositiones V. Jansenii, et designatio quorumdam locorum, e quibus desumptae sunt.*

I. *Propositio.* Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.

Jansenius in suo Augustino *Tom.* 3. *l.* 3. *cap.* 13. sic habet: « Ex hac indubitata Doctrina quaedam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferuntur, et clarescunt: 1. Quidem esse quaedam homini praecepta secundum statum, et vires in quibus constitutus est, impossibilia: 2. Non adesse semper Gratiam, qua possimus, hoc est, qua illa eadem praecepta implere sufficiamus. 3. Hanc impotentiam reperiri non solum in excaecatis, obduratis, et infidelibus, sed etiam fidelibus, et justis, qui et fidem Christi, et caritatem justitiae, susceperunt. 4. Hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt praecepta facere, sed etiam quando volunt . . . Haec igitur omnia plenissimo, planissimeque demonstrant nihil esse in S. Augustini Doctrina certius, ac fundatius, quam esse praecepta quaedam, quae hominibus non tantum infidelibus excaecatis, et obduratis, sed fidelibus quoque, et justis volentibus, conantibus, secundum praesentes, quas habent, vires sunt impossibilia, deesse quoque Gratiam, qua fiant possibilia ». Hanc eamdem propositionem inculcat toto illo libro, exceptis duobus ultimis capitibus.

II. *Propositio.* Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.

Jansenius Tom. 3. *l.* 2. *cap.* 24. ait: « Gratiam Dei Augustinus ita victricem statuit, ut non raro dicat hominem operanti Deo per Gratiam non posse resistere », *cap.* 25. *Quod est perinde ac si apertissime diceret, numquam illa caret effectu suo; capit.* 29. « Docent ipsimet recentiores cum omnibus istis Gratiis optimo consistere posse, ut voluntas iis excitata, et suasa, atque projecta nolit, quod certissimum est, illi Gratiae medicinali repugnare, quam Augustinus lapsis hominibus dari tradit ». *Tom.* 3. *l.* 3. *cap.* 1. pro titulo habet: « Nullum dari post lapsum Adami adjutorium sufficiens, quin simul sit efficax ». Et totus secundus liber fuit pro ea propositione firmanda.

III. *Propositio.* Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Jansenius Tom. 3. *l.* 6. *cap.* 6. ait: *Quod sola necessitas coactionis adimat libertatem ..... demonstrari potest*, *l.* 8. *cap.* 19. ait: « Nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est, sed sola vis, coactio, et necessitas violentiae ». Tot. *l.* 6. 7. *et* 8. non continent, nisi unam illam propositionem, prout etiam tituli ostendunt manifeste.

IV. *Propositio.* Semipelagiani admittebant praevenientis Gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, et in hoc erant Haeretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Jansenius Tom. 1. *l.* 8. *c.* 6. ait: « Certum esse, et indubitatum esse debere sentio, quod Massilienses praeter praedicationem, atque naturam, veram etiam, atque internam, et actualem Gratiam ad ipsam etiam Fidem, quam humanae voluntatis, ac libertatis adscribunt viribus, necessariam esse fatentur ». Idem docet *c.* 7. 8. *et seqq. Eodem c.* ait: « In hoc ergo proprie Massiliensium error situs est, quod aliquid primaevae libertatis reliquum putant, quo sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo saltem credere posset, si vellet; neuter tamen absq. interiori Gratiae adjutorio, cujus usus, vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio, et potestate »; *capit.* 15. dicit: errorem Massiliensium fuisse, « quod initium Fidei, orationem, gemitus, et desideria, et hujusmodi ex nobis, hoc est, ex libero arbitrio prodire senserunt, et tamen Gratiam etiam actualem in eorum opinione fuisse ad istos actus necessariam, cujus influxus in eorum libero relinqueretur arbitrio »; Et hic est scopus omnium librorum de Haeresi Pelagiana.

V. *Propositio.* Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum, esse, aut sanguinem fudisse.

Jansenius Tom. 3. *l.* 3. *c.* 21. « Respondetur et ad hoc argumentum, quod Christus sit Redemptor omnium, pro omnibus crucifixus, et mortuus; Sicut etiam praecedentia jam olim ad nauseam usque a Pelagianis, praesertimque Massiliensibus inculcatum fuit, ut mirum sit, Recentiores tanto studio trita Haereticorum arma colligere, et obsoleta recudere ». Ibidem ait: « Juxta doctrinam antiquiorum respiciendum tamquam errorem a Fide Catholica abhorrentem, quod Christus pro omnibus omnino passus, aut mortuus, aut pro omnibus

tam generaliter Sanguinem fudit ... Vanum est, et stultum pro eo irritando, vel avertendo rogare Deum, quod immutabili decreto sancitum, et praedeterminatum esse jam nosti: vanum etiam pro talibus salvandis pati, mori, vanum pro talibus a perditione decreta liberandis offerre Patri vota, preces, mortem, et Sanguinem suum ... Quae sane cum in August. doctrina perspicua, certaque sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro Justorum non perseverantium aeterna salute mortuum esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur, ex quo factum est, ut juxta summum Doctorem non magis Patrem pro aeterna salute ipsorum, quam pro Diaboli deprecatus fuerit ». Postrema capita hujus libri 3. non sunt nisi haec quinta propositio repetita.

20 Unde dantur hic Bullae Pontificum, et modus, quo singulae hae propositiones damnatae sunt.

Sanctissimi D. N. Clementis XI. confirmatio, et innovatio Constitutionum Innocentii X. et Alexandri VII. adversus Jansenianam Haeresim editarum cum nonnullis Declarationibus pro debita illarum observantia adjectis. Bullarii Romani *Edit. cit. tom.* x. *part.* 1. *pag.* 145. *seqq.*

» Vineam Domini Sabaoth, quae est Catholica
» Ecclesia, pro commisso Nobis divinitus Aposto-
» licae servitutis munere custodire, atque excole-
» re omni studio, atque industria jugiter satagen-
» tes, ea quae a Romanis Pontificibus Praedeces-
» roribus nostris ad succrescentes in illa pernicio-
» sarum novitatum vepres radicitus evellendos,
» prudenti, salubrique consilio constituta esse no-
» scuntur, ut quibuscumque inimici hominis mo-
» litionibus dejectis, firmius semper, atque exac-
» tius observentur, Apostolici munimis nostri
» praesidio libenter roboramus; atque alias desu-
» per sollicitudinis, et providentiae nostrae par-
» tes interponimus sicut omnibus maturae consi-
» derationis trutina perpensis ad fidelem, ac tutam
» orthodoxae veritatis custodiam, nec non anima-
» rum pretioso Unigeniti Dei Filii Domini nostri
» Jesu Christi Sanguine redemptarum salutem ex-
» pedire in Domino arbitramur.

» Sane postquam fel. rec. Innocentius Papa X.
» Praedecessor noster per quamdam suam desuper
» editam Constitutionem quinque famosas propo-
» sitiones ex Libro Cornelii Jansenii Episcopi
» Iprensis, cui titulus *Augustinus* excerptas Apo-
» stolici censura Judicii rite confixerat; rec. mem.
» Alexander Papa VIII. etiam Praedecessor noster
» ad ejusmodi jam damnatos errores a Christifide-
» lium mentibus prorsus abolendos, publicaeque
» tranquillitatis perturbatorum subtili tectas calli-
» ditate machinationes penitus evertendas, prae-
» dictam Innocentii Praedecessoris Constitutio-
» nem toto illius inserto tenore, confirmavit, no-
» varumque Declarationum accessione constabili-
» vit, sua in id pariter edita Constitutione teno-
» ris, qui sequitur, videlicet.

» Alexander Episcopus servus servorum Dei, 21
» Universis Christifidelibus salutem, et Apostoli-
» cam benedictionem Ad Sanctam B. Petri Se-
» dem, at universalis Ecclesiae regimen, inscru-
» tabili Divinae Providentiae dispositione, nullis
» nostris suffragantibus meritis, evecti, nihil No-
» bis antiquius ex muneris nostri debito esse du-
» ximus, quam ut Sanctae Fidei nostrae, ac Sa-
» crorum Dogmatum integritati, tradita Nobis a
» Deo potestata, opportune consuleremus.

» Ac licet ea, quae Apostolicis Constitutioni-
» bus abunde fuerunt definita, novae decisionis,
» sive declarationis accessione neqnaquam indi-
» geant; quia tamen aliqui publicae tranquillita-
» tis perturbatores illa in dubium revocare, vel
» subdulis interpretationibus labefactare non ve-
» rentur, ne moribus iste latius divagetur, promp-
» tum Apostolicae auctoritatis remedium censui-
» mus non esse differendum.

» Emanavit siquidem a fel. rec. Innocentio Pa-
» pa X. Praedecessore nostro Constitutio, et de-
» finitio tenoris, qui sequitur, videlicet.

» Innocentius Episcopus servus servorem Dei, 22
» Universis Christifidelibus salutem, et Apostoli-
» cam benedictionem. Cum occasione impressio-
» nis libri, cui titulus *Augustinus* Cornelii Jan-
» senii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opinio-
» nes orta fuerit, praesertim in Galliis, contro-
» versia super quinque ex illis, complures Gallia-
» rum Episcopi apud Nos institerunt, ut easdem
» propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac
» de unaquaque earum certam, et perspicuam fer-
» remus sententiam: Tenor vero praefatarum pro-
» positionum est pro ut sequitur: *Prima:* Aliqua
» Dei praecepta hominibus justis volentibus, at
» conantibus, secundum praesentes, quas habent
» vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gra-
» tia, qua possibilia fiant. *Secunda:* Interiori Gra-
» tiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.
» *Tertia:* Ad merendum, et demerendum in statu
» naturae lapsae non requiritur in homine liber-
» tas a necessitate, sed sufficit libertas a coactio-
» ne. *Quarta*: Semipelagiani admittebant praeve-
» nientis Gratiae interioris necessitatem ad singu-
» los actus, etiam ad initium Fidei: et in hoc
» erant Haeretici, quod vellent eam Gratiam ta-
» lem esse, cui posset humana voluntas resistere,
» vel obtemperare: *Quinta:* Semipelagianum est
» dicere, Christum pro omnibus omnino mortuum
» esse, aut Sanguinem fudisse,

» Nos, quibus inter multiplices curas, quae a-
» nimum nostrum assiduo pulsant, illa in primis
» cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commis-
» sa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tu-
» to militare, et tamquam navis in tranquillo ma-
» ri, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac
» procellis, secure navigare, et ad optatum salutis

» portum pervenire possit, pro rei gravitate co» ram aliquibus S. R. E. Card. ad id specialiter » saepius congregatis, ac pluribus in Sac. Theol. » Magistris, easdem quinque propositiones, ut su» pra, Nobis oblatas fecimus singillatim diligen» ter examinari, eorumque suffragia, tum voce, » tum scripto relata mature consideravimus, eos» demque Magistros variis cor. Nobis actis Con» gregationibus prolixe super eisdem, ac super ea» rum qualibet disserentes audivimus.

» Cum autem ab initio hujusmodi discussionis, » ad Divinum implorandum auxilium, multorum » Christifidelium preces, tum privatim, tum po» blice indixissemus, postmodum iteratis eisdem » ferventius, ac per nos sollicite implorata San» cti Spiritus assistentia, tandem divino Numine » favente ad infrascriptam devenimus declaratio» nem, et definitionem.

» Primam praedictarum propositionum, *Aliqua » Dei praecepta hominibus justis volentibus, et co» nantibus secundum praesentes, quas habent, vi» res, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, » qua possibilia fiant;* Temerariam, impiam, blas» phemam, anathemate damnatam, et haereti» cam declaramus, et uti talem damnamus.

» Secundam : *Interiori Gratiae in statu natu» rae lapsae nunquam resistitur* : Haereticam de» claramus, et uti talem damnamus.

» Tertiam : *Ad merendum, et demerendum in » statu naturae lapsae non requiritur in homine » libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coac» tione* : Haereticam declaramus, et uti talem » damnamus.

» Quartam : *Semipelagiani admittebant praeve» nientis Gratiae interioris necessitatem ad singu» los actus, etiam ad initium Fidei, et in hoc erant » Haeretici, quod vellent, eam Gratiam talem esse, » cui posset humana voluntas resistere, vel obtem» perare* : Falsam, et Haereticam declaramus, et » uti talem damnamus.

» Quintam : *Semipelagianum est dicere, Chri» stum pro omnibus omnino hominibus mortuum » esse, aut Sanguinem fudisse* : Falsam, temera» riam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut » Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum » mortuus sit, impiam, blasphemam, contume» liosam, Divinae pietati derogantem, et Haere» ticam declaramus, et uti talem damnamus.

» Mandamus igitur omnibus Christifidelibus u» triusque sexus, ne de dictis propositionibus sen» tire, docere, praedicare aliter praesumant, » quam in hac praesenti nostra declaratione, et » definitione continetur, sub censuris, et poenis » contra Haereticos, et eorum fautores in Jure » expressis.

» Praecipimus pariter omnibus Patriarchis, Ar» chi-Episcopis, Episcopis, aliisque locorum Or» dinariis, nec non Haereticae pravitatis Inquisi» toribus, ot contradictores, et rebelles quoscum» que per censuras, et poenas praedictas, cetera» que Juris, et facti remedia opportuna, invoca» to etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio bra» chii saecularis, omnino coerceant, et compe» scant.

» Non intendentes tamen per hanc declaratio» nem, et definitionem super praedictis quinque » propositionibus factam, approbare ullatenus a» lias opiniones, quae continentur in praedicto li» bro Cornelii Jansenii.

» Datum Romae apud Sanctam Mariam Majo» rem Anno incarnationis Dominicae 1653. 31. » Maii.

» Cum autem, sicut accepimus, nonnulli ini» quitatis filii praedictas quinque propositiones, » vel in libro praedicto ejusdem Cornelii Jansenii » non reperiri, sed ficte, et pro arbitrio composi» tas esse, vel in sensu ab eodem intento non » damnatas fuisse, asserere magno cum Christifi» delium scandalo non reformident.

» Nos, qui omnia, quae in hac re gesta sunt, » sufficienter, et attente perspeximus, utpote qui » ejusdem Innocentii praedecessoris jussu, dum » adhuc in Minoribus constituti Cardinalis mune» re fungeremur, omnibus illis congressibus inter» fuimus, in quibus Apostolica auctoritate eadem » causa discussa est, ea profecto diligentia, qua » major designari non posset, quamcumque dubi» tationem super praemissis imposterum auferre » volentes, ut omnes Christifideles in ejus Fidei » unitate sese contineant, ex debito nostri Pa» storalis Officii, ac matura deliberatione praein» sertam Innocentii Praedecessoris nostri Consti» tutionem, declarationem, et definitionem, ha» rum serie confirmamus, approbamus, et inno» vamus, et quinque illas propositiones ex libro » praememorati Cornelii Jansenii Episcopi Ipren» sis, cui titulus est *Augustinus*, excerptas, ac » in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento » damnatas fuisse declaramus, et definimus, ac » uti tales, insusta scilicet eadem singulis nota, » quae in praedicta declaratione, et definitione » unicuique illarum singillatim inuritur, iterum » damnamus, ac eumdem librum saepe dicti Cor» nelii Jansenii, cui titulus *Augustinus*, omnes» que alios, tam manuscriptos, quam typis edi» tos, et si quos forsan imposterum edi contige» rit, in quibus praedicta ejusdem Cornelii Janse» nii doctrina, ut supra, damnata defenditur, vel » adstruitur, aut defendetur, vel adstruetur, dam» namus itidem, atque prohibemus : mandantes » omnibus Christifidelibus, ne praedictam doctri» nam teneant, praedicent, doceant, verbo, vel » scripto exponant, vel interpretentur, publice, » vel privatim, palam, vel occulte imprimant, » sub poenis, et Censuris contra Haereticos in » Jure expressis ipso facto absque alia declaratio» ne incurrendis.

» Praecipimus igitur omnibus Venerabilibus » Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Me» tropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, ceteris-

» que locorum Ordinariis, ac Haereticae pravitatis Inquisitoribus, Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut praeinsertam ejusdem Innocentii Praedecessoris Constitutionem, declarationem, ac definitionem, juxta praesentem nostram determinationem ab omnibus observari faciant, ac inobedientes, et rebelles praedictis poenis, aliisque Juris, et facti remediis, invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino coerceant.

» Dat. Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarn. Dom. 1656. 16. Octob.

» Subinde vero, quo omnis Apostolicarum definitionum eludendarum aditus intercluderetur, memoratus Alexander Praedecessor priscum Ecclesiae morem secutus certam edidit formulam ab omnibus Ecclesiastici Ordinis, tam Saecularibus, quam Regularibus personis subscribendam per aliam suam hac in re promulgatam Constitutionem tenoris sequentis, videlicet.

23 » Alexander Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Regiminis Apostolici Divina Providentia Nobis, quamvis immeritis, commissi ratio postulat, ut ad ea potissimum, quae Catholicae Religionis integritati, et propagationi, animarumque saluti, et fidelium tranquillitati consulere apta, et idonea esse judicantur, animum, et curam omnem, quantum licet, in Domino applicemus; Quamobrem Cornelii Jansenii Haeresim in Gallia praesertim serpentem ab Innoc. X. fel rec. Praedecessore nostro fere oppressam, adinstar colubri tortuosi, cujus caput attritum est in varios gyros, et cavillationum deflexus euntem, singulari Constitutione ad hunc finem edita, altero assumptionis nostrae anno, extinguere conati fuimus.

» Sed ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plene consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent, qui tamen unicus erat votorum, et curarum nostrarum scopus, quibus operam, et industriam suam egregio sane studio Venerabiles Fratres nostri Archi-Episcopi, et Episcopi Regni Galliae, earumdem Constitutionum Apostolicarum executioni praecipue intenti contulerunt, et Carissimus in Christo Filius noster Rex Christianissimus singulari pietate auxiliarem dexteram strenuo, ac constantissimo animo porrexit.

» Cum autem praefatus Rex Christianissimus eodem Religionis zelo ductus per suum in Urbe Oratorem Nobis significari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium pestiferae hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quam si omnes certam formulam subscriberent nostra auctoritate firmatam, in qua quinque propositiones ex Cornelii libro, cui titulus *Augustinus*, excerptas sincere damnarent, ec proinde illam a Nobis quantocius expediri ad quaelibet effugia praecidenda, omnesque removendos obtentus, flagitaverit.

» Nos tam piis dicti Regis Christianissimi votis benigne annuendum esse ducentes, Formulam infrascriptam ab omnibus Ecclesiasticis, etiam Venerabilibus Fratribus nostris Archi-Episcopis, et Episcopis, nec non aliis quibuscumque Ecclesiastici Ordinis, tam Regularibus, quam Saecularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, et licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus, atque Magistris subscribi districte mandamus, idque intra tres menses a die publicationis, seu notificationis praesentium, alias contra eos, qui intra terminum praedictum non paruerint, irremissibiter procedi volumus, juxta Canonicas Constitutiones, et Conciliorum Decreta.

Formula a supradictis subscribenda.

» Ego N. Constitutioni Apostolicae Innocentii X. datae die 31. Maii 1653. et Constitut. Alex. VII. datae die 16. Oct. 1656. Summorum Pontificum me subjicio, et quinque propositiones e Cornelii Jansenii libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, et in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, et ita juro; Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Evangelia.

» Decernentes insuper, praesentes Litteras semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenos, et integros effectus sortiri, et obtinere; Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos ubique judicari, et definiri debere, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate; ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

» Quocirca Venerabilibus Fratribus Archi-Episcopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis committimus, et mandamus, ut singuli in suis Dioecesibus, ac locis suae Jurisdictioni subjectis, praesentes Litteras, et in eis contenta quaecumque exequantur, et executioni mandari, et observari ab omnibus curent, et inobedientes quoscumque per sententias, et poenas, aliaque Juris, et Facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, omnino compellant.

» Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus Litteris adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

» Nulli ergo omnino hominum liceat hanc no-

» stram Constitutionem, et Ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno 1664. 15. Februarii.

» Sic equidem causa finita est; non tamen sic, ut par erat, finitus est error Apostolico toties mucrone percussus: Neque enim defuere, nec adhuc desunt homines veritati non acquiescentes, et nunquam Ecclesiae contradicendi finem facientes, qui variis distinctionibus, seu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis quaestionibus, quantum in ipsis est, involvere, et implicare conantur, quodque deterius est, ipsamet Apostolicae Sedis Decreta redarguendis eorum pravis sensibus condita, ac praesertim quasdam piae mem. Clementis Papae IX. die 19. Januarii 1669. ad quatuor Galliae Episcopos, nec non binas similis mem. Innocentii Papae XII. etiam Praedecessorum nostrorum die 6. Febr. 1694. et die 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii in forma Brevis respective datas Litteras in erroris sui patrocinium advocare, temerario plane ausu non erubescunt, perinde ac si memoratus Clemens Praedecessor, qui eisdem suis Litteris se Innocentii X. et Alexandri VIII. Praedecessorum Constitutionibus supradictis firmissime inhaerere, ac a dictis quatuor Episcopis veram, et totalem obedientiam, adeoque Formulae a praefato Alexandro Praedecessore, sicut praemittitur, editae sincere per eos subscribi voluisse declaravit, aliquem in tam gravi negotio exceptionem, seu restrictionem, quam nullam prorsus se unquam admissurum fuisse protestatus fuit, re ipsa admisisset; Dictus vero Innocentius XII. Praedecessor, dum sapienter, ac provide praedictas quinque propositiones ex memorato libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent, ac praeseferunt, damnatas esse pronunciavit, non eo ipsomet obvio sensu, quem in Jansenii libro habent, quiva ab eodem Jansenio intentus, ac a praefatis Innocentio X. et Alexandro VII. Praedecessoribus damnatus fuit, sed de alio quopiam diverso sensu cogitasset, dictasque Innocentii X. et Alexandri VII. Praedecessorum Constitutiones temperare, refringere, aut alio quovis modo immutare voluisset, iisdem ipsis Litteris, quibus eas in suo robore fuisse, et esse, seque illis firmiter inhaerere verbis apertissimis asserebat.

» Praeterea iidem inquieti homines, sparsis undequaque scriptionibus, ac libellis exquisita ad fallendum arte compositis, non sine gravi Apostolicae Sedis injuria, maximoque totius Ecclesiae scandalo docere non sunt veriti, ad obedientiam praefatis Apostol. Constitutionibus debitam non requiri, ut quis praedicti Janseniani libri sensum in antedictis quinque propositionibus, sicut praemittitur, damnatum, interius ut Haereticum damnet, sed satis esse, si ea de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur. Quae quidem assertio, quam absurda sit, et animabus Fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis hujus doctrinae pallio non deponitur error, sed absconditur, vulnus tegitur, non curatur, Ecclesiae illuditur, non paretur: Et lata demum filiis inobedientiae via sternitur ad fovendam silentio Haeresim, dum ipsam Jansenii doctrinam, quam ab Apostolica Sede damnatam Ecclesia universalis exhorruit, adhuc interius abjicere, et corde improbare detrectent.

» Quin etiam eo impudentiae nonnullos devenisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianae sinceritatis obliti asserere non dubitaverint, praefatae Formulae a memorato Alexandro Praedecessore praescriptae subscribi licite posse etiam ab iis, qui interius non judicant praedicto Jansenii libro doctrinam Haereticam contineri: Quasi vero contra quam scriptum est: Qui loquitur veritatem in corde suo. Et: Qui jurat proximo suo, et non decipit; hujusmodi erroris sectatoribus liceat Ecclesiam ipsam jerejurando decipere, simulque Apostolicae Sedis providentiam fallere, dum ejusdem Formulae conceptis verbis loquuntur quod Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ipsa, non sentiunt: seque parere Constitutionibus Apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

» Hinc est, quod Nos ad opportunum, et efficax tam exitiali morbo, qui ut cancer serpit, et quotidie in deterius vergit, remedium adhibendum, non minus demandatae Nobis omnium Ecclesiarum sollicitudinis debito, quampiurimorum Venerabilium Fratrum nostrorum diversarum partium, ac praesertim Regni Galliarum, Episcoporum zelo, ac precibus excitati, ne hujusmodi pravi homines Catholicae Ecclesiae pacem subvertere impune pergant, et simplicium, ac pusillorum mentibus imponere, docentes quae non oportet; neve ullus apud eos quoque, qui bona, ut ajunt, fide, ac falsis rumoribus decipi se fortasse patiuntur, de mente, ac sententia Apostolicae Sedis amplius ambigendi supersit locus, Divino prius tam privatis nostris, quam publice indictis precibus implorato praesidio, ac re mature discussa, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, auditisque compiurium in Sacra Theologia Magistrorum suffragiis, primo quidem praeinsertas Innocentii X. et Alexandri VII. Praedecessorum Constitutiones, omniaque, et singula in iis contenta, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, approbamus, et innovamus.

» Ac insuper, ut quaevis in posterum erroris » occasio penitus praecidatur, atque omnes Ca» tholicae Ecclesiae filii Ecclesiam ipsam audire, » non tacendo solum (nam et impii in tenebris » conticescunt), sed et interius obsequendo, quae » vera est Orthodoxi hominis obedientia, condi» scant, hac nostra perpetuo valitura Constitutio» ne, Obedientiae, quae praeinsertis Apostolicis » Constitutionibus debetur, obsequioso illo silen» tio minime satisfieri, sed damnatum in quin» que praefatis propositionibus Janseniani libri » sensum, quem illarum verba praeseferunt, ut » praefertur, ab omnibus Christifidelibus, ut Hae» reticum, non ore solum, sed corde rejici, ac » damnari debere, nec alia mente, animo, credu» litate supradictae Formulae subscribi licite pos» se, ita ut, qui secus, aut contra quoad haec » omnia, et singula senserint, praedicaverint, » verbo, vel scripto docuerint, aut asseruerint, » tamquam praefatarum Apostolicarum Constitu» tionum transgressores omnibus, et singulis il» larum Censuris, et poenis omnino subjaceant, » eadem auctoritate Apostolica decernimus, de» claramus, statuimus, et ordinamus.

» Decernentes pariter, easdem praesentes, et » praeinsertas Litteras semper, et perpetuo va» lidas, et efficaces existere, et fore, suosque ple» narios, et integros effectus sortiri, et obtinere; » Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, et » Delegatos, ubique judicari, et definiri debere, » sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter ju» dicandi, et interpretandi facultate, et auctori» tate, ac irritum, et inane, si secus super his a » quoquam, quavis auctoritate scienter, vel igno» ranter contigerit attentari.

» Quo circa Venerabilibus Fratribus Archiepi» scopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non » Haereticae pravitatis Inquisitoribus, et Judici» bus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, committi» mus, et mandamus, ut singuli in suis respecti» vo Dioecesibus, ac locis suae Jurisdictioni su» bjectis, ipsas praesentes Litteras, et in eis con» tenta quaecumque exequantur, et executioni » mandari, et observari ab omnibus curent, et » inobedientes, et rebelles quoscumque per Cen» suras, et poenas praefatas, aliaque Juris, et » Facti remedia, appellatione postposita, invoca» to etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecula» ris auxilio, omnino coerceant, et compellant.

» Volumus autem, ut earumdem praesentium » transumptis etiam impressis, manu alicujus No» tarii publici subscriptis, et sigillo personae in » Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis ea» dem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis origi» nalibus Litteris adhiberetur, si forent exhibitae, » vel ostensae.

» Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa» ginam nostrae Confirmationis, Approbationis, » Innovationis, Decreti, Declarationis, Statuti, et » Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario » contraire; Si quis autem hoc attentare praesum» pserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac » Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se » noverit incursurum. Datum Romae apud S. Ma» riam Majorem anno 1705. 16. Julii.

Decretum SS. D. N. Alexandri VII. de propositionibus 6. a regularibus Mendicantibus Dioecesis Andegavensis Apostolicae Sedi oblatis fer. V. die 30. Januar. 1659. 24

In Congregatione generali S. Romanae, et universalis Inquisitionis habita in palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro Domino Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentis. et Reverendissimis DD. S. Romanae Ecclesiae Cardinalibus in universa Republica Christiana contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Cum nuper a Regularibus Mendicantibus Dioecesis Andegaven., judicio Sedis Apostolicae (ad quam dumtaxat controversias fidei, ac morum universalis Ecclesiae pertinet definire) infra insertas propositiones fuerint oblatae, de mandato Sanctissimi Domini nostri Domini Alexandri divina providentia Papae VII. plurium theologorum, et canonistarum a Sanctitate sua ad id specialiter deputatorum examini sunt commissae, quo peracto, et relata Sanctitati suae unanimi eorumdem theologorum, atque canonistarum censura, Idem Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum, et Reverendissimorum dd. Cardinalium generalium inquisitorum, easdem propositiones, prout infra qualificatas, auctoritate apostolica declaravit, declaratas decrevit, et tales ab omnibus haberi praecepit.

1. Conc. Trident. non obligat regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut saecularium confessiones audire possint, neque ex illius Concilii auctoritate privilegia regularium restringi possunt, cum in Gallia receptum non sit, praeterquam in decisionibus fidei, neque etiam Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata.

Est falsa, temeraria, scandalosa, in haeresim, et schisma inducens, sacro Concilio Tridentino, et Sedi Apostolicae injuriosa.

2. Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare. Quin immo Ordinum mendicantium religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; etsi ab Episcopis religiosi non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac si approbatio concessa fuisset.

Complexe accepta est falsa, temeraria, scandalosa, et erronea.

3. Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audien-

dus in sua dioecesi, habentur pro approbatis in aliis dioecesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopis auctoritas ipsis indulta non fuerit.

Quoad primam partem est falsa, et saluti animarum perniciosa; quoad secundam partem est falsa, auctoritati Episcoporum, et Sedis Apostolicae injuriosa.

4. Nullus in foro conscientiae parochiae suae interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quae ibi in catechesibus annunciantur, et docentur.

Quoad primam, et secundam partem simpliciter accepta, est erronea, et temeraria: suppositis vero privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram. Et quoad tertiam partem de auditione verbi Dei servetur dispositio sacri Concilii Tridentini.

5. Talem legem in hac materia nec Episcopi, nec Concilia provinciarum, vel nationum sancire, nec delinquentes aliquibus poenis, aut ecclesiasticis censuris mulctare possunt.

Suppositis itidem privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram; verum ista non est praedicanda, nec publice docenda, prout nec praecedens quarta.

6. Regulares mendicantes petere possunt licite a judicibus saecularibus, ut injungant Episcopis, quatenus ipsis mandata concedant ad praedicandum in adventu, et quadragesima: Quod si renuant facere Episcopi, decretum judicum saecularium tantumdem valet, ac si permissio dictis religiosis concessa fuisset.

Est falsa, erronea, ut in haeresim, ac schisma inducens.

Hanc ergo qualificationem, ut declarationem a cunctis tenendam, sequendam, ut in praxi observandam esse, Sanctitas sua declaravit, et mandavit sub poenis contra schismaticos, temerarios, seditiosos, ac de haeresi suspectos respective impositis. Contrariis quibuscumque non obstantibus etc.

25 *Alexandri Divina Providentia Papae VII. Decretum adversus propositiones* 28. *scandalosas, et perniciosas in praxi.*

Feria V. *die* 24. *Septembris* 1665. *In Congregatione generali Sanctae Romanae, et universalis Inquisitionis etc.*

Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi moerore, complures opiniones Christianae disciplinae relaxativas, et animarum perniciem inferentes partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter, prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, et quem si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitae Christianae corruptela. Quare ne ullo unaquam tempore viam salutis, quam Suprema veritas Deus, cujus verba in aeternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro Pastorali sollicitudine in rectam semitam avocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, et deinde Eminentissimis, et Reverendissimis DD. Cardinalibus, contra Haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit, qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, et mature discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suae sigillatim exposuerunt.

1. Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir Equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Coenae solum prohibere absolutionem Haeresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacrae Congregationis Eminent. Cardinalium visa, et tolerata est.

4. Praelati Regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab Haeresi occulta, et ab Excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse Haereticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra Justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit praecepto annuae Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.

15. Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius Poenitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a S. Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit poena.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suae obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra Justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere praecepto.

24. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae, ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis praecepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra Castitatem non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem a Principe promulgatam.

» Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura, et studium impenditur, interea idem Sanctissimus, re mature considerata, statuit, et decrevit, praedictas Propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas, et prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam Dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

» Insuper districte in virtute S. Obedientiae, et sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status etiam speciali, et specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Alexandri Divina Providentia Papae VII. Decretum adversus propositiones alias scandalosas et in praxi perniciosas. 26

Feria v. *die* 18. *Martii* 1966. *In generali Congregatione Sanctae Romanae, et universalis Inquisitionis etc.*

Sanctissimus D. N. post latum Decretum die 24. *Septemb. proxime elapsi, quo viginti octo Propositiones damnatae fuerunt, examinatis sedulo, et accurate usque ad hanc diem, infrascriptis aliis quadragesimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, et Reverendissimos DD. Cardinales adversus Haereticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audivit.*

29. In die jejunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter

agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comendendi Ova, et lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit Praecepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici praecepto, pro die praesenti, et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiae uti Privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiae concessae Regularibus, et revocatae a Paulo V. hodie sunt revalidatae.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium, non praeceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis.

41. Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum Concubinarii, vulgo *Regalo*, dum, deficiente illo, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro Anima relictum non durat plus, quam per decem annos.

44. Quo ad forum conscientiae, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censurae.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum, adhibita diligentia, corrigantur.

Quibus mature pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit, praedictas Propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum, tamquam scandalosas esse damnandas, et prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet; Ita ut quicumque illas, etc. *ut in priori Decreto.*

Insuper districte in virtute S. Obedientiae etc. *ut in priori Decreto.*

27 *Innocentii Divina Providentia Papae XI. Decretum contra propositiones 65. scandalosas, et in praxi perniciosas.*

Feria v. *die* 2. *Martii* 1679. *In Generali Congregatione Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis etc.*

Sanctissimus D. N. Innocentius Papa XI. praedictus, Ocium sibi a Deo creditarum saluti sedulo incumbens, et salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis a fel. record. Alexandro VII. Praedecessore suo inchoatum, prosequi volens, plurimas Propositiones, partim ex diversis, vel libris, vel Thesibus, seu scriptis excerptas, et partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, et deinde Eminentissimis, et Reverendissimis Dominis Cardinalibus, contra Haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit: Quibus Propositionibus sedulo, et accurate saepius discussis, eorumdem Eminentissimorum Cardinal. et Theol. votis per Sanctitatem suam auditis: Idem Santiss. D. N. re postea mature considerata, statuit, et decrevit pro nunc sequentes Propositiones, et unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum, tamquam scandalosas, in praxi perniciosas esse damnandas, sicuti eas damnat, et prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, et Sanctitati suae quomodolibet, et ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem, de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, hinc sententia probabili tantum utendum non est in Collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum Caritatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, et formali.

11. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in saecularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui, et ita vix aliquis tene-

tur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, et secundum se.

17. Satis est actum Fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo, et Fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae Jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam heredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut et Jus habenti in cathedram, vel praebendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem foetum, quandiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, et falso crimine elidere.

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat: Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tamquam

pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc *Digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdictam, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities Jure naturae prohibita non est; Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, ideoque sufficit in Confessione dicere, se fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Praeceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, et Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.

57. Probabile est sufficere Attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicujus Festivitatis, aut Indulgentiae.

60. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere, quinimmo directe, et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali, nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimae Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

« Quicumque autem cujusvis conditionis, status, et dignitatis illas, vel illarum aliquam, conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputative, pubblice, aut privatim tractaverit, vel praedicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem istae sententiae, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi ».

« Insuper districte in virtute Sanctae Obedientiae, et sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, Dignitatis, et status, etiam speciali, et specialissime nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant ».

« Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, et ut paci, et caritati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctae Obedientiae eis praecipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in Thesibus, disputationibus, ac praedicationibus caveant ab omni censura, et nota, nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quae adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede super iisdem Propositionibus Judicium proferatur ».

Condemnatio duarum Thesium de omnipotentia donata, et subjecta Creaturae. 28

Feria 5. die 23. Novembris 1679.

In Congregatione Generali Sanctae Romanae, et universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostol. Montis Quirinalis coram S. S. D. N. Innoc. Div. Prov. P. P. XI. ac Emin. et Rev. Dominis S. R. E. Cardinalibus, in tota Rep. Christiana contra Haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Cum supradictis Emin. et Reverendis. D. D. delatae fuerint hae duae propositiones ».

1. Deus donat nobis Omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

2. Deus subjicit nobis suam Omnipotentiam.

» Eorumdem jussu per Theologos ad id specialiter deputatos S. S. D. N. relatae, et coram sua Sanctitate propositae una cum votis Emin. et Rev. S. R. E. Cardinalium, Sanctitas Sua decrevit, et mandavit, ut ambae propositiones prohiberentur, sicut eas praesenti Decreto damnat, et prohibet, ut temerarias ad minimum, et novas, mandatque, ne quis deinceps cujuscumque sit gradus, ordinis, aut conditionis, illas, vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, sive scriptis, sive etiam oretenus docere, vel asserere, sub poenis, et Censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, aliisque Sanctitati Suae bene visis ».

29 *Prohibitio de usu scientiae ex Confessione acquisitae. Feria 4. die 18. Novembris 1682.*

» In Generali Congregatione S. Romanae, et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariae supra Minervam coram Eminentis. et Reverendis. D. D. S. R. E. Cardinalibus, in tota Reipub. Christiana contra Haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis ».

» Praevia matura consultatione Dominorum Consultorum facta fuit discussio sequentis Propositionis ».

Scientia ex Confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, et gravamine Poenitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

» Addita deinde explicatione, sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiae ex Confessione acquisita cum gravamine Poenitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quo multo majus gravamen ejusdem Poenitentis ex non usu sequeretur, statuerunt dictam propositionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine Poenitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione, sive limitatione, et praesenti Decreto prohibent, ne quis ultra audeat talem doctrinam publice, aut privatim docere, aut defendere sub poenis arbitrio Sacrae Congregationis infligendis; Mandantes etiam universis Sacramenti Poenitentiae Ministris, ut ab ea in praxim deducenda prorsus abstineant ».

30 *Constitutio Innocentii XI. proscribentis octo, et sexaginta Theses, quas praetextu Orationis Quietis a Michaele de Molinos docebantur, Bullarii Romani Edit. cit. tom. VIII, pag. 441.*

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc.

» Caelestis Pastor Christus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variisque Gentium erroribus involutum a potestate Diaboli, sub qua misere post lapsum primi Parentis tenebatur, sua ineffabili miseratione liberaret, carnem sumere, et in ligno Crucis Chirographo Redemptionis nostrae affixo, in testimonium suae in nos caritatis, sese Hostiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus est, mox rediturus in Caelum, Ecclesiam Catholicam Sponsam suam, tamquam novam Civitatem Sanctam Hierusalem descendentem de Caelo non habentem rugam, neque maculam, unam, sanctamque in Terris relinquens, armis potentiae suae contra Portas Inferi circumvallatam, Petro Apostolorum Principi, et Successoribus ejus regendam tradidit, ut Doctrinam ab ipsius ore haustam, sartam tectamque custodirent, ne oves pretioso Sanguine redemptae pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod praecipue Beato Petro mandasse Sacrae Litterae docent: Cui enim Apostolorum, nisi Petro, dixit » Pasce Oves meas: et *rursus*, Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos »? Quare Nobis, quia non nostris meritis, sed inscrutabili Dei Omnipotentis consilio in ejusdem Petri cathedra, pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit, ut populus Christianus eam sectaretur Fidem, quae a Christo Domino per Apostolos suos perpetua, et numquam interrupta traditione praedicata fuit, quamque ipse usque ad Saeculi consummationem permansuram esse promisit ».

« Cum igitur ad Apostolatum nostrum relatum fuisset, quemdam Michaelem de Molinos prava dogmata, tum verbo, tum scripto docuisse, et in praxim deduxisse, quae praetextu Orationis quietis, contra doctrinam, et usum a Sanctis Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiae primordiis receptum, Fideles a vera Religione, et a Christianae pietatis puritate in maximos errores, et turpissima quaeque inducebant: Nos, cui cordi semper fuit, ut Fidelium animae Nobis ex alto commissae, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tuto pervenire possint, legitimis praecedentibus indiciis, praedictum *Michaelem de Molinos* carceribus mancipari mandavimus. Deinde coram Nobis, et Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus Apostolica auctoritate specialiter deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis, tum voce, tum scripto susceptis, matureque perpensis, implorata etiam Sancti Spiritus assistentia, cum praedictorum Fratrum nostrorum unanimi voto ad damnationem infrascriptarum Propositionum ejusdem Michaelis de Molinos, a quo fuerunt pro suis recognitae, et de quibus Propositionibus tamquam a se dictatis, scriptis, communicatis, et creditis, ipse convictus, respective confessus fuerat, ut latius in Processu, et Decreto de mandato nostro late

die 28. Augusti praesentis Anni 1687. devenire, ut infra, decrevimus.

Propositiones 68.

1. Oportet Hominem suas potentias annihilare; Et haec est via interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus Agens; et ideo opus est, seipsum in Deo totum, et totaliter derelinquere, et postea permanere velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt Perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est Gratiae inimica, impeditque Dei operationes, et veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando Anima se annihilat, et ad ipsum principium redit, et ad suam originem, quae est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, et Deus tunc in se ipso remanet, quia tunc non sunt amplius duae res unitae, sed una tantum, et hac ratione Deus vivit, et regnat in nobis, et Anima se ipsam annihilat in esse operativo

6. Via interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, et non oportet Deum cognoscere, et hoc modo recte proceditur.

7. Non debet Anima cogitare nec de praemio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de morte, nec de Æternitate.

8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, nec ne? nec opus est, ut velit, cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet Anima reminisci, nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei; et in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, et ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi, et ad proprios defectus non posse reflectere Gratia Dei est.

11. Ad dubia, quae occurrunt, an recte procedatur, nec ne, non est opus reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso, nec debet desiderium habere propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae Sanctitatis, nec propriae salutis, cujus spem expurgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, et cura de omni re nostra, et relinquere, ut faciat in nobis suam Divinam voluntatem.

14. Qui Divinae voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriae voluntatis, et electionis, et est velle, quod Divina voluntas nostrae conformetur, et non quod nostra Divinae. Et illud Evangelii: *Petite, et accipietis*, non est dictum a Christo pro animabus internis, quae nolunt habere voluntatem. Immo hujusmodi Animae eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriae voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias quaerere pro poena propriis peccatis debita, quia melius est Divinae justitiae satisfacere, quam Divinam misericordiam quaerere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato, nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle Crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura, et cognitione Animae nostrae, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa nulla adhibita industria, et si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in Oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu, et veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere, quod in Oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, et per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus numquam loquitur, ejus locutio est operatio, et semper in anima operatur, quando haec suis discursibus, cogitationibus, et operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in Fide obscura, et universali cum quiete, et oblivione cujuscumque cogitationis particularis, ac distinctae Attributorum Dei, ac Trinitatis, et sic in Dei praesentia manere ad illud adorandum, et amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum; quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitio haec per Fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturae tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse, et idem dicitur de amore.

23. Mystici cum S. Bernardo in Scala Claustralium distinguunt quatuor Gradus, Lectionem, et Meditationem, Orationem, et Contemplationem infusam; Qui semper in primo sistit, numquam ad secundum pertransit; qui semper in secundo persistit, numquam ad tertium pervenit, qui est nostra Contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est; Dummodo Deus Animam non trahat, absque eo quod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam; et hac cessante, Anima regredi debet ad tertium gradum,

et in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum, aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impurae, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, et Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia, et resignatione tolerentur, non impediunt Orationem Fidei: Immo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis Divinae voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus, et dormiatur, nihilominus fit Oratio, et contemplatio actualis; quia Oratio, et resignatio, resignatio, et Oratio idem sunt, et dum resignatio perdurat, perdurat et Oratio.

26. Tres illae viae, Purgativa, Illuminativa, et Unitiva sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica, cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat, et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quaerit Deum, sed seipsum, et male agit, eum eam desiderat, et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.

28. Taedium rerum spiritualium bonum est, siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, et virtute, et frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum, et immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quae non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post Communionem alia requiritur praeparatio, aut gratiarum actio (pro istis Animabus internis) quam permanentia in solita resignatione passiva, quae modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, et fiunt in via ordinaria; Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei; alias sunt impulsus naturae nondum mortuae.

33. Male agit Anima, quae procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum; quoniam Animae internae omnes dies sunt aequales, omnes festivi; Et idem dicitur de locis Sacris, quia hujusmodi Animabus omnia loco aequalia sunt.

34. Verbis, et lingua gratias agere Deo non est pro Animabus internis, quae in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis; et quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam, seu Pater noster recitare.

35. Non convenit Animabus hujus viae internae, quod faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione, et activitate, alias non essent mortuae; nec debent elicere actus amoris erga B. V. Sanctos, aut humanitatem Christi, quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. V. nec Sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare, et possidere.

37. In occasione tentationum etiam furiosarum non debet Anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore, et resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, et infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, et poenitentiae, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhaesionem.

40. Beata V. nullum unquam opus exterius peregit, et tamen fuit Sanctis omnibus sanctior; igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, et vult ad nos humiliandos, et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, Doemon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, et sine mentis offuscatione, movendo physice illarum manus, et alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiae ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris, et feminae, et ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus praeteritis saeculis sanctos efficiebat Tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit Sanctos Ministerio Doemonis, qui causando in eis praedictas violentias, facit, ut illi se ipsos magis despiciant, atque annihilent, et se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex Doemonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi Doemonis violentiam in suo corpore passus est, unde scripsit; *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujusmodi violentiae sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et eam ad veram transformationem, et unionem perducendam, nec alia superest via facilior, et tutior.

47. Cum hujusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo, et etiamsi sequantur pollutiones, et actus obsceni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est seipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, et timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas; Et prae omnibus non opus est haec

confiteri, et sanctissime fit non confitendo, quia hoc pacto superatur Doemon, et acquiritur thesaurus pacis.

47. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur, unde ad ejus vires enervandas melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia Doemonis se propriis manibus polluebat eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum *ex cap.* 16. *Job.*)

50. David, Hieremias, et multi ex Sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut illud de Samsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philistaeis, conjugium iniit cum alienigena, et cum Dalila meretrice fornicatus est, quae alias erant prohibita, et peccata fuissent: De Juditha, quae Holopherni mentita fuit: De Eliseo, qui pueris maledixit: De Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel Doemonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiae etiam impurae absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula, quam de hoc habeo, necdum sunt protestationes animarum illarum, quae protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod in iis consenserint, et videre quod sint Animae, quae proficiunt in via interna: sed regulam sumerem a lumine quodam actuali cognitione humana, ac Theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violenta, et certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo, quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipso sit, qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

56. Spirituales vitae ordinariae in hora mortis se delusos invenient, et confusos, et cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas, et extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil nihil; nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duae leges, duae cupiditates, animae una, et amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus est, et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illae duae leges, et cupiditates, nec alterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, nequidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata mortalia, nec venialia.

58. Ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a Confessione, a confessariis, et a casibus conscientiae, et Theologia, et Philosophia.

60. Animabus provectis, quae reflexionibus mori incipiunt, et eo perveniunt, ut sint mortuae, Deum Confessionem aliquando efficit impossibilem, et supplet ipse tanta gratia praeservante, quantam in Sacramento reciperent, et ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Poenitentiae accedere, quia id est illis impossibile.

61. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum: quinimmo signum, quod quis in statu nihilitatis maneat, idest mortis mysticae, est si sensus exteriores non repraesentent amplius res sensibiles, unde sint, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis ad statum contemplativi. Primo, quia non habet Fidem adeo puram; Secundo, quia non est adeo humilis; Tertio, quia non adeo curat propriam salutem. Quarto, quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Praepositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiae Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter se habet, quia solus Deus, et Director intrant:

66. Risu digna est nova quaedam Doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo: Quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo Directore adeat; novam dico Doctrinam, quia, nec Sacra Scriptura, nec Canones, nec Bullae, nec Sancti, nec Auctores, eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt, quia Ecclesia non judicat de occultis, et anima jus habet eligendi quemcumque sibi benevisum.

67. Dicere quod internum manifestandum est

exteriori Tribunali Praepositorum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio, quia Ecclesia non judicat de occultis, et propriis animabus praejudicant his deceptionibus, et simulationibus.

68. In mundo non est Facultas, nec jurisdictio ad praecipiendum, ut manifestentur Epistolae Directoris quoad internum animae, et ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanae.

« Quas quidem propositiones tamquam haereticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianae disciplinae relaxativas, et eversivas, et seditiosas respective: ac quaecumque super iis verbo, scripto, typis emissa, pariter cum voto eorumdem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, et Inquisitorum Generalium damnavimus, circumscripsimus, et abolevimus: deque eisdem, et similibus omnibus, et singulis posthac quoquo modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi, facultatem quibuscumque Interdiximus, ot contrafacientes omnibus Dignitatibus, Gradibus, Honoribus, Beneficiis, Officiis ipso facto perpetuo privavimus, et inhabiles ad quaecumquae decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipso innodavimus, quo nonnisi a Nobis, et a Romanis Pontificibus Successoribus nostris valeant absolvi; Praeterea eodem nostro Decreto prohibuimus, et damnavimus omnes libros, omniaque opera, quocumque loco, et idiomate impressa, nec non omnia manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos*, vetuimusque, ne quis cujuscumque gradus, conditionis, vel status, etiam speciali nota dignus, audeat sub quovis praetextu, quolibet pariter idiomate, sive sub eisdem verbis, sive sub aequalibus, aut aequipollentibus, sive absque nomine, seu ficto, aut alieno nomine ea imprimi facere, neque impressa, seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis locorum, aut Haereticae pravitatis Inquisitoribus statim tradere, et consignare teneantur sub eisdem poenis superius inflictis, qui Ordinarii, et Inquisitores statim ea igni comburi faciant. Tandem ut praedictus *Michael de Molinos* ob Haereses, errores, et turpia facta praedicta debitis poenis in aliorum exemplum, et ipsius emendationem plecteretur, lecto in eadem nostra Congregatione toto processu, et auditis dilectis Filiis Consultoribus nostrae Sanctae Inquisitionis Officii, in Sacra Theologia, et in Jure Pontificio Magistris, cum eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum *Michaelem de Molinos* tamquam reum convictum, et confessum respective, et uti Haereticum formalem, licet poenitentem, in poenam arcti, et perpetui carceris, et ad peragendas alias poenitentias salutares, praevia tamen abjuratione de formali per ipsum emittenda, servato Juris ordine, damnavimus, mandantes, ut die, et hora praefigendis in Ecclesia Sanctae Mariae supra Minervam hujus almae Urbis, praesentibus omnibus Venerabilibus Fratribus nostris, S. R. E. Cardinalibus, et Romae Curiae nostrae Praelatis, universoque populo ad id etiam per concessionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor processus, stante in suggestu eodem *Michaele de Molinos*, una cum sententia inde secuta legeretur, et postquam idem *de Molinos*, habitu poenitentiae indutus, praedictos errores, et Haereses publice abjurasset, facultatem dedimus dilecto Filio nostro Sancti officii Commissario, ut eum a censuris, quibus innodatus erat, in forma Ecclesiae consueta absolveret; quae omnia in executionem dictae nostrae Ordinationis die 3. Septembris labentis anni solemniter adimpleta sunt ».

« Et licet supernarratum Decretum de Mandato Nostro latum ad majorem Fidelium cautelam typis editum publicis locis affixum, et divulgatum fuerit; Nihilominus ne hujus Apostolicae damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque populus Christianus Catholica veritate instructior per viam salutis incedere valeat, Praedecessorum nostrorum Summorum Pontificum vestigiis inhaerentes, hac nostra perpetuo valitura Constitutione supradictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, et debitae executioni tradi mandamus, iterum supradictas Propositiones definitive damnantes, et reprobantes, librosque, et manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos* prohibentes, et interdicentes sub eisdem poenis, et Censuris contra transgressores latis, et inflictis ».

Decernentes etc. Nulli ergo omnino hominum etc.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo octogesimo septimo, duodecimo Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno duodecimo.

Alexandri Divina Providentia Papae VIII Decretum contra duas propositiones: Bullarii Romani Edit. cit. tom. IX. *pag.* 96. 31

Feria V. *die* 24. *Augusti* 1690.

Sanctissimus D. N. Alexander Papa VIII. non sine magno animi sui moerore audivit duas Theses, seu Propositiones, unam denuo, et in majorem Fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere, et cum sui Pastoralis Officii munus sit Oves sibi creditas a noxiis pascuis avertere, et ad salutaria semper dirigere, dictarum Thesium, sive Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, et deinde Eminentiss. et Reverendiss. DD. Cardinalibus Inquisitoribus sedulo commisit, qui pluries, re mature discussa, infrascriptis Thesibus, seu Propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suae singillatim exposuerunt.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; Formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc suffi-

cit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative; *Hinc Homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitae suae moralis.*

2. Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali, et rectae rationi: Theologicum vero, et mortale est transgressio libera divinae Legis: Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

» Quibus peractis Sanctissimus omnibus plene, » et mature consideratis, Primam Thesim, seu » Propositionem declaravit Haereticam, et uti ta- » lem damnandam, et prohibendam esse, sicuti » damnat, et prohibet sub Censuris, et poenis » contra Haereticos, et eorum fautores in Jure » expressis. Secundam Thesim, seu Propositionem » declaravit scandalosam, temerariam, et piarum » aurium offensivam, et erroneam, et uti talem » damnandam, et prohibendam esse, sicuti dam- » nat, et prohibet, ita ut quicumque illam docue- » rit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam dispu » taverit, pubblice, seu privatim tractaverit, nisi » forsan impugnando, ipso facto incidat in Ex- » communicationem, a qua non possit (praeter- » quam in articulo mortis) ab alio quacumque e- » tiam Dignitate fulgente, nisi a pro tempore Ro- » mano Pontifice absolvi. Insuper districte in vir- » tute Sanctae Obedientiae, et sub interminatio- » ne Divini Judicii prohibet omnibus Christifide- » libus cujuscumque conditionis, dignitatis, et sta- » tus, etiam speciali, et specialissima nota dignis, » ne praedictam Thesim, seu Propositionem ad » praxim deducant ».

32 *Decretum S. D. N. Alexandri VIII. contra propositiones 31. tom eod. pag. 96. seq.*
Feria v. die 7. Decembris 1690.

» Sanctissimus D. N. Alexander Divina Providentia Papa VIII. praedictus pro Pastorali cura Ovium a Christo Domino sibi commissa, de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, et pascua nimium perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, deinde Eminentissimis, et Reverendissimis Cardinalibus contra Haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus commisit, qui tantum negotium diligenter aggressi, atque sedulo, ac pluries incumbentes super unaquaque ipsarum suffragia Sanctitati suae singillatim detulerunt.

Propositiones autem 31. sunt infrascriptae, videlicet.

1. In statu naturae lapsae ad peccatum formale, et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua peccato originali, et voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis Juris naturae; haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, et solis Fidelibus.

5. Pagani, Judaei, Haeretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, et inermem sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: *a Gratia sufficienti libera nos Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, Caritas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est Infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, et etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu famulatur, Caritate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennae non est supernaturalis.

15. Attritio, quae gehennae, et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi Lex, et praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo Poenitentiae est inversus.

18. Consuetudo moderna quo ad administrationem Sacramenti Poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita Poenitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factae, pleraeque vel sacrilegae sunt, vel invalidae.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, et incongrua Poenitentia, seu satisfactione ob quaestum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis Poenitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quae fiebat a B. M. V. die Purificationis suae per duos pullos Columbarum, unum, in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit Purificatione, et quod Filius, qui offerebatur etiam macula Matris maculatus esset secundum verba Legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26. Laus, quae defertur Mariae, ut Maria, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus; *In nomine Patris etc.* praetermissis illis: *Ego te baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quaestionibus decernendi infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

« Quibus matura consideratis, idem Sanctissimus statuit, et decrevit 31. supradictas Propositiones, tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, Haeresi proximas, Haeresim sapientes, erroneas, schismaticas, et haereticas respective, esse damnandas, et prohibendas, sicut eas damnat, et prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defendarit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

» Insuper districte in virtute S. Obedientiae, et sub interminatione Divini Judicii, prohibet omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, et status, etiam speciali, at specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

» Non intendit tamen S. Sua per hoc Decretum alias Propositiones in majori numero, ultra supradictas 31. jam exhibitas, et in hoc Decreto non expressas, approbare ».

Breve Innocentii XII. proscribentis tres et viginti Theses, quae praetextu amoris erga Deum 33
purissimi in Galliis docebantur, Bullar. Roman. Edit. citat. tom. IX. *pag.* 499. *seqq.*

INNOCENTIUS PAPA XII. ETC.

« Cum alias ad Apostolatus nostri notitiam pervenerit, in lucem prodiisse librum quemdam Gallico Idiomate editum, cui titulus, *Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure par Messire Francois de Salignac Fenelon Archeveque Duc de Cambray, Precepteur des Messigneurs les Ducs de Bourgogne, d' Anjou, et de Berry: A Paris chez Pierre Aubovin, Pierre Emery, Charles Clousier* 1697. Ingens vero subinde de non sana libri hujusmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeo percrebuerit, ut opportunam Pastoralis vigilantiae nostrae opem efflagitaverit; Nos eum librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris, mature, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Porro hi Mandatis nostris obsequentes, postquam in quamplurimis Congregat. varias Propositiones ex eodem libro excerptas, diuturno, accuratoque examine discusserant, quid super earum singulis videretur, tam voce, quam scripto Nobis exposuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram Nobis desuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, et in Sacra Theologia Magistrorum sententiis, Dominici gregis Nobis ab Æterno Pastore crediti periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, librum praedictum, ubicumque, et quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hucusque impressum, aut in posterum imprimendum, quippe ex cujus lectione, et usu fideles sensim in errores ab Ecclesia Catholica damnatos induci possent, ac insuper tamquam continentem propositiones, sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective, tenore praesentium damnamus, et reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, et usum omnibus, et singulis Christifidelibus, etiam specifica, et individua mentione, at expressione dignis, sub poena excommunicationis per contrafacientes, ipso facto absque alia declaratione incurrenda interdicimus, et prohibemus. Volentes, et Apostolica auctoritate mandantes, ut quicumque supradictum librum penes se habuerint, illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum

Ordinariis, vel haereticae pravitatis Inquisitoribus tradere, ac consignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, etc. Ceterum Propositiones in dicto libro contentae, quas Apostolici Censura judicii, sicut praemittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in latinum versae, sunt tenoris, qui sequitur, videlicet.

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est Caritas pura, et sine ulla mixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem; Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando.

2. In statu vitae contemplativae, seu unitivae omittitur omne motivum interessatum timoris, et spei.

3. Id, quod est essentiale in directione animae, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, praecautione, et subtilitate: Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In statu Sanctae indifferentiae anima non habet amplius desideria voluntaria, et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suae gratiae fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctae indifferentiae nihil nobis, omnia Deo volumus; Nihil volumus, ut simus perfecti, et beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suae gratiae.

6. In hoc sanctae indifferentiae statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem aeternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum, sed eam volumus voluntate plena ut gloriam, et beneplacitum Dei, ut rem, quam Ipse vult, quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renunciatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus: Ita nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium. Extremae probationes, in quibus haec abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus aemulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam aeternum.

8. Omnia Sacrificia, quae fieri solent ab animabus quam maxime disinteressatis circa earum aeternam beatitudinem sunt conditionalia; sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario; In uno extremarum probationum casu hoc Sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animae invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, quae non est intimus conscientiae fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in Cruce dicens: *Deus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* In hac involuntaria impressione desperationis conficit Sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad aeternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori; idest in suis actibus directis, et intimis spem perfectam, quae est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animae permittere, ut simpliciter acquiescat jacturae sui proprii interesse, et justae condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quaedam separatio partis superioris animae ab Inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino caeca, et involuntaria perturbatione: Nam totum, quod est involuntarium, et intellectuale est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum, et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectae, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

17. Animae contemplativae privantur intuitu distincto, sensibili, et reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis; Primo, in fervore nascente earum contemplationis; Secundo, Anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distincte, non cogitando, quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute praeditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, et disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio, et sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animae transformatae sua peccata detestari, et condemnare se, et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut

propriam purificationem, et liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis haec doctrina (de puro amore) esset pura, et simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata, antiqui pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitationem amoris interessati, eorum gratiae proportionatam.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, et tunc evadit unicum principium, et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, et meritorii sunt.

« Non intendimus tamen per expressam Propositionum hujusmodi reprobationem, alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eaedem praesentes Litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, et auctoritate praefata decernimus, ut illae ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; ita ut sic publicatae, omnes, et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent: utque ipsarum praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 12. Martii 1699. Pontificatus nostri Anno octavo ».

Sanctissimi D. N. Clementis *Divina Providentia Papae XI. Damnatio quamplurium Propositionum excerptarum ex libro Gallico idiomate impresso, et in plures Tomos distributo sub titulo* : Le Nouveau Testament en Francois avec des reflexions morales sur chaque verset etc. A Paris 1699. *Ac aliter* Abregè de la morale de l'Evangile, des Actes des Apotres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, et de l'Apocalypse, ou Pensees Chretiennes sur le Texte de ces Livres Sacrez etc. A Paris 1694.

Cum prohibitione ejusdem libri, et aliorum quorumcumque in ejus defensionem, tam hactenus editorum, quam in posterum edendorum. Bullar. Rom. Edit. cit. tom. x. *part.* ul. *pag.* 340. *seqq.*

CLEMENS EPISCOPUS etc.

« Unigenitus Dei Filius pro nostra, et totius Mundi salute Filius hominis factus, dum discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, praesentia disponens, et futura prospiciens, praeclaro, ac saluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus a falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis Ovium, quorum nomine potissimum demonstrantur Magistri illi mendaces, et in deceptione illusores, qui splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine Sanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, et se se Divinae legis sententiis, veint quibusdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipsius novi Testamenti verbis, quae multipliciter in suam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur, antiqui scilicet, a quo progeniti sunt mendacii Parentis exemplo, ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi Divinorum verborum praetendatur auctoritas.

His Nos vere Divinis monitis instructi, ubi primum, non sine intima cordis nostri amaritudine accepimus, Librum quemdam Gallico idiomate olim impressum, et in plures Tomos distributum sub titulo :

Le Nouveau Testament en Francois, avec des reflexions morales sur chaque verset. etc. A Paris 1699. Aliter vero : *Abregè de la morale de l' Evangile, des Actes des Apotres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, et de l' Apocalypse*, ou *Pensees Chretiennes sur le Texte de ces Livres Sacrez etc. A Paris* 1693. *et* 1694.

Tametsi alias a Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem a pluribus haberi, Christifidelium manibus passim obtrudi, ac nonnulliorum nova semper tentantium consilio, et opera studiose nimis quaquaversum disseminari, etiam latine redditum, ut perniciosae institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, et de Regno ad populum alterum: versutis hujusmodi seductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum gregem in viam perditionis sensim adduci summopere doluimus: adeoque Pastoralis non minus curae nostrae stimulis, quam frequentibus Orthodoxae Fidei Zelatorum querelis, maxime vero compluriun Venerabilium Fratrum, praesertim Galliae Episcoporum literis, ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quaeque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providae nostrae considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus summam hujusmodi Libri perniciem ideo potissimum progredi, et inva-

lescere, quod eadem intus lateat, et velut improba sanies, nonnisi secto ulcere foras erumpat, cum Liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat; melliti enim sunt sermones ejus super oleum, sed ipsi sunt jacula, et quidem intento arcu ad eocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut salubrius praestari a Nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem Libri doctrinam generatim solummodo a Nobis hactenus indicatam, pluribus siegillatim ex eo excerptis Propositioeibus, distinctius et apertius explicaremus, atque universis Christifidelibus noxia zizaniorum semina a medio Tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, et quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisque tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino, fore, ut omnes tandem apertae jam, manifestaeque veritati cedere compellantur.

Id ipsum maxime e re Catholica futurum sedaedis praesertim in florentissimo Galliae regno exortis ingeniorum varie opinantium, jamque in acerbiores scissuras protendentium dissidiis apprime proficuum: Conscientiarum deeique tranquillitati perutile, et propemodum necessarium non modo praefati Episcopi, sed et ipse in primis Carissimus ie Christo Filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tueeda Catholicae fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum satis laudare noe possumus, saepius Nobis est coetestatus, repetitis propterea vere piis, et Christlaeissimo Rege dignis Officiis, ardentibus votis a Nobis efflagitans, ut instanti animarum necessiteti prolata quantocius Apostolici Censura Judicii consuleremus.

Hiec adspirante Domino, ejusque Coelesti ope coefisi, salutare opus sedulo, diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus, ac plurimas ex praedicto Libro, juxta super recensitas respective editiones, fideliter extractas, et cum Gallico, tum Latino idiomate expressas Propositiones a compluribus in Sacra Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex Veeerabilibus Fratribus eostris S. R. E. Cardinalibus accurate discuti: Deinde vero coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maxima diligentia, ac maturitate singularum insuper Propositioeum cum ipsomet Libri Textu exactissime facta collatione, pluries iteratis Congregatioeibus expendi, et examieari mandavimes, Hujusmodi autem Propositiones sunt, quae sequuuntur, videlicet.

1. Quid aliud remanet aeimae, quae Deum, atque ipsius Gratiam amisit, nisi peccatum, et peccati coesecutioees, superba paupertas, et segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, et orationem, et ad omee opus boeum?

2. Jesu Christi Gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa, non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

3. Ie vanum, Domine, praecipis, si tu ipse noe das, quod praecipis.

4. Ita Domine: Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operaedo in illo.

5. Quando Deus noa emollit cor per interiorem unctionem Gratiae suae, exhortationes, et Gratiae exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimee ieter Foedes Judaicum, et Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, et implementum Legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; ie isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua Gratia purificando.

7. Quee utilitas pro homine in veteri foedere, in quo Deus illum reliquit ejus propriae iefirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quae vero felicitas noe est, admitti ad foedus, in quo Deus nobis donat, quod petit a eobis?

8. Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi in quantum partitipes sumus ipsius novae Gratiae, quae operatur in nobis id, quod Deus nobis praecipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum non possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam eihil impedire potest, eut retardare.

11. Gratia non est aliud, quam voluntas Omeipotentis Dei jubentis, et facientis, quod jubet.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluetatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori Gratiae suae manu, nulla voluntes humaea ei resistit.

14. Quantumcumque remotus a salete sit Peccator obstinatus, qeando Jesus se ei videndum exhibet lumiee salutari suae Gratiae, oportet, ut se dedat, accurrat, sese hemiliet, et adoret Salvatorem suum.

15. Quendo Deus mandatum suum, et suam aeternam locutionem comitetur uectione sui Spiritus, et interiori vi gratiae suae, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

16. Nullaa suet illecebrae, quae non cedant illecebris Gratiae, quia nihil resistit Omnipoteeti.

17. Gratia est vox illa Patris, quae homiees interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullateeus est doctus a Patre.

18 Semee verbi, quod menus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19. Dei gratia nihil aliud est, quam ejus Omnipotens voluntas: haec est idea, quam Deus ipse eobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20. Vera Gratiae idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obeditur; imperat, et omnia fiunt, loquitur tamquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia Jesu Christi est Gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quae est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, et imitatio operationis Dei incarnantis, et resuscitantis Filium suum.

22. Concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum Misericordiae, et Gratiae, quae omnes ita gratuitae, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suae Gratiae, eam significans per illam, qua Creaturas a nihilo producit, et mortuis reddit vitam.

24. Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, et Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suae voluntatis, est imago ideae, quae haberi debet de Omnipotentia suae Gratiae in sanandis animabus a cupiditate.

25. Deus illuminat animam, et eam sanat aeque ac corpus sola sua voluntate; jubet, et ipsi obtemperatur.

26. Nullae dantur Gratiae nisi per Fidem.

27. Fides est prima Gratia, et fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est Peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur Gratia.

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, idest, Electos de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh quantum oportet bonis terrenis, et sibimetipsi renunciasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, et ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, et mysteria, ut fecit S. Paulus dicens: *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

34. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae, et integrae.

36. Differentia essentialis inter Gratiam Adami, et status innocentiae, ac Gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset; ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso erat illi proportionata; Gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo est omnipotens, et digna Filio Dei.

38. Peccator non est liber, nisi ad malum sine Gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam Gratia non praevenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se praecipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; Est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.

40. Sine Gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis, Ethnicis, non potest venire nisi a Deo, et sine Gratia non producit nisi praesumptionem, vanitatem, et oppositionem ad ipsum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis, et amoris.

42. Sola Gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei; sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.

43. Primus effectus Gratiae Baptismalis est facere, ut moriamur peccato, adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitae pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, et actiones omnes nostrae nascuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: et amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas, aut Caritas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia Legis profluere debet ex fonte; Et hic fons est Caritas: Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

59. Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio, et nisi peccatum, sine Fidei lumine, sine Christo, et sine Caritate?

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine Amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si Spiritus Caritatis non est ille qui clamat.

51 Fides justificat, quando operatur, sed ipsa non operatur nisi per Caritatem.

52. Omnia alia salutis media continentur in Fide tamquam in suo germine, et semine, sed haec Fides non est absque amore, et fiducia.

53. Sola Caritas christiano modo fecit (actiones christianas) per relationem ad Deum, et Jesum Christum.

54. Sola Caritas est, quae Deo loquitur; eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat, nisi Caritatem, qui currit ex alio impulsu, et ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat, nisi Caritatem, quoniam Caritas sola Deum honorat.

57. Totum deest Peccatori, quando ei deest spes, et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Caritas.

59. Oratio Impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicii timor animat Poenitentiam, quo haec magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61. Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiae non ducitur.

62. Qui a malo non abstinet, nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub Lege, sicut Judaeus, si Legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto Legis nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

65. Moyses, Prophetae, Sacerdotes, et Doctores Legis mortui sunt absque eo quod nullum Deo dederint filium; cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiae, sed per Fidem, et per amorem sicuti Filii.

67. Timor servilis non sibi repraesentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in Fide, et precibus.

69. Fides usus, augmentum, et praemium Fidei tatum est donum purae liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes, et afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandos peccatores.

71. Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab ea Lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Ecclesiae Christianae est, quod sit Catholica, comprehendens et omnes Angelos Coeli, et omnes Electos, et justos terrae, et omnium saeculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi coetus Filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christum, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et expectantium Gratiam futuri Saeculi.

74. Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia, et persona: Unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi, et Justi omnium Saeculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, et membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, et Christum pro Capite.

78. Separatur quis a Populo Electo, cujus figura fuit populus Judaicus, et Caput est Jesus Christus tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Utile, et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere, et cognoscere Spiritum, Pietatem, et Mysteria Sacrae Scripturae.

80. Lectio Sacrae Scripturae est pro omnibus.

81. Obscuritas sancta verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia Sanctarum Scripturarum; Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari feminis lectione Sacrorum Librorum, Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natae sunt Haereses.

84. Abripere a Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem Sacrae Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis Filiis lucis, et facere, ut patiantur speciem quamdam Excommunicationis.

86. Eripere simplici Populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi Apostolicae, et intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine, et Caritate est dare animabus tempus portandi cum humilitate, et sentiendi statum peccati, petendi spiritum Poenitentiae, et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere Justitiae Dei, antequam reconcilietur.

88. Ignaramus quid sit peccatum, et vera Poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartusdecimus gradus conversionis Peccatoris est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet Jus assistendi Sacrificio Ecclesiae.

90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem praesumpto, totius Corporis.

91. Excommunicationis injustae metus numquam debet nos impedire ab impiendo debito nos-

tro. Numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiae per Caritatem affixi sumus.

92. Pati potius in pace Excommunicationem, et Anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra Auctoritatem, aut scindere unitatem.

93. Jesus quandoque sanat vulnera, quae praeceps primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato; Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra Fidem fidelium, et foveri divisiones propter res, quae nec Fidem laedunt, nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua peregrina quasi plerisque Christianis; modus eas praedicandi est veluti idioma incognitum, adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, et supra communem captum Fidelium; Neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiae, et irae Dei in Filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariae Praedicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinae Gratiae.

97. Nimis saepe contingit, membra illa, quae magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiae sunt, respici, atque tractari tamquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tamquam ab ea separata; sed Justus vivit ex Fide, et non ex opinione hominum.

98 Status persecutionis, et poenarum, quas quis tolerat, tamquam Haereticus, flagitiosus, et impius, ultima plerumque probatio est, et maxime meritoria, utpote quae facit hominem conformem Jesu Christo.

99. Pervicacia, praeventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quo ad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitae, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla etc.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos, Tempus hoc advenit ..... Haberi, et tractari a Religionis Ministris, tamquam impium, et indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in Societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior; Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, et Zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferro que viros probos, si propria passione est excaecatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare; Frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus Diabolo Dei servum.

101. Nihil Spiritui Dei, et Doctrinae Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, et idiotis, et efficere, ut nomen, et veritas Dei aliquando deserviant consilio Impiorum.

« Auditis itaque tum voce, tum scripto Nobis exhibitis praefatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, Divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato praesidio, omnes et singulas Propositiones praeinsertas, tamquam falsas, et captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiae, et ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in Potestates saeculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de Haeresi, ac Haeresim ipsam sapientes, nec non Haereticis, et Haeresibus, ac etiam Schismati faventes, erroneas, Haeresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam Haereticas, variasque Haereses, et potissimum illas, quae in famosis Jansenii Propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hae damnatae fuerunt, acceptis continentur, manifeste innovantes, respective, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, declaramus, damnamus, et reprobamus.

Mandantes omnibus utriusque sexus Christifidelibus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, praedicare aliter praesumant, quam in hac eadem nostra Constitutione continetur, ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam disputative publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis Censuris aliisque contra similia perpetrantes a Jure statutis poenis, ipso facto, absque alia declaratione subjaceat.

Ceterum per expressam praefatarum Propositionum reprobationem, alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus, cum praesertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus Propositiones illis, quae, ut supra, damnatae fuerunt, consimiles, et affines, iisdemque erroribus imbutas, nec sane paucas sub imaginario quodam, veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, et pervicaciam nutrientes, easque falso Christianae patientiae nomine praedicantes, quas propterea singulatim recensere, et nimis longum esse duximus, et minime necessarium; ac demum quod intolerabilius est, Sacrum ipsum novi Testamenti Textum damnabiliter vitiatum compererimus, et alteri dudum reprobatae versioni Gallicae Montensi in multis conformem; a vulgata vero editione, quae tot saeculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, et aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, et ac saepe noxios sensus non sine maxima perversitate detortum.

Eumdem propterea Librum, utpote per dulces

sermones, et benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piae institutionis imagine, seducendis innocentium cordibus longe accommodatum, sive praemissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, et quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, Auctoritate Apostolica tenore praesentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus, quemadmodum etiam alios omnes, et singulos in ejus defensionem, tam scriptos, quam typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, et usum omnibus, et singulis Christifidelibus sub poena Excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, et interdicimus.

« Praecipimus insuper Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non Haereticae pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, et rebelles quoscumque per Censuras, et poenas praefatas, aliaque Juris, et Facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, omnino coerceant, et compellant.

Volumus autem etc.

Nulli ergo omnino hominum etc.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

J. CARD. PRODATARIUS A.

35 Constitutionem Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIV. incip. *Detestabilem*, qua anno 1752. quarto idus Novembris, damnavit atque prohibuit quinque propositiones Duellorum abusui faventes, jam protulimus ad litteram tom. 2 in verb. *Duellum* quam, ne alibi dicta repetantur, vide ibi.

* Decretum autem Sac. Congregationis Inquisitionis Rom. quo novissime damnatae sunt quaedam Theses circa usum Opinionis probabilis, allatum est supra verb. *Opinio probabilis.* *

36 Qua censura notandus sit, qui Propositiones a Pontifice loquente ex Cathedra damnatas amplectitur adhuc, ut probabiles, seu veras; Non omnes
37 in omnibus conveniunt Doctores. Quamvis enim omnes communiter conveniant in hoc, quod Propositiones damnatae, ut *Haereticae*, non possint citra Haeresim negari tales, nempe quod sint *Haereticae, et falsae*, utpote immediate oppositae Doctrinae Fidei essentialiter verae ab Ecclesia definitae; tamen circa Propositiones alia Censura notatas, nempe quod sint *scandalosae*, *temerariae*, *erroneae*, *seditiosas*, *blasphemae*, et hujusmodi, valde discrepant inter se Doctores; Bannes enim *quaest.* 11. *de Fide art.* 2. *in fine*, Turrianus *de Fide disp.* 55. *dub.* 5. §. *Deinde in aliis*; Lugo *de virtute Fidei disp.* 20. *sect.* 3. *a n.* 108. citati a Viva *ad Proposit. damnat. quaest. Prodroma num.* 18. et alii putant solum esse errorem, aut errori proximum negare, quod aliqua talis propositio mereatur notam, qua inuritur a Sancta Sede, ipse tamen Viva *cit. q. Prodroma ad Propositiones damnatas num.* 18. cum Maldero, Coninch. et aliis dicit, quod licet propositio alia censura notata, v. gr. quod sit *scandalosa*, citra Haeresim negari non possit, quod sit *scandalosa*, prout ea definitur a Pontifice loquente ex Cathedra; Nihilominus negare, quod ea sit falsa, in omnium sententia, non continet Haeresim, sed solum errorem, cum non definiatur a Sancta Sede immediate ejus falsitas, sed solum per illationem certam descendat falsitas ex eo, quod sit *scandalosa*; Unde secundum hanc veriorem sententiam, qui docet, et tenet propositionem *scandalosam*, non est formaliter et proprie, seu rigorose *Haereticus*, sed solum formaliter, et rigorose, *Scandalosus*, et sic *Temerarius*, qui docet, et tenet *temerariam*, *Seditiosus*, qui *seditiosam*, et similiter de aliis.

* In Opere inscripto: *Pontificiarum Constitutionum in Bullario Magno, et Romana contentarum, et aliunde desumptarum Epitome, et secundum materias dispositio cum Indicibus locupletissimis opera, et studio Aloysii Guerra S. T. D. Venetiis MDCCLXXII. tom.* 2. *tit.* 20. *qui est de haeresibus, libris, propositionibus*, recensentur Constitutiones Romanorum Pontificum, et Decreta eorum auctoritate edita, a S. Leone I. usque ad Clementem XIV. quibus haereses, propositiones, ac libri damnantur. De erroribus autem, *qui ab initio duodecimi seculi post Incarnationem Verbi usque ad annum* 1713. *in Ecclesia proscripti sunt, et notati*, pluribus agit Carolus du Plessis d' Argentrè in opere cui titulus, *Collectio judiciorum de novis erroribus; Lutetiae Parisiorum MDCCXXIV.* Theologiae quoque Morali P. Gabrielis Antoine P. Philippus a Carboneano Appendicem addidit: *De damnatis ab Ecclesia propositionibus*, cum opportunis ad earum plerasque adnotationibus, et explicationibus ac censuris, monitoque *ad Ecclesiae pastores, et confessarios circa eorum vitium, ac detestandum peccatum, qui Orthodoxas scholas, Theologosque Catholicos invidioso Bajanismi, ac Jansenianismi nomine traducunt*, et expositione doctrinae; *De variis hominis ad ultimum finem comparati statibus, De libertate, deque Christi gratia: ubi ea potissimum declarantur, quae ad explicanda Lutheri, Baii, Jansenii, Quesnelliique systemata, atque vindicandas ab omni nota Catholicorum opiniones necessaria videntur.* Quod quidem Monitum, et expositionem in duabus Appendicibus verb. *Gratia ut est donum Dei* ab eodem P. Philippo a Carboneano subjectis in Romana Bibliothecae hujus Editione anno 1757. curata, et ceteris, quae eam sunt consecutae, legere quisque potest. Latius in hoc argumenti genere versati sunt, qui vel omnes, et singulas Propositiones, quas

Romani Pontifices ab anno 1567. ad annum usque 1713. damnarunt, vel aliquas tantum, v. gr. proscriptas ab Alexandro VII. Innocentio XI. et Alexandro VIII sive a Clemente XI. expendendes, refutnndasque data opera susceperunt. Ex his illos, quorum mihi opera nunc succurrunt, indicabo. Sunt autem, Dominicus Viva in *Damnatarum Thesium Theologica trutina*, in qua *Theses ab Alexondro VII. Innocentio XI. et Alexandro VIII.* nec non *Jansenii, et Quesnelli ad Theologicam trutinam revocantur, ac Michaelis Baii, Michaelis de Molinos aliaeque Theses superiore saeculo profligatae in calce Operis* (nempe in Appendice ad Part. III. alterius Editionis) *recensentur, et nonnullae discutiuntur*, Patavii MDCCIX. et Beneventi MDCCXVI. qui tamen non sine cautione est legendus: Franciscus Vanrast, eujus Opuscula duo extant saepius typis excusa, primum ita inscriptum: *Veritas in medio, seu D. Thomas Doctor Angelicus Propositiones omnes circa Theoriam, et Praxim, Rigorem, et Laxitatem versantes a Bojanis usque ad Quesnellianas* 101. *inclusive per tutissima, et inconcussa, atque ab omni extremo remota dogmata praedamnans: inserta est vita Baii, Jansenii, aliaque gesta historica: accessit Responsio brevis ad P. Quesnel*; alterum hoc titulo: *Historia Haereticorum, et Haeresum antea inscripta lux Fidei, seu D. Thomas Doctor Angelicus omnium errorum ante vitam, in vita, et post vitam ad haec usque tempora ab incunabulis Ecclesiae exortorum tenebras e Literis Sacris profligans, ac praedebellans, cujuslibet seculi Erroribus praefigitur Errorum vita historice deducta: accessit singularis Dissertatio adversus modernos Sectarios:* Ludovicus Vincentius Massius de Casavallibus Valentinus Ordinis Praedicatorum in Opere, quod inscribitur: *Propositionum Canonice damnatarum praedamnatio Augustino-Thomistica, sive Propositiones a S. Pio V. Successoribusque Romanis Pontificibus usque ad praesens proscriptae etc.* in *duos Tomos distributa, Valentiae apud Josephum Stephanum Delz MDCCLXI.* Pius Thomas Milante, qui Neapoli ex Typographia Januarii, et Vincentii Mutio annis MDCCXXXVIII. et duobus proximis, Tomis tribus in 4. *Exercitationes Dogmatico-Morales* in *Propositiones proscriptas a SS. PP. Alexandro VII. Innocentio XI. et Alexandro VIII.* edidit: De La Fontaine cujus est titulus: *SS. D. N. Clementis PP. XI. Constitutio Unigenitus, Theologice propugnata cum Synopsi. Auctore Chistophoro Jacobi Paderbornensi, Romae typis Jo. M. Salvioni, et Mainardi* 1717. Gregorius Selleri in Opere, cui titulus: *Propositiones a SS. D. N. Clemente Papa XI. damnatas in Bulla Unigenitus Dei Filius, quas in sententia SS. Ecclesiae DD. Augustini, et Thomae Aquinatis Apostolici Judicii censura merito confixas fuisse ostendit Frater Gregorius Selleri Ord. Praed. S. P. A. Magister, Romae MCCXVIII. Typographia Reverendae Camerae Apostolicae*; Fulgentius Bellelli cujus Opus inscriptum: *Mens Augustini de modo reparationis humanae naturae post lapsum, adversus Bojanam, et Jansenianam haeresim juxta Apostolicas Constitutiones exposita. Pars prima, quae est Refutationis propositionum damnatarum Quesnelli Prodromus. Pars altera Quesnelli Theses confutatas exhibens, Romae typis Rocchi Bernabò anno* 1737. prodiit.

39 Hinc ad uberiorum notitiam juvat hic recensere praecipua censurarum genera, quibus notari possunt propositiones referentes doctrinam Fidei Catholicae, et Christianis moribus nocivam, seu noxiam, a quibus eadem propositiones denominationem sortiuntur.

40 *Haeretica* propositio est illa, quae formaliter opponitur veritati a Deo revelatae, et per Ecclesiam definitae, seu cujus contradictoria est de Fide.

41 *Sapiens Haeresim* est illa, cujus contradictoria non est quidem expresse definita, sed tamen sic communiter recipitur in Ecclesia, ac si esset de Fide, ideoque praebet judicium, saltem probabile, judicandi, quod in defensore illius lateat Haeresis.

42 *Suspecta de Haeresi* est illa, quae in rigore grammatico vera esse potest; Attamen ex quibusdam circumstantiis personae, loci, et temporis innuere videtur latentem Haeresim.

43 *Haeresi proxima* ea est, quae est contradictoria illi, quae vel a plerisque habetur tamquam de Fide, vel per evidentem consequentiam infertur ex una de Fide, et altera indubitata.

44 *Chismatica* est illa, quae aperit viam divisioni Corporis Mystici Christi, idest separat, seu retrahit Ecclesiam, seu Fideles a suo capite, seu Romano Pontifice.

45 *Judaica* est illa, quae de Christo sentit cum Judaeis, asserens v. g. Christum, seu Messiam nondum advenisse, sed adhuc esse venturum.

46 *Pagana* est illa, quae cum Paganis plures Deos admittit.

47 *Athea* est illa, quae cum Atheis Deum esse negat.

48 *Blasphema* est illa, quae continet injuriam, et irreverentiam contra Deum, vel Deiparam, vel Sanctos.

49 *Impia* est illa, qua verus cultus Deo, vel Deiparae, vel Sanctis debitus evertitur, vel minuitur.

50 *Erronea* est illa, quae contradicit Conclusioni Theologicae, sive deductae ex una de Fide, et altera evidente.

51 *Errori proxima* est illa, quae contradicit tali conclusioni, quae a plerisque, non tamen ab omnibus habetur tamquam Theologica.

52 *Sapiens errorem*, vel *suspecta erroris* est illa, quae licet in rigore sermonis non contradicat alicui Conclusioni Theologicae, tamen ex circumstantiis personae, loci, et temporis, gravem adjunctam habet erroris suspicionem.

53 *Scandalosa* est illa, quae immediate, et de se prae-

bet alii occasionem ruinae spiritualis circa doctrinam morum, et Fidei.

54 *Temeraria* positive est illa, quae contra se habet firmissimas rationes, et gravissimorum Doctorum auctoritates, et pro se nullam firmam, et gravem. *Temeraria* negative est illa, quae nec pro se, nec contra se habet ullam rationem, et auctoritatem.

55 *Seditiosa* est illa, quae inducit divisionem in populo, seu concitat tumultum contra Superiores in Ecclesia, vel Republica.

56 *Male sonans* est illa, quae abutitur vocibus contra communem sensum Fidelium, et licet habeat duos sensus, unum Fidei congruum, alterum non congruum; saepe tamen ab audientibus sumitur in malam partem.

57 *Piarum aurium offensiva* est illa, quae nedum male sonat, sed aliquid insuper indignum, seu indecens in materia Religionis pronunciat.

58 *Laxa* est illa, quae multum favet conscientiae libertati, et in materia morum est nimis licentiosa.

59 *Simplicium seductiva* est illa, quae sub specie pietatis, vel boni praetextu errorem tegens, apta est simplicium mentes seducere.

60 *Insana, fabulosa, et mendosa* est illa, quae nec ratione, nec auctoritate constat, neque aliqua verisimilitudine nititur.

Apocrypha est illa, cujus Auctor incognitus, aut incertus est; Vel de qua non constat, quod sit Canonica, vel Divina. 61

Antiquata est illa, quae antiquitus admittebatur tamquam probabilis, quia nondum erat cognitum principium certum; sed jam licet non sit expresse damnata, est tamen incompossibilis cum novo Decreto Romanae Cathedrae. 62

Improbabilis est illa, quae nititur motivo fallibili, non gravi, sed simpliciter indigno, propter quod fiat assensus. 63

NOVA ADDITIO.

De variis errorum gradibus, notisque propositionum plura tibi dabunt, Melchior Canus, De Locis Theologicis lib. xii. cap. vi. et seqq. Petrus Annatus in Methodico ad Positivam Theologiam Apparatu lib. 1. art. v., Cardinalis Gotti in Theologia Scholastico-Dogmatica Tractatu 1. Issagoico *quaest.* 1. *dub.* v. §. 1. *et seqq.*, P. Philippus a Carboncano in Appendice citata: De Propositionibus damnatis cap. II. et alii, a quibus iudicandis supersedeo. 64

PROSPECTUS

SUMMARIUM

1. Moniales non possunt habere, et retinere prospectum in Ecclesia saecularium, seu Regularium virorum. — 2. Injungitur Episcopo, ut cryptas, et aditus subterraneos a Domibus privatorum ad Ecclesias, et loca immunia claudere faciat. — 3. Alia ad rem, *remissive*.

1 Nullo modo debet ab Episcopo permitti, quod in fundatione Monasterii, nec postea, Moniales habeant prospectum, vel retineant Crates correspondentes in Ecclesia Presbyterorum saecularium, sive Regularium pro audienda Missa sub praetextu, quod non possint ob illarum paupertatem manutenere Capellanum; sed ubi inveniat adesse, et retineri, omnino debet mandare removeri: prout ita fieri jussit *Sacr. Congr. Episc. in Trojana adversus Moniales Annunciatae Foggiae ad relationem Card. Petrucci* 27. *Febr.* 1693. quae cum parere distulissent variis excusationibus, iterum recurrentibus Canonicis Collegiatae, in quorum Ecclesia prospectus in vim concordiae retinebatur, *Ead. Sac. Cong.* 16. *Nov.* 1696. rescripsit: *Episcopus omnina intra mensem Decreta Sacrae Congregationis exequatur, et procedat ad destructionem transitus.* Sic apud Monac. *tom.* 1. *tit.* 6. *formul.* 16. *n.* 35.

Injungitur Episcopo, ut cryptas, et aditus subterraneos a Domibus privatorum ad Ecclesias, et loca immunia claudere faciat: *Sacra Congregat. Immunitat.* 9. *Martii* 1632. *lib.* 2. *Decretor. Paulucci pag.* 115. apud Riccium *in sua Synopsi verb. Episcopus quoad Immunitatem n.* 30. 2

Alia ad rem. Vide verb. *Fenestrae*, verb. *Ecclesia art.* 5. et verb. *Porta*. 3

PROTONOTARII DE NUMERO PARTICIPANTIUM

SUMMARIUM

1. Protonotarii unde sint dicti? — 2. In Litteris Apostolicis appellantur simpliciter Notarii; Cum adjectu tamen de numero Participantium, et quare? — 3. Isti Protonotarii, seu Notarii Sedis Apostolicae numero septem fuerunt instituti in ipsis primitivae Ecclesiae initiis, et ad quid? — 4. Hoc septem Notariorum Sedis Apostolicae Collegium, fuit postea ampliatum ad numerum duodecim; et maximis privilegiis decoratum: quae assi-

gnoscitur. — 5. Officium Protonotariorum Apostolicorum est venale. — 6 Hoc Protonotariorum Collegium fuit semper in maxima veneratione. — 7. Olim isti Protonotarii habebant praecedentiam super Episcopos. Nunc vero non, Nisi in Consistoriis publicis, et solemnibus equitationibus, *ad num.* 8. — 9. Isti Protonotarii praecedunt alios Praelatos Curiae. — 10. Item procedunt Sacristam Papae, si non sit Episcopus. — 11. Item praecedunt Praeceptorem Hospitalis S. Spiritus Urbis, Archimandritam Messanensem, Abbates Mitratos, et Correctorem Cancellariae. — 12. Item praecedunt Canonicos Patriarchalium Urbis. — 13. Isti Protonotarii quas vestes induant? — 14. Refertur Decretum Congregationis particularis quoad usum permissum istis Protonotariis Vietae rosacei coloris, aliarumque praeeminentiarum in pileo. — 15. In Cappella Pontificia utuntur Cappis. — 16. Unus istorum Protonotariorum semper intervenit in Congregatione de Propaganda Fide, ac Sacrorum Rituum, et in confectione processuum Beatificationum, et Canonizationum. — 17. Collegium horum Protonotariorum tenere solet Cappellas. — 18. Alia ad rem eam addit. ex aliena manu, *ad num.* 23.

1 Protonotarii dicti sunt a verbo graeco *Protos*, quod latine idem est ac *primus*. Unde S. Stephanus Protomartyr dicitur, quia primus pro Christi nomine martyrio coronatus fuit, sicque est primus Martyr, ut declarat Glossa *in Authentic. de Tabellionibus* §. *Illud quoque collat.*

2 4. Hinc Protonotarii sunt primi Notarii Sedis Apostolicae; Haec tamen in Bullis, aliisque Pontificiis Litteris illos nominat simpliciter *Notarios*, ut notant Chassan. *in Catalog. gloriae mundi par.* 4. *considerat.* 28. Card. Petra *Commentar. ad Constit. Apostolic. tom.* 5. *in Constit.* 4. *Pii II.* nu. 2. Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 23. *n.* 4. et alii passim. Quamvis in Regulis Cancellariae ponatur illud nomen ad majorem excellentiam; In Litteris tamen Apostolicis isti, qui Collegium Praelatorum in Curia constituunt, appellantur cum adjecto *de numero Participantium*, ut ita distinguantur ab aliis simplicibus, ut tradunt Card. de Luce *in Relat. Romanae Curiae discurs.* 44. *num.* 2. Card. Petra *loc. cit. num.* 2. et alii; Potestque addi, quod sic appellentur ex quo prae aliis participent, et habeant quotidie panem honoris, et vestes in Coronatione, et morte Pontificis, et locum in Cavalcatis Pontificalibus, ex Constitut. Sixti V. incip. *Romanus Pontifex.*

3 Dicti Protonotarii, seu Notarii Sedis Apostolicae fuerunt numero septem, instituti a primordiis Ecclesiae, a SS. Clemente 1. Anthero etiam 1. et Julio similiter 1. ad res Martyrum, et quaecumque ad Eccclesiam pertinerent fideliter describenda, et descripta scriniis Ecclesiae recondenda, ut dicit Sixtus V. in cit. Constitut. *Romanus Pontifex.* Ideoque praecipuum eorum munus versatur in processibus, qui fiunt super Canonizationibus, seu Beatificationibus Servorum Dei, et in registrando acta Summorum Pontificum, et Ecclesiae. Card. de Luca *loc. cit. num.* 2. Card. Baronius *ad annum* 238. *num.* 1. et alii.

4 Istud Collegium septem Notariorum Sedis Apostolicae fuit ampliatum ad numerum duodecim a Sixto V. Constitut. incip. *Romanus Pontifex;* maximisque privilegiis fuit decoratum ab eodem Sixto V. in cit. et alia Constitut. incip. *Laudabilis:* Et in primis §. 3. Doctorandi facultatem concedit; Et §. 4. Notarios creandi; Et §. 4. Spurios Legitimandi ad successionem bonorum etiam Ecclesiasticorum: Et §. 6. statuta pro Collegio condendi. Et §. 7. Familiares Papae, et Praelati domestici declarantur. Et §. 8. concedit ut panem honoris quotidie, et vestes in coronatione, et morte Papae, et locum in Cavalcatis Pontificalibus habeant. Et §. 9. Ut Litterae Apostolicae gratis pro eis expediantur. Et §. 10. ut emolumenta illis assignata nusquam eis diminuantur. Et §. 11. Licentiam dat deferendi arma pro ipsis, et eorum familiaribus. Et §. 12. Facultatem eis concedit testandi, etiam de acquisitis ex bonis Ecclesiasticis pro ducatis duobus mille. Et §. 13. eos eximit, et totaliter liberat a quorumcumque Ordinariorum locorum, et aliorum omnium Judicum jurisdictione, potestate, superioritate, et dominio, ac Sedis Apostolicae jurisdictioni, et potestati dumtaxat immediate subjicit. Et §. 14. Facultatem concedit creandi quolibet anno unum Notarium, seu Protonotarium Titularem, non participantem. Et §. 15. Locum eis designat in Signaturis: Et §. 16. Pariter in actibus publicis Consistorii. Et §. 17. Canonizationibusque Sanctorum. Et §. 18. Consistoriis quoque publicis, et Capellis. Et §. 19. concedit ut habeant monetas argenteas, et aureas Coronationis. Et §. 20. Constituit, quando Papae serviant. Et §. 21. Quando utantur Pontificalibus. Et §. 22. Altarique portatili.

Officium Protonotariorum Apostolicorum Participantium est venale ratione emolumentorum 5
valoris scutorum duodecim mille circiter, magis, vel minus juxta diversas temporum contingentias, ex quibus emolumenta crescere, vel decrescere solent: Card. de Luca *loc. cit. n.* 2. Cardin. Petra *loc. cit. n.* 29. ubi dicit esse in pretio scutorum 14. mille circiter.

Hoc Protonotariorum Collegium fuit semper in 6
maxima veneratione, et in illud admitti non solent, nisi nobilissimi, et undequaque ornatissimi viri; Unde ex illorum numero quamplurimi ad Cardinalatum, et multi etiam ad Summum Pontificatum promoti fuerunt, ut tradunt Card. Petra *loc. cit. n.* 22. Barbosa *l. c. n.* 7. et alii passim.

Olim isti Protonotarii habebant praecedentiam 7
super Episcopos, ac consequenter super omnes Praelatos, ut inter alios tradit Cardin. Petra *loc. cit. n.* 3. At Pius II. Const. incip. *Cum servare*, praecedentiam Episcopis, etiam electis, super Notarios Papae, vulgo Protonotarios nuncupatos, deberi statuit ubique in Curia, et extra.

8 In Consistoriis vero publicis quatuor Notarios assistere decrevit proximiores Solio Pontificio bonorabiliori loco, ut videri potest in d. Constitutione. In ipsis enim publicis Consistoriis, ubi de rebus, quae geruntur, authentica conficiunt instrumenta rogari consueverunt, quatuor ex eis, qui *Numerati* dicuntur, aut ipsis absentibus, totidem ex aliis secundum institutionem eorum seniores, juxta gradum Apostolici Solii honorabiliorem occupant locum, Sedique Pontificiae proximiores assident; Sicque isti Protonotarii in equitationibus solemnibus, quae fiunt occasione Possessionis Romani Pontificis apud Ecclesiam Lateranensem, in ingressu Regum, et Magnorum Principum, ac hujusmodi, praecedentiam habent super Episcopos, et Archiepiscopos non Assistentes; Tunc enim primum locum occupant Episcopi Assistentes Capellae Pontificiae, deinde Protonotarii, et post eos accedunt Archiepiscopi, et Episcopi non Assistentes, aliique Praelati juxta eorum ordinem. Sic Cardin. de Luca *loc. cit. n.* 3. Cardin. Petra *loc. cit. n.* 10. Barbosa *loc. cit. n.* 8. et alii passim.

9 Protonotarii Apostolici in Capella Pontificia, aliisque actibus distinctis a mox dictis praecedunt quoscumque alios Praelatos non Episcopos; Sicque praecedunt Auditores Rotae, Clericos Camerae, aliosque inferiores Praelatos, ac Generales Religionum; Cardin. de Luca *loc. cit. n.* 2. Cardin. Petra *loc. cit. n.* 13. et alii communiter; et colligitur ex cit. Const Pii II. Incip. *Cum servare*: ubi statuitur, quod ubique habeant locum post Episcopos.

10 Item praecedunt Sacristam Papae, si non sit Episcopus: *Sac. Rit. Congreg.* 11. *Febr.* 1598. *et* 13. *Januar.* 1601. Cardin. Petra *loc. citat. n.* 14. et alii communiter innixi dictae Const. Pii II. *Cum servare.*

11 Insuper praecedunt Praeceptorem Hospitalis S. Spiritus Urbis, Archimandritam Messanensem, et Abbates usum Mitrae habentes, ac Correctorem Cancellariae: Sic expresse *Sac. Rit. Congr.* 13 *Julii* 1601. apud Barb. *loc. cit. num.* 8. Card. Petra *loc. cit. num.* 15 et alii passim per cit. Const. Pii II. *Cum servare.*

12 Item praecedunt omnes Canonicos Patriarchalium Urbis, tam in ipsis Patriarchalibus, quam in quibuscumque Cathedralibus extra Urbem; sic servari mandavit *Sac. Rit. Cong.* cum oraculo Pauli V. *sub die* 4. *Maii* 1613. testibus Barb. *loc. cit. num.* 10. Card. Petra *loc. citat. num.* 21. et Nov. *in Summa Bullar. tit. de Protonotariis n.* 8.

13 Protonotarii participantes induunt Vestem, et Mantelleittam violaceam cum usu Rochetti in publicis functionibus, et habent in pileo privative quoad alios Praelatos floccum rosacei coloris, nec non pileum Praelatitium nigrum cordulis violaceis circumdatum cum floccis dicti coloris rosacei, *Sac. Rit. Congr. in causa Urbis Protonotariorum* 17. *Febr.* 1617. apud Barb. *loc. cit. nu.* 7. et tradit expresse Card. Petra *loc. cit. num.* 23. qui immediate sub *num.* 24. sic subjungit.

Quoad pileos usuales fuit habita Congregatio 14
quaedam particularis *die* 6. *August.* 1674. in causa Vittae Protonotarii; et inter positiones Card. Casanate reperitur sequens adnotatio.

Die 6. *August.* 1674. *Vittae Protonotariorum.*

« In Congregatione particulari habita in aedibus Eminentissimi Brancatii, in qua interfuerunt idem Eminentissimus, nec non Eminentiss. D. D. Cardinales Rasponus, de Maximis, Carpineus, et Casanato, in praesentia a secretis Congregat. Rituum, fuit propositum votum, An Collegio D. D. Protonotariorum participantium concedenda sit facultas Vittae argenteae in pileo, attento, quod vitta violacea ex concessione Apostolica fuit concessa Auditoribus Rotae, et Clericis Camerae Apostolicae, Eminentissimus Brancatius dixit, posse concedi; Ementiss. de Maximis non esse concedendum, quia metalia sunt promiscua, et talis concessio forsan esset injuriosa Sacro Collegio. Eminentissimus Carpineus dixit, posse concedi Vittam coloris rosacei, nec non tintinnabula in cingulo. Eminentiss. Casanato in voto Eminentiss. Carpinei. Omnes tandem convenere in Voto Eminentissimi Carpinei quoad Vittam tantum ».

In Capella Pontificia Protonotarii Participantes 15
utuntur Cappis juxta morem aliorum Praelatorum, nunquam tamen Cottis super Rochettum, uti utuntur Auditores Rotae, Clerici Camerae, et alii inferiores Praelati in Processionibus, et certis aliis actibus; Isti enim Protonotarii semper incedunt cum cappis. Sic expresse Cardin. Petra *loc. cit. num.* 25.

Unus istorum Protonotariorum Participantium 16
semper intervenit in Congregatione de Propaganda Fide, in Congregatione Sacrorum Rituum, et in confectione Processuum Canonizationum, seu Beatificationum Servorum Dei, Cardin. de Luca in *Relatione Romanae Curiae discurs.* 18. *num.* 14. *et disc.* 44. *nu.* 4. Card. Petra *loc. cit. n.* 27. Vide supra *num.* 5. §. 17. Constitutionem Sixti V.

Collegium Protonotariorum Participantium te- 17
nere solet Capellas, prout quolibet anno eam tenent in Ecclesia S. Andreae de Valle Clericorum Regularium, in Festivitate S. Cajetani, qui de eodem Collegio fuit, teste Cardin. Petra *loc. cit. numer.* 26.

Protonotarii Apostolici participantes nequeunt 18
promovere absentes ad gradus Doctoratus: Bened.
XIV. *tom.* 1. Const. 106. incip. *Inter Conspi-*
cuos, §. 23. Praesentes vero in Urbe, nonnisi
sex in singulos annos servatis servandis, et cum 19
conditionibus praescriptis; Idem *ibid.* §. 25. Pro-
tonotariorum non participantium numerus imme- 20
rito incusatur: Idem Const. incip. *Quamvis* §.
1. *et* 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

21 De origine Protonotariorum vide, si iubet, *Macri in Hierolexic. verb. Protonotarius*, *Cardinal. Jacobat. de Concil. lib.* 3. *art.* 5. *Felic. Anton. Guarner. de Eccles. militant. l.* 4. *c.* 7.

22 Duo vero hic non sunt omittenda. Alterum est, quod ex Constitutione S. M. Benedicti XIV. data quarto Kalendas Septembris 1745. de qua meminit etiam Auctor *supra nu.* 18. *et* 19. Collegio Protonotariorum de numero participantium non licet hodie ad Doctoratus gradum absentes promovere, praevio examine in partibus expiendo, sed solum conceditur sex personas singuli annis in Urbe vere, et realiter praesentes praevio rigoroso examine personaliter, et collegialiter per ipsos Protonotarios faciendo promovere. Et numerus dictorum sex Doctorum quavis de causa uno anno non completus haud potest subsequentibus annis suppleri. Qui vero ita ab hoc Collegio in Urbe ad Doctoratus gradum promoveantur, iisdem gaudent privilegiis, quibus gaudent promoti ab Archigymnasio Sapientiae etiam ad effectum assequendi Ecclesias Cathedrales.

Alterum, quod hic expendere necessarium est, 23
an vacato per contractum Matrimonii Protonotariatu, Reservatarius decreti amittat pretium? Rationes hinc inde affert *Rigant. in commentar. ad Regul. Cancellar. Regul.* 58. *a num.* 87. *ad plur. sequent.* et pro affirmativa opinione de rigore juris concludit; sequitatem vero habere subdit opinionem negativa: « Et aequitatem hanc sequutus (*inquit*) S. M. Clemens. XI. quum anno 1705. per matrimonium contractum a Principe Hieronymo Pamphitio vacasset Protonotariatus per ipsum obtentus, pro cujus pretio, et emolumentis reservatum erat decretum favore clar. mem. Principis Joannis Baptistae Patris, mandavit ex gratia Protonotariatus pretium eidem Principi Patris restitui ».

PROTONOTARIUS TITULARIS, SEU EXTRA NUMERUM

SUMMARIUM

1. Protonotarius titularis, seu extra numerum potest in Ecclesia, et functionibus Ecclesiasticis deferre Habitum Praelatitium. — 2. Protonotarius titularis praecedit Canonicis Cathedralium uti singulis, non autem Collegialiter. — 3. Protonotarius titularis non debet ratione sui protonotariatus munera aliis de Jure, seu de consuetudine spectantia sibi vindicare. — 4. Protonotarius titularis paramenta benedicare non potest. — 5. Protonotarius titularis non potest paramenta sumere pro Missa ab Altari, sed in Sacristia, sicut caeteri. — 6. Protonotarii titulares post Abbates, et non supra sedere debent. — 7. Protonotarii titulares locum digniorem cedere debent Officialibus Episcopi, et Dignitatibus Cathedralium. — 8. Protonotarii titulares neque supra, neque inter Canonicos locum habere debent. — 9. Protonotarii titulares in Conservatores deputari possunt. — 10. Protonotarius titularis gaudet Fori privilegio in Civilibus, et criminalibus causis. — 11. Protonotarius titularis qualiter sit exemptus a Jurisdictione Ordinarii. — 12. Protonotarius et Dignitas non potest Abacum praeparare, dum celebrat more Praelatorum. — 13. Protonotarius titularis potest apponere Pileum super insignibus, et habere annulum, dum celebrat, dummodo non cum gemma. — 14. Unde quamvis Protonotarii titulares non possunt in Missa gestare annulum cum Gemma. — 15. Possunt tamen ipsi, sicut et Canonici in Missa gestare illum sine Gemma, et sine aliqua Effigie. — 16. Protonotarii titulares possunt concionari cum Mantelletta, et Rocchetto — 17. Canonicus Protonotarius incedere potest cum Habitu Praelatitio, et summum retinere locum in Choro. — 18. Alia, ad rem, *remissive*, — 19. Subnect. addit. ex al. man. *ad n.* 27.

1 Protonotarius titularis, seu extra numerum, non potest prohiberi deferre Habitum Praelatitium, nempe Rochettum cum Mantelletta coloris violacei, et in Ecclesiis, et functionibus Ecclesiasticis cum eodem habitu incedere, et sedere juxta dispositionem Caeremonialis, *lib.* 1. *cap.* 13. *Sac. Cong. Rit. in Mazarien.* 28. *Sept.* 1630. *et in Catanien.* 5. *Julii* 1631.

2 Protonotarius titularis praecedit Canonicis Cathedralium uti singulis, non autem Collegialiter: *Sacr. Congr. Rit. in Concord.* 16. *Maii* 1601. *et* 12. *Julii* 1603.

3 Protonotarius titularis non debet ratione sui Protonotariatus munera aliis de Jure, seu de consuetudine spectantia, sibi vindicare: *Sac. Congr. Rit. in Caputaquen.* 16. *Maii* 1601.

4 Protonotarius titularis paramenta benedicere non potest: *Sacr. Congregat. Rituum die* 27. *Julii* 1627.

Protonotarius titularis non potest paramenta 5
sumere pro Missa de altari; sed in Sacristia ut ceteri: *Sacr. Congreg. Rit. in Asculana in Apulia* 6. *Mart.* 1610.

Protonotarii titulares post Abbates, et non su- 6
pra, sedere debent: *Sacr. Congregatio Rituum in dicta Asculana in Apulia* 6. *Martii* 1610.

Protonotarii titulares tam in Sessionibus in Ec- 7
clesia, quam in Processionibus debent cedere locum digniorem Officialibus Episcopi, et Dignitates obtinentibus, et Canonicis Ecclesiarum Cathedralium: *Sacr. Congreg. Rit. in causa Castellae*, *et Legionis* 30. *Aprilis* 1604. Clemens VIII. Constitut. incip. *Decet Romanum*.

Protonotarii titulares neque supra, neque inter 8
Canonicos locum habere debent: *Sacra Congregatio in Spoletana Terrae Casciae* 23. *Martii* 1619.

Protonotarii titulares in Conservatores deputa- 9
ri possunt: *Sacr. Cong. Conc. de anno* 1630. a-

pud Barbosam in *Summa Const. Apost. verb. Protonotarius titularis num.* 18.

10 Protonotarius titularis in Habitu Clericali incedens, tam in Civilibus, quam in Criminalibus causis Fori privilegio gaudet, quamvis non sit adscriptus servitio alicujus Ecclesiae: *Sacra Congr. Concilii in Toletana* 27. *Mart.* 1632.

11 Protonotarius titularis ex privilegio in Civilibus est exemptus a Jurisdictione Ordinarii quoad causas excedentes summam 25. Ducatorum, Leo X. *Const.* 10. incip. *Regimini*; Concil. Lateranen. V. *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 11. non derogavit privilegiis Protonotariorum, nisi in causis Criminalibus, prout declaravit *Sacr. Cong. ejusdem Concilii in Papien.* 14. *Decembris* 1630. apud Barbosam supra Conc. Trid. *loc. cit. num.* 2. *et in Summa loc. cit. num.* 3.

12 Protonotarius ut Dignitas non potest praeparare Abacum, dum celebrat more Praelatorum: *Sac. Cong. Rit. in Comaclen. et Neocastren.* 21. *Augusti* 1601.

13 Protonotarius titularis non participans potest apponere Pileum super insigniis, et habere annulum, dum celebrat, dummodo non cum Gemma: *Sacr. Congreg. Rit. in d. Comacl. et Neocastren.* 21. *Augusti* 1601. apud Cordubam *in Prax. dispens. Apostolicar. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 52. Barbosa in Summa decis. *Apostol. verb. Protonotarius titularis num.* 6. Pitno. *Constitut. et Decis. ad Canonicos num.* 119.

14 Unde quamvis Protonotarii titulares non possint in Missa gestare annulum cum Gemma, ut censuit *Sac. Cong. Rit. in d. Comaclen. et Neocastren.* et alias *die* 13. *Februarii* 1625. *et* 20. *Novembr.* 1620. apud Pitton. *loc. cit. num.* 459. ex Gavant. his verbis: *Annuli usus prohibetur Protonotariis non participantibus, Doctoribus quibuscumque, Canonicis Cathedralium*; Tamen *die*

15 4. *Augusti* 1663. *Ead. Sacr. Congr. Rit.* apud eumdem Pitton. *loc. cit. num.* 722. ex eodem Gavant. statuit, ut sequitur: *Possunt Canonici Missam celebrare cum annulo aureo, et de rigore uti, sed sine Gemma, et sine aliqua effigie.*

16 Protonotarii titulares possunt concionari cum Mantelletta, et Rochetto. Vide verb. *Praedicator. num.* 93.

17 Protonotarius incedere potest cum Habitu Praelatitio, et suum retinere locum in Choro: *Sacr. Congr. Rit. in Burgi Sancti Sepulcri* 22. *Aug.* 1722. teste Ursaya *in Miscell. primo littera C. n.* 36.

18 Alia, quae concernunt Protonotarios Canonicos; Vide verb. *Canonicus art.* 9. *a num.* 81. *ad* 90. ad Resolutiones *Sacr. Congreg.* in nostro relatas *tom.* 8.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Protonotarii de quibus hic agitur, creari possunt non solum a Papa, sed et a Legatis de latere, aliisque, quos recenset *Rigant. in commentar. ad Regul. Cancellar. Regul.* 1. §. 4. *numer.* 45. et quidem etiam in Urbe, quum agatur de actu voluntariae jurisdictionis, qui ubique locorum etiam in Urbe, Sommo Pontifice non absente, exerceri potest; *Ventriglia in Prax. part.* 1. *adnot.* 26. *n.* 15. *Rota cor. Puteo decis.* 162. *lib.* 1. Confer etiam Rigant. *ib. n.* 137. *et seq.* 19

Omnium autem horum Protonotariorum Beneficia sunt reservata vigore *Extravagantis, Ad Regimen, et Regulae prim. Cancellar.* Confer *Rigant. ubi supra num.* 46. *et plur. sequent.* ubi quid in Germania, tum quid in Polonia servetur, quoad reservationem hanc. 20

Ut autem locum sibi vindicet haec reservatio, debet Protonotariatus probari, et quidem *plene, et concludenter*, sive agatur de ea probanda favore S. Sedis, sive favore Protonotarii. Praesertim si ex capite Protonotariatus induci praetendatur reservatio contra Reum, et possessorem Beneficii, atque in ea per provisum Apostolicum reponatur principale fundamentum gratiae tendentis ad irritam declarandam praecedentem collationem Ordinarii; *Riganti loco citato num.* 61. *et plur. sequent.* ubi et de concludentibus modis ipsum probandi agit, examinatque, an per Testes probari ipse valeat. 21

Quaestionis etiam est, an necessaria sit acceptio Protonotariatus, ad effectum reservationis: Vide et de ea eumdem *Riganti eodem loc. a n.* 75. *ad plur. seq.* 22

Convenit vero inter omnes, quod Beneficia Protonotariorum sint reservata, etiamsi ii fidei professionem, et fidelitatis juramentum non emiserint, tum propria insignia non assumpserint; *Rot. cor. Caprar. decis.* 131. *n.* 10. *et seq. et in Segobien. Beneficii cor. Lancett. decis.* 1292. *n.* 8. *cor. Crisp.* §. *Quinto.* 23

Quinimmo, et reservata sunt Beneficia illius, qui fuit Protonotarius *de facto*, et non *de jure*; maxime si publice, et palam se gesserit uti Protonotarius, nam sicuti sustinentur actus ab eo gesti, ita illius Beneficia sunt reservata; *Rigant. loco toties memorato n.* 123. *et plur. seq.* 24

Protonotariatus vero, qui concedi solet Comitibus Domus Sfortiae, reservationem non inducit. Nec eum admittit Secretaria Brevium. 25

PRUDENTIA

VIDE VERB. *VIRTUS* N. 96.

PSALMUS, PSALTERIUM

SUMMARIUM

1. Psalmus quid sit? — 2. Psalterium quid sit? — 3. Psalterium ad quid antiquitus inservierit, et ad quem usum fuerit deinde translatum? — 4. Apud Ecclesiasticos pro psalterio intelligitur Liber psalmorum. — 5. Psalterii versus, etsi in nostra lingua sine metro procedant, apud Hebraeos tamen sunt versus metrici ex pedibus lyricis. — 6. Quisnam fuerit psalmorum Auctor? *ad num.* 10. 11. Liber psalmorum, seu psalterium constat ex 150. Psalmis, cujus numeri assignantur mysticae rationes. — 12. Psalmorum alii sunt Invitatoriales, alii Poenitentiales, et alii Graduales Invitatorialis est unicus. — 13. Poenitentiales sunt septem maxima utilitate a poenitentibus lecti, seu recitati — 14. Cur psalmi poenitentiales sint septem? — 15. Graduales numero sunt 15. et cur dicantur Graduales. — 16. Psalmorum, et Hymnorum cantus fuit in usu a tempore Apostolorum — 17. An jam etiam a tempore Apostolorum fuerit in usu alternus psalmorum cantus? Et quis inter Latinos invexerit in Ecclesiam alternum eorum cantum? — 18. Sanctus Damasus Papa Decreto generali firmavit alternum psalmorum cantum, et communem fecit toti Ecclesiae, statuens insuper, ut in finem cujuslibet psalmi diceretur *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto etc.* — 19. Psalmi uti modo recitantur in Divino Officio, a quo fuerint sic partiti, et distributi? — 20. Cur decem, et octo psalmi sint constituti, et distributi in Matutinis Dominicarum? — 21. Cur duodecim constituti, et distributi in Matutinis Feriarum? — 22. Cur novem constituti, et distributi in Matutinis Festorum Domini, et Matutinis de Sanctis? — 23 Cur quinque in Laudibus: et quare dicantur quinque, licet vere sint octo? — 24. Psalmi Laudum dicuntur quinque, licet quartus sit proprie Canticum, et cur? — 25. Ex dictis quinque Laudum psalmis duo mutantur in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam palmarum inclusive, et cur? — 26 In Laudibus ferialis Officii per annum cur primus psalmus sit *Miserere*, et varietur secundus? — 27. In Laudibus qualibet die hebdomadae loco quarti psalmi ponitur unum Canticum, et cur? — 28. Canticum quid significet? — 29. Laudes cur sin dictae: et cur Canticum in ipsis sumatur pro psalmo? — 30. Psalmus quid sit? — 31. Canticum quid sit? — 32. In prima Dominicis diebus per annum, et Feriis, Sabbato excepto, recitantur quatuor psalmi, et cur? — 33 In Festis autem totius anni, et Dominicis tempore paschali recitantur tantum tres, et cur? — 34. In Tertia, Sexta, et Nona recitantur tres psalmi, et cur? Et quare pro Prima, Tertia, Sexta, et Nona simul recitentur psalmi duodecim. — 35 Dicti Divinarum Horarum psalmi a *Beati Immaculati in via*, usque ad *Principes persecuti sunt me gratis* non sunt revera distincti psalmi, sed potius unicus tantum psalmus distributus in plures partes, quarum quaelibet ex 16. versibus est constituta, et cur? — 36. In Vesperis quinque recitantur psalmi, et cur? — 37. In Completorio quinque recitantur psalmi, et cur? — 38. Si dividantur omnes psalterii psalmi per Horas, ad Matutinum recitantur in tota hebdomada 91. Ad Laudes 13. Ad Vesperas 35. Ad alias Horas 11. qui omnes simul faciunt 150. quibus constat psalterium. — 39. Psalterium, quo utitur Romana Ecclesia, est ex translatione S. Hieronymi, et differt a psalterio translationis LXX. Interpretum, quod adhibetur Romae in Æde Vaticana S. Petri. — 40. Unde psalterium exceptum ab Officio Divino a S. P. N. Francisco est illud translationis LXX. Interpretum. — 41. Ultra supradictos 150. psalmos habentur in Breviario septem Cantica distributa, et posita in unaquaque die hebdomadae loco quarti psalmi Laudum, et assignantur. — 42. Ex Evangelio habentur in Breviario alia tria Cantica, nempe *Magnificat* pro Vesperis, *Benedictus* pro Laudibus, et *Nunc dimittis* pro Completorio. — 43. Etiam varii psalmi praenotantur in psalterio cum titulo *Cantici*, et alii cum titulo *Psalmus Cantici*. — 44. Assignatur in quibus differant psalmus Canticum, psalmus Cantici, Canticum psalmi, et Hymnus? — 45. Psallendi ordo sequendus, quem tenet Ecclesia Metropolitana. — 46. Psalmi vulgares non possunt in Ecclesia recitari. — 47. Psalterium B. M. V. constans ex 150 Ave Maria est cum Indulgentiis concessum a Sixto IV. — 48. Psallendi debitum omnibus in choro incumbit.

1 Psalmus vox est Hebraea, significans Cantum, Oden, Hymnum; Beyerlinck in *Theatro vitae humanae verb. Psalmus litt. E.* Unde apud Ecclesiasticos Scriptores Psalmus intelligitur carmen sacrum, sive Dei laus metrice scripta, sive solo ore, sive instrumento decantata. Quamvis Psalmus generice captus etiam de profanis cantionibus, et quae ad quodcumque musicum instrumentum recitantur, accipiatur. Idem *ibidem.*

2 Psalterium dicitur Vas musicum decem chordarum; Tostat. *Comment. in* 1. *Paralipom. pag.* 297. *col.* 1. Unde Scriptura saepius Psalterii decem chordarum meminit. Hoc decachordum Psalterium pulsatur a parte inferiori, et reddit sonum a superiori; Et Hebraice vocatur Nablum, et Psalterium, Graece Organo; Tostat. in *Genes. fol.* 44. *eod.* 2.

Psalterium, ut opinatur Euthymius apud Beyerlinck *loc. cit.* antiquitus muicendo gregi serviebat. At David ejus usum sapienter ad Dei cultum transtulit, cantoresque instituit, quod primum fecit in translatione Arcae ex domo Obededom, 1. *Paralipom. cap.* 15. Unde usus invaluit, quod apud Ecclesiasticos pro Psalterio intelligatur Liber Psalmorum, juxta illud *Lucae* 29. *n.* 42. *David dicit in Libro Psalmorum*, et illud *Actor.* 1. *n.* 20. *Scriptum est enim in Libro Psalmorum.* 3

Psalterii versus, etsi in nostra lingua sine me- 5

tro procedant, apud Hebraeos tamen versus metrici sunt ex pedibus lyricis, juxta illud: *Psalterium lyrici composuere pedes.* Et dicuntur pedes lyrici, quia ad lyram concinentem dicebantur, scilicet Citharis, Organis, et musicis instrumentis; Tostat. *in Genes. fol.* 44. *col.* 1.

6 Quoad Psalmorum Auctorem, seu Auctores, varii varia sentiunt. Ludovicus enim Vives *in cap.* 14. *lib.* 17. *de Civitat.* asserit ante Origenem nullum fuisse dubium apud Judaeos, Davidem omnium Psalmorum esse Auctorem: Postquam vero Origenes summa sua eruditione coepit ostendere quaecumque in Prophetis, maxime in Psalmis contenta, ad Christum jam natum pertinere, Judaei talibus convicti fortissimis argumentis ad novas opiniones veteribus suorum Magistrorum contrarias confugerunt: Alii solum illorum Psalmorum; qui ejus nomine inscribuntur, Auctorem Davidem asserentes; Alii novem solummodo ab eo conscriptos, ceteros vero ab illis, quorum nominibus praenotantur, fuisse dictatos, sustinentes: Inde factum est, ut etiam Sacri Interpretes Christiani in varias abierint sententias. Sanctus enim Augustinus, Theophylact. Euthymius, et hos secuti Emmanuel Sa, Mariana, et alii apud Tirinum *praef. in l. Psalmorum*, volunt solum Davidem omnium Psalmorum fuisse Auctorem. Et de facto Sanctus Augustinus, *l.* 14. *de Civitate Dei cap.* 17. sic expresse dicit: *Mihi credibilius videntur existimare, qui omnes illos centum quinquaginta Psalmos Davidis operi tribuunt.* Et quamvis ipse Sanctus Augustinus *t.* 9. *impressionis Lugdunensis de anno* 1664. *in expositione tituli primi Psalmi* dicat; *Non enim omnes psalmi a David editi sunt .... David ergo solus novem psalmos ore proprio cecinit:* Haec aliena manu in textum Augustini irrepsisse Eruditi animadvertunt, ut notat Calmet in *Dictionario Sacrae Scripturae verb. Psalmi vers. Haec pro Davide.* Et quod solus David omnium sit auctor Psalmorum dedueit Cassiodorus *Praef. in Psalm.* ex constanti usu, et traditione Ecclesiae, ibi: « Usus Ecclesiae Catholicae Spiritus Sancti inspiratione generaliter, et immobiliter tenet, ut quicumque eorum cantandus fuerit, Lector aliud praedicare non audeat, nisi psalmos David ». Quod et tenet Theodoretus, Chrysostomus, et alii *Praefat. in Psalm.* et Gavant. *tom.* 2. *sect.* 5. *cap.* 8. *nu.* 4. vocat sententiam hanc communiorem. Immo S. Philastrius Haeresi 126. inter Haereticos reputat, qui secus senserit.

7 Et hanc sententiam de solo Davide omnium Auctore Psalmorum colligunt supradicti ex variis Scripturae locis, et in primis ex 2. *Regum cap.* 23. *num.* 1. ubi David ipse haec de se prodit *Dixit David David filius Isai .... egregius Psaltes: Spiritus Domini locutus est per me.* Item ex 2. *Paralipomenon cap.* 7. *num.* 6. ubi expresse dicitur: « Sacerdotes autem stabant in Officiis suis, et Levitae in Organis carminum, quae fecit David ad laudandum Dominum, quoniam in aeternum misericordia ejus, hymnos David canentes per manus suas ». Et variis aliis veteris Testamenti relictis Textibus, in Testamento novo *Lucae cap* 20. *num.* 42. aperte dicitur *David dicit in Libro Psalmorum,* et concordant *Matth. cap.* 22. *num.* 43. et *Marc. cap.* 12. *n.* 36.

Contrariam sententiam, nempe non omnium Psalmorum Auctorem esse Davidem, defendunt Sanctus Hieronymus, Hilarius, Tostatus, Tirinus, et alii plures dicentes, varios Psalmos a variis Prophetis compositos fuisse, iis nempe, qui in Titulis subinde praenotantur, v. g. Asaph, Moyse, Ethan, Eman, Idithum, et tribus filiis Core, sed plures a Davide; Quos deinde Esdras simul omnes in unum volumen compegit, et incaepit esse liber Psalmorum. Et revera Sanctus Hieronymus *Epist. ad Cyprianum* diserte pronunciat: *Scimus errare eos, qui psalmos omnes David arbitrantur, et non eorum, quorum nominibus inscripti sunt.* Et distinctius *Epist. ad Sophronium* scribit: « Psalmos omnes eorum testamur Auctorum, qui ponuntur in titulis, David scilicet, Asaph, et Idithum filiorum Core, Eman, Esraitae, Moysis, et Salomonis, et reliquorum, quos Esdras primo volumine comprehendit ». Et Sanctus Hilarius *Praefat. in Psalm. et Comment. in Psalm.* 131. expresse dicit: « Absurdum est psalmos David dicere, vel nominare, cum ibi Auctores eorum ipsis inscriptionum titulis commedantur »; et Tostatus *Praefat. in lib. Regum qu.* 20. *vers. Respondendum est de psalmis,* ait: « Quamquam David fecerit quosdam psalmos, tamen non omnes, feruntur enim fuisse decem Auctores Psalmorum ». Quod et clarius dicit *in cap.* 22. *Matth. q.* 340. Et Tirinus *Praefat. in lib. psalm.* probabiliorem hanc vocat sententiam, quia in fine Psalmi 71. desinere dicuntur Psalmi Davidis, ibi: *Defecerunt laudes filii Jesse*, et mox subnectuntur Psalmi Asaph Prophetae, ut patet in titulo Psalmi 72. Et 2. *Paralipomen. cap.* 29. *n.* 30. praecepit Ezechias Levitis, ut cantent Psalmos non modo Davidis, sed etiam Asaph: « Praecepitque Ezechias, et Principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, et Asaph videntis ». 8

Unde quamvis difficile sit in hac ancipiti materia quidquam certi statuere, tamen probabilius est, Davidem solum non omnium Psalmorum esse Auctorem, sed et alios, qui in eorum titulis praenotantur. Hinc ad Scripturas, et Auctoritates pro prima sententia adductas, quibus videtur innui Davidem unicum esse Psalmographum, respondetur, quod ipsi totum Psalterium videtur tribui, eo quod ipse plures ediderit Psalmos, quam aliquis aliorum Auctorum, immo quam omnes alii simul, ut vult Tostatus *in Matth. c.* 22. *q.* 346. Quemadmodum Ciceronianum Epistolarum volumen, etsi aliorum plurimorum Epistolis ad eum scriptis constet, uni tamen Ciceroni, cujus est major Epistolarum, pars tribuitur. Vel ideo omnium Psalmorum Auctor unus David innuitur, ac 9

dicitur, quia nedum ipse solus plurimos edidit, sed et editos ab aliis ipse recensuit, et modulationi, ac musicis instrumentis aptavit: Unde notabile est illud *Ecclesiastici cap.* 47. *num.* 10. 11. ubi dicitur, quod *David de omni corde suo laudavit Dominum . . . . , et stare fecit Cantores contra Altare, et in sono eorum dulces fecit modos.* Hanc sententiam, ultra recensitos numero immediate antecedenti, tuentur etiam Eusebius Caesariensis *Praefat. in psalm. et in Inscript. psalm. et in psalm.* 41. 60. *et* 62 S. Athanasius *in psalm. p.* 70. *tom.* 2. *nov. edit. Collect. Graecor. PP.* et Auctor Synopsis, quae ipsi Sancto Athanasio tribuitur, in qua Synopsi, ut notat Calmet *in Dictionario Sacrae Scripturae verb. Psalmi vers. Nec Patres Graeci*, Psalmi quidam Auctoribus, Idithum, Asaph, Filiis Core, Aggaeo, Zachariae, Eman, quidam vero quibus Alleluja inscribitur hisce omnibus simul tribuuntur: Quod autem (ait ejus libri Auctor) Psalterium Davidis nomen exhibeat, ipse David in causa fuit, qui primus Psalmorum inventor habetur, et quorumdam Psalmographorum munera, et tempora direxit. Haec ille Sic etiam Frassen *Disquisition. Biblic.* §. 11. *de libro psalmorum num.* 9. Cajetanus, aliique plures. Vide Cantipratensem 4. *Hypotyposeon cap. ultim.* et Bellarminum *in Praefat. ad explanat. in psalmos*, ubi eos vocat Davidis, qui carent titulo, et eos item, qui nomen David in titulo praeferunt quocumque casu sive Genitivo, seu Dativo.

10 Hinc fidem adhibendo titulis nostrorum Bibliorum, sub Davidis nomine 72. Psalmi producuntur, nullo inscripti nomine 40. quos tamen ad praecedentis Psalmi Auctores Rabbini referendos censent. Hanc Judaeorum traditionem probant S. Hieronymus *in Malachiam*, et *Epist. ad Cyprian.* Sanctus Hilarius *proleg. in psalm.* Sanctus Athanasius *Praefat. in psalm. t.* 2. *nov. edit* et Eusebius *in psalm.* 25. Filii Core Auctores laudantur Psalmorum 41. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 83. 84. 86. 87. Salomoni adscribitur Psalmus 71. *Deus judicium tuum*, et Psalm. 126. *Nisi Dominus*, Ethan Psal. 88. *Misericordias Domini*, Idithum Psal. 76. *Voce mea*, Moysi Psalm. 89. *Domine refugium*, Asaph Psalm. 46. *Deus Deorum Dominus*, Psalm. 72. *Quam bonus Israel Deus*, Psalm. 73. *Ut quid Deus*, Psalm. 74. *Confitebimur tibi Deus*. Item Psalmi a 75. usque ad totum 83. Adamo Psalm. *Bonum est confiteri Domino*. Melchisedecho Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo*. Jeremiae, et Ezechieli Psalm. 64. *Te decet Hymnus*, Jeremiae Psal. 136. *Super flumina Babylonis*, qui etiam Davidi tribuitur. Aggaeo, et Zachariae Psal. 111. *Beatus vir, qui timet Dominum.* Psalm. 145. *Lauda anima mea Dominum.* Sic expresse Calmet *loc. cit. vers. Si titulis.*

Liber Psalmorum, aut Psalterium constat ex centum et quinquaginta Psalmis (*) cujus numeri mysticas assignant causas Doctores, ut Trinitatis ob tres quinquagenarios Hieronymus, Augustinus, Remigius, Lombardus; ob Fidem, Spem, et Caritatem, per quas obtinemus Jubilaeum, Rupertus; ob status Poenitentium, Justorum, et Beatorum, B. Thomas: Sic Beyerlinchk *in Theatro vitae humanae verb. Psalmus* §. *Numerus.* Vel ob tres gradus vitae, seu viae spiritualis, nempe Purgativae, Illuminativae, et Unitivae: Frassen *l. c. num.* 6. et alii. 11

Psalmorum alii sunt Invitatoriales, alii Poenitentiales, et alii Graduales. Invitatorialis unicus est, scilicet 94. *Venite exultemus*, quem Ecclesia quotidie, paucis diebus exceptis, legit initio Matutini, ut per ipsum animae devotae invitentur ad Deo in corde cantandum, ejus inspirationibus prompte assentiendum, et ejus auxilium implorandum: Beyerlink *loc. cit.* §. *Partitio*, *et Varietas.* 12

Poenitentiales sunt septem, qui a Poenitentibus maxima utilitate leguntur, seu recitantur, cum exemplo Davidis eorumdem Auctoris ad Poenitentiam, et culpae detestationem excitent, Deum ad veniam, et misericordiam inciteat, eumque propitium reddant: Unde solent Litaniae Sanctorum illis addi, ut Poenitentes, multiplicatis Intercessoribus, apud Deum ab ipso facilius veniam peccatorum consequantur, juxta illud Ecclesiae in Oratione Festi omnium Sanctorum: *Ut desideratam nobis tuae propositionis abundantiam, multiplicatis Intercessoribus largiaris.* 13

Cur autem Psalmi Poenitentiales sint septem? Varias rationes assignat doctissimus Tostatus *in Genesim c.* 17. *q.* 606. quarum praecipuae sunt. Primo, quia inter omnes Psalmos solos istos septem invenimus, qui aperte loquantur de Poenitentia. Secundo, quia nos facimus poenitentiam de peccatis praecipue mortalibus, quae sunt septem. Tertio, quia numerus septenarius convenit remissioni peccatorum, et etiam poenis peccatorum; Unde Ecclesia septem assignavit Psalmos Poenitentiales, ut per ipsos significet nos petere veniam de peccatis, et poenam non inferri pro peccatis, cum utrumque Scriptura per septenarium significet. De remissione enim Peccatorum, quod significetur per numerum septenarium, patet *Matth. c.* 18. *n.* 21: *et* 22. ubi dicit Petrus ad Jesum: « Domine quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus, non dico tibi usque septies, sed usque septuagies sep- 14

(*) Hebraeorum tamen numerus, qui a nostro, et Graeco differt, uno Psalmo ad centesimus decimum tertium nos superat; Psalmum enim nonum *Confitebor* duas in partes dividunt, ac decimo Psalmo initium dant a versu 22. *Ut quid Domine recessisti longe.* Verum iidem Hebraei nobiscum subinde conveniunt circa Psalmorum numerum, centesimum decimum quartum, et centesimum decimum quintum, uti et centesimum quadragesimum sextum, et sequentem simul conjungentes. Neoterici haeretici eorum divisionem amplectuntur, Catholicis LXX. Interpretum partitioni adhaerentibus.

ties »: in quibus per dictum numerum septenarium designatur remissio universorum delictorum. De poenis autem patet *Gen.* c. 4. n. 16. ubi dixit Deus: *Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur*, et infra num. 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies*, ubi tota poena signata fuit per septem, adeoque conveniens fuit septem esse Psalmos Poenitentiales.

15 Graduales numero sunt 15. a Psalmo 119. usque ad 134. Dicuntur autem Graduales, quod veluti ad templum Salomonis ascendebatur 15. gradibus canendo ipsos 15. Psalmos, ita etiam Anima devota 15. his Psalmis velut gradibus ad Deum mente conscendat, et quae sursum sunt, sapiat. Unde Psalmi Graduales, appellantur in Textu Hebraeo Canticum ascensionum: Calmet *loc. c. vers. Psalmi Graduales, et vers Unde autem*, ubi testatur, quod sic vulgo censent Interpretes.

16 Psalmorum, et Hymnorum cantus fuit jam in
usu a tempore Apostolorum, ut patet ex Epist.
B. Pauli *ad Ephesios* c. 5. n. 19. ibi: *Loquentes*
vobismetipsis in Psalmis, et Hymnis, et Canticis
spiritualibus in gratia cantantes, et psallentes, et
ad Colossen. c. 3. n. 16. ibi: *Docentes, et com-*
monentes vosmetipsos Psalmis, Hymnis, et Canti-
17 *cis spiritualibus in gratia cantantes.* Et etiam jam
tempore Apostolorum fuisse in usu alterum Psal-
morum cantum probabile censet Beyerlinck in
Theatro vitae humanae, verb. Psalmus, vers. Est
tamen probabile. Nam, dicit ipse, Philo scribit ab
Alexandrinis suis Religiosis Viris id esse factum.
Inter Graecos videtur Dionysius *de Caelesti Hierar-*
chia c. 3. hunc innuere alternum cantum. Item
Basilius *Epist.* 43. qui testatur de ritu communi
omnibus Ecclesiis exemplo sumpto a cantu Anti-
phonarum Ignatiano; Ignatius enim Antiochenus
ex Cassiodoro in *Tripartita lib.* 10. *cap.* 9. post
quamdam visionem Angelorum unum ad alterum
cantantium Sanctus, Sanctus, praescripsit alter-
num cantum in Ecclesia Antiochena. Inter Lati-
nos autem S. Ambrosius Graecos imitatus ex Isi-
doro *lib.* 1. *de Offic. cap.* 7. et teste Augustino
lib. 9. *Confession. cap.* 6. primus invexit in Ec-
18 clesiam alternum cantum, quem S. Damasus Pa-
pa Decreto generali firmavit, et communem toti
Ecclesiae fecit, ut habetur in Breviario lect. 6.
ejus Festi; Qui ut patet ibid. etiam statuit, ut
in fine cujuslibet Psalmi diceretur *Gloria Patri*,
et Filio, et Spiritui Sancto etc.

19 Psalmi, uti modo recitantur in Divino Officio, fuerunt partiti, et distributi a S. Hieronymo, (*) qui 18. constituit in Matutinis Dominicarum, 12. in Matutinis Feriarum, 9. in Matutinis Festorum, et ad Horas Ambrosium secutus distribuit in plures partes Psalm. 118. *Beati immaculati*, quo ordine recitari praecepit S. Damasus ex Baronio *anno* 60. Gavant. *Comment.* in *Rubric. Breviarii tom.* 2. *sect.* 5. *cap.* 8. *num.* 8. et aliis. Et de hoc habetur Decretum Gregorii VII. *in c. In die* 14. *de consecrat. dist.* 5. ibi: « In die Resurrectionis usque ad Sabbatum in Albis, et in die Pentecostes usque in Sabbatum ejusdem tres Psalmos tantum ad nocturnos, tresque lectiones antiquo more canimus, et legimus. Omnibus diebus aliis per totum annum, si Festum est, novem Psalmos, et novem lectiones dicimus. Aliis vero diebus 12. Psalmos, et tres lectiones recitamus. In Dominicis vero diebus 18. Psalmos, excepto die Paschae, et Pentecostes) et novem lectiones celebramus ».

Decem et octo Psalmi in Matutinis Dominica- 20
rum ita sunt constituti, et distributi, ut primi 12. per quaternos divisi significent Patriarcharum 12. et Apostolorum totidem cultum erga Sanctissimam Trinitatem per quatuor virtutes Cardinales. Reliqui tres in secundo, et tertio Nocturno significant electos sub lege, et sub Gratia cum eodem cultu SS. Trinitatis: Amalarius *lib.* 4. *de Divinis Officiis cap.* 9. Gavant. *l. c. sect.* 4. *n.* 11.

Duodecim Psalmi in Matutinis Feriarum ideo 21
sunt sic constituti, et distributi, quia duodecim sunt horae noctis, et cuilibet horae Psalmus unus respondet: Amalarius *loc. cit. c.* 11. Gavant. *loc. cit. nu.* 12. qui dicuntur bini ad caritatem excitandam ex Hugon. Victor. *Specul. Eccles. c.* 3. Gavant. *loc. c. n.* 12.

Novem Psalmi in Matutinis Festorum Domini 22
ideo sunt sic ordinati, ut per ipsos gratias agamus Deo de descensu ejusdem propter nos sub novem Choris Angelorum. Et in Matutinis Festorum de Sanctis, eo quod sint ipsi facti digni ascendere usque ad altitudinem Coeli, ubi habitant iidem Chori novem Angelorum; Amalarius *loc. c.* Gavant. *loc. c. n.* 10. Vel ter tria cantamus cum Angelis: Durandus *in Rational. lib.* 5. *c.* 3. Gavant. *l. cit. n.* 10.

Psalmi quinque recitantur in Laudibus ad mu- 23
niendos quinque corporis sensus, ut dicit Hugo Victorin. *in specul. Eccles. c.* 3. qui notat praeterea eos esse octo vere ad significandos octo ordines Electorum, sed dicuntur quinque, quia tertius, et quartus sub una conclusione terminantur, ad denotandum ex Amalario *de Ordin. Antiphonarii c.* 5. geminam dilectionem Dei, et proximi. Vel ex eodem *lib.* 4. *de Divinis Officis cap.* 10. unionem Ecclesiae ex Judaeis, et Gentilibus.

(*) Psalmorum antiquissima Latina versio fuit ante Hieronymum, vulgo *Italica*. Hanc, Damaso Papa petente, Hieronymus juxta veterem LXX. Interpretum editionem primum emendavit, sed *cursim*, ut ipse ait; aliam deinde novam earumdem Psalmorum editionem S. Doctor aggressus fuit, quam verisimillimum est, nostram esse *vulgatam*. Romanum Psalterium secundum LXX. versionem abolitum a S. Pio V. fuit, illudque praescriptum, quod S. Hieronymus secundis curis exhibuit, licet a pluribus postea librariorum mendis rursus expurgatum, et correctum. In Vaticana tamen Basilica, in Mediolanensi, et Veneta S. Marci Ecclesia vetus Italica Psalterii versio etiamnum perdurat, licet nonnullo inter se discrimine. Eadem antiqua Romana editione Mozarabes usi sunt, atque in nonnullis Toletanae Urbis Ecclesiis, ubi idem Mozarabum ritus hodieque servatur, utuntur.

Item sextus, septimus, et octavus unam habent conclusionem ad significandum ex Amalario *loc. cit. cap.* 1. Fidem, Spem, et Caritatem, unitas, et junctas erga Deum (inquit cap. 5.) Trinum et Unum, Gavant. *loc. cit. cap.* 2. *num.* 6. seu ex Durand. *in Rational. Diviner. Officior. lib.* 5. *cap.* 4. ad denotandum triumphum de mundo, carne, et Diabolo, et quoniam unum sine altero non habetur, ideo merito conjunguntur.

24 Dictum autem est, Psalmos Laudum esse quinque, quia licet quartus sit proprie Canticum, abusive tamen appellatur Psalmus, cum, ut infra *n.* 30. *et* 44. videbimus, parum differat Canticum a Psalmo; Gavant. *l. cit. n.* 7.

25 Ex dictis Laudum Psalmis duo mutantur in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, vice quorum dicuntur Psalmi *Miserere, et Confitemini* ad timorem, et spem eo tempore excitand. timorem ob peccata in Psalmo *Miserere*, et spem ex bonitate Dei in Psalmo *Confitemini*. Et quia non est tempus laetitiae, quam exprimunt illi duo Psalmi *Dominus regnavit, et Jubilate:* Amalarius *lib.* 4. *de Divin. Offic. cap.* 18. Gavant. *loc. cit. n.* 9. Psalmus autem *Dominus regnavit* dicitur tunc in Prima, ne in tota hebdomada omittatur Psalmus ullus de Psalterio, et ideo Psalmus *Jubilate* ponitur in Matutino Sabbati. Amalarius, Gavant. *loc. cit.*

26 In Laudibus ferialis Officii per annum primus Psalmus est Poenitentialis *Miserere*, quia dies feriales sunt poenitentiae: Hugo Victorin. *lib.* 2. *de Offic. cap.* 10. Gavant. *loc. c. n.* 10. subdens, quod tunc variatur 2. ut expleatur Psalterium.

27 In Laudibus qualibet die hebdomadae loco quarti Psalmi ponitur unum Canticum, quia Canticum laudem Divinam, et gratiarum actionem significat, ex Durand. *in Rational. lib.* 5. *cap.* 4. Et laudes
28 dictae sunt ex Hugon. *lib.* 2. *de Offic. c.* 10. eo
quod laudem aperte sonant Divinam, quod repetit
29 in *Specul. Eccles. cap.* 3. Et Canticum ibi sumi-
tur pro Psalmo, cum parum differant inter se.
30 Psalmus enim est carmen, seu Canticum instru-
31 mento Psalterii. Et canticum est vox musica cum
harmonia ore solo prolata, ut ex Euthymio notat Gavant. *loc. cit. sect.* 5. *cap.* 9. *n.* 1.

32 In Prima Dominicis diebus per annum, et Feriis, Sabbato excepto, recitantur 4. Psalmi, ne de Psalterio quidquam supersit. Unde in Sabbato recitantur tantum 3. quia nullus superest, qui ipsi assignari possit. Et talis quaternarius Psalmorum numerus denotat, quod in quatuor mundi partibus Doctrina 4. Evangelistarum laudatur. Durand. *in Rational. Divin. Offi. lib.* 5. *c.* 5. Gavant. *loc. cit. sect.* 4. *cap.* 3. *n.* 5.

33 In Festis autem totius anni, et Dominicis tempore Paschali dicuntur tantum tres Psalmi ob temporis jucunditatem, quae laborem multa canendi excludit, ex Radulpho *proposit.* 10. Gavant. *loc. c. n.* 7. ubi subdit, quod Amalarius *lib.* 3. *de Offi. c.* 3. tres ideo dici putat, quia pro tribus horis a Prima ad Tertiam laudandus est Deus Trinus, et armandi sumus contra tres hostes.

In Tertia, Sexta, et Nona recitantur 3. Psalmi propter eamdem supradictam rationem, quia 3. Psalmi protegunt nos in tribus horis seqq. cum quaelibet ex tribus Horis tres contineat temporis horas; Amalarius *lib.* 4. *de Offic. c.* 2. Gavant. *loc. c. sect.* 4. *cap.* 4. *n.* 3. Immo, ut subdit ipse Gavant. *ib.* et Amalar. *cap.* 1. *ibid.* in Prima, Tertia, Sexta, et Nona 12. canimus Psalmos (in Festis) pro numero 12. horarum diei, ut Deo praesentes simus omnibus horis. 34

Advertendum tamen hic est, quod dd. Divinarum Horarum Psalmi a *Beati immaculati* usque ad *Principes persecuti sunt*, non sunt revera distincti Psalmi, sed potius unicus tantum Psalterii Psalmus in ordine 118. in plures partes distributus, quarum quaelibet ex 16. versibus est constituta (ut in dd. Divinis Horis patet) ad significandos 16. Prophetas, 12. minores, et 4. majores, seu ad designandos 12. Apostolos, et 4. Evangelistas, ut sic ostendatur, quod ea, quae 12. Prophetae minores, et 4. majores; sive 12. Apostoli, et 4. Evangelistae dixerunt, scripserunt, ac docuerunt, pro posse observare debemus. Sic Durand. *in Rational. lib.* 5. *c.* 5. 35

In Vesperis 5. recitantur Psalmi, quia 5. vulnera Christi recolenda monent, quorum ultimum vulnus hora vespertina fuit Sacro lateri illatum: Gemma *lib.* 2. *c.* 62. Gavant. *cit. sect.* 4. *cap.* 5. *n.* 5. Item quia sicuti quinque sensibus quotidiano affectu tendimus ad tenebras, ita necesse est ut initio noctis pro eis veniam precemur: Amalarius *lib.* 4. *de Offic. cap.* 7. Gavant. *loc. cit.* Item recitamus in Vesperis quinque Psalmos, ut quasi quinque Evangelicae prudentes Virgines quinque lampadibus oleo bonorum operum plenis, veniente nocte, Domino obviam eamus: Amalarius *de Ordin. Antiphonarii c.* 6. Gavant. *loc. cit. n.* 5. 36

In Completorio quatuor Psalmi recitantur, quia per ipsos quatuor elementa corporis nostri Domino commendamus: In primo enim Psalmo cum Christo quietem poscimus: *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.* In secundo ad ea verba, quae protulit Christus in extremo vitae: *In manus tuas etc.* optamus mori cum eo. In tertio, et quarto contra tentationes nocturnas armamur: Amalar. *lib.* 4. *de Offic. c.* 8. *et de Ordin. Antiph. c.* 7. Gavant. *cit. sect.* 4. *c.* 6. *n.* 7. et alii. 37

Hinc habes, quod si divides omnes Psalterii Psalmos per Horas, ad Matutinum recitantur in tota hebdomada 91. ad Laudes 13. ad Vesperas 35. ad alias Horas 11. qui omnes faciunt summam 150. quibus constat Psalterium. Gav. *loc. cit. sect.* 5. *c.* 8. *n.* 7. 38

Psalterium autem, quo Romana Ecclesia utitur, est ex translatione Romana S. Hieronymi teste Rodulph. *propos.* 8. et differt a Psalterio translationis septuaginta Interpretum, quod adhibetur Romae in Æde Vaticana S. Petri, quo etiam utun- 39

tur Ambrosiani(*). Gavant. *cit. sect.* 5. *cap.* 7. *n.*

40 2. Unde S. P. N. Seraphicus Franciscus in *c.* 3. suae Regulae, ubi excipit ab Officio Divino Psalterium, intelligit de dicto Psalterio translationis septuaginta Interpretum, quod in Vaticana Sancti Petri est in usu antiquissimo: Gavant. *cit. sect.* 5. *cap.* 8. *n.* 2. S. Bonaventura citatus, et secutus a Petro Marchant. *in expositione dictae Regulae cap.* 3. *qu.* 4.

41 Ultra supradictos centum quinquaginta Psalmos habentur in Breviario ex Sacris Litteris Cantica distributa, et posita in unaquaque die Hebdomadae loco quarti Psalmi Laudum, nempe die Dominica Canticum *Benedicite omnia opera Domini Domino*, quod est trium puerorum *Daniel. c.* 3. Feria 2. Canticum *Confitebor tibi Domine*, quod est *Isaiae c.* 12. Feria 3. Canticum *Ego dixi*, quod est Ezechiae Regis, *Isaiae cap.* 38. Feria 4. Canticum *Exultavit cor meum*, quod est Annae Matris Samuelis, 1. *Regum c.* 2. Feria 5 Canticum *Cantemus Domino*, quod est Moysis, *Exodi cap.* 15. Feria 6. Canticum *Domine audivi*, quod est Habacuc, *Habacuc. c.* 3. Sabbat. Canticum *Audit. Coeli*, quod est Moysis, *Deut. c.* 32.

42 Ex Evangelio habentur in Breviario alia tria Cantica, nempe Canticum *Magnificat*, quod est B. M. V. *Luc. c.* 1. et recitatur, seu canitur in Vesperis. Canticum *Benedictus Dominus Deus Israel*, quod est Zachariae Patris S. Joannis Baptistae, *Luc. cap.* 2. et recitatur, seu canitur in Completorio.

43 Etiam varii Psalmi praenotantur in Psalterio cum titulo Cantici, ut *Canticum Psalmi*, ct alii cum titulo *Psalmus Cantici*. Unde ad pleniorem 44
intelligentiam notandum est, quod hoc interest inter Psalmum, Canticum, Psalmum Cantici, Canticum Psalmi, et Hymnum, quod *Psalmus* est carmen cum instrumento Psalterii: *Canticum* est vox musica cum harmonia ore solo prolata: *Psalmus Cantici* dicitur, dum Cantore praecincnte, organi modulatio subsequitur: *Canticum Psalmi* e contra, cum vox humana concentum sequitur Organi: *Hymnus* autem est sermo in Dei laudem metrice compositus, sive ore, sive humana voce, sive instrumento musico recitatus. Sic colligitur ex Sanctis Hilario, et Chrysostomo in *Prolog. Psalm.* Frassen *disquit. Biblicae* §. *XI. de libro Psalm. n.* 2. Euthymio citato, et secuto a Gavant. *loc. cit. sect.* 5. *c.* 9. *n.* 1. et alii.

Psallendi ordo sequendus, quem tenet Ecclesia Metropolitana, *cap. de his* 13. *dist.* 12. *ex Concilio Toletano* 11. *c.* 3. 45

Psalmi vulgares non possunt in Ecclesia recitari: *Conc. Bracharen. II. c.* 67. 46

Psalterium B. M. V. quod ex 150. Ave Maria constat, ad instantiam Ducis Britanniae recitari concessit cum Indulgentiis Sixtus IV. *Const.* 18. *incip. De quae.* 47

Psallendi debitum omnibus in Choro incumbit. etiam Dignitatibus, ct Canonicis, quacumque contraria consuetudine, aut praesumpto privilegio non suffragante: Benedict. XIV. *tom.* 1. *Constit. incip. Cum semper*, §. 24. 48

PUBERTAS

VIDE VERB. *MATRIMONIUM*, *ART.* 2. *A N.* 31. *AD* 37.

PUBLICA HONESTAS

VIDE VERB. *MATRIM. QUOAD IMPEDIMENTA*, *ART.* 2. *A N.* 20. *AD* 27.

PUNCTATOR, PUNCTATURA

SUMMARIUM

1. Punctator retinere debet librum in loco publico, ibique deficientes adnotare, ac librum ostendere cuicumque postulenti. — 2 Contrapunctator ejusdem Ecclesiae eligendus, ut confrontatione, si opus sit, possint detegi fraudes. — 3. Compelli possunt Punctatores ad exhibendum librum Ordinario, non vero ad oretenus eidem quotidie significandum deficientes. — 4. Potest Episcopus cogere Canonicos ad praestandum juramentum de

(*) E. R. S. Hieronymus, ter circa Psalterium insudasse, communior Sententia est inter Eruditos. De versione Psalterii ex Hebraico fonte non loquor, cum numquam in usu fuerit, vel apud Ecclesiam Romanam, vel penes aliam quamcumque Ecclesiam. De emendatione igitur Psalmorum juxta septuaginta Interpretum versionem est sermo, in qua elaboranda bis S. Doctor suum impendit laborem. Hujusmodi emendationes sub nomine *Psalterii Romani*, et *Psalterii Gallicani* vulgo recensentur. De utraque sermonem habet S. Doctor in *Praefatione*, *seu Prologo in Librum Psalmorum*. Psalterium Romanum adhuc in usu est in Vaticana Basilica. Gallicano Psalterio utimur in Romano Breviario, atque illud est, quod insertum habemus in vulgata Latina editione. Haec tria sunt. Hinc constat quantum a vero abhorret Auctor noster hocce in loco. * Legesis Dissertationem P. D. Augustini Calmet in textum, et veteres Psalmorum Versiones Art. III.

tinus *lib.* 20. *de Civitate Dei cap.* 25. et S. Hieronymus *in hunc locum*, et Bellarminus *loc. cit. cap.* 3. *in fine*, ubi dicit ex illa poena purgatoria viventium recte inferri poenam purgatoriam, seu Purgatorium Defunctorum.

7 In novo autem testamento habetur *ex cap.* 5. *Matthaei num.* 26. ibi: « Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius Judici, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem ». Et concordat *cap.* 12. *Lucae num.* 58. ibi: « Cum autem vadis cum adversario tuo ad Principem, in via, da operam liberari ab illo: ne forte tradat te ad Judicem, et Judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem, dico tibi non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas ». Quae loca passim ad probandum Purgatorium adducuntur a Patribus, et signanter a S. Augustino *in c.* 5. *Matthaei*, *et Homil.* 1. *de verbis Domini. Homil.* 4. *in l.* 50. *Homiliarum, et in lib. de decem chordis cap.* 3. S. Ambrosius; S. Bonaventura, et Beda *in cit. cap.* 12. *Lucae* S. Gregorius *Homil.* 39. S. Bernardus *serm.* 85. *in Cantica*, S. Anselmus *in cit. cap.* 5. *Matthaei*, Bellarmin. *loc. cit. cap.* 7. *vers. Est ergo verissima Expositio*, et alii dicentes pro Adversario in dictis locis intelligi Legem Dei, quatenus praecipit contraria carni, sive conscientiam, quae Dei Legem semper objicit peccanti: Lex enim Dei, et conscientia nostra semper sunt nobiscum in via, semper adversantur nostris pravis desideriis, iisque utilissimum est cito consentire, et ab eorum inimicitia liberari, ot denique accusatores, et testes erunt contra nos in Judicio, ut recte observat Bellarmin. *loc. cit.*

8 Item *ex cap.* 12. *Matthaei num.* 32. ubi Dominus dicit esse quoddam peccatum, quod non remittitur, neque in hoc saeculo, neque in futuro, ibi: « Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro ». Ubi, ut vides, clare supponitur, et demonstratur, quaedam peccata remitti in futuro saeculo, idest post hanc vitam per orationes, et suffragia Ecclesiae, ut exponunt. S. Gregorius *lib.* 4. *Dialogorum cap.* 39. S. Augustinus *lib.* 21. *de Civitate Dei cap.* 24 *et lib.* 6. *in Julianum cap.* 5. S. Bernardus *Homil.* 65. *in Cantica*, et alii passim.

9 Item *ex* 1 *ad Corinth. cap.* 5. *num.* 15. ibi: « *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, quem locum Sotus in 4. *dist.* 21. *q.* 1. *litt.* A. et communiter alii Patres, quos fuse adducit Faber *disp.* 36. *de Purgatorio cap.* 1. intelligunt de Purgatorio.

10 Item *ex* 1. *ad Corinth. cap.* 15. *num.* 29. ibi: « Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid et baptizantur pro illis »? Ubi Patres, et signanter Dionysius, Hugo, Gagnojus, et alii in hunc locum, Ephraem *in suo Testamento*, Petrus Cluniacensis *in lib. Contra Petrobrusianos*, Bellarmin. *loc. cit. cap.* 6. *vers. Et igitur*, dicunt, et exponunt, quod Apostolus ibi loquitur de Baptismo lacrymarum, et Poenitentiae, qui suscipitur orando, jejunando, eleemosynas faciendo, se affligendo, et hujusmodi, ita ut sensus sit: « Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt »? Idest quid facient, qui orant, jejunant, gemunt, affligunt se pro mortuis, si mortui non resurgunt? Et revera vox *baptizari* passim in Scriptura accipitur pro pati, et affligi, ut *Marc.* 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, aut Baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Luc.* 12. ibi: *Baptismo habeo baptizari;* Unde Patres passim vocant poenitentiae afflictionem Baptismum laboriosum, et secundam tabulam, S. Cyprianus in *sermone de Coena Domini: Lacrymis*, inquit, *se baptizat*, S. Gregorius Nazianzenus *in Oratione de Epiphania; Scio;* inquit, *quartum Baptisma, quod per Martyrium, et sanguinem fit, scio et quintum lacrymarum, et poenitentiae*, et consimiliter alii passim.

Alia plura Scripturae loca brevitatis gratia relinquuntur videnda cum variis Conciliis, plurimis Sanctis Patribus, et solidis rationibus apud Brancatum *t.* 4. *de Omnibus Novissimis disp.* 26. *art.* 2. §. 1. Bellarm. *de Purgatorio lib.* 1. *per tot.* Patrem Antonium a Venetiis *In Ecclesia Jesu Christi contra Piceninum tom.* 2. *cap.* 16. *art.* 8. *per tot.* Panigaloram et alios (*). 11

Purgatorii locus communis secundum Legem communem, et ordinariam Dei est in ipsis terrae visceribus, et Inferno conjunctus: *Sic Communis* cum S. Toma in 4. *dist.* 20 S. Bonaventura *ibidem part.* 1. *qu.* 6. Bellarmin. *de Purgatorio lib.* 2. *cap.* 6. *litt. B.* Mastrio *in Theolog. moral. disp.* 24. *q.* 1. *art.* 1. *n.* 9. Et colligitur ex variis Scripturae locis, ot signanter *ex cap.* 2. *Actorum*, ibi: *Solutis doloribus Inferni:* quae verba S. Augustinus *Epist.* 99. intelligit de poenis Purgatorii. Idem *ex cap.* 2. *ad Philippenses*, ibi: *In nomine Jesu omne genuflectatur Coelestium, Terrestrium, et Infernorum*, ubi per ly *Infernorum* intelliguntur solum Animae Purgatorii; cum nequeant intelligi Animae in Inferno damnatae, quae tantum abest, ut Christo genuflectant, quod potius illum continue blasphement, juxta illud *Psalm.* 75. *nu.* 23. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Item ex illo *Psalm.* 113. ibi: *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in Infernum:* quae verba indicant etiam aliquos, qui descendunt in Infernum, idest, in inferiores terrae partes, Deum laudare; quod cum nequeat intelligi de damnatis in Inferno, qui ex dictis Deum 12

(*) Nominandi tamen mihi duo sunt, P. Scheffmacher celeberrimarum quas 1732. primum Argentorati edidit Polemicarum Epistolarum Tom. II. *Ep.* v. et Eminentissimus Josephus Castallius mihi numquam sine laudis praefatione memorandus, in praeclara, quam anno 1770. typis Romanis vulgavit, de Purgatorio dissertatione.

semper blasphemant, intelligi debet de existentibus in Purgatorio, ut communiter Patres exponunt. Item ex *cap.* 5. *Apocalyp.* ibi: « Nemo inventus est dignus aperire librum neque in Coelo, neque in Tarra, neque subtus Terram ». Ubi cum Apostolus Joannes non enumeret, nisi Justos, aperte indicat etiam sub terra esse Justos, idest Animas Purgatorii; Unde etiam Ecclesia in Missa de Defunctis dicit: *Libera Domine animas omnium Fidelium Defunctorum de poenis Inferni, et de profundo lacu;* et id confirmatur ex visione, quam refert Beda *lib.* 5. *cap.* 13. *Historiae*, ubi aperte visum est Purgatorium Inferno damnatorum contignum.

13 Dicitur autem notanter *Purgatorii locus communis secundum Legem communem, et ordinariam Dei*, quia secundum Legem Dei particularem, et dispensationem Divinam interdum aliquibus animabus destinatur pro Purgatorio aliquis locus particularis, vel quia in ipso peccaverunt, vel propter nostram instructionem, ut aliquando recogitemus, magnam post hanc vitam poenam infligi peccantibus, vel propter earum celeriorem liberationem, ut possint aliis suam indigentiam revelare, vel propter alicujus Sancti impetrationem, sicut legitur, quod S. Patritius impetravit cuidam, quod puniretur in quodam loco in terra; Sic expresse docet S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 20. *par.* 1. *q.* 6. quem dicendi modum sequuntur omnes recentiores, teste Mastrio *loc. cit. num.* 9. *in fine.* et ad id referuntur plurima exempla a Patribus, et Scriptoribus, et signanter a S. Gregorio *l.* 4. *Dialogorum cap.* 49. *et* 55. qui refert Animam Pascasii, et cujusdam alterius in balneis quibusdam fuisse purgatas, a S. Pietro Damiano *Epist.* 13. *ad Desiderium cap.* 7. *de miraculis sui temporis*, ubi describit visionem de purgatione animae S. Severini in quodam flumine; a Dionys. Carthusian. in *Dialogo de judicio particulari art.* 31. ab Hugone de S. Victore *lib.* 2. *de Sacrament. part.* 16. *cap.* 4. et ab aliis passim.

14 Purgatorium non est aeternum, sed temporale:
Communis, et clare habetur *ex* 1. *ad Corinth. cap.*
3. ibi: *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem:* qui-
bus verbis significat Animas Purgatorii ab illis poe-
15 nis tandem evasuros. Unde Purgatorium non est
ultra diem Judicii universalis, et finalis duraturum; *Communis*, et aperte habetur *ex cap.* 25. *Matthaei*, ubi expresse dicitur, quod omnes adulti secundum opera eorum judicabuntur, et boni in Coelum, mali autem in Infernum finaliter deputabuntur.

16 Animae in Purgatorio plene purgatae recipiuntur in Beatitudine ante diem Judicii. *Communis*, estque definita a Benedicto XII. Constit. incip. *Benedictus Deus* contra illos, qui dicebant Animas in Gratia decedentes, non recipi in Beatitudine nisi post diem Judicii.

17 Quantonam tempore unaquaeque Anima in purgatorio detineatur; nulla certa habetur definitio. Sotus in 4. *sentent. dist.* 19. *q.* 3. *art.* 2. dicit, neminem manere in Purgatorio ad decem annos; Nam, dicit ipse, cum nemo illic sit, nisi Dei amicus, contritio ejus, et post Christum passum Sacramenta, et suffragia, et bona, quae egit, opera ad cumulum ei satisfactionis accedunt; In summa non est credibile, ut quos poenarum accumulatione expedire Deus brevius inde potuit, temporis prolixitate detineat. *Haec ipse loc. citat.* At vero communis Doctorum sententia docet, quamplures animas in poenis Purgatorii longe majori tempore detineri, ac proinde terminum assignari non posse, ultra quem Purgatorii poena non duret: huic communi sententiae contra Sotum, et paucos alios favet Ecclesiae praxis, et universalis consuetudo, quae anniversaria Sacra celebrat pro Defunctis, etiamsi constat, eos ante centum, vel ducentos annos esse mortuos; quod certe non fieret, si Ecclesia crederet non puniri animas ultra decem annos: Tum quia plurimae revelationes, visiones, et Ecclesiasticae Historiae ostendunt, plures animas diutius in Purgatorio detineri, uti referunt S. Bernardus *in vita S. Malachiae*, Carthusianus *in Dialogo de judicio particulari art.* 31. Beda *lib.* 5. *Historiarum cap.* Henriquex *lib.* 7. *cap.* 16. *litt. I.* ubi ex Surio notat de Innocentio Papa III. quod esset usque in diem Judicii in Purgatorio detinendus, Viva *ad proposition.* 43. *ex damnat. ab Alexandro VII. n.* 7. referens, quod paucis abhinc annis in quodam Conventu prope Neapolim apparuit Religiosus, qui fere centum abhinc annis decesserat, et suffragia postulavit: et similiter de pluribus aliis referunt passim scriptores; Unde merito a d. Alexandro VII. die 18. *Martii* 1666. fuit inter alias damnata sequens propositio 43. in ordine, ibi: « Annuum Legatum pro anima relictum non durat plus quam decem annos ».

Animae in Purgatorio cruciantur vero igne cor- 18
poreo, et ejusdem speciei cum nostro elementari: *Communis*, et clare desumitur *ex* 1. *ad Corinth. cap.* 3. *nu.* 15. ibi: « Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem »: Nec obstat illa particula *quasi*, quia, ut advertit Faber *disp.* 36. *cap.* 4. cum pluribus aliis, et Mastrius *loc. cit. q.* 2. *art.* 1. *n.* 23. illa particula non est diminuens veritatem ignis, sed explicat modum, quo illi salvantur, et liberantur, qui est mediante illo instrumento ignis, ita ut sensus sit, quod ille ignis est quasi causa salutis earum, quamvis non sit causa principalis, est tamen causa instrumentalis cum in medio illo igne purgentur, et sic liberentur ab illo carcere.

* Potest etiam dici, quod illa particula *quasi* signum sit veritatis, non similitudinis; ut Joan. c. 1. *n.* 14. *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti*; quem locum sic explicat Euthymius; « Gloriam, non qualis est Sanctorum beatorum, vel Angelorum, sed gloriam vere unigeniti, nam hic dictio ὡς (tamquam) idem significat quod vere. *

19 Animae in Purgatorio non torquentur a Doe-
monibus tamquam Divinae Justitiae Ministris, sed
ab ipsa Divina Justitia immediate per ignem tam-
quam per instrumentum obedientiale puniuntur,
et purgantur: *Sic Communis Theologorum* cum S.
Thoma *in 4. dist.* 20. *art.* 5. S. Bonaventura *ibi-
dem*, Richard. *ibidem*, Mastrio *loc. cit. quaest.* 2.
art. 1. *nu.* 24. Coninch. *de Purgatorio disp.* 11.
dub. 3. *in fine*, et alii passim contra paucos tenen-
tes contrarium per hoc, quod aliquae visiones, et
apparitiones videantur ostendere, quod animae
Purgatorii torqueantur a Daemonibus; Et ratio
nostra est, quod omnes animae Purgatorii in ul-
timo conflictu Daemones superarunt; ergo non de-
cet Divinam Justitiam, ut sinat eas cruciari in
Purgatorio ab hostibus, quos ipsae in hoc mundo
vicerunt: Tum quia indecens est, ut Deus utatur
Daemonibus tamquam ordinariis Ministris ad a-
micos suos puniendos, cum id non facerent in Di-
vinae Justitiae executionem, sed potius ex odio
in genus humanum, et pessima voluntate, ut fa-
20 ciunt in Inferno. Nec obstant visiones, et appari-
tiones, quae id videntur ostendere, et signanter
illa, quae refertur *in vita S. Bernardi lib.* 1. c.
10. in qua dicitur, quemdam Religiosum illi ap-
paruisse cum quatuor, qui ipsum dilaniabant, et
postea fuisse liberatum precibus ejusdem Sancti,
et aliae similes, quas referunt Beda *lib.* 3. *Histor.
Anglic. c.* 19. Dionysius Carthusianus *lib. de qua-
tuor novissimis*, et alii. Non obstant, inquam,
quia, ut recte advertit Mastrius *loc. cit. nu.* 24.
et alii, tales visiones, et apparitiones sunt symbo-
licae, et allegoricae, et a Sanctis, et Scriptoribus
narratae hoc modo ad ostendendam poenarum il-
larum acerbitatem, quae a nobis intelligi nequeunt,
nisi per exempla nobis connaturalia.
21 An animae in Purgatorio existentes possint pro
nobis orare, et aliquid nobis de congruo mereri,
vel impetrare? et an miracola facere possint, cum
plurimis aliis ad rem; Vide verb. *Anima per tot.*
22 De Purgatorio Catholicum Dogma est, quod,
qui vere poenitentes in Dei caritate decesserint,
antequam dignis poenitentiae fructibus, de com-
missis, et omissis satisfecerint, eorum animae poe-
23 nis Purgatorii post mortem purgari debeant. Et
ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fi-
delium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sa-
crificia, orationes, et eleemosynas, et alia pieta-
tis officia, quae a fidelibus fieri consueverunt se-
cundum Ecclesiae instituta, probat Benedict.
XIV. tom. 1. Constitut. 17. incip. *Etsi Pastora-
lis* §. 1.
24 Hic juvat refutare falsam opinionem vulgarem
de existentia Putei, seu Purgatorii, vulgo dicti
S. Patritii, quae opinio a pluribus saeculis adeo
invaluit, ut etiam in Breviariis aliquarum parti-
cularium Ecclesiarum fuerit commemorata exi-
stentia dicti Putei, seu Purgatorii Sancti Patritii,
et signanter in Breviario Ecclesiae Parisiensis e-
dito anno 1622. ibi: « Antrum vero poenitentiale

etiamnum visitur, quod de ejus nomine Puteus, seu Purgatorium Sancti Patritii vocatur ». Et in Breviario Venetiis anno 1522. per Antonium de Giunta impresso, habebantur lectiones totae fere de hoc puteo, seu Purgatorio. Ast biennio postquam prodierunt, ab ipso Breviario, Pontificio mandato fuerunt expunctae, ut patet ex iterata ejusdem Breviarii impressione per eumdem Giuntam anno 1524. facta. Uti etiam Romana Sedes negavit, hanc Historiam de puteo, seu purgatorio praetenso Sancti Patritii inserendam, ut petebant, in Breviario Romano. Videantur ad rem eruditissimi Bollandistae *ad diem decimam septimam Maii in legenda Sancti Patritii* §. 5. 6. ubi omnia e variis Scriptoribus de hoc praetenso Puteo, seu Purgatoriu fuse recensent, referuntque, quod serio exploratis omnibus, quae de hoc asserto Puteo, seu Purgatorio circumferebantur, et comperta ad integrum ejus existentiae falsitate, fuisse de mandato Alexandri VI. fossam illam pro dicto Puteo, seu Purgatorio falso praedicatam, habitam, et creditam, penitus obstruetam, uti et refert exactissimus Petrus Le Brun nella Storia Critica delle pratiche superstizione, tomo terzo, italico sermone edita, nella dissertazione sopra il Purgatorio di San Patrizio; ubi subjungit sic ». Convengono assai bene queste circostanze con ciò, che » è detto dal Vareo nelle sue antichità d' Irlanda, » che nel mille quattrocento novanta sette un » Guardiano dell' Ordine di S. Francesco fece de- » molire esso luogo per autorità del Papa Alessan- » dro VI. ubi in finem insuper addit; non reche- » rà noja il leggerne i propri termini, con cui ce » n' erudisce il Signor Girado Boato nella Storia » naturale d' Irlanda alla pag. 137. ivi ».

» Nel lago di Dirg, il quale è nel numero di que' della mezzana spezie, sta piantata una di esse Isolette, che è stata in gran grido in tutta la Cristianità per più secoli, perchè si era fatto credere al Mondo, che in quel luogo si trovassero i sobborghi del Purgatorio, e che coloro, che aveano il coraggio d'entrarvi, e di dimorarvi il tempo prefisso, vedesservi, e vi notassero terribili, e straordinarie cose. Ha durato una tal opinione sino al nostro tempo; ma finalmente si è discoperto, ciò non essere, che una pura illusione. Avvenne questa discoperte sotto il governo di Riccardo Boile conte di Cork, e di Adamo Losso Visconte di Eli, Cancelliere d' Irlanda, il quale governava quel paese negli anni ultimi del Re Jacopo. Indotti dalla curiosità di rilevare il vero d' un tal affare, spedirono essi Signori sopra luogo alcune persone di probità per praticarne un ricercamento esatto. Esaminate che ebbero appuntino le cose tutte, rinvennero detta persone, che la pretesa miracolosa caverna, che davasi ad intendere, calare fino nel Purgatorio, e nell' Inferno, non era altro, che una celletta scavata in un fondo di rupe, senza finestra, e senza apertura, e si tenebrosa, che quando n' era serrato l' uscio non

entravavi qual che fosse raggio menomo di luce: del restante sì bassa, che appena poteva un uomo di alta statura introdurvisi in piedi, e sì picciola, che contener non potea, se non sei persone, o sette al più. Qualora capitava in quell' isola taluno invogliato di fare il viaggio del Purgatorio, alcuni pochi Monaci, che d' ordinario soggiornavano quivi presso, digiunar il facevano, e vegghiare estraordinariamente, trattenendolo per tutto quel tempo nelle terribili cose, ch' egli vedrebbe nel suo viaggio sotterraneo; e dopo averlo così preparato, lo rinserravano in quell' oscura, e tenebrosa buca, donde qualche tempo dopo ritiravanio per modo stordito, che il viaggiatore meschino senza essersi punto mosso dalla prima sua situazione, dicea d' essere penetrato assai dentro la terra, e narrava strane avventure vedute, all'asserir di lui, nel suo cammino, conformi a quelle idee, ed impressioni, che gliene avevano formate i Monaci prima di metterlo in essa buca; e di cui empiuto aveano il vuoto di lui cerebro affievolito dalle lunghe vigilie, e dagli anteriori eccessivi sofferti digiuni, valevoli a stemprare un intelletto anche meglio composto.

Per impedire in avvenire siffatte furberie, ed imposture, i prefati Signori costrinsero i Monaci ad atterrare le loro abitazioni, e a distruggere quella celletta, la quale da quel tempo inanzi rimase discoperta, ed esposta alla vista di tutti; cosicchè di poi più non si è udito parlare del viaggio del Purgatorio.

Per dar credito a questo viaggio del Purgatorio, si era dato ad intendere al popolo idiota, e superstizioso, che S. Patrizio, da cui gli Irlandesi furono convertiti al Cristianesimo, quattrocent' anni, o a un dipresso dopo il nascimento del N. S. Gesù Cristo, l' avea ottenuto da Dio per mezzo delle sue orazioni, e istituito per convincere coloro, che non credeano l' immortalità dell' anima, nè le pene ingionte per punizioo de'malvaggj dopo morte. Quindi li fu imposto il nome di Purgatorio di S. Patrizio; ma egli è cosa fuor d' ogni dubbio, che in vita d' esso Santo non aveasene cooscenza veruna in Irlanda, e che non se n' è ragionato, che di là a lunghissimo tempo; essendo la verità, che è stata questa un' invenzione de' secoli posteriori, autorizata dall' ignoranza, che allora correa, e che di molto favoreggiava gli Autori di somiglianti imposture, i quali introdussero ovunque la superstizione, e valsersi scaltramente della divozione del popolo, per rendere soddisfatta l'infame, e sordida loro avarizia ».

Haec ad convicendam, et penitus eliminandam erroneam, falsam, ac superstitiosam opinionem, et credulitatem penes idiotas, nec non aliquos etiam praetensos eruditos adhuc in dies vigentem, ut non semel egomet ipse audivi, impulsus sum his additionibus adnectere.

PYROMANTIA

VIDE VERB. *SUPERSTITIO NUM.* 19.

PYTONIA

VIDE *IBIDEM NUM.* 27.

QUADRAGESIMA

SUMMARIUM

1. Quadragesima quid sit? — 2. Quadragesima unde sit dicta? — 3. Quadraginta dies, et plures, nec pauciores deputati sunt pro abstinentia, et jejunio, ut imitemur quadragenarium numerum Jejunii Christi Domini, et ut sic anni decimas Deo solvamus. — 4. Quadragesimae jejunium a Christo consecratum, fuit ab Apostolis observatum, et universae Ecclesiae traditum. — 5. Quadragesima ratione jejunii est de Jure Divino; ratione temporis ex traditione Apostolorum. — 6 Quadragesima Christi fuit a sexta die Januarii usque ad quartam decimam Februarii, Nostra autem non semper est eodem tempore. — 7. Quadragesima in Ecclesia Orientali continet septem hebdomadas, et incipit in Quinquagesima, ex quo Orientales non jejunent nec Dominicis, nec Sabbatis. — 8. In Ecclesia vero Romana Quadragesima continet sex hebdomadas, quibus additi sunt quatuor alii dies praecedentes ad complendum numerum quadragenarium jejunii a Christo consecrati. — 9. A Clericis autem olim Quadragesime servabatur per septem integras hebdomadas eam incipiendo a Quinquagesima. — 10. Quadragesimae jejunium in Ecclesia Romana incipit a Feria 4. Cinerum. — 11. Excepta Ecclesia Mediolanensi Ambrosiana, in qua non jejunatur quatuor primis diebus, sed in diebus Rogationum. — 12. In Quadragesima non est prandendum ante recitationem saltem publicam Vesperarum. — 13. Dispensatus circa esum carnium ob debilitatem virium, et ad eas recuperandas, est etiam dispensatus a jejunio. — 14. Non sic tamen est dispensatus a jejunio, qui est dispensatus circa esum carnium, quia cibi Quadragesimales, seu jejunales sunt ei nocivi, seu nauseales. — 15. Ad quem spectet dispensare circa Quadragesimam, et jejunium. — 16. Qui in fraudem jejunii de loco, ubi viget praeceptum jejunandi, seu jam incoepta est Quadragesima, se tranfert ad locum, ubi non jejunatur, seu nondum incoepta est Quadragesima, peccat graviter. —

17. Qui autem de loco, ubi jejunatur, non in fraudem jejunii, sed bona fide transit ad loca, seu per loca, ubi non jejunatur, non tenetur jejunare. — 18. Si quis non in fraudem jejunii, sed negotiorum caussa de loco proprii Domicilii, ubi nondum est incepta Quadragesima, pergit ad locum, ubi per hebdomadam est jam incepta Quadragesima, non tenetur jejunare illic per octo alios dies Paschae ad complendam Quadragesimam. — 19. E contra vero, si talis in loco sui Domicilii complesset Quadragesimam, non tenetur postea alibi observare illos octo dies. — 20. Episcopus in sua Dioecesi concedere debet facultatem etiam Vicariis Foraneis, et Archipresbyteris, ut de consilio Medicorum impertiri possint indigentibus licentiam vescendi cibis vetitis, quae debet dari omnino gratis. — 21. In Quadragesima non est venandum. — 22. Item non sunt facienda Judicia criminalia, nec aliquis morti est addicendus. — 23. Item non est vacandum jocis. — 24. Item non est praeliandum, nisi urgente necessitate. — 25. Item fieri non possunt nuptiae, neque convivia. — 26. Item fieri non debent Concilia, seu Placita populorum. — 27. In Quadragesima praedicandum est omni die, vel saltem ter in hebdomada. — 28. Dominicis Quadragesimae Fideles olim vescebantur carnibus; At nunc non. — 29. An Concionatores in Quadragesima excusentur a jejunio, et abstinentia a carnibus? *ad num.* 32. — 33. Quid dicendum sit de Coquis parantibus in Quadragesima cibos Religiosis? *ad num.* 34. — 35. Alia ad rem *ad num.* 40.

1 Quadragesima est religiosa in Ecclesia recepta abstinentia ante solemnitatem Paschae instituta ab Apostolis, et a Successoribus eorum ad nostra usque tempora observata, adjunctum habens ciborum delectum, et ad alia poenitentiae, et virtutum opera incitans. *Est in*
2 *re Communis.* Dicitur autem Quadragesima a numero Quadraginta dierum, quibus durat; Quadragenarium enim est, quod continet in se Quadraginta.

3 Quadraginta autem dies, et non plures, nec pauciores deputati sunt pro abstinentia, et jejunio, ut imitemur numerum quadraginta dierum, quem Salvator noster suo sacro jejunio consecravit, et ut sic anni decimas Deo solvamus; *cap. Quadragesima* 16. *dist.* 5. *de consecratione*, ibi: « A prima igitur Dominica Quadragesimae usque in Pascha Domini sex hebdomadae computantur; quarum videlicet dies quadraginta et duo fiunt; Ex quibus, dum sex dominici dies abstinentiae subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam triginta, et sex dies remanent. Verbi gratia, si per 366. dies annus volvitur, et nos per triginta, et sex dies affligimur, quasi anni decimas Deo damus; sed ut sacer numerus quadraginta dierum adimpleatur, quem Salvator noster suo sacro jejunio consecravit, quatuor dies prioris hebdomadae ad supplementum quadraginta dierum tolluntur, id est quarta Feria, quae caput jejunii subnotatur, et quinta feria sequens, et sexta, et Sabbatum: Nisi enim istos dies quatuor superioribus triginta sex adjunxerimus, quadraginta dies in abstinentia non habemus. Jubemur etiam Omnipotenti Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare. *Et Glossa* ibidem vers. Casus *sic expresse habet*: Quaesitum fuit in Concilio Gregorii Papae, quare quadraginta dies abstinentiae, et jejunio deputentur, et non plures, vel pauciores, et responsum; Ideo fit, quia jubemur dare decimas omnium bonorum nostrorum, et 36. dies sunt decimae totius anni, quibus quatuor additi sunt, ut adimpleatur quadragenarius, quem Dominus suo Sacro jejunio consecravit ».

4 Unde Quadragesimae jejunium a Christo consecratum, fuit ab Apostolis observatum, et universae Ecclesiae traditum. *Concil. Senonens. cap.* 7. ibi: « Quae res Apostolos impulit, ut Quadragesimale jejunium sanctificarent, quo Christifideles, non tam Moysen, aut Eliam, quam Christum imitati totius anni decimas exsolverent, *ut habetur* in Canone 68. ipsorum Apostolorum, ibi: Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor Sacram Quadragesimam Paschae, aut quartam feriam, aut Parascevem non jejunaverit, deponitor, praeterquam si imbecillitate impediatur corporis; si Laicus sit, Communione deponitor »: et concordat *Concil. Coloniens II. part.* 9. *cap.* 6. traduntque communiter Patres.

Hinc Quadragesimam ratione jejunii esse de 5
Jure divino, ratione temporis esse ex traditione Apostolorum per multos Canones antiquos, et dicta SS. Patrum docet Martin. Ajala *de Tradit. part.* 3. *de jejunio, et Quadragesim.* et Card. Varmiensis *de Caerem. a tempore sumptis cap.* 1. et sequitur Fagnan. *lib.* 3. *decret. in cap.* 1. *Explicat.* 3. *de observatione jejuniorum num.* 31.

Quadragesima Christi fuit a sexta die Januarii 6
usque ad decimam quartam Februarii. Nos autem ut plurimum eam incipimus, ubi ipse desiit; Nostra enim non semper est eodem tempore. Sic Bellarm. *tom.* 3. *lib.* 2. *de bonis operibus cap.* 16. *litt. C.* ubi ad quaesitum fieri solitum, quare, si Quadragesima jejunii Christi imitatio est, non jejunemus eo tempore, quo ipse jejunavit, dicit, quod facilis est responsio; Primum enim maluit Ecclesia post Dominum, quam cum ipso Domino jejunare, ut vere ejus vestigia sequeretur: Deinde par erat, ut jejunium celeberrimum cum Festo celeberrimo jungeretur: « in qua parte anni (inquit S. Augustinus *in Epistol.* 119. *cap.* 15.) congruentius observantia Quadragesimae constitueretur, nisi confinis, atque contigua Dominicae passioni »? insuper nunquam magis sunt necessaria arma jejunii, quam ineunte vere, quo tempore, crescentibus humoribus, acriores tentationes existere solent. *Haec ille*, qui alias subjungit congruentias.

7 Quadragesima in Ecclesia Orientali continet septem hebdomadas, et incipit in Quinquagesima, ex quo Orientales non jejunent Sabbato, et sic subtrahunt abstinentiae septem dies Dominicos, et sex dies Sabbati: Cassianus *Collatione* 21. *cap.* 27. Fagnan. *loc. cit. num.* 33. *et seq.* Bellarm.
8 *loc. cit. cap.* 15. et alii. (*) In Ecclesia vero Romana Quadragesima continet sex hebdomadas, quibus additi sunt quatuor alii praecedentes dies ad complendum numerum quadragenarium jejunii a Christo consecrati, ex quo ab ipsis sex hebdomadis subtrahantur abstinentiae, et jejunii sex dies dominici; textu expresso *in cit. cap. Quadragesima* 16. *dist.* 5. *de consecratione* adduct. *supra num.* 3. docetque expresse S. Gregor. *Hom.* 16. Fagn. *loc. cit. num.* 34. Bellarm. *loc. cit.* et alii passim (**).

9 A Clericis autem Quadragesima olim de Mandato Telesphori servabatur per septem integras hebdomadas; c. *Statuimus* 4. c. *Quadragesima* 5. *et* c. *Denique* 6. *dist.* 4. Bellarm. *loc. cit. c.* 14. et alii passim.

10 Quadragesimae jejunium in Ecclesia Romana incipit a Feria quarta Cinerum, textu expresso *in cit. cap. Quadragesima* 16. *dist.* 5. *de consecratione*, ibi: « Idest feria quarta, quae cap. jejunii
11 subnotatur ». (***) Excepto tamen Mediolano, et locis aliis, in quibus Ambrosiano ritu Officium celebratur, ubi ex quo non jejunetur quatuor primis diebus, jejunatur in diebus Rogationum: *Concil. Mediolanens.* 1. *part.* 2. *tit. de jejunio*(****).

12 In quadragesima non est prandendum ante recitationem saltem publicam Vesperarum, *cap. Solent* 49. *dist.* 1. *de consecrat.* Vide verb. *Officium Divinum art.* 4. *num.* 16. *et seq.* et verb. *Jejunium art.* 1. *num.* 47.

13 Dispensatus circa esum carnium ob debilitatem virium, et ad eas recuperandas, est etiam dispensatus a jejunio, Vide verb. *Jejunium art.* 1. *n.* 30.

14 Non sic tamen est dispensatus a jejunio, qui est dispensatus circa esum carnium, quia cibi Quadragesimales, seu jejunales sunt ei nocivi, seu nauseales. Vide *a n.* 31. *ad* 34.

15 Ad quem spectet dispensare circa Quadragesimam, et jejunium? Vide verb. *Jejunium art.* 2. *n.* 14. et hic infra *n.* 26.

16 Qui in fraudem jejunii de loco, ubi viget praeceptum jejunandi, seu jam incaepta est Quadragesima, se transfert ad locum, ubi non jejunatur, seu nondum incaepta est Quadragesima, peccat, graviter. Vide verb. *Jejunium art.* 2. *num.* 29. *et* 30.

Qui autem de loco, ubi jejunatur, non in fraudem jejunii, sed bona fide transit ad loca, seu per loca, ubi non jejunatur, non tenetur jejunare. Vide *ibid. n.* 31. 17

Si quis non in fraudem jejunii, sed negotiorum causa, de loco proprii domicilii, ubi nondum est incaepta Quadragesima, pergit ad locum, ubi per hebdomadam est jam incaepta Quadragesima, non tenetur jejunare illic per octo alios dies Paschae ad complendam Quadragesimam. Vide *ibid. n.* 32. 18

E contra vero, si talis in loco sui domicilii complesset Quadragesimam, non tenetur postea alibi 19
observare illos octo dies. Vide *ibid. n.* 33.

Episcopus in sua Dioecesi concedere debet facultatem etiam Vicariis foraneis, et Archipresbyteris, ut de consilio Medicorum impertiri possint indigentibus licentiam vescendi cibis vetitis, quae detur omnino gratis, ita ut nec pro scriptura quidquam accipere liceat: *Sacra Congreg. Episcopor. in Hydruntina* 20. *Augusti* 1591. 20

In Quadragesima non est venandum: Nicolaus 21
I. *ad consulta Bulgar. cap.* 44. Item non sunt facienda Judicia Criminalia, nec aliquis morti est 22
addicendus: Nicolaus I. *ibidem cap.* 45. Item non 23
est vacandum jocis: Nicolaus I. *ibid. cap.* 47. Item 24
non est praeliandum, nisi urgente necessitate: Nicolaus. I. *Ibidem cap.* 46. *et in Decreto titul. de bellis cap.* 4. Item fieri non possunt nuptiae ne- 25
que convivia: Nicolaus I. *ib. cap.* 48. *et in Decreto tit. de Matrimon. cap.* 9. Item fieri non debent Consilia, seu Placita populorum; *cap. Placita* 2. *caus.* 15. *quaest.* 4.

In Quadragesima praedicandum est omni die, 27
vel saltem ter in hebdomada: Conc. Trident. *sess.* 24. *cap.* 4.

Dominicis Quadragesimae olim ex antiqua con- 28
suetudine Fideles vescebantur carnibus, et ultra modum se ingurgitabant per totas noctes carnibus vescentes. Quod valde detestabatur Sanctus Gregorius, ut patet in *cap. Denique* 6. *dist.* 4. At nunc ablata est illa consuetudo. Et Ecclesia, ut excessum in esu carnium auferret, totaliter carnes illis diebus abstulit. Dies tamen non fecit jejunabiles, quia Dominici erant: *Sic Tostatus tom.* 20. *in tertiam partem Matthaei cap.* 6. *q.* 25. *edit. Venetae* 1728.

An Concionatores in Quadragesima excusentur 29
a jejunio, et abstinentia a carnibus, variant Doctores. De Concionatore, qui per integram Quadragesimam continuo praedicat cum valde gravi suo incommodo, et studio, seu multas eodem die conciones habet, et pagos peragrat verbum Dei

(*) Apud Gotho-Hispanos, et Gallos Quadragesimae initium erat die dominico, qui prima dominica Quadragesimae dicitur, jejunii vero feria II. proxime subsequente.

(**) Socrates igitur proculdubio hallucinatus est *lib.* v. *hist. cap.* 22., cum dixit, Romae jejunari tres tantum hebdomadas ante Pascha.

(***) Romae sub octavi saeculi finem Quadragesimae initium a feria II. post Dominicam primam putabatur, ut ex Leonis III. ad Carolum Augustum epistola ann. DCCCVIII. erguit Cennius *T.* II. *Cod. Carol. pag.* 57. Quatuor tamen ante hanc primam Dominicam diebus jejunium ad plenum XL. dierum numerum extra Quadragesimam multo ante S. Gregorium M. fuisse institutum contra Menardum evicit Card. Thomasius *T.* VII. *oper. pag.* 187.

(****) Varia etiam fuit in hoc jejunio nonnullarum Ecclesiarum disciplina; qua de re vide Zachariam *Onomast. Ritual. T.* II. *pag.* 115.

nunciaturus, si commode ob id jejunare, et abstinere a carnibus non possit, absolute concedunt, Natalis Alexander *Theol. dogmatic. et moral. tom.* 2. *lib.* 4. *articul.* 7. *Regula* 5. *de Decalogo vers. Necessitas denique*, Lessius, Navarrus, Filliucius Layman et alii cum Sporer *tom.* 1. *appendic.* 3. *ad praecept. decalog. sect.* 4. *n.* 63. Diana coordinat. *tom.* 4. *tract.* 6. *resolut.* 24. cum Joan. de la Cruz, Tabiena, Azorio, Graff. Fernandez, Reginald. Silvio, et aliis ibi allegatis, Reiffenstuel *Theologiae moral. tractat.* 10. *distinct.* 2 *nu.* 67. Felix Potestas *tom.* 1. *tractat. De peccatis actualibus disput.* 1. *quaest.* 8. *articul.* 4. *conclus.* 2. *resolut.* 2. Busemb *lib.* 3. *part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 4. cum aliis ibi citatis, et alii plurimi. Negant autem ipsi, et alii communiter, ut et nos docuimus sub verb. *Jejunium art.* 1. *n.* 34. de Concionatore, qui ob conciones alibi repetitas, vel ob suae memoriae facilitatem non indigeat longo studio, et labore, seu qui unam tantum, vel alteram concionem in hebdomada habeat; cum in ipso cesset causa exemptionis, nempe labor notabilis, et grave incommodum, *arg. cap. Cum cessante* 60. *de appellat. L. Cum ancillam* 6. *ff. de condition. ob causam: L. Adigere* 6. §. 2. *ff. de jurepatronat.*

30 Alii autem cum distinctione respondent; Aut enim ipse Concionator praedicat ex officio, puta ex voto, seu obedientia Superioris, ejusque concio propter imperitiam, et carentiam aliorum ad idem ministerium, est populo valde utilis, et necessaria, et tunc, si non obstante sua cognita impotentia ad simul jejunandum, et concionandum, adhuc ex justa, et rationabili causa a Superiore ad concionandum mittitur, ab jejunio excusatur, quia jejunium praecipitur ut promotivum ad bonum, et non impeditivum majoris boni, in casu, et ut diximus sub verb. *jejunium loc. cit.* Aut talis concionator voluntarie praedicat, et non missus, seu ideo missus, quia vult, aut mitti quaerit ob mercedem, et lucrum, nec sua praedicatio est ita necessaria, quia alii sint, qui aeque bene, vel melius supplere possint, et tunc jejunare, et abstinere a carnibus tenetur, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. *Ad Rom.* 3. *nu.* 8. *cap. Non est probanda* 27. *caus.* 1. *quaest.* 1. *c. Super eo* 4. *de usuris, c. Ex tuarum* 2. *de sacrileg.* cum ipse in fraudem jejunii voluntarie, sine necessitate, et obedientia, quaerendo, quae sua sunt, non quae Jesu Christi, exponendo se ad praedicandum propter mercedem et lucrum, se culpabiliter reddat impotentem ad praeceptum Ecclesiae servandum, possitque merito ipsi objici illud Apostoli ad *Rom.* 2. *n.* 21. *Qui praedicas non furandum, furaris*, praedicas non violandum jejunium, et violas; et illud *Michaeae* 3. *n.* 4. « Sacerdotes ejus in mercede docebant, et Prophetae ejus in pecunia divinabant ». Sic Silvester *verb. Jejunium q.* 9. *n.* 2. et ex ipso et Cajetano Binsfeldius in *Enchirid. Theolog. par.* 3. *cap.* 33. *conclus.* 2. Mattheuc. *Cautela Confessarii* lib. 1. *cap.* 22. *n.* 7. Et idem videntur docere Phillarch. *De Offic. Sac. tom.* 2. *part.* 2. *lib.* 3 *cap.* 25. Toletus l. 6. *cap.* 5. Fernandez *in Examin. Theolog. t.* 2. *c.* 8. §. 2. *nu.* 12. Fagundez *Praecept.* 4. lib. 1. *cap.* 19. et alii plures, qui tunc solum excusant Concionatores a jejunio, quando concionarentur ex officio, nempe ex voto, seu obedientia, aut eorum conciones essent populo valde utiles, et necessariae. Navarrus autem *in Manual. cap.* 21. *n.* 17. et post illum Graffius *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 37. *n.* 14. et Reginaldus in *praxi tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 17. *n.* 219. et alii putant, hanc sententiam esse veram, quando talis Concionator praedicaret principaliter propter mercedem, et lucrum; Secus vero, si minus principaliter ob necessitatem se sustentandi, in quo sensu dicimus esse intelligendum id, quod ex aliis asseruimus sub verb. *Jejunium art.* 2. *n.* 23. *in fine.*

Quamvis tamen Bonacina *tract. de praecept. Eccles. disp. ultim. part.* 1. *punct. ultim. n.* 13. Piana coord. *tom.* 4. *resolut.* 25. *nu.* 3. Filliuc. *in praxi tom.* 3. *tract.* 37. *p.* 2. *cap.* 6. *n.* 124. Lessius l. 4. *c.* 2. *dub.* 6. *n.* 44. Sporer *loco cit. sect.* 4. *n.* 19. *et* 63. Busemb. *loco cit.* cum aliis ibi allegatis, et plures alii velint, quod absolute excusentur tales Praedicatores a jejunio: etiamsi conciones suscipiant ob mercedem, putantes, quod non sit necesse, contra supracitatos, ut praedicatio efficiatur ex voto, vel officio. 31

At vero in praxi tamquam probabilior, ac magis tuta, pia, ac rationi consentanea, sequenda est sententia dicentium non excusari ab obligatione jejunii, et abstinentiae a carnibus Praedicatores illos, qui voluntarie, et sponte praedicant principaliter propter mercedem, et lucrum; Et solum esse excusati, si praedicent ex officio, nempe voto, aut obedientia, ac propter mercedem minus principaliter, ob solam nempe necessitatem se sustentandi; Unde semper commendabilis remanet recolendae memoriae Benedictus XIII. qui, cum esset Archiepiscopus Beneventanus, nullum in sua Archidioecesi concionari sinebat, qui in cibis Quadragesimalibus Quadragesimam non servaret, probe sciens, quod magis movent exempla quam verba, et efficacius est vitae, quam linguae testimonium, ac longum iter per praecepta, breve et efficax per exempla, cum homines amplius oculis, quam auribus credant. Et tanto magis est haec nostra sententia tenenda hisce diebus post tria in aevum commendabilia pro debita jejunii observantia a fel. rec. Benedict. XIV. edita Brevia, primum nempe incipiens, *Non ambigimus:* secundum, *In suprema:* ac tertium *Libentissime*, ex quibus clare insuper habetur, quod qui juxta praedicta excusantur simpliciter a lege jejunii, non remanent liberi ab abstinentia a carnibus: et e contra qui simpliciter excusantur ab abstinentia a carnibus, non remanent liberi a lege jejunii; Cum diversa sint praecepta, et a diversis non fiat illatio, *L. sed si ante* 17. *ff. de except. L.* 32

Papinianus 20. *ff. de minorib. L. Si Maritus* 10. *in fine, Cod. de donat. inter vir. et uxor. cap. Ad audientiam* 12. *de decimis*, cum similibus: Quae utinam pro sua aeterna salute ab omnibus plene et integre observarentur.

33 Coqui Religiosorum peccant parando Religiosis in Quadragesima, aliisque jejuniorum diebus cibos in quantitate, et qualitate sufficientes ad fractionem jejunii, praesertim si sciant, aliquos ob id jejunium vere fracturos. Sic explicite Matthaeuc. *in Cautela Confessarii lib.* 1. *cap.* 22. *n.* 11. et alii plures implicite. Et ratio est, quia ex suo officio tenentur parare, et ministrare solum eam ciborum quantitatem, et qualitatem, quae ab Ecclesia, et propria Regula est permissa, seu tolerata; alias sic ponendo aliquos in occasione frangendi jejunium, fierent participes peccati eorum, juxta illud Apostoli *ad Romanos* 1. *n.* 31. « Digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus »: et juxta Regulam Nicolai I. *in c. Notum* 19. *caus.* 2. *q.* 1. *Facientem, et consentientem par poena constringit:* Sicut enim, uti dicitur in verb. *Tabernarius*, ex communi Doctorum, caupones, seu tabernarii peccant, si alteram refectionem, seu cibos vetitos apponant illis, quos certo sciunt ad jejunium obligari, et ab illis cibis teneri abstinere, nisi rationabiliter timeant ex tali denegatione sibi obventurum gravissimum malum, seu damnum, quia alias participes fierent eorum peccati; Ita et in nostro, ac simili casu; nam de similibus idem est judicium; *L. Non possunt* 12. *et L. Nam ait Paedius* 13. *ff. de Legibus.*

34 Nec valent se excusare, quod Superiores sic eis praecipiant, quia in tali casu eis in hoc obedire non tenerentur, immo prohiberentur, cum sit res ab Ecclesia, seu Regula prohibita, sicque contra animam praecepti, et ex *actibus Apostolor. cap.* 5. n. 20. *Obedire oportet Deo*, non Ecclesiae, seu Regulae, *magis quam hominibus.* Unde S. P. N. Franciscus *in c.* 10. *Regulae* sic expresse mandat: « Firmiter praecipio eis, ut obediant suis Ministris in omnibus, quae promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animae suae, et Regulae nostrae ». Hinc tanto magis peccarent Superiores, si qui essent, qui ob avaritiam non sufficiens ad jejunandum praestarent subditis prandium, et ob id subditi cogerentur vespertinam refectiunculam quasi in coenam convertere, contra praescriptum a Benedicto XIV. recolend. mem. in novissimo suo Brevi incipient. *Libentissime*, ubi ad secundum hoc dubium; « An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectioncula ea quantitate carnis vesci, quae jejunantibus permittitur? *Respondit;* Non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectae meticulosae conscientiae ». Cum enim ipsi sua detestanda avaritia essent causa, cur subditi non haberent sufficientem refectionem ad jejunandum, essent consequenter culpabilis causa fractionis eorum jejunii; nam quod est causa causae, est etiam causa causati, per text. *in leg. Manumissiones* 4. *ff. de justit. et jure, et arg. cap. Ad audientiam* 12. *de homicid. ac cap. Si culpa* 9. *de injuriis*, cum similibus. Caveant igitur hujusmodi Superiores, si qui sint, ut nedum propriis, sed et alienis onerentur peccatis, et praemisso ad id opportuno remedio, contriti dicant cum Regio Psalte: « Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo ». *Psal.* 18. *n.* 14.

Quadragesimae tempus cum caeteris jejunii temporibus, et diebus exaequatur in eo, quod respicit observantiam legum a SS. Domino Nostro statutarum: Benedict. XIV. *tom.* 1. *Constitut.* 99. *incip. Si Fraternitas* §. 1. In Quadragesima diebus Dominicis non licet epulas licitas cum vetitis permiscere. Idem *ibid.* 35 36

Quadragesimae diebus permittitur Militibus S. Januarii esus lacticiniorum, et cum opus fuerit, etiam carnium: Idem Constitut. 24. incip *Romanae Ecclesiae* §. 6. Quadragesimae jejunium juxta Kalendarium Romanum ab Italo Graecis est observandum: Idem Constitut. 57. incip. *Etsi Pastoralis* §. 8. 37 38

Quadragesimali tempore pisces non edunt, nec vinum bibunt Maronitae; Veterum enim jejunii disciplinam iisdem Maronitis, seu Syris, Armenisque Catholicis relaxari numquam passa est Apostolica Sedes, ideoque rejecta tamquam minus legitima causa ad facultatem dispensandi obtinendam a Missionariis allata, jejunii lex servari praecipitur: Benedictus XIV. Constitut. incip. *Allatae sunt* §. 47. in cujus Summario sic praecise habetur: « A Syriacis, et Armenis in latinorum Ecclesiis Sacrum peragentibus proprium Ritum servari praecipitur: Missionariis denegatur facultas dispensandi eosdem Syros, et Armenos super abstinentia a piscibus jejunii tempore; Omnes denique Graecos, et Orientales Ritus conservandos esse decernitur; Moneanturque Missionarii, ut in Orientalibus convertendis, eos ab erroribus, et schismate revocent, non a suis approbatis Ritibus avertant ». 39

Quoad quadragesimalis jejunii debitam observantiam, vide novissimam Encyclicam Clementis XIII. incip. *Appetente* allatam jam tom. 4. verb. Jejunium, *art.* 1. *n.* 90. 40

QUARTA FUNERALIS

SUMMARIUM

1. Quarta funeralis, seu Canonica portio est Jure Canonico inducta ob Sacramenta, quae suis Parochianis Parochus ipse administrat. — 2. Talis Canonica portio de legitima, et rationabili consuetudine potest induci, ut sit medietas, vel Tertia pars; Unde attendenda est cujusque loci legitima consuetudo. — 3 Quarta funeralis, seu portio Canonica usque ad quartam exclusive potest praescribi spatio decem annorum absque titulo; Ad hoc autem, ut praescribatur infra quartam, vel ut nihil solvatur, requiritur consuetudo 40. Annorum cum titulo, aut immemorabilis. — 4. Quarta funeralis debetur Ecclesiae, in qua Parochianus consuevit audire Divina, et recipere Sacramenta. — 5. Et sic de jure debetur proprio Parocho, seu Vicario, vel Sacerdoti habenti curam Parochianorum. — 6. Si Parochianus in una Ecclesia solet audire Divina, et in altera recipere Sacramenta, Quarta debetur ei, a qua recepit Sacramenta. — 7. Quarta funeralis debetur Parochiae, ubi quis habet domicilium, licet propter bellum, aut pestem, seu animi levandi gratia in Villam, seu alium locum se contulerit animo redeundi; et ibi obierit. — 8. Quarta funeralis debetur Ecclesiae Parochiali, etiamsi quis aegrotus ad aliam Parochiam deferri se fecerit, et ibi obierit. — 9. Quartam funeralem Ecclesiae Parochiali debet, qui in aegritudine constitutus se cum suis bonis ad Religionem in aliam Ecclesiam transtulerit: Secus vero si senus bona seu Monasterio, aut alteri Ecclesiae dederit. — 10. Sepultura electa apud Ecclesiam, ubi majores defuncti solent ab antiquo sepeliri, Quarta funeralis non debetur ei, sed Ecclesiae Parochiali. — 11. Quarta funeralis pro sepultura Canonicorum Cathedralium debetur Parocho domicilii, non vero Parocho Cathedralis, neque Parocho Parochiae, ubi adest sepultura suorum Majorum. — 12. Servanda est consuetudo, quod eadem Intortitia, quae fuerunt accensa in associatione Cadaveris, deserviant, et reaccendantur circa Feretrum in Ecclesia, in qua sepeliendum est Cadaver. — 13. Quarta funeralis non debetur Parocho, intra cujus limites viator retentus pro delicto, et habilitatus cum cautione decedit, stante consuetudine in Civitate, quod Jus sepeliendi peregrinos, et viatores spectat ad Cathedralem. — 14. Quarta Parochialis debetur Ecclesiae Cathedrali, vel praescriptione, vel ex eo, quod illam sibi reservavit, quando Parochiae fuerunt erectae in signum Superioritatis. — 15. Curatus unius Dioecesis, (quaecumque sit) in transitu cadaveris, quod processionaliter defertur ad Ecclesiam Regularium ab alia Dioecesi transeundo per propriam Parochiam, et Jurisdictionem, non potest aliquam partem Cerae, et pecuniarum praetendere. — 16 Quarta funeralis debetur de iis, quae ratione funeris praebentur ab haeredibus defuncti. — 17. Funeralia de Jure communi quae dicantur? — 18. Quarta de quibus debeatur juxta novissimam dispositionem Benedicti XIII. — 19. Quarta debetur, etiamsi funus non fiat in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longus tempus differatur. — 20. Quarta non debetur de Intortitiis, et Candelis, quas Sacerdotes etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus associantes manualiter per viam deferunt — 21. Item quarta funeralis non debetur de Missis, Legatis, Anniversariis, hisque similibus piis relictis ad favorem Ecclesiae tumulantis a defuncto dispositis. — 22. Vela, sedariola, et similes panni, non solum, peti non sed neque etiam a sponte dantibus occasione funerum accipi possunt a Parochis. — 23. Regulares olim quartam funeralem solvere tenebantur solum in illis Conventibus, seu Monasteriis, quae eam solvere consueverant quadraginta annis ante Concil. Tridentinum: secus vero in aliis ex post aedificatis, et quae in dies aedificabantur. — 24. At novissime contrarium determinavit Benedictus XIII. — 25. Affertur ad id ejus Constitutio. — 26. Parochi praetendere non possunt ab haeredibus defunctorum, qui sepeliuntur in Ecclesiis Regularium, duplicem quartam, seu portionem majorem solitam dari pro illis, qui sepeliuntur in propria Parochiali. — 27. Affertur ad id Constitutio Clementis X. — 28 Et novissime fuit iterum resolutum a Sacra Congregat. Episcoporum ad favorem Minorum de Observantia contra Parochum Terrae Clastidii Placentinae Dioecesis — 29. Dantur hic varia Decreta Sacrae Congregat. Episcoporum in Placentina pro caussa inter Clerum Saecularem Placentiae, et Monachos Casinenses ejusdem Civitatis. — 30. Item dantur Decreta Sacrae Congregationis Rit. in Senogallien. pro caussa inter Curatos Corinalti Senogalliensis Dioecesis, et PP. Minores Conventuales, et Augustinianos. — 31. Item referuntur alia decreta ejusdem Sacrae Congregationis Rit. in Vaden. pro caussa inter Parochos et Regulares ejusdem Civitatis. — 32. Item adducuntur Decreta Sacr. Congregat. Concil. in Novarien. pro caussa inter Parochos, et PP. Reformatos, Oppidi Varalli ejusdem Dioecesis Novariensis. — 33. Parochis pro associandis, et tumulandis Cadaveribus eorum, qui repentina, vel violenta morte decedunt, non licet exigere majorem Quartam, seu majus emolumentum eo, quod exigi, seu praestari solet ab eo, qui testamentum condidit. — 34. Item non licet Parochis exigere majorem quartam, seu majorem eleemosynam ab exteris tumulandis in Ecclesiis Regularium, quam a Civibus. — 35. Pro exactione quartae funeralis non gravatur haeres, sed lis agitur inter Parochum, et Ecclesiam tumulantem. — 36. Quarta funeralis solvitur in quantitate solita, et praescripta juxta consuetudinem Regionis, et locorum. — 37 Confraternitates, quae habent Jus sepulturae, debent sepelire sine praejudicio quartae funeralis, aliorumque emolumentorum, quae spectant ad Capitulum, vel Parochum. — 38. Quarta funeralis pro sepultura Educandarum, ac Mulierum Saecularium in Monasteriis Monialium decedentium, *remissive*. — 39. Alia ad rem, *remissive*. — 40. Alia ad rem cum add. ex el. man. *ad num.* 46.

1 Quarta funeralis, seu Canonica portio est Jure Canonico inducta ob Sacramenta, quae suis Parochianis Parochus ipse administrat, et ideo illi de Jure debetur, *c. Nos instituta* 1. *cap. Relatum* 2. *cap. De his* 4. *cap. Cum super* 8. *de sepulturis*, *et Clementin. Dudum de sepulturis.*

2 Talis Canonica portio de legitima, et rationabili consuetudine potest induci, ut sit medietas, vel tertia pars, *c. Antiquos* 10. *q.* 1. *cap. Explicari* 9. *de sepulturis*. Unde attendenda est cujusque Provinciae, et loci legitima, et rationabilis consuetudo: *Communis*, per text. *in cit. cap. Explicari*, *et cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine*. Et sic expres-

se decrevit: *Sac. Congreg. Conc. in Ebredunen.* 15. *Julii in responsion. ad* 12. *et in Mantuana* 18. *Junii* 1699.

3 Quarta funeralis, seu portio Canonica usque ad quartam exclusive potest praescribi spatio decem annorum absque titulo; Ad hoc autem ut praescribatur infra quartam, vel ut nihil solvatur, requiritur consuetudo 40. annorum cum titulo, aut immemorabilis: Alexander *consil.* 196. *n.* 15. *vers. De praescriptione lib.* 2. Silvester verb. *Canonica Portio n.* 2. *et* 4. Molina *de Justitia et Jure tract.* 2. *disp.* 215. *n.* 7. Lupus *de Canonica portione c.* 2. *n.* 64. *et* 65. Barbosa *de Offic. et potest. Parochi part.* 3. *cap.* 25. *n.* 16. Samuel *de sepulturis tract.* 1. *controvers.* 9. *conclus.* 5. et alii passim.

4 Quarta funeralis debetur Ecclesiae, in qua Parochianus consuevit Missam audire, et Divina, et recipere Sacramenta, *cap. Cum quis* 2. *de sepulturis in* 6. Rota *part.* 1. *recentior. decis.* 376. *n.*

5 1. Et sic de Jure debetur proprio Parocho, seu Vicario, vel Sacerdoti habenti curam Parochianorum, *cap. Requisivisti, de testament. cap. Cum ex eo, de election. Clementin. Dudum* §. *Verum, de sepulturis*, Rota *in Mediolanens. Quartae funeralium.* 14. *Mart.* 1622. *coram Merlino*, Barbos. *loc. cit. n.* 19. *et* 20. Samuel *loco cit. conclus.* 8. et alii communiter.

6 Si Parochianus in una Ecclesia solet audire Divina, et in altera recipere Sacramenta, Quarta debetur ei, a qua solet recipere Sacramenta; *cap. Nos instituta* 1. *de sepulturis*, Silvester verb. *Canonica Portio nu.* 11. Barbos. *loc. cit. concl.* 11. et alii.

7 Quarta funeralis debetur Parochiae, ubi quis habet domicilium, licet propter belium, aut pestem, seu animi levandi gratia, in Villam, seu alium locum se contulerit animo redeundi, et ibi obierit; Abbas *in c. De his* 4. *de sepulturis*, Barbosa *loc. cit. n.* 26. Samuel *loc. cit. concl.* 15. Rodriq. *tom.* 3. *quaest. Regular. q.* 46. *artic.* 9. *conclus.* 2. et alii passim.

8 Quarta funeralis debetur Ecclesiae Parochiali, etiamsi quis aegrotus ad aliam Parochiam deferri se fecerit, et ibi obierit, cum ob domicilii mutatione in tali casu Ecclesia sua Parochialis non perdat Jus Quartae funeralis, *ex Clement. Dudum, de sepulturis.* Barbosa *loc. cit. n.* 27. Samuel *loc. cit. conclus.* 14. Abbas *in cit. cap. De his* 4. *de sepulturis*, Silvester *in Summa verb. Canonica* 15. cum multis aliis.

9 Quartam funeralem Ecclesiae Parochiali debet, qui in aegritudine constitutus, se cum bonis suis ad Religionem in aliam Ecclesiam transtulerit: Secus vero est dicendum, si sanus bona sua Monasterio, aut alteri Ecclesiae dederit, *cap. De his* 4. *de sepultur. Barbosa loc. cit. n.* 28. Samuel *loc. cit. conclus.* 15. Miranda *loc. cit. qu.* 48. *art.* 9. *conclus.* 3. et alii passim.

10 Sepultura electa apud Ecclesiam, ubi majores defuncti solent ab antiquo sepeliri, Quarta funeralis non debetur ei, sed Ecclesiae suae Parochiali, in qua consuevit audire Divina, et recipere Sacramenta; *cap. Cum quis* 2. *de sepultur. in* 6. Barbosa *loc. cit. nu.* 29. Miranda *loc. cit. art.* 9. *conclus.* 4. Samuel *loc. cit. conclus.* 16. *et Communis aliorum.*

Quarta funeralis pro sepultura Canonicorum Cathedralium debetur Parocho domicilii, non vero Parocho Cathedralis, neque Parocho Parochiae, ubi adest sepultura suorum Majorum: Sic expresse decrevit *Sacr. Congreg. Concil. in Tiburtina* 12. *Maii* 1685. *in responsion. ad* 3. *et in Narnien.* 26. *Septembr.* 1699. Vide verb. *Canonic. art.* 8. *n.* 14. 11

Servanda est consuetudo, quod in funeralibus eaedem faculae, seu Intortitia, quae fuerunt accensa in associatione Cadaveris, deserviant, et reaccendantur circa feretrum in Ecclesia, in qua sepeliendum est Cadaver. Sic expresse decrevit *Sac. Congr. Concil. in Tiburtina* 12. *Maii* 1685. *in responsione ad* 4. 12

Quarta funeralis non debetur Parocho, intra cujus limites viator retentus pro delicto, et habilitatus cum cautione, decedit, stante consuetudine in Civitate, quod Jus sepeliendi peregrinos, et viatores spectet ad Ecclesiam Cathedralem: *Sacr. Cong. Conc. in Pisauren.* 22. *Januar.* 1628. 13

Quarta Parochialis debetur Ecclesiae Cathedrali, vel praescriptione, vel ex eo, quod illam sibi reservavit, quando Parochiae fuerunt erectae in signum Superioritatis: Rota *part.* 1. *recentior. decision.* 376. *n.* 2. *et* 3. Barbosa *loc. cit. nu.* 22. Samuel *loc. cit. conclus.* 9. Ricclus *resolut.* 299. *n.* 4. et alii. 14

Curatus unius Dioecesis (quaecumque sit), in transitu Cadaveris, quod processionaliter defertur ad Ecclesiam Regularium ab alia Dioecesi, transeundo per propriam Parochiam, et Jurisdictionem, non potest aliquam partem cerae, et pecuniarum praetendere: *Sacr. Congregat. Episc. et Regular.* 15. *Novemb.* 1675. *et Ead. Sacr. Cong. Episcop. novissime in Placentina pro Terra Clastidii* 24. *Novembr.* 1713. *in respons. ad* 2. Vide verb. *Parochus art.* 3. *a n.* 37. 15

Quarta funeralis, seu Canonica portio debetur de iis, quae ratione funeris praebentur ab heredibus defuncti, *cap. Inter cunctos* 1. *de Privileg. inter Extravagant. communes.* Sixtus IV. Constit. Incip. *Etsi Mendicantium*, Barbosa *loc. cit. Controvers.* 10. *conclus.* 1. et plures alii apud ipsos. 16

Funeralia de Jure communi dicuntur, quae ratione sepulturae obveniunt, et quacumque occasione funerum ad Ecclesiam perveniunt cum defuncti corpore; *cap. Cum liberum* 5. *et cap. In nostra* 10. *de sepulturis*, Barbosa *l. citat. n.* 37. Samuel *loc. cit. conclus.* 2 Portell. *in dub. Regular. verb. Canonica portio nu.* 5. et alii plurimi apud ipsos. 17

Quarta debetur de omnibus Intortitiis, et Candelis, quibus defuncti Cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associatur, nec non de omni- 18

bus Intortitiis, et Candelis, quae in eadem Ecclesia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur: Sic expresse statuit novissime Benedictus XIII. Constitut. incip. *Romanus Pontifex*, unde ubi adest consuetudo, quod in Ecclesia circa Cadaver diversa accendantur Intortitia ab illis, quae fuerunt accensa in associatione Cadaveris in itinere ad Ecclesiam tumulantem, debetur Quarta de omnibus. Vide *supra n.* 12.

19 Etiamsi funus non fiat in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differatur, debetur nihilominus Parocho Quarta de omnibus Intortitiis, et Candelis, quae circa Cenotaphium, seu tumulum honorarium, et in Altaribus ejusdem Ecclesiae accenduntur: Sic expresse Benedictus XIII. in cit. Constit. incip. *Romanus Pontifex*, et jam alias declaraverat *Sacr. Congregat. Episcop. et Regul. in Senensi* 3. *Augusti* 1621.

20 Quarta autem non debetur de Intortitiis, et Candelis, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus associantes manualiter per viam deferunt: Sic expresse Benedictus XIII. *ibidem*, et jam pluries fuerat declaratum *a Sacr. Congreg. Episcop. et Regular.* et signanter 28. *Novembris* 1588. *et in Firmana* 5. *Martii* 1596.

21 Item Quarta funeralis non debetur de Missis, Legatis Anniversariis, hisque similibus piis relictis ad favorem Ecclesiae tumulantis, vel exponentis, a defuncto dispositis: Sic expresse Benedictus XIII. *ibidem*, et jam fuerat declaratum a S. Pio V. Const. incipient. *Etsi Mendicantium.*

22 Vela, Sudariola, et similes panni, non solum non peti, sed neque etiam a sponte dantibus occasione funerum accipi possunt a Parochis: *Die enim* 13. *Augusti* 1718. *in una Terrae Massae Tudertinae Dioecesis*, proposito dubio in Sacra Congregatione Concilii: « An sub Quarta comprehendantur Frumentum, Pannum, Sudariolum, et Cera, quae accenditur, et extinguitur ante Ecclesiam Fratrum? Responsum fuit: Comprehendi sub quarta funerali Frumentum, et Ceram, non autem Pannum, et Sudariolum, et quoad Sudariolum Sacra Congregatio mandavit illud amplius non auferri cum cadavere, nec ab heredibus Parocho consignari ». Sic refert Ursaya *to.* 4. *p.* 1. *n.* 13. In Tudertina Funerum pro Patribus Tertii Ordinis S. Francisci Terrae Massae cum Archipresbytero ejusdem loci, ubi multa docet ad rem.

23 Regulares olim Quartam funeralem solvere tenebantur solum in illis Conventibus, seu Monasteriis, quae eam solvere consuaverant 40. annis ante Concilium Tridentinum; Secus vero in aliis ex post aedificatis, et quae in dies aedificabantur, ut patet ex ipso Concilio Trident. *sess.* 25. *cap.* 13. *de reform.* et declaraverat S. Pius V. Constit. incip. *Etsi Mendicantium;* et pluries *Sacra Cong. Concilii, ut in Pampilon.* 22. *Septembr.* 1591. *in Meliten.* 2. *Augusti* 1607. *in Asculana* 2. *Septembr.* 1679. in *Lauden.* 2. *Maii* 1711. *Et Sacr. Congr. Episcopor. et Regular.* 17. *Novembris* 1673. *in Senogallien.* 23. *Decemb.* 1707. *in Brictinorien.* 16. *Mart.* 1717. et saepe alibi.

24 At novissime contrarium determinavit Benedictus XIII. Constitut. incip. *Romanus Pontifex;* qua decernitur, et mandatur, ut in Italia, eique adjacentibus Insulis Parochis defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium de cetero tumulabuntur, Quarta funeralis persolvatur, praeservando favore Parochorum consuetudines legitimas pro illis locis, in quibus vigent, percipiendi portionem majorem Quarta, cum aliis ordinationibus, et derogationibus opportunis; Et in Concilio Romano *tit.* 8. *de Officio Judicis Ordinarii c.* 5. mandat Episcopis, ut ipsam publicari curent, atque pro illius observantia invigilent, etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegati. Unde, ut ejus dispositio ab omnibus plene percipiatur, hic ad litteram datur.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc.

25 « Romanus Pontifex aequi, bonique supremus Assertor, Auctoritatem a Christo per beatum Petrum, Apostolorum culmen, sibi traditam intelligens, ut ex Agro Dominico pro temporum necessitate noxia evellat, et destruat, utiliaque plantet, ac aedificet, ea interdum, quae a Praedecessoribus suis ob rationabiles, et justas causas olim sancita fuerunt, ubi in grave aliorum praejudicium, et detrimentum redundare cognoscit, atque dissidiis, et contentionibus fomentum praebere animadvertit, maxime inter Dei, et Ecclesiae Ministros, quorum est evangelizare pacem, et quibus a Domino non aliud frequentius, neque enixius commendatur, quam ut pacem, ac unitatem diligant, moderari, et immutare, aliasque Pastoralis Officii sui partes desuper interponere solet, prout rerum, locorum, temporumque circumstantiis matura pensatis, discordiarum extinctioni, Ecclesiasticorum Ministrorum quieti, fidelium animarum saluti, Divinoque cultui conspicit salubriter expedire.

Sane quamplures Romani Pontifices Praedecessores nostri multiplicia, ac plane insignia considerantes merita Ordinum Regularium, qui militantem in Terris Ecclesiam fortissimis omni tempore auxerunt praesidiis, Viris nempe vitae Sanctitate, Doctrinae laude, ac Orthodoxae Religionis Zelo praestantibus, eidemque in Coelis triumphanti eximii fulgoris lumina addiderunt, ipsos Ordines, eorumque Professores, plurimis satis amplis Indultis, et Privilegiis benigne decorarunt; ac inter alia iis illud concesserunt, ut Canonicam portionem, seu Quartam funeralium emolumentorum partem pro personis, quae in eorum Ecclesiis sepulturam sibi eligerent, Parochis persolvere minime tenerentur, ac ad majorem ejusmodi Privilegii firmitatem, sanctioni etiam a fel. rec. Clemente V. Praedecessore Nostro editae in Conci-

lio Viennensi, et relatae in Clementina *Dudum*, *de Sepulturis*, nec non Concilii Tridentini Decreto relato *in c.* 13. *sess.* 25. *de reform.* praedictam Quartam funeralem Parocho aperte reservantibus non semel amplissime derogarunt; Unde non acerbae modo Parochorum querelae, sed innumerae etiam contentiones, atque lites inter eos, et Regulares super solutione ejusdem Quartae diversis temporibus excitatae fuerunt, quae coram Ordinariis Locorum, et deinde in variis quoque almae Urbis Nostrae Tribunalibus, praesertim vero in Auditorio Palatii Nostri Apostolici, et in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, praefati Concilii Tridentini Interpretum, magno partium studio, nec minori sumptuum incommodo discussae, sicut accepimus, aliquando ad favorem Parochorum, aliquando autem ad favorem Regularium pro diversis causarum circumstantiis, atque vario Judicantium sensu, decisae, ac definitae fuerunt. Haec porro judicatorum, sententiarumque diversitas, cum nullam certam, ac determinatam constituerit regulam, in evenientibus casibus observandam, magnum plane fomentum, et ansam relinquit, immo et latam sternit viam ulterioribus inter praedictos Regulares, et Parochos litibus, et controversiis, ex quibus ipsi, qui in domo Dei ambulare debent cum consensu, novis de cetero perturbari dissidiis, novisque praegravari dispendiis possunt cum Divini cultus detrimento, et scandalo plurimorum.

Quo circa Nos maxime expedire censentes, ut ejusmodi controversiae, et lites ab Ecclesia Dei penitus arceantur, ac insuper, licet universos Ordines Regulares, in quibus nempe in Ordine Fratrum Praedicatorum, Nos ipsi plurium annorum spatio versati sumus, speciali paternae caritatis affectu prosequamur, eosque, uti de Ecclesia Catholica, Fide, et Sede Apostolica optime meritos praecipuo semper in honore, ac pretio habuerimus, et habeamus; Nihilominus considerantes exemptionem a solutione Quartae funeralis, praefatis Ordinibus a dicta Apostolica Sede concessam modo vergere in maximum Parochorum praejudicium, tum propter multiplicationem Conventuum et Monasteriorum Regularium, tum etiam propter auctam devotionem, et consuetudinem Fidelium sepulturam eligendi in Ecclesiis praedictorum Regularium, ac proinde non modo consentaneum, sed etiam necessarium arbitrantes, ut eorumdem Parochorum, quibus ceteroquin Sacri Canones, et prisca Ecclesiae disciplina aperte suffragantur, indemnitati opportune consulatur, et antedicta Apostolica Privilegia ad aequitatis limites reducantur: Hinc igitur est, quod Nos omnia, et singula memorata Privilegia exemptiva a solutione Quartae funeralis, quibusvis Ordinibus, Congregationibus, ac Institutis Regularibus ab Apostolica Sede, ut praefertur, quandocumque, et quomodocumque concessa, praesentibus, pro plene, et sufficienter expressis habentes, ac de eorum tenore, et substantia satis superque instructi, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, et aliquot etiam Romanae Curiae Praelatorum a Nobis ad id specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam Episcopis, et aliis Ecclesiarum Praelatis, in praesenti Sacro Concilio congregatis, ac insuper motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione, praemissa omnia Privilegia quoad Quartam funeralem, tantum pro locis infra exprimendis, moderamur, reformamus, ad viam Juris reducimus, et quatenus opus sit, etiam revocamus, et abrogamus, neque cuipiam deinceps suffragari posse, vel debere decernimus.

Praeterea motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus sancimus, et statuimus, et mandamus, ut in Italia, eique adjacentibus Insulis, a die publicationis praesentis Constitutionis in futurum, Parochis defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium praedictorum tumulabuntur, persolvatur, et cum effectu tradatur Quarta pars omnium Intortitiorum, et Candelarum, quibus defuncti Cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, nec non omnium Intortitiorum, et Candelarum, quae in eadem Ecclesia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur; A praedicta tamen Quarta funerali exceptae intelligantur, et sint Candelae, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres, funus associantes, manualiter per viam accensas deferent. Quod si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differretur, Parocho nihilominus assignetur Quarta pars omnium Intortitiorum, et Candelarum, quae ipsemet peracti funeris die in Ecclesia, ubi Defunctus humatus fuit, circa Coenotaphium, seu tumulum honorarium, atque etiam in Altaribus ejusdem Ecclesiae accensa fuerint. Haec porro omnia locum habeant, et exacte in posterum observentur, quotiescumque Defunctus extra suam Parochialem Ecclesiam tumuletur, vel exponatur, sive in Ecclesia tumulante, vel exponente Beneficium obtinuerit, sive quia ibidem sepulcrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in ea Sepulturam elegerit. Sub praedicta Quarta funerali comprehendi non intendimus, immo expresse ab ea excipimus Legata Missarum, et Anniversariorum, hisque similia pia relicta ad favorem Ecclesiae tumulantis, vel exponentis a Defuncto deposita: Circa quae, ac omnia, et singula alia, de quibus in praesenti Constitutione mentio facta non fuit, Privilegia praedictis Regularibus Ordinibus ab Apostolica Sede concessa, salva prorsus, et illaesa, ac inviolata perpetuo permanere, et ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore, quandocumque spectabit, inconcusse, et irrefragabiliter observari debere volumus, decernimus, et mandamus.

Ubi vero consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae, vel statuta vigerent, quae praefatis Parochis magis faverent, illisque pinguiorem praedicta Quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in iis, in quibus vigent, locis inconcusse ab omnibus observari motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus sancimus, praecipimus, et jubemus.

Decernentes pariter, praesentes Litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod praedictorum Ordinum Regularium Superiores, et quicumque alii in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu alias justificatae fuerint, vel etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, aut alio quovis praetexta, et ex quocumque capite, colore, et causa, etiam necessario exprimenda, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in toto, vel in parte rescindi, retractari, invalidari, in Jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illa restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut quodcumque aliud Juris, vel Facti, Gratiae, vel Justitiae remedium impetrari, seu eo impetrato quemquam uti, seu juvare in Judicio, vel extra nullatenus posse, sed eas semper validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari debere. Sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum dicti Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Card. etiam de latere Legatos, et Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de Jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, nec non quorumvis Ordinum praedictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros eisdem Ordinibus, ut praefertur, illorumque Superioribus, et Professoribus quibuscumque sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis efficacioribus, et insolitis clausulis, et Decretis irritantibus, etiam motu simili, et consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, et innovatis; Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, insertis, ac servatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem praesentes Litterae etc.

Nulli ergo omnino hominum etc.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto, quarto Kalendas Maii, Pontificatus Nostri Anno Primo.

P. M. CARD. PRODAT.

F. CARD. OLIVERIUS.

Parochi consequi non possunt, neque praetendere ab heredibus Defunctorum, qui sepeliuntur in Ecclesiis Regularium, duplicem Quartam, seu portionem majorem solita dari pro iis, qui sepeliuntur in propria Parochia. Sic expresse declaravit *Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. in Brundusina 7. Decemb.* 1640, quod cum aliis Decretis confirmavit Clemens X. Constit. incip. *Alias*, quae ut ab omnibus in promptu habeatur, hic, pro ut jacet, subnectitur. 26

CLEMENS PAPA etc.

» Alias pro parte tunc existentis Commissarii 27
» Curiae Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Congregationi tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositae supplicato, ut prohiberetur Parochis, et Clericis Terrae Leverano Brundusinae Dioecesis, omnibusque aliis Parochis, et Presbyteris, ne auderent accipere majorem eleemosinam pro defunctis, qui sepelirentur in Ecclesiis dictorum Fratrum, quam accipiebant pro iis, qui in ipsorum Parochorum, et Presbyterorum saecularium Ecclesiis sepeliebantur, emanavit die 7. Decembr. 1640. ab eadem Congregatione Decretum tenoris sequentis: videlicet.

» Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, ad tollendas indebitas exactiones, quae, ut proponi-

» tur, in tumulandis Defunctorum corporibus fie» ri solent, censuit injungendum, prout praesen» tis Decreti tenore injunxit Archiepiscopo Brundusino, ceterisque Locorum Ordinariis, ne per» mittant, ut Parochi, aliique de Clero saeculari, » majorem post hac eleemosynam sibi attribui fa» ciant ab heredibus Defunctorum, qui in Eccle» siis Regularium praedictorum sepulturam sibi » elegerint, quam percipere possent, si in Paro» chiali, seu alia ipsius Cleri saecularis Ecclesia » sepeliri voluissent, contrariis quibuscumque non » obstantibus etc. die 7. Decembris 1640. Et » subinde cum tunc existentes Fratres Provinciae » Dalmatiae dicti Ordinis Congregationi praefa» tae exposuissent, functiones funerales Defunc» torum, quorum cadavera in eorum Ecclesiis se» pulturae mandarentur, facere ad eos, non autem » ad Parochos, spectare; Congregatio praefata die » 31. Augusti 1657. aliud Decretum edidit teno» ris, qui sequitur, videlicet: Sac. Congreg. Emi» nentiss. S. R. E. Card. negotiis, et consulta» tionibus Episcoporum, et Regularium praeposi» ta, attentis narratis, juxta alias resoluta, cen» suit, functiones funeralium super Cadavera De» functorum, quae in Ecclesiis Regularium con» tingit sepeliri, postquam ad easdem Ecclesias » pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad Paro» chos pertinere, ac proinde ita in Oratorum Ec» clesiis circa praemissa servandum esse, prout » servari mandat, et praecipit, contrariis non ob» stantibus quibuscumque. Die 31. Augusti 1657.

» Cum autem sicut pro parte dilecti filii Fran» cisci Mariae a Castro S. Petri de Bononia Pro» curatoris Generalis Ordinis praefati, Nobis nu» per expositum fuit, ipse Decreta hujusmodi pro » firmiori illorum subsistentia Apostolicae Con» firmationis Nostrae patrocinio communiri sum» mopere desideret: Nos specialem ipsi Francisco » Mariae Procuratori Generali gratiam facere vo» lentes, eumque a quibusvis Excommunicationis, » Suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasti» cis sententiis, Censuris, et poenis a Jure, vel » ab homine, quavis occasione, vel causa latis, » si quibus quomodolibet innodatus existit, ad » effectum praesentium dumtaxat consequendum » harum serie absolventes, et absolutum fore cen» sentes; Supplicationibus ejus nomine Nobis su» per hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta » praeinserta Auctoritate Apostolica tenore prae» sentium approbamus, et confirmamus, illisque » salva tamen semper in praemissis auctoritate » memoratae Congregationis Cardinalium, invio» labilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus. » Decernentes, easdem praesentes Litteras sem» per firmas, validas, et efficaces existere, et fo» re, suosque plenarios, et integros effectus sor» tiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et » pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et » ab eis respective inviolabiliter observari, sicque » in praemissis per quoscumque Judices Ordina» rios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apo» stolici Auditores, judicari, et definiri debere, » ac irritum, et inane, si secus super his a quo» quam quavis auctoritate scienter, vel ignoran» ter contigerit attentari: Non obstantibus Con» stitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ce» terisque contrariis quibuscumque. Datum Ro» mae apud Sanctam Mariam Majorem sub An» nulo Piscatoris die 18. Januarii 1672. Pontifi» tus Nostri anno secundo.

Et novissime fuit iterum resolutum a *Sac. Congregatione Episcoporum, et Regularium* **24.** *Novembris* **1713.** *in respons. ad* **3.** *in causa Placentina funerum vertente inter Fratres Conventus Clastidii Min. Observ. S. Francisci ex una, et Parochum dictae Terrae Clastidii partibus ex altera, de, et super infrascriptis dubiis etc.* Vide verb. *Parochus art* 3. *n.* 40. ubi Decretum adest, et responsio Sacrae Congregationis ad singula dubia. 28

Dantur hic alia Decreta *Sacrae Congregationis Episcoporum in una Placentina* 16. *Decem.* 1661. edita pro causa inter Clerum Saecularem Placentiae, et Monachos Casinenses ejusdem Civitatis Ecclesiae S. Sixti ad relationem Eminentiss. Cardin. Paliottae, apud Impressores Camerales tenoris sequentis. 29

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.

» Per occasioni di mortorj, e funerali sono nate tra li Monaci Cassinesi di S. Sisto di Piacenza umilissimi Oratori dell'EE. VV. ed i Parrochi della stessa Città alcune differenze, che in sostanza si riducono a tre.

Primo, se i Monaci suddetti, quando sono invitati, e vanno alli Mortorj, siano obbligati convenire alla Chiesa Parrocchiale.

Secondo, se possano quei, che fanno li Mortorj, ed esequie, dar maggior quantità di candele, e Cera alli detti Monaci, di quello che diano al Parroco, o Parrochi, ed al Clero secolare.

Terzo, se portandosi a seppellire i morti nelle Chiese delli Monaci sia lecito alli Parrochi entrare nelle dette Chiese, o pure siano obbligati a lasciare i cadaveri su la porta, ed ivi dare l'ultimo vale?

Per terminazione di queste differenze è piaciuto all' E. E. V. V. dar per Ponente l'Eminentiss. Paliotta, ed avendo l'Eminenza sua riferito, e le parti informato hinc inde in facto, et in jure, vengono ora l' E. E. V. V. umilmente supplicate a dare la risoluzione, e tutto etc. Quam Deus etc. ».

« Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, attentis narratis, causaque, auditis partibus, Eminentissimo Paliotta referente, mature discussa, et examinata, censuit quoad primum: Monachos hujusmodi accedentes ad funeralia defunctorum in aliena Parochia, convenire debere in Ecclesia Paro-

chiali cum aliis pariter accessuris, et deinde omnes una cum Parocho ad Domum defuncti efferendi ritualiter procedere.

Circa secundum, distributionem Candelarum, quoad differentiam quantitatis, pendere ab arbitrio Heredum, aut aliorum distribui mandantium.

Et demum circa tertium, servanda esse decreta, et declarationes alias factas, scilicet Parochis in associatione, sive occasione associationis Cadaverum non licere ingredi Ecclesiam Monachorum praedictorum, sed teneri dimittere Cadavera ad Januam Ecclesiarum, ibique solum posse benedicere, et dare ultimum vale; Officia vero, et alia munia, quae in hujusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Monachis peragi debere, non autem a Parochis. Atque ita in praemissis omnino deinceps fieri, et exequi praesentium vigore mandat, ac praecipit contrariis quibuscumque non obstantibus ».

Romae 16. *Decembris* 1661.

M. CARD. GINETTUS.

30 Item dantur Decreta *Sacrae Congr. Rit in una Senogallien* 13. *Julii* 1675. edita pro causa inter Archipresbyterum, Canonicos, et Curatos Parochialis, et Collegiatae S. Petri Corinalti Senogalliensis Dioecesis ex una, et Conventus, et P. P. Augustinianos, et Minores Conventuales dictae Terrae Corinalti ex altera, partibus auditis, eminent. et Reverendiss. Card. Casanate referente, infrascripta dubia proposita, et resoluta fuerunt una cum aliis.

» I. An heredes Defunctorum sint cogendi ad retinendum Domi Cadavera usque ad tempus sepeliendi? An vero eisdem heredibus liceat pro libito asportare dicta Cadavera e propriis Domibus ad quamcumque aliam Ecclesiam per modum depositi usque ad horam illa tumulandi, etiamsi sepelienda essent in Ecclesiis Regularium, non obstante dissensu Parochi, seu prohibitione ab eodem facta, uti Vicario Foraneo?

II. An illatis cadaveribus private ab heredibus ad aliquam tertiam Ecclesiam per modum depositi, Regulares convenire, et congregari debeant in dicta tertia Ecclesia, aut in Parochiali, ad effectum illa associandi ad Ecclesiam, ubi sunt tumulanda?

III. An Cadavera sepelienda in Ecclesiis Regularium, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad Parochialem, et in ea permanere per aliquod tempus?

IV. An Regulares possint cogi ad associanda Cadavera in eorum Ecclesiis tumulanda? An vero possint expectare in dictis propriis eorum Ecclesiis? et an in casu, quo Regulares non accedant ad associandum dicta Cadavera, amittere debeant Intortitia, uti Parochus praetendit?

V. An Parochus teneatur associare Cadavera in Ecclesiis Regularium sepelienda usque ad Januas ejusdem Ecclesiae, etiam ipsis Regularibus non associantibus; Et an Parocho associanti liceat ingredi Ecclesias Regularium cum stola, et Cruce?

VI. An, si Parochus requisitus intervenire recuset funeralibus Defunctorum in Ecclesiis Regularium sepeliendorum: possint heredes, immo et ipsi Regulares, asportare cadavera ad Ecclesiam sepulturae electae, Parocho non interveniente, ac praedicti Regulares eadem cadavera sepulturae tradere? Et an Parochus in funeralibus dictorum Defunctorum majorem eleemosynam solito praetendere possit?

Ad primum; Sacra Congregatio respondit quoad tempus humationis Cadaverum servandam esse Synodum; et in reliquis, petita, et etiam non obtenta licentia, posse Cadavera deponi arbitrio heredum in qualibet Ecclesia usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepulturae.

Ad Secundum; Sacra Congregat. inhaerendo aliis Decretis respondit: Regulares debere congregari in illa Ecclesia tertia, ubi Cadaver fuit depositum, ut supra.

Ad Tertium: Sac. Congr. respondit Negative.

Ad quartum; Sacra Congregatio respondit; Regulares non posse cogi ad exeundam a propriis Ecclesiis ad effectum associandi Cadavera in eisdem sepelienda, sed sufficere, quod illa expectent ad januas; quo vero ad Intortitia, remisit causam ad Judices suos.

Ad quintum; Sacra Congr. respondit, Parochum teneri associare Cadavera in Ecclesiis Regularium sepelienda; Quo vero ad ingressum Parochi cum stola, et Cruce distulit resolutionem; eam videas inferius *n.* 31.

Ad sextum, Sacra Cong. respondit, vocato Parocho, et ipso renuente intervenire, vel alterum mittere, tunc Regularibus licere absque Parocho deferre Cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda; quo vero ad emolumenta per Parochum praetensa, nihil dandum ultra solitum. Et id denuo declaravit, et servari mandavit, Hac die 13. Julii 1675.

Item referuntur alia Decreta ejusdem Sacrae Cong. Rituum in una Vaden. ad dubia eidem proposita die 2. August. 1698. ut sequitur: Praetendentibus Parochis, seu Mansionariis Ecclesiae Cathedralis Civitatis Vaden. in associatione defunctorum, qui sepulturam sibi eligunt, sive alio quovis modo in Ecclesia Regularium sunt tumulandi, ab eorumdem heredibus, una cum proprio Parocho Defuncti, omnes esse invitandos: Ecclesias Regularium ingredi cum stola, et Cruce: ibique functiones, et Officium circa Cadaver peragere, ac insuper pinguiorem eleemosynam pro associandis, seu tumulandis forensium, seu externorum cadaveribus in Ecclesiis praedictis Regularium, quam a Civibus, posse exigere, si in ipsis Parochialibus sepelirentur. Deducta coram Reverendissimo Epi- 31

scopo Vaden. controversia, et ab eo post quamplurimas comparitiones pro declaratione ad Sacram Rituum Congregationem remissa: Exinde Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali de Noris commissa, et ab eodem propositis infrascriptis dubiis, videlicet.

I. An in associatione Cadaverum ad Ecclesias Regularium sint vocandi omnes Mansionarii praeter Parochum?

II. An Parochus ingredi possit Ecclesias Regularium cum stola, et Cruce, ibique Officium, et functiones peragere?

III. An liceat Parocho exigere majorem eleemosynam ab exteris tumulandis in Ecclesiis Regularium, quam a Civibus?

Sac. eadem Rit. Congr. utraque parte tam voce, quam in scriptis, prius audita, Negative in omnibus respondit, et ita declaravit, et servari mandavit die 2. Aug. 1698 ».

32 Item adducuntur Decreta *Sacrae Congregationis Conc. in una Novarien. Funerum* 15. *Mart.* 1704. edita pro causa inter Parochos, et PP. Reformatos Oppidi Varalii ejusdem Dioecesis Novariensis, in qua, propositis dubiis sequentibus, nempe:

» I. An Cadavera impuberum Oppidi Varalli debeant ex aliqua speciali consuetudine sepeliri in sepultura designata existente in Ecclesia Parochiali, vel potius licitum sit Parentibus, tam ante, quam post mortem illorum pro eis sepulturam eligere, eaque tumulari facere in proprio sepulcro majorum in Ecclesia PP. Reformatorum existente, et quatenus affirmative quoad secundam partem.

II. An dicta Cadavera deferri possint ad dictum sepulcrum Majorum absque associatione Parochorum, et Cleri saecularis post eorum monitionem ad interveniendum funeri, et recusantium?

III. An Parochis intervenientibus, sive associatis, sive non, ab aliis Canonicis ejusdem Parochiae, distribui debeat Candela major illa, quae datur Superiori Regularium associato ab aliis Fratribus?

IV. An dicta Cadavera deferri valeant ad Ecclesiam in quacumque hora diei, et an de nocte absque expressa licentia Ordinarii.

V. An Parochi sub aliqua, et quacumque praetensione possint differre, vel impedire, ne tempore debito Cadavera ad sepeliendum deferantur, et quatenus Negative?

VI. An Parochis impedientibus, licitum sit heredi post expectatum triduum a morte Defuncti ducere funus, etiam de nocte ad Ecclesiam, in qua Cadaver est sepeliendum?

VII. An Parochi cogere possint heredes ad peragendum in Ecclesia Parochiali omnes functiones Missae solemnia accensis luminibus in singulis Altaribus Anniversariorum, quae fiunt in Ecclesia Reformatorum occasione funerum?

VIII. An dicti Parochi possint cogere heredes, ut celebrare faciant Missas pro Defuncto singulis Sacerdotibus saecularibus funus associantibus?

IX. An in praetensa associatione Cadaverum sint per heredem Defuncti in aequali numero convocandi tot Sacerdotes saeculares, quot convocantur Fratres Reformati?

X. An in casu, de quo agitur, Episcopus Novarien. habuerit jurisdictionem in supradictos Fratres Reformatos praetensos delinquentes extra Claustra, seu turbantes Jura Parochorum.

XI. An interdictum, de quo agitur, sustineatur in casu?

Die 15. Mart. 1704. respondit prout infra.

Ad I. Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative.

Ad IV. Affirmative de die, de nocte Negative, nisi de licentia Ordinarii.

Ad V. Negative.

Ad VI. Affirmative praeterquam de nocte ut supra.

Ad reliqua Dubia Negative singillatim responsum fuit.

Parochis pro associandis, et tumulandis Cadaveribus eorum, qui repentina, vel violenta morte decedunt, non licet exigere majorem Quartam, seu majus emolumentum eo, quod exigi, seu praestari solet ab eo, qui testamentum condidit: *Sacra Congr. Concil.* 24. *August.* 1669. *lib.* 6. *Decret. fol.* 283. 33

Item nec licet Parochis exigere majorem Quartam, seu majorem eleemosynam ab exteris tumulandis in Ecclesiis Regularium, quam a Civibus, ut respondit *Sacr. Congreg. Rit. in Vaden.* 2. *August.* 1689. *in respons. ad* 3. ut patet *supra numer.* 31. 34

Pro exactione Quartae funeralis non gravatur heres, sed lis agitur inter Parochum, et Ecclesiam tumulantem: *Sacr. Congreg. Episcop. et Regular. in una Civitatis Castelli* 14. *April.* 1615. Nicol. *Lucubrat. Civil. lib.* 4. *tit. de Interdict. num.* 26. *limit.* 10. ubi Decretum Sacrae Congr. Conc. refert, Monacell. *tom.* 2. *tit.* 14. *formul.* 1. *n.* 14. 35

Quarta funeralis solvitur in quantitate juxta consuetudinem Regionis, et Locorum solita, et praescripta: *Sacra Congr. Conc. in Ebredunen.* 21. *Jul.* 1695. *in respons. ad* 12. *et in Mantuana* 18. *Jun.* 1699. apud Monacell. *loc. cit. n.* 14. 36

Confraternitates, quae habent Jus Sepulturae, debent sepelire sine praejudicio Quartae funeralis, aliorumque emolumentorum, quae spectant ad Capitulum, vel Parochum: *Sacr. Congregat. Episcop. in una Anconitana* 19. *Decembr.* 1608. apud Nicol. *in Flosculis verb. Confraternitas n.* 22. et apud Piton. *Constit. ad Parochos n.* 290. 37

Quarta funeralis pro sepultura Educandarum, ac Mulierum saecularium in Monasteriis Monialium decedentium cui debeatur; Vide verb. *Moniales art.* 1. *a n.* 61. *ad* 63. 38

Alia ad rem vide verb. *Parochus art.* 3. et verb. *Sepultura.* 39

40 Addenda sunt ad rem sequentia decreta, quod, attenta consuetudine Dioecesis, debeatur Episcopo Quarta, tum decimarum, tum Funeralium. *In Anglonen. Cathedratici, Decimarum, et Quartae Funeralis*, propositis sequentibus dubiis.

I. *An Episcopo debeatur Cathedraticum in casu etc.*

II. *An eidem debeatur Quarta Decimarum in casu etc.*

III. *An eidem debeatur Quarta funeralium in casu etc. Sacra Congregat. Concil.* 30. *Januar.* 1723. respondit: Ad primum, secundum, et tertium, *Affirmative*. Sic apud Thesaurum Resolution 7. *in d. Anglonen.*

41 In Cassanen. Quartae decimarum, proposito dubio, An *Clerus Ecclesiae Parochialis Maratheae continuare debeat in annua praestatione modiorum, seu tumulorum* 50. *frumenti pro quarta decimarum debita Episcopo in casu etc. Sacra Congr. Conc. die* 27. *Septemb.* 1738. respondit, *Affirmative*. Et proposita causa in *ead. Cassanen. Quartae Decimarum sub dubiis: I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? II. An Episcopus Cassanensis pro Quarta Decimarum teneatur contribuere expensis, ac sumptibus litis motae per Communitatem Maratheae super exactione ipsarum decimarum in casu etc. Sacr. Congr. Conc. die* 4. *Jul.* 1739. respondit, *Ad primum in decisis, et amplius. Ad secundum Negative*. Sic apud Thesaurum Resolution. *dictor. Annorum*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

42 Extra Italiam, Insulasque adjacentes, ad quas vires suas haud porrexit Constitutio S. M. Benedicti XIII. incip. *Romanus Pontifex*, de qua *Auctor num.* 24. servatur quoad solutionem Quartae funeralis a Regularibus faciendam *Concilium Tridentinum sess.* 25. *cap.* 13. *de Reformat.* demandans, ut Regulares non aliter sint exempti a solutione quartae funeralis, quam si per quadraginta annos ante ipsum Concilium eam non solverint. Vide ultra allegatos ab *Auctore num.* 23. *Rotam in Vilnen. quartae funeralis* 6. *Jun.* 1746. §. 2. *et* 23. *Januar.* 1750. §. 2. *cor. R. P. D. Canilliac Decano.*

Quaestionis autem est, utrum ad Regulares, an ad Parochos spectet probare, quod ipsi Regulares per quadraginta annos ante *Tridentinum Concilium* quartam funerariam haud solverint. Spectare ad Parochos, resolvit Sacra Congregatio Concilii Interpres in una *Minorum Observantiae Provinciae Poloniae* 14. *Novembr.* 1682. et, allegata hac Resolutione, firmant *Matthaeucc. in suo Officiali Curiae Ecclesiast. c.* 41. *num.* 9. *Rot. in Calaguritana quartae funeralis* 2. *Jul.* 1728. §. 8. *cor. bon. mem. Ratt.* inter impressas *dec.* 214. *num.* 5. *in d. Vilnen. quartae funeralis* 6. *Junii* 1749. §. 11. *et* 23. *Januar.* 1750. §. 17. *cor. R. P. D. Canilliac. Decano.* 43

Differt Ecclesia Cathedralis ab aliis Ecclesiis quoad acquirendam praescriptione exemptionem a solutione quartae funerariae; Cathedralis enim Ecclesia quadragenaria acquirit exemptionem a solutione quartae funerariae; Caeterae vero Ecclesiae indigent immemorabili, vel centenaria ad hanc acquirendam exemptionem; Rota *in Barchinonen. Jurium Parochialium super quarta, et oblationibus*, 9. *Julii* 1732. §. 4. *cor. clar. mem. Aldrovand.* 44

Quoad quantitatem quartae funerariae standum consuetudini, ut innuit *Auctor num.* 2. At notabile est, quod si ea praetendatur infra medietatem, sufficit praescriptio decem annorum; si autem ultra medietatem praetendatur, necessaria est praescriptio quadraginta annorum; *Rota in Florentina quartae funeralis* 6. *Martii* 1711. *fere per tot. cor. bon. mem. Cafarell.* 45

Reliquum est, ut notetur, quartam funerariam peti haud posse ab Heredibus defuncti, sed ab Ecclesia, ubi ille tumulatur; *Rota in Calaguritana quartae funeralis super bono jure* 2. *Julii* 1728. §. 5. *cor. bon. mem. Ratt.* inter impressas *decis.* 214. *num.* 1. 46

QUATUOR TEMPORA

SUMMARIUM

1. Jejunium Quatuor temporum a quibus institutum? — 2. Assignatur Mysterium, et caussa, cur in unoquoque istorum Temporum fuerint instituti tres dies jejunii. — 3. Primum jejunium Quatuor Temporum celebratur in prima hebomada Quadragesimae. Secundum in hebdomada Pentecostes. Tertium in mense Septembris post Exaltationem Sanctae Crucis. Quartum in mense Decembris, ultima hebdomada completa ante Vigiliam Nativitatis. — 4. Dantur ad id quatuor versus Glossae. — 5. Datur ad id facilior vulgaris versus. — 6. Et adhuc dantur alii duo versus.

1 Jejunium Quatuor Temporum, idest Veris, Æstatis, Autumni, et Hyemis, quamvis multi per text. *in cap. Jejunium* 1. *dist.* 85. existiment institutum fuisse a S. Callisto Papa, et Martyre, qui creatus fuit Summus Pontifex *die* 2. *Sept. anni* 221. Baronius tamen, et Spondanus *ad ann. Domin.* 57. *num.* 62. *ad ann.* 226. *num.* 1. auctoritate SS. Petrum, et anti-

quorum Scriptorum tenent, Jejunium Quatuor Temporum institutum fuisse ab Apostolis, ex quo jam observaretur a Fidelibus primo, et secundo Saeculo Ecclesiae, et sic plusquam ducentis annis ante S. Callistum Papam, et Martyrem, qui tamen hujus obligationis jejunandi dictis Temporibus admonuit aliquos populos, qui illud negligebant, ut notant dicti Baronius, et Spondanus *locis citatis* et sequitur Clericatus *nelle sue spighe raccolte verb. Quattro tempora num.* 500. et alii plures, et concordat Lectio 4. in Festo ipsius S. Callisti *die* 14. *Octobris*, ibi: « Constituit Quatuor anni Tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum, ab omnibus servaretur, *ubi nota ly* ex Apostolica traditione; *et ly* Ab omnibus servaretur ». (*)

2 Mysterium autem, et causa, cur in unoquoque istorum Temporum fuerint instituti tres dies jejunii? est, quia, sicut Dominus in Lege veteri praecipiebat, ut suae Divinae Majestati in recognitionem sui supremi Dominii offerrentur omnium Primitiae, ut *Exodi* 13. et alibi, ita in Lege nova, seu Evangelica, ut renovaretur talis recognitio, seu confessio supremi Dominii Dei super omnia nostra, statuerunt Sancti Apostoli, ut Christifideles jejunarent in unoquoque Quatuor Temporum, *Veris*, scilicet, *Æstatis*, *Autumni*, *et Hyemis* tribus diebus, idest dio *Mercurii*, *Veneris*, *et Saturni*; Cum enim omnia, simul duodecim sint jejunia, correspondent duodecim mensibus anni, symbolizantque, quod omni mense offerimus Divinae Majestati primam diem, tamquam *Primitiam* totius illius mensis, et anni, atque talibus jejuniis recognoscimus, et confitemur Deum ipsum tamquam absolutum Supremum Dominum nostrum. Unde Doctissimus Carolus Macri *in suo Hierolexico verb. Jejunium* sic expresse habet: « Jejunium quatuor Temporum tamquam Primitias (Apostoli) instituentes, in quibus duodecim dies tamquam Primitiae duodecim Mensium observantur »; sic etiam tenet Clericatus *loc. cit. num.* 501. et alii: Et concordat *cap. Jejunium* 1. *dist.* 76. ibi: « Ut sicut annus per Quatuor volvitur tempora, sic et nos quaternum solemne agamus jejunium per anni quatuor tempora »; Quamvis tamen *in ipso cap. Jejunium* dicatur, quod tale jejunium prius celebrabatur solum ter in anno, ibi: « Jejunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus ».

Primum jejunium Quatuor Temporum celebratur in prima hebdomada Quadragesimae; Secundum, in hebdomada Pentecostes; Tertium, in mense Septembris post Exaltationem Sanctae Crucis; Quartum, in mense Decembris ultima hebdomada completa ante Vigiliam Nativitatis, *cap. Constituimus* 2. *cap. De jejunio* 3. *et cap. Statuimus* 4. *dist.* 76. in quo ultimo cap. sic expresse habetur: « Statuimus etiam, ut jejunium Quatuor Temporum hoc ordine celebretur: Primum, in initio Quadragesimae; Secundum, in hebdomada Pentecostes; Tertium vero in Septembri; Quartum in Decembri more solito fiat. (**) Unde Glossa *in citat. cap. De jejunio* 3. *dist.* 79. *verb. In Decembri* habet hos versus: 3

Prima Quadragenae servet jejunia Veris.
Pneumatis hebdomada servare secunda juberis.
Tertia Septembris cultum fert Mercurii istum.
Sabbata jejunent vigilem praeeuntia Christum. 4

Et facilior vulgaris versus indicat talia Tempora his verbis: 5

Post Cen, et post Pen, post Cru, et post Lu.

Post *Cen*, idest prima hebdomada post *Cineres*; Post *Pen*, idest post Festum Pentecostes; Post *Cru*, idest post Festum Exaltationis Sanctae Crucis in mense Septembris; Post *Lu*, idest post Festum S. Luciae in mense Decembris.

Et circa haec Quatuor anni Tempora dantur etiam sequentes versus, quos refert Ursaya *in Miscellaneo sacro, et profano primo litt. Q. n.* 8. 6

Dat Clemens hyemem, dat Petrus Ver Cathedratus.
Æstuat Urbanus, autumnat Bartholomaeus.

QUÆSTUARE, QUÆSTUARII, SEU QUÆSTORES

SUMMARIUM

1. Quaestuarii, seu Quaestores eleemosynarum non sunt admittendi, nisi habeant Litteras Dioecesani, vel Papae — 2. Talis licentia concedi non potest a Principibus, vel Magistratibus saecularibus, sed obtinenda est a Papa, vel Episcopo. — 3. Pro licentia quaestuandi pro locis piis juxta solitum exigi solum possunt oboli quinque ad mercedem Notarii — 4. Quaestores eleemosynarum non debent permitti ab Episcopis praedicare. — 5. Quaestores, qui Indulgentias publicant, et eleemosynas colligunt, debent omnino aboleri, et prohiberi. — 6. Quaestores eleemosynarum nihil possunt populis proponere praeter id, quod in litteris, seu licentiis continetur. — 7. Quaestores eleemosynarum non possunt gestare Habitum falsae Religionis, neque versari in tabernis, aliisque locis indecentibus. — 8. Quaestores eleemosyuarum sub falso nomine Crucesignatorum, si sunt Laici excom-

(*) De horum temporum jejunio, ejusque antiquitate, atque adeo Apostolica origine, praeter Thomassinum, et P. de l'Isle, erudite disseruerunt Muratorius, et Sbaralea, quorum dissertationes habes a Zaccaria illatas in tomum I. *disciplinae populi Dei Fleurianae.*

(**) Antiquior S. Leo M. eadem tempora diserte indicat *serm* VIII. *decimi mensis* his verbis: *siquidem jejunium vernum in quadragesima, aestivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hyemale in hoc, qui est decimus, celebramus.*

municantur, si Clerici suspenduntur ab Officio, et Beneficio. — 9. Quaestores contra praemissa, et alia delinquentes puniri debent per Episcopos, non obstantibus Privilegiis. — 10. Eleemosynae repertae penes Quaestuarios delinquentes, si dari non possint eidem loco, cujus contemplatione fuerunt factae, distribuendae sunt Monasteriis Monialium, quae magis egent. — 11. Quaestores eleemosynarum in statu Ecclesiastico deputari possunt a Ministris Confraternitatis Confalonis pro colligendis eleemosynis ad redimendos captivos ejusdem status. — 12. Quaestuare nullus potest pro eleemosynis S. Antonii de Vienne sine licentia Generalis, vel Capituli Religionis S. Antonii, sub poena Excommunicationis Papae reservatae. — 13. Nec Patentati, seu Commissarii talis Abbatis Generalis S. Antonii Viennensis possunt quaestuare sine licentia in scriptis Ordinarii loci, non obstantibus Privilegiis. — 14. Et si ipsi Commissarii quaestuantes circa id committant excessus, et falsitates, seu quomodocumque delinquant, debent ab Episcopis carcerari, eorumque pecuniae, scripturae, resque aliae sequestrari. — 15. Confraternitatibus, et aliis locis piis, quae hospitalitatem actu non exercent, non est regulariter danda licentia quaestuandi. — 16. Ordinarii prohibere non possunt Regularibus, ne quaestuent ante Confraternitates, nisi probetur consuetudo in individuo. — 17. Religiosi Mendicantes possunt eleemosynas ostiatim quaerere, nec prohiberi possunt fideles, ne eas conferant sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda. — 18. Non possunt tamen quaestuare extra districtus consuetos, et assignatos propriis Conventibus. — 19. Et sic novissime statuit iterum Sacra Congregatio Episcop. et Reg. in Lauden. Quaestuationis in caussa vertente inter PP. Minores de Observantia loci S. Columbani, et PP. Reformatos loci Codonei ejusdem Dioecesis. — 20. Item sic novissime iterum statuit eadem Sacra Congregat. in Vintimilien. Quaestuationis in caussa PP. Capuccinorum cum PP. Reformatis, et saepe similiter alibi. — 21. Regulares vere Mendicantes non tenentur petere licentiam ab Ordinario, in cujus Dioecesi situm est eorum Monasterium. — 22. Nec tenentur Regulares vere Mendicantes ostendere Ordinariis licentiam suorum Superiorum, dum eleemosynas quaerunt in locis, ubi existunt Conventus, sed solum, si eas velint colligere extra ipsa. — 23. Si tamen extra Dioecesim, in qua erecti sunt Conventus, quaeritare voluerint, debent obtinere consensum ab Ordinario illius Dioecesis. — 24. Fratres Mendicantes eleemosynas quaerere nequeunt per alios, quam per sui Ordinis Religiosos, vel Oblatos. — 25. Quaestores Regulares non possunt retinere sibi partem eleemosynae, sed totam deferre, et consignare debent Monasterio. Nec Superiores Locales possunt Quaestuationes locare suis Oblatis, seu Conversis; Et sic facientes graviter peccant, et tenentur ad restitutionem, et possunt coerceri ab Ordinariis. — 26. Quaestuatio pro Monasteriis Monialium non est facienda per mulieres conversas etiam non professas, sed per Deputatos ab Ordinariis locorum. — 27. Alia ad rem cum Addit. ex al. manu ad n. 30.

1 Quaestuarii, seu Quaestores eleemosynarum non sunt admittendi, nisi habeant Litteras Dioecesani, vel Papae: Conc. Lateranens. IV. *cap.* 62. *Cum ex eo* 14. *de poenit. et remissionibus*, *Clementin. Abusionibus* 2. *de poenitentiis, et remissionib.*

2 Unde licentia concedi non potest a Principibus, vel Magistratibus saecularibus, sed obtinenda est a Papa, vel Episcopo: *Clementin. Abusionibus* 2. *de poenitent. et remissionib.* et declaravit *Sac. Cong. Conc. in Regien.* 9. *Jan.* 1572. *et in Aversana*
3 22. *Febr.* 1610. Pro licentia quaestuandi pro locis piis juxta solitum exigi solum possunt obuli quinque ad mercedem Notarii: *Sac. Cong. Episc. in una Civit. Castelli* 14. *April.* 1615.

4 Quaestores eleemosynarum non debent permitti ab Episcopis praedicare: Conc. Trident. *sess.* 5.
5 *de reform.* c. 2. Quaestores, qui Indulgentias publicant, et eleemosynas colligunt, debent omnino aboleri, et prohiberi: Concil. Trident. *sess.* 21. *de reform.* c. 9.

6 Quaestores eleemosynarum nihil possunt populis proponere praeter id, quod in litteris, seu licentiis continetur: Concil. Lateranen. IV. *cap.* 62. *cap. Cum ex eo* 14. *de poenit. et remissionibus*, *Clementin. Abusionibus* 2. *de poenit. et remissionibus.*

7 Quaestores eleemosynarum non possunt gestare Habitum falsae Religionis, neque versari in tabernis, aliisque locis indecentibus: Conc. Lateranen. IV. c. 62. *cap. Cum ex eo* 14. *de poenitent. et remissionib.*

8 Quaestores eleemosynarum sub falso nomine Crucesignatorum, si sunt Laici, excommunicantur, et Clerici suspenduntur ab Officiis, et Beneficiis: *cap. Tuarum* 11. *de privilegiis.*

Quaestores contra praemissa, et alia delinquen- 9
tes puniri debent per Episcopos, non obstantibus Privilegiis: *Clement. Abusionibus* 2. *de poenitent. et remissionibus*, §. *Quaestores*, et saepe declaravit *Sac. Cong. Episcop.* et signanter *in Spoletana* 16. *Septemb.* 1596. 18. *Dec.* 1600. *et* 3. *Decem.* 1601. *in Lancianen.* 5. *Febr.* 1602. *et* 5. *Mart. ejusdem anni, et in Pistorien.* 7. *Jun.* 1605.

Eleemosinae repertae penes Quaestuarios delin- 10
quentes, si dari non possint eidem loco, cujus contemplatione fuerunt factae, distribuendae sunt Monasteriis Monialium, quae magis egent: *Sacra Cong. Episcop. in Baren.* 20. *Augusti* 1596. *in Urbinaten.* 4. *Septemb. ejusdem anni, in Vintimilien.* 3. *Jun.* 1597. *in Aquensi* 13. *Jul.* 1605.

Quaestores eleemosynarum in statu Ecclesiasti- 11
co deputari possunt a Ministris Confraternitatis Confalonis pro colligendis eleemosynis ad redimendos captivos ejusdem status: Sixt. V. Const. 38. incip. *Cum benigna.*

Quaestuare nullus potest pro eleemosynis S. An- 12
tonii de Vienna sine licentia Generalis, vel Capituli Religionis S. Antonii, sub poena Excommunicationis Papae reservatae: Clemens VIII. Const. 2. *incip. Rationi.* Nec Patentati, seu Commissa- 13
rii talis Abbatis Generalis S. Antonii Viennensis possunt quaestuare sine licentia *in* scriptis Ordinarii loci, non obstantibus eorum Privilegiis: *Sac. Cong. Conc. in Theanen.* 30. *April.* 1678. In qua, utraque parte informante, censuit, non posse a

praedictis Commissariis quaestuari, nisi ad formam Sacri Concilii Tridentini *cap.* 9. *sess.* 21. *de reform.* et Bullae Gregorianae incip. *Romanum*, et iterum *in Cajacen.* 28. *Augusti* 1683. in qua censuit danda, et servanda esse Decreta edita in dic-
14 ta *Theanen.* Et si ipsi Commissarii quaestuantes circa id committant excessus, et falsitates, seu quomodocumque delinquant, debent ab Episcopis carcerari, eorumque pecuniae, scripturae, resque aliae sequestrari: *Sac. Cong. Episcop. in Reginsi* 15. *Jun.* 1613.

15 Confraternitatibus, et aliis locis piis, quae hospitalitatem actu non exercent, non est regulariter danda licentia quaestuandi. Vide verb. *Eleemosyna n.* 41.

16 Ordinarii prohibere non possunt Regularibus, ne quaestuent ante Confraternitates, nisi probetur consuetudo in individuo. Vide *ibidem n.* 42.

17 Religiosi Mendicantes possunt eleemosynas ostiatim quaerere, nec prohiberi possunt fideles, ne eas ipsis conferant; Unde si aliqui Ordinariorum, vel alii impediant per vim, vel dolum, aut consulant, ne eleemosynae dentur Regularibus Mendicantibus, tunc ipso facto Excommunicationem incurrunt. Vide d. verb. *Eleemosyna n.* 32.

18 Non possunt tamen quaestuare extra districtus consuetos, et assignatos propris Conventibus. *ibid. n.* 33.

19 Et sic novissime statuit iterum Sacra Congreg. Episcop. in Lauden. Quaestuationis in causa vertente inter P. P. Minores de Observantia loci Sancti Columbani, et P. P. Reformatos loci Codnoei ejusdem Dioecesis, ubi quaerebatur, an P. P. Reformati posseut quaestuare in illis locis, in quibus quaestuare solent P. P. Observantes, tam respectu vini, quam aliorum comestibilium, et an possint habere privatum Hospitium in illis Civitatibus, et oppidis, in quibus moram facere possunt in Conventibus P. P. Observantium. Unde *die* 5. *Sept.* 1710. propositis in Sacra Congregatione Episcopor. et Regular. Ponente Card. de Abdua tribus sequentibus dubiis, resoluta fuerunt ut infra.

» I. An liceat P.P. Reformatis loci Codnoei quaestuare in loco Sancti Columbani, ejusque districtu?

II. An liceat eisdem P. P. Reformatis habere Hospitium proprium in dicto loco S. Columbani, seu potius debeant hospitari in Conventu Minorum Observantium S. Francisci sito in dicto loco S. Columbani?

III. An, et in quas poenas dicti P. P. Reformati inciderint ob aperitionem praetensi Oratorii publici in dicto loco S. Columbani absque licentia Ordinarii?

Ad I. Responsum fuit Negative, praeterquam quoad quaestuationem vini tantum tempore vindemiarum, et semel post Pascha juxta solitum.

Ad II. Negative, quoad primam partem; Affirmative quoad secundam.

Ad III. Remaneant suspensi ab Officio, donec petierint ab Episcopo, a quo benigne recipiantur ».

Sic refert D. Ursaya *tom.* 8. *part.* 1. *discept.* 40. ubi per tot. multa habet ad rem.

Item sic novissime iterum statuit *eadem Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Ventimilien. Quaestuationis in causa P. P. Capuccinorum cum P. P. Reformatis.* Vide dict. verb. *Eleemosyna n.* 34. 20

Regulares vere Mendicantes non tenentur petere licentiam ab Ordinario, in cujus Dioecesi situm est eorum Monasterium. Vide *ibid. n.* 35. 21

Nec tenentur Regulares vere Mendicantes ostendere Ordinariis licentiam suorum Superiorum, dum eleemosynas quaerunt in locis, ubi existunt Conventus, sed solum si eas velint colligere extra ipsa. Vide *ibid. n.* 36. 22

Si autem extra Dioecesim, in qua erecti sunt Conventus, quaeritare voluerint, debent obtinere consensum ab Ordinario illius Dioecesis. Vide *ib. n.* 37. 23

Fratres Mendicantes quaerere nequeunt per alios, quam per sui Ordinis Religiosos, vel Oblatos. Vide *ibid. n.* 38. 24

Quaestores Regulares non possunt retinere sibi partem eleemosynae, sed totam deferre, et consignare debent Monasterio: *Con. Trevirense c.* 12. Nec Superiores Locales possunt quaestuationes locare suis Oblatis, seu Conversis; et sic facientes graviter peccant, et tenentur ad restitutionem, quia sic tamquam ficti pauperes avaritiae student et injuste auferunt eleemosynas aliis pauperibus vere indigentibus, et Regularibus ex sola mendicitate viventibus. Vide dict. verb. *Eleemosyna n.* 25. Et tales superfluae quaestuationes impediri, et prohiberi possunt ab Ordinario, et contrafacientes coerceri: Genuens. *Prax. cap.* 57. *num.* 11. Donat. *Prax. tom.* 1. *tract.* 13. *qu.* 32. *num.* 11. Monaceli. *tom.* 1. *tit.* 1. *formul.* 6. *num.* 8. Matthaeuc. *cap.* 43. *Officialis quoad Quaestus n.* 8. et alii. 25

Quaestuatio pro Monasteriis Monialium indigentium non est facienda per mulieres Conversas, etiam non professas, sed per Deputatos ab Ordinariis locorum, ut ad tollenda pericula violandae honestatis, statuit expresse Gregorius XIII. Constitut. incip. *Deo sacris*, et recte observant Tambur. *de jure Abbatissar. disp.* 18. *qu.* 2. *n.* 4. Monaceil. *tom.* 1. *tit.* 6. *formul.* 6. *n.* 4. et alii. 26

* Graeci quantumvis exhibentes Testimoniales de adhaesione sua Romanae Ecclesiae, adhuc tamen, ex Decreto Innocentii XI. prohibentur quaestuare, et facultatem ea de re obtentam a quocumque, vel ab ipsa pariter Congregatione jubentur Episcopi ad se recipere, et ad eamdem Congregationem de Propaganda Fide transmittere. Insuper Clemens XII. in suo Brevi mandavit, pecuniam ita a Grecis collectam, ac alicubi depositam sequestrari ab Episcopo, et ad eamdem Congregationem transmitti: *Institut. Ecclesiast.* 75. §. I.* 27

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

28 Quomodo in quaestuatione se gerere debeant Religiosi Mendicantes, tradit Van-Espen. *Jur. Eccl. univ. par.* 1. *tit.* 29. *c.* 4. *fer. per tot.* ubi *n.* 43. ita concludit: « Denique (ait) in hac quaestuatione se ita exhibere debent, ut suo modesto, et religioso agendi modo ab otioso illo quaestuosorum hominum genere a Concilio Trident. abolito se plane distinguant, non minis, aut fraudibus inducant Fideles ad eleemosynas, non petant tamquam debitum, aut solitum, neque ulla arte, etiam praetextu dicendi aliquas orationes, aut lucrandi certas indulgentias, aut aliter extorqueant pecunias, aut alia bona, sed simpliciter, pie, et modeste petendo eleemosynam pro sustentatione Fratrum, accipiant tantum, quod sibi sponte offertur, nec super iis eleemosynis ullam quovis nomine conventionem faciant, etiam in utilitatem ipsorum Conventuum, quemadmodum Pius V. et Gregorius XIII. ex sententia Sacr. Congregationis Concilii Tridentini in simili quoad collectionem eleemosynarum, ac intertentionem Hospitalium responderunt, ut refert Fagnanus *ad c. Cum ex eo de poenit. et remiss. num.* 21. 22. *et* 23.

29 Quod ait *Auctor hic num.* 17. tum verbo *Eleemosyna num.* 32. Ordinarios quoquo modo impedientes, quo minus Religiosi mendicantes quaestuent, ipso facto excommunicationem incurrere, absolute verum haud est. Perpensa enim ipsa Constitut. incip. *Sacri* a Sixto IV. favore Ordinum Praedicatorum, et Minorum edita allegata, Ordinarii, ut supra, impedientes, interdictum ingressus Ecclesiae, suspensionem a regimine, et administratione suarum Ecclesiarum, alii vero inferiores excommunicationem incurrunt. Sed nec statim, verum *nisi poenituerint*, sunt verba Constitutionis § 8. *et persuasiones, et inhibitiones, et praedicta revocaverint infra triduum, postquam desuper requisiti fuerint.*

Responsio Auctoris.

Quo ad ea, quae hic adducuntur sub *n.* 2. Revera stando praecise dispositioni dictae Constitutionis Sixti IV. ipsa solummodo tradit, quae fideliter ex ejus verbis refert D. Additor. Sed mea conclusio desumpta est etiam ex aliis Pontificiis Constitutionibus, allegatis ab aliis classicis Auctoribus, et signanter ab eruditissimo D. Francisco Amostazo *lib.* 7. *de causis piis c.* 12. *de eleemosyna*, ubi sic expresse concludit: « Praeterea si aliquis Ordinariorum, aut alii impediant per vim, aut dolum ne Eleemosynae dentur Religiosis, tum ipso facto excommunicationem incurrunt, ut ex Bullis tradidit Crux *dict. c.* 3. *concl.* 2. Trullencho d. c. 5. *dub.* 8. *n.* 22. Et Alponsus de Casarubius in compendio privilegiorum Mendicantium verb. Elemosyna *n.* 8. sic praecise referentes, *ibi*: Idem Sixtus IV. voluit, quod Ordinarii, seu quicumque alii prohibentes, ne Fratribus Carmelitis Eleemosynae fiant, ipso facto sint excommunicati: et contra tales possint Rectores Ordinum Mendicantium, et Auditor C. A. ac Inquisitores haereticae pravitatis sicut contra haereticos procedere ». 39

* Ceterum, cum in Pontificiis Constitutionibus citandis plerumque Scriptores minori, quam oporteret, diligentia versentur, ipsas Constitutiones, quas Casarubius, aliique a Lucio appellati laudant, Lector per se consulat, nec illis fidat. *

QUINQUAGESIMA

Haec, quae sequuntur, de quinquagesima notasse juvat.

1 Quinquagesima a Sancto Telesphoro Papa fuit instituta; *cap. Quadragesima* 5. *distinct.* 4.

2 In Quinquagesima olim Clerici tenebantur ad jejunium, ex S. Telesphoro Papa *in cap. statuimus* 4. *dist.* 4. et S. Gregorio Papa *in c. Denique* 6. *ead. dist.* 4. (*)

3 Advertendum est, quod nostra S. Mater Ecclesia nos disponit ad Sanctam Quadragesimam tribus antecedentibus Dominicis, nempe Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesimae, sic nuncupatis, eo quod cum praecedant Dominicam Quadragesimae sic dictam a numero subsequentium quadraginta dierum jejunii, conveniebat nuncupare remotiorem ex ipsis *Septuagesimam*, intermediam *Sexagesimam*, et ultimam *Quinquagesimam*, ut respondit Carolus Magnus Alcuino, deindeque docuit idem Alcuinus, et tradunt moderni antiquitatis Ecclesiasticae studiosi apud Baillet. *in Historia Festorum mobilium tom.* 4. *de vitis Sanctorum* §. 2. *num.* 4. Quamvis aliqui attribuant nomenclaturam *Septuagesimae* memoriae septuaginta annorum captivitatis populi Hebraici, apud Raynaud. *Oper tom.* 1. *pag.* 492. teste toties laudato eruditissimo Cardin. Lambert. deinde Summo Pont. Benedicto XIV. *volum.* 1. *no-* 4

(*) Falsa haec opinio de Telesphoro Quinquagesimae auctore a falsis Isidori Decretalibus orta est. Quinquagesimae nomen quadringentis post Telesphorum annis invectum est, immo et plusquam centum post S. Ambrosium, quod sufficit, ut falsitatis arguatur Sermo xxx. qui sub ejus nomine *de Quinquagesima* inscribitur. Legitur hoc nomen in primo an. DXI. Aurelianensi Concilio, a quo Quinquagesima interdicitur.

tificat. 14. recte advertente, quod stante horum opinione, non haberi posset sufficiens fundamentum nuncupandi aliam *Sexagesimam*, aliamque *Quinquagesimam*.

5 In istis tribus Dominicis suadet Ecclesia suis fidelibus majoris pietatis, ac devotionis exercitia, ut tradit Thomassin. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 4. ibi: « Satis constat, tres istos Dominicos dies majoris pietatis studio colendos esse ». Et Concil. Provincial. Mediolanen. 3. *tit. de Festorum dierum cultu*, sic expresse habet: « Studeat Episcopus, ut quo tempore in Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesimae hebdomadis Ecclesia Mater, et Officiorum Ritu, et Hymnis, Canticisque Fidelium mentes ad moestitiam, atque ad poenitentiam excitantibus, et omni denique tum vestimentorum, tum aliarum rerum apparatu populum Dei instruit, ac praeparat, tot ante diebus ad sancte recolendam Christi Domini Passionem, et Crucem, eo potissimum tempore Fideles sibi in curam traditos, spectacula, ludos scenicos, et alia, quae Gentilitatis speciem praeseferunt, tunc praesertim morum corruptelis introducta, illa ipsa tamquam a sanctissimis Ecclesiae institutis abhorrentia omnino fugientes ad pietatis Christianae studia, et ad orationem attentiores sint, proposita omni Christianorum actionum exercitatione ».

6 Ab istis Dominicae diebus primitivis temporibus incipiebant Ecclesiastica jejunia, ut habetur *in sermone tertiodecimo* adscripto Petro Blesensi, quamvis ab aliis alii attributo, ut notat dict. Cardin. Lambertin. *loc. cit.* ibi: « Jejunium Quadragesimale Regulares Coenobitae incipiunt a Septuagesima, Graeci vero a Sexagesima, Clerici nostri, auctore Telesphoro, a Quinquagesima. Universus exercitus Christianae militiae, juvenes, et Virgines, senes cum junioribus ab hac Quadragesima ». Et quod Clerici olim tenerentur incipere jejunia a Quinquagesima, habetur expresse *ex cap. statuimus* 4. *et capit. Denique* 6. *dist.* 4. Sanctus enim Telesphorus Papa addidit Quadragesimae septimam hebdomadam, quae vocatur *Quinquagesima*, textu expresso *in cap. Quadragesima* 5. *distin.* 4. ibi: « Quadragesima sex septimanas habet, cui addidit Telesphorus Pontifex septimam hebdomadam, et vocatum est hoc tempus Quinquagesima ». (*) Ast dicta antiqua jejunii observantia fere penes omnes abiit in desuetudinem, ut docet universalis praxis, et solum remansit apud quasdam castigatiores, et observantiores Regulares familias; Ecclesia tamen ob dictam jejuniorum anticipationem harum trium hebdomadarum nomenclaturam retinuit.

Quando in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesimae occurrit Festum Purificationis B. M. V. in Ecclesiis eidem sub alio titulo dicatis scilicet Annunciationis etc. Missa debet cantari de Dominica tantum, nec facienda est commemoratio Purificationis B. M. V. *Sacr. Rit. Cong.* 23. *Aug. et* 13. *Sept.* 1704. *in Catanien. et* 15. *Sept.* 1736. *in Toletana.* 7

RAPINA

VIDE VERB. *FURTUM*

RAPTOR, RAPTUS

Praestat haec expendere.

1 Raptor Virginis, et violenter ipsam stuprans non committit delictum exceptum in Bulla Gregor. XIV. incip. *Cum alias* (nec consequenter exceptum in Bulla Bened. XIII. incip. *Ex quo*); *Sic Sacr. Cong. Immunitatis in Theatina* 9. *Octobris* 1628. *lib.* 1. *Decret. Paulluc. pag.* 108.

2 Non censetur casus exceptus Raptus puellae, ita ut Raptor possit sola Episcopi auctoritate extrahi e Domo Canonicali immuni: Attamen recurritur ad Sanctissimum pro confectione, et transmissione processus super asserto Raptu, et qualitate delinquentis; Et Episcopus informet an, et quomodo possit commode provideri in posterum super Canonica? *Sac. Cong. Imm. in Mantuana* 8. *Decemb.* 1703. *l.* 3. *Decret. Vall. pag.* 540.

Alia vide verb. *Matrimon. quoad Impedimenta art.* 2. *a num.* 103. *ad num.* 117. 3

(*) Certiora hujus consuetudinis, qua Clerici a Quinquagesima jejunare jubebantur, documenta suppeditant Vita S. Udalrici Saeculo circiter decimo Augustani Episcopi, Concilium Claromontanum ann. 1095. sub Urbano II., Synodus Andegavensis ann. 1270. Salisburgense vero Concilium an. 1281. ad idem Religiosos omnes adstrinxit.

RATIONIS USUS

1 Rationis usus circa septennium inchoari solet: Benedict. XIV. *tom.* 2. *Const.* 28. *incip. Postremo mense* §. 32. Et reprobatur
2 sententia Nattae, et Bursati, qui requirunt aetatem duodecim annorum: Idem *ibid.* Immo 3
quandoque contingit, ut ante septennium quis ratione praeditus inveniatur: Idem *ib.*

RECOGNITIO CORPORIS DELICTI

Lubet sequentia expendere.

1 Recognitionem Cadaveris permittat Episcopus etiam post humationem in casibus permissis, servatis servandis: *Sac. Cong. Immun. in Signina* 24. *Mart.* 1627. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 43.

2 Ita datur facultas exhumandi Cadaver pro Recognitione corporis delicti: *Sacr. Congregat. Immun. in Civitatis Castellanae* 1. *Febr.* 1673. *lib.* 1. *Decret. Alt. pag.* 763.

3 Datur facultas Episcopo pro aliquibus casibus faciendi Recognitionem Cadaverum ad effectum procedendi etiam in Ecclesiis, et Conventibus Regularium: *Sacr. Cong. Immun. in Fanen.* 20. *Aprilis* 1649. *lib.* 4. *Decret. Paul. pag.* 76.

4 Aliquando conceditur Vicario Generali facultas pro quinque casibus dandi licentiam pro sua prudentia, ut vulnerati, vel cadavera existentia in locis immunibus transferantur serv. serv. in locum vicinum, et opportunum pro Recognitione corporis delicti: *Sacr. Congreg. Immun. in Praenestina* 19. *Januar.* 1669. *lib.* 1. *Decret. Altoviti pag.* 306.

5 Aliquando conceditur facultas Archiepiscopo consignandi arma Extractorum Curiae Saeculari pro Recognitione corporis delicti cum praeservatione ab Irregularitate, facta protestatione ad formam *cap. Praelatis, de homicid.* in 6. *Sac. Cong. Imm. in Beneventana* 15. *Augusti* 1668. *l.* 2. *Decret. Altoviti pag.* 252.

6 Ministri excommunicantur, si propria auctoritate faciant extrahere ab Ecclesia Cadaver pro facienda Recognitione: *Sacra Congregat. Immun. in Portuen.* 21. *Novemb.* 1693. *lib.* 1. *Decret. Vall. pag.* 87.

7 Non absolvuntur, nisi petita venia, atque deleta Recognitione corporis delicti: *Sac. Cong. Immun. in Hydruntina* 29. *Dec.* 1625. *Ex Regesto Script veterum pag.* 80. *in Eugubina* 22. *Januarii* 1673. *lib.* 1. *Decr. Altoviti pag.* 763.

8 Constat, Recognitionem corporis delicti factam fuisse in loco immuni, quando cadaver ab eo fuit extractum de Mandato Judicis Laici: *Sacra Cong. Imm. in Oritana* 30. *Sept.* 1704 *lib.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 618.

Et praefatus Judex incurrit Excommunicationem, et acta gesta per d. Judicem concernentia Recognitionem corporis delicti nulla sunt, quamvis non praecesserit declaratoria Excommunicationis incursae: *Sac. Cong. Immun. ibid.* 9

Judex Eccles. non potest de se tribuere licentiam Gubernatori, seu Curiae saeculari faciendi hujusmodi Receptionem. 10

Ministri Curiae Laicae, quamvis requisiti ab Abbate ad faciendas Recognitiones judiciales in Monasterio contra Collegiales Collegii Borromaei, excommunicantur: *Sacra Congregat. Immun. in Papien.* 15. *Novembr.* 1689. *lib. Decretor. Mart. pag.* 530. 11

Curia Saecularis non potest absque facultate Apostolica facere hujusmodi Recognitionem in persona exempta, ut in Colono partiario Mensae Episcopalis vulnerato: *Sacr. Cong. Immun. in Fanen.* 12. *Jul.* 1689. *d. lib. p.* 491. 12

Qui in Sacerdote occiso id egerint, incidunt in Censuras. *Sac. Cong. Immun. in Feretrana* 3. *Julii* 1674. *lib. Decr. Altoviti pag.* 962. 13

Recognitionem personalem Regularis offensi degentis in Monasterio non est admittendum fieri per Curiam Saecularem, quae tamen poterit ab eadem Curia fieri, mediante persona Medici, Chirurgi, et Testium: *Sac. Congr. Immun. in una Burgi S. Sepulcri* 13. *Novembr.* 1629. *lib.* 1. *Decret. Pauluc. p.* 12. 14

Recognitio cadaveris facta a Curia Laica, petita, sed non expectata licentia Ordinarii, in Domo Saeculari, ad quam per confratres sodalitii delatum fuerat cadaver in solamen Parentum, non laedit Immunitatem: *Sacra Congregat. Immun. in Sutrina* 13. *Novembris* 1691. *lib. Decr. Martelli p.* 38. 15

Secus dicendum de Recognitione eadem facta a Curia Laica, dum defertur a Parocho ad sepulturam: *Sac. Congreg. Immun. in Nullius S. Ruffi d. die ibidem.* 16

17 Pro simplici Recognitione corporis cadaveris Tertiariae extra locum Immunem non incurritur Excommunicatio: *Sacra Congreg. Immun. in Maceraten.* 1. *Maii* 1677. *lib.* 2. *Decret. Altov. p.* 1387.

18 Non obstat de laesione Immunitatis, quando Curia Laica processit ad Recognitionem Corporis Delicti, habita solum, ut dicitur, Denoncia Baroncelli contra Laicum ob attentatum furtum in Domo Laici, quamvis ante d. Recognitionem, et in actu illius fuerit datus pro suspecto ejusdem furti quidam Sacerdos: *Sacr. Congreg. Immun. in una S. Severin.* 11. *Decemb.* 1703. *l.* 3. *Decr. Valleman. p.* 541.

19 Ex Recognitione corporis Cadaveris Parochi sepulti in Ecclesia Parochiali Commendae Religionis Hierosolymitanae, a qua Parochi d. Ecclesiae nominantur, facta auctoritate, et cum interventu Equitis dict. Religionis, non constat de Laesione Immunitatis: *Sacr. Congr. Immuni. Papisn.* 24. *Maii* 1701. *ibi pag.* 354.

Valida est recognitio corporis delicti, facta in Domo, et in Cadavere personae exemptae a Curia Laica, quae primo impedivit transferri Cadaver ad locum immunem, sed habito praecepto a Ministro Ecclesiastico de non impediendo, amplius non obstitit, et tunc Censurae non incurrit: *Sac. Cong. Immun. in Terracinen.* 20. *Jun.* 1690. *lib. Decret. Martelli pag.* 625. 20

Aliquando cum facultate Apostolica Episcopus potest communicare, vel etiam consignare corpus delicti, et etiam acta facta pro Recognitione ejusdem: *Sacra Congreg. Immun. in Fulginaten.* 16. *Jul.* 1658. *lib. Decret. Rocci pag.* 104. *in Nepesina* 30. *Octob.* 1694. *ibi pag.* 154. *in Clusina* 2. *Aug.* 1695. *ibi pag.* 106. *et in Imolen.* 30. *Novemb. dict. An. et lib. p.* 231. *et alibi.* 21

RECURSUS

Haec porro, quae sequuntur, attendenda veniunt.

1 Pro incurrendis Censuris sufficit recursus ad Judicem Laicum contra Jurisdictionem Ecclesiastic. *Sac. Congr. Immun. in Clusina* 5. *Jul.* 1639. *lib.* 3. *Decr. Paul. pag.* 94.

2 Ob recursum ad hanc Sacram Congregationem Archiepiscopus abstineat a molestiis: *Sac. Congr. Immun. in Regien.* 14. *Decembr.* 1660. *lib. Decr. Rocci pag.* 303.

3 Ob Recursum habitum pro bono pacis ad Magistratum saecularem Ecclesiastici non incidunt in Censuras: *Sacra Congr. Immun. in Assisien.* 12. *Septemb.* 1673. *lib.* 1. *Decret. Altoviti pag.* 839.

4 Ob Recursum ad Judices Laicos pro impediendo, ne Curia Ecclesiastica posset vocare Laicos ad comparendum personaliter pro examine, Ordinarius procedat: *Sacra Congregat. Immun. in Montis Casini* 20. *Novemb.* 1996. *lib.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 59.

5 Contra Superiorem Regularem, qui habuit Recursum ad Judicem Laicum contra confugitum in suo Conventu, qui pluries percussit Fratrem Laicum, unde Judex Laicus misit Birruarios in Conventum, Archiepiscopus procedat, et quatenus Confugitus sit extractus, restituat Ecclesiae sibi benevisae: *Sac. Congr. Immun. in Theanen.* 27. *Mart.* 1685. *lib.* 3. *Decr. Altov. pag.* 427.

6 Religiosi incidunt in Censuras, et sunt puniendi ob recursum ad Ministros Laicos ad effectum, ut Milites hospitarentur in bonis Abbatis Commendatarii: *Sacr. Congreg. Immun. in Mediolanen.* 7. *Octobris* 1631. *lib.* 2. *Decret. Paulucci, pag.* 93.

7 Qui habuit recursum ad Forum Laicum contra Clericum, antequam absolvatur, debet renunciare Judicio intentato in Tribunali Laico: *Sacr. Cong. Immun. in Aversana* 10. *Januarii* 1693. *lib.* 1. *Decret. Vallemani pag.* 15.

Recurrens ad Judicem Laicum contra Clericos, et obtinens sequestrum super bona donata eisdem Clericis, consulat conscientiae suae: *Sacra Congreg. Immun. in Nullius Altamurae* 1. *Septembr.* 1639. *ibi pag.* 72. 8

Sacerdos, qui auxilio brachii saecularis capit possessionem Beneficii, incurrit Excommunicationem: *Sacra Congreg. Immun. in Alatrina* 29. *Aprilis* 1704. *lib. Decret. Vallem. pag.* 576. 9

Recurrentes ad Ministros Regios contra Auctoritatem, seu Jurisdictionem Ecclesiast. Censuras incurrunt: *Sacra Congreg. Immun. in S. Severi* 8. *Julii* 1687. *lib. Decret. Mart. pag.* 131. *et* 16. *Novembris* 1688. *ibi pag.* 380. *in Boven.* 18. *Martii* 1698. *lib. Decret. Vallem. pag.* 142. 10

Committitur Ordinario, ut procedat contra Ecclesiasticum ad Censuras, et alias poenas, juxta Sac. Can. ob recursus habitos ad Judices Laicos. *Sacr. Congreg. Immun. in Papien.* 24. *Julii* 1628. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 101. *in Neapolitana* 9. *Mai.* 1693. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 44. 11

Item Vicarius Generalis procedat prout de Jure contra Sacerdotem ex causa recursus habiti ad Judicem Laicum contra Clericum: *Sac. Congregat. Immun. in Hydruntina* 30. *Septemb.* 1704. l. 3. *Decret. Vallemani pag.* 618. 12

Constito de renunciatione, et revocatione recursus ad Potestatem Laicam, et obligatione de se abstinendo a similibus, datur facultas absolven- 13

di censuratum ob ipsos recursus: *Sacra Congreg. Immun. in Theatina* 27. *Junii* 1699. *lib.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 228. *in Venusina* 2. *Septemb. d. A. et lib. pag.* 247. *in Cosentina, seu S. Joannis in Flore* 9. *Augusti* 1701. *lib.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 371.

14 Et si oriatur controversia super refectione damnorum, absolvitur cum reincidentia post duos menses: *Sacra Congregat. Immunit. in Aquilana* 15. *Novembr.* 1704. *lib.* 3. *Decr. Vallem. pag.* 627.

15 Suspensis Censuris, et facta per Baronem N. renunciatione recursibus ad Judicem Laicum, Judex Ecclesiasticus competens procedat super negotio principali: *Sacr. Congreg. Immun. in Insulana* 25. *Februarii* 1689. *lib.* 2. *Decret. Vallemani pag.* 138.

16 Praevia renunciatione recursibus, et dimissa possessione Domus, ac praestita refectione damnorum, Episcopus procedat in causa, cui datur facultas absolvendi: *Sac. Congreg. Immun. in Ostunen.* 22. *April. d. Anni, et lib. p.* 149. *et* 19. *Aug. dict. Anni, et lib. pag.* 170.

17 Attenta renunciatione recursibus, absolvuntur etiam in forma privata censurati, qui executi fuerunt Bullas Ecclesiasticorum: *Sacr. Congreg. Immun. In Policastren.* 12. *Januar.* 1700. *lib.* 2. *Decret. Vallemani pag.* 266.

18 Regulares habentes recursum, seu recurrentes
ad personas extra Ordinem pro obtinendis Digni-
tatibus, Officiis, gratiis, seu poenarum remissio-
nibus, incurrunt privationem vocis activae, et pas-
sivae, et perpetuam inhabilitatem ad omnes Di-
gnitates, Gradus, Honores, Officia, et Munia sui
Ordinis. Et easdem poenas incurrunt etiam Supe-
riores aliquas gratias suis subditis concedentes,
seu poenas aliquas remittentes ad instantiam, et
requisitionem quarumcumque Personarum, tam
Laicarum, quam Ecclesiasticarum extra Ordinem
existentium. Immo Regulares neque ad hunc ef-
fectum recipere possunt favores Saecularium etiam
sponte oblatos, aut ab eis minime procuratos. Sic
saepe saepius statuerunt plures Summi Pontifices
19 pro diversis Ordinibus. Et signanter Gregorius
XIII. *die* 17. *Aprilis* 1574. Constitut. 66. Incip.
Nihil in unaquaque, pro Casinensibus, quam con-
firmavit Urbanus VIII. *die* 11. *Maii* 1638. Con-
stitut. 248. incip. *Alias*. Idem Gregorius XIII.
20 *die* 1. *Junii* 1580. Constit. 62. Incip. *Cum nihil
magis*, pro Dominicanis, quam confirmavit Cle-
mens VIII. *die* 23 *Maii* 1592. Constit. 7. incip.
Religiosos Viros, et Paulus V. *die* 7. *Januarii*
21 1608. Const. 39. incip. *Admonemur*. Clemens
VIII. *die* 8. *Junii* 1692. Constitut. incip. *Reli-
giosorum*, pro Congregatione Cisterciensi S. Ma-
22 riae de Alcobatia in Regnis Portugalliae. Idem
Clemens VIII. *die* 14. *April*. 1593. Constit. 21.
incip. *Quae ad prosperam*, pro Congregatione Ere-
23 mitarum S. Hieronymi de Observantia. Idem Cle-
mens VIII. *die* 21. *Maii* 1593. Constitut. 23. in-
cip. *Quoniam*, pro Carmelitanis. Idem Clemens 24
VIII. *die* 3. *Septembris* 1596. Constit. 43. incip.
Ambitiosam, pro Camaldulensibus. Idem Clemens 25
VIII. *die* 23. *Decembris* 1600. Constitut. inci-
pient. *Ambitiosam*, pro Congregatione B. Petri de
Pisis. Idem Clemens VIII. *die* 23. *Julii* 1604. 26
Constitut. 109. incip. *Quoniam*, pro Cruciferis.
Idem Clemens VIII. *die* 1. *Decemb.* 1604. Con- 27
stitut. 114. incip. *Quoniam*, pro Augustinianis,
quam Constitutionem confirmavit Paulus V. *die*
4. *Julii* 1608. Constitut. 31. incip. *Admonemur*,
et Alexander VII. *die* 1. *Julii* 1661. Constitut. 28
113. incip. *Admonet*. Paulus V. *die* 22. *Septemb.*
1607. Constitut. 35. incip. *Quoniam*, pro Con-
gregatione S. Salvatoris. Idem Paulus V. *die* 30. 29
Martii 1613. Constitut. 79. incip. *Alias per Nos*,
pro Cisterciensibus Italiae. Idem Paulus V. *die* 30
27. *Augusti* 1616. Constitut. 98. incip. *Quoniam*,
pro Coelestinis, quam confirmavit Alexander VII.
die 5. *Julii*. 1655. Constit. 3. incip. *Alias*. Idem 31
Paulus V. *die* 18. *April*. 1619. Constit. 114. in-
cip. *Admonemur*, pro Minoribus de Observantia,
quam Constitutionem confirmavit Urbanus VIII.
die 29. *Julii* 1639. Constitut. 271. incip. *Admo-
nemur*, et novissime Benedictus XIII. *die* 16. *No-
vembris* 1724. Constitut. 6. incip. *Universalis Ec-
clesiae Regimini*. Idem Paulus V. *die* 4. *Septem-* 32
bris 1619. Constitut. 116. incip. *Admonemur* pro
Minoribus Conventualibus. Idem Paulus V. *die* 33
6. *Septembris* 1619. Constitut. 117. incip. *Ad-
monemur*, pro Minimis. Urbanus VIII. *die* 15. *Fe-* 34
bruarii 1639. Constitut. 258. incip. *Quoniam*, pro
Congregatione Fesulana S. Hieronymi. Alexan- 35
der VII. *die* 27. *Junii* 1656. Constitut. 12. in-
cip. *Sacrosancti*, pro Congregatione Montis Virgi-
nis de Ordine S. Benedicti. Clemens X. *die* 27. 36
Februarii 1671. Constitut. 31. incip. *Exponi No-
bis fecit*, pro Congregatione Montis Oliveti Mona-
chorum Ordinis S. Benedicti, in qua confirmat
alias constitutiones Pii IV. et Gregorii XIII. ad
id emanatas. Idem Clemens X. *die* 2. *Octobris* 37
1671. Constitut. 46. incip. *Ex injuncto*, pro Ca-
puccinis, ubi id prohibetur etiam sub poena ex-
communicationis latae sententiae, et comprehen-
duntur omnes Religiosi recurrentes ad quascum-
que Personas extra dictam Ordinem existentes
pro obtinendis Obedientiis, seu permissionibus
visitandi eorum Parentes, seu Propinquos, aut
loca Sacra quaecumque, vel ut ad Dignitates, si-
ve Officia quaelibet ejusdem Ordinis, aut ut ad
studia promoveantur, sive ut ab uno loco ad alium
locum transire, vel in aliquo particulari Conven-
tu permanere eis liceat, vel ut cum eis dispense-
tur, ut ante peractum septennale studium in Con-
cionatores assumi, aut ut ante completum in eo-
dem Ordine septennium ad Sacrum Presbytera-
tus Ordinem promoveri valeant, sive ad alia si-
milia consequenda, tam pro se, quam pro aliis
ejusdem Ordinis Fratribus. Vide D. Ursayam, *t.*
2. *part.* 1. *discept.* 37. *per tot. a num.* 1. *usque*

ad num. 332. ubi egregie plurima resolvit ad rem scitu dignissima. Vide etiam infra *num.* 41.

38 Censuris, aliisque Ecclesiasticis poenis punire debet Episcopus Clericos recursum habentes ad Judices Laicos: *Sacra Congreg. Concil. in Derthonen.* 6. *Julii* 1726. *ad* 1. *dub.* apud Thesaurum Resolutionum Sacrae Congreg. Concil. *tom.* 3. *pag.* 344.

39 Recurrentes ad Sedem Apostolicam, eorumque Procuratores offendi prohibentur, sub poena excommunicationis in Bulla Coenae: Bened. XIV. *tom.* 1. Const. 14. incip. *Pastoralis Romani* §. 12. Recurrentes a Sententiis, vel Decretis Judi-

40 cum Ecclesiasticorum ad Tribunalia laica, excommunicantur: Idem *ibid.*

41 Ad dicta supra *post. n.* 37. addenda est novissima dispositio ejusdem Pontificis in Constit. incip. *Sacrosancti Apostolatus*, in qua sub dat. 11. Augusti 1748. memoratis variis Summorum Pontificum Constitutionibus, variis pro Religiosis Ordinibus ad id emanatis, et Decreto pro omnibus Regularibus a particulari Congregatione a Sixto V. deputata anno 1587. edito, ac confirmato, nunc denuo confirmat, ac renovat pro Ordine Fratrum Minorum sub Obedientia Ministri Generalis totius Ordinis degentium, Pontificias Constitutiones, ac Sacrarum Congregationum resolutiones ipsis inhibentes recursus ad Saeculares, vel alias Personas extra dictum proprium Ordinem pro obtinenda intra praefatum Ordinem gratia, vel vitanda poena. Nec non praecipit Generalibus, vel

42 Provincialibus, caeterisque Ordinis hujusmodi Superioribus cujusvis status, gradus, et qualitatis, nunc, et pro tempore itidem existentibus, ne ipsi ad instantiam, et requisitionem quarumcumque Personarum, tam Laicalium, quam Ecclesiasticarum extra dictum Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque saeculari dignitate, et praeeminentia Ducali, et Imperiali fulgentium, cuicumque ipsius Ordinis professori ullam gratiam, ullumque gradum, aut dignitates, vel Officia et administrationes concedere, vel poenam aliquam remittere, et condonare audeant quovis modo respective, seu praesumant, sub excommunicationis poena eo ipso absque alia declaratione incurrenda.

43 « Praeterea (sunt praecisa verba dictae Constitut.) Praeterea in casibus, in quibus Fratribus dicti Ordinis de jure, vel juxta illius Constitutiones appellare, aut recursus habere licet, id non aliter deinceps fieri posse, auctoritate, et tenore praesentis statuimus, et ordinamus, quam ut gradatim, a gravamine scilicet Guardiani ad Provincialem, a Provinciali ad Commissarium Generalem Familiae (si de negotio, et Causa agatur Familiam dicti Commissarii concernente, alias immediate ad Generalem), et ab isto ad Ministrum Generalem, itaut Causae appellationis hujusmodi, antequam ab eodem Ministro Generali cognitae, et definitae fuerint, extra dictum Ordinem deferri, et agitari nequeant. Quam quidem legem non solum in appellationibus, sed in quibuscumque recursibus, et querelis, aut causis inter dictos Ordinis hujusmodi professores quoquomodo agitandis inviolabiliter observari, sub poenis per memoratas ejusdem Ordinis Constitutiones praescriptis, et in illis contentis ipso facto absque alia pariter declaratione incurrendis. Demum omnibus Romanae Curiae Tribunalibus, ac Judicibus, et quibusvis Venerabilium Fratrum S. R. E. praefatae Cardinalium Congregationibus, nec non Sedis Apostolicae Nunciis nunc, et pro tempore existentibus, ne Fratrum dicti Ordinis recursus, aut appellationes super cujuscumque Causae cognitione admittant, Causasque ipsas cognoscant, nisi prius eis legitime constiterit, illas juxta praesens decretum per dictos Superiores praescripto ordine servato cognitas, et definitas fuisse, sub poena nullitatis actorum inde secutorum, auctoritate, et tenore praesentis itidem harum serie interdicimus; Ac omnibus, et singulis Ordinis praefati professoribus sub poenis in supradictis Gregorii Praedecessoris Litteris contentis, et contra inobedientes inflictis eo ipso irremissibiliter incurrendis, ne ipsi ad saecularia Tribunalia, ea quae a dicti Ordinis Superioribus, vel ab hac Sancta Sede acta, aut decreta fuerint, sub quovis praetextu appellare, aut quovis modo recurrere audeant quoque, seu praesumant, seu per interpositas personas praemissa peragere curent, et faciant, dicta auctoritate prohibemus ». Vide tamen verb. *Appellatio art.* 3. *n.* 29.* 44

REFERENDARII CURIÆ ROMANÆ

SUMMARIUM

1. Referendarii utriusque Signaturae Papae nobilitatis verae privilegio decorantur. — 2. Comites Palatini creantur. — 3. Insigniis Pontificiis, vel pontificalibus, si Abbates fuerit, in eorum Ecclesiis uti possunt. — 4. Beneficia ubique existentia obtinere, et retinere possunt. — 5. Studii occasione absentes fructus suorum Beneficiorum percipiunt. — 6. Horas Canonicas postpositis horis recitare valent. — 7. Litterarum Apostolicarum pro expeditione nihil solvunt Referendarii, et eorum duo Familiares. — 8. Testari possunt de bonis acquisitis ex Beneficiis. — 9. Exempti sunt a Jurisdictione Ordinariorum, ipsi, et eorum Familiares. — 10. Referendarii Officium est perpetuum. — 11. Antiani praecedunt aliis, etiamsi isti essent Episcopi. — 12 Referendarii quas materias proponere possint in Signaturis, et quas non? — 13. Referendarii Signaturae quales debent esse? — 14. Centum debent esse Signaturae Justitiae, et non plures? Et ex his septuaginta tantum Signaturae Gratiae. — 15 Referendarii Signaturae Gratiae, et Justitiae in caussarum expeditionibus ad quid teneantur, et ad quid

possint se extendere? — 16. Referendarius extra Ecclesiam praecedere debet Canonicis, et dignitatibus, non tamen intra eam. — 17. Referendarii cedunt praecedentiam Auditori Confidentiarum.

1 Referendarii utriusque Signaturae Papae nobilitatis verae Privilegio decorantur: Paul. III. Const. 23. incip. *Debita consideratione*. Sixtus V. Const. 41. incip. *Quemadmodum*.
2 Comites Palatini creantur: Paul. III. et Sixtus V. *in citatis Constitutionibus*.
3 Insigniis Pontificiis, vel Pontificalibus, si Abbates fuerint, in eorum Ecclesiis, uti possunt: Paulus III. et Sixtus V. *in citat. Constitutionibus*.
4 Beneficia ubique existentia obtinere, et retinere possunt: Paul. III. et Sixt. V. *in cit. Constitutionibus*.
5 Studii occasione absentes, fructus suorum Beneficiorum percipiunt: Paul. III. et Sixt. V. *in citat. Constitution*.
6 Horas Canonicas postpositis horis recitare valent: Paul. III. et Sixt. V. *in citat. Constitut*.
7 Illi, et duo eorum Familiares nihil solvunt pro expeditione Litterarum Apostolicarum: Paulus III. et Sixtus V. *in cit. Constitution*.
8 Testari possunt de bonis acquisitis ex Beneficiis. Paul. III. et Sixtus V. *in cit. Constit*.
9 Exempti sunt a Jurisdictione Ordinariorum ipsi, et eorum Familiares: Paul. III. et Sixt. V. *in cit. Constit*.
10 Referendarii Officium est perpetuum: Paul. III. et Sixtus V. *in cit. Const*.

Antiani praecedunt aliis, etiamsi isti essent Episcopi: Paul. III. et Sixtus V. *in cit. Constitut*. 11

Referendarii quas materias proponere possint in Signaturis, et quas non? Quando manus apponere, et quando non? In Commissionibus quae causas possint Ordinariis committere, quomodo debeant abbreviare lites? etc. Statuit Pius IV, Const. 53. incip. *Cum nuper*. 12

Referendarii utriusque Signaturae quales debeant esse? statuit Sixtus V. Constit. 41. incip. *Quemadmodum*. 13

Centum debent esse Signaturae Justitiae, et non plures; Et ex his septuaginta tantum Signaturae Gratiae: Sixtus V. in citat. Constit. incip. *Quemadmodum*. 14

Referendarii Signaturae Gratiae, et Justitiae in causarum expeditionibus ad quid non teneantur, et ad quid possint se extendere? omnia distincte statuit Paulus V. Const. 71. incip. *Universi, tit. de Signatura Gratiae, et Justitiae*. 15

Referendarius extra Ecclesiam praecedere debet Canonicis, et Dignitatibus, non tamen intra eam: *Sacr. Congregat. Rit. in Veronen*. 6. *Junii, et* 4. *Julii* 1626. 16

Referendarii cedunt praecedentiam Auditori Confidentiarum: *Sacra Congreg. Rit*. 6. *Decembr*. 1621. 17

REFRACTARII

Refractarii Bullae *Unigenitus*, an, et quando sint a Sacra Eucharistia, et Viatico repellendi? Vide *tom*. 8. verb. *Viaticum*, ubi ad litteram affertur novissima Constitutio Bened. XIV. id declarans cum pluribus aliis ad rem facientibus.

REGALIA, EJUSQUE JUS

Haec specialim de Regalia.

1 Regalia jus est, et facultas Regibus concessa, fructus, et proventus vacantis Episcopatus (cujus electio ad Regem pertineat) percipiendi, et beneficia, ac praebendas curae animarum expertes, interim conferendi.
2 Unam ex praecipuis causis, quae S. Thomae Cantuariensi exilium, mortemque attulit, Regaliam fuisse certum est, Henrico II. Angliae rege fructus vacantium Ecclesiarum usurpante, novasque electiones, quo diutius frui posset, in longum trahente: quem abusum, cum S. Thomas non ferret, gratia, loco, et vita excidit.

3 In Galliis nonnisi sub undecimi saeculi finem Regalia irrepsit; sed abusus in dies crevere, nec Concilium Lugdunense Oecumenicum anni 1274. satis illos coercuit *can*. 12., immo eo tandem deventum, ut (quod frustra aliquoties a Regiis Ministris tentatum fuerat, adversante semper, et vin-

cente Clero), jus Regaliae ad omnes Gallici Imperii Provincias, a Ludovico XIV. tribus edictis a. 1673. et 1674. extenderetur.

4 Innocentius XI. nihil eorum, quae Pontificiam Majestatem, studiumque vindicandorum Canonum decerent, omisit, ut tanto malo occurreret. Episcopi tamen metu adacti (si duos excipias, Alectensem, et Apamiensem, qui sancio Pontifici adhaeserant, ut ei insidias struerent, et Jansenianae Sectae, cui addicti quammaxime erant, illum, fieri si posset, conciliarent) Episcopi, inquam, metu adacti, licet faterentur, « Regaliam ex tolerantia Ecclesiae, non jure aliquo Regio provenire; esse servitutem canonicae, et naturali Ecclesiarum libertati oppositam, et ideo a Concilio Lugdunensi ad loca, ubi hactenus inoleverat restricta, nec extendi a Regiis posse, sed solo Ecclesiae consensu », sibi cedendum existimarunt, repugnante Pontifice.

Praeter Maimburgum, qui nonnulla de Regalia sparsim in postremis, quos edidit, libris attigit, Natalis Alexander Dissertationem octavam ad Saeculum XIII., et XIV. Regaliae defendendae destinavit. Utrumque Eminent. Caelestinus Sfondrati in *Gallia vindicata* confutavit. Nec tamen omittendae P. Roncagliae in eam Natalis Dissertationem Animadversiones. 5

REGIMEN

SUMMARIUM

1. Triplex est regendi forma, scilicet Monastica, Æconomica, et Politica. — 2. Quae sit Monastica? — 3. Quae Æconomica? — 4. Quae sit Politica? — 5. Forma regendi politica est triplex, scilicet Monarchica, Aristocratica, et Democratica. — 6. Quae sit forma regendi Monarchica, seu Regimen Monarchicum. — 7. Quae sit forma regendi Aristocratica, seu Regimen Aristocraticum? — 8. Quae sit forma regendi Democratica, seu Regimen Democraticum? — 9. Quidquid sentiant alii, Regimen Monarchicum est ceteris praestantius. — 10. Adducitur probatio. — 11. Affertur, et solvitur objectio. — 12. Jus Regis praedictum a Samuele Israeliti, intelligendum est de usurpato, at injusto. — 13. Forma regendi politica secundum aliquos est quintuplex. — 14. Regimen Ecclesiae est Monarchicum sine permixtione Aristocratiae, et Democratiae; et affertur probatio, *ad* n. 15. — 16. Adducitur, et solvitur objectio, *ad* n. 17. —. 18. Afferuntur plurima a Romanis Pontificibus sine Concilio definita, et praecepta, quae a tota Ecclesia prout ab eis fuerunt ordinata, recepta, et observata sunt, et in dies recipiuntur, et observantur, *ad* n. 20.

1 Triplex est regendi forma, scilicet Monastica, Oeconomica, et Politica. Prima circa privatae personae mores instituendos; Secunda circa regendam familiam; Tertia circa Rempublicam gubernandam occupatur. *Communis.*

2 Monastica igitur est, qua qnilibet se, suosque
personales mores ad regulam rectae rationis componit. Monastica enim docet qualiter quaevis privata persona suos personales actus recte, ac juste moderetur, rebellem portionem inferiorem superiori subjiciendo, omnesque suas actiones ad rectum rationis dictamen componendo, et hujusmo-
3 di. Oeconomica est, qua caput, et rector domus
et familiae, suos liberos, ac subditos recte gubernat: Oeconomia enim instruit quomodo in familia sit honeste, ac probe vivendum; ad quod teneantur genitores, liberi, superiores, subditi, servi,
4 et hujusmodi. Politica est, qua populus, seu Res-
publica gubernatur; Politica enim demonstrat quomodo regenda sit Civitas, et Provincia, quae spectent ad Principem, quae ad subditos, quae sint Leges condendae, quae artes, et professiones sint excolendae, quae praemia probis, quae improbis supplicia debeantur pro bona, ac pacifica Reipublicae conservatione. *Sic in re communissima.*

Politica forma regendi Rempublicam est tri- 5
plex, scilicet Monarchica, Aristocratica, et Democratica. In Politica enim aut unus tantum regit ceteros, et hoc regimen dicitur *Monarchia*, cujus contrarium vitium est Tyrannis; Aut pauci, iique optimates, ac divites, et est *Aristocratia*, cui apponitur *Oligarchia*, hoc est factio paucorum; Aut denique omnes nobiles, et plebei, seu saltem plures nobiles, et plebei ex populi electione promiscue imperant, et est *Democratia*, hoc est populi totius imperium, cui adversatur Ochlocratia, quae Populi confusionem significat. *Communis.*

Regimen ergo Monarchicum, seu forma regen- 6
di Monarchica, est, cum tota regendi potestas residet apud unum; Monarchia enim est illa, in qua summum imperium sine superioris, aut aequalis populi, vel alterius Principis consortio e-
xercetur, ut in Gallia etc. Regimen Aristocrati- 7
cum, seu forma regendi Aristocratica est, cum pauci, et ipsi optimates, ac divites regunt; Aristocratia enim illa dicitur, in qua nobilior pars Reipublicae supremam potestatem in illa habens, imperium absolutum exercet in ceteros, ut apud Venetos, Jannenses etc. Regimen Democraticum,
seu forma regendi Democratica est, cum totus 8
populus regimen habet, aut saltem aliqui tum ex

nobilibus, tum ex plebeis ex populi electione, seu est illa, in qua tota jurisdictio formaliter, et subjective residet in tota Communitate; ministerialiter vero, et quo ad executionem ex arbitrio ipsius Communitatis particularibus Ministris convenit ministerium, et potestatis executio, ut quondam Athenis, et nunc in Batavia. *Sic in re Communis.*

9 Quaenam vero ex supradictis regendi formis melior, ac utilior sit? magna est controversia. Plures enim, praesertim Haeretici, inter quos signanter Calvinus *lib.* 4. *Institut. cap.* 6. §. 9. *e cap.* 20. §. 8. ad impugnandam Ecclesiasticam Monarchiam, volunt ex tribus dictis formis meliorem, ac perfectiorem esse Aristocraticum, et omnium deteriorem esse formam regendi Monarchicam, praesertim in toto Orbe terrarum, aut in universa Ecclesia constitutam. Nos vero absolute concludimus, quod ex dictis tribus formis nobilior, perfectior, et praestantior sit forma regendi Monarchica. Sic teste eruditissimo Bellarmino *tom.* 1. *de Romano Pontifice, cap.* 2. (*) veteres omnes scriptores Hebraei, Graeci, Latini, Theologi, Philosophi, Oratores, Historici, ac Poetae, quos ibi ad longum adducit, et nos brevitatis gratia apud ipsum videndos relinquimus, breviterque rationes pro nostra sententia adducimus.

10 Probatur igitur nostra conclusio, quia Regimen Monarchicum perfectissimum Dei Regimen imitatur; sicut enim omnia solius Dei Regimini, et imperio subjacent, sic in Monarchia omnes subditi Principis Monarchici Legibus obtemperant. Tum quia hanc Monarchicam Regiminis formam Deus ipse constituit in populo Judaico, apud quem uti Monarchici Principes imperarunt primo Patriarchae, ut Abraham, Jacob, Judas, et ceteri alii; Deinde Duces, ut Moyses, Josue, et alii. Tum Judices, ut Samuel, Sampson et alii. Postea Reges, ut Saul, David, Salomon; Postremo iterum Duces, ut Zorobabel, et Machabaei. Abraham enim *Genes.* 14. sine alicujus Senatus, aut Magistratus dependentia bellum gessit adversus quatuor Reges. Judas *Genes.* 38. de se solo nurum suam, quae stupri fuerat accusata, igni adjudicavit. Moyses *Exodi* 32. ut verus, et summus Princeps populi Haebraici una die occidi jussit illa tot millia Hebraeorum, qui erexerunt vitulum aureum; Sicque dici potest idem omnino de Judicibus, qui de se sine ulla ab aliis dependentia, ei bella gerebant, et reos morti adjudicabant, uti patet *Judic.* 8. de Gedeon, qui post victoriam de Madianitis occidit septuaginta viros Urbis Socoth, et turrim Phanuel subvertit. Tum etiam, quia Monarcha respicit bonum Regni, tamquam suum proprium, sicque omnes suas vires, et curas impendit ad illud defendendum, ac recte, justeque regendum; In Regimine autem Aristocratico, et Democratico, ubi multi regunt, nascitur ambitiosa contentio inter ipsos, ita ut alii alios impediant, aut saltem alii alios respicientes, in collegas suos onus Regiminis rejiciant, sicque nemo bono communi serio intendat, ac quisque quaerat, quae sua sunt, non quae republicae, ut non pauca exempla demonstrant, adeoque stat vera nostra conclusio, quod forma regendi Monarchica perfectior, ac praestantior sit forma regendi Aristocratica, et Democratica.

Nec valet objicere, quod Israelitae *lib.* 1. *Reg.* 11
c. 8. petentes sibi dari Regem, *Constitue nobis Regem. . . . . . da nobis Regem*, fuerint a Samuele propheta ex parte Dei acriter reprehensi, adeoque Regimen Monarchicum debeat potius censeri damnandum, quam aliis praeferendum. Non valet, inquam, quia non fuerunt reprehensi Israelitae Regem petentes, quasi Regis Regimen esset culpandum, cum ipsemet Deus Regis Regum nomen sibi vindicet; Sed idcirco reprehensi fuerunt, quia ablegato Dei Regimine per Duces, et Judices, nullo modo a populo sibi subiecto, sed a solo nutu Regis Dei pendentes exercito petebant dari sibi Regem, qualem universae habent nationes, *ibi n.* 5. *Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut et universae habent nationes*, idest qui populum regat, non ex nutu Dei, sed pro suo beneplacito, et peregrinis aliis institutis, quae, auctore Diabolo, barbarae, et idololatrae habent nationes, atque usurpant; ut clare colligitur ex ipsamet Domini ad Samuelem responsione: « Dixit autem Dominus ad Samuelem; audi vocem populi in omnibus, quae loquuntur tibi; Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos ». Hinc jubet Deus Samueli ut narret caeco populo quale jus usurpaturus sit Rex, (**) quem similem Regibus aliarum nationum petebant, *Praedic eis jus Regis etc.* Quod jus in 12
tali loco non est intelligendum de vero, ac justo, sed de usurpatitio, et injusto, ut optime docet Sanctus Thomas *lib.* 3. *de Regimine Principum cap.* 11. (***) *et* 1. 2. *q.* 105. *vers.* 1. *et* 2. et teste Tirino in *cit. cap.* 8. Sanctus Gregorius, Cajetanus, Abulensis, et Vatablus, ac alii passim; Jus enim verum, et justum Regum regulandum est juxta leges ab eis observandas praescriptas *Deuteronmii cap.* 17.

Forma regendi politica per aliquos quintuplex 13
distinguitur, adjectis videlicet Dispotica, et Mixta. Regimen dispoticum seu forma regendi dispotica est, cum tota regendi potestas nedum apud unum residet, sed insuper ita dominatrix est, ut inter Imperantem, et Subditos se habeat velut Dominus ad mancipia, et plane arbitra de substantiis, ac vita subditorum, ceu penes Turcarum Im-

(*) Et Zaccaria T. 1. *Antifebr.* Italici *diss.* 1. *cap.* 3.
(**) Seu potius ad Regem pertineret. Bossuet *admonit v. ad Protest. n.* 38. ubi verum jus Regis hic describi evidenter ostendit.

(***) Animadvertend. cum doctiss. Echardo, *Bibhoth. Script. Ordin. Praed.* tertium et quartum librum de Regimine Principum, foetum non esse Sancti Thomae. Ita ille; *Tom.* 1. *pag.* 336.

peratorem. Regimen mixtum seu, forma regendi mixta est, cum plures Potentiae non subordinatae necesse conveniunt ad efformandas, vel mutandas leges, ut in Germania; seu potius est, eum regendi potestas participare quasi videtur de Monarchico, Aristocratico, et Democratico, ut in Anglia, ubi adest Rex, et duplex Senatus, seu Consilium, superius unum, inferius aliud. Num vero haec ad praefata sint satius reducenda, vel specie secernenda, non est multi momenti hic ad trutinam ponere.

14 Regimen Ecclesiae Catholicae est Monarchicum sine permixtione Aristocratiae, et Democratiae: Ita Octavius Tudertinus Episcopus Assiensis, *Introduc. ad Lectur. Offic. disp.* 2. *art.* 1. Boyvin *Theolog. Scoti tom.* 4. *disp.* 2. *de Summo Pontifice qu.* 2. *et* 3. Matthaeuc. in *Opere Dogmatic. Controvers.* 4. *cap.* 3. cum plurimis aliis. Sicque sentire videtur Pius II. Constitut. incip. *In minoribus* §. 10. ubi sic habet: « Inter cetera gubernationum genera communis Philosophorum sententia est, praestare Monarchiam. *Et infra:* Liquet igitur unum in Ecclesia caput esse, et unum Principem, quia pax populi ex uno Rectore dependet, et pluralitas Principum discordiam parit; Christus Ecclesiae suae in ultimo Testamento pacem reliquit, et pacem multis verbis commendavit, Dedit ergo et Regimen pacis amicum, *idest Monarchicum*, sub B. Petro, et successoribus ejus, administrari cuncta praecipiens clavibus illi commissis, et cura Gregis demandata ». Si igitur inter cetera gubernationum genera ex Pontificio testimonio, et ut nos supra ostendimus, communiter tenetur, optimum, perfectissimum, et praestantissimum esse Regimen Monarchicum, nemo inficiari potest, Ecclesiae Regimen debere esse Monarchicum; Cum pro certo tenendum sit, quod Christus Ecclesiae suae sponsae, pro qua mortuus est, melius, perfectius, et praestantius inter tria gubernationum genera, reliquerit, ac tradiderit. Hinc in Sacra Scriptura Ecclesia nuncupatur variis nominibus, quae Monarchiam redolent, *Cant.* 6. vocatur Exercitus ordinatus; *Matthaei* 13. Regnum, *Joan.* 10. Ovile, 1. *ad Corinth.* 12. Corpus, 1. *ad Timoth.* 3. Domus, 1. *Petri* 3. Navis Unde sicut Exercitus bene ordinatus ab uno duce regitur, Regnum ab uno Rege, Ovile ab uno Pastore, Corpus ab uno Patre-familias, Navis ab uno Gubernatore: Ita Ecclesia ab uno solo supremo Moderatore regi, et gubernari debet; alias, si plures supremi Rectores essent, confusio, et divisio oriretur, juxta illud Divi Augustini *serm.* 15. *de verbis Domini*, ibi: « Da unum, et populus est, tolle unum, et turba est, quid est enim turba, nisi multitudo turbata »?

15 Confirmatur ex Doctoribus Parisiensibus, quorum aliqui, licet supremam Ecclesiae auctoritatem constituant in Concilio, alii tamen ipsam in Summo Pontifice recognoscunt, ut Cardinalis Alliacensis, *qui tractat. de origine Ecclesiasticae Potestat. conclus.* 2. sic expresse fatetur; « ideo Dominus praevidens schisma, et dissensionem, contulit Petro, et successoribus suis auctoritatem disponendi Ministros Ecclesiae, et determinandi eorum jurisdictionem, dicens, Pasce oves meas, sis Rector, et Praelatus Generalis, ad quem pertineat Regimen Regale ovium, et ovilis ». Gerson Cancellarius Parisiensis *lib. de infallibilit. Papae considerat.* 8. sic expresse dicit: « Nullam politiam in Ecclesia instituit Christus, praeter Monarchicam, et quodammodo Regalem: et oppositum sentientes, quod videlicet fas est dicere plures Papas, aut quilibet Episcopus in sua Dioecesi est Papa, vel Pastor Supremus aequalis Papae Romano, errat in Fide, et unitate contra articulum hunc, *Et Unam Sanctam Ecclesiam*; Et si pertinaces maneant, judicandi sunt Haeretici, sicut Marsilius de Padua, et quidam alii ». Almainus *de Suprema potest. Ecclesiast. c.* 1. sic expresse habet: « Christus fuit Sapientissimus, quia plenus sapientia, et quod instituerit optimam politiam; et quod optima politia debet regi Regimine Regali, ut dicit Aristoteles *in polit.* itaut unus sit, qui in quemque habeat potestatem, et nemo in eum »; ergo dicendum est, quod Christus instituit in Ecclesia formam regendi Monarchicam sine permixtione Aristocratiae, et Democratiae, non temperatam ipsa Aristocratia, ut est in Regno Poloniae, ubi Rex non habet plenam, et absolutam potestatem circa omnia, sed necesse est, ut accedat Optimatum auctoritas; Nec temperatam ipsa Democratia, ut est in Regno Angliae, ubi Rex de se solo nihil disponere potest, nisi dependenter a Parlamentis nobilium, et plebejorum, vulgo nuncupati. *Parlamento alto*, e *Parlamento basso*.

Dices: Romanus Pontifex pro definiendis rebus Fidei, morum, et disciplinae, aliisque gravibus dubiis congregat Concilia, tum Generalia, tum Provincialia Episcoporum, (*) ut patet ex innumeris sic congregatis Conciliis: ergo Romanus Pontifex non habet supremam, et absolutam independentem auctoritatem, sed solam dependentem ab Episcoporum judicio, et auctoritate, adeoque ejus Ecclesiae Regimen non est pure Monarchicum, sed Aristocratia temperatum. 16

Respondetur, quod licet a Romanis Pontificibus plura fuerint convocata Concilia, tum Generalia, tum Provincialia, id solum fuit de solemnitate, et congruentia, ut nempe definitiones Pontificiae solemniores essent, faciliius executioni mandarentur, et convocatis ex omni, seu majori natione Patribus, et inspectis cujusque nationis consuetudinibus, et indigentiis, facilius, et convenientius Leges communes, et municipales cujusque Provinciae commodius disponi, et approbari possent. Non autem id factum est de necessitate, quasi Papa 17

(*) Confer eumdem Zaccariam T. I. *Antifebr.* Latini diss. II. cap 4.

sine Concilio non possit de sola sua Suprema Monarchica auctoritate infallibiliter definire. An quia Rex verb. grat. Germaniae, Galliae, Hispaniae, Sardiniae, et hujusmodi, ad condendas commode, et provide Leges, suos Magistratus, jurisque peritos in Comitiis Regni convocat, suprema, et absoluta auctoritas ferendi Leges, non in solo Rege, sed etiam in subordinatis Magistratibus, ac Ministris reperitur? Nemo sanae mentis, quantumvis minimae cognitionis, id diceret. Si ergo nemo auderet hanc negare Regi Monarchicam auctoritatem in suo Regno temporali, quis audebit hanc Monarchicam jurisdictionem negare Romano Pontifici Supremo totius Ecclesiae Principi in S. Petro ab ipso Christo Domino instituto? *Matthaei* 16. ibi; Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves Regni Caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Coelis; Et Joann. ultimo », ibi: *Pasce oves meas.* Vid. *Tom. V. Verb. Papa.*

18 Tum quia innumera a Romanis Pontificibus sine Conciliis, et absque ullo interventu Episcoporum, fuerunt definita, praecepta, et ordinata, quae a tota Ecclesia, prout ab eis fuerunt statuta, et recepta, et observata sunt, ac in dies recipiuntur, et observantur. In tribus enim primis saeculis nullum habitum fuit Concilium, et tamen Romani Pontifices sola sua Suprema Monarchica auctoritate plures Haeresiarchas condemnarunt. Sic Cerdon damnatus fuit ab Higino, Marcion ab Eleuthero, Theodorus Coriarius a Victore, Pelagiani, Valentiniani, Novatiani, et multi alii ab aliis Summis Pontificibus; et horum omnium haereses tamquam sufficienter damnatas illico tenuit universalis Ecclesia.

19 Item sine Concilio Joan. XXII. Constitut. incip. *Vas Electionis*, plures damnavit propositiones, quae in ipsa referuntur. Benedictus XII. Constitution. incip. *Benedictus, Deus*, definivit, animas decedentes in gratia, et non egentes purgatione aliqua, vel ea peracta, si egeant, statim gaudere ante judicium universale Dei visione faciali, et intuitiva, et animas decedentes in peccato mortali statim ad poenas infernales descendere. Martinus V. Constitut. *Inter cuncta* damnavit 48. articulos Joannis Wicleff, et alios 30. Joannis Huss. Eugenius IV. Constitution. incip. *Laetentur*, et alia incip. *Exultate*, ac alia incip. *Cantate*, varios articulos ad Fidem Catholicam spectantes definivit, et explicavit. Sixtus IV. Constitut. incip. *Licet*, proscripsit varios errores Petri de Osma. Leo X. Constitut. incip. *Pastor* damnavit Pragmaticam Sanctionem adversus facultatem, potestatem, et dignitatem Romani Pontificis: et Constitut. incip *Exurge* proscripsit 41. errores Lutheri, eumque cum suis sequacibus damnavit, et excommunicavit Constitut. incip. *Decet*. Paulus V. Constitut. incip. *Quorumdam*, declaravit Haereticos negantes Trinitatem Personarum in Divinis in unitate Divinae essentiae, aut Divinitatem Jesu Christi etc. S. Pius V. Constitut. incip. *Ex omnibus*, damnavit 79. propositiones Michaelis Baii. Sixtus V. Constitut. incip. *Caeli*, *et terra*, condemnavit Astrologiam Judiciariam. Clemens VIII. Constitut. incip. *Sanctissimus*, damnavit sententiam docentem licere confiteri per litteras Confessario absenti. Urbanus VIII. Constitut. incip. *In eminenti*, prohibuit librum, cui titulus *Augustinus Cornelii Jansenii, olim Episcopi Iprensis.* Innocentius X. Constitut. incip. *Cum occasione*, ut haereticas proscripsit quinque propositiones d. Jansenii. Item per Decretum Congregationis Sancti Officii sub die 29. Januar. 1647. ut haereticam damnavit propositionem asserentem, Paulum non fuisse subjectum Petro, sed in primatu aequalem. Alexander VII. Constitut. incip. *Ad Sanctam*, definivit praedictas quinque Jansenii propositiones reperiri in libro Jansenii, et in sensu ab eodem Jansenio intento damnata fuisse. Item duobus aliis Decretis die sub 24. Septembr. 1665. et 18. Martii 1666. respective damnavit 45. propositiones ad materiam moralem spectantes. Innocent. XI. sub die 2. Martii 1679. proscripsit 65. propositiones circa eamdem materiam: et Constitut. incip. *Ad abolendam*, damnavit 68. propositiones Michaelis de Molinos. Alexander VIII. die 24. Augusti 1690. duas propositiones proscripsit, et alias 31. sub die 7. Decembris ejusdem anni Innocent. XII Constitut. incip. *Cum alias*, damnavit 23. propositiones Archiepiscopi Cameracensis. Clemens XI. Constitut. incip. *Vineam Domini*, declaravit, « Obedientiae, quae praelnsertis Apostolicis Constitutionibus (Innocentii X. et Alexandri VII. editis adversus propositiones Jansenii) debetur, obsequioso silentio non satisfieri, sed damnatum in quinque praefatis propositionibus Jansenii libri sensum, quem illarum verba praeseferunt, ab omnibus Christifidelibus, ut haereticum, non ore solum, sed et corde rejici, ac damnari debere ». Item Constitut. incip. *Unigenitus*, damnavit 101. propositiones excerptas ex libro gallico idiomate impresso. Quorum omnium Pontificum Decreta, et Statuta licet extra Concilia, fuerunt statim a tota Ecclesia recepta, et fideliter observata, prout in dies prompte recipiuntur, et fideliter observantur.

Unde concludendum est, Romanum Pontificem habere totius Ecclesiae Regimen pure Monarchicum, nec indigere aliqua Concilii convocatione pro definiendis rebus Fidei, morum, et disciplinae, aliisque gravibus dubiis, prout expresse pro damnandis etiam Haeresibus necessitas Conciliorum excluditur a S. Augustino *lib.* 4. *contra duas Epistolas Pelagianorum cap.* 12. ibi: « An vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla Haeresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit; cum potius rarissime inveniantur, propter quasi damna- 20

das necessitas talis extiterit »? Et a S. meo Bernardino Senensi *in Mariali p.* 3. *Sermon.* 3. expresse dicente, quod magis est standum sententiae Summi Pontificis, quam sententiae totius mundi, ibi: « Cum Papa sit Christi Vicarius, et gerat vicem Dei in terris: ex quo sequitur, quod habeat plenitudinem potestatis; et illud quod facit, praesumitur facere auctoritate Dei; ideo ipso approbante aliquid, et nos debemus approbare; Immo ipsius sententiae est magis standum, quam sententiae totius mundi ».

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

21 Monarchia, Aristocratia, et Democratia modi sunt simplices Regiminis. At omnes hi regiminis modi ultro, citroque misceri possunt, et quidem
22 tripliciter. Vel enim dividuntur majestatis jura, ut *v. g.* quaedam Princeps exercet, quaedam Senatus; vel eadem communicantur, quum Rex quaedam sine Nobilitatis, vel Populi arbitrio exequi nequit, vel denique summum imperium certis conditionibus adstringitur.

23 Exhibet Sparta exemplum primi generis, ubi hoc modo omnes status contemperati fuerunt, potissimum quum Ephori fuerunt instituti. Adeoque auctor est *Justinus*, Lycurgum, in fundanda aequo jure Sparta, sic distribuisse vim majestatis, ut Regibus auctoritas esset gerendi belli, Senatui tutela Regum, Magistratibus judicia, et demum electio Magistratuum Populo. Mixtum quoque ad hunc fere modum Germanici Imperii statum nonnulli tenent.

24 Apparet secunda species mixtionis in Regno Poloniae, ubi sine arbitrio Nobilitatis jura condere, abrogare, aut mutare Regi permissum non est. Idemque fere censendum de caeteris Imperiis, ubi Ordines sunt, quos vulgo *Status* appellamus, praesertim si suo jure convenire valeant.

Tertia species constituit Regnum legitimum, 25
non quia et alias Rex non promiscue legibus sit solutus, sed quia neqnidem potestas ex usu, et ratione flectendi, mutandique Leges tunc soli Regi sit, sed pariter Ordinibus: Nam et hi fere, ut assertores Privilegiorum, Legumque, sub quibus Rex recipitur, constitui solent. Sic quibusdam in Rebuspublicis in hanc legem adigi novus Rex solet, ne sine consensu Populi bellum, aut foedus faciat, neve militiae munus (nisi pro defensione Patriae) invitos implicet.

Variis quoque sanctionibus hae Leges solent mu- 26
niri. Aliquando enim, (sed periculoso exemplo) subditis exuendi obsequium jus datur, si pactis, legibusque non stetur; Usitatissimum est religione jurisjurandi eos adstringi, quos illos admoneat Poetae versus:

Si genus humanum, et mortalia spernitis arma,
At sperate Deos memores fandi, atque nefandi.

Porro generale juramentum e Republica, et 27
justitia gubernandi non efficit statum mixtum. Quae enim, inquit Papinianus, dubitationis tollendae causa contractibus inferuntur, jus commune non laedunt. Sed tunc demum, quum certis capitulis modum, finesque summae potestatis praescribit arctiores, quam jure suo haberet. Hoc juramentum prior Princeps obire debet, antequam nempe Subditi obsequium jurent, quia, quum ad id sub conditione obligati sint, prius conditio impleri debet juramento Principis. At vero diversum est circa commune illud Principis jusjurandum. Ante enim Cives suo juramento obstringere obsequii fidem debent.

REGULARIS PRÆLATUS

SUMMARIUM

1. Praelati nomen unde dictum? — 2. Praelatura quid sit? — 3. Praelati Regulares supremi sunt Generales, medii sunt Provinciales, et infimi sunt Superiores locales. — 4. Praelati, et Superiores Religiosorum non solum habent potestatem dominativam, qualem habent Patres familias in suos, sed etiam spiritualem jurisdictionem, quae in ipsis est ordinaria, et non delegata — 5. Pro eligendis Praelatis Regularibus est attendenda forma in unaquaque Religione praescripta, consueta: Et talis forma electionis potest esse triplex, scilicet forma Scrutinii, Compromissi, et Inspirationis. — 6. Quoad illos, qui possunt eligere, vel eligi in Praelatos, *remissive*. — 7. Quoad obligationem, quam habent Electores eligendi digniores in Praelatos, et ipsi Praelati, si indigni sint, renuntiandi, *remissive*. — 8. Praelati putativi gesta regulariter sunt valida, si talis reputetur communi errore cum titulo colorato. — 9. Et haec conclusio habet locum etiam quoad spiritualia, et pertinentia ad forum conscientiae. — 10. Ad validitatem eorum, quae fiunt a Praelato putativo requiritur, quod error communis sit facti, non autem Juris. — 11. Gesta per Praelatum putativum valent, quamdiu toleratur; Secus si esset notorium, eum esse suspensum. — 12. Unde Praelato putativo est obediendum, quamdiu est in pacifica possessione, et toleratur, dummodo concurrat titulus putatae legitimae electionis, aut auctoritas Superioris, et tunc subditus ei non obediens, graviter peccat. — 13. Praelati Regulares, sub Excommunicationis poena ipso facto incurrenda, non possunt ad instantiam, et requisitionem quarumcumque personarum extra Ordines suos existentium, etiam Cardinalium, Ducum, Regum, et Imperatoris alicui Religioso aliquod Officium, aut dignitatem concedere, vel poenas remittere. — 14. Praelati Regulares, uti Generales, et Provinciales possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus, a quibus possunt Episcopi absolvere suos Dioecesanos. — 15. Immo possunt absolvere suos subditos etiam ab omnibus casibus in Bulla Coenae contentis, quinque solum exceptis. — 16. Quinimmo ex amplissima concessione S. Pii V. possunt suos subditos absolvere ab omnibus casibus, excepto homicidio voluntario injustu, et mutilatione commissa post ingressum in Religionem. — 17. Unde majorem, et ampliorem facultatem absolvendi, et dispensandi habent Praelati Regulares in suos subditos, quam Praelati Sae-

culares in suos Dioecesanos. — 18. Nec ista tam ampla privilegia Praelatorum Regularium sunt revocata. — 19. Immo Julius II expresse declaravit, quod non obstante Bulla Coenae, possint Praelati Regulares absolvere suos subditos juxta sua privilegia. — 20 Et Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium, facto verbo cum Clemente VIII. absolute decrevit, quod omnes Bullae, et Decreta derogatoria privilegiorum Regularium quantum ad facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis sunt intelligenda solum in ordine ad saeculares, non autem in ordine ad suos subditos Regulares. — 21. Nec officit, quod de Stylo Curiae, seu Sacrae Poenitentiariae, soleant quandoque Regulares recurrentes ab ipsa absolvi, et dispensari super aliquos ex casibus Papae reservatis. — 22. Nec per hoc, quod Sacra Poenitentiaria absolvat, et dispenset Regulares, si qui ad ipsam recurrant, sequitur, quod non sit in Praelatis Regularibus talis potestas. — 23. Adducitur, et solvitur instantia ex Decreto Sacrae Cong. Episc. et Reg. approbato ab Urbano VIII. — 24. Datur hic ad litteram tale Decretum. — 25. Tale Decretum non est novum, sed confirmativum aliorum similium jussu Clementis VIII. et Pauli V. editorum, quae referuntur in Decreta responsali ejusdem Sac. Congr. ad Card. Filomarinum. — 26. Datur hic ad litteram tale Decretum responsale. — 27. Ex quibus Decretis clare patet, non loqui ibi Pontifices de Praelatis, seu Superioribus Regularibus in ordine ad suos subditos, sed solum de ipsis Confessariis Regularibus, adeoque intelligi debent in ordine ad saeculares, et non in ordine ad Regulares. — 28. Et eo magis hoc patet ex declaratione Sac. Cong. Episc. et Regul. facto Verbo cum Summo Pontifice Clemente VIII. — 29. Et ad hoc multum confert declaratio Alex. VII qua damnavit inter alias propositionem 4. in ordine, quae hic affertur. — 30. Ast tamen, si verum esset, quod Sacra Congr. declaraverit, non posse Praelatos Regulares absolvere ab Haeresi occulta, ut referunt aliqui, non esset a tali sententia recedendum; Eo vel maxime, quod plurimi Doctores classici, qui hic afferuntur, etiam independenter a tali declaratione Sacrae Congregationis, sic expresse tenent, innixi praesertim textui ejusdem Bullae Coenae, qui textus revera multum urget: unde in praxi suadeo hanc opinionem tanquam tutiorem tenendam. — 31. Praelati Regulares an possint suos subditos, et Novitios absolvere ab Excommunicatione contracta ob quamcumque percussionem, etiam enormem? — 32. Praelati Regulares, licet a Tridentino non habeant facultatem dispensandi ob Irregularitate concessam Episcopis, eamdem tamen habent in suos subditos per concessionem variorum Pontificum. — 33. Refertur ad id amplissimum privilegium concessum Praelatis Regularibus. — 34 Nec hoc privilegium videtur revocatum per Concilium Tridentinum. — 35. Istae tamen tam amplae facultates non sunt de facili deducendae ad praxim; Immo per varios graves Doctores nequeunt Praelati Regulares dispensare cum suis subditis, furiosis, epilepticis, lunaticis, energumenis, enormiter leprosis, et aliis, qui enumerantur. — 34. Praelati Regulares, et de eorum licentia sui Religiosi Confessarii possunt dispensare super impedimento petendi debitum ratione affinitatis contractae ex copula post contractum Matrimonium cum aliquo, vel aliqua sui conjugis consanguinea, vel consanguineo in primo, vel secundo gradu. — 37. Quando autem possint dispensare Confessarii Regulares super impedimento petendi debitum conjugalis sine speciali commissione, seu licentia Praelati Generalis, vel Provincialis, *remissive*. — 38. Praelati Regulares ingredientes extra necessitatem Monasteria Monialium sibi subjectarum ligantur Excommunicatione majori, et privantur omnibus Officiis, et Dignitatibus. — 39. Nec possunt Praelati Regulares ordinarie ingredi Monasteria Monialium, *nisi ex causa Visitationis localis, et hoc semel tantum in anno, ita ut eo anno, in quo unus ex memoratis Superioribus visitaverit, alius Superior a Visitatione hujusmodi se omnino abstineat.* — 40. Praelatus Regularis, si fuerit Generalis, potest secum introducere duos socios sui Ordinis: si fuerit alius a Generali, potest introducere secum unum tantum socium sui Ordinis. — 41. Nec ipse Visitator, nec ejus socii possunt sumere intra Clausuram ullam refectionem. — 42. Si ob clausuram, aut aliam urgentem, et necessariam caussam oportuerit Praelatum Regularem eodem anno pluries ingredi septa Monasterii, tunc non aliter ingredi potest, quam cum praesentia Episcopi Dioecesani, vel alterius personae Ecclesiasticae saecularis boni exempli, ac maturae aetatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatae. — 43. Si Praelatus Regularis supradictis contrafecerit, ipso facto poenam Excommunicationis, et privationem omnium Officiorum, quae obtinet, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, vel alia imposterum obtinenda, vocisque activae, et passivae absque alia declaratione incurrit, potestque puniri ab Ordinario tamquam ad hoc Sedis Apostolicae Delegato. — 44. Praelatus Regularis quando, et quomodo possit concedere licentiam ingrediendi Clausuram Monialium sibi subjectarum? *remissive*. — 45. Praelati Regulares quoad absolutionem ab Excommunicatione violatae Clausurae gaudent respectu suorum subjectorum eadem facultate, qua gaudent Episcopi respectu suorum. — 46. A poenis privationis Officiorum, et Dignitatum, et inhabilitatis latis a S. Pio V. in violantes Clausuram, possunt Praelati Regulares absolvere suos subditos pro utroque Foro — 47. Praelati Regulares, etiamsi sint Generales, nequeunt sine approbatione Episcopi audire Confessiones Monialium sibi subjectarum. — 48. Praelati Regulares nequeunt Jure proprio, et ordinario concedere Indulgentias suis subditis. — 49. Possunt tamen Jure Delegato, et ex speciali commissione. — 50. Monitoria concedere pro suis subditis possunt solum Praelati Generales, eorumque Visitatores, et Provinciales, non vero Superiores locales. — 51. Posse autem Superiores locales Monitoria edere in suis conventibus, non quidem ad finem revelandi pro rebus, aut scripturis deperditis, vel subtractis, sed pro aliis delictis tenent multi. — 52. Praelati Regulares in quibus votis, et juramentis possint dispensare, seu ipsa irritare respectu suorum subditorum? — 53. Praelati Regulares, puta Generales, et Provinciales undecim tantum casus reservare possunt, et non plures sine consensu Capituli Generalis pro tota Religione, vel Capituli Provincialis pro Provincia, et affertur ad id Decretum Clementis VIII. — 54. Praefatum Decretum confirmavit Urbanus VIII. cum aliquibus Declarationibus. — 55. Supradictum Decretum super qualitate casuum comprehendit etiam prohibitionem annectendi aliquibus peccatis in ipso non contentis Excommunicationem, ejusdemque absolutionem sibi reservandi. — 56. Soli Praelati auctoritatem quasi Episcopalem habentes, nempe Generales, Provinciales, et Abbates, possunt in Religionibus reservare casus, et nullatenus Superiores locales. — 57. Immo Superiores locales sine facultate a Generali, vel Provinciali obtenta, seu de consuetudine sibi commissa, et delegata, nequeunt absolvere a dictis casibus reservatis. — 58. Affertur ad id Decretum Congr. Visitationis Apostolicae. — 59. Superiores locales nequeunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum a Generali, vel Provinciali. — 60. Regularis, qui, inscio, vel invito Praelato sui Ordinis, approbatur ab Ordinario loci ad audiendas Confessiones in sua Dioecesi, an valide eas excipiat? *remissive*. — 61. Praelati Regularium possunt suos subditos a se, vel a suis Praedecessoribus, vel aliis quibuscumque Superioribus ad audiendas Confessiones approbatos ab eisdem Confessionibus audiendis suspendere, etiam ex caussa occulta, et extrajudicialiter. — 62. Praelati Regulares possunt Religiosos sibi subditos in Notarios creare, et deputare. — 63. Praelati Regulares possunt dispensare cum suis Religiosis illegitimis ad Officia, et Praelatias Ordinis obtinendas. — 64. Prae-

lati Regulares habentes, ut supra, facultatem dispensandi cum subditis Religiosis illegitimis, quoties scientes esse tales, conferunt illis aliquam praelaturam, vel Officium, censentur saltem in Foro conscientiae cum illis dispensare — 65. Praelatus Regularis, sicut quilibet alius captus e Turcis, vel Saracenis, seu ab aliis hostibus, non est ipso Jure privatus sua Dignitate, nec privandus per sententiam, sed interim deputandus est Vicarius, qui, durante captivitate, Provinciam, seu Monasterium regat, et ipse ex captivitate reversus pristinam dignitatem, et praelatiam recuperat. — 66. Unde P. Joannes Cheron provincialis Carmelitarum a barbaris captus, ac postea liberatus, a Sacra Congreg. Episcop et Regul. jubetur in possessione provincialatus manuteneri, et ad liberum illius exercitium reintegrari, cassata alterius Provincialis electione. — 67. Assignatur, quid importent absolutiones Generales, quas Praelati Regulares in fine Visitationis, et in quibusdam anni solemnitatibus dare consueverunt suis subditis Religiosis. — 68. Enixe deprecantur, et serio monentur Praelati omnes Regulares ad has Generales absolutiones suis subditis impertiendas diebus omnibus, et festivitatibus, quibus id eis est e Sede Apostolica per speciale privilegia concessum, ne tanto spirituali bono fraudentur, et tales dies, et Festivitates assignantur cum suis respectiva formalis absolutionum, *remissive*. — 69. Idem, quod de absolutionibus Generalibus a Praelatis Regularibus dari consuetis, currit de absolutionibus cum Indulgentia in articulo mortis dari solitis infirmis moribundis. — 70. Absolutio, quae datur a Praelato, seu Presidente ante electionem Capitularem, quid importat? — 71. Si quis Religiosus esset ligatus aliqua Censura, e qua Praelatus, seu Praeses Capituli non posset absolvere: tunc ipse non esset absolutus, et sic non posset in dicta Capitulari electione eligere. — 72. Item talis absolutio non prodest absentibus. — 73 Talis absolutio secundum multos est cum reincidentia. — 74. Praelati Regulares possunt concedere specialibus Benefactoribus suae respectivae Religionis Filiantias, seu Litteras Filiationis, eis communicando Suffragia, Indulgentias, Orationes, et bona spiritualia tamquam Filiis propriae Religionis. — 75. Praelati Regulares an, et quando teneantur applicare Missam pro nvibus suis? *remissive*. — 76. Alia ad rem *ad n.* 80.

1 Praelati generatim dicuntur illi, qui aliis cum
honore, et jurisdictione praeferuntur, seu
2 praeficiuntur. *Sic in re Communis.* Praelatura enim est gradus honorificus cum jurisdictione in subditos. *Est etiam in re Communis.*
3 Praelati inter Regulares, supremi sunt Generales, medii sunt Provinciales, et infimi sunt Superiores locales, videlicet Priores, Rectores, Guardiani, et hujusmodi, et Vicarii in capite, scilicet non habentes in suis Conventibus Superiorem; Isti enim omnes sunt vere Praelati, cum habeant in suos subditos jurisdictionem quasi Episcopalem, ut tradunt communiter Doctores *in Clem. 1. de' rebus Eccles. non alienand. verb. Proprii*, et sumitur *ex c. Abbates* 3. *de privilegiis in* 6.
4 Tales Praelati, et Superiores Religiosorum, non solum habent potestatem dominativam, qualem habent Patresfamilias in suos, sed etiam spiritualem jurisdictionem, cum utrumque sit necessarium ad rectam gubernationem, ac oeconomiam spiritualem, et temporalem Religiosorum suae Curae commissorum, et in ipsis talis jurisdictio est ordinaria, et non delegata, cum ipsis competat virtute Legis, et non virtute commissionis, saltem temporalis, ut tradunt communiter Doctores.
5 Pro eligendis Praelatis Regularibus est attendenda forma in unaquaque Religione praescripta, et consueta; Et talis forma electionis potest esse triplex, scilicet forma scrutinii, compromissi, et inspirationis. Vide verb. *Elect. art.* 1. *a nu.* 20. *usque in finem.*
6 Quoad illos, qui possunt eligere, vel eligi in Praelatos: Vide d. verb. *Electio n.* 2. *per tot.*
7 Quoad obligationem, quam habent Electores eligendi digniores in Praelatos, et ipsi Praelati, si indigni sint, renuntiandi: Vide d. verb. *Electio art.* 2. *et* 4. ubi multa ad rem attente ibi legenda.
8 Praelati putativi gesta regulariter sunt valida, si talis reputetur communi errore com titulo colorato: *Communis*, per textum *in l. Barbarius, ff. de offic. Praetor. et cap. Infamis* 1. *caus.* 3. *quaest.* 7. cum similibus: Quamvis enim quis ratione alicujus positivi occulti impedimenti non sit legitimus Praelatus, seu Superior, adhuc omnia ejus gesta sunt valida, quia error communis cum titulo colorato, seu putativo dat jurisdictionem; Ecclesia enim ob bonum commune ad vitanda gravia incommoda, quae alias sequerentur, dat ei auctoritatem, et valorem, et supplet in eo defectum verae Jurisdictionis, tollitque omne impedimentum Juris humani, seu a Jure positivo proveniens; Et haec conclusio habet locum etiam quoad spiritualia, et pertinentia forum conscientiae: 9
Sic Hostiensis, Innocet. Card. et alii *in cap. Nihil, de electione*, Navarr. *in c. Placuit, de poen. d.* 6. *n.* 177. Silvester verb. *Conf.* 2. *n.* 15. Fagn. *lib.* 5. *Decret. in cap. Super eo* 2. *de crimine falsi*, et alii passim.

Ad validatem eorum, quae fiunt a Praelato pu- 10
tativo, requiritur, quod error communis sit facti, non autem juris; Nam *in d. l. Barbarius, ff. de Offic. Praetoris*, ille servus credebatur liber, et sic factum servitutis ignorabatur; idem patet *in cap. Infamis vers. Veruntamen* 2. *qu.* 7. ibi: « Servus, cum putaretur liber, ex delegatione sententiam dixit », Fagn. *l.* 5. *Decretal. in c. Quod a Praedecessore* 1. *de Schismaticis*, *n.* 135. Federic. de Senis *consil.* 137. *Viso, et examinato sub nu.* 2. *vers. Hoc salvo*, et alii passim.

Gesta per Praelatum putativum valent, quan- 11
din toleratur. Secus si esset notorium, eum esse suspensum; per textum *in c. Veritatis, de dolo, et contumac. cap. Ad probandum, de re judicat. et cap. Verum dist.* 32. cum similibus, Fagnan. *loc. cit. n.* 130. et alii communiter.

Unde Praelato putativo est obediendum, quamdiu 12

est in pacifica possessione, et toleratur, dummodo concurrat titulus putatae legitimae electionis, aut auctoritas Superioris; et subditus ei non obediens graviter peccat. *Sic communis Doctorum*, ut ex aliis testantur Fagnanus *l.* 5. *Decr. cit. cap. Super eo* 2. *de crimine falsi n.* 12. Matthaeucci *Officialis Curiae cap.* 38. *numer.* 31. Sanchez, Peyrin. et alii.

13 Praelati Regulares, sub Excommunicationis poena ipso facto incurrenda, non possunt ad instantiam, et requisitionem quarumcumque Personarum extra Ordines suos existentium, etiam Cardinalium, Ducum, Regum, et Imperatoris, alicui Religioso suae Religionis aliquod Officium, vel dignitatem concedere, aut poenas remittere. Sic expresse pro Minoribus de Observantia Urbanus VIII. Constit. incip. *Admonemur*. Benedictus tamen XIII. Constit. incip. *Universalis Ecclesiae regimini*, id prohibet in virtute S. Obedientiae, et solum sub poena privationis Officiorum arbitrio Romani Pontificis Superioribus Generalibus ejusdem Ordinis, Provincialibus vero, et reliquis dicti Ordinis Praelatis arbitrio ipsorum Superiorum Generalium. Item sub poena Excomm. latae sententiae id prohibuit Carmelitarum Praelatis Clemens VIII. Constit incip. *Quia nemo*. Item in virtute S. Obedientiae Praelatis Ordinis Praedicatorum id prohibuit Gregorius XIII. Constit. incip. *Cum nihil*; quod etiam confirmavit Clemens VIII. Const. incip. *Religiosos viros*. Item id prohibuit Augustinianorum Praelatis Clemens VIII. Constit. incip. *Admonemur*. Et idem pariter est prohibitum fere cunctis Praelatis omnium Religionum; Unde quisque consulat Constitutiones Apostolicas hac de re pro sua respective Religione editas.

14 Praelati Regulares, uti Generales, et Provinciales, possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus, a quibus possunt Episcopi absolvere suos Dioecesanos. Vide verb. *Absolvere*, *Absolutio*, *num.* 29.

15 Immo possunt absolvere suos subditos etiam ab omnibus casibus in Bulla Coenae contentis, quinque solum exceptis, qui assignantur. Vid. d. verb. *Absolvere num.* 30.

16 Quinimo ex amplissima concessione S. Pii V. possunt suos subditos absolvere ab omnibus casibus, excepto homicidio voluntario injusto, et mutilatione commissa post ingressum in Religionem. Vid. d. *verb. Absolvere num.* 31.

17 Unde majorem, et ampliorem facultatem absolvendi, et dispensandi habent Praelati Regulares in suos subditos, quam Praelati Saeculares in suos Dioecesanos, Vide d. *verb. Absolvere n.* 32.

18 Nec ista tam ampla privilegia Praelatorum Regularium sunt revocata. Vide d. *verb. Absolvere num.* 33. *usque ad* 35.

19 Immo Julius II. expresse declaravit, quod, non obstante Bulla Coenae, possint Praelati Regulares absolvere suos subditos juxta sua privilegia. Vid. d. *verb. Absolvere num.* 36.

20 Et Sac. Cong. Episc. et Regul. facto verbo cum Clemente VIII. absolute decrevit, quod omnes Bullae, et Decreta derogatoria privilegiorum Regularium, quantum ad facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis, sunt intelligenda solum in ordine ad Saeculares, non autem in ordine ad suos subditos Regulares. Vid. de *verb. Absolvere n.* 37. (*)

21 Nec officit, quod de stylo Curiae, seu Sacrae Poenitentiariae, soleant quandoque Regulares recurrentes ab ipsa absolvi, et dispensari super aliquos ex casibus Papae reservatis, Vide d. *verb. Absolvere num.* 38.

22 Nec per hoc, quod Sacra Paenitentiaria absolvat, et dispenset Regulares, si qui ad ipsam recurrant, sequitur, quod non sit in Praelatis Regularibus talis potestas: Vide d. *verb. Absolvere num.* 39. Et supradictas Conclusiones *a num.* 14. *ad hunc num.* 22. tenent, et defendunt Suarez *de Religione tom.* 4. *tract.* 9. *lib.* 2. *cap.* 20. Peyrint. *de privil. Regular. in Constit. Sixti IV. num.* 35. Coriolanus *de casibus reservatis part.* 1. *sect.* 1. *art.* 23. *num.* 6. Baunius *in Theologia morali de censuris part.* 2. *dis.* 3. *tract.* 2. *q.* 26. Torranus *a pag.* 22. *ad* 35. Amendolia *tom.* 2. *in edition. de anno* 1698. Ubi se retractat a sententia negativa, quam in priori editione tenebat, Habsensis *in Sum. q. Regular, verb. Absolutio quoad Fratres*, uterque Rodriquez, Portell. Villalobos, Bannes,

Nota Rom. Theologi.

(*) Privilegia Praelatis Regularibus a P. Lucio asserta, ab aliis quoque Authoribus etiam ex professo hac de re disputantibus, recensentur, atque probantur. Videatur P. Gaudentius a Janua in suo opere *de visitatione tom.* 2. *dubitat.* 16. ubi plura de hujusmodi privilegiis disserit, eorumque originem exponit. Nos vero hic Lectores monemus, pios doctosque Regulares nec uti, nec usuros esse privilegiis, nisi ea certo sint expressa, et ita cognita, ut in Constitutionibus Pontificiis extent, nec sint revocata: Ii enim Regulares nunquam absolutionem frustrationis periculo exponent. Caveant ergo Regularium Confessarii, ne obtentu privilegiorum absolvant saeculares a votis, a debiti petitione in conjugibus etc. nisi certo iis constet habere revera hujusmodi privilegia. Videantur hac de re P. Daniel Concina *tom.* 10. *pag.* 345. *num.* 10. et Angelus Franzoja *lib.* 6. *cap.* 3. *de Sacramentis animad.* 31. Quoad subditos vero, illud certum videtur, non habere majorem facultatem Praelatos Regularium, quam Episcopi in suos subditos habent. Episcopos ab haeresi manifesta, ac etiam occulta absolvere suos subditos non posse, Bulla, quae in Coena Domini legi solet, satis aperte indicat, et verba ejusdem Bullae a P. Lucio *num.* 30 relata manifeste demonstrant. Circa enormem quoque Clerici percussionem, irregularitatem, aliasque censuras Romano Pontifici reservatas, non adeo facile absolvere suos subditos debent Regulares, nisi perspecta ex concessione Pontificia privilegia habeant, quae revocata non sint. Vide etiam P. Matthaeucci *Officialis Curiae cap.* 38 *nu.* 24. ubi ostendit, Praelatos Regulares subditos suos absolvere non posse a casibus Bullae Coenae, nec ab excommunicatione propter admissionem mulierum intra Clausuram Conventus, nec ingredientes sine licentia Clausuram Monialium, nec Moniales sibi subditas ab violationem Clausurae.

Sousa apud Melphi *in comment. cap.* 2. *statut.* 4. Insuper statuta nostri Ordinis *cap.* 7. §. 4. *n.* 1. Donatus *tom.* 1. *part.* 1. *tractat.* 13. *quaest.* 17. *et* 18. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *a numer.* 3375. *ad num.* 3424. ubi ex supradictis late, et solide plurimis adductis, hanc sententiam propugnat, et fundamenta contrariae opinionis solvit, dicitque, quod ex rationibus, et fundamentis adductis a supracitatis sectatoribus hujus sententiae evidenter concluditur recensitum jus Praelatorum Regularium in suos subditos esse certum; revocationem vero nedum esse dubiam, sed potius clare constare nullam adesse, ac proinde hanc sententiam remanere moraliter certam; Vide ipsum, et sapientissimum P. Donatum. *loc. citat.* ubi non solum id docet, et resolvit de aliis casibus Bullae Coenae, et de Haeresi, sed etiam de relapsu in Haeresim, ex privilegio Gregorii XIII. 10. Martii 1584. quo conceditur Generali Societatis Jesu suos subditos absolvere ab Haeresi, et relapsu in Haeresim.

23 Nec obstat Decretum *Sacr. Congr. Episcopor. et Regular. sub die* 17. *Novemb.* 1628. expresse approbatum, et servari mandatum ab Urbano VIII. In quo ab Adversariis praetenditur fuisse declaratum, non posse Praelatos Regulares absolvere suos subditos a casibus Bullae Coenae, et praesertim ab Haeresi occulta. Non obstat, inquam, quia tale Decretum, ut illud legenti patet, censuit solum extincta esse privilegia, si quae Regulares habebant, absolvendi a casibus Ordinario loci reservatis, et a casibus in Bulla Coenae contentis, adeoque Regulares, nec extra Italiam posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Coenae contentis, aut Ordinario loci reservatis. Decretum ipsum referunt Diana *part.* 8. *tract.* 7. *resol.* 50. Donatus *tom.* 2. *part.* 1. *tract.* 11. *q.* 17. *n.* 6. et ex ipsis Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *n.* 3414. et est, ut sequitur:

24 « Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita censuit, per confirmationes privilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post Sacrum Concil. Tridentin. obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata, atque extincta, si quae habebant, absolvendi a casibus Ordinario Loci reservatis. Quemadmodum nec indulta absolvendi a casibus contentis in Bulla, quae in die Coenae Domini legi consuevit, utpote sublata per annuam ipsius Bullae publicationem, vires, aut robur acquisivisse ex subsequentibus privilegiorum confirmationibus. Ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, et instituti etiam necessario exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationum ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Coenae, aut Ordinario Loci reservatis. Ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore. Ab aliis vero casibus, et Censuris Sedi Apostolicae reservatis siquidem Regulares habent a Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minime sublatam fuisse iisdem Sacrae Congregationis decretis hac de re editis jussu Sanct. Memor. Clementis VIII.

Quam Sacrae Congregat sententiam Sanctitas Sua ad se relatam approbavit, mandavitque abomnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari ».

Romae 17. *Novembr.* 1628.

F. A. CARDINALIS. S. HONUPHR.

Quod Decretum non est novum, sed confirmativum aliorum similium jussu Clementis VIII. et Pauli V. editorum, quae referuntur in Decreto responsali ejusdem Sacrae Congregationis de die 7. Decembris 1646. ad Cardinalem Filomarinum, quod refert Donatus *tom.* 1. *part.* 1. *tract.* 13. *quaest.* 17. *post n.* 26. et est, ut sequitur. 25

« Ascanio per la Dio misericordia del Titolo S. Maria Aracoeli della S. R. Chiesa Prete Cardinale Filomarino, Arcivescovo di Napoli, e Delegato Appostolico. Avendo la Sacra Congregazione sopra i negozj dei Vescovi, e Regolari drizzata a Noi lettera del tenor seguente vid. A foris: all'Eminentissimo, e Reverendissimo Signor mio Osservandissimo, il Signor Cardinale Filomarino Arcivescovo di Napoli. Locus ✠ Sigilli. Intus vero: Eminentissimo, e Reverendissimo Signor mio Osservandissimo. Questa Sacra Congregazione ha più volte dichiarato con ordini espressi di Clemente Ottavo, di Gennaro, e Novembre 1602. di Paolo Quinto, di Gennaro 1617. e di Urbano Ottavo, Santa Memoria, di Novembre 1628. che tutte le facoltà d'assolvere da' Casi riservati, o riservandi da gli Ordinarj, ovvero compresi, o da comprendersi nella Bolla in Coena Domini implicite, vel explicite, ed altri riservati solamente alla Santa Sede nel medesimo Decreto di Novembre 1602. concessa a' Secolari, o Regolari, Congregazioni, o Confraternità di qualunque prerogativa, o specialità etiam necessario exprimenda, sono state annullate, ed estinte, così dal Sacro Concilio di Trento, come dalle suddette Constituzioni. E che in vigore delle confermazioni, estensioni, o comunicazioni, ottenute dopo, o da ottenersi per l'avvenire sotto qualsivogliano amplissime clausule, non s'intenda mai rinnovata la suddetta facoltà, riservando solo gl'Indulti concessi specialmente fuori d'Italia, o dentro Roma, quanto alli casi riservati alla Santa Sede, non compresi nella suddetta Bolla: onde venendo rappresentato alla Santità di Nostro Signore da Vostra Eminenza con sua Lettera de 4. di Agosto precedente, che in cotesta Città, e sua Diocesi alcuni Confessori Secolari, e Regolari, senza giustificare, con quali facoltà assolvano de facto dalle Censure, e casi suddetti; ed innoltre disseminando opinioni erronee, asseri- 26

scono, che per poter assolvere validamente dalli casi riservati all' Ordinario, basti aver domandato al medesimo la facoltà, ancorchè ricusi di concederla. Questi Eminentissimi miei Signori di commissione espressa di Sua Beatitudine, mi banno imposto di scriverle, che coll' autorità, che a tal effetto se le comunica, in virtù delle presenti, e sotto le pene, che giudicherà espedienti, faccia intendere a tutti i Confessori di costì, siano quanto si vogliano privilegiati, ed esenti, che onninamente si conformino con i suddetti Decreti, e non ardiscano di contravenire sotto qualsivoglia pretesto, o caso, etiam di precisa necessità, fuorchè in articulo mortis, con reincidenze, si convaluerint. Dichisri similmente annullati tutti gli Oracoli, e Induiti Appostolici ottenuti in voce da detto tempo in quà, e agli altri, che pretendano averne Breve, o Bolla in forma specifica dopo l'ultima Costituzione d' Urbano, prefigga un termine perentorio di tre mesi ad esiberle a questa Sacra Congregazione: altrimente vuole, e dichiara Nostro Signore, che s' intendano decaduti, e privati di essi eo ipso senza altra intimazione. E finalmente, che dopo aver fatto notificar costì, e come stimerà esser di bisogno, che quelli, che dimandano all' Ordinarie la facoltà d' assolvere, e non l' ottengono, non possono valersene; Ella dichiari incorrere nella sospensione dall' udir le Confessioni Sacramentali quelli, che pubblicamente difenderanno la dottrina suddetta, o pure presumeranno temarariamente di assolvere, ancorchè loro sia stata denegala, o non concessa la facoltà dagli Ordinarj. Così V. Eminenza resti servita di fare, che puntualmente si eseguisca, con dar quà distinto avviso dell' operato. Ed io le bacio umilmente le mani. Di Roma 7. Dicembre 1646. Di V. E. umilissimo, e affezionatissimo Servitore. M. Cardinale Ginnetti. G. Arcivescovo di Patrasso, Secretario. Napoli, Sig. Card. Arcivescovo sopra li Confessori. — Per l'autorità a Noi concessa a tal effetto in virtù di detta Lettera ordiniamo, e comandiamo a tutti i Confessori Regolari, Secolari, omnibusque in exequutione praesentium nominan. et cognominan. di questa nostra Città, e Diocesi, siano quanto si vogliano privilegiati, ed esenti, sotto pena della rivocazione della facoltà d' udir le Confessioni Sacramentali, eo ipso, che contraverranno, carceri formali, ed altre a nostro arbitrio, che onninamente debbano ad unguem osservare il contenuto in detta preinserta Lettera, prefiggendo agli altri, che pretendono averne Breve, o Bolla in forma specifica dopo l'ultima Costituzione della felica memoria d' Urbano Ottavo, per termine perentorio tre mesi dal dì della notificazione della presente, ed esibirle alla medesima Sacra Congregazione, dichiarando incorrere nella sospensione dall' udir le Confessioni Sacramentali, quelli che pubblicamente difenderanno la dottrina suddetta, ovvero presumeranno temerariamente d' assolvere, ancorchè loro sia stata denegata, o non concessa da Noi la facoltà. Ed acciò da nessuno si possi allegare causa d' ignoranza, ordiniamo, che la copia della presente sia personalmente intimata alli Superiori detti Regolari, quali debbano fra due giorni quella notificare in publico Capitolo a' detti suoi Regolari; Volendo, che dopo detta notificazione astringa tutti, come se fosse stata a ciascheduno personalmente intimata. Data del nostro Palazzo Arcivescovale il dì 26. Febb. 1647. Ascanio Card. Filomarino Arcivescovo di Napoli, e Delegato Apostolico. D. Bartholomaeus de Nespol. Actorum Mag. Sancti Officii.

Ex quibus Decretis clare patet, non loqui ibi 27
Pontifices de Praelatis, seu Superioribus Regularibus in ordine ad suos subditos, sed solum de ipsis Confessariis Regularibus, adeoque intelligi debent in ordine ad Saeculares, et non in ordine ad Regulares; Et aperte indicat idem Eminentissimus Cardinalis Filomarinus Archiepiscopus Neapolitanus in ordinatione facta Confessariis Regularibus, et Secularibus dictae sua Civitatis, et Dioecesis in virtute dictae Epistolae cum praeinsertis Decretis sibi transmissae; ibi: « Per l' autorità a Noi concessa a tal effetto in virtù di detta Lettera ordiniamo, e comandiamo a tutti i Confessori Regolari, Secolari etc »: ubi, ut vides, ipsemet expresse loquitur solnm de Confessariis Regularibus in ordine ad Saeculares, et non de Praelatis, seu Superioribus Regularibus in ordine ad suos subditos, qui non indigent facultate Ordinarii ad suos subditos absolvendos. Et revera cum dicta Decreta loquantur indiscriminatim, et uniuntim de reservatis Ordinario, et de reservatis Papae in Bulla Coenae, et iisdem, quibus prohibent absolutionem a reservatis Ordinariis locorum, prohibeant absolutionem a reservatis Papae in Bulla Coenae, manifeste patet, quod loquantur solum de ipsis Confessariis in ordine ad Saeculares, et minime de Praelatis, seu Superioribus Regularibus in ordine ad suos subditos, quia isti non subjacent casibus reservatis Ordinariis locorum.

Tum quia, ut *supra* n. 20. dictum est, ut ex 28
Peregrino, et Naldo refert Peyrinus in *Constitut.* 6. *Jul. II.* n. 21. et Felix Potestas *loc.* c. num. 3417. Sac. Cong. Episcop. et Regul. facto verbo cum Clemente VIII. expresse declaravit, quod omnes Bullae, et Decreta derogatoria privilegiorum Regularium, quantum ad facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis, sunt intelligenda solum in ordine ad Saeculares, non autem in ordine ad suos subditos Regulares: Et ad hoc multum confert declaratio Alexandri VII. sub die 25. 29
Septemb. 1665. qua damnavit sequentem propositionem 4. in ordine ibi: « Praelati Regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque Saeculares ab haeresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa »: ubi, ut vides, Pontifex damnat solum dictam absolutionem in ordine ad saeculares, ibi: « Absolvere quoscumque Saeculares ».

30 Ast tamen, si verum esset, quod Sacra Congregatio declaraverit non posse Praelatos Regulares, absolvere ab Haeresi occulta, ut ex Mendo (*) refert Viva *ad propos.* 4. *Alexandri VII.* Rosignol. *de Poenitentia part.* 1. *qu.* 9. *art.* 19. *sect.* 5. *n.* 19. et alii, non esset a tali sententia recedendum; Eo vel maxime, quod sic expresse tenent plurimi Classici Doctores, etiam independenter a tali declaratione Sacrae Congreg. innixi praesertim textui ejusdem Bullae Coenae, quae §. *Ceterum* utitur universali negativa, qua omnes excluduntur, ibi: « Ceterum a praedictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem ... absolvi possit, etiam praetexto quarumvis facultatem, et indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis Saecularibus, et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus .... Per Nos, et dictam Sedem, ac cujusvis Concilii Decreto, verbo, Litteris, aut alia, quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, et innovatorum, aut concedendorum, et innovandorum»; Qui textus revera multum urget; Unde in praxi suadeo hanc opinionem tamquam tutiorem tenendam, uti eam expresse tenent Tamburio. *t.* 2. *de Jure Abbat. disp.* 12. *qu.* 2. Sigismundus a Bononia, Bartholomaeus de Vecchis, et alii apud ipsum, Casar. *Compend. privil. Fatrum Minor. verb. Absolutio ord. quoad Fratres n.* 9. Confectius *Summa priv. Mendic. tit.* 17. *c.* 7. Diana *part.* 1. *tr.* 5. *resol.* 6. *par.* 3. *tract.* 2. *resol.* 122. *par.* 6. *tract.* 7. *resol.* 63. *par.* 8. *tract.* 7. *resol.* 70. La Croix *lib.* 7. *par.* 2. *n.* 1622. cum aliis ibi citatis, Matthaeucc. *Official. Curiae c.* 38. *n.* 24. cum pluribus ibi citatis, ubi *usque ad n.* 28. late probat, Mendo *d.* 1. *qu.* 3. dicens sententiam Bonagratiae, Habsensis, et aliorum ipsam tenentium non amplius esse probabilem.

31 Praelati Regulares (pro quibus in hoc non veniunt Superiores locales Conventuum ex Decreto Visitationis Apostolicae 13. Maii 1601 relato infra n. 48.) possunt suos subditos, et novitios absolvere ab Excommunicatione contracta, nedum ob percussionem levem, et mediocrem, sed etiam ab Excommunicatione contracta ob percussionem enormem. Vide verb. *Excommunicatio art.* 11. *a n.* 15. *ad* 17. Id tamen possunt etiam Superiores locales, si a Generali, vel Provinciali habeant, ut communiter solent habere, in suos reservatos casus jurisdictionem delegatam: Mathaeucc. *Official. Cur. c.* 39. *nu.* 21. et alii. Imo Roncagiia *tom.* 1. *tr.* 4. *cap.* 2. citans Paulum, Bordonum et alios, absolute dicit, posse Superiores locales, et in eorum absentia eorum Vicarios absolvere suos subditos ab Excommunicatione contracta ob quamcumque percussionem vel alterius Religiosi, vel Clerici etiam saecularis, ex concessione Bonif. VIII. et Clementis VII. Vide verb. *Excommunicatio art.* 12. *a n.* 15. *ad* 17.

Praelati Regulares, licet a Tridentino non habeant facultatem dispensandi ab Irregularitate concessam Episcopis, eamdem tamen habent in suos subditos per concessionem variorum Pontificum. Vide verb. *Irregularitas art.* 3. *n.* 17. 32

Refertur ad id amplissimum privilegium concessum Praelatis Regularibus. Vide d. verb. *Irregul. art.* 3. *n.* 18. 33

Nec hoc privilegium videtur revocatum per Concil. Trid. Vide *ib. n.* 19. 34

Istae tamen tam ampiae facultates non sunt de facili deducendae ad praxim: Immo per varios graves Doctores nequeunt Praelati Regulares dispensare cum suis subditis furiosis, Epilepticis, lunaticis, energumenis, enormiter leprosis, et aliis, qui enumerantur. Vide *ibidem n.* 20. Vide verb. *Absolutio art.* 2. *a n.* 29. *ad* 40. Praelati Regulares, et de eorum licentia sui Religiosi Confessarii, possunt dispensare super impedimento petendi debitum affinitatis contractae ex copula post contractum Matrimonium cum aliqua, vel aliquo sui conjugis consanguinea, vel consanguineo in primo, vel secundo gradu. Vide verb. *Matrimonium quoad Debitum Conjugale art.* 2. *n.* 20. 35 36

Quando autem possint dispensare Confessarii Regulares super impedimento petendi debitum conjugale sine speciali commissione, seu licentia Praelati Generalis, aut Provincialis? Vide *ib. a n.* 12. *usque in finem.* 37

Praelati Regulares ingredientes extra necessitatem Monasteria Monialium sibi subjectarum ligantur Excommunicatione majori, et privantur omnibus Officiis, et Dignitatibus. Vide verb. *Moniales art.* 3. *n.* 73. 38

Nec possunt Praelati Regulares ordinarie ingredi Monasteria Monialium, « nisi ex causa Visitationis localis, et hoc semel tantum in anno, ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis Superioribus visitaverit, alius Superior a visitatione hujusmodi se omnino abstineat ». Vide *ibidem n.* 74. 39

Praelatus Regularis, si fuerit Generalis, potest secum introducere duos socios sui Ordinis; si fuerit alius a Generali, potest introducere secum unum tantum socium sui Ordinis. Vide *ib. n.* 75. 40

Nec ipse Visitator, nec ejus Socii possunt sumere intra clausuram ullam refectionem. Vide *ib. n.* 76. 41

Si ob clausuram, aut aliam urgentem, ac necessariam causam oportuerit Praelatum Regularem eodem anno pluries ingredi septa Monasterii, tunc non aliter ingredi potest, quam cum praesentia Episcopi Dioecesani, vel alterius personae Ecclesiasticae Saecularis boni exempli, ac matu- 42

(*) Declaratio, ad quam Mendo provocat, est Decretum S. Congregationis num. 24. ab Auctore nostro descriptum, in quo de Regularium Confessariis *in ordine ad Saeculares*, non de Praelatis Regularium *in ordine ad suos subditos* sermo fit.

rae aetatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatae. Vide *ib. n.* 77.

43 Si Praelatus Regularis supradictis contrafecerit, ipso facto poenam Excommunicationis, et privationem omnium Officiorum, quae obtinet, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activae, et passivae absque alia declaratione incurrit; Et nihilominus nullis privilegiis, et exemptionibus tueri se potest, quominus ab Episcopo loci, tamquam ad hoc Sedis Apostolicae Delegato, quoties, et quando opus fuerit, corrigi, et puniri valeat. Vide *ibid. n.* 78.

44 Praelatus Regularis quando, et quomodo possit concedere licentiam ingrediendi clausuram Monialium sibi subjectarum. Vide *ib. a num.* 88. *ad* 93.

45 Praelati Regulares quoad absolutionem ab Excommunicatione violatae Clausurae gaudent respectu suorum subditorum eadem facultate, qua gaudent Episcopi respectu suorum. Vide *ib. n.* 12.

46 A poenis privationis Officiorum, et Dignitatum, et inhabilitatis latis a S. Pio V. in violantes clausuram possunt Praelati Regulares absolvere suos subditos pro utroque foro. Vide *ib. n.* 24. *et* 25.

47 Praelati Regulares, etiamsi sint Generales, nequeunt sine approbatione Episcopi audire Confessiones Monialium sibi subjectarum. Vide verb. *Moniales art.* 5. *n.* 8.

48 Praelati Regulares Jure nequeunt proprio, et ordinario concedere Indulgentias suis subditis. Vide verb. *Indulgentia n.* 27. *art.* 2.

49 Possunt tamen Jure delegato, et ex speciali concessione. Vide *ib. n.* 28.

50 Monitoria concedere pro suis subditis possunt solum Praelati Generales, eorumque Visitatores, et Provinciales, non vero Superiores locales. Vide verb. *Monitorium n.* 10.

51 Posse autem Superiores locales Monitoria edere in suis Conventibus, non quidem ad finem revelandi pro rebus, aut scripturis deperditis, vel subtractis, sed pro aliis delictis, tenent multi. Vide *ib. n.* 11.

52 Praelati Regulares in quibus votis, et juramentis possint dispensare, seu ipsa irritare respectu suorum subditorum? Vide verb. *Juramentum art.* 3. *n.* 30. et verb. *Votum*.

53 Praelati Regulares, puta Generales, et Provinciales undecim tantum casus reservare possunt, et non plures sine consensu Capituli Generalis pro tota Religione, vel Capituli Provincialis pro Provincia. Sic expresse decrevit Clemens VIII. decreto tenoris sequentis.

« Sanctiss. D. N. jam pridem accurate perpendit, et re ipsa comperit, quod reservatio facultatis absolvendi Religiosos poenitentes a peccatis quibusdam gravioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac moderate illa utantur, nonnullis infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiae maculas detegere formidant, adducere posset in aeternae damnationis periculum, et spiritualis remedii desperationem;

Quo circa, ut huic malo Sanctitas Sua opportune provideret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quae sequuntur, aut omnium, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire in Domino judicaverit.

I. Veneficia, Incantationes, sortilegia.

II. Apostasia a Religione, sive Habitu dimisso, sive retento, quando ea provenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio.

III. Nocturna, et furtiva e Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

IV. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale.

V. Juramentum falsum in Judicio Regulari, seu legitimo.

VI. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto.

VII. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterii, aut Conventus.

VIII. Furtum de rebus Monasterii, seu Conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.

IX. Lapsus carnis opere consummatus.

X. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personae.

XI. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum a Superioribus ad inferiores, et ad inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiae puritate reservandum videtur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura discussione, et consensu; « Superiores in singulis Domibus deputent duos, « tres, aut plures Confessarios pro subditorum nu« mero majori, vel minori etc. qui a non reser« vatis eos absolvant, et quibus etiam reservato« rum absolutio committatur, quando casus oc« currerit etc.

« Datum Romae apud Sanctum Petrum 26. Maii 1593.

Praefatum Decretum confirmavit Urb. VIII. per 54 Decr. Sacr. Congr. Conc. die 21 Sept. 1624, addens quod sequitur:

« Sanctitas Sua deinceps declaravit, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice poenitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere ».

Super dict. Dec. Clem. VIII. dubitatum, ut in- 55 fra, fuit:

An in Dec. Clem. Papae VIII. de ann. 1593. 26. Maii super qualitate Casuum ab eorumdem Regularium Superioribus reservandorum edito

Censurae etiam comprehenderentur; ita ut iisdem Superioribus absque Capituli Generalis, aut Provincialis consensu, aliquibus peccatis in Decreto hujusmodi non contentis, Excommunicationem annectere, ejusdemque absolutionem sibi reservare liceat?

Sacra Congr. Card. negotiis Regularium praeposita, Illustrissimo Bandino referente, Censuras in supradicto Decreto comprehendi censuit. Romae 7. Jul. 1616.

56 Soli Praelati auctoritatem quasi Episc. habentes, nempe Generales, et Provinciales, possunt in Religionibus reservare casus; et nullatenus Superiores locales. *Communis*, et clare patet ex adductis Decretis. Unde in nostra Religione adest statutum Capituli Generalis celebrati Assisii de anno 1526. quo expresse ordinatur, et mandatur auctoritate Apostolica, et totius Capituli Generalis, quod nullus Guardianus possit sibi reservare aliquem casum.

57 Immo Guardiani, et ceteri Superiores locales quocumque nomine nuncupati, sine facultate a Generali, vel Provinciali obtenta, seu de consuetudine sibi commissa, et delegata, nequeunt absolvere a dictis casibus in suis respective Religionibus, vel Provinciis reservatis, cum soli Generales, Provinciales, et nullatenus Superiores locales habeant ad id jurisdictionem, et auctoritatem ordinariam, ut expresse decrevit Sacra Congreg. Visitationis Apostolicae de mandato Sanctissimi die 13. Martii 1601. decreto ut infra:

58 « In Congregatione adm. Illustrium. RR. DD. Praelatorum Visitationis Apostolicae de mandato Sanctiss. *D. N. Papae die* 13. *Mart.* 2601. Inter alia; « Ai Memoriale del P. Custode de' Reformati di San Francesco la Santità sua dichiara, che il Decreto suo sopra la reservazione de' casi de' Religiosi fatto alli 26. di Maggio 1593. non dispone, nè determina a chi spetti l'autorità d'assolvere da' detti casi, rimettendosi in questo alle Costituzioni, uso, ed osservanza comune delle Religioni, che il Generale, e Provinciale abbiano quest'autorità ordinaria, e non li Guardiani, e Priori Superiori immediati de' Conventi; dovranno però detti Provinciali, e Generali comunicare detta facoltà in ciaschedun Convento a persona discreta, et intelligente per assolvere i Religiosi di quel Convento, che faranno ricorso, ovvero nelli casi particolari, che occorreranno, concedere la facoltà a ciascuno Confessore deputato in detto Convento, quando esso Confessore ne faccia instanza, e giudica espediente, se gli conceda, nel qual caso li Superiori, anco delegati, dovranno prontamente concederla, conforme al detto Decreto Pontificio, perchè, negandosi, la Santità Sua intende, che il Confessore possa assolvere da detto caso ». *Orb. Seraph. tom.* 4.

59 Hinc Superiores locales, ut Priores, Doctores, Guardiani, et hujusmodi nequeunt in suis Conventibus sibi eligere in Confessarium simplicem Religiosum Sacerdotem sibi subditum non approbatum a Generali, vel Provinciali; Superiores enim locales in suis Conventibus sunt veluti Parochi in suis Parochiis; Parochi autem nequeunt sibi in Confessarium eligere Sacerdotem non approbatum ab Ordinario, ut est certissimum post Decretum Alexandri VII. qui *die* 24. *Septembr.* 1665. inter alias merito damnavit sequentem propositionem 16. in ordine, ibi: « Qui Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario »; ergo neque Superiores locales possunt sibi in Confessarium eligere simplicem Sacerdotem non approbatum a Generali, vel Provinciali; Cum enim nequeant ipsum approbare pro aliis, neque possunt approbare pro se. Matthaeucci *Officialis Curiae cap.* 32. et alii passim.

Regularis, qui, inscio, vel invito Praelato sui Ordinis, approbatur ab Ordinario loci ad audiendas Confessiones in sua Dioecesi, an valide eas excipiat; Vide verb. *Approbatio art.* 1. *n.* 18. *et* 19. 60

Praelati possunt suos subditos a se, vel suis Praedecessoribus, vel aliis quibuscumque Superioribus ad audiendas Confessiones approbatos, ab eisdem Confessionibus audiendis suspendere, etiam ex causa occulta, et extrajudicialiter, ut declaravit *Sac. Congr. Episcop. et Reg. in una Theatinorum* 2. *Jul.* 1617. Vide *ibidem n.* 20. 61

Praelati Regulares, nempe Generales, et Provinciales possunt Religiosos sibi subditos in Notarios creare, et deputare. Sic S. Pius V. Constitut. incip. *Debitum*, concessit expresse Praelatis Ordin. Praedicatorum, de quo privilegio participant ceteri Regulares communicantes cum ipsis in privilegiis: Vide verb. *Notarius*. 62

Praelati Regulares, puta Generales, et Provinciales, possunt cum Generali, seu Provinciali, seu intermedio Capitulo dispensare cum suis Religiosis illegitimis ad Officia, et Praelatias Ordinis obtinenda. Quamvis enim Privilegia ad id concessa Religionibus, et relata a Rodriquez *tom.* 1. *quaest. Regular. quaest.* 13. *art.* 9. et Peyrin. *tom.* 1. *privileg. Minim. in Constitut.* 2. *Julii II.* §. 29. *n.* 93. fuerint abrogata a Sixto V. Constitut. incip. *Cum de omnibus*, et alia incip. *Ad Romanum Pontificem*; tamen ex post Gregorius XIV. Constitut. 3. incip. *Circumspecta Romani Pontificis Providentia*, §. 4. moderans praedictas Sixti V. Constitutiones, id eis iterum concessit, statuendo « Licere Generali, aut Provinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, juxta tenorem privilegiorum, et Indultorum Apostolicorum eis concessorum, quae dummodo usu recepta, nec alias sub ullis revocationibus comprehensa sint, ut praefertur, in hac parte revalidamus, cum illegitimis, quos alias dictus Generalis, aut Provincialis cum Generali, Provinciali, seu intermedio Capitulo, et non alias suffragantibus meritis, dignos judicaverint, ad honores, gradus, et Dignitates obtinen- 63

das dispensare, ac dispensationes hujusmodi ita factas, et inde sequuta quaecumque, ut antea, valere, ac tenere perinde ac si dictae Constitutiones non emanassent ». Miranda in *Manual. tom.* 2. *quaest.* 2. *art.* 3. Mattheucci *Official. Curiae cap.* 38. *n.* 39. Lezana *Summa quaest. Regul. tom.* 1. *cap.* 18 *n.* 60. Peyrin. *tom.* 1. *privilegior. Minimor. in Constitut.* 2. *Julii II.* §. 29. *a n.* 95. et alii passim. Et idem sub ampliori forma concessit postea ipsemet Pontifex Gregorius XIV. in privilegio dato Congregationi Clericorum Regularium Ministrantium infirmis Constitut. 18. incip. *Illius* §. 29. his verbis: « An dicto Praefecto Generali pro tempore existenti, seu de illius licentia Praefectis inferioribus aliorum locorum, seu Provincialibus dictae Congregationis pro tempore existentibus, et illorum Vicariis, ac loca tenentibus, ut cum ejusdem Congregationis personis defectum natalium etiam ex adulterio, sacrilegio, incestu, et quovis alio nefario, et illicito, ac prohibito, et damnato coitu provenientem patientibus, postquam in dicta Congregatione vota emiserint, ut defectu hujusmodi non obstante, ad quoscumque Sacros, etiam Presbyteratus, Ordines promoveri, et in illis etiam in Altaris ministerio ministrare, nec non ad quascumque Administrationes, Personatus, Praeeminentias, et Officia dictae Congregationis eligi, admitti, et assumi, illaque gerere, et exercere ».

64 Praelati Regulares habentes, ut supra, facultatem dispensandi cum subditis Religiosis illegitimis, quoties scientes esse tales, conferunt illis aliquam Praelatiam, vel Officium, censentur saltem in foro conscientiae cum illis dispensare; Talis enim Praelatiae, vel Officii collatio est quaedam virtualis dispensatio: Rodriquez *tom.* 1. *quaestion. Regular. quaest.* 13. *art.* 16. Navarr. *in Manuali cap.* 24. *n.* 74. Lezana *loc. cit. cap.* 18. *n.* 63. et alii.

65 Praelatus Regularis, sicuti et quilibet alius captus a Turcis, vel Saracenis, seu ab aliis hostibus, non est ipso jure privatus sua dignitate, nec privandus per sententiam, sed interim deputandus est Vicarius, qui, durante captivitate, Provinciam, seu Monasterium regat, et ipse ex captivitate reversus pristinam Dignitatem, et Praelatiam recuperat; *c. Si episcopus, de supplend. neglig. Praelat. in* 6. Captivitas enim non est delictum, et ubi delictum non est, ibi non debet esse poena, *c. Cognoscentes, de Constitutionibus*, et Glossa communiter recepta *in c. Si Beneficia vers. sine culpa, de praebend. in* 6. Tum quia nimia crudelitas esset talem affligere, cui potius est miserendum, *cap. Licet, de Censibus*, et ibi Glossa communiter recepta verb. *Misereri*, et facit textus *in c. Cum percussio* 7. *q.* 1. ibi: *Non debet a Nobis addi flagellatis afflictio, in cap. Ex parte, de Cleric. aegrotant.* ibi: *Nec afflictio afflicto sit addenda, cap. At si Clerici, de Judiciis*, §. *De adulteriis*, ibi: *Nec duplici debeas ipsum contritione conterere*, et in l. *Navi onustae* §. *Cum autem, ff. Ad Leg. Rhod. de jactu*, ibi: *Quia non debet duplici damno onerari*, cum similibus.

Unde P. Joannes Cheron Provincialis Carmelitarum a Barbaris captus, ac postea liberatus, a Sacra Congregatione Episcop. et Regul. jubetur in possessione Provincialatus manuteneri, et ad liberum illius exercitium reintegrari, cassata alterius Provincialis electione. Vide verb. *Postliminium* 1. 7. ubi refertur casus. 66

Assignantur, quid importent absolutiones Generales, quas Praelati Regulares in fine Visitationis, et in quibusdam anni solemnitatibus dare consueverunt suis subditis Religiosis, quae Absolutiones cadunt super Excommunicationibus, Suspensionibus, et Irregularitatibus, quas subditi forte ignoranter contraxerunt, vel obliti sunt, ita ut, si postea recordentur, et cognoscant, se aliquam Censuram, vel poenam reservatam incurrisse, non teneantur amplius pro absolutione ab illis Censuris, vel poenis recurrere ad Superiorem habentem facultatem, sed sufficiat, quod confiteantur communi Confessario peccata, ob quae illas incurrerunt; nam illa peccata, ut supponitur erant solum reservata ratione Censurae, qua sublata, cessat reservatio peccati. Illae tamen Absolutiones non sunt *Sacramentales*, nec per eas quis absolvitur a culpa peccati, cum tunc non fiat Confessio specifica peccatorum, sed sunt quaedam absolutiones deprecativae, per quas subditi absolvuntur « ab omnibus Censuris etc. et a poena debita pro peccatis jam quoad culpam dimissis, adhuc in hac, vel altera vita exsolvenda ». Unde cum in talibus absolutionibus dicitur: *Absolvo vos ab omnibus peccatis vestris*, idem est ac *ab omnibus poenis debitis pro iisdem*, juxta illud 2. *Machabaeorum* 12. « Sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur »; ubi peccata sumuntur, ut vides, pro poenis debitis pro iisdem, Sic Rodriquez *tom.* 1. *quaest.* 29. *artic.* 26. Kerchove *in Statuta Generalia cap.* 9. §. 22. *art.* 161. Kazenberger *Supplem. Theol. Sacrament. P. Sporer cap.* 3. *sect.* 2. *quaest.* 3. *n.* 142 *fol.* 260. et alii passim: Vide verb. *Indulgentia art.* 2. *n.* 28. *artic.* 4. *n.* 11. *et artic.* 5. *n.* 65. *ad* 69. 67

Unde enixe deprecantur, et serio monentur Praelati omnes Regulares ad has generales absolutiones suis subditis impertiendas diebus omnibus, et Festivitatibus, quibus id eis est a Sede Apostolica per specialia privilegia concessum, ne tanto spirituali bono fraudentur. Dies autem, et Festivitates, in quibus est eis concessum, assignantur cum suis respectivis formulis Absolutionum sub verb. *Indulgentia artic.* 4. *n.* 55. *ad* 60. Vide *ibi*. 68

Idem, quod de absolutionibus Generalibus, a Praelatis Regularibus dari consuetis, dicendum est de absolutionibus cum Indulgentia in articulo mortis dari solitis infirmis moribundis, quibus dari possunt etiamsi eas non petierint, et jam sint sen- 69

sibus destituti; nihilque percipiant, aut sciant de tali Indulgentia: *Doctores citati.*

70 Absolutio, quae datur a Praelato, seu Praeside ante electionem Capitularem, cadit super Censuras, et Irregularitates, quae possunt esse impedimentum inhabilitatis ad eligi, et eligere; Et patet expresse ex sequenti formula uti consueta: « Misereatur vestri etc. Indulgentiam etc. Si teneminì aliquo vinculo Excommunicationis majoris, vel minoris, Interdicti, vel suspensionis, in quantum se extendunt gratiae, et privilegia Ordini nostro concessa, vos omnes auctoritate Beatorum Petri, et Pauli, ac Sanctae Sedis Apost. mihi in hac parte commissa, et vobis concessa, ad effectum electionis (vel electionum), canonice, ac rite per vos faciendae (vel faciendarum) absolvo. Item, eadem auctoritate, et ad eumdem effectum dispenso vobiscum super omni Irregularitate, si quam contraxistis, quatenus opus sit, et indigetis, vos habilito executioni Ordinum, et Officiorum vestrorum. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. ».

71 Si quis Religiosus esset ligatus aliqua Censura, a qua Praelatus, seu Praeses Capituli non posset absolvere, tunc ipse non esset absolutus, et sic non posset in dicta Capitulari electione eligi, aut eligere; Hoc enim videtur expressum in hac clausula dictae absolutionis: « In quantum se extendunt privilegia, et gratiae Ordini nostro concessae ». Sic Peyrin. *de Praelat. q.* 2. *c.* 5 *num.* 9. cum quo transeunt Doctores, teste Matthaeucci *Officialis Curiae cap.* 38. *num.* 18.

72 Item talis absolutio non prodest absentibus; Quamvis enim absolutio ab Excommunicatione dari possit etiam absentibus per Litteras, ut tradunt communiter Doctores: Haec tamen solum ad praesentes dirigitur, ut demonstrant aperte illud pronomen demonstrativum *Vos*, quod Electores presentes exigit, ut de Beneficio talis absolutionis participent. Sic expresse Matthaeucc. *loc. cit.*

73 *n.* 18. Qui *c.* 19. *num.* 58. *et sequent.* ex multis probat contra Sanctorinm, quod talis absolutio sit cum reincidentia, cum sit data ad cautelam, ne ex titulo Censurarum possit postea electio, alias valida impugnari: Unde cum non absolute detur, sed restricte *ad effectum electionis faciendae*, completa electione, Capitulares, qui aliqua Censura erant irretiti, in eamdem reincidunt, et sic, ut electus possit deinde Officium exercere, debet absolutionem petere a Sacra Poenitentiaria. Nam absolutio, quae a Praeside praestatur, solum operatur, ut possit Canonice eligi, non vero quod valeat exercere; Sed hic opus est puro, et absoluto absolutionis Beneficio. *Haec ille.* Vide *ibi.*

Praelati Regulares possunt concedere specialibus Benefactoribus suae respectivae Religionis Filiantias, seu Litteras Filiationis, eis communicando Suffragia, Indulgentias, Orationes, et bona spiritualia tamquam Filiis propriae Religionis, ex concessione Urbani V. facta Praelatis totius Ordinis Minorum, pro ut refertur *in compendio Privilegiorum, verb. Indulgentia quoad saeculares c. quarto n.* 6. ibi: « Urbanus V. concessit, ut Generalis, et Provincialis totius Ordinis Minorum possint communicare Suffragia, Indulgentias, Orationes, et bona spiritualia Benefactoribus Ordinis »: per quae, quid intelligatur, et veniat, patet ex ipsis Litteris Filiationis, quae ipsis Benefactoribus passim dantur, in quibus omnia ad longum clare exprimuntur. 74

Praelati Regulares, an, et quando teneantur applicare Missam pro ovibus suis? Vide verb. *Missa art.* 3. *sub n.* 11. *circa finem.* 75

Praelati inferiores jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes, tenentur statutis temporibus visitare Limina Apostolorum, et Ecclesiarum statum exponere; Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 7. incip. *Quod Sancta* §. 5. Vide tom. 4. Verb. *Limina Apostolorum.* 76

Praelato inferiori acquiritur jurisdictio intra Episcopi Dioecesim, vel ex privilegio, vel ex consuetudine immemorabili: Idem Constitut. 76. incip. *Apostolicae servitutis* §. 2. Non vero ex possessione quadragenaria ex titulo colorato: Idem *ibid.* §. 3. Vide tom. 4. ad verb. *Jurisdictio.* 77 78

Praelatis inferioribus jurisdictionem habentibus in Clerum, et populum, conceditur facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia plenaria in articulo mortis: Idem tom. 2. Constitut. 34. incipient. *Pia Mater.* Vide *tom.* 5. verb *Moribundus n.* 38. *et* 39. ubi datur etiam formula eam impertiendi. 79

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De Privilegiis Praelati Regularis, tum de potestate ejusdem in suos subditos, plene agit *Grucher. de Privileg. Religios.* de privilegiis *tract.* 2. *per tot.* et de potestate *tractat.* 3. *per tot.* Consule *et eum locis citatis* de Privilegiis, et potestate *Abbatis Commendatarii.* 80

REGULARIS PROFESSIO

SUMMARIUM

1. Professio Regularis quid sit? — 2. Professio Regularis est duplex; una expressa, et alia tacita, et quae utraque sit? — 3. Ad valorem professionis requiritur aetas annorum sexdecim completorum. — 4. Anni 16. ad professionem requisiti debent esse completi de momento ad momentum; Unde si professio fiat per aliquot tantum horas ante completum annum 16. aetatis, est nulla. — 5. Ætas incipit a die Nativitatis, et non a die Baptismi. — 6. Item ad valorem professionis praerequiritur annus probationis completus. — 7. Et quidem hic annus

debet esse completus de momento in momentum, adeo ut professio facta nondum completo anno, etiam per modicum tempus, esset nulla. — 8. Immo ita debet esse completus, et integer annus probationis, ut anno bissextili debeat necessario computari lapsus diei, qui tunc de novo additur. — 9. Insuper hic annus probationis debet esse continuus, ita ut Novitius annum probationis animo Religionem deserendi interrumpens, licet per duas solas horas, teneatur incipere de novo annum Novitiatus. — 10. Et talis annus probationis debet necessario peragi cum habitu Regulari, et non cum habitu Saeculari. — 11. Professio potest in articulo mortis emitti, etiam anno Novitiatus non completo, dummodo Novitius, seu Novitia habeat legitimam aetatem. — 12. Si tamen hujusmodi Novitius, vel Novitia convaluerit, debet iterum profiteri. — 13. Talis professio emissa in articulo mortis, anno Novitiatus nondum completo, non suffragatur nisi quoad acquisitionem Indulgentiarum favore profitentis; Non autem, quoad acquisitionem Dotis favore Monasterii. — 14. An autem professio emissa in articulo mortis, anno probationis jam integre completo, prosit Monasterio quoad acquisitionem bonorum? *remissive*. — 15. Professio facta post 16. annum ante decimam octavum requisitum a statuto Ordinis Minorum non annullante, aut irritante, valida est. — 16. Sic etiam professiones emissae juxta dispositionem Concilii Tridentini, idest post completum 16. annum sunt validae, quamvis in Constitutionibus Religionis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum auctoritate Apostolica confirmatis cautum sit, quod in ea Religione aliquis non recipiatur, antequam annum vigesimum videatur complevisse. — 17. Professio potest per Superiorem prolongari lapso tempore Novitiatus in his, qui non bene adhuc didicerunt, et aliquantulum inhabiles reperiuntur, dummodo habeat spem probabilem, quod effic. habiles infra sex menses. — 18. Si tamen propter aliquam pertinacem infirmitatem, vel aliam caussam esset protrahenda professio ultra sex menses, tunc pro facultate esset adeunda Sedes Apostolica. — 19. Item ad valorem professionis requiritur, quod tam Novitiatus, quam ipsa professio fiat in Conventibus designatis. — 20. Viri recepti, et professi in Conventibus non designatis tenentur nullitatem suae professionis deducere coram Sacra Congr. Concilii. Quod si non fecerint, et recedere a Monasteriis praesumpserint, tamquam Apostatae sunt puniendi. Et Superiores, qui in cognitione caussae se ingesserint, vel professos ejecerint, Censuras latae sententiae incurrunt — 21. Adducitur ad id Decretum Urbani VIII. — 22. Ratificare volentes professionem nullam ob loci designati defectum, non tenentur Novitiatum reiterare, nec novum consensum Capituli requirere, sed sufficit, quod ratificatio, seu nova professio fiat in manibus Praelati — 23 Adducitur ad id Constitutio Urbani VIII. — 24. Item ad valorem professionis requiritur, quod omnino libero consensu profitentis absque metu gravi, sive cadente in constantem virum ab extrinseco injuste incusso fiat. — 25. Metus levis non reddit professionem invalidam. — 26. Sic etiam metus proveniens ab intrinseco, et caussis naturalibus non invalidat professionem. — 27. Solus metus mortis violentae incussus a caussa libera extrinsece cadens in constantem virum invalidat professionem. — 28. Non invalidat autem dictam professionem metus mortis naturalis, seu ab intrinseco. Nec metus mortis accidentalis casualis. — 29. Cur professionem infirmat timor mortis violentus incussus a caussa libera extrinseca, et non timor mortis naturalis, vel accidentalis casualis? — 30. Metus mortis violentae, ad hoc, ut invalidet professionem, debet esse ab homine incussus, et ordinatus ab ipsam professionem extorquendam. — 31. Secus autem non invalidat. — 32. Metus reverentialis, si praecesserint minae, vel verbera, aut Pater sit terribilis, annullat professionem. — 33. Professio dicitur metu facta ex praecedentibus minis, aut verberibus a Patre allatis sine expresso praecepto. — 34 In super volunt multi sufficere solum metum reverentialem absque minis — 35. In praxi tamen tenendum est, non sufficere solum metum reverentialem ad annullendam, seu invalidandam professionem. — 36. Alia de metu, *remissive*. — 37. Professio emissa per vim, et metum, et ante annum 16. a Tridentino praescriptum, est nulla. — 38. Item nulla est professio per vim, et metum emissa, et Novitiatu interrupto. — 39. Item nulla est professio emissa ob metum interversionis status, et denegationis alimentorum. — 40. Item ad valorem professionis requiritur consensus, et acceptatio illius, vel illorum, ad quos spectat aliquem ad professionem recipere. — 41. Ad quem autem spectet Novitios ad professionem recipere, recurrendum est ad consuetudines legitimas, Constitutiones, et Privilegia cujuscumque Ordinis. — 42. Unde in illis Religionibus, in quibus receptio ad professionem spectat ad Praelatum cum consensu, et suffragio Religiosorum Conventus, non potest Praelatus solus sine tali consensu, et suffragio aliquem ad professionem recipere; aliter, si non concurret saltem major pars Capituli, talis professio erit nulla. — 43. Ubi autem receptio ad professionem spectat ad solum Praelatum sine consensu, et suffragio, aut consilio Religiosorum Conventus, tunc professio ab ipso solo, alias legitime recepta, erit valida. Nec Praelato defuncto, aut absente, poterit a Convente aliquis ad professionem valide admitti. — 44. Poterit tamen Conventus ad professionem valide admittere, Praelato defuncto, ubi receptio ad professionem spectat insimul ad utrumque. — 45. In Ordine Fratrum Minorum de Observantia talis facultas competit Generalibus, et Provincialibus privative quoad alios. — 46. Ut tamen valide possit Generalis, et Provincialis ad professionem recipere, requiritur consensus, et suffragium majoris partis Religiosorum in Conventu Novitiatus a duobus saltem mensibus ibi actu de familia existentium; et in paritate votorum, dum tertia vice feruntur, potest Provincialis dare votum decisivum. — 47. Praelatus potest aliis committere, ut nomine suo Novitios ad professionem recipiant. — 48. Ad valorem *Professionis expressae* non requiritur certa verborum forma, sed sufficit qualibet quibuscumque sit verbis concepta; dummodo profitens per ea ad vota, et certam Regulam se adstringere revere intendat. — 49. Valde tamen expedit, et omnino convenit, ut adhibeatur propria, et consueta cujusque Religionis formula. — 50. Professio expressa potest valide fieri, non solum expressis verbis, seu scriptis, sed etiam signis, et nutibus. — — 51. Professio expressa potest etiam fieri per procuratorem. — 52. Professio tacita non est revocata, seu ablata per Concilium Tridentinum, sed adhuc in suo pristino valore manet, si ad ipsam concurrant ea, quae a Concilio praescribuntur. — 53. Hinc, si quis, expleto anno 16. annoque probationis finito, exerceat actus ad solos professos pertinentes, tacite profiteri censetur. — 54 Ad hoc ut professio tacite sit valida, requiruntur quinque potissimum conditiones, quae assignantur. — 55. Alia ad rem, *remissive*. — 56 An professus ignoranter ante 19. aetatis annum ex errore fidei Baptismatis, si exerceat postea actus solitos a professis fieri, censendus sit tacite professus. — 57. Hermaphroditus non est admittendus ad professionem, neque in Monasterio sexus in ipso prevalentis. — 58. Hinc Sacra Congregatio Concilii decrevit, quod Hermaphrodita mulier recepta in aliquo Monasterio non est recipienda ad professionem, etiamsi sexus foemineus praevaleat. — 59. Immo Hermaphrodita si fiat Monialis, professio irrita est. — 60. Religiosus professus non potest a Religione ejici sub praetextu, quod laborat morbo gallico, lepra, vel alio morbo incurabili reticito tempore professionis. — 61. Nisi tamen adesset speciale statutum Religionis a Papa ad id expresse confirmatum. — 62. Statutum tamen hujusmodi non suffragatur, si morbus incurabilis superveniat post professionem. — 63. Professus per simulationem in Monasterio Monialium ex inhonesta caussa,

licet non sit Monachus, tamen cogitur in alio Monasterio manere in poenam delicti commissi: Sicuti etiam professa per simulationem in Conventu Virorum ex inhonesta caussa, licet non sit Monialis, tamen cogitur in alio Monasterio manere in poenam delicti commissi. — 64. Novitius, qui post completum annum probationis exiit e Monasterio de licentia Superiorum, inde ad triennium reversus potest statim profiteri, nisi Religionis, aut personae conditio sit immutata. — 65. Quicumque nulliter professus potest reclamare contra nullam suam professionem, ex quacumque caussa sit nulla. — 66 Ad legitimam reclamationem contra nullitatem professionis tres potissimum conditiones sunt necessariae, quarum una si negligatur, aut omittatur, reclamans non auditur sed ad Monasterium redire cogitur, vel nondum egressus ibidem manere compellitur. — 67. *Prima conditio* est, quod reclamans ante deductionem, et probationem nullitatis suae professionis coram legitimo Judice faciendam, Habitum non deponat, nec etiam absque licentia Superioris cum Habitu propria auctoritate a Monasterio discedat. — 68. Etiamsi egressi vellent transire ad aliam Religionem. — 69. Immo etsi tamquam incorrigibiles, servata forma Constitutionum Apostolicarum, fuissent ejecti. — 70. Si tamen aliquis Religiosus, vel Religiosa, non temere, sed ex aliqua justa caussa, eum, vel sine Habitu a Monasterio aufugeret, et ad Urbem accederet, seu ad majorem Superiorem, vel Ordinarium aut ad alium Monasterium se transferret, tunc posset, reassumpto Habitu, etiam extra Claustra audiri. — 71. *Secunda conditio* est, quod reclamans caussam nullitatis professionis ante egressum coram Superiore suo, et loci Ordinario legitime deducat, et probet. — 72. Pro *Superiore suo* hinc intelligitur Superior localis: Nisi aliud habeant Religionum Constitutiones, et legitimae consuetudines, ut hujusmodi caussae deducantur coram Provinciali. — 73. Pro *Ordinario* intelligitur Episcopus Dioecesis illius, in qua existit Conventus, seu Monasterium nulliter professi, aut professae. — 74. Reclamans pro nullitate suae professionis debet caussam deducere, et probare coram Superiore Religionis, et Ordinario conjunctim, seu copulative, etiamsi agatur de nullitate ratione morbi, seu alterius defectus naturalis. — 75. Et haec facultas cognoscendi caussam nullitatis professionis conjunctim cum Episcopo competit Superioribus etiam in casu, quo Religio se opponat et contradicat. — 76. Ad quos spectet declaratoria nullitatis professionis? — 77. *Tertia conditio* est, quod reclamans proponat caussam nullitatis intra quinquennium a die professionis. — 78. Hinc via ordinaria post quinquennium in foro externo non amplius audiendus est reclamans contra professionem, etiamsi alleget, quod intra quinquennium ignoraverit nullitatem professionis suae; Vel alias absque culpa sua a reclamando impeditus fuerit. — 79. Unde, qui vult reclamare post quinquennium elapsum, debet obtinere restitutionem in integrum a Papa. — 80. Vir professus in Monasterio Monialium est illico ejiciendus, non obstante lapsu quinquennii — 81. Nulliter professus certe sciens coram Deo, et conscientia ex aliquo essentiali defectu suam professionem esse nullam, si nolit eam ratificare, potest tuta conscientia in occulto discedere, ac etiam nubere; Dummodo tamen sine gravi scandalo, aut alio majori incommodo, seu praejudicio abire possit. — 82. Si autem nulliter professus absque scandalo, aut alio majori incommodo, vel gravi praejudicio Religionis occulte discedere nequeat, non in foro externo possit propter aliquod impedimentum probare certam nullitatem suae professionis, debet manere in Religione, donec commoda occasio sine scandalo occulte fugiendi se offerat; et interim, absque scandali periculo, non tenetur ad vota, et Regulam Ordinis etc. — 83. Nulliter professus, si dubitet, an tacite, vel expresse ratificaverit suam professionem, postquam scivit certo esse nullam, si nondum sit elapsum quinquennium a die professionis, potest adhuc reclamare; Si autem sit jam elapsum quinquennium, tenetur perseverare in Religione. — 84. Nulliter professus potest professionem suam ratificare, sive tacite sive expresse. — 85. Nisi tamen habeat perpetuum impedimentum — 86. Nulliter professus necessario scire debet suam professionem fuisse nullam, ad hoc, ut eam valide ratificet, et sic de irrita fiat valida. — 87. Nulliter professus potest valide suam ratificare professionem absque novo consensu Superioris, seu Capituli Regularis — 88. Receptus pro Laico, seu Converso, si in Novitiatu de licentia quorum interest, transeat ad statum Clericalem, et subinde anno probationis integre peracto, profiteatur, valida est ejus professio. Attende tamen ibi subjuncta. — 89. Si tamen professionem emiserit in statu Laicorum, seu Conversorum, non potest de sola licentia Praelati Regularis, et Definitorii transire ad statum Clericorum, sed talis licentia obtineri debet a Sede Apostolica. — 90. Professus in una Religione non potest transire ad aliam sine licentia Sedis Apostolicae. — 91. Et transiens de licentia Sedis Apostolicae ad laxiorem Religionem, etiam ejusdem Ordinis, tenetur in secunda Religione novum annum probationis peragere, et ibi professionem emittere. — 92. Excommunicantur omnes, qui quomodocumque Virginem, vel Viduam, vel aliam mulierem coegerint invitam ad Religionem, et professionem. — 93. Item consilium, aut auxilium, vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte facere quoquomodo eidem actui, vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. — 94. Non excommunicantur tamen ii, qui per vim inductivam, non coactivam coegerint Virginem Monasterium ingredi. — 95. Excommunicantur et ii, qui sanctas Virgines, vel alias mulieres veli accipiendi, vel voti emittendi quoquomodo sine justa caussa impedirent. — 96. Dictam Excommunicationem latam a Conc. Trid. contra cogentes ad professionem, seu ab ea retrahentes mulieres, non incurrunt sic cogentes, aut retrahentes viros. — 97. Attamen sic cogentes, vel retrahentes viros graviter peccant, et possunt ab Ordinariis puniri Censuris. — 98. Professio Regularis varios habet, et sortitur effectus. Et primo, per Religiosam professionem confertur professo perfectissima remissio omnium peccatorum, tam quoad culpam, quam quoad poenam. Et haec Indulgentia acquiritur praesertim a Minoribus per renovationem professionis quotannis fieri solitam. — 99. Secundo, professio Religiosa extinguit omnia vota prius emissa. — 100. Et hoc etiamsi quis voverit aliam Religionem etiam strictiorem intrare. — 101. Tertio, aufert irregularitatem ex natalium defectu provenientem in ordine ad suscipiendos Sacros Ordines; Secus in ordine ad Praelaturas, vel Dignitates Ecclesiasticas. — 102. Aliae autem Irregularitates non auferuntur per professionem Religiosam. — 103 Quarto, professio Religiosa dirimit, non solum sponsalia, sed etiam Matrimonium jam contractum, et nondum consummatum. — 104. Et in hoc votum solemne professionis differt a voto solemni Ordinis Sacri, cum hoc dirimat solum Matrimonium contrahendum, et nullatenus Matrimonium jam contractum, licet nondum consummatum — 105. Quinto, Professio Religiosa tollit maculam quoad actus temporales. — 106. Sexto, professio Religiosa liberat professum a Patria potestate. — 107. Septimo, tollit Filii ingratitudinem erga parentes. — 108. Regulares non tenetur ratificare suam professionem coram Episcopis ante susceptionem Subdiaconatus *ad n.* 109. — 110. Additur ad rem notabilis Resolutio S. Cong. Conc. *n.* 111. — 112. Aliam ad rem, *remissive*. — 113. Quid amplius notand. v. *ad n.* 136.

1 Professio Regularis, seu Religiosa est promis-
sio libere facta, et legitime accepta, qua quis
in debita aetate constitutus post annum pro-
bationis expletum se adstringit certae Reli-
gioni ab Ecclesia approbatae. *Est in re Communis.*
2 Professio Regularis, seu Religiosa est duplex,
una expressa, et alia tacita. *Professio expressa*
est illa, quae fit verbo, vel scripto, vel utroque si-
mul; vel etiam nutu, aut signis in manibus legi-
timi Superioris, juxta formam Religionis profes-
sae. *Professio tacita* est ille, quae fit sine verbo,
vel scripto, et mentem suam obligandi se ad tria
vota, et certam Religionem signo, vel facto alio
externo satis manifestat. Ita *in re Communis.*
3 Ad valorem Professionis requiritur aetas anno-
rum sexdecim completorum. *Communis*, textu
expresso in Conc. Trident. *sess.* 25. *de Regulari-
bus cap.* 15. ibi: « In quacumque Religione tam
virorum, quam mulierum Professio non fiat ante
decimum sextum annum expletum..... Professio
autem antea facta sit nulla, nullamque inducat o
bligationem ad alicujus Regulae, vel Religionis,
vel Ordinis observationem, aut alios quoscumque
effectus ».
4 Anni sexdecim ad professionem requisiti de-
bent esse completi de momento ad momentum;
Unde si Professio fiat per aliquot tantum horas
ante completum annum decimum sextum aetatis,
est nulla. Vide verb. *Annus probationis a n.* 25
5 *et verb. Moniales art.* 1. *n.* 88. *et* 90. Ætas autem
incipit a die nativitatis, non a die Baptismi: *Sacr.
Congregat. Concil. in Cortonen.* 4. *Decembr.* 1827.
6 Item ad valorem Professionis praerequiritur an-
nus probationis completus: *Communis*, textu ex-
presso in Concil. Trident. *loc. cit.* ibi: « Nec qui
minori tempore, quam per annum post suscep-
tum habitum in probatione steterit, ad Professio-
nem admittatur; Professio autem antea facta sit
7 nulla etc. » Et quidem hic annus debet esse com-
pletus de momento in momentum, adeo ut Pro-
fessio facta nondum completo anno, etiam per
modicum tempus, esset nulla. Vide d. verb. *An-
nus probationis n.* 26. Immo ita debet esse com-
8 pletus, et integer annus Novitiatus, seu probatio-
nis, ut Anno bissextili debeat necessario compu-
tari lapsus diei, qui tunc de novo additur, cum illi
duo dies pro uno computentur. Vide *d. verb. An-
9 nus probationis n.* 27. *et* 28. Insuper hic annus
probationis debet esse continuus, ita ut Novitius
annum probationis animo Religionem deserendi
interrumpens, licet per duas solas horas, teneatur
incipere de novo annum Novitiatus. Vide *d. verb.
10 Annus probationis, a n.* 10. *ad* 24. Et talis annus
probationis debet necessario peragi cum Habitu
Regulari, et non cum Habitu saeculari. Vide *d.
Verb. Annus probationis n.* 3. *et* 4.
11 Professio potest in articulo mortis emitti, etiam
anno Novitiatus non completo; Dummodo Novi-
tius, seu Novitia habeat legitimam aetatem. Vi-
de verb. *Moniales art.* 1. *n.* 96. Si tamen hujus- 12
modi Novitius, vel Novitia convaluerit, debet ite-
rum profiteri. Vide *ibidem n.* 79. Talis autem Pro- 13
fessio emissa in articulo mortis, anno Novitiatus
nondum completo, non suffragatur, nisi quoad ac-
quisitionem Indulgentiarum favore profitentis,
non autem quoad acquisitionem Dotis favore Mo-
nasterii, cum ipsa debeat restitui ejus consangui-
neis heredibus. Vide *ibid. n.* 98. et vide etiam
varia Decreta ab Ursaya *tom.* 2. *part.* 2. *discept.* 14
24. An autem Professio emissa in articulo mor-
tis, anno probationis jam integre completo, pro-
sit Monasterio quoad acquisitionem bonorum. Vi-
de *ibidem n.* 99. *et* 100.
Professio facta post decimum sextum annum, 15
sed ante decimum octavum requisitum a Statuto
Ordinis Minimorum, non annullante, aut irritan-
te, valida est: *Sac. Congr Conc.* 2. *Novembr.*
1581. apud Barbosam in *Summa Apostolic. decis.
verb. Professio Regularis n.* 9. Sic etiam Profes- 16
siones emissae juxta dispositionem Concilii Tri-
dentini, idest post completum 16. annum, sunt
validae; quamvis in Constitutionibus Religionis
Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum,
auctoritate Apostolica confirmatis cautum sit,
quod in ea Religione aliquis non recipiatur ante-
quam annum vigesimum videatur complevisse:
Sacra Congreg. Conc. 2. *Augusti* 1631. *et* 24. *A-
prilis* 1632. apud Barbos. *loc. cit. n.* 10. Et sic
dicendum est de Professionibus emissis ante aeta-
tem requisitam a Constitutionibus aliarum Reli-
gionum; Dummodo servetur aetas requisita a Con-
cilio Tridentino, et non requiratur major aetas
sub clausula annullante, et irritante confirmata
expresse a Sede Apostolica.
Professio potest per Superiorem prolongari, 17
lapso tempore Novitiatus, in his, qui non bene
adhuc didicerunt, et aliquantulum inhabiles repe-
riuntur; Dummodo habeant spem probabilem,
quod efficientur habiles infra sex menses, *Sacra
Congreg. Conc.* 8. *Novembr.* 1596. apud Barbo-
sam *loc. cit. n.* 6 Si tamen propter aliquam per- 18
tinacem infirmitatem, vel aliam causam esset pro-
trahenda Professio ultra sex menses, tunc pro fa-
cultate esset adeunda Sedes Apostolica. Vide verb.
Annus probationis a n. 29. *ad* 35.
Item ad valorem Professionis requiritur, quod 19
tam Novitiatus, quam ipsa Professio fiat in Con-
ventibus designatis. Fagnan: *l.* 4. *Tit.* 6. *Decretal.
Cap. Insinuante*, 7. *Qui Cleric.*, *vel voventes a n.*
42. Pignateli *tom.* 9. *consult.* 173. *n.* 56. *et consult.*
175. *a n.* 24. Ursaya *tom.* 8. *part.* 1. *discept.* 33.
n. 34. Donatus *tom.* 2. *part.* 2. *tractat.* 8. *qu.* 2.
et 4. ubi ad id adducit Decreta Clementis VIII.
et Decretum Sacrae Congregationis jussu Urbani
VIII. *editum* 21. *Septembr.* 1614. et Constitutio-
nem ejusdem Urbani VIII. incip. *Religiosos viros*,

ubi sic expresse habet. « Cum itaque, sicut accepimus, quamplures Ordinum, Congregationum, et Institutorum Regularium Professores ad habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis minime fecerint; proindeque juxta Constitutionem fel. recordat. Clement. VIII. praedecessoris Nostri desuper editam, Professio per eos subinde emissa invalida existat.... » Ubi (nota haec ultima verba): « Professio per eos subinde emissa invalida existat »; et ista, quae infra subjungit: « Eosdemque postquam Professionem de novo, ut praefertur, emiserint etc. »: ex quibus clare, et expresse constat, quod ad valorem Professionis requiritur, quod tam Novitiatus, quam Professio fiat in Conventibus designatis. Et tenent etiam Corrad. *Prax. dispen. lib.* 5. *n.* 9. *vers. Nec non Decret.* Matthaeucc. *Offic. Cur. cap.* 34. *n.* 20. et alii plures, et consentire videntur Card. Petra *loc. infra cit.* Monacell. *tom.* 3. *tit.* 1. *form.* 36. *n.* 4. Vide verb. *Annus probationis a n.* 30. *ad* 40.

20 Viri recepti, et Professi in Conventibus non designatis tenentur nullitatem suae Professionis deducere coram Sacra Congregat. Conc. quod si non fecerint, et recedere a Monasteriis praesumpserint, tamquam Apostatae sunt puniendi. Et Superiores, qui in cognitione causae se ingesserint, vel Professos ejecerint, Censuras latae sententiae incurrunt, ut habetur ex Decreto Urbani VIII. quod per extensum referunt Donatus *tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 8. *de Domibus Novitiorum quaest.* 9. *n.* 9. Corrad. *prax. dispensat. lib.* 5. *cap.* 13 *n.* 11. Peyrin. *in suo Formular. litt. P. cap.* 20. Bordon. *tom.* 1. *variar. resolut. qu.* 13. *n.* 7. et alii, prout sequitur.

21 « Sanctissimus D. N. Urbanus Divina Providentia Papa VIII. ad occurrendum motibus, qui possint in Religionibus oriri occasione receptionis Novitiorum, et Professionis per eos emissae in Conventibus non designatis, contra formam Decretorum san. mem. Clementis VIII. de Novitiis ad Habitum Regularem, et Professionem non admittendis, nisi in Conventibus designatis, audita super hoc sententia Sacrae Congreg. Conc. declaravit, et decrevit, hujusmodi Receptos, ac Professos contra formam ipsorum Decretorum, allegantes propterea nullitatem Receptionis, et Professionis, non posse super hujusmodi nullitate post lapsum quinquennii quoquo modo audiri ».

« Quod si aliqui contra formam praedictorum Decretorum Recepti, et Professi e Religione infra quinquennium exire, vel Superiores extra respective illos ejicere voluerint, eadem Sua Sanctitas declaravit, ut tam ipsi Professi, quam Superiores respective teneantur Jura, quae sibi favere visa fuerint, prius deducere coram Sacra Congregatione, quae ex speciali etiam Suae Sanctitatis facultate super hoc concessa, providebit ».

« Inhibendo propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Abbatibus, ac quibuscumque Judicibus Ordinariis, et Delegatis, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, et S. R. E. Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, Sedisque Apostolicae Nuntiis, ne in posterum in hoc quoquomodo se ingerant absque speciali ejusdem Sanctitatis commissione, sub poena ipso facto incurrenda, quo ad Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, et Primates, Interdicti ab ingressu Ecclesiae; quoad Abbates, Inferiores, et alios Judices praedictos, Excommunicationis latae sententiae: Quo vero ad Nuntios, et S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, indignationis Suae Sanctitatis, et poenarum arbitrio imponendarum ».

Si vero iidem Recepti, ut supra, et Professi Juribus suis minime deductis coram Sacra Congregatione, ausi fuerint recedere, ipsi Recepti, et Professi tamquam Apostatae puniantur, et pro talibus habeantur, nec non contra eosdem juxta formam Decret. de Regular. Apostat. et Ejectis, ejusdem Sanctitatis Suae jussu ab eadem Congregatione sub die 21. Septembris 1634. editi procedatur, et Superiores, qui ejecerint, poenas suspensionis a Divinis, nec non privationis omnium Officiorum, quae tunc obtinebunt, ac perpetuae inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, vocisque activae, et passivae ipso facto; et absque alia declaratione incurrant ».

Datum Romae die 4. *Januar.* 1638.

FR. CARD. DEROSPIUS.

« Concordat cum Originali. Ita est, Antonius de Episcopis Cancellarius Illustriss. et Reverendiss. Domini Nuncii Apostolici Venetiarum ». Et sic etiam refert Card. Petra *tom.* 4. Comm. ad Constitut. 9. Sixti IV. *n.* 23.

22 Ratificare volentes Professionem nullam ob loci designati defectum, non tenentur Novitiatum reiterare, nec novum consensum Capituli exquirere, sed sufficit, quod Ratificatio, seu nova Professio fiat in manibus Praelati, et talis nova Professio eis suffragatur in omnibus, et per omnia, tam in Foro interno, quam externo, ac si ab initio valide professi fuissent: Sic expresse statuit, et declaravit Urbanus VIII. Constitut. incip. *Alias*, quae hic per extensum ad uberiorem notitiam adducitur.

URBANUS PAPA VIII. etc.

23 « Alias per Nos accepto, quod quamplures Ordinum, Congregationum, et Institutorum Regularium Professores, ad Habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis minime fecerunt, perindeque juxta Const. fel. record. Clem. Papae VIII. praedecessoris nostri desuper editam, Professio

per eos subinde emissa invalida existebat; Nos motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, bon. mem. Scipioni Episcopo Sabinensi Cardinali Burghesio nuncupato, Majori Poenitentiario, vel Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, ceterisque Ordinariis Locorum, in quibus eorumdem Religiosorum Monasteria, Domus, seu Conventus, aliaque Regularia loca consistebant, sive ipsorum Religiosorum Praefectis, vel Superioribus Generalibus per nostras in simili forma Brevis sub dio 11. Aprilis MDCXXXI. expeditas litteras, commisimus, et mandavimus, quatenus omnes, et singulos Religiosos praedictos, qui ad Habitum Regularem alias canonice recepti, annum probationis in Monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis, minime fecerant; subindeque Professionem denuo, servatis alias servandis emittendam, quae sic emissa illis, et eorum cuilibet, tam in foro interiori, quam exteriori, suffragari deberet, absque novo probationis anno, ex speciali hujus Sanctae Sedis benignitate, Auctoritate nostra Apostolica reciperent, et admitterent, eosdemque postquam Professionem denuo, ut praefertur, emisissent, ad omnes Gradus, Honores, Dignitates, Praeeminentias, atque Habilitates, quas, si ab initio valide professi essent, legitime obtinerent, eadem auctoritate restituerent, ac restitutos eo ipso esse, et censeri declararent, ita ut haberent eumdem locum, sessionem, et votum, prout haberent, si priores Professiones validae fuissent: et nondum promoti ad omnes, etiam Sacros, et Presbyteratus Ordines, servatis alias servandis, promoveri, et tam ipsi, quam alii ad eosdem Ordines jam recte promoti in susceptis Ordinibus hujusmodi, etiam in Altaris ministerio ministrare licite, et libere valerent, nec non omnes actus, sive contractus, quos contraxerant, et legitime contraxissent, vel cum Laicis, vel cum aliis Monasteriis, seu alterius Religionis Viris, si nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solum, quia initi, aut contracti erant invalide ab iis, qui contra dictam Constitutionem in Domibus non designatis, sive ab eadem Sede non approbatis, professi erant, auctoritate nostra praedicta confirmarent, et approbarent, ac validos omnino declararent, super quibus omnibus, et singulis plenam, et amplam facultatem dicta auctoritate tribuimus, et impartiti sumus, et alias, prout in dictis litteris, quarum tenores, praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continentur. Cum autem, sicut dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Praedicatorum Nobis super exponi fecit, in nonnullis dicti Ordinis Provinciis, novae oriantur difficultates, quae conscientias multorum solicitas habent, Nobis propterea humiliter supplicari fecit dictus Procurator Generalis, ut super praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur omnem in praemissis ambigendi, seu excitandi materiam e medio tollere, dictorumque Fratrum quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, ac Procuratorem Generalem praedictum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, et poenis, a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, Apostolica auctoritate praedicta, tenore praesentium statuimus, atque ordinamus, quod in Ratificationibus, sive novis Professionibus, faciendis in manibus Praelati nova Fratrum vocalium acceptatio nullatenus requiratur; sed statim Professus intelligatur, et Filius ejus Conventus, in quo Professionem fecerat, supplendo cum simplici ratificatione, seu nova Professione qualecumque requisitum, quod de Jure requireretur, seu de facto occurreret, cum retentione eorum Graduum, Officiorum, Honorum, Dignitatum, vel Praeeminentiarum, quibus ad praesens gaudent: ita tamen, ut qui de facto Habitum Regularem dimiserint, recipiantur salva Ordinis disciplina. Decernentes, praesentes Litteras validas, firmas, efficaces, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac omnibus, et singulis, quos illae concernunt, plenissime suffragari, irritumque, et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in dictis Litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque ».

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 31. *Januarii* 1635. *Pontificatus nostri anno duodecimo*.

Item ad valorem Professionis requiritur, quod omnino libere libero consensu Profitentis absque metu gravi, sive cadente in virum constantem ab extrinseco injuste incusso fiat: *Communis*, per text. *in cap.* 1. *de Regularibus*, c. 1. *De his, quae vi metusve causa fiunt*, c. *Praesens* 4. *caus.* 20. *q.* 3. juncto Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 15. ubi inter causas reclamandi contra Professionem prima ponitur; *Si quis per vim, vel metum inductus est.* 24

Dicitur autem notanter: *absque metu gravi, seu cadente in constantem virum*: quia metus levis non reddit Professionem invalidam, ut docet *Communis Doctorum. arg. l. Metus autem* 3. *ff. Ex quibus causis ma ores etc.* ibi: *Sed non sufficit quolibet terrore abductum timuisse.* 25

Sic etiam notanter dicitur: *ab extrinseco injuste incusso*, quia metus proveniens ab intrinseco, et causis naturalibus non invalidat Professionem, ut patet de aegroto, qui metu imminentis mor- 26

tis, aut timore inferni, completo anno probationis, emittit Professionem, quam alias non esset emissurus, textu expresso *in capit. Sicut nobis* 17. *de Regularibus*, et concordat *cap. Perlatum est, de his, quae vi, metusve causa fiunt;* Unde Fagnanus *lib.* 3 *Decretal. in cap. Si quis* 2. *de Regularibus, n.* 82. refert, fuisse a Sacra Congregatione Concilii, articulo diligenter discusso, decisratum, quod si quis, ut evadat ultimum supplicium ob conscientiam scelerum commissorum, aut mortem sibi timens ab inimicis, Religionem profiteatur, nisi aliud obstiterit, est valide professus, licet alias professus non fuisset.

27 Hinc tenendum est, quod solus metus mortis violentae incussus a causa libera extrinseca cadens in constantem virum invalidat Professionem. Vide verb. *Metus n.* 14.

28 Non invalidat autem dictam Professionem metus mortis naturalis, seu ab intrinseco. Vide *ibidem n.* 15. Nec dictam Professionem invalidat metus mortis accidentalis casualis. Vide *ibi. n.* 16.

29 Cur Professionem inficiat timor mortis violentae incussus a causa libera extrinseca, et non timor mortis naturalis, vel accidentalis causalis? Vide *ibidem num.* 7.

30 Metus mortis violentae ad hoc, ut invalidet Professionem, debet esse ab homine incussus, et ordinatus ad ipsam Professionem extorquendam. Vide *ibidem n.* 18.

31 Secus autem non invalidat, Vide *ibidem n.* 19.

32 Metus reverentialis, si praecesserint minae, vel verbera, aut Pater sit terribilis, annullat Professionem. Vide *ibidem n.* 20.

33 Professio dicitur metu facta ex precedentibus minis, aut verberibus a Patre illatis, etiam sine expresso praecepto. Vide *ibid. n.* 21.

34 Insuper volunt sufficere solum metum reverentialem absque minis. Vide *ibidem n.* 22.

35 In praxi tamen tenendum est, non sufficere solum metum reverentialem ad annullandam, seu invalidandam Professionem. Vide *ibidem n.* 23.

36 Alia de metu. Vide *ibidem per tot.* et verb. *Matrimonium quoad Impedimenta, art.* 1. *a nu.* 98. *ad* 107.

37 Quibus adde, quod Professio emissa per vim, et metum, et ante annum 16. a Concilio Trident. praescriptum, nulla declarata est a *Sacra Congregatione Conc. in Veneta, seu Mantuana Nullitatis Professionis* 18. *Augusti* 1697. de qua Ursaya
38 *tom.* 1. *part.* 1. *disceptat.* 3. Item Professio per vim, et metum emissa, et Novitiatu interrupto, nulla declarata est ab *ead. Sacr. Congregat. Concil. in Praenestina Nullitatis professionis* 17. *Julii, et* 12. *Novemb.* 1717. de qua Ursaya *tom.* 3.
39 *part.* 1. *discept.* 7. Item professio emissa ob metum interversionis status, et denegationis alimentorum fuit nulla declarata ab *eadem Sacra Congregat. Concil. in Romana Nullitatis professionis* 1. *Octobris* 1720. *et* 11. *Januar.* 1721. de qua Ursaya *tom.* 4. *par.* 1. *disceptat.* 1.

Item ad valorem Professionis requiritur con- 40
sensus, et acceptatio illius, vel illorum, ad quos spectat aliquem ad Professionem recipere: *Communis, arg. cap. Porrectum* 13. *de Regularib.* ibi: « Et recipitur ab Abbate; *cap. Ad apostolicam* 16. eodem, *ibi* »: Abbate per se, vel per alium professionem recipiente ». Et ratio est, quia cum Professio sit contractus ultro citroque obligatorius Professum quidem obligans ad observantiam Regularem, Religionem vero ad eumdem alendum, et juxta Ordinis Constitutiones tractandum, requiritur necessario ad ipsam consensus utriusque partis, sicut in aliis contractibus reciprocis; *arg. l. In omnibus* 55. *de obligat. et action.*

Ad quem autem spectet Novitios ad Professio- 41
nem recipere? recurrendum est ad consuetudines legitimas, Constitutiones, et Privilegia cujuscumque Ordinis, ut *in cap. Si ad solum* 6. *de Regularibus in* 6. ubi id notat Glossa verb. *Pertineat,* Fagnan. *in cap. porrectum* 13. *de Regularibus n.* 34. cum Archidiacono, Jo: Andr. Anchuran. Geminian. Fran. Abbat. Navarr. ibi citatis.

Unde in illis Religionibus, in quibus receptio- 42
ad Professionem spectat ad Praelatum cum consensu, et suffragio Religiosorum Conventus, non potest Praelatus solus sine tali consensu, et suffragio aliquem ad Professionem recipere; aliter, si non concurrat saltem major pars Capituli, talis Professio erit nulla: *Communis*, per text. *in cap. Ea noscitur* 7. *De his, quae fiunt a Praelato sine consensu Capituli*, ibi: « Quod fiant de Collegiorum suorum assensu, sine quo non obtineant firmitatem »: et concordant *cap. Novit* 4. *et cap. Quanto* 5. *eod.*

Ubi autem receptio ad Professionem spectat ad 43
solum Praelatum sine consensu, suffragio, aut consilio Religiosorum Conventus, tunc Professio ab ipso solo, alias legitime recepta, erit valida. Nec, Praelato defuncto, aut absente, poterit a Conventu aliquis ad Professionem valide admitti: *Communis*, per text. *in cap. Si ad solum* 6. *de Regularibus in* 6. ibi: « Si ad solum Abbatem pertineat creatio Monachorum, eo defuncto, nequibit novus Monachus a Conventu creari ». Pote-
rit tamen Conventus valide ad Professionem ad- 44
mittere, Praelato defuncto, ubi receptio ad Professionem spectat insimul ad utrumque, textu expr. *in cit. cap. si ad solum,* ibi: *Alias poterit, si eorum creatio spectat insimul ad utrumque.*

In Ordine nostro Fratrum Minorum de Obser- 45
vantia talis facultas competit Generalibus, et Provincialibus privative quo ad alios, *c.* 4. *Regul. S. Francisci*, relat. et confirmat. ab Honorio III. Constitut. incip. *Solet*, et expressius habetur *in c. Exiit, de verbor. signific. in* 6. §. *Sed quoniam,* ibi: « Concedimus, et praesenti statuto firmamus, licere non solum Generali, sed etiam Provincialibus Ministris personas fugientes a Saeculo in Fratres recipere, quae Ministrorum Provincialium licentia per ipsum Generalem (sicut expedire vide-

rit) possit arctari. Vicarii vero Provincialium Ministrorum ex Officio Vicariae licentiam hanc sibi viderint interdictam, nisi per Ministros eosdem (quibus hoc posse committere Vicariis, et aliis licere decerimus) hoc ipsis Vicariis specialiter committatur ». Ubi nota, quod pro Vicariis, quibus Pontifex dicit licentiam hanc admittendi ad Profess. esse interdictam, intelliguntur solum Vicarii illi, seu Commissarii Provinciales, qui in absentia dictorum Provinc. relinquuntur ad Provinciarum gubernium. Non autem illi Vicarii Provinciales, qui, secuta morte, vel legitima renunciatione, Ministri Provinc. eliguntur: nam istis competit talis facultas ex Officio, sicuti competit ipsismet Provincialibus, cum in re ab ipsis non differant, ut recte observat Matthaeucc. *Official. Curiae cap.* 41. *Officialis quoad professionem n.* 4.

46 Ut autem valide possit Generalis, vel Provincialis ad Professionem recipere, requiritur consensus, et suffragium majoris partis Religiosorum in Conventu Novitiatus a duobus saltem mensibus ibi actu de familia existentium, ut statuit Innocentius X. Constitut. incip. *Ad propagandam* §. 3. ibi: « Qui postea quarto quoque mense a Communitate Fratrum Conventus ipsius Novitiatus a duobus saltem mensibus ibi actu de familia existentium per secreta majoris partis suffragia habiles inventi fuerint, elapso anno post susceptum Habitum ad Professionem admittat ». Vide ipsam Constitutionem relatam a Lantusca *in Theatr. Regular. verb. Novitius n.* 4. In novissimo Capitulo Generali totius nostri Ordinis celebrato Mediolani 1729. *die* 3. *Junii* in Conventu S. Angeli (cui interfui et ego, dum Ministrum Provincialem, licet immerito, agerem) *in statuto pro Cismontana Familia n.* 48. fuit dispositum ut infra: « In paritate votorum, dum tertia vice feruntur pro Novitiis ad professionem admittendis, statuitur, ut absque ulla ulteriori computatione Novitius expellatur, nisi aliter in Domino censuerit P. Provincialis, qui in hoc votum decisivum habere, vel aliam computationem imponere valeat ».

47 Praelatus potest aliis committere, ut nomine suo Novitios ad Professionem recipiant: *Communis, arg. cap. Ad Apostolicam* 16. *de Regularibus*, ibi: *Abbate per se, vel per alium professionem recipiente*. Et ratio est, quia, ut expresse dicitur *in cap. Potest* 68. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.*

48 Ad valorem *professionis expressae* non requiritur certa verborum forma, sed sufficit quaelibet, quibuscumque sit verbis concepta; Dummodo profitens per ea, ad tria vota, et certam Regulam se adstringere revera intendat: *Communis, arg. cap. porrectum* 13. *de Regularibus*; Et ratio est, quia, ut dicitur *in cap. nihil obstat* 7. *de verbor. signific. Nihil obstat narrandi diversitas, ubi eadem dicuntur*, et in ejus Summario expresse habetur: « Non vitiat factum vario modo narratum, ubi idem in substantia concluditur ». Valde tamen expedit, et omnino convenit, ut adhibeatur propria, et consueta cujusque Religionis formula: *Communis*. 49

Professio expressa potest valide fieri, non solum expressis verbis, seu scriptis, sed etiam signis, et nutibus, ut si Praelatus dicat: vis ne tu vovere, seu profiteri Religionem nostram? Et Novitius annuat capite, vel alio claro *signo*, vel nutu indicet, se de facto talem Religionem, seu Regulam profiteri: Pirhing. *lib.* 3. *Decret. tit.* 32. *n.* 96. *et seq.* Reiffenstuel *ibidem n.* 174. Miranda *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 1. Donatus *tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 10. *qu.* 4. Sanchez *lib.* 5. *mor. cap.* 3. *n.* 2. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *n.* 1. et alii passim; Nullibi enim in Jure reperitur, quod ad valorem Professionis requiratur, quod fiat verbis, vel scriptis. 50

Professio expressa potest etiam fieri per Procuratorem: Pirhing *loc. cit. n.* 101. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 174. Donat. *loc. cit. q.* 3. Rodriquez *tom.* 3. *q.* 17. *art.* 13. et alii communiter; Sicut enim potest fieri per Procuratorem Matrimonium carnale, ita et Matrimonium spirituale, cum valeat argumentum a Matrimonio carnali ad spirituale, *arg. cap. Inter corporalia* 2. *de translatione Episcop. et cap. Quoniam frequenter* §. *Porro, Ut lite non contestata.* 51

Professio tacita non est revocata, seu ablata per Concilium Trid. *cit. sess.* 25. *cap.* 15. *de Regularib.* Sed adhuc in suo pristino valore manet, et fieri valide censetur, si ad ipsam concurrant ea, quae a Tridentino *loc. cit.* praescribuntur, scilicet quod Novitius annum 19. jam compleverit, et per annum integrum in probatione, seu Novitiatu steterit: *Communis, ac certa*; Sic enim expresse declaravit *Sacra Congreg. Concilii* apud Fagnan. *lib.* 3. *Decretal. Ad nostram* S *de Regularibus n.* 8. Barbos. *in Summa Apostolic. decis. verb. Professio Regular. n.* 13. Novar. *in Lucerna Regular. verb. Professio n.* 14. Donat. *tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 10. *quaest.* 21. 52

Hinc si quis, expleto anno decimo sexto, anoque probationis finito, exerceat actus, qui ad solos Professos pertinent, uti est deferre patenter eorum habitum, promoveri ad Sacros ordines, eligi, vel eligere in Capitulo, et similia, tacite profiteri censetur; *cap. Vidua* 4. *et cap. Porrectum* 13. *de Regularibus, cap. Nullus, de elect. in* 6. *Clementin. Eos qui* 2. *de Regularibus*, et saepius declaravit *S. C. C.* apud Fagnan. *l.* 3. *Decretal. in cap. Ad nostram* 8. *de Regularibus n.* 8. 53

Ad hoc autem, ut Professio tacita sit valida, requiruntur quinque potissimum conditiones. Prima, quod Novitius exercens actum ad solos Professos spectantes sciat, quod per talem actum inducitur Professio tacita; Secus si ignoraret, quia ignorans, et errans non consentit; *l. Non idcirco* 9. *Cod. de Jur. et facti ignorantia*, ibi: *Cum nullus sit errantis consensus*, *l. Si per errorem* 15. *ff. De Jurisdict.* ibi: « Cum, ut Julianus scribit, 54

non consentiant, qui errant. Quid enim tam contrarium consensui, quam error »? Secunda est, quod ad talem Professionem concurrat consensus illius, qui potest ad Professionem recipere; *arg. c. Porrectum* 13. *et* c. *Ad apostolicam* 16. *de Regul.*, et patet ex dictis *supra n.* 40. Tertia est, quod fiat sponte, et libere, sine vi, et metu; *arg. cap.* 1. *et cap.* 4. *de Regularibus*, *cap.* 1. *De his, quae vi, metusve causa fiunt*, *c. Praesens* 4. *caus.* 20. *qu.* 3. juncto Conc. Trid. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 15. et patet ex dictis *supra n.* 24. *et seq.* Quarta est, quod Novitius tales actus ad solos Professos spectantes exercens habeat animum tacite profitendi; *arg. cap.* 1. *de Regularibus*; Actus enim agentium non operantur ultra voluntatem eorum; *leg. non omnis* 19. *ff. Si certum petatur*. Quinta, quod sit in legitima aetate constitutus, et completo probationis anno ad praescriptum Concilii Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regularibus*, et juxta declarationem Sacrae Congregationis Concilii apud Fagnan. *l.* 3. *Decretal.* in *cap. Nullus* 2. *de Regular. sub n.* 8. *vers. Et hanc sententiam*, ibi: « Nam cum dubitatum esset, an tacita Professio, quae non est exclusa Decreto Concilii, inciperet completo decimo sexto anno, et an statim post dictum tempus emissa censeretur? Sacr. Congreg. respondit, tacitam professionem incipere a prima hora post perfectum annum decimum sextum, et finire anno decimo septimo ». Et eamdem Sacrae Congreg. declarationem refert *in cap. Ad nostram* 8. *de Regularibus n.* 30. ubi eam conciliat cum ejusdem Congregationis declaratione, et concludit, quod annus decimus septimus debet esse completus ex eadem Sacr. Congregat. quae dixit tacitam Professionem induci post annum, et diem, juxta text. *in c. Puellam* 2. *caus.* 20. *qu.* 2. ibi: *At si per annum, et diem*. Vide ipsum *ibi*, quem sequitur Matthaeucc. *cap.* 41. *Officialis quoad Professionem n.* 6.

55 Alia ad rem, vide verb. *Annus probationis*, verb. *Habitus*, verb. *Monialis art.* 1. verb. *Novitius*.

56 An professus ignoranter ante 16. aetatis annum ex errore fidei Baptismalis, si exerceat postea actus solitos a Professis fieri, censendus sit tacite Professus? Variant Doctores. Negativam enim sententiam tenent plures cum Rota *in Mediolanensi Nullitatis Professionis* 3. *Martii* 1690. *coram Emerix*, pro qua 18. Theologos, et 17. Juristas cumulat, ac recenset saepius fuisse ab eadem Rota resolutum, ut videri potest in ipsa Rotae decisione, quae est 14. inter impressas apud Monacell. *tom.* 2. *in Appendic.* Quam opinionem Matthaeucci *loc. cit. n.* 7. dicit videri communiorem, et in puncto Juris veriorem, ipsamque sequitur Monacell. *loc. cit.* et revera videtur in praxi sequenda. Affirmativam autem sententiam defendunt Fagnanus *lib.* 3. *Decr. in cap. Significatum* 11. *de Regular. a n.* 19. *usque in finem*, Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 85. *n.* 5. *et consult.* 146. *n.* 53. Antonell. *de Tempor. legal. l.* 2. c. 63. Ventrigl. *prax. tom.* 1. *Annot.* 47. §. *Unic. n.* 30. Barbos. Panimol. Diana, et alii plures citati a Rota *in dicto Mediolan. n.* 4. referentes sic pluries fuisse resolutum *a Sacra Congreg. Conc. ut in Romano* 28. *Maii* 1578. *in Nullius* 13. *Januarii* 1618. *in Neapolitana* 3. *April.* 1621. *in alia Romana* 28. *Augusti* 1621. *et in Camerinen.* 14. *Dec.* 1724. Quas Sacrae Congregationis resolutiones vivae vocis Oraculo laudavit, et approbavit san. mem. Urbanus VIII. ut testatur bon. mem. Card. Paulutius, tunc ipsius Sacrae Congr. a secretis, in ejus voto recensito in liberculo particulariter dato. Sic Rota *in dicta Mediolan. n.* 3. Quae tamen *ibid. n.* 11. clare demonstrat, praedicta Decreta Congr. Concilii, ut praefertur, Apostolico Oraculo roborata, non esse applicabilia ad praesentem casum. Unde, hoc stante, videtur in praxi esse sequendam dictae Rotae sententiam. Vide *ibi*.

Hermaphroditus non est admittendus ad Pro- 57
fessionem, neque in Monasterio sexus in ipso praevalentis. Vide verb. *Hermaphroditus n.* 18.

Hinc Sacra Congregat. Concil. decrevit, quod 58
Hermaphrodita mulier recepta in aliquo Monasterio non est admittenda ad Professionem, etiam si sexus femineus praevaleat. Vide *ibidem n.* 19.

Immo Hermaphrodita, si fiat Monialis, Profes- 59
sio irrita est. Vide *ibidem n.* 10.

Religiosus Professus non potest a Religione eji- 60
ci sub praetextu, quod laboret morbo gallico, lepra, vel alio morbo incurabili reticito tempore Professionis, quia de Jure communi nulla est aegritudo, etiam mortifera, quae annullet Professionem; Donat. *de Regul. tom.* 4. *part.* 2. *tr.* 3. *de qualitat. recipiend. q.* 25. *n.* 6. *et seq.* Monacell. *t.* 1. *in Append. Annot. ad Decret. de ejectis n* 4. et alii; Et quod proinde talis ejectio sit nulla declaravit nuper *Sacra Cong. Conc. in Syracusana Ejectionis* 1. *Septemb. et in Cameracen. Ejectionis* 22. *Dec.* 1691. Nisi tamen adesset spe-
ciale Statutum Religionis a Papa ad id confirma- 61
tum, quod asserunt habere PP. Capucc. Passerin. *de statib. homin. to.* 3. *q.* 189. *art.* 10. *insp.* 4. *n.* 155. *et tribus seq.* Monacell. *l. cit. n.* 4 et novissime *Sacr. Congreg. Concil. in Provinciae Romanae Capuccinorum* 1. *Jul* 1724. de Professione emissa a Religioso, qui tacuit morbum habitualem.

Statutum tamen hujusmodi non suffragatur, si 62
morbus incurabilis superveniat post Professionem, quia tunc nec Religiosus ita infirmus posset e Claustris egredi, nec Religio illum dimittere, ut respondit *Sacra Congr. Episcopor. et Regular. in una Capuccinorum* 5. *Septembr.* 1692. pro Fratre Secundo a S. Damiano, qui cum diu profugus a Religione vagasset, et declarari, se non teneri ad Religionem redire, neque Religionem illum recipere (ex quo morbo gallico incurabili labora-

ret) potuisset, sub dicta die prodiit Rescriptum: *Teneri redire, et Superiores teneri recipere.* Sic precise apud Monacell. *loc. cit. n.* 5.

63 Professus per simulationem in Monasterio Monialium ex inhonesta causa, licet non sit Monachus, tamen cogitur in alio Monasterio manere in poenam commissi delicti: Sicut etiam Professa per simulationem in Conventu Virorum ex inhonesta causa, licet non sit Monialis, tamen cogitur in alio Monasterio manere in poenam commissi delicti; *cap. Quod interrogasti* 6. *dist.* 17. Fagn. *lib.* 4. *Decretal. in cap. Consuluit* 4. *Qui Clerici, vel voventes n.* 25. cum pluribus aliis ibi citatis, *arg. c. Si quis Clericus* 10. *cap. Romanus* 11. *dist.* 81. *c. Si qua Monacharum* 28. *caus.* 27. *quest.* 1.

64 Novitius, qui post annum probationis exit e Monasterio de licentia Superiorum, inde ad triennium reversus potest statim profiteri, nisi Religionis, aut personae conditio sit immutata. Sic expresse censuit *Sacra Congregat. Concil.* apud Fagn. *lib.* 3. *Decret. in cap. Ad Apostolicam* 16. *de Regularibus n.* 43. ibi: « Cum olim dubitatum esset in Sacra Congregatione Concilii, an is, qui, Habitu Regulari suscepto, annum integrum mansit in Religione, eoque elapso, gravi morbo correptus, et propterea Professione nequaquam emissa, permissu Superiorum ad saeculum rediit, posset inde ad triennium morbo liberatus, et ad Monasterium reversus, protinus emittere Professionem, non expectato alio probationis anno, vel potius per alium annum stare in probatione teneretur? Sacra Congregatio censuit, posse statim emittere Professionem, non expectato alio probationis anno, nisi Religionis, aut personae conditio sit immutata ».

65 Quicumque nulliter Professus potest reclamare contra suam nullam Professionem, ex quacumque causa sit nulla, dummodo servet dispositionem Concilii Trid. *Communis*, per text. in ipso Concilio Trident. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 15. ibi: « Quicumque Regularis praetendat, se per vim, vel metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante aetatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque Habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum Habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die Professionis; et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram Superiore suo, et Ordinario. Quod si antea Habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, et tamquam Apostata puniatur, interim vero nullo Privilegio sui Ordinis juvetur ».

66 Ad legitimam reclamationem contra nullitatem Professionis tres potissimum conditiones sunt necessariae, quarum una si negligatur, aut omittatur, reclamans non auditur, sed ad Monasterium redire cogitur, vel nondum egressus ibidem manere compellitur; *Communis.*

Prima igitur conditio est, quod reclamans ante deductionem, et probationem nullitatis suae Professionis coram legitimo Judice faciendam, Habitum non deponat, nec etiam absque licentia Superioris cum Habitu propria auctoritate a Monasterio discedat; textu expresso in Concil. Trident. per verba adducta *supra n.* 65. Et saepius respondit *Sacr. Congr. Conc.* et signanter *in Bononien.* 4. *Jun.* 1689. *in Claramontan.* 29. *Novemb.* 1692. *in Bituntina* 23. *Mart.* 1697. *in Mantuana* 15. *Jun. ejusdem* anni 1697. *in Giennensi* 9. *Aprilis* 1701. et alibi frequenter rescribendo contra illos, qui propria auctoritate deposuerunt Habitum, et a Monasterio discesserunt, et petunt audiri: *Reassumat Habitum, redeat ad Claustra, et postea supplicet.* Etiamsi egressi vellent transire ad aliam Religionem, ut declaravit 68 *Sacr. Congreg. Episcop. in Provincia Boetica* 30. *April.* 1700. Immo etsi tamquam incorrigibiles, servata forma Constit. Apostolicarum, fuissent ejecti: *Sacra Cong. Conc. in Papien. Restitut. in integrum* 15 *Mart.* 1690. 69

Si tamen aliquis Religiosus, vel Religiosa non temere, sed ex aliqua justa causa, vel sine Habitu a Monasterio aufugeret, et ad Urbem accederet, seu ad majorem Superiorem, vel Ordinarium, seu aliud Monasterium se transferret, quia v. g. non posset a Superiore licentiam adeundi obtinere, vel prohiberetur coram Ordinario causam nullitatis proponere, seu Procuratorem ad reclamandum constituere, et hujusmodi; tunc posset, reassumptu Habitu, etiam extra Claustra audiri, prout plures auditos fuisse tempore suo, testatur Navarrus *Comment.* 4. *de Regularibus n.* 78. et tenent Sanchez *l.* 7. *de Matrimonio disp.* 37. *n.* 3. Pirhing *lib.* 3. *Decret. tit.* 31. *n.* 152. Reiffenstuel *ibid. n.* 196. Monac. *t.* 4. *tit.* 1. *form.* 36. *n.* 2. et alii communiter. 70

Secunda conditio est, quod reclamans causam nullitatis Professionis ante egressum coram Superiore suo, et loci Ordinario legitime deducat, et probet: *Communis*, textu expresso in Concil. Trid. *loc. cit.* ibi: « Et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram Superiore suo, et Ordinario ». Pro *Superiore suo* hic intelligitur Superior localis, seu Conventus, aut Monasterii, v. gr. Prior, Guardianus, Abbas, Rector, et hujusmodi, et non Supremus Ordinis, vel Provinciae, ut communiter tradunt Doctores, et censuit *S. C. Conc. in Meten. et Romana* 7. *April.* 1629. apud Barb. *in Summa Apostolic. dec. verb. Professio Regularis n.* 12. et supra Trid. *sess.* 25. *cit. cap.* 19. *n.* 12. Nisi aliud habeant Religionum Constitutiones, et legitimae consuetudines, ut hujusmodi causae deducantur coram Provinciali, uti docent Bordon. *tract. De Profess. c.* 7. *num.* 29. Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 3 *c.* 6. *n.* 35. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 197. et alii. Et pro *Ordinario* inteiligitur Episcopus Dioecesis illius, in qua existit Conventus, seu Monasterium nulliter Pro- 71 72 73

fessi, aut Professae: *Communis*, et censuit *Sac. Cong. Conc.* 1. *Decembr.* 1593. *et* 12. *Decemb.* 1665.

74 Reclamans pro nullitate suae Professionis debet causam deducere, et probare coram Superiore Religionis, et Ordinario conjunctim, seu copulative, etiamsi agatur de nullitate ratione morbi, seu alterius defectus naturalis, ut respondit *Sac. Cong. Concil.* 1. *Decembr.* 1593. *et* 12. *Decemb.*
1665. apud Monacell. *tom.* 2. *in Appendic. adno-*
75 *tat. ad decis.* 15. *n.* 1. Et haec facultas cogno-
scendi causam nullitatis Professionis conjunctim cum Episcopo competit Superioribus, etiam in casu, quo Religio se opponat, et contradicat, ut declaravit *eadem S. Congr. Conc. in Olomucen.* 10. *Jun.* 1684. apud Monacell. *loc. cit. n.* 2.

76 Reclamans autem pro nullitate suae Professionis, eo quod eam, et Novitiatum emiserit in Conv. non designato, tenetur etiam infra quinquennium causam deducere immediate coram Sacra Congregatione Concilii: Non enim potest nullitatem suae Professionis provenientem ex hoc capite deducere coram suo Superiore, et loci Ordinario. Et sic resolvit novissime *Sacr. Cong. Conc. die* 24. *Septemb.* 1740. et confirmavit Bened. XIV. 28. *Septemb. ejusdem anni* 1740. ut patet infra in fine hujus *n.* 76. Nec ipsi in hoc se possunt ingerere sub gravissimis poenis, ut patet ex Decreto Urbani VIII. adducto *supra sub n.* 21. An autem hoc Urbani VIII. Decretum de non reclamando etiam infra quinquennium, nisi coram Sacra Congreg. Conc. comprehendat etiam dispositionem Concilii Tridentini, *c.* 19. *sess.* 25. *de Regularibus*, ita ut nullitas Professionis proveniens etiam ex aliis capitibus nequeat hodie, sicut poterat prius, ex dicta Conciliari dispositione cognosci, et declarari per Superiorem Regularem, et loci Ordinarium? Variant Doctores. Plurimi enim communius sustinent negativam sententiam, nempe, non obstante dicto Urbani Decreto, posse adhuc hodie ab Ordinario loci, et Superiore Regulari, sicuti prius, cognosci, et declarari nullitatem Professionis provenientem ex vi, metû, vel alio capite, praeterquam enumeratis in dicto Urbani decreto, idest Novitiatu, et Professione peractis in Conventu non designato, quia dictum Urbani VIII. Decretum loquitur solum de iis, qui se praetendunt nulliter professos, eo quod Novitiatum peregerint, et Professionem emiserint in Conventu non designato, et contra formam Decreti Clementis VIII. non autem de iis, qui praetendunt suam Professionem nullam, eo quod illam emiserint per vim, aut metum, ante requisitam aetatem, aut Novitiatu non integre completo, et hujusmodi: Unde, non obstante dicto Urbani Decreto, manet adhuc in suo robore Conciliaris dispositio, in *c. cap.* 19. *sess.* 25. *de Regularibus*, quo ad nullitatem Professionis ex aliis capitibus provenientem cognoscendam, et declarandam a Superiore Regulari, et loci Ordinario: Sic Pellizzarius *tract.* 5. *cap.* 5. *sect.* 2. *n.* 37. et *cap.* 1. *eod. tract. sub num.* 60. ubi ait, secum ita sensisse alios viros doctos, Pignat. *t.* 9. *consult.* 176. *nu.* 32. Moronus *Resp. mor.* 82. *n.* 184. Panim. *d.* 42. *n.* 13. Card. de Luca *de Regularibus disc.* 41. *n.* 8. *disc.* 42. *n.* 8. *et Annot. ad Conc. discurs.* 41. *n.* 2. Ventriglia *tom.* 1. *annot.* 47. *n.* 26. Barbosa *in Conc. Trident. cit. sess.* 25. *de Regularibus c.* 19. *n.* 21. *et de Offic. et potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 164. *n.* 12. Fr. Emmanuel *tom.* 1. *q.* 36. *art.* 3. Ludov. Beja *respons. casuum conscientiae part.* 4. *casu* 18. Novarius *in Lucerna Regular. verb. Nullitas* 1. *pag.* 177. Tamburin. *de jure Abbat. tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 26. *n.* 4. Bonacina *de Clausura, et poenis eam violantibus impositis q.* 2. *punct.* 10. *diffic.* 3. *n.* 3. Aloysius Riccius *in praxi aurea resolut.* 20. Pirbing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 31. *n.* 151. Reiffenst. *ibidem n.* 197. et innumeri alii absolute dicentes, quod reclamans pro nullitate suae Professionis debeat causam deducere coram Superiore suo, et loci Ordinario, juxta claram, et expressam dispositionem Concilii *loc. cit.* ibi: « Et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram Superiore suo, et Ordinario ».

Affirmativam autem sententiam, nempe dictum Urbani VIII decretum de non reclamando etiam infra quinquennium, nisi in Sacra Congr. Concilii, comprehendere etiam dispositionem Concilii Tridentini *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 19. tuentur varii alii, et signanter doctissimus Donatus *Prax. rerum Regul. tom.* 2. *tractat.* 17. *quaest.* 28. *per tot.* Remigius Scropha *in moral. quaest.* 8. *art.* 10. Pyrrhus Corradus *in praxi dispensat. Apostolic. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 11. Matthaeuc. *Official. Curiae cap.* 41. *num.* 17. expresse dicens, quod « declaratoria nullitatis ex stylo Curiae est de reservatis Sacrae Congregat. Concil. adeo ut ante ipsam, licet prius causae nullitatis coram Ordinario, et Superiore fuerint productae, non dicatur legitime, et authentice de ipsa nullitate constare ». Et id colligunt ex illis verbis Decreti Urbani VIII. ibi: « Ad occurrendum motibus, qui possent in Religionibus oriri »: quae verba, cum sint generalia, includunt omnes casus, et generaliter sunt intelligenda, *arg. cap. Quia circa* 22. *de privilegiis*, cum similibus Item ex illis: « Inhibendo etc. ne in posterum in hoc quoquo modo se ingerant absque speciali ejusdem Sanctitatis commissione ». Quae dictio, cum sit pariter universalis, continet omnes modos etiam improprios *ex leg. Quidam* §. 1. *ibid. Gloss. ff. de Fideicommiss. liber.* et notat Menoch. *consil. num.* 19. ubi ait, quod includit modos majores expressis, et facit aliqua comprehendere, quae alias minime comprehenderentur. Sic Donatus *cit. qu.* 28. ubi *n.* 8. expresse subjungit: « Nec Dices Decretum praedictum loqui tantum de praetendentibus reclamare super nullitate Professionis orta ex defectu Novitiatus facti in loco non designato: Secus autem in aliis, quia in dicto Decreto

nulla reperitur dictio taxativa. Undu etsi occasio reclamandi fuerit desumpta ex Novitiato indebite facto, provisio tamen facta est univursaliter in favorem Religionis, nt ad occurrendum motibus omnibus volentium reclamare super nullitate Professionum undecumque, et quomodocumque praetensa, nt hoc pro communi quiete Religiosorum ». Cui consonat Remigius Scropha *citat. qu.* 8. *art.* 10. sic expressu ad rem dicens: « Immo rigorosius procedit contra istos, nam virtute Concilii infra quinquennium poterat nulliter Professus prantendere nullitatem coram Superiore suo, nt Ordinario. Modo hoc non sat est, non enim potest coram Superiore litigare, sed oportet iru ad Sacram Congregationem ». Et peritissimus practicus du his materiis Pyrrhus Corradus *in cit. praxi dispensation. Apostolic. lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 11. *in fine* sic expresse concludit: « Quinimmo licet antea de stylo introductum videretur, nt etiam intra quinquennium pro hujusmodi irritanda Professionu ad Romanum Curiam, ejusque Signaturam recurreretur, per quam ejusdem nullitatis declaratio committi consunverat eo item modo, quo ab ipso Concilio statutum est, nimirum Ordinario loci, et Superiori domus cum clausola, *dummodo quinquennium lapsum non sit*; ac indubitanter adhuc etiam potuisse eosdum Superiores absque speciali Rescripto intra dictum tempus super hujusmodi nullitate pronunciare, ex quo contrarium colligi non potest ex contexto praedicti Concilii. Attamen hodie omnia prorsus difficultas sublata est, cum Sacra Congregatio Conc. tam super hoc, quam aliis capitibus circa hujusmodi Professionem quid de cetero observandum sit, statuerit, dum praecipit, quod etiam infra quinquennium requiratur specialis Summi Pontificia commissio. Cujus quidem Decreti tenorem, cum etiam quoad alios casus satis inconcusse servetur, hic annectara visum est »: et adducit ipsum Decretum a nobis jam adductum *supra n.* 11. Vide ibi.

Unde si verum sit, quod dicti Decreti tenor etiam quoad alios casus satis inconcusse servetur, et ut dicit Matthaeucc. *loc. cit.* declaratoria nullitatis Professionis ex stylo Curiae sit de reservatis Sacrae Congregationis Concili, non est ab hac sententia recedendum; Quia stylus Curiae facit jus, sicut Lex Canonica, aut Constitutio Papalis, text. in *c. Quam gravi* 6. *de crimine falsi*, et expresse docent Pitonius, *part.* 2. *disceptat.* 47. *n.* 14. Gomez in *Regul. de subrogand. quest.* 15. *n.* 4. *in fine*, *et* in *Regul. de Triennal. q.* 7. *n.* 3. Ursaya, *tom.* 4. *part.* 2. *discept.* 19. *num.* 133. *et seq.* et alii passim. Stylus enim Curiae dicitur interpres voluntatis Principis. Card. de Luca *de Judic. discurs.* 3. *n.* 20. Tum quia dictum Urbani Decretum editum est « ad occurrendum motibus, qui possent in Religionibus oriri » ut in ipso expresse dicitur: Dicti autem motus possunt in Religionibus oriri, non solum in reclamationibus pro nullitate Professionum emissarum in Conventibus non designatis, sed etiam in reclamationibus pro nullitate Professionum provenienta ex aliis capitibus. Unde videtur dictum Decretum observandum esse in omnibus reclamationibus pro nullitate Professionum ex quocumque capite provenientе, cum ubi eadem est ratio, eadem sit Legis dispositio, *l. Ideo* 27. *ff. de Legibus*, *l. Illud* 32. *ff. Ad Legem Aquiliam*, *et c. Inter corporalia* 2. *de translatione Episcopi*. Si autem talis non sit tenor, et Stylus Curiae, tenenda est prima sententia propter nimis claram dispositionem Concilii Tridentini *cit. sess.* 25. *de Regularibus cap.* 19. expresse statuentis, quod reclamans pro nullitate suae Professionis debet causam deducere coram Superiore suo, et loci Ordinario nullum aliud Tribunal nominando, ut requirendo. Tum quia dictum Urbani Decretum solum disponit, recurrendum esse ad Sacram Congregationem Concilii pro nullitate Professionis orta ex defectu Novitiatus, et Professionis emissae in Conventu non designato: Ne verbum quidem facit de nullitatibus Professionum provenientibus ex aliis capitibus. Unde non est facienda extensio de casu ad casum; quia quod voluit, expressit, et si quid aliud voluisset, expressisset, *arg. c. Inter corporalia* 2. *de translatione Episcopi* §. *Sed neque istud*; *cap. Quia circa* 22. *de privilegiis*, *et c. Ad audientiam* 12. *de decimis*. Et de facto pro prima sententia resolvit novissime Sacra Congreg. Concil. 24, Septembr. 1740. et confirmavit Benedict. XIV. 28. Septembr. ejusdem anni 1740. dummodo causa nullitatis professionis proponatur cor. Ordinario, et Superiore Regulari conjunctim, et intra quinquennium a die professionis, quo elapso, recurrendum est omnino ad Sedem Apostolicam. Sic apud Thesaur. Resol. Sac. Congr. Conc. d. ann. 1740.

Tertia conditio est, quod reclamans proponat 77
causam nullitatis intra quinquennium a die Professionis: *Communis*, textu expresso in Concil. Trident. *loc. cit.* ibi: « Non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die Professionis..... causas, quas praetenderit, deduxerit ».

Hinc via ordinaria post quinquennium in Foro 78
externo non amplius audiendus est reclamans contra Professionem, etiamsi allegat, quod intra quinquennium ignoraverit nullitatem Professionis suae, vel alias absque culpa sua a reclamando impeditus fuerit. Sic pluries declarasse *Sacram Congregationem Concil.* refert Fagnan. *lib.* 1. *decretal.* in *cap. Perlatum est* 1. *De his, quae vi, metusve causa fiunt n.* 40. his verbis: « Professi per vim, et metum, elapso quinquennio a die Professionis, non sunt audiendi, nisi infra quinquennium reclamaverint, etiamsi praetendant vim, et metum semper durasse, ut olim, articulo saepius discusso, respondit Sacra Congr. Conc. cujus sententiam Gregorius XIII. ad se relatam approbavit »; et idem tenet, ut refert Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 37. his verbis: « Felicis recordationis Gregorius XIII. ex

sententia Congr. Conc. declaravit, eos, qui per vim, vel metum se ad Religionem praetenderent (*fuisse adductos*), nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso, non esse audiendos, tametsi allegent vim, ut metum semper durasse »: et sic tenent Donatus *tom.* 1. *tract.* 12. *quaest.* 13. *n.* 4. Pellizzar. *tom.* 1. *tract* 3. *cap.* 5. *n.* 45. Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *disp.* 37. *n.* 18. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 202. et alii passim, *arg. Conc. Trident. loc. cit.* ubi expresse dicit, quod quinquennium durat a die Professionis tantum, ibi: « Nisi intra quinquennium tantum a die Professionis »; quae particula *tantum* est exclusiva, affirmans id, quod ponit, et negans omnes alios casus praeter expressos; *l. Ob aes alienum* 12. *Cod. de Praediis, et aliis rebus Minorum*, *l. Contractus* 23. *ff. de Regul. Juris* cum similibus; Tum quia Concilium statuit, quinquennium ad reclamandum concessum incipiendum esse a die Professionis, et non a die notitiae nullitatis Professionis, vel cessantis impedimenti. Et quod quinquennium ad reclamandum incipiat a die Professionis, et non a die sublati impedimenti, vel impotentiae reclamandi, declaravit novissime *Sacra Congregat. Concil. in Melevitan. Nullitatis Professionis* 17. *Maii* 1723. teste Ursaya in *Miscellan.* 1. *litt. Q. n.* 19.

79 Unde, qui vult reclamare post quinquennium elapsum, debet obtinere restitutionem in integrum a Papa, cum Ordinarius post elapsum quinquennium a die emissae Professionis non possit amplius se ingerere, ut disponit Tridentinum *cit. sess.* 25. *cap.* 19. *de Regularib.* et ad obtinendam dictam restitutionem in integrum debet in simplici libello saltem summarie exprimere causas nullitatis suae Professionis una cum causa, ob quam non potuit intra quinquennium reclamare; tunc enim solet a Papa, seu a Sacra Congregatione Concilii, vel Episcoporum, ut Regul. concedi restitutio in integrum, constito de nullitate, et impedimento reclamandi intra quinquennium: Barbos. in Trident. *cit. sess.* 25. *cap.* 19. *n.* 9. cum aliis ibi citatis, Sanchez *loc. cit. n.* 22. Donatus *loc. cit. quaest.* 14. *et tom.* 4. *tract.* 12. *de profession. Monialium qu.* 30. *n.* 2. Reiffenstuel *loc. c. n.* 204. Monac. *tom.* 3. *tit.* 1. *formul.* 36. *n.* 3. et alii passim; et sic saepius respondit *Sacra Congreg. Conc.* et signanter in *Colimbr.* 24. *April.* 1630. *in Mantuana* 16. *Maii* 1697. *in Melevitana restitutionis in integrum* 15. *Dec.* 1703. *in Neapolitana restitutionis in integrum* 7. *Septemb.* 1718. *in Ceneten. restitutionis in integrum* 16. *Mart.* 1720. et saepe alibi. Religiosus tamen recurrens intra quinquennium, et post ipsum reassumens instantiam non indiget restitutione in integrum, ut fuit resolutum *a Sacra Congreg. Concil. in Ceneten.* 16. *Martii* 1729.

80 Vir Professus in Monasterio Monialium est illico ejiciendus, non obstante lapsu quinquennii, ut, pluribus adductis, probat Fagnan. *lib.* 1. *decretal. in cap. Perlatum est* 1. *De his, quae vi, metusve causa fiunt, n.* 41. Vide *supra n.* 63.

Nulliter Professus certo sciens coram Deo, et in conscientia ex aliquo essentiali defectu suam Professionem esse nullam, si nolit eam ratificare, potest tuta conscientia in occulto discedere, ac etiam nubere; Dummodo tamen sine gravi scandalo, aut alio majori incommodo, aut praejudicio abire possit: Navarr. *lib.* 3. *consil.* 89. *de Regularibus*, Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 37. *n.* 11. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 5. *n.* 7. Donatus *tom.* 2. *tract.* 12. *q.* 21. Pirhing *lib.* 3. *decretal. tit.* 31. *n.* 184. Reiffenstuel *ibidem n.* 207. et, ipso teste, *Communis aliorum.* 81

Si autem nulliter Professus absque scandalo, aut alio majori incommodo, vel gravi praejudicio Religionis occulte discedere nequeat, nec in foro externo possit propter aliquod impedimentum probare certam nullitatem suae Professionis, debet manere in Religione, donec commoda occasio sine scandalo occulte fugiendi se offerat, et interim, absente scandali periculo, non tenetur ad vota, et Regulam Ordinis, cum, sua Professione obstante certo nulla, non adsit titulus, unde in conscientia obligetur; Debet tamen saltem in publico, ad evitandum scandalum, Regulam Ordinis observare, et consueta Religioni servitia praestare in compensationem alimentationis, et sustentationis interim a Monasterio receptae; Sanchez *loc. cit. n.* 38. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 48. *et c.* 3. *n.* 56. Reiffenstuel *loc. c. n.* 208. *et seq.* et alii passim. 82

Nulliter Professus, si dubitet, an tacite, vel expresse ratificaverit suam Professionem, postquam scivit certo esse nullam, si nondum sit elapsum quinquennium a die Professionis, potest adhuc reclamare; Si autem sit jam elapsum quinquennium, tenetur perseverare in Religione, nec potest per viam restitutionis in integrum reclamare, quia in dubio recurrendum est ad praesumptionem. Praesumptio autem ante quinquennium stat pro Novitio, ut post quinquennium stat pro Religione, *arg. Concil. Trid. cit. sess.* 25. *cap.* 19. Sic expresse Donatus *t.* 2. *tract.* 12 *q.* 9. Faustus *de Relig. statu lib.* 5. *quaest.* 87. *in fine*, Barbos. *ad Tridentin. sess.* 25. *cap.* 19. *n.* 13. Sanctarel. *variar. resolut. part.* 1. *qu* 48. *n.* 46. Merol. *tom.* 1. *disp.* 3. *cap.* 3. *num.* 283. Diana *part.* 4. *tract.* 3. *de conscientia dubia, resolut.* 40. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 212. et alii passim. 83

Nulliter professus potest Professionem suam ratificare sive tacite, sive expresse: *Communis*, *ac certa*, nec indiget probatione. Nisi tamen habeat perpetuum impedimentum, quia talis nunquam potest ratificare Professionem, nec tacite, nec expresse, sed tenetur, quocumque tempore decurso, reclamare, vel occulte discedere. Nemo enim sanae mentis dicet, quod vir v. g. in Monasterio Monialium mentito sexu professus, vel mulier mentito sexu professa in Conventu Religiosorum, ip- 84 85

so quinquennio, non possit ex illo exire, sed ibidem teneantur remanere, Barbosa *ad Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 19. *n.* 19. Navarr. *consil.* 26. *num.* 12. *et ultim. de Regularib.* Donatus *tom.* 2. *tract.* 2. *quaest.* 10. et, ipso teste, *Communis aliorum.*

86 Nulliter Professus necessario scire debet, suam professionem fuisse nullam ad hoc, ut eam valide ratificet, et sic de irrita fiat valida: Barbosa *ad Conc. Trid. cit. sess.* 25. *cap.* 19. *n.* 18. Navarr. *lib.* 3. *tit. de Regularib. consil.* 5. *n.* 15. *et* 28. *et consil.* 39. *n.* 4. Pellizzar. *tom.* 3. *tract.* 3. *c.* 5. *n.* 57. Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *disp.* 37. *n.* 59. Layman *loc. cit. n.* 9. Pirhing *loc. cit. n.* 149. Reiffenstuel *loc. cit. nu.* 215. et, ipso teste, *Communis aliorum.*

87 Nulliter Professus potest valide suam ratificare Professionem absque novo consensu Superioris, seu Capituli Regularis: Barbosa *ad Concil. Trident. citat. sess.* 25. *cap.* 19. *n* 17. cum aliis ibi citatis, Fagn. *l.* 3. *Decretal. in cap. Significatum est* 11. *de Regularibus n.* 47. Navarr. *consil.* 35. *n.* 3. *et consil.* 46. *n.* 2. *de Regularibus in prima editione, et consil.* 27. *n.* 2. *et consil.* 28. *n* 3. *in secunda editione.* Rodriq. *tom.* 3. *qq. Regul. quaest.* 17. *art.* 3. Pirhing *loc. cit. n.* 140. Reiffenstuel *loc. cit. a n.* 219. Mattheucc. *cap.* 41. *Officialis quoad professionem sub n.* 17. *vers. Nota*, et alii passim, per text. *in cap. Cum virum* 12. *de Regularibus*, ibi: *Praesertim, si ratihabitione secuta; cap. Is, qui Monasterium* 1. *de Regularibus in* 6. ibi: *Seu Professionem a se prius factam ratam expresse habeat, cap. Perlatum est* 1. *De his, quae vi, metusve causa fiunt*, ibi: « Si legitime probatum fuerit.... ipsam mulierem..... quod fecit postmodum ratum habuisse; ipsam ad Monasterium redire, et Habitum depositum reassumere Censura Ecclesiastica compellatis ». Quae jura satis demonstrant, solam ratihabitionem Professi desiderari ad hoc, ut Professio nulliter facta efficiatur valida, nec Praelati, seu Religionis requiri novum consensum, cum hujus consensus jam interfuerit a principio validus, ut supponitur, et perdurare praesumatur; Et quatenus requireretur, tamen Summi Pontifices, tamquam Suprema Ordinum Regularium Capita; *cap. Exiit §. Ad haec cum Fratres, de verbor. significat. in* 6. ut Religionum paci, et tranquillitati consulerent, voluerunt illum supplere, admittendo, Professionem illam de irrita fieri validam per unam ratificationem, seu ratihabitionem Professi. Tum quia hoc indicat clausula Rescriptorum, quae in Curia dari solent illis, qui post quinquennium ex aliqua justa causa reclamantes contra suam Professionem restituuntur in integrum; In his enim Rescriptis, teste Hyacintho Donato *tom.* 2. *tract.* 12. *quaest.* 14. *n.* 14. ordinarie inseritur clausula: « Dummodo Professionem tacite, vel expresse non ratificaverit »; qua Pontifex clare indicat Professionem per solam profitentis ratihabitionem absque ulla nova acceptatione, aut consensu Superiorum valide ratificari posse, cum, uti supponitur, Superiores ignorent Professionem fuisse invalidam, et consequenter in tali casu novum consensum non praestent, cum ignorantis nullus sit consensus; *l. Non idcirco* 9. *Cod. de Jur. et fact. ignorant. l. Si per errorem* 15. *ff. De Jurisdiction.*

Receptus pro Laico, seu Converso, si in Novitiatu de licentia, quorum interest, transeat ad statum Clericalem, et subinde, anno probationis integre peracto, profiteatur, valida est ejus professio; Tunc enim, si a Provinciali, et Definitorio examinatus, reperiatur instructus sufficienti litteratura, aliisque ad Clericatum requisitis, non videtur eis a Decretis Clementis VIII. prohibitum, quin possint illum ad Clericorum statum transferre, cum pro eo tempore non sit adhuc irrevocabiliter in statu Conversorum: Sanctorus in *Statut. cap.* 2. *statut.* 24. *verb. Alia difficultas;* Mattheuc. *cap.* 41. *Officialis quoad Professionem n.* 21. et alii. Vide tamen ipsa Decreta §. 23. ubi id expresso prohibetur; et sic tenet Donatus *tom.* 2. *tract* 14. *quaest.* 14. Vide ibi, et verb. *Transitus n.* 5. 88

Si tamen jam Professionem emiserit in Stato Laicorum, seu conversorum, non potest de sola licentia Praelati Regularis, et Definitorii transire ad statum Clericorum, sed talis licentia obtineri debet a Sede Apostolica, quae ad id solet expedire Brevia cum clausula: *De licentia tamen suorum Superiorum*, quae debet intelligi copulative de illa Generalis, et Provincialis simul, prout expresse declaravit *Sacra Congreg. Episcop. et Regul. de mandato Urbani VIII. die* 2. *Augusti* 1630. apud Peyrin. *de Praelat. q.* 3. *c.* 1. §. 5. *n.* 149. nempe clausulam: « De licentia Superiorum, in Brevibus praedictis appositam, esse intelligendam de Generali Ordinis, et Provinciali Oblatorum hujusmodi, ita ut pro eorumdem executione requiratur utriusque licentia, et consensus. Vide verb. *Novitius num.* 98. *et* §. 23. dict. Decretor. Clement. VIII. et Donatum *prax Regular. tom.* 3. *tract.* 14. *quaest.* 14. *et* 15. ubi recte ad rem, et verb. *Transitus n.* 6. *et* 7. 89

Professus in una Religione non potest transire ad aliam, etiam strictiorem, sine licentia Sedis Apostolicae: *Communis*, ex praxi, et stylo Curiae. Et transiens de licentia Sedis Apostolicae ad laxiorem Religionem, etiam ejusdem Ordinis, tenetur in secunda Religione novum annum probationis peragere, et ibi Professionem emittere. *Sic Sacra Congreg. Conc.* quae apud Fagnan. *l.* 3. *Decr. in c. Ad Apostolicam* 16. *de Regularibus n.* 67. respondit: « Transeuntem de licentia Sedis Apostolicae ad laxiorem Religionem, etiam ejusdem Ordinis, teneri in secunda Religione novum annum probationis peragere ». 90 91

Excommunicantur omnes, qui quandocumque virginem, vel viduam, vel aliam mulierem coegerint invitam ad ingrediendum Monasterium, vel 92

Habitum suscipiendum Religionis, vel ad Profes-
sionem emittendam: Conc. Trid. *sess.* 25. *de Re-*
93 *gular. c.* 18. Item, qoi consilium, auxilium, favo-
rem dederint, quiqoe scientes, eam non sponte fa-
cere, quoquo modo eidem actui, vel praesentiam,
vel consensum, vel auctoritatem interposuerint:
94 Concil. Trident. *ibid.* Non excommunicantur ta-
men ii, qui per vim inductivam, non coactivam,
coegerint virginem Monasterium ingredi. Sic de-
cisum refert Barbos. *de Offic. et potest. Episcop.*
p. 3. *alleg.* 104. *n.* 2. *et in Concil. Trid. cit. sess.*
95 25. *c.* 18. *n.* 5. Excommunicantur et ii, qui san-
ctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem
veli accipiendi, vel voti emittendi quoquomodo
sine justa causa impedierint: Conc. Trident. *l. c.*
96 Dictam tamen excommunicationem latam a Con-
cilio Trident. *cit. sess.* 25. *cap.* 18. contra cogen-
tes ad Religionem, vel ad Professionem emitten-
dam, seu ab ipsa retrahentes mulieres, non incur-
runt sic cogentes, aut retrahentes viros, ut de
Communi tradunt Barbos. in *dicta sess.* 25. *c.* 18.
n. 6. Bonac. *tom.* 1. *de Excomm. disp.* 2 *quaest.*
6. *punct.* 2. *n.* 15. Passerin. *de statib. hom. tom.*
3. *quaest.* 189. *art.* 9 *n.* 24. Don. *tom.* 2. *p.* 2.
tract. 1. *de recipiend. ad Habitum qu.* 12. *n.* 4.
Monac. *tom.* 3. *tit.* 1. *form.* 36. *n.* 9. Sanchez
tom. 1. *decal. l.* 4. *c.* 4 Suar. *tom.* 5. *de Censur.*
disp. 25. *sect.* 7. *n.* 8. Rodriquez *tom.* 3 *qq. Re-*
gular. q. 14 *art* 3. et alii passim. Attamen sic
97 cogentes, vel retrahentes viros, graviter peccant,
et possunt ab Ordinariis puniri juris remediis, i-
dest Censuris, ut pluries respondit *Sacra Congr.*
Concilii, et signanter in Hispalen. 23. *Septembris*
1690. ibi: « Archiepiscopus procedat ad Censu-
ras contra Patrem, si adhuc vivat »; 26. *Septem-*
bris 1690. Ibi: « Archiepiscopus procedat contra
Matrem cogentem prout de Jure »; *in Mediola-*
nen. 7. *Februar.* 1700. Ibi: « Ordinarius proce-
dat juris remediis contra Patrem cogentem ».
98 Professio Regularis varios habet, et sortitur ef-
fectus respectu Religiosor. eam emittentium. Pri-
mo, per Religiosam Professionem confertur Pro-
fesso perfectissima remissio omnium peccatorum,
tam quo ad culpam, quam quo ad poenam; Dum-
modo tamen profitens sit in statu gratiae: *Com-*
munis, cum S. Thoma 2. 2. *q.* 189. *art.* 3. *ad*
Tertium, Rodriq. *tom.* 2. *q.* 88. *art.* 1. Layman
lib. 4. *tr.* 5. *cap.* 11. *n.* 1. Reiffenstuel *loc. c. n.*
187. Miranda *tom.* 1. *q.* 25 *art.* 8. *arg.* c. *Quis*
aliquando 87. § *His Auctoritatibus d.* 1. *de Poeni-*
tentia; ubi dicitur, quod ingredientes Religionem
nulla amplius pro commissis criminibus poeniten-
tia sit injungenda; et concordat *Novell.* 5. ubi
Justitianus Imperator *in princip.* sic expresse di-
cit: « Conversationis Monachalis vita sic est hone-
sta, sic commendare novit Deo ad hoc venientem
hominem, ut omnem humanam ejus maculam de-
tergat » :ubi Glossa verb. *Maculam* explicat, idest
purgat a peccatis. Unde Sancti Patres, ut S. Hie-
ronymus *Epistol.* 8. *et* 25. S. Bernandus *lib. de*
praecepto, et dispens. ad finem, Professionem communiter vocare solent *secundum Baptisma*; Et Paulus V. inter alios Summos Pontifices, Constit. incip. *Romanus Pontifex*, expresse concessit Indulgentiam plenariam omnibus Regularem Professionem emittentibus. Immo S. Bernardinus Senensis in *Quadragesim. tract.* 2. *serm.* 24 *art.* 1. Pellizzarius *tom.* 1. *tract.* 3. *c.* 4. *n.* 12. Sa *verb. Religio n.* 17. Carthus. in *Opuscul. de Profession. Mon.* Paulus Mezeger *tract.* 8 *disp.* 39. *art.* 5. *n.* 4. et alii contra Sanchez, addunt hanc plenariam omnium peccatorum remissionem obtineri, quoties Religiosus Professionem suam renovat, etiam privatim. Et novissime Clemens XII. die 30. Martii 1735. Constit. incip. *Cum sicut*, expresse concessit Indulgentiam plenariam omnibus Religiosis nostri Franciscani Ordinis, qui confessi, et Sacra communione refecti Professionem suam quomodocumque renovaverint quotannis *die* 16. *Aprilis*, in qua S. P. N. Franciscus una cum sociis suis anno 1209. Professionem emisit in manibus Innocentii III. et dicta Constitutio, ut ab omnibus in promptu habeatur, hic ad litteram datur.

Indulgentia plenaria perpetua pro omnibus Religiosis, qui die 16. *Aprilis Professionem suam renovaverint.*

CLEMENS PAPA XII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

« Cum, sicut dilectus filius Josephus Maria ab Ebora Commissarius Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, Fratres quorumcumque Conventuum dicti Ordinis Professionem Regularem die 16. Mensis Aprilis, qua die S. Franciscus de Assisio ejusdem Ordinis Fundator, una cum suis sociis Professionem hujusmodi in manibus fel. record. Innocentii III. Praedecessoris Nostri, ut fertur, omisit, quomodolibet singulis annis renovare consueverint; Nos, ut opus tam pium majori cum fructu fiat, et ad augendam eorumdem Fratrum devotionem, et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae Thesauris pia caritate intenti, omnibus, et singulis quorumcumque Conventuum Fratribus Ordinis praefati praesentibus, et futuris vere poenitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui praedicta die 16. Mensis Aprilis Professionem praefatam quomodolibet renovaverint, ut praefertur, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii

publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Dat. Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 30. Martii 1753. Pontificatus nostri anno 5. »

F. CARD. OLIVERIUS.

99 Secundo, Professio Religiosa extinguit omnia vota prius emissa: *Communis*, textu expresso in *cap. Scriptura* 4. *de voto, et voti redemptione*, ibi: « Reus facti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religio-
100 nis observantiam commutare ». Et hoc, etiamsi quis voverit aliam Religionem etiam strictiorem intrare, textu expresso in *cap. Qui post votum* 5. *de Regularibus in* 6. ubi etiam assignatur ratio, ibi: « Qui post votum a se de certa Religione intranda emissum, Religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, et profitetur in ipsa, potest (voto non obstante, cui tamquam simplici per votum solemne noscitur derogatum) manere licite in eadem; Pro voto tamen non completo erit eidem poenitentia imponenda ».

101 Tertio, Professio Religiosa aufert Irregularitatem ex natalium defectu provenientem in ordine ad suscipiendos Sacros Ordines, ita ut etiam Spurii in Religione aliqua professi ad Sacros Ordines, absque alia dispensatione promoveri possint. Non possunt tamen absque Sedis Apostolicae dispensatione promoveri ad Praelaturas, vel Dignitates Ecclesiasticas: *Communis*, textu expresso in *cap. Ut filiis* 1. *de Filiis Praesbyterorum*, ibi: « Ut Filii Presbyterorum, et ceteri in fornicatione nati ad Sacros Ordines non promoveantur, nisi, aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica Regulari viventes; Praelationem vero nullatenus ha-
102 beant ». Aliae autem Irregularitates non auferuntur per Professionem Religiosam, ut cum communiori, et probabiliori docent Rodriquez *tom.* 1. *quest.* 13. *art.* 3. Layman *loc. cit.* Sanchez *lib.* 5. *mor. cap.* 5. *n.* 9. Pelizzar. *loc. cit. n.* 33. Reiffenst. *l. c. num.* 189. Rebuffus, Navarrus, Henriquez, Suarez, et alii; Textus enim *in cit. cap. Ut filii Presbyterorum*, loquitur de illa sola, et nulla alia, et quidem ad solum effectum suscipiendi Sacros Ordines. Si enim voluisset extendere etiam ad alias Irregularitates, expressisset: quod enim voluit, expressit, *arg. cap. Inter corporalia* 2. *de translatione Episcop. §. sed neque istud*, c. *Quia circa* 22. *de privileg. et cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis*. Unde cum Jura ad alias non extendant, neque nos cum Jurium correctione extendere debemus; *arg. c. Quae a Jure* 28. *de Regul. Juris in* 6. ibi: « Quae a Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda ».

103 Quarto, Professio Religiosa dirimit non solum Sponsalia, sed etiam Matrimonium jam contractum, et nondum consummatum: *Communis*, textu expresso in *cap. Verum* 2. *cap. Ex publico* 7. *et capit. Ex parte* 14. *de conversione Conjugatorum*. Estque definitum a Concilio Tridentino *sess.* 24. 104
de Matrimonio, *Canon.* 6. ibi: « Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit ». Et in hoc Votum solemne Professionis differt a Voto solemni Ordinis Sacri; cum hoc dirimat solum Matrimonium contrahendum, seu sponsalia, et nullatenus Matrimonium jam contractum, licet nondum consummatum: *Communis*, ob claram dispositionem Joann. XXII. in Extravagant. *Antiquae concertationi, Unic. de Voto, et Voti redemptione:* ibi: « Antiquae concertationi finem cupientes imponere, ac animarum periculis inde provenientibus salubriter providere, de Fratrum nostrorum consilio praesenti declaramus Edicto, quod licet Votum solemnizatum per Sacri susceptionem Ordinis quantum ad impediendum matrim. contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta Canonum sit efficax reputandum; ad dissolvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec Jure Divino, nec per Sacros Canones reperiatur hoc statutum, invalidum est censendum ».

Quinto, Professio Religiosa tollit maculam quo 105
ad actus temporales, ita ut, qui ante Professionem ratione perjurii, furti, et hujusmodi ineptus erat ad ferendum testimonium in Judicio, per Professionem rehabilitetur, et aptus reddatur ad ipsos, et similes actus, ut colligitur ex *Novell.* 5. ubi Justinianus Imperator sic expresse dicit; « Conversationis Monachalis vita sic est honesta.... ut omnem humanam maculam detergat ». Idque docet Glossa communiter recepta *in cap. Cum deputati* 16. *de Judiciis verb. Nationis in fine*, Abbas *ibidem in fine*, Sanchez *loc. cit. n.* 27. Layman *loc. cit. n.* 4 Reiffenstuel *loc. cit. n.* 192. et alii passim.

Sexto, Professio Religiosa liberat Professum a 106
patria potestate: Glossa communiter recepta *in l. Si ex causa* 9 §. 4. *De Minoribus*, Pirhing *l.* 3. *Decretal. tit.* 31. *n.* 141. Reiffenstuel *ibid. n.* 191. Sanchez *lib.* 5. *moral.* c. 5. *n.* 20. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 10. *n.* 5. et alii passim. Professus enim a die Professionis transit omnino in potestatem Superiorum Regularium, et consequenter a Patria potestate eximitur; Non tamen in iis, quae in damnum Religiosi cedere possunt, quia, ut habetur *in c. Quod ob gratiam* 16. *de Regul. Juris in* 6. ibi: « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum »; Unde Professus retinet Jura sui status, et successionis, et si post Professionem Filio bona obveniant, ad peculium quasi castrense reducuntur: *Authentic. Presbyteros*, *Cod. De Episcop. et Cleric.*

Septimo, Professio Religiosa tollit Filii ingra- 107
titudinem erga Parentes, ita ut, si proles post da-

tam exheredationis causam Monasterium ingrediatur, et in ipso profiteatur, ipso Jure exheredatio cesset, quamvis reconciliatio subsecuta non sit, prout docent Covarruvias *de Testament. cap.* 16. *n.* 28. Abbas *volum.* 2. *consil.* 7. Felinus *in cap. Rodulphus, de Rescriptis*; Glossa *in l. Deo nobis, Cod. de Episc. et Cler. arg. cap. Non liceat* 10. *caus.* 19. *qu.* 3. ibi: « Non liceat Parentibus liberos, vel liberis parentes ab hereditate repellere Monachos factos, quamvis, dum laici fuerint, in causam ingratitudinis inciderint »; *Novel.* 123. *cap.* 41. ibi: « Nullam vero licentiam damus, aut Parentibus Filios, aut Filiis Parentes saecularem vitam sectantes, et relinquentes, velut ingratos a sua excludere hereditate, Monasterium, aut Monasticam vitam subsequutos ».

108 Regulares non tenentur ratificare suam Professionem coram Episcopo ante susceptionem Sacrorum Ordinum; non obstante, quod id fuerit demandatum in pluribus Conciliis Provincialibus, et Synodis dioecesanis; Cum enim in Concil. Rom. sub recolendae memoriae Benedicto XIII. anno 1725. celebrato, fuerit quaesitum aliquod medium ad retrahendos Regulares ab impugnatione propriarum Professionum, circa quas in forensibus judiciis saepissime succumbunt; re mature perpensa a particulari Congregatione, non fuit approbatum temperamentum istud, ut obligarentur Religiosi ante susceptionem Sacrorum Ordinum ad ratificandas eorum Professiones, mediante formula impressa in Appendice ad Synodum Fulginatens. Episcopi Baptistelli fol. 153. vel alia simili forma, ut refertur in Folio Congregationis Concil. in Policastren. 24. Augusti 1726. his verbis: « Qua potissimum de causa in ultima Synodo Romana non fuit determinatum, quod Regulares ante receptionem Sacrorum Ordinum Professionem ratificarent; licet in plerisque Synodis, et signanter Mediolanensibus sub S. Carolo Borromaeo, id fuerit statutum; et in Contradictorio partium admissum fuerit a Congregatione particulari super examine ultimae Synodi Fulginatensis. Sic apud Ursayam *tom.* 6. *part.* 2. *disceptat.* 32. *n.* 114. qui *tom.* 1. *part.* 1. *discept.* 1. *a n.* 55. *ad* 58. *et discept.* 4. *n.* 42. plura refert decreta.

109 Et hoc omni fundamento rationis, et juris; quia cum talis ratificatio Professionis esset praecise facta, ut imperata ad suscipiendos Sacros Ordines, non esset voluntaria, sed necessaria, et strangulatoria, adeoque nullam haberet vim validandi invalidam Professionem, ut in fortioribus terminis Constitutionum diversarum Religionum a Summis Pontificibus approbatarum, et praecipientium annualem ratificationem, seu renovationem Professionis, pluries resolvit *Sac. Cong. Concil.* et signanter, in *Lingonien.* 12. *Aprilis et* 30. *Decemb.* 1698. ubi adducta fuit eadem ratio his verbis: « Perchè essendo detta ratifica necessaria, e di Regola, non può dirsi approvazione volontaria », prout ad valorem Professionis requiritur. Et sic etiam *in Cephaluden.* 4. *Feb.* 1699. *in Mantuana* 9. *Julii* 1701. *in Melevit.* 8. *Augusti* 1701. *et in Viennen.* 26. *Jan.* 1721. *et* 8. *Febr. ac* 12. *Septemb.* 1721. *apud Thesaurum Resolution. Sac. Cong. Concilii tom.* 2. Unde in supradicto Concilio Romano *tit.* 21. *de Regularibus cap.* 1. fuit solum statutum, quod Regulares ad Subdiaconatum promovendi, authenticum Episcopis testimonium de solemni emissa Professione, et Exercitiis spiritualibus factis exhibeant, ibi: « Antiqua cum sit Ecclesiae consuetudine inductum, et Apostolicis Constitutionibus probatum, ut Regulares tantummodo, quibus gloriosum est mendicare, non alio, quam paupertatis, seu professae ab eis approbatae Religionis titulo, sacris possint Ordinibus initiari; attendant Episcopi, ne Regularium quempiam ad Subdiaconatus Ordinem promoveant, si initiandus ipse, ut exploratius de requisito valeat Ordinationis titulo constare, expressam de solemni per eum emissa Regulari Professione, proprii non secum attulerit fidem Superioris, deque praeviis Exercitiis spiritualibus peractis attestationem non exhibuerit, una postmodum cum Dimissoriis Litteris servandam in Archivio Episcopali ».

Additur attendenda sequens Resolutio. 110

« Decretum Editum In Sicula Restitutionis in integrum, et Nullitatis Professionum ».

Cum plures Religiosi Regularium Ordinum Regni, et Provinciae Siciliae a Religione egressi vigore sententiarum super nullitate eorum Professionis minus legitime obtentarum, Sacrae huic Congregationi Concilii preces direxerint pro facultate Missam celebrandi, quippe qui suspensionis poena obstricti remanserunt ex defectu congrui Patrimonii, tria hac occasione in quibusdam Siciliae Dioecesibus ex ipsis etiam ejusdem Regni Ordinariorum relationibus contra Sacri Concilii Tridentini praescriptum nulliter, et vitiose peragi detectum fuit. Primum est, quod Ordinarii locorum de asserta Professionis nullitate post elapsum quinquennium, praecipue si recurrentes ad reclamandum intra idem quinquennium legitimo impedimento detenti non fuerint, non indulta ab Apostolica Sede Restitutione in integrum, quorumdam Doctorum opinionibus, alioquin reprobatis, innixi, praesumant agnoscere, Sententiam de illa ferentes, et inter eos, praesertim Episcopus Cataniensis, asserto quodam privilegio, sive immemorabili illius Curiae consuetudine suffultus, praetendit, sententiam Nullitatis Professionis dicere posse tum intra, tum post elapsum quinquennium ab ejus emissione, et sive Regulares ab illa reclamantes vota emiserint in ejus Dioecesi, sive in aliena, dummodo in aliquo ejusdem Dioecesis loco, et Conventu, dum reclamant, ex Obedientia fuerint constituti. Secundum, quod ab eisdem Ordinariis, tam exacto jam quinquennio, quam illo adhuc decurrente, eduntur sententiae invalidam declarantes Professionem, Superioribus Conventuum, in quibus Professio emissa fuit, non audi-

tis. Et tertium denique, quod ipsi etiam Superiores Regulares super asserta nullitate Professionis, nec habito, nec requisito Ordinarii loci judicio, aliquando sententiam pronunciant. Quae quidem omnia cum aperte repugnent non solum notissimae Tridentinorum Patrum dispositioni sub *cap.* 19. *sess.* 25. *de Regular.*, verum etiam iteratis Sacrae hujus Congregationis resolutionibus, idcirco ne deinceps tot consultissima decreta amplius violentur, Eminentiis VV. deliberandum proponitur.

An. et quomodo sit providendum in casu etc.

Die 24. Septembris 1740. Sacra Congregatio. Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit: « Providendum juxta modum a Domino Secretario explicandum, facto verbo cum Sanctissimo ».

111 Modus autem est, quod scribatur Episcopo Catanensi, aliisque Praesulibus Provinciae Siculae, nullum Episcopum, sive Ordinarium, inaudito Superiore Regulari Conventus, in quo fuit emissa Professio, neque ullum Superiorem Regularem independenter ab Episcopo, vel Ordinario posse, sub poena privationis Officii, et vocis activae, et passivae ipso facto incurrenda. Causas Nullitatis Professionis cognoscere, sed eas conjunctim ab iisdem Episcopo, vel Ordinario loci, ac Superiore Regulari esse decidendas, sive Professionis invaliditas a Religiosis, sive ab ipsa Religione ex quocumque capite proponatur. Restitutionem vero in integrum adversus lapsum quinquennii, quod a die Professionis decurrit, etiamsi perduraverit causa metus, aut aliquod aliud impedimentum fuerit ad reclamandum interjectum, a S. Sede omnino esse impetrandam juxta Decreta alias edita, non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, et quolibet asserto Privilegio. Religiosos autem, de quibus agitur, et quorum Professio contra formam Sacri Concilii declarata fuit invalida, teneri intra terminum unius anni resumere habitum, et ad Claustra redire, tam pro obtinenda a S. Sede restitutione in integrum, quatenus illa indigeant, quam pro instituendo judicio servatis servandis super nullitate suae Professionis, quatenus hanc velint deducere, eoque termino elapso, si non paruerint, habendos esse tamquam Apostatas; et tandem quoad licentias ab ipsis petitas celebrandi, firma pro nunc manente eorum suspensione, seorsim deinceps providebitur, juxta singulorum preces, et circumstantias. Hanc vero resolutionem significandam esse Procuratoribus Generalibus Ordinum, qui Superiores locales de illa moneant, et Sacram Congregationem de executione certiorem reddant: Factaque de praemissis per infrascriptum Secretarium relatione Sanctissimo, Sanctitas sua praedictam Sacrae Congregationis sententiam in omnibus approbavit die 28. Septembris 1740. Sic expresse habetur ad calcem Tomi 9. Thesauri Resolutionum Sacrae Congregationis Concilii, quae exaratae fuere ab undequaque Dignissimo Eminentissimo, et Reverendissimo Cardinali Cavalchino, tunc ejusdem S. Cong. Secretario, qui eruditissime suo more in dicta *Sicula* pag. 35. ad 45. ibidem impressa, plurima ad rem egregia documenta, et Decreta adducit merito ibi videnda.

Alia ad rem, Vide verb. *Habitus*, *Metus*, *Mo-* 112
niales art. 1., *Novitius.*

Professio in Ordine Regulari strictiore emissa 113
ab eo, qui antea in laxiori professus fuerat, pendente judiciali oppositione priorum Superiorum, valida, aut invalida censenda erit, prout sententia pro una, aut altera parte emanaverit: Benedictus XIV. tom. 2. Constitution. 25. incip. *Ex quo.*

Pro impugnanda validitate Professionis Regu- 114
laris attendenda est ejusdem Pontificis novissima
Constitutio 47. incip. *Si datam*, in qua varia sta-
tuit. Primo, quod reclamatio adversus Professio- 115
nem factam per vim, et metum, aut ante debitam
aetatem, fiat intra quinquennium tantum a die
professionis coram Superiore suo, et Ordinario
juxta Decretum Concilii Tridentini, et hoc sive
agatur de professione Regularium, sive Monialium:
Quod aeque procedit in casu actionis intentatae
ex parte Religionis. Secundo, quod actio serio in- 116
tentata intra quinquennium, licet deserta, adhuc
post elapsum dictum quinquennium, judicanda sit
ab Ordinario, et Superiore Regulari: Et Superior
Regularis sit Superior localis illius Monasterii, in
quo reclamans professionem emisit, et quidem ac-
tualis, quo tempore causa super nullitate profes-
sionis in judicium deducitur, et quo ad Moniales
Superior sit ille, cui concreditum est Monasterii
regimen, non autem Confessarius; at pro Monia-
libus Ordinario subjectis, solus ipse intra quin-
quennium de professione reclamantium judicet.
Tertio, quod si Superior Regularis tale judicium 117
assumere nolit, aut non possit, vices suas delega-
re valeat alteri, vel Regulari, vel etiam Ecclesia-
stico saeculari juris Canonici perito, qui una cum
Ordinario Judicis partes exerceat, nec possit jus
suum cedere Ordinario loci, ut solus procedat. Et
quod disceptantibus inter se judicibus, causa cen-
seatur ad Sedem Apostolicam devoluta. Quarto,
quod ad eamdem Sedem Apostolicam, seu Sacram 118
Congregationem Concilii privative spectet causa
professionis emissae extra Conventus pro Novitia-
tu assignatos. Quinto, quod nullus Regularis ad- 119
versus suam professionem reclamare possit, nisi
intra Religionis suae claustra existat, et habitu
Regulari reassumpto, si ipsum antea deposuerit.
Sexto, quod sub poena nullitatis judicium inniti 120
debeat rigorosis probationibus, ac processibus ju-
dicialibus, et testes examinandi sint, et super ar-
ticulis a reclamante exhibitis, et juxta interroga-
toria danda ab altera parte, nec non citentur de-
fensores Monasterii, in quo fuit professio emissa,
et omnes interesse habentes.

Septimo, quod in singulis Dioecesibus deputa- 121
tur ab Ordinario aliquis probitate, et doctrina

commendatus, sive Regularis, sive Ecclesiasticus Saecularis, juxta disposita pro defensore Matrimonii, cui *Defensoris Professionum* munus imponat, ac ei pro honorario, aut mercede, et pro expensis ad id necessariis assignet, quod Judex prudenter arbitratus fuerit exsolvendum ex bonis a Professo renunciatis in Religionis ingressu, si quae habuerit, aut in defectu, id suppleat ipsa Religio, si sit bona temporalia possidens; Si autem non adsint bona renunciata, nec ipsa Religio bona possideat, tunc defensori professionis satisfiat ex pecuniis mulctarum illius Tribunalis, in quo causa agitata fuerit, sive alterius, prout statuit de Matrimonii defensore in Constit. incip. *Dei miserationis*.
122 Octavo, quod lata sententia a Superiore Regulari, et ab Ordinario loci, si ipsa pro validitate professionis fuerit, nec Professus ad Judicium secundae instantiae appellaverit, vel etiam ulterius eadem causa retractanda fuerit, in omnibus hisce judiciis mandat, defensorem professionis ex Officio deputatum semper adesse, et a prima sententia pro nullitate lata semper appellare debere, prout
123 statuit de Defensore Matrimonii. Nono, quod sicuti constituit legitimas poenas adversus eos, qui post unicam sententiam pro prioris Matrimonii nullitate, sive pendente appellatione, sive ea per incuriam, aut fraudem defensoris non interposita, ausi fuissent novas nuptias contrahere, atque decrevit nemini licere ad altera vota transire, nisi duae saltem sententiae conformes pro nullitate prioris Matrimonii emanaverint; ita si quis Professus post unicam sententiam pro nullitate suae professionis pronunciata, sive pendente, sive omissa culpabiliter appellatione a Religione exire, ac habitum Regularem abjicere praesumpserit, statuit eum subjacere omnibus poenis, atque censuris a sacris Canonibus, et a Constitutionibus Apostolicis latis, atque sancitis, decernendo numquam posse Professum a Religione discedere, nisi duas saltem sententias conformes pro nullitate suae professionis obtinuerit.

124 Decimo, quod, sicuti supra dictum est, Judices primae instantiae super validitate professionum intra quinquennium judicialiter impugnatarum esse debeant Superior Regularis, simulque Ordinarius loci: Si vero eaedem causae in secunda, aut ulteriori instantia sint discutiendae, devolvantur ad quos de jure ab Ordinariorum sententiis appellatur, ita tamen, ut hi quoque judices procedere, et judicare debeant una cum Superiore Regulari, non quidem illius Monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius Monasterii ejusdem Ordinis in eorum Civitate, aut Dioecesi existentis, vel eo non existente, cum Superiore viciniοris Monasterii ejusdem pariter Ordinis, seu cum alia persona Ecclesiastica, cui juxta praemissa Superior ille, ad quem pertinet, suas vices ad hunc effectum delegaverit. Si autem hujusmodi causae in secunda, aut ulteriori instantia ad Sedem Apostolicam devolvantur, et a praedicta Congregatione Concilii, sive ab altera Episcoporum, et Regularium, aut denique ab Auditoribus Rotae, ut respective assolet, discutiendae fuerint, nullus sit locus ad judicandum Superiori Regulari, qui neque tunc ad ferendam sententiam admittitur, cum, ut supra dictum est, agitur, etiam intra quinquennium de professione emissa in Monasterio pro Novitiatu minime designato. Undecimo, quod praemissa locum habeant etiam in Curia Eminentissimi Cardinalis Vicarii pro tempore in Urbe, ejusque districtu. 125

Duodecimo, quod elapso quinquennio, remedium restitutionis in integrum ad Sedem Apostolicam privative pertineat, sive ex parte Professi, sive ex parte Religionis hujusmodi instantia proponatur; Si autem quandoque a Sede Apostolica ejus concessio inferioribus judicibus delegetur, ii non nisi praevio processu, et maturo examine cum assistentia defensoris professionis in utroque ad id procedere debeant, nec una eorum resolutio favorabilis pro restitutione in integrum sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato causae examine, auditoque semper defensore professionis, confirmata fuerit, et reclamans remanere debeat in Religione, donec praeviis duabus conformibus resolutionibus pro restitutione in integrum, sententia super nullitate professionis ab ipsis, ut supra delegatis Superiore Regulari, et Ordinario loci legitime lata fuerit. Reprobando interim praxim illorum Superiorum, qui reclamantibus adversus professionem sive intra quinquennium, sive post ejus decursum, contradictores se non exhibeant, aut etiam aperte suffragentur. Tertiodecimo, quod Episcopi justis, gravibusque poenis procedant contra inferentes vim, et metum, et ad id consilium, auxilium, vel favorem dantes; et quod Judices ad exactam justitiae lancem omnia ad id facientia expendant, ac numerum, et qualitatem testium, aliasque omnes circumstantias sedulo animadvertant, eis districte praecipiendo, ut in cunctis ad eorum officia pertinentibus, a justitiae tramite, et a praescriptis sibi legibus ne minimum quidem discedant; ac meminerint omnium, quaecumque gesserint, severissimam sibi rationem tum apud Divinum Judicem, tum apud homines fore reddendam. 126 127

ADDITIONES CASINENSES

Operae pretium facturos esse ducimus, si memoratam hic supra Benedicti XIV. Constitut. incip. *Si datam*, super nullitate professionis Regularium, heic ad litteram afferamus; estque porro hujusmodi.

DE ORDINE SERVANDO IN CAUSIS SUPER NULLITATE PROFESSIONIS REGULARIS.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

« Si datam hominibus fidem frangere, conventionesque eas, quae ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere, ac violare non licet; multo magis necesse est obligatum Deo mentis propositum immutabiliter servari, Nosque praesertim, utpote Sacrarum Legum Custodes a Deo constitutos, oportet earum pactionum, quae Divino, et Ecclesiastico Jure indissolubiles sunt, perpetuam firmitatem, et observantiam asserere. Eam ob rem jam usque ab anno Incarnationis Dominicae 1741. Pontificatus nostri II. Apostolicas Litteras dedimus, incipientes, *Dei miseratione*, in Bullario nostro deinde editas *tom.* 1. *n.* 83. quibus certum praescripsimus ordinem in Tribunalibus Ecclesiasticis servandum, quum in ipsis discuti, et definiri deberent causae, in quibus de nullitate alicujus matrimonii contracti ageretur; non eo quidem consilio, ut si quod forte matrimonium cum impedimento aliquo dirimente initum fuisset, de illius nullitate judicium postulari, aut fieri prohiberemus; sed ut in hoc gravissimo judicii genere, in quo de Sacro Connubiorum foedere agitur, pleniori veritatis elucidationi consuleremus; atque judices, non sine certissima cognitione omnium, quae ad rem maxime conducunt, hujusmodi vinculum ex tot rationibus insolubile, sententiis suis, tamquam irritum ab initio, dissolverent. Cujus quidem Constitutionis utilitas, Deo favente, ad hunc diem aperte comprobatur; quum ex eo tempore neque tot causae super praetensa Matrimoniorum nullitate in Tribunalibus pendeant; nec tam frequenter, ut antea, Nobis exhibeantur preces pro obtinendis dispensationibus super Matrimonio rato, et nondum consummato; dum scilicet ante omnium oculos propositae sunt difficultates paullo quidem majores, sed omnino justae, quae et novo ordine a Nobis statuto, cuilibet superandae se offerent, antequam optatum finem assequatur ».

« Quemadmodum itaque pro Matrimoniis carnalibus a Nobis provisum fuit, ita nunc de spiritualibus animarum nexibus, de Religiosis videlicet utriusque sexus Regularium Professionibus, pari ratione statuere decrevimus: nimirum certam normam, ac methodum tradere, quam observare debeant judices Ecclesiastici, quoties judicia super nullitate Professionum in aliquo Ordine Regulari a Sede Apostolica approbato factarum, coram ipsis agitari contingat; neque id quidem ad hunc finem, ut aditus intercludatur iis, qui justis de causis hujusmodi actiones intentare velint, ac postulent, Professionem a se factam ex capite Nullitatis, irritam declarari; sed ut ipsi judices rerum veritatem in specie dignoscere, suasque sententias indubiis fundamentis innixas proferre valeant; ac ne unquam ex ignorantia factorum, aliquem decernant solutum vinculo, dum is forte, valida solemnium votorum Professione emissa, Religioso Ordini, cui nomen dedit, reipsa maneat adstrictus. Qua ex methodo a Nobis tradenda hunc fructum similiter obventurum speramus, ut et rariores in posterum in Tribunalibus futurae sint causae super praetensa Professionum nullitate; et qui deinceps hujusmodi nullitatis declarationem in foro externo obtinuerint, et consequenter a Religione discesserint, non amplius anxia, aut male tuta conscientia vivant, ac propterea ad Nos, aut ad Officium Poenitentiariae Nostrae Apostolicae, ut non semel evenisse novimus, confugere cogantur, occultato (ut moris est) in precibus nomine, fatentes sententiam super Professionis nullitate pravis artibus extortam a se fuisse, decepto judice, vel per mendacia in facti expositione adhibita, vel per corruptos testes; ideoque efflagitantes, ut ex gratia, et dispensatione Apostolica, facultas manendi in saeculo ipsis indulgeatur ».

« Ut autem ordinate procedamus, distinguendum initio est inter Regulares illos, qui intra quinquennium a die factae Professionis, de illius nullitate actionem promovent: et eos qui post elapsum quinquennium reclamant. Quod ad priores attinet, celebre est de illis Decretum Sacrae Tridentinae Synodi, *sess.* 25. *de Regular. cap.* 19. in haec verba: *Quicumque Regularis praetendat, se per vim, et metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante aetatem debitam professum fuisse, vel quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram Superiore suo, et Ordinario.* In quo sane Decreto, licet in littera, virorum Regularium dumtaxat mentio fiat, nihilominus etiam foeminae Religionem professae comprehenduntur; quum ex Regulis juris, masculinum genus etiam foeminiuum includat, ubi una, eademque causa pro foeminis aeque ac pro masculis militat. Quamvis autem Decreti verba satis clara sint, variae tamen quaestiones circa eorum sensum, ac vim excitatae fuerunt ».

« Quum etenim ibi sermo dumtaxat sit de Regulari professo, qui suam professionem nullam fuisse contendat: *Quicumque Regularis praetendat, se per vim, et metum ingressum fuisse Religionem etc.* nihil vero expresse statuatur de ipsa Religione, cuius aliquando interest alicuius alumni sui Professionem irritam declarari; ut si quis exempli causa, comperiatur occultum aliquod impedimentum non revelasse, de quo interrogatus fuerat, adjecta declaratione, quod, eo forsan existente, at non patefacto, ipsius admissio a Reli-

gione minime rata habenda foret; hinc dubitatum fuit, an in hujusmodi casu solus Superior Regularis sine Ordinario procedere posset, an vero etiam in hac facti specie discutienda esset causa coram Regulari superiore simul, et Ordinario loci. Super quo Congregatio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ad ipsius Concilii Tridentini interpretationem ab Apostolica Sede deputatorum constanter decrevit, causas hujusmodi super nullitate professionis, tam a Regulari professo, quam a Religione intra quinquennium in judicium deductas, et a Superiore Regulari, et ab Ordinario loci simul cognoscendas esse ».

« Quum item quinquennium, intra quod admittitur reclamatio adversus Professionem, Sancta Synodus computandum voluerit a die professionis; cumque potior, atque communior causa, quae pro nullitate Professionis adduci solet, in metu consistat; metus autem per totum quinquennium, atque etiam ulterius, aliquando perseveret, quaesitum fuit, an, ubi de metu agitur, initium quinquennii desumendum sit ab ipso die Professionis emissae, an vero a die, quo Professus liberam reclamandi facultatem habere coepit. Eadem vero Congregatio declaravit, in utroque pariter casu, concessum quinquennii tempus a die emissae Professionis esse computandum ».

« Ad idem pariter quinquennium pertinet alia agita quaestio, an scilicet praedicti Ordinarius, et Superior Regularis cognoscere possint Causas nullitatis Professionis etiam post ipsum quinquennium, ubi nempe Professus intra illius decursum reclamavit, sed judicium prosequi deinde neglexerit, aut nequiverit. Decretum est autem ab eadem Congregatione, coram praefatis Judicibus a Concilio memoratis agendam esse causam, etiam post elapsum quinquennium, dummodo satis constet, eam intra praescriptum tempus a reclamante serio intentatam fuisse ».

« De ipsis autem Judicibus pro hujusmodi causarum cognitione a Sancta Synodo designatis, per ea verba, *coram Superiore suo, et Ordinario*, complures similiter motae sunt quaestiones, quae majori eorumdem verborum elucidationi causam dederunt. Et primo quaesitum fuit, quisnam censendus esset Superior Regularis in casu, et ad affectum, de quo agitur; utrum scilicet Provinciae Rector, an Generalis Ordinis Moderator; Congregatio autem ejusdem concilii Interpres definivit, esse Superiorem localem, nimirum Abbatem, vel Guardianum, sive Priorem, aut alio quocumque nomine nuncupatum Praepositum, seu Rectorem illius Monasterii, aut Coenobii, in quo reclamans Professionem emisit; eum nempe, qui hujusmodi Monasterii, aut Coenobii regimen exercet, quo tempore Causa super nullitate Professionis in judicium deducitur. Quaesitum item fuit, quisnam Monialium proprius Superior dicendus sit ad affectum judicandi una cum Ordinario de earum Professionis nullitate. Responsum fuit, quod si agatur de Monialibus Ordinario Loci immediate subjectis, tunc, quum nullus sit earum Superior Regularis, solus Ordinarius judicat de Professione reclamantium intra quinquennium: Si vero Moniales Regularium regimini subsint, tunc hujusmodi Causae judicandae sunt ab Ordinario loci simul, et a Superiore Regulari; ab eo nimirum, cui concreditum est universum Monasterii regimen, non autem a Confessario Regulari Monialium. Dubitatum est etiam, utrum Superior Regularis jus suum cedere possit Ordinario Loci, eique permittere, ut in hujusmodi Causis solus procedat, et judicet; Id autem praedicta Congregatio fieri posse negavit; permisit tamen Superiori Regulari, ut si judicium assumere nolit, aut non possit, alium subrogare valeat vel Regularem, vel etiam Ecclesiasticum Saecularem juris Canonici peritum, qui una cum Ordinario Judicis partes exerceat. Denique quaesitum fuit, si forte Ordinarii, et Superioris Regularis judicia inter se discrepantia extiterint, quodnam ex ipsis praevalere debeat: At in hoc casu responsum fuit, Causam ipsam ad Apostolicae Sedis judicium devolutam censeri ».

« Quum vero inter capita nullitatis Professionem Regularem irritantia, unum etiam numeretur, si nempe aliquis Professionem emiserit in Coenobio ad Novitiorum institutionem minime destinato, in iis tamen locis, in quibus rec. mem. Praedecessor Noster Clemens Papa VIII. Decreta de Regularibus a se edita vim habere mandavit; si quis ex hoc capite Professionem a se factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam, si Religio intra idem quinquennium postulaverit alicujus Professionem ex hujusmodi capite irritam declarari; decretum extat a fel. record. Urbano Papa VIII, altero Praedecessore Nostro, justis, gravibusque de causis, ac de consilio praefatae Congregationis Concilii Tridentini Interpretis editum die v. Januarii Anni MDCXXXVI. incipien. *Ad occurrendum*, quo statutum fuit, hujusmodi Causas ad eamdem Congregationem privative pertinere. Haec sunt potiora in hoc genere Decreta ex Regestis praelaudatae Congregationis excerpta, quae licet alias a Predecessoribus Nostris Romanis Pontificibus Apostolica Auctoritate non semel approbata fuerint, et confirmata; Nos tamen eadem, praesentium Literarum tenore, atque Auctoritate simili, novo approbationis, et confirmationis Nostrae robore communimus, atque ab omnibus, ad quos spectat, seu respective spectabit, in posterum pro regula haberi, ac plenariae executioni demandari praecipimus ».

» Quibus ita constitutis, firmataque pertinentia Causarum, quae intra quinquennium a die Professionis emissae adversus illius validitatem introducuntur; consequens est, ut et ea indicemus, quae de ordine, ac methodo in hujusmodi judiciis servanda, a Majoribus sapienter constituta sunt; tum ea proferamus, quae Nos ipsi opportune addenda censuimus, quaeque pari auctoritate, ac praesen-

tium literarum vigore, perpetuis futuris temporibus servari volumus, et mandamus. Jam de ipsa hujusmodi Causarum introductione notum est Decretum ejusdem Concilii Tridentini *cit. sess.* 25. *cap.* 19. *de Regular.*, *ut si quis antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, et tamquam Apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suae Religionis juvetur.* Ex quo sequitur, Regularem postulantem judicium fieri de suae Professionis nullitate, ab ipso judicii limine repelli, nisi constet, eum in Religionis suae Claustris morari, et Habitum Regularem resumpsisse, si ipsum antea deposuerit ».

« De probationibus vero, licet non ignoremus, apud Superiores Regulares, Ordinariosque Locorum usu receptum fuisse, in re tanti momenti, judicia sua fundare extrajudicialibus attestationibus, quantumvis juramento firmatis, quae *ad perpetuam* dicuntur, hoc tamen de caetero usurpari prohibemus; volentes, atque districte mandantes, ut ad adstruendas probationes in hujusmodi Causis necessarias, verus, et judicialis Processus omnino conficiatur; in quo et Articuli exhibeantur ex parte illius, qui adversus Professionem agit; et Interrogatoria dentur ab ea parte, quae stat pro ipsius Professionis validitate; et Testes tam super Articulis, quam juxta hujusmodi Interrogatoria examinentur; utque, hac forma non servata, Processus ipse, et sententia dependenter ab eo prolata insanabili nullitatis vitio corruere censeatur; salva etiam dispositione juris communis, quo ad alia nullitatis capita, si quae forte in ipsa Processus compilatione intervenerint ».

« Sub eadem poena nullitatis decernimus, atque statuimus, ut in hoc judicio citari, et audiri debeant tum Defensores Monasterii, seu Caenobii, in quo Professus Vota Religiosa suscepit, tum ipsius Professi Consanguinei, sive propinqui, sive alii, quibus bona sua donavit, aut cessit; uno verbo omnes, quorum interest illius Professionem sustineri; in primis autem ii citentur (si superstites fuerint), qui indicati erunt tamquam Auctores, aut complices metus eidem incussi, ut Votis invitus se obstringeret. Quemadmodum vero in citata Constitutione Nostra, quae incipit *Dei miseratione*, decrevimus, ut in singulis Dioecesibus ab Ordinario deputari deberet aliquis probitate, ac doctrina commendatus, cujus officium esset in Causis Matrimonialibus in judicio stare pro validitate Matrimonii; ita nunc omnibus, et singulis Locorum Ordinariis committimus, et mandamus, ut personam aliquam similibus qualitatibus praeditam in suis respective Dioecesibus eligant, cui *Defensori Professionum* munus imponant; atque huic omnia demandata, injuncta, et respective applicata esse censeantur, quaecumque Nos in praecitatis Literis de Matrimonii Defensore statuimus; Nos enim eadem omnia, praesentium tenore, ad hujusmodi Professionum Defensores expresse extendimus, et respective applicamus, et quoad istos pari modo locum habere decernimus. Id solum peculiariter modo pro Defensore Professionis in praesentibus statuentes, ut scilicet quidquid pro ipsius honorario, aut mercede, sive pro expensis in defensione Causae occurrentibus, eidem praestandum esse Judex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exsolvi debeat, quibus a Professo renunciata fuerunt bona in Religionis ingressu dimissa; Si vero hi non existant, aut si Professus nihil renunciandum habuerit, ipsa Religio, quatenus ex illis sit, quae temporalia bona possident, ad hujusmodi solutiones teneatur: Si autem nec adsint bona renunciata, nec Ordo Regularis, de quo agitur, quidquam possideat, tunc Defensori Professionis satisfiat ex peculiis Mulctarum illius Tribunalis, in quo Causa agitata fuerit, sive alterius, prout in aliis praedictis Literis Nostris de Matrimonii Defensore statuimus ».

« Lata demum Sententia a Superiore Regulari, et ab Ordinario Loci, si ea pro validitate Professionis pronunciata fuerit, neque Professus appellationem interponat, Causam finitam esse non dubitatur. Si vero Professus ad Judicem secundae instantiae appellaverit, vel etiam ulterius eadem Causa retractanda fuerit; in omnibus hisce judiciis volumus similiter Defensorem Professionis ex officio deputatum intervenire, eodem prorsus modo, quo in citata Constitutione decrevimus, Defensorem Matrimonii, in secunda, et ulteriori instantia, judicio semper adesse. Ac sicuti praeterea statuimus, hujusmodi Defensoris partes esse, a Sententia Judicis primae istantiae pro Matrimonii nullitate lata ad ulterioris instantiae Judicem provocare, et formam prosequendi judicium in ulterioribus hujusmodi instantiis praescripsimus; ita porro volumus, ut Defensor Professionis a Sententia in prima instantia pro nullitate Professionis edita, appellare omnino debeat, atque in secunda, seu ulteriori hujusmodi Causarum revisione, eadem omnia volumus observari, quae pro Causis Matrimonialibus in eadem Constitutione mandavimus ».

« Quemadmodum denique legitimas poenas ibidem constituimus adversus eos, qui post unicam obtentam Sententiam pro Matrimonii nullitate sive pendente appellatione, sive ea per incuriam, aut fraudem Defensoris non interposita, ausi fuissent novas Nuptias contrahere; atque decrevimus, nemini licere ad altera Vota transire, nisi duae saltem Sententiae conformes pro nullitate prioris Matrimonii emanaverint; ita, si quis in Ordine Regulari Professus, post unicam Sententiam favore nullitatis Professionis pronunciatam, sive pendente, sive omissa culpabiter appellatione, e Claustris exire, a Religione discedere, quodque magis est, Habitum Regularem abjicere praesumpserit; volumus, atque statuimus, omnibus eum poenis, atque censuris a Sacris Canonibus, et a Constitutionibus Apostolicis contra Apostatas la-

tis, atque sancitis subjacere, et obnoxium esse; decernentes pariter, in hujusmodi Causis de Professionis nullitate, liberum Professo non esse a Religione migrare, nisi duas saltem obtinuerit Sententias conformes, quibus ab eo emissa Professio nulla, et irrita declarata fuerit ».

« Et primae quidem instantiae Judices super validitate Professionum, quae intra quinquennium judicialiter impugnantur, ut supra dictum est, Superior Regularis, simulque Ordinarius Loci esse debent. Si vero eaedem Causae in secunda, aut ulteriori instantia sint discutiendae, statuimus, inhaerentes antiquis quibusdam saepedictae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum Decretis (quae pariter tenore praesentium approbamus, et confirmamus), ut Causae hujusmodi ad eos Judices devolvantur, ad quos de jure aliae omnes Causae Ecclesiasticae, post Sententiam Ordinarii, in gradu appellationis respective devolvuntur; ita tamen, ut hi quoque Judices, sicuti Ordinarius in prima instantia una cum Superiore Regulari processit, sic et ipsi procedere, et judicare debeant una cum Superiore Regulari, non quidem illius Monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius Monasterii ejusdem Ordinis in eorum Civitate, aut Dioecesi existentis, vel, eo non extante, cum Superiore vicinioris Monasterii ejusdem pariter Ordinis, seu cum alia persona Ecclesiastica, cui, juxta praemissa, Superior ille, ad quem pertinet, suas vices ad hunc affectum delegaverit. Si autem hujusmodi Causae in secunda, aut ulteriori instantia ad Sedem Apostolicam devolvantur, et a praedicta Congregatione Concilii, sive ab altera super Consultationibus Episcoporum, et Regularium, aut denique ab Auditorio Rotae, ut respective assolet, discutiendae fuerint, nullus erit locus ad judicandum Superiori Regulari; qui neque tum ad ferendam Sententiam admittitur, quum ab eadem Congregatione Concilii, juxta relatum superius Urbani Praedecessoris Decretum, examinanda fuerit, etiam intra quinquennium, validitas Professionis ex eo capite impugnatae, quod facta fuisse asseratur in Monasterio, aut Coenobio Religiosis Tyronibus instituendis minime addicto ».

« Hactenus de judiciis super nullitate Professionis, quae intra quinquennium a die ipsius professionis emissae introducuntur: de quibus hoc etiam declarando decernimus, ut quaecumque in superioribus statuta sunt, ea omnia habere, et observari debeant etiam in Curia S. R. E. Cardinalis Nostri, et Romani Pontificis pro tempore in Urbe, ejusque Districti Vicarii in Spiritualibus Generalis, quoties hujusmodi Causas intra idem quinquennium in ipsius Tribunali Ordinario judicandas esse contingat. Jam vero videndum est de ejusdem generis Causis; quae, post elapsum quinquennium hujusmodi, in judicium adducuntur ».

» Porro quum Sancta Tridentina Synodus, post quinque annos ab emissa Professione transactos, omnem aditum ad reclamandum Professis interclusum esse sanxisset, per ea aperta verba superius relata: *Non audiatur, nisi intra quinquennium a die Professionis*; adeo inhaerendum hujusmodi sanctionis literae duxerunt Majores Nostri, ut sub piae mem. Praedecessore Nostro Gregorio Papa XIII. decretum fuerit, ac veluti pro regula statutum, nullius Causae introductionem super nullitate Professionis, elapso quinquennio, admittendam esse: etiamsi Professis per vim, et metum facta diceretur, atque probari vellet, hujusmodi vim, et metum toto quinquennii tempore permansisse. Verba Decreti die V. Mart. Anni MDLXXVIII. editi, quae habentur *Decretorum Congregationis Concilii Tom.* 9. *fol.* 55. haec sunt: *Gregorius XIII. ex Sententia Congregationis Concilii declaravit, eos qui per vim, et metum se Religionem professos praetenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso, non esse audiendos, tametsi allegarent, vim et metum semper durasse.*

At vero procedentibus temporibus, non sine justis, gravibusque Causis, ut plane persuasum habemus, inductum fuit, ut admitterentur instantiae pro *restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii* ».

« De quibus tamen judicium facere ad Apostolicam Sedem semper privative pertinuit, sive ex parte Professi, sive ex parte Religionis instantiae hujusmodi proponerentur, ac licet ipsa reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perseverans dilata fuisse diceretur. Hoc enim remedium restitutionis in integrum extraordinarium in jure vocatur, cujus concedendi facultas Judicibus inferioribus competere nequit, non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, aut quolibet asserto privilegio; ut patet ex compluribus in eamdem sententiam decretis ejusdem Congregationis Tridentini Concilii Interpretis, quae recensita fuerunt in Decreto edito die XXIV. Septembris Anni MDCCXL. in Causa *Sicula Restitutionis in integrum*, quod a Nobismetipsis die XXVIII. ejusdem mensis, et anni approbatum, et confirmatum fuit, quodque iterum praesentium tenore approbamus, et confirmamus; reservato Nobis, et successoribus Nostris Romanis Pontificibus jure concedendi Ordinariis, et Superioribus Localibus, in quibusdam peculiaribus casibus, facultatem examinandi etiam Causas restitutionis in integrum, ac super ipsis pronunciandi, antequam ad sententiam ferendam super Professionis validitate, aut nullitate deveniant; ut non semel ex Apostolicae Sedis dispensatione factum fuisse non ignoramus ».

« Hujus autem judicii methodus diversa quondam fuit ab ea, quae in praesenti observatur. Antiquis enim temporibus, visa probabili ratione, seu fumo, ut ajunt, causarum restitutionis in integrum, ea ab Apostolica Sede concedebatur, nimirum facultas indulgebatur reclamantibus adversus profes-

sionem, ut, licet elapsum esset quinquennium, nihilominus de illius nullitate coram Judicibus competentibus actionem promovere possent; pro cujus judicii instructione deinceps a Superiore Regulari, et ab Ordinario Loci legitimus conficiebatur Processus, atque sententia super validitate, aut nullitate ferebatur. Quae sane methodus, si hoc etiam tempore in usu esset, oporteret Nos eorum praecipue, quae ad hujusmodi judicium consequentia sunt, rationem habere; ac providere, ut unius tantum sententiae vigore Professiones Regulares dissolverentur. Sed alius hodierno tempore est ordo, qui in praefatis Congregationibus, seu Tribunalibus Urbis, pro concedenda restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii observatur; Nam priusquam super eo quidquam decernatur, committitur Ordinario Loci, et Superiori Regulari, ut Processum conficiant; eoque demum transmisso, proponitur dubium super concessione restitutionis in integrum, idque non minus accurate, ac severe examinatur, ac si dubium propositum esset super ipsa validitate, aut nullitate Professionis. Si autem petita in integrum restitutio concedatur, tunc Ordinario, et Superiori Locali committitur, ut sententiam proferant super controversa Professionis validitate. Sed quamvis hujusmodi Commissionibus plena ipsis relinquatur facultas judicandi sive pro validitate, sive pro nullitate Professionis prout ipsis justum visum fuerit; usu tamen compertum est, quod, quum iidem satis noverint, quam diligenti, et gravi judicio apud Sedem Apostolicam discussae fuerint causae, propter quas restitutio in integrum concessa fuit; viso dumtaxat hujusmodi concessionis rescripto, nec ulteriori instituto examine, ad ferendam pro nullitate Professionis sententiam ut plurimum sine dubitatione procedunt ».

« Accuratum hujusmodi examen causarum restitutionis in integrum ad Romanae Curiae judices in more positum, non modo non immutare intendimus, verum etiam approbatione Nostra singulis, ad quos pertinet, magnopere commendatum, ab ipsis in posterum observari volumus, ac jubemus; hoc tamen addito, ut in Commissionibus, quae diriguntur Superioribus Regularibus, et Ordinariis Locorum pro conficiendis Processibus, iisdem, sub poena nullitatis actuum, injungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu Defensoris Professionis; ad quem nimirum pertinebit Interrogatoria dare, juxta quae examinari debebunt Testes, aliaque ad Officium sibi impositum pertinentia diligentissime praestare ».

« Item volumus, ut in ipsa propositione dubii super concessione restitutionis in integrum, tam in praefatis Cardinalium Congregationibus Concilii Tridentini interpretationi, et Episcoporum, ac Regularium consultationibus praepositis, quam in Auditorio Rotae, aut in quacumque Congregatione peculiariter forsan deputata, sub simili nullitatis poena, Defensor Professionis, ab eo, qui Tribunalis caput est, deputatus, expensis eorum, de quibus supra, semper, et in omnibus actibus in judicio stare debeat; neque solum in prima hujusmodi dubii propositione, sed etiam in ulterioribus, quatenus reclamans in prima rejectus, ad novam audientiam admittatur. Denique, ut pro fruendo beneficio restitutionis in itegrum, unica favorabilis resolutio nequaquam sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato Causae examine, auditoque semper Defensore Professionis, confirmata fuerit; quemadmodum in altera Constitutione Nostra, praesentis initio allegata, de Causis super nullitate Matrimonii constituimus; Nos enim praesentium tenore decernimus, ac sub poenis adversus Apostatas sancitis districte prohibemus, ne quis sub clypeo unicae resolutionis pro concessione restitutionis in integrum obtentae, e Religiosis Claustris migrare, multoque minus Habitum Regularem deponere audeat, seu praesumat: quum ad praedictas poenas declinandas, et altera resolutio super restitutione in integrum priori consentanea, et sententia super nullitate Professionis a Superiore Regulari, et ab Ordinario ferenda, expectari omnino debeant; nec nisi per hujusmodi sententiam, a praedictis Judicibus, praeviis duabus resolutionibus pro concessione restitutionis in integrum, legitime latam, Judicium absolutum censeri queat ».

« Quae omnia si ita observabuntur, ut a Nobis constituta sunt, utque omnibus, ad quos pertinet, ac pertinebit in posterum, sedulo observanda, et implenda a Nobis praescribuntur, et enixe inculcantur; profecto non dubitamus, quin multo rariores in posterum futurae sint instantiae, et contentiones eorum, qui vel intra quinquennium a die Professionis emissae, vel etiam, eo elapso, susceptum Religiosae vitae Institutum relinquere adnitantur. Ad hoc autem certius obtinendum magnopere contulerit, si a Superioribus quoque Regularium Ordinum in Novitiorum admissionibus ea observabuntur, quae et in eorum Constitutionibus, et in Decretis felicis recordationis Clementis Papae VIII. Praedecessoris Nostri statuta sunt, quaeque omnia ab ipsis plenissime observari, et impleri Nos pariter ipsis praecipimus, ac jubemus; tum etiam si ipsi minus facile consensum suum praebebunt, ut admittantur ad Professionem Tyrones, sive qui aetatem quidem a Concilio praescriptam compleverint, at non ad eam pertingerint, quae a Constitutionibus Ordinis statuta; sive illi, qui licet annum Novitiatus expleverint ad normam Concilii, adhuc tamen ut ulterius in eo manere deberent, juxta praescriptam suarum peculiarium Constitutionum; multoque magis ii, qui nec per integrum annum, sed per octo, aut sex menses dumtaxat Tyrocinium posuerunt; ac demum si ipsi Superiores haud se interponent, neque curabunt, ut Professi ante legitimam aetatem ad Ordines Sacros promoveantur. Quaecumque enim sive in Sacris Canonibus, aut Pontificiis Con-

stitutionibus, sive in peculiaribus Ordinum statutis, circa praemissa provide constituta sunt, non parum habent momenti ad Religiosam vocationem in hominum cordibus stabiliendam, ad cohibendam versatilem animorum mobilitatem, quae ut plurimum aut sola, aut potissima causa est, qua Professi adducuntur, ut vota, quibus obstricti sunt, irrita declarari cupiant. Neque vero Apostolica Sedes ullas unquam dispensationes in praemissis concedere consuevit, nisi praevio assensu, aut etiam accedentibus precibus Superiorum Regularium; quibus nempe aequum, ut necessarium est fidem adhiberi in expositione causarum, quas urgere asserunt pro concedendis dispensationibus, quae petuntur. Illud autem nullo modo ferri, aut probari potest, quod tamen apud plerosque invaluisse constat, ut scilicet reclamantibus adversus Professionem sive intra quinquennium, sive post ejus decursum, Superiores ipsi contradictores se se non exhibeant, aut etiam aperte suffragentur, ea falsa nimirum opinione, quod Religiosorum Virorum Societate indignus censendus sit, quicumque ab ea discedere exoptat; quodque ex inutili Monacho, utilis fortasse Clericus Saecularis existere possit. Nunquam enim licitum est justitiam deserere, aut prodere, quae jubet omni ratione sustineri actum adeo solemnem, et natura sua irrevocabilem, in quo perficiendo, una cum Professo, ipsa quoque Religio intervenit ».

« Ad praedictum finem praeterea quam maxime proderit, si et Ecclesiastici Praesules, et Judices, debitas officii sui partes explere non praetermittant.

Ecclesiarum quidem Praesules, si anathemate subjectos declarabunt omnes, et singulos, cujuscumque qualitatis, conditionis, et dignitatis fuerint, qui Virgines, aut Viduas, seu alias quascumque Mulieres invitas, praeterquam in casibus in jure expressis, coegerint ad ingrediendum Monasterium, vel ad emittendam Professionem; juxta sanctionem Sacrae Tridentinae Synodi *Sess.* 25. *cap.* 18. *de Regular.*, ubi etiam pares censurae statuuntur adversus eos, qui in hujusmodi factis consilium, auxilium, vel favorem dederint; ac omnes similiter, quotquot ausi fuerint compellere viros ad ingrediendam Religionem, ut ad Vota profitenda, justis, gravibusque poenis afficient. Judices vero, si, falso ante omnia deposito praejudicio, quo nonnulli arbitrantur tutissimam viam, quoad fieri potest, aperiendam esse iis, qui inde migrare cupiunt, ubi invito animo commorantur, ad exactam justitiae lancem expendent et numerum, ut qualitatem Testium, qui ad comprobandam nullitatem Professionis inducuntur; et vim majorem a minori, metum gravem a levi, debilem a constantiori sexu, interclusam a permissa reclamandi facultate discernent; aliasque omnes circumstantias sedulo animadvertent, quae in hoc toto rerum genere ab Auctoribus considerari solent ».

« Itaque praedictis omnibus, et singulis gravissime denunciamus, districteque praecipimus, ut in cunctis, quae ad eorum officia pertinent, a justitiae tramite, et a praescriptis sibi legibus ne minimum quidem discedant, ac meminerint omnium, quaecumque gesserint, severissimam sibi rationem tum apud Divinum Judicem, tum apud homines reddendam fore. Nos vero, si Deo placuerit valetudinem Nobis cum vita servare, non parum operae conferre intendimus, quo planius, atque facilius de Causis bujus generis ab ipsis in posterum judicari valeat. Si quidem Nobis propositum est cum consilio selectorum Virorum in Theologica, ut Canonica facultate praestantium, nonnullas quaestiones accurate examinare, ac dirimere, quae variis Scriptorum opinionibus jactatae, et varias species induentes, juxta diversas occurrentium casuum circumstantias, ancipites, atque sollicitos detinere solent Judicantium animos; ut Nobismetipsis in minoribus olim constitutis non semel evenisse meminimus, quum pro munere Secretarii praefatae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, hujusmodi Causas ad regulam Juris exigendas prae manibus haberemus. Ejusmodi sunt, exempli causa, quaestiones: Utrum Professio quamvis initio nulla fuerit, per subsequentes tamen actus convalidetur; quinam sint actus, ex quibus hujusmodi convalidatio, seu ratificatio inducatur; ut quid momenti habeat ad hunc effectum susceptio Sacrorum Ordinum *ad titulum Religiosae paupertatis*. Praeterea, si quis forte ante legitimam aetatem ignorans Professionem emiserit, et in ea ignorantia per plures annos in Religione permanserit, seque validae Professum existimans, ea omnia, quae Professorum sunt, una cum Sociis praestiterit, ac hic deinde intelligens, qua aetate Vota emiserit, non obstantibus actibus veri Professi a se gestis, adhuc praefatae ignorantiae praesidio, actionem habeat ad reclamandum adversus Professionem a se factam; an vero talis ignorantia nihil eidem suffragetur, quo minus Professionem initio nullam per subsequentes actus ratam habuisse censeatur. Item, an Professus, qui in Professionis actu impedimentum aliquod, sive defectum, occultavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam Constitutionum, quod scilicet Religio ipsum cum hujusmodi defectu, aut impedimento forsan occultato admittere non intendebat; an, inquam, talis Professus, qui Religioni dolum struxit, ejusmodi commodum ex propria fraude desumere possit, ut validitatem suae Professionis ex eo capite impugnare valeat. Denique, an ullam vim habere debeat in foro externo ad suadendam Judici nullitatem Professionis, quod reclamantes Professi asserere saepe non dubitant, se in proferendis Religiosis Votis, mentem servasse alienam a proposito se obligandi. Haec omnia aliaque similia in bujusmodi judiciis frequenter occurrentia, ut in utramque partem hactenus disputata, tum Nostro, tum aliorum,

quos, ut supra diximus, in consilium advocaturi sumus, diligenti studio, Deo adjuvante, explanare deliberevimus ».

« Interim praesentes Literas, cum omnibus, et singulis in ipsis Decretis, atque statutis, firmas, validas, et efficaces existere, ac perpetuo fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime, et inviolabiter observari volumus, et decernimus. Sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, praedictasque S. R. E. Cardinalium Congregationes Generales, et Particulares, aliosque ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et S. Sedis Nuntios, aliosque quoslibet quacumque praeminentia, auctoritate, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, ubique judicari, et definiri debere; ac nullum, irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari ».

« Non obstantibus, tam Causarum forsan ad hunc diem introductarum pendentia, quas quidem causas, in quibuscumque statibus, et terminis de praesenti reperientur, juxta superius praescripta omnino tractari, judicari, et definiri debere expresse decernimus; quam Nostra, et Cancelleriae Apostolicae Regula de Jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, Decretis quoque, et Resolutionibus a praefatis Cardinalium Congregationibus, sive ab Auditorio Rotae praedicto, aut aliis quibuscumque Judicibus, et Tribunalibus, alias forsan, et aliter factis conditis, et emanatis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, Privilegiis, Exemptionibus, et indultis, etiam in corpore juris clausis, et Literis Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, et Institutis, etiam Societatis Jesu, et Sancti Joannis Hierosolymitani, aliisve quibuslibet specifica, et invidua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam clausulis, et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus in genere, vel in specie etiam motu simili, et de Apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, et occasiones praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et exactissime servatis, et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, et ad praemissorum effectum plenissime, et amplissime motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper, et eadem Auctoritate praedicta mandamus, ut eaedem praesentes, et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de iis ignorantiam praetendere valeat, ipsas praesentes, seu earum transumpta, ad valvas Ecclesiae S. Joannis in Laterano, et Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariae Apostolicae, Curiaeque Generalis Innocentianae in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae, per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, et affigi, sicque publicatas, et affixas, omnes, et singulos, quos concernunt, seu concernent, in futurum, perinde afficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatae, et notificatae fuissent.

Utque earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo omnimo hominum liceat paginam hanc nostrarum Confirmationis, Approbationis, Voluntatis, Mandatorum, Statutorum, Decretorum, Derogationum infringere, vel ei ausu temerario contreire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursorum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo septimo quarto Nonas Martii Pontificatus Nostri Anno octavo.

J. CARD. PASSIONEUS.

J. Datarius.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De professione ficte emissa, scilicet sine interno consenso Profitentis, non incongruum est hic paucis disserere. 128

Professionem fictam irritam esse, etiamsi nec vis, nec metus gravis intercesserit, communis est sententia, idque, quia obligatio, quam inducit professio, non ex Lege oritur, sed ex privata hominis voluntate, adeoque ubi deest voluntas, deesse debet et haec obligatio; Confer Rotam *cor. Molin. decis.* 798. n. 7. *et seq.* 129

Estque *ficta* haec Professio irrita non in *Foro* 130

tantum *Poli*, sed et in *Foro Fori*; quum necessarius ad professionem consensus nequeat ab Eccle-
131 sia suppleri. Nec refragatur textus *in cap. Quod interrogasti dist.* 27. ubi vidua ficte professa redire fuit coacta ad Monasterium, et quidem quamvis matrimonium iniisset. In casu enim illo id ita factum fuit, non quia consensus fuit ab Ecclesia suppletus, sed quia vidua illa nequivit ostendere ex causa justa professionem *ficte* emisisse; imo constitit ex causa *Hypocrisis* emissam ab ipsa fuisse
132 professionem. Eademque de ratione *in c. Si quis, de Regular.* altera Vidua coacta fuit in Monasterio permanere, quia scilicet demonstrare nequivit ex justa causa *ficte* emisisse professionem. Accedit quod in casu hujus *Decretalis* ratihabita tacite fuit professio; Consule pariter Rotam *cor. Molin. dict. dec.* 798. *a n.* 9. *ad* 13.

133 Quinimmo nec is, qui professionem *ficte* ex causa minus justa emittit, obligatur ex vi consensus ab Ecclesia suppleti, sed in poenam admissae fraudis permanere in Religione tenetur, ut optime inter alios adnotarunt Turrecremat. *in dict. c. Quod interrogasti d. dist.* 27. Fagnanus *in dict. c. Si quis n.* 36. *de Regul.* Rota *cor. Molines d. decis.* 798. *n.* 15.

134 Quomodo vero *in Foro Fori fictio* haec probari queat, necessarium est hic expendere. Videndum utrum allegetur *fictio* sine ulla causa, an cum causa. Priori casu non est audiendus, qui *ficte* professionem emisisse ait, idque quia nulla allegari potest simulatio sine causa. Posteriori vero casu, interest scire, utrum causa sit justa, an minus justa. Si causa non sit justa, etiamsi eam allegans probare posset fictionem, in poenam permanere in Religione tenetur, ut mox dictum est. Si autem causa sit justa, auditur si probare velit *fictionem; Rot. cor. Molin. d. dec.* 798. *a num.* 26.
135 *ad plur. seq.* Exemplum causae justae poni potest in metu, et quidem qualicumque. Si enim metus esset gravis, opus haud esset probare *fictionem*, sed ipse sufficeret ad professionem invalidandam. At metus qualiscumque praebet justam causam *fictionis*, Rota *cor. Molin. d. dec.* 798. *n.* 29. Et tamen probari debet ex actibus antecedentibus, concomitantibus, et subsequentibus professioni contrariis, ut idem supremum Tribunal Rotae *d. dec.* 798. *n.* 30.

136 Hic vero silentio non est praetereundum, quod supremum Tribunal Rotae *coram Molines dec.* 798. examinavit plures actus antecedentes, concomitantes, et subsequentes professioni contrarios, qui in specie illa afferebantur ad probandam fictionem, et eos sufficientes haud reputavit. At sciendum est, quod commissa deinde a S. M. Clemente XI. revisione ejus decisionis particulari Congregationi quinque S. Romanae Ecclesiae Cardinalium, nimirum Carpinei, Colloredi, Marescotti, Panciatici, et Birhii, fuit ipsa revocata, et irrita declarata professio, ut refert Ursaya *discept. Eccl. t.* 1. *par.* 1. *discept.* 20. *n.* 26. Quocirca qui in mox dicta *decisione* afferuntur actus antecedentes, concomitantes, et subsequentes contrarii professioni, pro sufficientibus haberi queunt *ad fictionem* probandam.

APPENDIX EDITORUM CASINENSIUM.

Haud supervacaneum putamus de professione Regulari, quae sequuntur, adnotare. 1

Ac primum ad legitimam professionem necessario requiritur legitima aetas, adeo ut professio non obliget, nec valeat, si fiat ante legitimam aetatem, prout statuitur *in cap. Nullus, ex. de Regular. et transeunt. ad Relig.* Quae aetas ex Concil. Trident. *Sess.* 25. *cap.* 15. *de Regular.* est sexdecim annorum completorum. 2

Porro circa hanc primam conditionem notandum, quod etsi in matrimonio carnali malitia suppleat defectum aetatis, *cap. de illis* 9. *et cap. final. ex. de despons. impub.* non tamen id locum habet in matrimonio spirituali, quod contrahitur inter profitentem, et Religionem, ut ex communi docent Sanchez *lib.* 5. *Mor. cap.* 5. *n.* 2. *Pirhing tit. cit de Regular. et transeunt. ad Relig. n.* 117. quia nullatenus reperitur statutum ullo jure positivo, sicut in matrimonio carnali. Dicendum igitur, in professione requiri, ut aetas ad illam requisita sit omnino completa. Estque hoc adeo verum, *ut si dies unica, vel etiam hora desit, professio sit invalida. Causa sic statuendi est favor tum Religionis, tum novitii, ne hic austeritatibus Religionis ante tempus adstringatur*, prout in terminis Schmalzgrueber *ad cit. Tit. de Regular. et transeunt. etc. n.* 171. 3

Quaeritur. Cajus, exhibita aetatis attestatione, qua constat, eum in aetate 15 annorum esse constitutum, post completam probationem, ad normam Trident. bona fide professionem emittit. Temporis cursu, pluribusque annis exactis, occasione perquirendi novam fidem baptismi pro sacris Ordinibus suscipiendis, recognoscit, priorem fidem, quam exhibuerat ad profitendum in Religione, fuisse alteratam, et erroneam; quatenus incuria Parochi fuit descriptus in libro baptizatorum, utpote natus die *ex. q.* 7. *Augusti* 1809, quando revera natus est *die* 7. *Augusti* 1810. unde, facto computo ad annum emissae professionis, deprehenditur, eam edidisse aetate quindecim annorum: nunc oritur dubium, an censendus sit saltem tacite professus. 4

Affirmant plures, inter quos Fagnanus, Ventriglia, Pignatellus, aliique, repetentes pluries fuisse resolutum a Sac. Congregat. Concil. *ut in Roman.* 28. *Maji* 1578. *ibid.* 13. *Januar.* 1619. *in Neapolit.* 3. *april.* 1621. Quod probant, ex quo Cajus post emissam professionem, ad plures annos habitum indistinctum cum professis gestaverit, seque in exercitio actuum ad solos professos spectantium versatus fuerit, propter quod juris praesumptione censetur professionem emissam tacite ratificasse cum nova obligatione permanendi in Religione. 5

6 « Negativa tamen videtur communior, et in puncto juris verior, ut in terminis tenuit Rota *in Mediolan. nullitatis professionis* 3. *Martii* 1690. *coram Emerix*, pro qua 18. Theologos, et 17. Juristas cumulat, ac recenset saepius fuisse ab eadem Rota resolutum. Nam ad inducendam tacitam professionem, seu tacitam ratificationem, est necessarium, ut ratificaturus libere consentiat. Siquidem agitur de subjiciendo professum novae obligationi, contra quam in dubio fieri debet interpretatio, *leg. Arianus*, *ff. de obligat. et act.* Verificari autem non potest de Cajo, quod libere consentiat in novam obligationem, cum habeat ignorantiam inculpabilem suae professionis ortam ex praecisa incuria Parochi. Nihil enim est magis contrarium consensui, quam ignorantia, vel error... Quae scientia in expresse valide profitente, et in terminis de ratificante, et tacite approbante supponitur *in cap. Is*, *qui ad Monaster. de Regular. in* 6. *§. Qui vero*, ut plenius in litera ». Ita Matthaeucci, *Official. Cur. Eccles. cap.* 41. *n.* 6.

7 « Ad tollenda equivoca (sic idem Matthaeucci *loc. et n. cit.*), et forte concordandos DD. debet distingui is, qui professionem expressam nullam scienter emisit, ab eo, qui expresse nulliter, sed ignoranter professus est: de primo procedit, quod si post annum ab emissa professione perseveret in Religione, deferendo habitum indistinctum cum professis, et in actibus se exerceat ad solos professos pertinentes, censeatur per haec priorem ratificare. Quoniam cum sciat nullitatem professionis, et se per illam ad Religionem non obligari, jus optime praesumit, quod in praedictis se occupet animo tribuendi per suum consensum professioni novum valorem... Etenim in eo nulla alia praesumptio locum habet, quam voluntas profitendi. Quae praesumptio non currit in eo, qui jam emisit professionem, sed nullam. De hoc enim praesumitur, ut habitum gestet, et alia operetur, tamquam semel valide professus, non tamquam iterum professurus, et ad implendam obligationem, quam supponit contractam, non autem ad novam contrahendam ».

8 « Tanto magis, quod non est nostrum divinare, quid ille egisset, si nullitas professionis sibi innotuisset. Quinimo judicandum est, quod et tunc contra validitatem reclamasset, si ei de nullitate constitisset ». Ita praelaudatus Matthaeucci *ibid.*

9 Et ne iterum ad hanc materiam ratificationis professionis nullae redeamus, tamquam ad modum regulae statuendum videtur, ad ratificationem hujusmodi professionis invalidae requiri; primo, ut ratificans sciat, professionem a se factam, irritam fuisse, quia ignorantis nullus est consensus, et incogniti nulla voluntas. Excipe, nisi expresse apud se statuat, se velle professionem a se emissam, esse validam, etsi forte ab initio valida non fuisset. Secundo, requiritur novus consensus, per quem professio invalide emissa ratificetur, et iterum edatur, cum sit nova professio, adeoque nova intentione, seu voluntate fieri debet. Potest autem haec ratificatio professionis fieri vel expresse, vel etiam tacite, et ipso facto, permanendo v. g. in habitu Regulari, et sub obedientia Religiosa, postquam scivit, professionem prius editam, fuisse irritam. Haec docet Pirhing *cit. Titul. de Regular. etc. n.* 149. Idemque tradunt Azor. Sanchez, Less. Suarez, apud eumdem Pirhing *ibi.* et, teste Reiffenstuel *tit. cit. nu.* 215, communis aliorum (*).

Altera conditio requisita ad legitimam professionem est, ut spontanee, seu libera voluntate sit emissa. Textu expresso *cap.* 1. *titul. saepe citat. de Regularib. etc.* adeoque professio facta ex coactione, aut metu gravi injuste incusso, ipso jure sit irrita, ut deciditur *cap.* 1. *ex. de iis*, *quae vi etc.* Enimvero per professionem, seu vota Religioso suscipitur novus, et immutabilis status, et obligatio, ideoque convenit, ut omnino spontanea, ac plene libera voluntate suscipiatur. 10

Porro inter causantia metum gravem ab omnibus numerantur, Minae, vel periculum mortis: Mutilatio, item cruciatio corporis per carcerem, verbera, inediam, aut similia: Item metus amissionis patrimonii, etc. Ita communiter DD. ob satis clara jura. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 162. 11

Pariter conveniunt omnes, quod in aliis malis, de quibus ex jure non constat, an sint gravem metum causantia nec ne, recurrendum sit ad arbitrium judicis, *arg. l.* 3. *ff. ex quibus causis etc.* Ibi: *sed non sufficit, quolibet terrore adductum fuisse*, *sed hujus rei disquisitio judicis est*: quod tamen arbitrium adhibendum, et attendendum non est circa ea mala, quae de jure pro insufficientibus habentur ad inducendum gravem metum. Sic Reiffenstuel *l. c. n.* 163. 12

Jam vero notabilis, atque in praxi frequens est, controversia, an, et quando metus reverentialis sit gravis, ac consequenter sufficiens ad reddendam invalidam professionem. Nos sententiam Pirhingii utique amplectimur in haec sane verba. 13

(*) Praestat hic audire Reiffenstuel in haec verba: « Infertur, quod etiamsi ab initio nulliter professus, professionem suam juxta laudabilem Religiosorum consuetudinem saepe renovet, et ratificet expresse, vel tacite, portando habitum Religiosorum, vel actus ejusdem proprios exercendo, etiam cum animo se obligandi, ac tacite profitendi; tamen semper adhuc etiam post decem, vel plures annos via extraordinaria restitutionis in integrum reclamare, vel, cessante scandali periculo, tuta conscientia discedere, ac nubere valeat, si hosce actus fecit ignorans, quod professio prima fuerit invalida, nisi talis ratificans expresse apud se statuat, quod velit modo professionem valide ratificare, etsi ab initio fuisset invalida . . . Ex quo nonnulli in ratificatione professionis laudabilissima adducunt, *etiamsi ab initio ex quacumque causa invalide professus essem* etc. » *ad tit. ex. de Regularib.* etc. *n.* 216.

« Sicut metus reverentialis (ita ille) propter imperium, vel preces parentis, vel Superioris per se « solus non reddit matrimonium irritum, ita nec « professionem. Nisi tamen conscientiae sint ti« midae, vel timor malae tractationis, vel preces « importunae, seu saepius repetitae, vel magna « et diuturna offensio ejus, a quo hominis vita, « aut fortuna pendet, spectata etiam conditione, ac « dispositione personae, utrum timida sit, haec « enim si jungantur reverentiae, quae Superiori« bus deferri solet, aequivalent metui gravi » *loc. cit. n.* 120. Ita pariter docet Sanchez *de Matrim. lib.* 4. *disputat.* 7. *per tot.* nec non Lessius, Layman, Reiffenstuel, et communissima aliorum.

14 Quaeritur. Laelius propter graves minas eorum, quibus debetur naturalis reverentia, Religionem ingreditur, et, completo anno probationis, absque reclamatione professionem emittit; an ne valide?

℟. Negative: nam durante causa metus, durat metus; praesumiturque semper esse, quamdiu vivit ille, qui metum incussit. Ideo, quamvis in actu externo appareat libertas, et fiant positivi actus, qui alias possent ratificationem professionis inferre, vel tacitam inducere, tamen, quia in eos influit causa metus adhuc durans, praesumuntur et ii meticulosi, commentitii, ficti, et simulati, et non sponte eliciti ad effectum professionem ratificandi, aut tacitam inducendi; et ita arguitur, quod professionem emiserit, et in Religione permanserit ad effugiendum Patris, vel suorum indignationem, severas minas, inhumanas saevitias, vel contumeliosa verba, ac similia, quibus protestabantur se velle eum afficere, si e Religione egrederetur, et dum ad saeculum rediret, nolle eum recognoscere in filium, vel fratrem, nec recipere in domum paternam, aut ei alimenta subministrare. Quarum singula non modo adolescentem, in quo levior metus propter illius imbecillitatem requiritur, verum et virum constantem possent movere, et perterrefacere. Matthaeucci *Offic. Cur. Eccles. cap.* 41. *n.* 15.

Imo, si Laelius hujusmodi, in professionem per vim, et metum emissam a principio libere non consenserit, durante eadem causa metus, semper consensus necessarius desideratur, et propterea nec ex lapsu etiam longissimi temporis sustineri potest ejus professio ex ratione tacitae, aut tituto ratificationis. Matthaeucci *ibidem*, *n.* 16. 15

Nec obstat, quod elapso quinquennio, ordines sacros susceperit, et actus professionis exercuerit. 16
Nam ad excludendum consensum, quantumcumque quinquennium elapsum fuerit, non obstante ordinum susceptione, vel officiorum exercitio, sat est, ut causa metus existat. Pleniusque excluditur ex querimoniis, reclamationibus, protestationibus, etiam extrajudicialibus, ab ipso tam ante, quam post professionem factis, quibus ostendebat, se non habuisse voluntatem profitendi. Quapropter allegenti justum impedimentum reclamandi intra quinquennium, conceditur restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii, prout in una *Anconitana de anno* 1664. fuit concessa, quamvis professus suscepisset Sacros Ordines in Religione, adhuc tamen durante metu. Matthaeucci *l. et n. cit.* Pignatell. *tom.* 9. *consultat.* 173. *n.* 79.

Hinc in *Policastren. nullitatis professionis*, 17 17
Augusti 1726. in considerationibus ad rem, quas Sac. Congreg. Concil. Secretarius, (cujus munere tunc celeberr. Prosper de Lambertinis, postea Bened. XIV. fungebatur) EE. PP. subjecit, notare non praetermisit, nempe; quod *susceptio sacrorum ordinum non validat professionem, quando durat causa metus, propter quam professio emissa fuit... juxta resolutionem Sacr. Congregat. Episc. et Regular. approbatam ab Alexandro VII. — Sic in tom.* 3. *Thesau. Resolut. Sacr. Congreg. Conc. pag.* 359. (*).

(*) Juvet, pro applicatione doctrinarum heic supra expositarum, sequentem Resolutionem Sacr. Congr. Conc. integram exhibere, tenoris videlicet — « SAGONEN. NULLITATIS PROFESSIONIS — Frater Dominicus Franciscus de Lama, natus die 8. *Julii anno* 1691. professionem Regularem emisit in Religione Minorum Reformatorum S. Francisci, *die* 10. *Decembris* 1706. quam etiam ratificavit *die* 8. *Decembris* 1711. Cumque alias in hac Sacra Congregatione institerit pro concessione restitutionis in integrum, deprehensum fuit, quod licet nulla esset difficultas quoad nullitatem professionis, utpote emissae ante decimum sextum annum completum, contra literam Sacri Concilii Tridentini *sess.* 25. *c.* 15. *de Regul.* non ob hoc tamen esse poterat locus restitutioni in integrum, ex quo accesserat ratificatio, cum positiva scientia in ratificante, quod professio erat nulla ratione aetatis, ad terminos *Textus in cap. significatum, de Regularibus* ».

« Ad removendum obstaculum ratificationis, Frater Dominicus probationem assumpsit, quod ratificatio nulla fuerat, utpote emissa propter vim, et metum cadentem in constantem Virum, sibique incussum a Laurentio Fratre, qui, pugione ad pectus admoto, ipsum induxit ad ratificandum ».

» Cumque in hujus facti comprobationem allatum fuerit ipsius Laurentii testimonium, qui stimulis conscientiae, et exhortationibus Missionariorum permotus, rem totam aperuit, non obstante, quod, ut ipse inquit, sciret sibi futurum esse praejudicialem egressum Fratris Dominici a Religione, propter divisionem bonorum Paternorum, quam ille post egressum praetendere posset, aliique duo testes superadderentur deponentes de audita, propositum fuit in Congregatione habita *die* 4. Februarii 1719. consuetum dubium, *an sit concedenda restitutio in integrum in casu; et responsum fuit, dilata, et coadjuventur probationes, et Episcopus procedat prout de Jure contra Laurentium Fratrem Oratoris* ».

« In hujus rescripti executionem, datae fuerunt literae ad Episcopum, et cum in Urbe adessent nonnulli Religiosi, qui juxta ordinem Sacrae Congregationis poterant coadjuvare probationes, *die* 4 *Martii* 1719. responsum fuit E.mo Urbis Vicario, qui dignetur nomine S. Congregationis recipere examen formale Testium; examinatisque binis Religiosis, tunc commorantibus in Conventu S. Francisci ad Ripam, ex quorum dictis resultavit, Fratrem Dominicum fuisse adactum per vim, et metum sibi, ut supra, a Fratre illatum, et ipse Frater Dominicus Franciscus factum exponendo saepius cum ipsis fuerat conquestus, proposita iterum fuit ejus instantia super restitutione in integrum in Congregatione habita *die* 5 *Augusti* 1719 Sed cum literae Episcopi Sagonensis adhuc non supervenissent, responsum fuit, *dilata, et dentur litterae urgentiores.*

18 Diversimode dicendum, si, cessante causa metus, perseveret sine reclamatione, et pacifice in Religione, et in actibus professorum occupetur. Nam tunc negari non potest, quin ex illis concludatur omnis legitima praesumptio animi ad tacitam professionem, vel ad priorem ratificandam: perinde enim in casu esset, ac si metus non praecessisset. Maxime si per annum completum, postquam notitiam habuit, quod causa metus defecerit, in eorumdem actuum exercitio se occupaverit; quoniam tunc praesumptione juris tacita professio inducitur, ut pluries declaravit Sacr. Congregat. Concil. quae 29. *Martii* 1578. censuit: *quod ubi professio expressa fuerit nulla; ex quo tamen post expletum annum probationis permanserit in habitu Regulari per duos, vel tres annos, censeri fecisse tacitam professionem*, *et dici professum*. Matthaeucci *ib. cit. n.* 16. dixi per *annum*, tamquam de mente S. C. quae saepius declaravit, tacitam professionem a Trid. utiq. non sublatam, incipere a prima hora post perfectum an. 16. et finire in an. 17. Fagn. *c. Signific. de Regul. n.* 40.

19 Quaeritur: utrum irrita fiat professio, si non professionem emittens, sed eam acceptans ad sic acceptandum compulsus fuit metu gravi injuste incusso? Affirmant Less. Wiest. Donat. Quia professio est contractus ultro, citroque obligatorius: Quia in correlativis, quod dispositum est de uno, dispositum etiam censeri debet de altero illorum, quando eadem est utriusque ratio: Quia in matrimonio carnali metus irritum facit contractum, tam quando sponsae, quam quando sponso is est incussus. Haec sententia admodum probabilis est ob has rationes; probabilius tamen videtur esse, quod in hoc casu professio non fiat irrita. Neque debet fieri extensio de uno casu, vel persona ad aliam, praesertim cum non sit eadem ratio, tum quia vis, et metus facile infertur adolescentibus ingredientibus Religionem, non item Ipsi Religioni, vel ejus Praelato, nisi in casu valde raro: Ita Pirhing *l. c. n.* 124. Schmalzgrueber *cit. titul. de Regular. n.* 176. 177.

Quaeres, quomodo, et quando dici possit de me- 20
tu constare? Ac primo constare de vi illata diceretur ad hunc effectum, nempe invalidationis professionis, quando Pater, Mater, Frater in judicio faterentur, professam, seu professum coegisse: quia confessio rei spontanea in judicio emissa facit rem notoriam, et manifestam, *c. quaesitum de cohabit. Cleric. et Mulier*. Non tamen talis cogentis confessio sufficeret sine aliis testibus, et praesumptionibus ad annullandam professionem, vel concedendam restitutionem in integrum, ut colligitur ex Resolutionibus *S. Congregat.* nempe *in Hispalen* 23. *Septembr.* 1690. *et in Bononien.* 26. *Septemb.* 1694. in quibus fuit denegata restitutio in integrum. non obstante, quod Parentes judicialiter fassi fuissent, filios ad habitum Religionis suscipiendum, et professionem emittendam coegisse; et magis praecise in alia *Januen.* 30. *Junii* 1694. Ita Monacellus, *formul. legal. pract. part.* 3. *tit.* 1. *formul.* 32. *n.* 10. *pag.* 135.

Jam porro ad proferendum rectum judicium su- 21
per qualitate metus incussi, et sumendum temperamentum a jure regulatum pro nullitate, vel validitate professionis, sequentia attendenda veniunt.

Primo, quod metus non praesumitur, sed ab alle- 22
gante probari debet, sive per testes, sive per conjecturas, et praesumptionem: Monacell. *l. c. n.* 12.

Secundo, quod quando pro metu adest juris 23

Supervenerunt interea litterae praedicti Episcopi, una cum serie Actorum ab eodem gestorum. Porro ex illis habetur primo, quod citatus fuit Laurentius, illique fuit assignatus terminus dierum novem, trium pro prima, trium pro secunda, et trium pro tertia Canonica monitione, ad comparendum, et deducendam causam, quare non deberet declarari excommunicatus ob violentiam exercitam adversus Fratrem Dominicum, ad effectum extorquendi ab eodem ratificationem Religiosae professionis.

Secundo, quod Laurentius intra terminum sibi assignatum comparuit, suumque peccatum sequentibus verbis exposuit: « esso supplicante genuflesso a Suoi piedi confessa » il fallo da lui commesso nella sua depositione, d'avere esso costituito forzatamente, anche con mano armata, violentato in compagnia di Frà Valentino Laico Riformato suo Cugino Carnale (qui jam defunctus, est) il Sacerdote Frà Domenico Francesco suo Fratello, sino dall'anno 1711. del mese di Dicembre, nel tempo, che detto Frà » Domenico Francesco suo Fratello era Chierico Minorista di detta Religione dei Riformati, a dover'esso ratificare nel termine delli cinque anni la Professione del suo Noviziato, ma questo esso povero Oratore fece solo, perchè il Laico Frà Valentino suo cugino carnale l'indusse a fare questa risoluzione, acciò detto Frà Domenico Francesco suo fratello non si spogliasse dell'Abito di S. Francesco, e ne sarebbe restato diffamato non solo detto Frà Domenico Francesco, ma anche la famiglia d'esso Oratore, come altresì perchè di quella poca zenda, ch'esso supplicante avea di quel tempo, se si avestiva di detto abito suo Fratello, ne restava povero colla sua famiglia esso supplicante »; et post deductam, et allegatam ignorantiam, quod imposita esset excommunicationis poena adversus eos, qui cogunt aliquem ad emittendam professionem regularem, sic concludit; « pertanto prostrato a Suoi piedi, e alla Santa Sede Apostolica, alli quali ne domanda il perdono, e li supplica perdonarli il suo fallo, e quando fosse caduto in alcuna censura, lo supplica dell'assoluzione di essa, con avere commiserazione di non esser caduto volontariamente in alcuna offesa contro la sua anima ».

Adduntur depositiones *ad perpetuam* trium aliorum Religiosorum, qui *die* 31. *Oct.* 1719 retulerunt, se pluries audivisse Fr: Domenicum conquerentem de nullitate tam professionis, quam ratificationis, quinimo alter ex eisdem subdit, se violentiae lamentationes intellexisse ab ore Fratris Dominici die immediate sequenti, seque tunc obviam habuisse Laurentium Fratrem; « e ripresolo della forza che » aveva fatto al detto Frà Domenico Francesco, esso rispose primieramente, che non sapeva quello dicevano, e poi ci confessò il tutto, scusandosi, però che ne fu causa il detto Fra Valentino (de quo supra habitus est sermo) mentre lo mandò a chiamare per Uomo a posta, e lo stimolò a ciò fare ».

Haec sunt in Causa, adeoque dignabuntur EE. VV. decernere. « An sit concedenda restitutio in integrum in casu ». Affirmativa

Die 13. *Aprilis* 1720. *Ita in Thesauro Resolut. Sacr. Congregat. Concil. Tom.* 1. *pag.* 297. *et seqq.*

praesumptio, vel testes pro parte metum passi, inducti deponunt de minis, et vi, et sic de actu externo, qui sensu percipitur corporeo; et e contra testes pro libero consensu, inducti deponunt non de actibus facti, sed de rebus in animo, et mente existentibus, magis credendum est duobus testibus de metu, quam mille de libera voluntate deponentibus. Idem *ibid. n.* 14.

24 Tertio, quod metus consideratur gravis non solum ex parte objecti, vel ex parte modi, sed etiam ex parte subjecti, et censebitur mulier constans, (*sumpto hoc vocabulo ex jure Romano, ubi dicitur metus gravis, ille cadens in constantem virum*) etiamsi timeat, quod non convenit prudenter viro timere; unde aliquis erit gravis, et probabilis metus in muliere, qui in viro non erit, et sic minor metus sufficit in muliere, ut dicatur metus cadens in constantem, propter illius imbecillitatem: Rota coram Coccin. *decis.* 2207. *n.* 10. Idem Monaceli. *l. c. n.* 16.

25 Quarto, quod minae (dummodo testes sint concordes in illarum qualitate, licet discordes de loco, et tempore) probantur per testes singulares; Rota coram Buratto, *decis.* 205. *n.* 11. etiamsi sint domestici; Barbosa *vol.* 77. *n.* 56. *lib.* 3. ibi: « unde (in metus probatione) admittendi sunt testes domestici, cum ad hunc effectum probatio te» stium domesticorum habeatur efficacior ». Ita pariter Monacelius *ibid. n.* 19.

26 Quinto, quod metus (repetendo superius dicta) semel incussus durat, et durare praesumitur, quandiu durat ejus causa, quamvis in actu externo appareat libertas, Rota coram Seraphino Decis. 166. Barbosa *vol.* 17. *n.* 147. *et seqq.* Monaceli. *ib. n.* 21.

27 Quia porro professio, ut sit valida, spontanea seu libera voluntate emitti debet, cumque, qui errant, consentire non videantur, per satis clara jura (idem dic, ubi dolus adsit), hinc profecto est, quod professio ex errore, vel ignorantia, aut dolo circa *substantialia* Religionis emissa, sit irrita, et quidem jure naturali; quippe talis error, seu ignorantia omnino tollit consensum *substantialem.* Secus est, si error, vel ignorantia sit solum circa accidentalia. Pirhing. *ib. n.* 121.

28 Amplius cum professio libera voluntate fieri debeat, consequens est, quod facta a furioso, vel amente non valeat; textu expresso, *cap. sicut*, 12. *titul. citat. de Regular. ibi: furiosus, seu amens libera voluntate consentire non potest, ideoque professio ab eo edita irrita fuit.*

29 » Ubi notandum: si quis alienus mente profes» sionem facit; non sufficit, ad hoc ut vere pro» fessus fiat, si postea ad sanam mente rediens, » et conscius professionis a se emissae invalide, » taceat, vel non contradicat, aut habitum non » deponat: sed necesse est, ut de novo sponta» nea voluntate profiteatur, vel tacite, nempe per » exercitium actus proprii professorum, distin» cti ab habitu Novitiorum, ex quo praesumi pos» sit de novo tacita professio .... Ratio est, » quia talis professio fuit omnino irrita, adeo» que perinde est, ac si nunquam facta fuisset, et » consequenter non potest, cessante amentia, ra» tificari, nisi per novam professionem expressam, » vel tacitam. Verum jure novo (post) Conc. Trid. » non potest professio ab amente facta ratificari, » nisi ante amentiam anno continuo in probatio» ne steterit, et postquam ad sanam mentem re» diit denuo expressam professionem faciat, vel » tacitam, v. g. per assumptionem habitus pro» prii professorum, etiam sine gestatione tridui ». Haec Pirhing. *loc. cit. n.* 123.

Quoad vero professionem ficte emissam, sequentia, celebri Donato docente, expendere satis sit. 30

Quaeres igitur: Professio ficta emissa, utpote oretenus facta, sed non corde, an sit valida? Negative quoad forum Poli, ex defectu legitimi consensus, qui est omnino necessarius ad substantiam contractus, quia quoad Deum attenditur animus, non autem opus externum. Secus autem quoad forum contentiosum... Unde quoties quis suscipit habitum secundum formam Canonicam, et promittit servare, et vivere secundum illam, licet ficte susceperit, non poterit eum amplius deponere; alias fieret Religioni grande praejudicium; hinc juste cogitur in illo perseverare, secus turbaretur Regula Ecclesiastica. Et sicut in matrimonio carnali Ecclesia judicat secundum actus exteriores, et non secundum actus interiores, qui sibi non possunt innotescere; ita in matrimonio spirituali Ecclesia non judicat de occultis, sed per externa praesumit interna, nam interna per externa declarantur. 31

Proinde quantumcumque quis non intendat contrahere matrimonium, si tamen exprimat verba contractus matrimonii, si conjuges aliunde sint habiles ad contrahendum, Ecclesia judicat, illud esse verum matrimonium, et cogit illum cum illa habitare, etsi ficte dicat contraxisse, vel ore, et non corde protulisse illa verba, quae exprimunt consensum contractus matrimonii: Ita et in professione, quantumcumque quis non intendat se obligare ad vota Religionis; ex quo tamen sponte profitetur, et non protestatur aliquod in contrarium, Ecclesia urget illum servare professionem, quia praesumit solemniter vovisse, et animum habuisse profitendi. 32

Bene verum est, quod is ficte professus, si voluerit, e Religione recedere, et dicere de nullitate professionis, ob defectum intentionis, et consensus non praestiti, hoc debet per idoneos testes probare, quod est difficillimae probationis.... quia, quae pendent ex animo, Deus tantum novit; tanto minus, quanto praecessisset protestatio, vel adesset vehementissima praesumptio, nec standum est ejus juramento. 33

Ita in terminis Donatus, *Prax. Regular. tom.* 2.

part. 4. *Tract. XI. q.* 12. *de profess. nulla*, n. 1. *et seqq.*

34 Quaeres: Si ficte professus non poterit suae professionis nullitatem probare, et recuset ratificare, an possit fugere, remoto scandalo? D. Thomas 4. *Sent. dist.* 29. *q. unica art.* 3. Sanchez *de matrim. lib.* 2. *disput.* 39. *num.* 11. affirmant, quia coram Domino non est vere professus, et ob id, remoto scandalo, et occasione sibi praestita, potarit fugere, nec sic fugiens in foro conscientiae erit obnoxius Apostatarum poenis. Idem *loc. c. q.* 14.

35 Addunt etiam Sanches, Layman, aliique, etiam Superiorem, si certo credit, subditi professionem invalide fuisse emissam, et postea non ratificatam, posse, cessante scandalo, occulte dimittere talem. Nude tamen asserenti, et etiam jactanti, quod ficte tantum professus sit, nec pro foro interno adhiberi debet fides, nisi, attentis circumstantiis, prudentissimus quisque conjiceret, talem vera loqui; quia non est major ratio, cur tali potius sic tunc eredendum, quam antea, dum professionem simulavit. Reiffenstuel *cit. titul. de Regular. etc. n.* 207.

Haec potissimum quoad professionem ex supposito ficte emissam attendenda veniunt, quaeque idcirco adjecimus, eo quod confusione laborare videantur, quae hic supra in additionibus ex aliena manu congesta sunt.

36 Quaeres adhuc, an Professio facta cum mala intentione, nempe ut fornicetur, vel furetur, valeat nec ne? Affirmat Glos. et Navar. dummodo profitens, intendat esse Religiosus; secus autem; qui sicut utile per inutile non vitiatur, ita nec principale per suum accessorium, *quaest.* 15.

37 Amplius; quid juris, si nulliter professus dubitet, an non tacite, vel expresse ratificaverit professionem, postquam scivit, eam esse nullam? ℟. Si dubitat ante quinquennium, potest adhuc reclamare: si vero post quinquennium dubitat, tenetur manere, neque potest per viam restitutionis in integrum reclamare. Ratio est, quia in dubio recurrendum est ad praesumptionem; haec autem ante quinquennium stat pro Novitio. post quinquennium vero pro Religione, *arg. ex Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 19. *de Regularibus.* Donatus, aliique apud Reiffenstuel l. *c. n.* 212.

Porro is, qui qualitercumque invalide professus est, etsi nequeat in foro externo probare impedimentum irritans professionem, non tamen tenetur illam ratificare, sive bona fide, et sine culpa sua, sive mala fide, et culpa sua, v. g. ficte sit professus, docet Sanchez, *lib.* 7. *de matrim. disputat.* 37. *num.* 38. 39. et alii communiter. Ratio est, quia Religiosus status est tam arduus, et sublimis perfectionis, ut spontaneum, ac liberum consensum requirat, nec ullus invitus, etiamsi ob culpam suam professio fuerit irrita, cogi possit ad illam ratificandam. Et licet voluntatem habuerit profitendi, saltem exterius, et apparenter; quia tamen illa voluntas inefficax fuit, et nullius effectus, ob impedimentum dirimens, vel defectum veri consensus, non potest quis vi illius obligari ad observandum, quod ob talem professionem emisit, nec ad denuo profitendum in foro conscientiae, et secluso scandalo: quamvis, quia secundum praesumptionem fori esterni talis professio habetur pro non invalida, in illo foro cogi possit ad observandum ea, ad quae verus professus obligarur (*). Sic in terminis Pirbing *ad cit. tit. de Regular. n.* 148. 38

Illud etiam advertas licet, professionem expressam posse fieri sub conditione de praesenti, de praeterito, et de futuro; dummodo non sit contra substantiam professionis (**). Communis. Ratio est, quia in jure nec prohibetur, nec irritatur professio sub conditione. Notandum vero, quod si conditio sit de praesenti, vel de praeterito, professio non suspendatur, sed, subsistente conditione, illico valeat; deficiente vero, statim sit nulla, juxta omnes; si vero sit de futuro, suspendatur usque ad ejus adventum; quippe de natura hujus conditionis est, ut actus valorem suspendat, usque ad dict. ejus adventum. Reiffenstuel. l. *c. n.* 175. Vide a nobis fuse dicta in *append. ad art. V. v. Matrimonium, ubi de matrimonio sub conditione* etc. late disseruimus. 39

Sic emitti potest professio sub hac conditione pendente ex eventu contingenter, sive de futuro, v. g. promitto paupertatem, castitatem, et obedientiam perpetuam, si pater meus intra octo dies consenserit; sicut potest sub tali conditione iniri matrimonium. Quare tali casu, impleta conditione, erit valida professio, modo ante conditionis eventum, consensus non fuerit revocatus: deficiente autem conditione, etiam ipsa professio corruit, quia 40

(*) Unde « si nulliter professus cognoscit, Religionem » sibi minus convenientem, aut nimis difficilem, vel ex alia » ratione manere non valt, nec hactenus professionem suam » ratificavit, non tenetur ratificare professionem, nec manere in Religione, sed potest tuta conscientia in occulto » discedere, ac etiam aufugere, dummodo sine gravi scandalo, aut alio majori incommodo, ac praejudicio abire » p ssit ... Ratio est, quia professio Religiosa est arduum » opus consilii, ad quod nemo tenetur, neque cogi potest » invitus ». Reiffenstuel *dict. Tit. de Regular. etc.* n. 206.

(**) Professio facta sub pacto, vel conditione illicita, an sit nulla. Cum distinctione resolve; aut conditio, sub qua fit Religionis professio, est contraria substantiae Religionis, quae coalescit ex tribus votis substantialibus, nempe paupertatis, obedientiae et castitatis: aut non. Si primo modo, certum est, quod professio erit nulla: secus autem; prout expresse tenet glos. ex *Cap. ult. de Condit. appositis*, ubi dicitur, quod si aliqua apponatur conditio in matrimonio contra ejus substantiam, utique erit nullum omnino. Ita a pari, si in professione aliquid apponatur, quod sit contra substantiam Religionis, professio erit nulla. Donatus *Prax. Regul. Tom.* 2. *part.* 4. *Tract. XI. quaest.* 18.

intentio sic profitentis non alia fuit, quam dependenter ab illa conditione se obligare. Pirhing *ad anted. Tit. de Regular. n.* 101. An autem tali casu, eveniente conditione, statim valeat professio sine novo consensu profitentis, et Religionis acceptantis; affirmat Sanchez, cui nos subscribimus. Vide suprad. nostram appendicem *de Matrim. sub condit. n.* 24.

Haec quidem sunt, quod specialiter adnotanda duximus: caetera videre est apud Auctorem heic supra. Nunc pro materiae complemento, quae sequuntur, evolvemus.

41 Quaeritur: An professio quoad vinculum dissolvi possit authoritate summi Pontificis? Negat D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 11.

Sed dicendum, Papam ex justa, et necessaria causa, puta in gravissima necessitate, vel causa boni publici, posse dispensare in professione Religiosa, vinculum per illam inductum solvendo, ita ut, qui hactenus fuit Religiosus, postea non amplius sit, neque amplius votis adstringatur. Ita Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* 16. et 17. *n.* 5. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 8. *n.* 7. Pirhing. *l. c. n.* 144. Ratio est qui S. Petro, ejusque successoribus tradita est a Christo *Matth.* 16. universalissima potestas solvendi; ac proinde quidquid natura sua insolubile non est, vel a Christo non prohibitum est solvi, hoc Papa potest solvere; atqui professio neutro modo est insolubilis; quia Papa ex communi omnium DD. sensu potest dispensare in votis simplicibus, ergo etiam in votis solemnibus; nam solemnitas voti solum Constitutione Ecclesiae est introducta: quia saepius in hoc dispensarunt Summi Pontifices, prout videre est apud Baronium ad annum Christi 1041. et Suarez *cit. cap.* 17. *n.* 6. (*). Ita Schmalzgrueber *ad d. tit. de Regular. n.* 211.

Quaeritur amplius: an vinculum professionis Religiosae dissolvatur per promotionem ad Episcopatum, vel regimen Parochialis Ecclesiae? De assumpto ad regimen Parochialis Ecclesiae, vel ad aliud beneficium inferius Episcopatu extra Ordinem, satis clarum et, quod ligatus vinculo professionis suae maneat; quia iste nec votis Religiosis, nec jugo Regulae liberatur, sed observare istam etiam extra Ordinem degens debet in omnibus iis, quae cum Pastorali munere, et laboribus possunt consistere, et quidem sub obligatione ad poenam, imo, et culpam, si Regula ita obliget: Sanchez, et Pirhing apud eumdem Schmalzgruerium *ibid. n.* 213. De assumpto ad Episcopatum, ex sententia D. Thom. 2. 2. *quaest.* 185. *art.* 8. Sanchez *lib.* 6. *Moral. cap.* 6. *n.* 2. *sess. de just. et jur. cap.* 40. *n.* 113. Pirhing, *n.* 145. aliorumque Plurimorum, tenendum, professionis vinculum etiam per promotionem ad Episcopatum non dissolvi, sed ita assumptum manere obstrictum omnibus tribus votis Religiosis. Patet 1. de voto castitatis; nam hujus voto illum obligatum manere, est extra dubium. 2. de voto paupertatis, quia talit Episcopus non fit Dominus bonorum, seu redditum Ecclesiasticorum, sed administrator tantum eum hoc solum discrimine, quod ea, quae acquirit, non amplius acquirat Religioni, ut pesus, sed Ecclesiae suae Episcopali. 3. de voto obedientiae, nam hanc non amplius debeat Superioribus Regularibus, utpote in altiori dignitatis gradu constitutus, debet tamen illam Summo Pontifici, cui praeter obedientiam generalem ad omnibus fidelibus debitam, speciali obedientiae voto adsringitur; imo, si renuntiet dignitati, simul, et gradui, tenetur redire ad Monasterium, et iterum obedire ut prius. Schmalzgrueber *ibid. num.* 214. Vide Lucium nostrum *v. Episcopus art.* 7. *num.* 1. *et seqq.* (**). 42

(*) Papa potest dispensare in votis Religiosis, hoc est, potest tollere totum vinculum professionis Religiosae, at hominem Religiosum saecularizare; ita hodie communior sententia....... Quod haec potestas particularis (nempe dispensandi in profess. Religiosa) continetur sub generali Christo data, si non per definitionem, saltem ipso facto declararunt Summi Pontifices, dispensando cum Religiosis ad Matrimonium; sicut Benedictus IX. cum Casimiro I Rege Poloniae, Monacho Cluniacensi... Innocentius II. cum Ramiro II. Arragonum Rege; Abbate, et Episcopo: Gregorius XIII. cum Provinciali Cappuccinorum, Fratre Cardinalis Joyosae, et alii cum aliis, ut Historici memorant; quorum auctoritas, quam nonnulli in dubium vocant, si non plene probat, saltem multum adjuvat praesentem sententiam. Ita Maschat *Inst. Canonic. ad titul. de Regularibus etc.* §. 2. *n.* 29.

(**) Cabassutius questionem hanc in utramque partem pertractans, morem amplius quoad hoc receptum in Gallia recenset: lubet ejus doctrinam integram exhibere. « Utrum Religiosus factus Episcopus solvatur ipso jure voto paupertatis, ac efficiatur dominus redditum, possitque condere testamentum, celebris est quaestio. S. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art* 8. aliique plerique, quos citat, et sequitur Sanchez, negant haec fieri posse ab Episcopo Religioso citra Papae rationabilem dispensationem, hoc argumento, quia non laxantur Religiosae professionis vota per sequentem Episcopatum, nisi quatenus muneri Episcopali, tamquam majori bono absistunt. Jus enim naturae prohibet, ne ea, quae Deo sancte promissa sunt, sine ulla necessitate solvantur.... Atqui administratio bonorum Ecclesiae, quae competit Episcopo, nihil obstat paupertati Religiosae, ac abdicationi dominii ».

» Ex opposito, a votis Religionis immunem fieri Episcopum affirmant Dominicus Soto *lib.* 7. *de just. quaest.* 4. *art.* 2. Vasquez *in part.* 2 *quaest.* 96. *art.* 4. *Disput.* 169. *cap.* 8. *n.* 91. *et cap.* 9. *n.* 104. ubi asserit, Monachum factum Episcopum, dominium verum habere, et a vinculo paupertatis solvi, atque multo magis a praeceptionibus, et abstinentiis in Regula praescriptis, quae ubique non pertinent ad ipsius Religionis essentiam, ad quam tamen pertinet paupertas. Huic sententiae favet can. *Statutum.* 18 *quaest.* 1. diserte dicens: *Monachus, quem canonica electio a jugo Regulae Monasticae professionis absolvit, et Sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus haeres paternam sibi haereditatem postea jure vendicandi habeat.* Quoad vero Jus Gallicanum, vetustissima, et generalis in universo hoc Regno consuetudo viget, ut Religiosi facti Episcopi, nulla in re pristinae Religioni adstringantur, nisi ut colorem Ordinis in habitu servent. Sunt quippe successionum, aliarum-

43 Notandum denique, quod « vota professionis » quoad *accidentalia* dispensative relaxari possunt, » maxime per Sedem Apostolicam: sic enim Papa » potest Religiosum subtrahere actuali obedientiae » suorum Superiorum, dispensare cum eo ad condendum Testamentum de rebus per se acquisitis, » cum dispositio ista fieri possit nomine Papae, vel » Monasterii, non vero nomine proprio, et jure » dominii ». Maschat ad *tit. de Regular.* etc. §. 2. *n.* 27. Vide amplius Lucium nostrum *V. Episcopus art.* 7.

REGULARES

ARTICULUS I.

REGULARES QUOAD EA, QUAE POSSUNT, ET DEBENT, VEL NON.

SUMMARIUM

1. Regulares possunt sine approbatione Episcopi, et cum sola approbatione sui Praelati regularis audire Confessiones illorum Saecularium, qui sunt vere de Familia in suis Monasteriis, et continui commensales, *remissive.* — 2. Secus vero illorum, qui tantum ipsis regularibus deserviant, et cum Saecularibus exteris extra Monasterium habitant, et vivunt, *remissive.* — 3. Quinam sint vere de familia, at qui non, ad hoc ut possint absolvi, vel non a dictis regularibus, *remissive.* — 4. Quo ad ea, quae concernunt approbationem regularium pro eorum Superioribus, *remissive.* — 5. Quoad ea, quae concernunt approbationem Confessariorum regularium pro Monialibus eis subjectis? — 6. Praelati regulares a quibus casibus, et Censuris possint absolvere suos subditos? *remissive.* — 7. Quid importent absolutiones generales, quas Praelati regulares in fine visitationis, et in quibusdam anni solemnitatibus dare consuevarunt suis subditis religiosis? Et quid absolutiones in articulo mortis dari solitae moribundis? Et quid absolutiones, quae dantur a Praelatis, seu praesidibus ante electiones Capitulares? *remissive.* — 8. Quo ad ea, quae concernunt approbationem, et facultatem regularium pro audiendis Confessionibus saecularium, *remissive.* — 9. Regulares simpliciter approbati possunt etiam audire Confessiones infirmorum in eorum domibus absque alla parochorum, vel Episcopi licentia: Dummodo de tali audita Confessione illico certiorent parochum, saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. — 10. Confessarii regulares a quibus casibus possint absolvere saeculares? *remissive.* — 11. Confessarii regulares quando possint dispensare super impedimento petendi debitum conjugale? *remissive.* — 12 Regulares an, et quando teneantur ad solvendas decimas? *remissive.* — 13. Regulares an possint benedicere mulieres post partum, et ad purificationem admittere in propria Ecclesia? *remissive.* — 14. Regulares utriusque sexus nequeunt esse Compatres, seu Commatres, neque per Procuratorem, *remissive.* — 15. Regulares utriusque sexus nequeunt in particulari, neque de licentia, ac dispensatione Superioris habere peculium, seu aliquid proprium, immo talis licentia, etiamsi esset obtenta ab eorum Generalibus, qui dicerent eam posse concedere, non excusaret fratres, et Moniales a culpa, et poena imposita a Tridentino, *remissive.* — 16. Regularis deprehensus in morte habere aliquam proprietatem debet cum ipsa subterrari extra Monasterium in Sterquilinio in signum suae damnationis aeternae. — 17. Casus de Monacho mortuo proprietario, et sepulto cum sua pecunia in sterquilinio cum verbis: *Pecunia tua sit tecum in perditione.* — 18. Pro regulari mortuo proprietario non sunt offerenda Sacrificia, nec fieri debent Orationes, nec ei danda est sepultura cum aliis fratribus in Ecclesia, seu Coemeterio. — 19. Quinimmo Regularis Canonicus sicuti quilibet alius mortuus proprietarius, non solum in Coemeterio sepeliri non debet, sed si ibi sepultus fuerit, debet inde exhumari, si sine scandalo id fieri possit. — 20. Admonitio pro regularibus proprietariis, et praesertim pro Superioribus, qui proprietatem Monachorum decedentium sibi appropriant tamquam spolia. — 21. Quoad ea, quae concernunt regulares Apostatas, seu fugitivos *remissive.* — 22. Quoad ea, quae concernunt regulares tamquam incorrigibiles ejiciendos, et ejectos, *remissive.* — 23. Religiosus transmissus ad Triremes, terminato tempore condemnationis, non est recipiendus inter Religiosos suae Provinciae. — 24. Quoad ea, quae possunt, et debent regulares circa recitationem Divini Officii, *remissive.* — 25. Quoad ea, quae concernunt promotionem regularium ad Ordines, *remissive.* — 26. Quoad ea, quae concernunt locutionem regularium cum Monialibus, *remissive.* — 27. Quoad ea, quae con-

» que acquisitionum capaces, dominia, et proprietates sibi » acquirunt, disponuntque tam inter vivos, quam per ultimas voluntates, pro libitu testamenta condant, et si intestati decedant, successores habent non Monasterium, » non Ecclesiam, sed propinquos ». *Jur. Can. Theor. et prax. lib.* 1. *cap.* 24. n. 2.

Sed priori sententiae communior Theologorum inhaeret, quam etiam S. Alphonsus de Ligorio tenet, ut tuetur *Theolog. Moral. lib* 4. *cap.* 1. *de Stat. Relig.* n. 2 quamque nos sequimur. Praestat hic afferre, quae D. Thomas habet, hoc sane pacto. « Religiosus, qui fit Episcopus, sicut non absolvitur a voto continentiae; ita nec a voto » paupertatis, quia nihil habere debet tamquam proprium. » Similiter non absolvitur a voto obedientiae, sed per accidens obedire non tenetur; sicut nec abbas Monasterii, » qui tamen non est ab obedientiae voto absolutus ». 2. 2. *quaest.* 88. *art.* 11. *ad* 4. et 2. 2. *quaest.* 185. *art.* 8. sic explicat verba Canonis hic supra allati, (*Monachus etc.*) nempe ut paternam haereditatem vindicet, non quasi propriam, sed quasi Ecclesiae debitam. « Dicendum (sic » ille), quod hoc est per accidens, quod Episcopi Religiosi » obedire Praelatis suarum Religionum non tenentur, quia » scilicet subditi esse desierunt, sicut et ipsi Praelati Religionum: Manet tamen adhuc obligatio voti virtualiter, » ita scilicet, quod si eis legitime aliquis praeficeretur, obedire tenerentur, inquantum tenentur obedire statutis » Regulae per modum praedictum, et suis Superioribus, si » quos habeant. Proprium autem nullo modo habere possunt. » Non enim paternam haereditatem vendicant quasi pro» priam, sed quasi Ecclesiae debitam..... Testamentum autem nullo modo facere potest, quia sola ei dispensatio » committitur rerum Ecclesiasticarum, quae morte finitur, » ex qua incipit Testamentum valere. Si tamen ex concessione Papae testamentum faciat, non intelligitur ex pro» pria facere Testamentum, sed Apostolica auctoritate in» telligitur esse ampliata potestas suae dispensationis, ut » ejus dispensatio possit valere post mortem ».

cernunt Regularium praecedentiam, *remissive.* — 28. Quoad ea, quae concernunt regularium praedicationem, *remissive.* — 29. Quoad ea, quae concernunt Regulares circa processiones, *remissive.* — 30. Quoad ea, quae concernunt regularium Novitiatum, *remissive.* — 31. Quoad ea, quae concernunt regularium professionem, *remissive.* — 32. Quoad ea, quae concernunt regularium privilegia, *remissive.* — 33. Quoad ea, quae concernunt regularium quaestuationem, *remissive.* — 34. Quoad ea, quae possunt, et debent regulares circa funera, Quartam, et Sepulturam, *remissive.* — 35. Quoad ea, quae possunt, et debent regulares circa Eucharistiam, *remissive* — 36. Regulares non possunt ministrare Laicis saecularibus infirmis hospitantibus in eorum Conventibus Sacramenta Eucharistiae per modum Viatici, et Extremae Unctionis absque Episcopi, vel Parochi licentia, sub poena excommunicationis. — 37. Regulares erigentes Altare portatile, et sacrum facientes in domo privatorum, et ibidem Viaticum ministrent Regulari infirmo absque licentia Ordinarii, vel Parochi, possunt Censuris coerceri, *remissive.* — 38. Regulares omnes tenentur in quacumque alienationis specie tam stabilium, quam mobilium pretiosorum, sive traslatione Dominii, aut creatione Censuum, licentiam petere, et obtinere a Sac Congreg. Concilii. Immo nequeunt nudum censuario nomine, sed neque ad cambium, vel mutuo accipere pecuniam cum solutione alicujus lucri, vel cum obligatione bonorum. — 39. Et haec licentia gratis expediri debet. — 40 Regulares non possunt in Sabbato Sancto pulsare Campanas ante pulsationem in Cathedrali, vel Matrice. — 41. Regulares ratione hujusmodi pulsationis in Sabbato Sancto possunt conveniri coram loci Ordinario. — 42. Nisi consuetudo in contrarium esset legitima, vel Ecclesia multum distarent. — 43. Possunt tamen regulares in quibuscumque aliis diebus, etiam Dominicis, seu Festivis in suis Ecclesiis pulsare Campanas, et Missas celebrare ante celebrationem Missae, et pulsationem Campanae in Ecclesia Cathedrali, seu Matrice, vel Parochiali, *remissive.* — 44. Regulares omnes non possunt sine dispensatione Apostolica obtinere ullum Beneficium Saeculare, et an in tali casu teneantur deferre Habitum Regularem? *remissive.* — 45. Regulares, sicuti et omnes alii Clerici Saeculares non possunt aliquos medio voto, vel juramento, aut pacto, seu promissione inducere, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam alterius non immutent sub gravibus poenis. — 46. Insuper regulares, et omnes alii Clerici Saeculares inducentes aliquos, ut supra, ad eligendam Sepulturam in eorum Ecclesiis, incurrunt Excommunicationem Papae reservatam. — 47. Regularibus non licet in suis Ecclesiis admittere ad celebrandum Presbyteros saeculares contra prohibitionem Episcopi. — 48. Regulares inter Missarum solemnia possunt recipere ea, quae sibi afferuntur, Dummodo a perambulationibus per Ecclesiam, ac similibus eleemosynarum extorsionibus se abstineant. — 49. Regularium numerus cuique Monasterio, et Conventui praefigendus est. — 50. Plurima alia, quae concernunt Regulares circa Conventus, seu Monasteria, *remissive.* — 51. Regulares cujuscumque Ordinis, etiam Mendicantium, quantumvis Sedis Apostolicae sint Cappellani, Superioribus suis subjecti esse debent. — 52. Regularium Superiores non cognoscunt caussas suorum subditorum ad Officium Sanctissimae Inquisitionis spectantes. — 53. Regulares cujuscumque Ordinis, quamvis exempti, de Haeresi suspecti, puniantur ab Inquisitionibus haereticae pravitatis. — 54. Regulares omnes cujusvis Ordinis in Sancto officio poenitentiati non possunt promoveri ad ullos Gradus, nisi prius obtenta a Sede Apostolica gratia rehabilitationis. — 55. Regulares non possunt in Sabbato Sancto benedicere domos saecularium. — 56 Regulares non possunt aggregare suae Regulae personas in articulo mortis constitutas. — 57. Regulares non possunt constringi ab Ordinariis ad interveniendum Orationi quadraginta horarum in Cathedrali. — 58. Regulares non debent permittere pauperes mendicare in eorum Ecclesiis, quando Divina celebrantur Officia. — 59. Regulares religionis suppressae non remanent liberati a votis. — 60. Superiores regulares non possunt apponere Interdictum in Ecclesiis sibi subjectis — 61. Regulares professi non possunt ad aliam religionem etiam strictiorem transire sine licentia Sedis Apostolicae. Et affertur ad rem novissime Constitutio Benedicti XIII. — 62. Regulares omnes professi, tam Superiores, quam subditi nequeunt condere testamentum. — 63. Neque testari possunt ad pias caussas. — 64. Immo neque id de licentia Praelati, seu Superioris. — 65. Nec possunt regulares testari, etiamsi ante professionem sibi aliquam summam suorum bonorum reservassent cum facultate testandi. — 66. Quinimmo regularibus professis neque licet testamentum a se conditum ante emissam professionem moderari per vim declarationis. — 67. Quoad ea, quae possunt, et debent necessario observare regulares circa largitionem munerum, affertur Constitutio Clementis VIII cum ejus confirmatione, et moderatione facta ab Urbano VIII. — 68. Recipientes munera a regularibus contra praescriptum dictarum Constitutionum, quicumque sint, sive regulares, sive Saeculares, in neutro Foro absolvi possunt ante factam restitutionem. — 69. Et si munus excedat summam scutorum decem, neque possunt absolvi a summo Poenitentiario — 70. Regulares non possunt uti Livellis, nisi servata forma dict. Constitutionis Clementis VIII. — 71. Quoad ea, quae concernunt regulares assumptos ad Episcopatum. — 72. Assignatur tempus, quo a regularibus legendae sunt variae Constitutiones Apostolicae, ut Decreta Sacrarum Congregationum, sub poena privationis Officii, vocisque activae, et passivae ipso facto a Superioribus incurrenda. — 73. Regulares utriusque sexus tenentur ad Observantiam regulae secundum primaevam institutionem. — 74. Affertur ratio. — 75. Profitentes profitentur regulam, non consuetudinem, et relaxationem. — 76 Regularibus enim nefas esset reluctari Papae reformationem indicenti. — 77. Papa potest indicere Religiosis etiam strictiorem vitam, quam eorum regula exigat. — 78. Regularibus renuentibus reformationem indictam recipere, et integre observare, solet Sedes Apostolica interdicere, et denegare licentiam recipiendi; et admittendi aliquos ad Habitum, et ad professionem. — 79. Item Monasteriis Monialium renuentibus reformationem acceptare non conceditur licentia recipiendi puellas ad Habitum. — 80. Item nec admittandi ad Professionem eas, quae se ad illam nolunt obligare. — 81. In iis Monasteriis, quae partim illam reformationem recipiunt, et partim non, recipi non debent, nisi illae, quae se volunt reformationi subjicere. — 82. Nec reformatio est credenda statim, sed probanda diu, antequam detur licentia vestiendi. — 83. Quae professionem emiserunt, antequam introduceretur reformatio, hortari debent ad illam acceptandam, sed non cogi, *ad n.* 84. — 85. Afferuntur Decreta Generalia Clementis VIII. pro reformatione regularium. — 86. Regulares tot solum stare debent in Monasteriis, quot ali commode possunt per redditus, et eleemosynas eorum. — 87. Regularium numerus pro quoquoque Conventu praefinitus, et a Sacra Congregatione approbatus non potest a Superioribus augeri, etiam sub praetextu augmenti redditunm absque ipsius Sacrae Congregat. Concilii licentia, sub poena privationis omnium Officiorum, vocisque activae, et passivae, ac inhabilitatis perpetuae. — 88. Regularis non potest habere locum in duobus Monasteriis. — 89. Cetera, quae sequuntur usque *ad* n. 108. satis summarie referuntur. — 109 Alia ad rem, *remissive.* — 110. Regularis nequit simul esse parochus, et superior sui Conventus — 111. Regulares, et praesertim Franciscani quibus cibis uti possint, et debeant in suis jejuniis? *ad n.* 112. — 113. Regulares nequeunt licite esse patrini, nec in Sacramento Baptismi,

nec Confirmationis. — 114. Fratribus Minoribus ex vi regulae est prohibita sola compaternitas, quae contrahitur in tenendo suscipientem ad Sacramentum, non autem in ipsum ministrando. — 115. Adducitur, ac solvitur objectio. — 116. Fratres Minores legitime electi ad Curam animarum, aliique ad id subdelegati, possunt, sicuti et alii Regulares, licite baptizare. — 117. Non possunt tamen esse patrini, quamvis aliquando non orietur scandalum. — 118. Sub dicta prohibitione non comprehenditur Regularis quicumque factus Episcopus. — 119. Regulares possunt invitare populum ad facienda officia pro animabus Purgatorii in suis Ecclesiis. — 120. Regulares possunt impediri, ne canant Missas in Ecclesiis saecularibus, quamvis vocati. — 121. Regulares ad Ordines promovendi non tenentur exhibere Ordinario fidem Baptismi ad docendam de legitima aetate, si de ea constet ex Litteris Obedientialibus sui Superioris. — 122. Additur ad rem attendenda dispositio Benedicti XIII. — 123. Alia ad rem cum Addit. ex al. manu *ad num.* 173.

1 Regulares possunt sine approbatione Episcopi, et cum sola approbatione sui Praelati Regularis audire Confessiones illorum saecularium, qui sunt vere de familia in suis Monasteriis, et continui commensales. Vide verb. *Approbatio pro Confessionibus excipiendis art.* 1. *n.* 64.

2 Secus vero illorum, qui tantum ipsis Regularibus deserviunt, et cum saecularibus exteris extra Monasterium habitant, et vivunt. Vide *ibid. n.* 65.

3 Quinam sint vere de familia, et qui non, ad hoc ut possint absolvi, vel non, a dictis Regularibus? Vide *ibid. a n.* 66. *ad* 70.

4 Quoad ea, quae concernunt approbationem Regularium pro Confessionibus Regularium, et respiciunt dependentiam ab eorum Superioribus. Vide d. verb. *Approbatio art.* 2. *per tot.*

5 Quoad ea, quae concernunt approbationem Confessariorum Regularium pro Monialibus eis subjectis; Vide d. verb. *Approbatio art.* 3. et verb. *Moniales art.* 5.

6 Praelati Regulares a quibus casibus, et Censoris possint absolvere suos subditos; Vide verb. *Absolutio art.* 2. *a n.* 29. *ad* 40.

7 Quid importent Absolutiones Generales, quas Praelati Regulares in fine Visitationis, et in quibusdam anni solemnitatibus dare consueverunt suis subditis Religiosis? Et quid absolutiones in articulo mortis dari solitae moribundis? Et quid absolutiones, quae dantur a Praelatis, seu Praesidibus ante electiones capitulares? Vide verb. *Regularis Praelatus a n.* 67. *ad* 73.

8 Quoad ea, quae concernunt approbationem, et facultatem Regularium pro audiendis Confessionibus saecularium; Vide verb. *Approbatio art.* 1. *a n.* 41. *usque in finem*, et verb. *Confessarius art.* 4. *a n.* 6. *ad* 10.

9 Regulares simpliciter approbati in Dioecesi Episcopi approbantis possunt etiam audire Confessiones infirmorum in propriis Domibus absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia; At vero tenentur Regulares de tali audita Confessione eorumdem infirmorum Parochum illico certiorem reddere, et hoc potest illis ab Episcopo sub poena suspensionis a facultate audiendi Confessiones praecipi; sufficit tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. Sic expresse statuit Clemens X. in Constit. incip *Superna*; et jam antea declaraverat *Sac. Cong. Episc. et Regul. die* 2. *Jul.* 1606. *et in una Senogallien.* 22. *Jan.* 1616. *et in Anconitana* 6. *Octob.* 1645.

10 Confessarii Regulares a quibus casibus possint absolvere saeculares? Vide verb. *Absolutio art.* 1. *a n.* 41. *ad* 47. et Appendicem ad verb. *Confessarius* art. ul.

11 Confessarii Regulares quando possint dispensare super impedimento petendi debitum conjugale? Vide verb. *Matrim. quoad Debitum conjugale art.* 1. *a n.* 12. *usq. in finem.*

12 Regulares an, et quando teneantur ad solvendas Decimas? Vide verb. *Decimae art.* 2. *a n.* 44. *usq. in fin.*

13 Regulares an possint benedicere mulieres post partum, et ad purificationem admittere in propria Ecclesia? Vide verb. *Benedictio art.* 3. *a n.* 13. *ad* 16. *et per tot.* ubi multa ad rem.

14 Regulares utriusque sexus nequeunt esse Compatres, seu Commatres, neque per Procuratorem. Vide verb. *Baptismus art.* 6. *num.* 41 *ad* 47. et verb. *Moniales art.* 6. *n.* 70.

15 Regulares utriusque sexus nequeunt in particulari, neque de licentia, ac dispensatione Superioris habere peculium, seu aliquid proprium; Immo talis licentia, etiamsi obtenta ab eorum Generalibus, qui dicerent eam posse concedere, non excusaret Fratres, aut Moniales a culpa, et poena a Tridentino imposita. Vide verb. *Legatum a n.* 88 *ad* 95. *et verb. Moniales art.* 2. *a n.* 64. *usque in fin.*

16 Regularis deprehensus in morte habere aliquam proprietatem debet cum ipsa subterrari extra Monasterium in sterquilinio in signum suae perditionis, et damnationis aeternae, quia in peccato mortali decessit; textu expresso *in c. Cum ad Monasterium* 6. *de statu Monachor*. ibi: «Quid, si proprietas apud quempiam inventa fuerit in morte? ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod Beatus Gregorius narrat in Dialogo se fecisse».

17 Glossa communiter recepta *ibid. verb. in sterquilinio.* Et ita S. Gregorius narrat se fecisse lib. 4. *Dialogorum c.* 53. ut innuitur *in cap. Cum Monasterium*, et S. Hieronymus *Ad Eustochium de virginitate lit. D.* relatus a Joann. Andrea *in cit. cap. Cum ad Monasterium n.* 4. *in verb. Gregorius*, refert de Monacho, qui lina texendo centum

lucratus illa reliquit in morte, et habito consilio, quidam dicebant illa esse tribuenda pauperibus, et alii Ecclesiae, alii parentibus, sed decreverunt Patres illa cum eo subterrari cum verbis: *Pecunia tua sit tecum in perditione*, ex quo magnus per tutum Æ-
18 gyptum cunctos terror invasit. Et concordat *cap. Monachi* 2. *de statu Monach.* ibi: « Et qui in extremis cum peculio inventus fuerit, et digne non poenituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres accipiat sepulturam, quod etiam de universis Re-
19 ligiosis praecipimus observari ». Quinimmo Regularis Canonicus, qui in articulo mortis non resignavit proprium, quod latenter habuerat, non solum in Coemeterio sepeliri non debet, sed si ibi sepultus fuerit, inde debet exhumari, si sine maximo scandalo fieri poterit, textu expresso in *cap. Super quodom* 4. *de statu Monachor.* ibi: « Super quodam Canonico Regulari, qui in articulo mortis agens licet a Priore suo commonitus, proprium, quod contra regulam latenter habuerat, noluit resignare, et sic diem clausit extremum, et fuit inter alios Fratres traditus sepulturae...... Inquisitioni tuae respondemus, quod ille Canonicus, non tantum fuit Christiana sepultura privandus, verum etiam si sine maximo scandalo potuit fieri, de ipsa projici dignus est Ecclesia. Hoc autem cum forte contigerit, in similibus est agendum ». Et in ejus Summario expresse dicitur: « Regularis Canonicus, qui non resignavit proprium in morte, non debet in Caemeterio sepeliri. Et si de facto sepultus fuit, inde debet exhumari, si sine scandalo fieri potest ».

20 Deh! una semel hoc animadvertant, et contremiscant Regulares, si qui sint proprietarii, et praesertim Superiores Ordinum, qui proprietatem Monachorum decedentium sibi approprient tamquam spolia, contra omnia Jura, tum communia, tum propria cujusque Religionis specialia, seu municipalia statuentia, omne id, quod ex defunctorum Religiosorum expropriatione remanserit, converti debere in utilitatem Ecclesiae, seu Monasterii. Et id possunt sine Beneplacito Apostolico. Vide verb. *Alienatio art.* 4. *n.* 39. *in fine.*

21 Quoad ea, quae concernunt Regulares Apostatas, seu fugitivos. Vide verb. *Apostasia, Apostata per tot.* et infra *n.* 141. *et seqq.*

22 Quoad ea, quae concernunt Regulares tamquam incorrigibiles ejiciendos, et ejectos. Vide verb. *Ejicere, Ejecti per tot.* et infra *a num.* 146. *ad n.* 155.

23 Religiosus transmissus ad triremes, terminato tempore condemnationis, non est recipiendus inter Religiosos suae Provinciae, *ut in una Asculana anni* 1711. late, et pluribus adductis solide probat D. Ursaya *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 18. *per tot.* Vide ibi, et infra *n.* 156.

24 Quoad ea, quae possunt, et debent Regulares circa recitationem Divini Officii. Vide verb. *Officium Divinum art.* 3. *a n.* 52.

25 Quoad ea, quae concernunt promotionem Regularium ad Ordines. Vide verb. *Ordo art.* 3. *a n.* 51.

Quoad ea, quae concernunt locutionem Regularium cum Monialibus. Vide verb. *Moniales art.* 4. 26

Quoad ea, quae concernunt Regularium praecedentiam. Vide verb. *Praecedentia.* 27

Quoad ea, quae concernunt Regularium praedicationem. Vide verb. *Praedicare, Praedicator.* 28

Quoad ea, quae concernunt Regulares circa Processiones. Vide verb. *Processio.* 29

Quoad ea, quae concernunt Regularium Novitiatum. Vide verb *Novitiatus.* 30

Quoad ea, quae concernunt Regularium Professionem. Vide verb. *Professio.* 31

Quoad ea, quae concernunt Regularium Privilegia. Vide verb. *Oracula vivae vocis*, et verb. *Privilegium.* 32

Quoad ea, quae concernunt Regularium quaestum. Vide verb. *Eleemosyna*, et verb. *Quaestuare.* 33

Quoad ea, quae possunt, et debent Regulares circa Funera, Quartam, et Sepulturam. Vide verb. *Quarta*, et verb. *Sepultura.* 34

Quoad ea, quae possunt, et debent Regulares circa Eucharistiam. Vide verb. *Eucharistia*, *et infra art.* 3. *n.* 126. 35

Regulares non possunt ministrare Laicis saecularibus infirmis hospitantibus in eorum Conventibus Sacramenta Eucharistiae per modum Viatici, et Extremae Unctionis absque Episcopi, vel Parochi licentia; Et si id faciant, incurrunt Censuras inflictas *in Clementin. 1. de privileg.* et possunt per Ordinarium per Cedulones excommunicati declarari: *Sacra Cong. Concil. in Nullius* 19. *Septembris* 1637. *in Cremonensi* 27. *Februarii* 1649. *in Ripana* 3 *Februar.* 1652. *confirmata in Gerunden.* 13. *Februarii* 1694. *et in Neapolitana* 5. *Junii* 1700. apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 6. *formul.* 20. *n.* 16. 36

Regulares erigentes Altare portatile, et Sacrum facientes in Domo privatorum, ut ibidem Viaticum ministrent Regulari infirmo absque licentia Ordinarii, vel Parochi, possunt Censuris coerceri, et ligari, ut declaravit *Sacra Congreg. Concil. in Messanen.* 20. *Septembris* 1689. apud Monacell. *loc. cit. n.* 20. Vide verb. *Oratorium n.* 80. 37

Regulares omnes tenentur in quacumque alienationis specie, tam stabilium, quam mobilium pretiosorum, sive translatione dominii, aut creatione censuum, licentiam petere, et obtinere *a Sacra Congregatione Concilii*; prout Decreto Generali mandavit Urbanus VIII. *die* 7. *Septemb.* 1624. Immo nequeunt nedum censuario nomine, sed neque ad cambium, vel mutuo accipere pecuniam cum solutione alicujus lucri, vel cum obligatione bonorum. Vide verb. *Alienatio art.* 4. *n.* 30. *et* 33. 38

Et haec licentia gratis ab eadem Congregatione expediri debet, sicuti in dicto Decreto injunctum fuit, cujus observantia denuo demandata fuit 39

ab *eadem Sacra Congregat. sub die* 1. *Decembr.*
1691. his verbis: « Pro omnimoda observantia, et
executione Decreti, et gratis expediantur res Re-
gularium, aliorumque in Decreto comprehenso-
rum de licentia hujus Sacrae Congregationis tan-
tum in scriptis danda juxta formam, et tenorem
a san. memor. Urban. VIII. confirmati, si San-
ctissimo D. N placuerit ».

Die 4. *Decembris* 1691. « facta relatione per
Secretarium, Sanctissimus mandavit servandum
esse Decretum san. mem. Urbani VIII. super hac
re editum, et de licentia Congregationis Concilii,
et gratis juxta ejusdem formam, et tenorem ».

R. Pallavicinus S. C. Con. Secr.

Sic apud Monacell. *loc. cit. n.* 30. *et* 31.

40 Regulares non possunt in Sabbato Sancto pul-
sare Campanas ante pulsationem in Ecclesia Ca-
thedrali, vel Matrice: Leo X. Constitut. incip.
Dum intra §. 12. et saepe saepius declaravit *Sacr.
Congregat. Rit.* Vide verb. *Campana a num.* 11.

41 Regulares ratione hujusmodi pulsationis in Sab-
bato sancto posse conveniri coram Loci Ordinario,
decrevit *Sacra Congregat. Concilii in Capuana*
42 23. *Aprilis* 1591. Nisi consuetudo in contrarium
esset legitima, vel Ecclesiae multum distarent, *Ex
Sacra Congregat. Episcop. et Regular. in Surren-
tina* 16. *Julii* 1601. et postea in *Thelesina* 5. *Febr.*
1622.

43 Possunt tamen Regulares in quibuscumque aliis
diebus, etiam Dominicis, seu Festivis in suis Ec-
clesiis pulsare Campanas, et Missas celebrare an-
te celebrationem Missae, et pulsationem Campa
nae in Ecclesia Cathedrali, seu Matrice, vel Paro-
chiali, nec impediri possunt ab Episcopis, et Pa-
rochis. Vide verb. *Campana a n.* 16. *ad* 21.

44 Regulares omnes, quamvis sint Canonici Late-
ranenses, sive Praemonstratenses (*), aut quicum-
que alii Canonici Regulares, non possunt sine ex-
pressa dispensatione Apostolica obtinere ullum Be-
neficium Saeculare, sive Curatum, sive simplex,
et hujusmodi. Vide verb. *Concursus art.* 1. *a n*
38. *ad n.* 56. et verb. *Habitus n.* 69.

45 Regulares, sicuti alii Clerici saeculares, non pos-
sunt aliquos medio voto, vel juramento, aut pac-
to, seu promissione inducere, ut apud eorum Ec-
clesias sepulturam eligant, vel jam electam ulte-
rius non immutent, et hoc sub virtute sanctae obe-
dientiae, et sub interminatione maledictionis ae-
ternae, et sub poena nullitatis, et obligatione re
stitutionis, et interdicti Ecclesiastici, nisi resti-
tuerint, textu expresso in *cap. Animarum* 1. *de
sepulturis in* 6 ibi: « Animarum periculis, et
scandalis, quae frequenter ex his proveniunt, ob-
viare volentes, universis Religiosis, et Saeculari-
bus Clericis, cujuscumque status, vel conditionis
existant, in virtute S. Obedientiae, ac sub inter-
minatione maledictionis aeternae districtissime
prohibemus, ne aliquos ad vovendum, jurandum,
vel fide interposita, seu alias promittendum in-
ducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eli-
gant, vel jam electam ulterius non immutent. Nos
enim, si secus actum fuerit, electionem talem de-
cernimus, nullius penitus existere firmitatis. Sta-
tuentes etc. » : sequuntur aliae poenae.

Insuper Regulares, et omnes alii Clerici saecu- 46
lares inducentes aliquos, ut supra, ad eligendam
sepulturam in eorum Ecclesiis, incurrunt Excom-
municationem Papae reservatam, textu expresso
in *Clementin. Cupientes* 3. *de poenis* §. *Sane*, ibi:
« Sane temerarios violatores Constitutionis illius,
quae Religiosis, et Clericis saecularibus prohibet,
ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide in-
terposita, seu alias promittendum inducant, ut
sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel jam
electam ulterius non immutent, similem senten-
tiam (excommunicationis) poena in dicta Consti-
tutione contenta, in suo perdurante robore, in-
currere volumus ipso facto; ab alio, quam a Sede
Apostolica, praeterquam in mortis articulo, nul-
latenus absolvendos, nullis privilegiis, aut statutis
cujuscumque tenoris existant, super his valituris ».

Regularibus non licet in suis Ecclesiis admit- 47
tere ad celebrandum Presbyteros saeculares con-
tra prohibitionem Episcopi: *Sacra Congreg. Con-
cilii in Bononien.* 2. *Junii* 1720. *et in Limana*
29. *Januarii* 1633. Vide verb. *Missa art.* 4. *n.*
20. *et* 21.

Regulares inter Missarum solemnia possunt re- 48
cipere ea, quae sibi offeruntur; dummodo a per-
ambulationibus per Ecclesiam, ac similibus elee-
mosynarum extorsionibus se abstineant: *Sacra
Congregatio Concilii in Bononien.* 2. *Junii* 1620.

Regularium numerus cuique Monasterio, et Con- 49
ventui praefigendus est: Paul. V. Constitut. 9.
incip. *Sanctissimus.*

Plurima alia, quae concernunt Regulares circa 50
Conventus, seu Monasteria. Vide verb. *Conven-
tus per tot.*

Regulares cujuscumque Ordinis, etiam Mendi- 51
cantium, quantumvis Sedis Apostolicae siut Ca-
pellani, Superioribus suis subjecti esse debent: Gre-
gorius IX. Constitut. 6. incip. *Per Romani.*

Regularium Superiores non cognoscunt causas 52
suorum subditorum ad Officium Sanctissimae In-
quisitionis spectantes: Paulus V. Constit. 26. in-
cip. *Romanus.*

Regulares cujuscumque Ordinis, quantumvis e- 53
xempti, de Haeresi suspecti, puniuntur ab Inqui-
sitoribus Haereticae pravitatis; S. Pius V. Con-
stitut. 51. incip. *Pastoris.*

Regulares omnes cujusvis Ordinis, Religionis, 54
et Instituti, quibus pro delictis ad Sanctae Inqui-
sitionis Officium spectantibus poenitentiae genus
aliquod impositum fuit (salutaribus poenitentiis
exceptis), eo ipso ad omnes Religionis suae Gra-

(*) Praemonstratenses hac lege, quod attinet ad Paro-
chialia beneficia, non tenentur. Vide verb. *Canonici Re-
gulares quoad beneficia curata n.* 10.

dus, et Officia inhabiles censnantur, et deinceps, etiamsi poenitentiae tempus expleverint, vnl gratiam receperint, ad illa tamen promoveri nullatenus possint, nisi prius obtenta a S. D. N vel ab hac Sacra Congregationn coram Sanctitatn sua habenda speciali, et expressa rehabilitationis gratia; alias promotio quaniibet nulla sit, et promoventes ipsi privationem suornm Officiorum, ac praeterea vocis activae, et passivan ipso facto incurrant, qui restitui, nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem Sacra Congregatione coram Sanctitate sua habenda, non possint: *Sacra Congregatio Generalis S. R. et universalis Inquisitionis* dis 1. *Octobris* 1626.

55 Regulares non possunt in Sabbato sancto benedicere Domos, cum non possint hoc munus extra Conventum suum exercere: *Sacra Congr. Conc. die* 23. *Novembris* 1629. *et in Bononien*. 2. *Julii* 1602.

56 Regulares non possunt aggragare snae Regulae Personas in articnlo mortis constitutas: *Sac. Congreg. Rit. in Spoletana Terrae de Visso* 20. *Junii* 1609. apud Barbos. *in Summa Apostol. decis. verb. Regularis* n- 39.

57 Regulares non possunt constringi ab Ordinariis ad intervnniendum Orationi quadraginta horarum in Cathedrali: *Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. in Salernitana* 18. *Novemb.* 1581.

58 Regulares non debent permittere pauperes mendicare in eorum Ecclesiis, quando Divina celebrantur Officia: S. Pins V. Constitut. Incip. *Cum primum*.

59 Regulares Religionis suppressae non remanent liberati a votis, sed adhuc his obstricti sunt; adeo ut nec Matrimonium, nec Testamnntum facere, nec in Fidnicommissis, et hereditatibus succedere, nec acquirere possint, ut respondit *Sac. Cong. Conc. in Venata* 13. *Maii* 1679, *et in Bononien.* 25. *Augusti* 1692.

60 Superiores Regnlares non possunt apponere Interdictum in Ecclesiis sibi subjectis. Sic, partibus auditis, et informantibus, declaravit *Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Neapolitana Censurarum* 21. *Junii* 1697. contra Abbatem S. Petri ad Aram, qui Ecclesiam Monialium Reginae Coeli sibi subjectam Interdicto subjecerat.

61 Regulares professi non possunt ad aliam Religionem, etiam strictiorem transire sine licentia Sedis Apostolicae: Monacell. *tom.* 2. *tit.* 16 *formul.* 3. *n.* 18. Donat. *Prax. rerum Regular. tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 5. *qu.* 22. *num.* 11. et communis aliorum ex praxi, et stylo Curiae; et quo ad transitum ad alias Rnligiones edita est novissime a Benedicto XIII. Constitutio incip. *Licet Sacra*, quae ad uberiorem notitiam hic ad litteram datur.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc.

§. « Licet Sacra Tridentina Synodus, ut integritati disciplinae Rngularium prospiceret, provido consilio statuerit neminem cujuscumqun Ordinis Praelatum, vel Superiorem, vigore cujusvis facultatis, aliquem ad Habitum, et Professionem admittern posse, nisi, ut in Ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneat; et licet Pius Papa Praedecessor noster Constitutionem ediderit, qua omnia Privilegia abrogavit quibuscumqun Ordinis Monasteriis, Hospitalibus, et locis piis olim concessa excipiendi, et retinendi Fratres, Monachos, Canonicos, aliosque, quamvis in Ordinn mitiori Professos, prohibendo, ne illi in posterum ad Habitum, et Professionem Regularem admitterentur, etiamsi perpetuo manere, nt vivere deberent in claustro; nihilominus viri pietatn, nt prudentia conspicui Nobis exposuerunt, se longa experientia didicisse, Nosque ipsi, qui, Deo favente, hac ipsa din Regularn institutum Ordinis Praedicatorum in adolescentia professi fuimus, et adhuc profitemnr, saepe longo usu cognovimus, praedictas sanctiones, et cautelas pro recta Ordinum Regularium disciplina adversus calliditatem, et malitiam hominum tuenda, parum sufficere; Siquidem compluries contigit, nt in dies euntingere videmus, qnospiam, Ordinis Regularis, et Cisnstralis institutum professos, deinde postquam illud Apostasia deserunrunt, vel etiam aliquando sine Apostasia, peculiares ob causas, ejusmodi transitus facultatnm postulare, et impetrarn consuevisse a propriis Superioribus, sn Privilegium subditis suis Regularibus eumdem transitum ad alias Religiones concedendi habern jactantibus, vnl ejusmodi facultatem sibi dari procurarn a Sanctae Romanan Ecclesiae Cardinalibus Legatis, vel ab ejusdem Ecclesian Cardinali Majori Poenitentiario, et non raro a Nostran Civitatis Avenionensis Vicelegato, vel ab alterutra nx congregationibus Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctan Romanae Ecclesian Cardinalium negotiis Episcoporum, et Regularium praeposita, et Sacri Concilii Tridentini Interpretum. Quae facultas transeundi ad profitendam Regulam alterius Religionis in qua nulla vigeat Claustralis, et Regularis observantia, vel in aliam Religionem Hospitalariam, aut Militarem, vel Hospitalariam simul, et Militarem, ubi etiam vigeat Claustralis, et Regularis observantia compluribus decretis earumdem Congrngationum, nt optimo statui Ordinnm Regularinm maxime opponitur ».

« §. 2. Quare praecipua sollicitudo nostra erga omnes Regularium familias, quas veluti acies castrorum, ad excubias militantis Ecclesiae ordinatas, magno, et vare paterno amore complectimur, Nos monet, nt praesenti Constitutionn in suo plnno robore, et vigore perpetnis temporibus duratura, integriori eorumdem Regularium disciplinae providentes, praedictam corruptelam avellern studeamus; Itaqun omnibus, et singulis Regularibus, in quocnmqun Regulari, et Claustrali Ordine professis, transitum ad qnemcumque alium Ordinem, in quo Clanstralis, et Regularis observantia non

vigeat, post maturam hac de re habitam deliberationem, motu proprio, et ex certa scientia omnino prohibemus; Transitum etiam ad quemcumque Ordinem Hospitalarium, vel Militarem, vel Hospitalarium simul et Militarem, etiamsi in hujusmedi Ordinibus Claustralis, et Regularis observantia vigeret: ac etiamsi ageretur de Apostata, vel non Apostata, a primaevo suo Ordine ad ejusmodi alium transire volente pari modo prohibemus. Insuper quibuscumque Superioribus Regularium, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Legatis, ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardin. Majori Poenitentiario, Nunciis Apostolicae Sedis, Vicelegato Avenionensi, utrique Congregationi Cardinalium negotiis Episcoporum, et Regularium praepositae, Sacrique Concilii Tridentini Interpretum, per praesentes tollimus, revocamus, et abrogamus quaecumque privilegia, auctoritates, facultates, et consuetudines, ejusmodi transitum concedendi cuicumque Regulari, Claustrali, Apostatae, vel non Apostatae, quacumque de causa, quamvis etiam consensus, tam Superioris, in cujus Ordine antea professus fuerit, quam alterius Superioris, in cujus Ordine novam Professionem emittere voluerit; Nobis autem, Nostrisque Successoribus Romanis Pontificibus pro tempore extituris similes concessiones penitus reservamus, ita ut in posterum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Legati, ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Major Poenitentiarius, Nuncii Apostolicae Sedis, Vicelegatus Avenionensis, praedictaeque Congregationes in examine libellorum supplicum, hujusmodi transitus postulantium, hac de re nihil omnino decernere possint, nisi Nostro, vel Romani Pontificis pro tempore extituri speciali Rescripto, ejusmodi libelli supplices ad illos remissi fuerint: quo rescripto etiam obtento, nihilominus transitus facultatem, etiamsi causae ejus concedendi summae viderentur, nullo modo concedere valeant, nisi postquam Nobis, et pro tempore extituro Romano Pontifici, totius rei distincta, et accurata relatio facta fuerit, et postquam a Nobis ipsis, vel a Romano Pontifice pro tempore extituro earumdem causarum pondus approbatum, et transitus facultas concessa fuerit ».

« §. 3. Eisdem vero praesentibus litteris nostris quoscumque transitus, non observato ad unguem harum tenore, imposterum faciendos, nullos, et invalidos fore, et esse declaramus; Ordinariis Locorum concedentes, vel ad illos extendentes eamdem facultatem procedendi in eos, qui deinceps, praesenti Constitutione non observata, ad alium Ordinem transire ausi fuerint, quam Tridentina Synodus Ordinariis concessit in Regulares, extra Monasteria vagantes, et crimina committentes ».

« §. 4. Decernimus quoque etc. ».

« §. 6. Quocirca mandamus universis Locorum Ordinariis, ut, quando, ubi, et quoties opus fuerit, easdem praesentes solemniter publicantes, eis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistant, non obstantibus Constitutionibus, etc. ».

« §. 6. Nulli ergo omnino hominum etc. ».

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo sexto, Idibus Februarii. Pontificatus Nostri anno secundo.

P. CARD. PRODATARIUS.

Visa de Curia J.

F. CARDIN. OLIVERIUS.
Archiepiscopus Ancyranus.

L. MARTINETTUS.

62 Regulares omnes Professi tam Superiores, quam subditi nequeunt condere Testamentum. *Communis, et certa*, per text. *in cap. Quia ingredientibus 7. caus. 19. q. 3.* ibi: « Quia ingredientibus Monasterium convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem Monasterii Juris fiant, aperta Legis definitione decretum est ». Idem habetur *Authent. Ingressi, Cod. de SS. Ecclesiis.* Et ratio clara est, quia ob votum obedientiae, et paupertatis omni libertate, et proprietate se privant, ita ut nec velle, nec nolle, nec quidquam proprium, de quo disponere possint, amplius habeant, *arg. citatis Juribus.* juncto capite *Non dicatis 11. caus. 12. quaest. 1.*

63 Neque Regulares testari possunt ad pias causas: *Communis.* Juris enim rationes aeque in Testamentis ad pias causas, ac in aliis locum habent; Adeoque Jura indistincte sunt intelligenda, cum ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus, *cap. Quia circa 22. de Privilegiis, et l. de pretio 8. ff. de Publiciana in rem actione.* Immo neque de licentia Praelati, seu Superioris: 64 *Communis*, quia, ut dicitur *in l. Nemo 45. ff. de Regul. Jur. Nemo plus Juris ad alium transferre potest, quam ipse haberet, et cap. Nemo potest 79. de Regul. Jur. in 6.* « Nemo potest plus Juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur »; Cum nemo possit dare quod non habet; *l. Traditio 20. ff. de acquirendo rerum dominio, c. Daibertum 1. qu. 7. cap. Quomodo, de consecrat. dist. 4. cap. Quod autem 5. de Jurepatronat.* Et expresse declaravit *Sacra Congregatio Visitationis Apostolicae sub die 19. Januarii 1696. Decreto 5.* et approbavit Congregatio particularis quinque Cardinalium *die 25. Julii ejusdem anni in causa Religiosorum S. Spiritus in Saxia de Urbe*, ubi quod dicti Religiosi non possunt Testamentum condere, neque de licentia Praeceptoris, seu Commendatoris Domus; apud Monacell. *tom. 2. titul. 13. formul. 17. n. 13.*

65 Nec possunt Regulares testari, etiamsi ante Professionem sibi aliquam summam suorum bonorum

reservassent cum facultate testandi, quia est actus dominii, pro quo explendo defecit prorsus in eis habilitas, cum sit species novae ultimae voluntatis: Passerin. *de statibus homin. tom. 1. quaest.* 186. *art.* 7. *n.* 50 Monacell. *tom.* 1. *in Append. Adnotat. ad Constitut. Clement. VIII. de largitione muner. n.* 17. Sanchez, et alii passim, *arg. supracitatis Juribus.* Quinimmo Regularibus Professis neque licet Testamentum a se conditum ante emissam Professionem moderari per viam declarationis, *Sacr. Congregat. Concil.* 4. *August.* 1685 *lib.* 25. *Decret. fol.* 237. apud Monacell. *tom.* 4. *supplement. ad* 2. *tom. n.* 277. Vide verb. Testamentum *art.* 3. *n.* 36.

66

67 Quo ad ea, quae possunt, et debent necessario observare Regulares circa largitionem munerum, datur hic ad litteram.

Constitutio Clementis VIII. De largitione munerum una cum ejus Confirmatione facta ab Urbano VIII. sub poenis privationis Officii, vocisque activae, et passivae ipso Jure incurrendis, Januario quoque mense legenda.

CLEMENS EPISCOPUS, etc.

« Religiosae Congregationes ab insigni Sanctitate viris Spiritus Sancti afflatu institutae, tantas Ecclesiae Dei utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conservandas, et instaurandas Romani Pontifices Praedecessores Nostri, magnum jure optimo diligentism semper adhibuerint: Nam cum ea sit rerum humanarum conditio, et natura, ut etiam quae optime fundata, et constituta sunt, partim hominum imbecillitate, et ad malum proclivitate, partim Daemonis astutia, paulatim deficiant, ac nisi cura pervigili sustententur, in deterius prolabantur; idcirco Summorum Pontificum vigilantia magnopere laboravit, ut Regularium Ordinum disciplina, aut labefactata in pristinum restitueretur, aut salutaribus Constitutionibus communita, integra, atque incolumis permaneret. Quorum Nos vestigiis pro eodem Officii munere insistere, et Pastoralem illorum sollicitudinem (quantum possumus), Divina adjutrice gratia, cupimus imitari.

§. 1. Quare, ne ex muneribus, quae a pluribus Religiosae vitae Professoribus ex Christi patrimonio, quibusvis hominibus quavis ex causa saepe tribuuntur, gravia incommoda, et mala, etiam boni specie, existant, praecavere studentes, hac nostra perpetuo valitura Constitutione universis, et singulis cujuscumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, bona immobilia, et redditus certos ex Indulto Apostolico possidentium, vel non possidentium, seu cujusvis Congregationis, Societatis, et Instituti (non tamen Militiae) Regularibus Personis utriuslibet sexus omnem, et quamcumque largitionem, et missionem munerum penitus interdicimus; Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia, et singula Capitula, Conventus, et Congregationes, tam singulorum Conventuum, Monasteriorum, Prioratuum, Praepositurarum, Praeceptoriarum, Domorum, et Locorum, quem Provincialia, aut Generalia cujuslibet Provinciae, sive universi Ordinis, Societatis, aut Instituti; eorumque, vel earum Camerarios, Commissarios, et quoscumque Officiales, et singulares personas; ipsos etiam Ordinum, Congregationum, et Societatum hujusmodi Superiores, quascumque Dignitates obtinentes, etiam Generales, et Provinciales, Magistros, Ministros, et quocumque nomine Praefectos, nec non Conventuum, Monasteriorum, Prioratuum, Praepositurarum, Praeceptoriarum, Domorum, et Locorum quorumcumque Abbates, Priores, Praepositos, Praeceptores, etiam majores Guardianos, Ministros, Rectores, atque Abbatissas, Priorissas, et alio quovis titulo Praesidentes, tam ipsis Regularibus, quam Locorum Ordinariis, seu quibusvis Superioribus subjectos utriuslibet sexus ad vitam, vel ad tempus deputatos: adeo ut nemo unquam eorum, vel earum directe, vel indirecte, palam, vel occulte tam communi, quam particulari, et proprio nomine, etiam sub quovis statuti, vel consuetudinis, seu verius corruptelae, aut alio praetextu, vel quacumque causa, nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione, re mature discussa, unanimi consensu omnium, Superiorumque permissu, causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.

§. 2. Id autem ita absolute, et generatim vetitum intelligatur, ut neque omnino fas sit, quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, et proventibus, collectis, vel contributionibus, aut obligationibus, sive eleemosynis, aut subsidiis certis, vel incertis, ordinariis, seu extraordinariis, mensae, seu massae communis, vel cujusvis fabricae, et Sacristiae, quorum bona communiter, ut praefertur, administrantur, seu quae rationibus reddendis sunt obnoxia, quam ex pecuniis etiam, quae a singulis quovis modo acquisita in commune conferendae omnino sunt: Nec si per viam voluntariae contributionis in communi congerantur: Nec si forsan privatim, et nominatim cuilibet Religioso a suis Superioribus, vel a propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut benevolis, vel a piis Christifidelibus, etiam eleemosynae, aut Caritatis, et illius propriae Personae intuitu attributae, seu quoquomodo per quemlibet Religiosum suo Monasterio, Domui, aut loco acquisitae, eique, ut ad libitum de iis disponat, per Superiores concessae fuerint, praeterquam leviora esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem, vel Religionem pertinentia munuscula communi tantum, numquam vero particulari nomine (ubi Superiori de consensu Conventus videbitur) tradenda.

§. 3. Sed et hujusmodi missiones munerum ipsis Religiosis utriuslibet sexus, non solum per se, verum etiam per alios tam directe, quam indirecte prohibitas declaramus.

§. 4. Neque vero quispiam ab hac generali prohibitione se excusare valeat, etiamsi munera miserit cuivis Personae Laicae, vel Ecclesiasticae cujuscumque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, et quavis, non solum mundana, et Ducali, Regia, imperiali, verum etiam Ecclesiastica, et Pontificali, aut alia majori, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalatus dignitate fulgentibus, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex causa, et occasione benedictionis, vel susceptionis Monialium, tam sibi subditarum, quam non subditarum, aut ipsi etiam alio proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Vice Protectori, Generali, vel Principali, aut cujusvis Monasterii, Prioratus, Domus, aut cujuslibet alterius Loci Regularis Superiori, aut alio quocumque Officio, munere, aut Dignitate fulgenti, vel cuicumque etiam simplici, et particulari Religioso; ita ut inter ipsos quoque Religiosos (ne pravo ambitionis impulsu pro consequendis in sua Religione Gradibus, et Dignitatibus alter alterius gratiam et benevolentiam aucupetur) quaecumque largitio, aut donatio munerum, (nisi rerum minimarum de licentia expressa, et in scriptis Superiorum) sit penitus interdicta.

§. 5. Insuper prohibemus, ne unquam eisdem Regularibus liceat ullas pecunias quoquomodo erogare in alicujus etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarii honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad Beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi testificationem, seu pro praedictis personis, quavis auctoritate, vel Dignitate fulgentibus honorifice, laute, et opipare excipiendis, seu pro quibusvis conviviis eisdem, aut cuivis illorum, quacumque occasione, vel causa exhibendis, vel pro comessationibus, aut compotationibus quibusvis personis, tam ejusdem Ordinis, Congregationis, Monasterii, Domus, aut loci, quam extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis etiam piis intra Ecclesias, Monasteria, et Domos sacras, seu pias, vel extra eas, in quibusvis publicis, aut privatis, aut profanis locis, etiam ubi Sanctorum, et Sanctarum vita, aut res pie gestae, etiam in memoriam Passionis Dominicae populis spectandae proponuntur, aut alias in praedictis, sive in quibusvis rebus supervacaneis ad pompam, et ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, et privata commoda quomodolibet pertinentibus, nisi re ipsa pro divino cultu, et veris Christi pauperum indigentiis, servato in hoc Caritatis ordine, et habita necessitatis ratione, de consilio, et consensu Superiorum sublevandis, aut alias in rebus licitis, et per Capitulum Generale, aut Provinciale non prohibitis, vel Taxam ibi forsan praescriptam non excedentibus, sumptus hujusmodi fiant.

§. 6. Declarantes tamen, per haec laudabilem, et Apostolica doctrina, sacrisque Canonibus commendatam hospitalitatem, praesertim erga pauperes, et peregrinos nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimmo si qui redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institutis, statutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum, Ordinum, aut Regularium hujusmodi Locorum, aut ex Testatorum, vel Donantium voluntatibus, sive alias applicati, aut donati sunt, eos omnino (ut decet) integre in usus pios hospitalitatis hujusmodi erogandos esse, et praesertim in Monasteriis, seu Locis desertis, et ab Laicorum aedibus longius remotis, ubi tamen pauperum, et vere egenorum ratio in primis habeatur.

§. 7. Si quos vero ditiores occasione transitus, sive alias ex devotionis, aut necessitatis causa eo divertere contigerit, eos sane deceret Refectorio communi cum Religiosis, mensaque, et ferculis communibus, nequaquam a ceteris distinctis contentos esse; Verum omnino ipsi Regulares in hospitibus hujusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, ut in eis frugalitas, et paupertas Religiosa prorsus eluceat.

§. 8. Pari etiam ratione districte inhibemus, ne quispiam ex praedictis Laicis alias, quam, ut superius dictum est, vel Clericus saecularis, vel Regularis quocumque honore, praeeminentia, nobilitate, aut excellentia, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalatus dignitate praeditus, etiam Protector, Vice-Protector, loci Ordinarius, Praelatus, Generalis, Provincialis, aut Monasterii, Domus, vel loci cujuslibet Superior, eorumve affines, propinqui, familiares, aut Ministri utriuslibet sexus, quicquam contra hanc superius expressam prohibitionem recipiant.

§. 9. Quod, si vel ab aliquo particulari Religioso, vel a Superiore quopiam Generali, Provinciali, aut quocumque Officio fungente, aut a Conventu, Capitulo, vel Congregatione, sive ab universo Ordine, et Religione quicquam receperint, quod acceperint, suum non faciant; Verum, ipso facto, absque aliqua monitione Judicis, decreto, sententia, aut declaratione, ad illius restitutionem omnino in utroque Foro teneantur, adeo ut, restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in Foro conscientiae absolvi possint.

§. 10. Hanc autem restitutionem fieri volumus non privatim ei Religioso, qui donavit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco, de cujus bonis facta est largitio, vel si non de ejus bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans Professionem emisit, vel si nomine totius Capituli, Conventus, aut Congregationis, vel universi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensae, aut massae, cujus nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur, ita ut, nec qui donavit, nec Conventus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, et iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel ut in pauperes eroget, concedere quoquomodo possit.

§. 11. Quod si quis ex supradictis Regularibus

utriuslibet sexus, cujuscumque gradus, ordinis, dignitatis, ac ubilibet locorum existentibus, conjunctim cum ceteris, seu divisim nostrarum hujusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, jussionum, decretorum, mandatorum transgressor fuerit, statuimus, ut omnibus, et singulis per eum obtentis Dignitatibus, Gradibus, Muneribus, et Officiis, eo ipso privatus, ac ad illa, et alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuo, et incapax, ac perpetua infamia, et ignominia notatus existat; Et praeterea privationem vocis activae, et passivae, absque ullo Superioris Decreto, aut ministerio, ipso facto incurrat: nec non ultra hujusmodi poenas, etiam tamquam contra furti, et simoniae criminum reum, tam per viam denunciationis, accusationis, aut querelae, quam etiam ex Officio procedi, et inquiri, condignisque suppliciis affici debeat.

§. 12. Poenis aliis a Jure statutis, ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria cujusvis Ordinis, Congregationis, Monasterii, Domus, aut Loci statuta, vel consuetudines contra Personas aliquid praemissorum committentes, forsan decretis, et inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

§. 13. Quo circa universis, et singulis modernis, et pro tempore existentibus locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, et Officialibus, nec non quorumcumque Ordinum, Prioratuum, Monasteriorum, et Domorum Superioribus, etiam Generalibus, seu Provincialibus, ceterisque, ad quos spectat, per Apostolica Scripta mandamus, quatenus ipsi, et eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentia, auctoritate, et vigilantia, praesentem Constitutionem firmiter, et inviolate observari, et contra inobedientes, vel transgressores condignis poenis animadverti; eosdem inobedientes, nec non contradictores quoslibet, et rebelles per opportuna Juris, et Facti remedia, appellatione postposita, cumpescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§. 14. Non obstantibus Constitutionibus, etc.

§. 15. Volumus autem, ut praesentes Litterae in valvis Sancti Joannis Lateranen. et Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, et in Acie Campi Florae publicentur, affixis inibi earum exemplis, et dimissis; Quodque earum exempla, seu illarum compendia in libris quorumcumque Statutorum praedictorum Monasteriorum, Prioratuum, Collegiorum, Domorum, Ordinum, et Congregationum (quoad Moniales in vernaculum, et vulgarem cujusque Regionis sermonem versa), et a loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, subscripta inserantur, et saltem quotannis in Capitulis, sive Congregationibus cujusque earum alta, et intelligibili voce legantur; et nihilominus post sexaginta dies a die publicationis (ut praefertur) in Rom. Curie facienda, unumquemque citra montes, ultra montes vero, post quatuor menses perinde arctent, et afficiant, ac si cuique personaliter intimatae, et per eos juratae fuissent.

§. 16. Quodve earum transumptis, etc.

Nulli ergo omnino etc.

L. CARD. PRODAT.

M. Vestrius Barbianus.

A. DE ALEXIIS.

Confirmatio et moderatio supradictae Constitutionis.

URBANUS PAPA VIII. etc.

§. 1. Nuper a Congregatione nonnullorum Romanae Curiae Praelatorum coram dilecto Filio Nostro Antonio tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Onuphrii nuncupato, Majori Poenitentiario, ac Nostro in Alma Urbe Pro-Vicario in spiritualibus generali, et nostro secundum carnem Fratre Germano a Nobis deputate, emanavit Declaratio tenoris subsequentis, videlicet.

Cum circa interpretationem Constitutionis fel. rec. Clementis VIII. sub dat. XIII. Kal. Julii, Pontificatus sui anno tertio, de largitione munerum Regularibus utriusque sexus interdicta, nonnullae difficultetes, et ambiguitates sint exortae; Congregatio specialiter a S. D. N. Urbano divina Providentia Papa VIII. coram Eminentissimo Cardinali S. Onuphrii Majori Poenitentiario, ac Urbis Pro-Vicario deputata, auctoritate sibi attributa declaravit, et declarat, munera a Religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentiae, ejusque conservationis erga ipsam Religionem, vel Conventum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis, et meriti continentibus, modeste tamen, ac discrete, et dummodo id non fiat nisi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis Conventus, si talis consensus de Jure, vel ex Constitutionibus, seu consuetudinibus cujusque Religionis respective, in hujusmodi casibus requiratur; Consensum vero Conventus in §. 2. ejusdem Constitutionis ad leviora esculenta, seu ad devotionem, et religiositatem pertinentia, munuscula largienda etc. requisitum, intelligi debere de consensu alias de Jure requisito, et ubi concurrit ambitionis suspicio, qua cessante, nec in his requiri licentiam Superiorum in scriptis in §. 4. ejusdem Bullae requisitem, sed sufficere licentiam, etiam oretenus eisdem concessam, declarat; Comessationes autem, Compotationes, et Convivia, in excipiendis praesertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinariis honorifice, et laute, de quibus in §. 5. *et* 6. ejusdem Constitutionis, censeri tantummodo prohibita, si decentiae status Regularis adversentur; Restitutionem vero receptorum Conventibus faciendam, de qua *in* §. 10. ibidem cautum est, in-

telligi debere de Conventibus, ad quos data, seu missa de Jure pertinent, si id commode fieri potest, elias Conventui ejusdem Religionis viciniori loco, ubi petita fuit absolutio, restituantur; Insuper eedem facultate sibi tributa, omnes, qui hucusque adversus supradictae Constitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt, a poenis quibuscumque in eadem Constitutiona inflictis, et incursis posse, et debere e propriis confessariis absolvi in foro coscientiae, etiam non facta prius hujusmodi rerum donatarum, seu datarum restitutione; quoad eos, vero qui praeter modum praedictum graviori Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo transgressi sunt, sed ob Inopiam restituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit Majori Poenitentiario, ut de praeteritis usque ad diem detae praesentium in Foro conscientiae absolvat, dispenset, et condonet, seu absolvi, dispensari, at condonari mandet, prout in Domino magis expedire judicaverit.

§. 2. Et ne praedictae Clementis VIII. Constitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cujuscumque Monasterii, Conventus, Domus, ac Collegii Regularis, sub poena privationis Officii, vocisque activae, at passivae ipso Jure incurrenda, efficere tenaantur, ut in perpetuum singulis annis mense Januario, non solum praedicta Constitutio (quam in reliquis ejus partibus eadem Sanctitas omnino observari jubet, et quatenus opus sit, innovat, (quemcumque praatensum non usum, aut praetensum usum, seu preatensam consuetudinem damnando, et irritando), varum etiam hoc Decretum In aliqua publica Congregatione, vel saltam in publica mensa perlegetur; Omnibus tam Ecclesiasticis personis, atiam Regularibus, quam Laicis cujuscumque sint Ordinis, Conditionis, Gradus, ac Dignitatis, etiam speciali nota dignis, et qui sub generali dispositione non comprehenderentur, praedictam Clementis Constitutionem contra praesentia Decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta, super quibus Sanctissimus mandavit expediri Breve datum Romae dia decima quinta Septembris 1640.

§. 3. Quapropter, ut praemissa firmius subsistant, at inviolabiliter observentur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, et ex carta scientia, ac matura daliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, declarationem praeinsertam cum omnibus, at singulis in ea contentis tenore praesentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, at singulos, tam Juris, quam Facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illaque inviolabiliter ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit in futurum, observari.

§. 4. Sicque, et non aliter atc.

§. 5. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XVI, Octobris MDCXL. Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

M. A. Maraldus.

Recipientes munera a Regularibus contra praescriptum dictarum Constitutionum Clementis, et Urbani VIII. quicumque sint, sive Regulares, sive Saeculares, quacumque Dignitate, vel Superioritate praediti, in neutro Foro absolvi possunt ante factam restitutionem, ut patet in d. Constitutione Clementis VIII. §. 9. Et si munus excedat summam scutorum decem, neque possunt absolvi a Summo Poenitentiario, prout patet ex novissima Const. Innocentii XII. declaratoria facultatis Cardinalis Poenitentiarii, emanata tertio Nonas Septembr. 1692. Incip. *Romanus Pontifex*, In qua §. 17. sic expresse habetur: « Munera a Regularibus contra racolend. mem. Clementis Papae VIII, pariter Praedecessoris Nostri anno Incarnationis praefatae 1593. tertio decimo Kalendas Julii editam Constitutionem ultra valorem decem scutorum monetae recipientes, exceptis rarum medicinalium, seu devotionis muneribus, ante factam restitutionem non absolvat, nec mandet absolvi. Infra vero praedictum valorem, nonnisi facta arbitrio ipsius Majoris Poenitentiarii, seu per eum eligendi Confessarii eleemosyna, quae in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de Jure facienda esset restitutio, si caute fieri potest, erogetur, absolvat, seu mandat absolvi ». Vide infra *num.* 128. 68 69

Regulares non possunt uti Livellis, nisi servata forma dictae Constitutionis Clementis VIII.; sic declaravit *Sac. Congregat. Episcop. in Florentina* 21. *Julii* 1690. *ad relationem clarae mem. Cardinalis Petrucci*, apud. Monacell. *loc. cit. num.* 7. 70

Quoad ea, quae concernunt Regulares assumptos ad Episcopatum. Vide verb. *Episcopus art.* 7. 71

Assignatur tempus, quo a Regularibus legendae sunt variae Constitutiones Apostolicae, et Decreta Sacrarum Congregationum sub poena privationis Officii, vocisque activae, at passivae ipso facto a Superioribus incurrenda, ut notat Lantusca, *in Theatr. Reg. verb. Decreta n.* 2. 72

Mense igitur Januario.

Legi debent Constitutiones Clementis VIII. incip. *Religiosae Congregationis*, et Urb. VIII. Incip. *Nuper a Congregatione* de lergitione munerum. Sic statuitur in Constitut. Urb. VIII. Incip. *Nuper* §. 2.

Kalendis Martii.

Legi debet Decretum spectans ad Sacet. Officium Alexandri VII. jussu editum incip. *Licet alias*. Sic statuitur in ipsa Constitutione §. 5. ubi mandatur, quod legatur una cum aliis Decretis,

et constitutionibus Apostolicis ad S. Officium Inquisitionis adversus Haereticam pravitatem pertinentibus quotannis legi juxta Decretum Urbani VIII. incip. *Sanctissimus Dominus*.

Feria sexta post Octavam Corporis Christi, et Feria secunda post primam Dominicam Adventus; Vel infra terminum unius mensis immediate subsequentis, juxta Decret. Sacrae Congregationis Regular. ad istantiam Procuratoris Generalis Congregationis Lateranensis editum *die* 16. *April.* 1630. Vel infra terminum decem dierum immediate subsequentium, juxta Decretum ejusdem Sacrae Congregat. Regular. ad istantiam Procuratoris Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini editum *die* 21. *Maii* 1638.

Legi debent Decreta Sacrae Congregationis Concilii de celebratione Missarum incip. *Nuper a Congregatione*.

Feria sexta post octavam Assumptionis B. M. V. vel per totum residuum Mensis Augusti, juxta Decretum Sacrae Congregationis S. Inquisitionis ad instantiam Procuratoris Generalis Congregationis Lateranensis editum *die* 11. *Febr.* 1638.

Legi debet sub poenis privationis Officii, vocisque activae, et passivae ipso facto incurrendis, atque aliis suae Sanctitatis arbitrio infligendis etc. Decretum Sacrae Congregationis Sancti Officii jussu Urbani VIII. editum de observantia Constitutionum Apostolicarum ad Sanctum Officium pertinentium, incip. *Sanctissimus Dominus*.

Diebus a Superiore assignandis, bis quotannis,

Legi debent sub poenis privationis Officiorum, et vocis activae, et passivae, Decreta Generalia Clementis VIII. pro reformatione Regularium incip. *Nullus omnino*; Et Decreta Sacrae Congregationis Concil. Urbani VIII. jussu edita de Regularibus Apostatis, et Ejectis, incip. *Sacra Congregatio*, una cum Decreto ejusdem Sacrae Congregationis Innocentii XII. jussu editum, moderatorio, et incorrigibilium respective innovatorio incip. *Instantibus Procuratoribus*.

Item bis quotannis diebus a Superiore assignandis,

Legi debent Decreta Clementis VIII. super receptione, educatione, et Professione Novitiorum, quorum primum incip. *Regularis disciplinae*, Secundum incip. *Sanctissimus in Christo*, Tertium item incip. *Sanctissimus in Christo Pater*, Quartum item incip. *Sanctissimus in Christo Pater*, Quintum incip. *Cum ad Regularem disciplinam*.

Item in quolibet Generali, vel Provinciali Capitulo, Congregatione, Capitulari Congressu, Dieta etc. sub poenis privationis Officii, vocisque activae, et passivae ipso facto incurrendis.

Legi debet Decretum Sacrae Congregationis S. Officii Urbani VIII. jussu editum de observantia Constitutionum Apostolicarum, et decretorum ad Sanctum Officium pertinentium incip. *Sanctissimus Dominus*. Item sub iisdem poenis legi debet saltem semel singulis annis Kalendis Martii in publica Mensa, vel alias in Capitulo ad hoc specialiter convocato una cum aliis Decretis, et Constitutionibus Apostolicis ad S. Officium Inquisitionis adversus Haereticam pravitatem quotannis legi solitis, juxta dictum Decretum Urbani VIII. incip. *Sanctissimus Dominus*.

Item sexto quoque mense in Conventibus Recollectionis, et Novitiatus pro Nostratibus, legi debet Decretum Innocentii XI. incip. *Pro meliori Novitiorum*.

Item pro Nostratibus bis saltem in singulis annis, sub poena destitutionis Superiorum Localium ipso facto incurrenda,

Legi debet Constitutio pro restituendo, ac conservando Candore Regularis disciplinae, edita ab Urbano VIII. *die* 1. *Junii* 1640. et incip. *Militantis Ecclesiae*.

73 Regulares utriusque sexus tenentur ad observantiam Regulae secundum primaevam institutionem; textu expresso in Concilio Tridentino *sess.* 25. *de Regularibus c.* 1. *cap. Cum causam* 27. *de election. cap. Ad nostram* 4. *de appellat. cap. Super eo* 9. *et cap. Ex part.* 29. *de Regularibus, cap. Recolentes* 3. *Et cap. Ea quae* 8. *de statu Monachor.* Quamvis enim controvertant Doctores, an si reducatur religio, seu Monasterium, ad primum regulae rigorem, pristinamque severitatem, teneantur Regulares inibi professi ad illam reformationem, possintque ad illam servendam compelli? Et Oltrad. *consil.* 96. et aliqui alii tenuerint, non posse praecise compelli; Tamen contraria opinio est *Communis* per *Jura citata*, et eam tenent Innocentius *in cit. cap. Super eo* 9. *de Regularibus*, et ibi Joannes Andreas, Butrius, Cardinal. et Abbas plene *in cap. Ad nostram* 3. *de appellationibus n.* 4 et ibi late Felinus *n.* 4. *et* 5. Decius *n.* 5. *et* 6. Praepositus *n.* 9. Butrius *in cap. Cum causam* 27. *de elect. n.* 14. *et* 15. ubi sic expresse dicit: « Non excusantur intrantes Religionem collapsam, si ipsam profitentur, licet tempore, quo profitentur, non sit ibi observantia, si Regulam ad unguem non servant, et sic videtur, quod omnes Monachi vadant ad Domum Diaboli ». Et ibidem Joann. de Anania *n.* 4. dicens: « Nota textum (et servent regulam), qui probat, quod non excusatur ille, qui intrat Religionem collapsam, in qua Regula non servatur ad unguem, si illam profitetur, et sic videtur secundum Dominum Antonium, quod hodie omnes Monachi vadant ad Domum Diaboli ». Et sequitur Fagnan. *ibid. n.* 33. *et in c. Ne innitaris* 5. *De Constitutionibus n.* 326. *et in c. Recolentes* 3. *de statu Monachorum a n.* 4. *ad* 7. Donatus *prax. rerum Regularium tom.* 4. *tract.* 15. *q.* 5. *per tot.* et alii passim, quam sententiam uti veram, et communem amplexa est Rota *decis.* 216. *part.* 2. *divers. per tot. et praesertim n.* 7. *et seq.* et probavit *Sac. Congreg. Concilii* apud Fagnan. *in cit. cap. Recolentes* 3. *de statu Monachor. n.* 7. ubi censuit, posse Superiores Regularium inducere reformatio-

nem juxta ipsorum Instituta, si eorum Monasteria sint relaxata, et regula collapsa, et ad illam omnes obligare, ut colligitur *ex cit. cap.* 1. *sess.* 25. *de Regularibus.*

74 Et ratio est, quia Religiosi per Professionem renunciarunt propriae voluntati, cum non amplius habeant velle, nec nolle, textu expresso *in cap. Si Religiosus* 27. *de election. in* 6. *cap. Religiosus* 2. *de Testament. etiam in* 6. *cap. Religiosi* 5. *de sepulturis, item in* 6 *cap. Non dicatis* 11. *caus.* 11. *q.* 1. et ut recte dicunt Summa Asten. *tit.* 47. *de Regularibus art.* 3. *in* 7. *quaest.* Fagnan. *loc. cit. n.* 6. et alii.

75 Profitentes profitentur Regulam, non consuetudinem, et relaxationem, immo ad id expressam faciunt protestationem, adeoque ad regulae observantiam compelli possunt a Superioribus, non obstante contraria consuetudine, et inducta relaxatione.

76 Et tanto magis hoc potest fieri a Summo Pontifice. Regularibus enim nefas esset reluctari Papae reformationem inducenti; Unde miratur, et recte conqueritur Fagnanus *in cit. c. Ne innitaris* 5. *de Constitutionibus n.* 326. quod quidam Regulares, audita opinione, quam nonnulli Auctores probabilem dicunt, quod Summus Pontifex non possit Regularibus ad praescriptum Regulae reformationem indicere praeter consuetudinem, quae in Religione vigebat tempore professionis emissae, ausi sint debitam mandatis Apostolicis obedientiam denegare, cum talis opinio sit manifeste falsa, e contra *c. Cum causam* 27. *de elect. c. Ad nostram* 3. *de appell. cap. Super eo* 9. *et cap. Ex part.* 29. *de Regularibus, c. Recolentes* 3. *et cap. Ea, quae* 8. *de statu Monachor.* et expresse contra Conc. Trid. *cit. cap.* 1. *sess.* 25. *de Regularibus*, et contra communem Doctorum.

77 Immo Papa potest indicere Religiosis etiam strictiorem vitam, quam Regula exigat, ut per Doctores *in cit. cap. Super eo* 9. *de Regularibus, et c. Ad nostram* 3. *de appellat.* et Fagnan. expresse *in cit. cap. Recolentes* 3. *de statu Monachor. n.* 7. sicut de facto Bonifacius VIII. indixit universis Monialibus clausuram perpetuam, ut *in cap. Periculoso unic. de statu Regularium in* 6. innovato a Concilio Trid. *in cap.* 5. *sess.* 24. *de Regularibus*: Et S. Pius V. in Constitut. incip. *Decori*, ad eam clausurae legem adstrinxit etiam Sanctimoniales illas, quae ex Fundatione Religionis, seu Monasterii ad eam non tenebantur; Et Clemens VIII. in Decret. de reform. Regular. incip. *Nullus omnino* in pluribus Regulares restrinxit ultra praescriptum Regulae; Quod factum est etiam in Decretis Sacrae Congregationis Concilii jussu Urbani VIII. editis de Regularibus Apostatis, et Ejectis incip. *Sacra Congregatio*, et in Decreto ejusdem Sacrae Congregationis moderatorio, et Incorrigibilium respective innovatorio jussu Innocentii XII. edito, et incip. *Instantibus Procuratoribus*; Neque in his possunt Religiosi resistere, quia, ut expresse dicitur *in c. Si religiosus* 27. *de electione in* 6. Religiosorum arbitrium non ex sua, cum velle, vel nolle non habeant, sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuerunt, et cujus imperio se subjecerunt, voluntate dependet, ibi: « Si Religiosus, cujus arbitrium non ex sua, cum velle, vel nolle non habeat, sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, et cujus imperio se subjecit, voluntate dependet etc. » Et concordat *cap. Religiosus* 2. *de Testament. in* 6. *et cap. Religiosi* 5. *de sepultur. eod. in* 6. *cap. Non dicatis* 21. *caus.* 12. *q.* 1. cum similibus.

Unde Regularibus renuentibus reformationem 78
indictam recipere, et integre observare, solet Sedes Apostolica interdicere, et denegare licentiam recipiendi, et admittendi aliquos ad Habitum, et Professionem, ut patet ex Decretis Clementis VIII. citatis *supra n.* 72. §. *Item his quotannis*, et Constitut. Innocentii X. incip. *Inter cetera*, et pluribus aliis Decretis Sacrarum Congregationum.

Et quod etiam Monasteriis renuentibus refor- 79
mationem acceptare non concedatur licentia reciciendi Puellas ad Habitum, statuit *Sacra Congr. Episcop. et Regul. in Neapolitana* 25. *Maii* 1602.
Item nec admittendi ad Professionem eas, quae 80
se ad illam nolunt obligare: *Ead. Sacra Congr.*
Episcop. in Neapolitana 8. *Aprilis* 1605. Item in 81
iis Monasteriis, quae partim illam reformationem recipiunt, et partim non, recipi non debent nisi illae, quae se volunt reformationi subjicere; *Ead.*
Sacr. Congreg. Episcopor. 17. *Aprilis* 1702. Nec 82
reformatio est credenda statim, sed probanda diu, antequam detur licentia vestiendi: *Ead. Sac. Congreg. Episcop. in Capuana* 17. *novembr.* 1602. *et*
4. *Maii* 1704. et consimiliter saepe saepius alibi. 83
Quae tamen Professionem emiserunt, antequam introduceretur reformatio, hortari debent ad illam acceptandam, sed non cogi: *Eod. Sacra Congr. Episcopor. et Regular. in Neapolitana* 5. *Martii* 1602. apud Nicol. in Floscul. verb. *Reformatio n.* 10.

Unde Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 45. *n.* 25. sic 84
expresse habet: « In Mediolanensi, Licet Regulares Regulam, quam professi sunt, observare teneantur, et cogendi sint; Nihilominus Moniales, quae non ita exacte eam observant, veluti in jejuniis, in comedendo carnes, gestando indusium lineum, recitandis Horis Matutinis certa hora noctis, sunt tolerandae, ut in Monialibus S. Benedicti juxta mentem Gregorii XIII. » Et sequitur D. Cajetanus de Alexandris *in Confessario Monialium cap.* 1. §. 1. *q.* 4. ubi dicit, quod si Moniales tempore Professionis limitatam habuerunt intentionem non se amplius obligandi, quam ad illam Regulam sic relaxatam, tunc non tenentur reformatam ex post servare, quia actus non obligantur ultra intentionem agentium; *l. Non omnis* 19. *ff. Si certum petatur.* Ita multi apud Sanch. *in decal. l.* 6. *c.* 2. *n.* 39. Si vero absque ulla expressa limitatione professae sunt, tenentur Regulam

sic reformatam amplecti, et observare, quia sponte sua in Religione profitentes, se ita Regulae, et vitae Religiosae subjiciunt, ut paratae esse debeant, quantum ex se est, ad conservationem ipsius procurandam. Quare si Regularis observantia collapsa, et relaxata sit, tenentur Moniales pati, ut restauretur, seu reformetur, et per consequens tenentur etiam Regulam sic instauratam, seu reformatam observare; Sanchez *loc. cit.* aliique plurimi ibi relati; Et Monacell. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 5. *n.* 7. dicit expresse, quod Monialis, quae vult vivere secundum corruptelas, et abusus Monasterii, est in periculo damnationis.

85 Afferuntur Decreta Generalia Clementis VIII. pro reformatione Regularium tam Monachorum, quam Mendicantium cujuscumque Ordinis, et Instituti, quae ut dictum est supra *sub n.* 72. §. *Diebus a Superiore assignandis* bis quotannis legi debent sub poena privationis Officiorum, et vocis activae, et passivae.

CLEMENS PAPA VIII.

« §. 1. Nullus omnino, praetextu cujuscumque Privilegii, vel Superioritatis, etiam Generalatus, a servitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii Officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, et Praedicatoribus, Superiores, iis tantum diebus, quibus eos legere, aut praedicare contigerit, dispensare possint; idem quoque praestare valeant cum aegrotis, et studiorum causa legitime impeditis; In eos vero, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari poenitentia Superiores animadvertant ad praescriptum Regulae, et Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione.

§. 2. Lectio Sacrae Scripturae, vel Casuum Conscientiae bis in hebdomada, praescriptis diebus, in singulis Monasteriis, et Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam Doctrinam sese utiliter exerceant.

§. 3. Quo Trid. Concilii Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, praecipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, et causa, et quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, et Conventui incorporentur; atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, et vestitus omnibus suppeditari possit.

§. 4. Neque Superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiae nomine concedere.

§. 5. Eorum vero, quae ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat ut proprium, neque ut proprio utatur.

§. 6. Qui in praemissorum aliquo deliquerit, poenas, nedum a Concilio Trid. praescriptas, sed alias quoque multo graviores Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

§. 7. Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia, Fratres excusare possit, quominus culpae, et poenae ab iisdem Concilii Decretis impositae, et ipso facto incurrendae, obnoxii sint, etiamsi Superiores asseverent, hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.

§. 8. Fratrum vestitus, et supellex Cellarum ex communi pecunia comparetur, et omnino uniformis sit Fratrum, et quorumcumque Superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniat, itaut nihil superflui admittatur, nihil etiam quod sit necessarium, alicui denegetur.

§. 9. Quaecumque fratrum vestes, sive laneae, sive lineae, omnisque alia supellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur; ibique ab uno, vel duobus fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportune possint.

§. 10. Omnes etiam Superiores, quicumque illi sint, eodem vino, eodemque obsonio, sive eadem (ut ajunt) pitantia in communi mensa, prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utatur, ullo modo afferri possit; Si quis ea in re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem, et aquam.

§. 11. Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut praestationes peculiares ratione Officiorum habent, eorum accepta, et expensa in libro distincto fideliter, et diligenter annotari curent, neque in alios usus, quam ratione Officii sui necessarios, quicquam expendant; Cum vero contigerit, ipsos in aliquo Conventu commorari, eam pecuniae quantitatem in commune conferant, ex qua sibi, et iis, qui secum erunt, victus ad praescriptum Regulae, et Constitutionum, suppeditetur.

§. 12. Nullus ex Superioribus locorum administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, et redditumn sui Conventus, etiam nomine Conventus, per se ipsum habere, sive exercere possit, sed universum id onus tribus fratribus ejusdem Conventus a Generali ita demandetur, ut unus rerum, et bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat; alter tamquam depositarius pecunias, ac cetera ab illo collecta, et exacta fideliter asser-

vet; alius de pecuniis, et rebus a depositario acceptis Priori, et Fratribus, ac Conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed juxta Caritatis Regulam, veluti bonus dispensator, provideat, Officiorum hujusmodi confusione penitus interdicta.

§. 13. Ceterum hi tres, tam impensi, quam accepti singulis mensibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus ejusdem Conventus probatioribus, rerumque usu peritis, rationem reddant: Deinde ipsimet rursus, praesentibus Priore, et peritis praedictis, Generali, vel Visitatoribus, cum advenerint; Denique ipse Generalis, vel Visitatores in quolibet proximo Capitulo Generali, saltem coram tribus Judicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, universaeque suae administrationis, tam publicae, quam privatae rationem reddere teneantur, cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli extrahatur, ad hoc ut ad omne mandatum Nostrum, vel Sedis Apostolicae Romam trasmitti possit.

§. 14. In unoquoque Conventu Fratrum is tantum deinceps constituatur, et in posterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscumque obventionibus in commune, ut praefertur, conferendis, commode possit sustentari; redditus vero, et supradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter asserventur.

§. 15. Superioribus autem, ne Concilii Trid. aut haec nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo possint, omnino interdicimus, et prohibemus. Decernentes irritum etc. Si quis autem contra praesumpserit attentare, sit eo ipso omni Gradu, Officioque privatus, et ad ea perpetuo inhabilis existat.

§. 16. Nullus, nisi actu legat, vel praedicet, aliquo sui Gradus Privilegio gaudeat.

§. 17. Si alicui ex necessaria causa, Generalis judicio probanda, socius ex eodem Ordine, qui illi ministret, concedendus erit, is, nisi vigesimum quintum agat annum, et qui communi servitio sit deputatus, non concedatur, et, si commode fieri potest, sit Laicus conversus.

§. 18. Ut omnis scandalorum, et vagationis occasio tollatur, Conventus clausura perpetuo, ac diligenter servetur, ac propterea a Superiore janitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maxime commendetur, is januae custodiendae semper assistat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium, et exeundi licentiam obtinuerit.

§. 19. Nullus a Conventu egredi audeat, nisi ex causa, et cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, aut benedictione accepta a Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eumdem saepius: Licentiae vero generales exeundi nulli omnino concedantur.

§. 20. Contravenientes autem poena gravi, etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur, eadem etiam janitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.

§. 21. Cum autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui a socio itineris rationem, et quid rei actum sit, diligenter perquirat.

§. 22. Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius a Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetraverint.

§. 23. Si quis autem sine hujusmodi facultate Romam venire praesumpserit, voce activa, et passiva biennio privatus existat, subiturus etiam alias, arbitratu Superiorum, infligendas poenas. Quae item omnia adversus eos, qui supradictos admiserint, et receperint, sine ulla exceptione, locum habeant.

§. 24. Habeat Superior clavem ita fabrefactam, ut cum sibi videbitur, cellas omnes reserare possit, et propterea nullus cellam, etiam noctu, ita claudat, quin semper a Superiore possit aperiri.

§. 25. In medio Dormitorii per totam noctem lampas colluceat.

§. 26. Nullus, etiam Superior cellas, sive in claustro, sive alibi separatas a communi Dormitorio habeat, sed unusquisque unica cella, eadem cum ceteris aliorum Fratrum conjuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto, et mensa humilibus, uniformique supellectili, ut praefertur, quemadmodum Religiosos decet, contentus sit. Possit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conventuum, si eorum muneris, et Officii necessitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere.

§. 27. Cellae, sive aediculae, quae extra Dormitorium separatim sunt, ad Officinas, aut alias ad communem usum, et commoditatem Conventus redigantur.

§. 28. Singillatim suo quisque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.

§. 29. In privatis cellis nulli camini permittantur, sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam e parietibus convulsis, ut res illa non ad tempus facta, sed perpetuo duratura videatur; Cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Praedicatoris exceptis.

§. 30. Conventus fenestrae omnes, quae in vias publicas, aut in vicinas Laicorum aedes prospiciunt, muro ita obstruantur, ut omnino is prospectus impediatur.

§. 31. Valetudinarium in singulis Conventibus certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cum aegrotabunt, curentur, nec inde, nisi recuperata sanitate, abire permittantur; qui vero infirmorum curae praepositi sunt, omni sedulitate, ac caritate, operam suam praestabunt, ac cu-

rabunt, ne quid aegrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

§. 32. Ineatur ratio, qua, sublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extra Conventus claustra, ad ea quamprimum revocentur, nec de cetero, nisi ex gravissima causa, a Sede Apostolica probanda, hujusmodi facultates concedi possint.

§. 33. Nulli in posterum ad Habitum, aut Professionem admittantur, nisi in Conventibus per Sedem Apostolicam in qualibet Provincia deputandis.

§. 34. Curent Superiores, ut Constitutio interdicens largitiones munerum, et praescribens hospitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter observetur.

§. 35. Ut omnis Officiorum ambitus occasio praecludatur, caveant omnes a directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quam pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in ceteris, praesertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi; Quicumque secus fecerint, praeter alias poenas, et Censuras hactenus contra hujusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in poenam privationis Officiorum, quae obtinent, eo ipso incidant, et ad futura quaecumque pariter inhabiles habeantur; super quo cum eis dispensari a nemine possit, nisi a Nobis, vel successoribus Nostris, et pro qualitate culparum, gravius etiam plectantur; Porro supradictas omnes poenas ad complices, ac simpliciter scientes, et non revelantes, extendimus.

§. 36. In Superiorum, et Officialium omnium electionibus forma praescripta a Sacro Concilio Tridentino, et Ordinis Constitutionibus inviolabiliter servetur, jureatque Electores secundum veritatem cujusque conscientiae, probiores, ac magis idoneos se electuros; Ac propterea, priusquam ad electionem deveniatur, in primis, et ante omnia praelegantur Constitutiones de qualitate, et requisitis eligendorum; Ad Officia, Gradus, et Praelaturas illi praecipue eligantur, qui possint, et consueverint Regulas Ordinis, et Constitutiones observare, praesertim quae pertinent ad servitium Chori, ac vestitum, et victum communem.

§. 37. Eligantur in Capitulo Generali, vel Provinciali aliquot graves, et periti ex Fratribus cujuslibet Provinciae, saltem tres, qui admittendos ad praedicationem verbi Dei, vel ad audiendas Confessiones, etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, et ad hujusmodi ministerium admittantur; Horum etiam curae sit examinare, et probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores promovendos ad quoscumque Ordines, in quo servetur Decretum Congregationis Interpretum Sacr. Concil. Trid. hac de causa nuper editum, et promulgatum.

§. 38. Illud porro Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio invigilent, ut, quae eorumdem Ordinum Regulis, et Constitutionibus, de Oratione mentali, silentio, jejuniis, capitulo culparum, aliisque spiritualibus exercitiis prudenter, ac pie sancita sunt, ea omnia, et singula ad unguem observentur, intelligantque super his, veluti fundamentis, omnium Religionum aedificia construenda, et amplianda esse, quae ut faciliorem exitum sortiantur, et fructus uberiores in animis Fratrum producant, valde opportunum erit, si in quolibet Conventu, singulis hebdomadis, habeatur sermo de Religiosa disciplina, Regularique observantia.

§. 39. Quo vero omnia ordinate peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo uniuscujusque Conventus, in qua distincte annotetur, quid singulis horis cujusque diei quilibet Frater praestare debeat, ut certo quoque signo praemonitus, majori animi praeparatione suo muneri satisfacere possit; Quae Ordinis Constitutiones, his Decretis non adversantur, inviolate custodiendae erunt.

§. 40. Quibus horum Decretorum capitibus certa poena praescripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur; Ut autem haec Decreta, donec alia, quae pleniorem reformationem facient, edantur, ac ab omnibus observari possint, districte praecipimus Generalibus, ac omnibus aliis quibuscumque Superioribus, ad quos hoc spectat, ut curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorumdem Ordinum Constitutiones perpetuo valituras redigi, interdicta omnino eorum singulis facultate illas declarandi, et adversus eas umquam dispensandi; alioqnin sciant, se in poenam Generalatus, et Officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuae ad alia quoque munera ipso facto, et sine ulla exceptione respective incidisse.

§. 41. Ne vero, praetextu dilatae publicationis, eorum observatio quoquomodo differri possit, aut impediri, volumus, ut post illorum publicationem, in Conventu, vel Monasterio cujuslibet Ordinis de Urbe factam, Generalem, aliosque Ordinum Superiores, ceterosque Fratres praesentes, statim, reliquos vero absentes citra montes, unius mensis, ultra montes, trium mensium spatio, ita arctent, ac si eorum singulis personaliter intimata fuissent.

§. 42. Insuper mandamus, quod Generales in singulis Conventibus; citra montes, unius mensis; ultra vero montes, trium mensium cursu, decreta supradicta publicari faciant, sub poena privationis Generalatus, aliisque arbitrio nostro imponendis.

Datum Romae apud S. Petrum die 25. Mensis Junii 1599.

§. 43. Decretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, et Protectoris licentia dumtaxat permissum est, Sanctitas Sua extendi ad Provincialem decrevit, ita ut ipsis ex causa com-

muni totius Provinciae dumtaxat facultatem hujusmodi facere valeat, declaravitque, poenam privationis vocis activae, et passivae contrafacientibus inflictam, Sanctitati Suae reservatam esse, interdicta omnino eorum Superioribus singulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi. Datum Romae die 20. Martii 1601 ».

86 Regulares tot solum stare debent in Monasteriis, quot ali commode possunt per redditus, et eleemosynam eorum: Conc. Trident. *sess.* 25. *de Regularib. cap.* 3. Clemens VIII. Constitut. 60. incip. *Nullus*, Paul. V. Const. 9. incip. *Sanctissimus*, Urban. VIII. Constit. 45. incip. *Cum saepe*, Innocent. X. Constit. incip. *Inter cetera*, Innocent. XII. Constitut. incip. *Nuper a Congregatione*. Vide verb. *Moniales artic.* 2. *a n.* 12. *ad* 62. verb. *Novitius a n.* 56. *ad* 65. verb. *Simonia art.* 7. *a n.* 20. *ad* 23.

87 Unde Regularium numerus pro unoquoque Conventu praefinitus, et a Sacra Congregatione approbatus, prout necessario debet esse praefinitus, et approbatus, uti statuerunt varii Summi Pontifices, et signanter Urbanus VIII. Innocentius X. et Innocentius XII. in citatis suis Constitutionibus, non potest a Superioribus augeri, etiam sub praetextu augmenti redditum absque ipsius Sacrae Congregationis Concilii licentia, sub poena privationis Officiorum, vocis activae, et passivae, ac inhabilitatis perpetuae: Urbanus VIII. Constitut. Incip. *Cum saepe contingat*; Innocent. X. Const. incip. *Inter cetera;* Innoc. XII. Constit. incip. *Nuper a Congregatione*.

88 Regularis non potest habere locum in duobus Monasteriis, textu expresso *in c. Ne nimia* 9. *de Religiosis Domibus*, ibi: « Illud etiam prohibemus, ne quis in diversis Monasteriis locum Monachi habere praesumat, nec unus Abbas pluribus Monasteriis praesidere ».

89 Regulares sunt exempti ab oneribus, et collectis; *S. Congreg. Immun. in Cremonen.* 11. *Jan.* 1695. *lib.* 1. *Decr. Val. pag.* 166. *et* 11. *Jun. d. A. et lib. pog.* 194. *in Aquen.* 5. *Febr. d. Anni et lib. pag.* 170. *et alibi.* Exempti quoque sunt ab hospitio, seu hospitatione militum, etiam pro bello adversus Turcas. Sic Sanctus Pius V. in Constitution. incip. *Cum sicut.*

90 Regulares non tenentur ad onera, impositiones, et collectas pro bonis acquisitis, nisi juxta decisionem in Brundusina coram Penia, et Decretum editum sub Clemente VIII. Anno 1600. *Sacr. Congreg. Immun. in una status Ecclesiastici* 9. *Novemb.* 1632. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 144. *et in Montis Alti* 29. *Maii* 1629. *lib.* 1. *Decr. Paul. pag.* 139.

91 Regulares Carmelitani non tenentur ad solutionem gabellae Datiariis carnis ex forma Constitut. Clementis VIII. et Pauli V. non solum pro animalibus natis in eorumdem praediis, sed nec etiam pro emptis pro usu proprio, cum iste casus non sit expressus in dictis Const. et de Jure sint exempti. *S. Cong. Immun. in Ferrarien.* 15. *Septemb.* 1637. *lib.* 3. *Decr. Paul. p.* 43.

Regulares gaudere debent exemptione pro vino, quod minutatim vendunt: *Sacr. Congr. Immun. in Fav.* 19. *Decembris* 1734. *lib.* 2 *Decr. Paul. pag.* 212. 92

Canonici Regulares Lateranenses in vim motus proprii Urbani VIII. F. R. tenentur ad solutionem Gabellae carnis, etiam pro animalibus, quae in propriis Domibus, et Monasteriis mactantur: *S. Congr. immun. in Ravennat.* 27. *Febr.* 1646. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag* 273. 93

Fratres Minores S. Francisci de Observantia gaudent, prout ceteri Ecclesiastici, tam Saeculares, quam Regulares, exemptionibus pro rebus emptis ab eorum Syndico pro victu, et vestitu eorumdem: *S. Cong. Imm. in Valentina* 17. *Mart.* 1658 *lib. Decr. Rocci p.* 172. 94

PP. Dominicani sunt exempti a Collectis impositis a Communitate, tam de Jure communi, quam ex Privilegiis Pontificiis: *S. C. Immun. in Firmana* 6. *Maii* 1631. *l.* 2. *Decr. Paul. p.* 76. 95

Regulares sunt exempti a Gabella portae Civitatis pro introductione frumenti: *Sacr. Congreg. Immun. in Maceraten.* 31. *Aug.* 1646. *lib.* 3. *Decret. Paul. p.* 290. 96

Regulares circa libertatem emendi carnes remittuntur ad Sacram Cong. Boni Regiminis: *S. Congr. Immun. in Anconitana* 5. *Mart.* 1675. *lib.* 1. *Decret. Altoviti p.* 1078. 97

PP. Societatis Jesu tenentur pro bonis acquisitis, ad onera, quae sint certa, realia, et invariabilia; et pro aliis vero bonis tenentur ad Collectas auctoritate Apostolica impositas cum specifica expressione Ecclesiasticorum, dummodo in locis bonorum non adsit consuetudo contraria: *Sac. Cong. Immun. in Firmana* 9. *Octobris* 1692. *lib.* 2. *Decr. Paul. pag.* 8. 98

An FF. Minimi contra formam Privilegiorum possint conveniri ab Ordinario, aut Vicario Apostolico pro reddenda ratione bonorum temporalium ab eis possessorum? Sac. C. respondit hujusmodi Fratres uti jure suo: *Sac. Congr. Immun. in Bisitian.* 14. *Januar.* 1653. *lib.* 5. *Decret. Paul. pag.* 5. 99

Licet Regularibus in eorum Conventu sito in loco, ubi Dominus Loci exigit unum pro quindecim ab Ecclesiasticis pro coctura panis in Furnis sibi competentibus, habere Furnum pro eorum usu, et venientium sumptibus Conventus: *Sacr. Congr. Immun. in Maceraten.* 22. *Septemb.* 1624. *lib.* 3. *Decret. Altoviti pag.* 87. 100

Regulares sunt Testes idonei ad probandam extractionem, et violationem Immunitatis Eccles. secutam in eorum Ecclesia: *Sacr. Congr. Immun. in Regien* 1. *Julii* 1642. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 177. 101

Minor observans S. Francisci potest de licentia 102

Em. Vicarii Urbis in causa Civili deponere: *Sac. Congr. Immun. in Romana* 4. *Septembris* 1640. *ibi pag.* 129.

103 Datur facultas Episcopo, non solum examinandi, sed etiam cogendi Regulares ad se subjiciendum examini in causa violatae Immunitatis: *Sac. Congr. Immun. in Aprutina* 20. *Novembr.* 1640. *lib.* 3. *Decr. Paul. pag.* 135. *in Neapolitana* 6. *Octobris* 1643. *ibi pag.* 211.

104 Datur facultas Episcopo examinandi etiam Regulares, dummodo actu, et habitu aliunde veritas haberi non possit, ac citra incursum Irregularitatis: *Sacr. Congr. Immunit. in Novarien.* 27. *Julii* 1635. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.*

105 Similis facultas conceditur aliquando etiam Vicario: *Sacr. Congr. Immun. in Tropien.* 5. *Augusti* 1639. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 99.

106 Regulares dare debent Eminentissimo Legato, uti Delegato Apostolico, notam animalium, quae per eosdem Regulares introducuntur ad effectum mactandi pro servitio Religiosorum: *Sacr. Cong. Immun. in Tropien.* 8. *Augusti* 1639. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 89.

107 Scribitur Archiepiscopo, ut provideat, et ordinet pro suo arbitrio, quod Regulares quomodolibet privilegiati non locent appartamenta ordinata ad habitationem Religiosorum Saecularibus, ad effectum vitandi abusus, et controversias Immunitatis Eccles: *Sacr. Congregat. Immun. in Neapolitana* 10. *Novembris* 1676. *lib.* 1. *Decr. Altoviti pag.* 1302.

108 Qui carceraverant, et modico tempore detinuerant Regularem, absolvuntur in forma Ecclesiae arbitrio Episcopi: *Sac. Cong. Immun. in Litteren.* 4. *Decemb.* 1674. *lib.* 1. *Decret. Vall. p.* 159.

109 Alia ad rem; Vide verb. *Alienatio*, verb. *Baptismus art.* 7. verb. *Benedictio*, verb. *Conventus*, verb. *Ecclesia*, verb. *Fenestrae*, verb. *Habitus*, verb. *Missa*, verb. *Oratorium*, verb. *Oracula vivae vocis*, verb. *Privilegium*, verb *Quarta*, verb. *Sepultura*, verb. *Testis*, verb. *Vicarius*.

110 Regularis nequit simul esse Parochus, et Superior sui Conventus: *Sacr. Congr. Disciplinae Regul.* 28. *Maii* 1715. *Decreto* 6. *in Bullario Clementis XI.* Vide verb. *Parochus, Art. II. n.* 85.

111 Regulares, sicuti dictum est in verb. *Jejunium art.* 1. *n.* 12. uti possunt ovis, et lacticiniis in suis jejuniis, extra tempora ab Ecclesia universaliter prohibita, ut fuit determinatum in Capitulo Generali PP. Capuccinorum 1596. ac fuit approbatum a *Sacra Congreg. Episcopor. et Regular. in Cosentina* 13. *Jul* 1606. apud Nicol. *in Flosculis verb. Capuccini n.* 9. et apud Pitton. *Constitut. et dec. Pontific. ad Regulares tom.* 3. *n.* 1672. Quod tamen intelligendum est ex vi propriae Regulae; quia alias etiam ipsi in jejuniis uti debent cibis secundum legitimam aliorum consuetudinem, et maxime Religiosorum regionis, et loci, ubi morantur, cum consuetudo sit optima Legum Interpres, textu expresso *in c. Dilectus* 8. *de consuetudin. L. si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*; Immo ipsa sit altera Lex, et pro Lege servari debeat; *capit. Dilectis* 4. *de arbitris, L. de quibus* 32. *ff. de Legibus, L. Scaevola* 26. *ff. de aqua et aqua pluvia arcenda*; *L. Et ab antiquis* 31. *Cod. de testamentis* cum similibus. Unde Marchant. in *expositione Regulae Fratrum Minorum cap.* 3. *q.* 2. sic expresse concludit: « Jejunia Regulae servari debent juxta morem patriae, et jejunantium communem formam »; adducens ad id sententiam 4. Magistrorum, qui expresse dicunt, « Jejunent ergo etc. debet intelligi cibo jejunantium secundum consuetudinem hominum, et maxime Religiosorum terrae, in qua morantur ». Et opinionem Hugonis de Dina sic habentis: « Ubi a lacticiniis abstineant jejunantes, scandalum est, si nos morem patriae etc. violamus. Juxta Sanct. Canones, mos Ecclesiae, sive Dioecesis, in qua sumus, est servandus; *et infra*; Debemus ergo in jejuniis secundum morem jejunantium uti ». Hinc Diana in *Summa verb. Jejunium n.* 56. adductus a Patre Viva *in proposit.* 32. *ex damnatis ab Alexandro VIII. n.* 10. *in fin.* dicit consuetudinem abstinendi a Lacticiniis in vigiliis, et quatuor Temporibus in Sicilia videri gravem, et sub mortali receptam, etiam apud Regulares; qualis procul dubio est apud Nostrates consuetudo jejunandi in cibis quadragesimalibus diebus Adventus, juxta Constitutiones Capituli Generalis celebrati anno 1500. Interamniae de mandato Alexandr. VI *cap.* 3. *art.* 2. apud Orbem Seraphicis *tom.* 3. *de jejunio*, ubi sic expresse habetur: « Ad hanc autem Quadragesimam jejunandum Fratres sunt obligati modo, quo ceteri Christiani ad illam communem obligantur, ut lacticinia in ea comedere nequeant ».

At vero in Feriis sextis, aliisque jejunii diebus 112
infra annum extra Quadragesimam, et Adventum, teste communi praxi, jejunatur, et jejunandum esse dicimus juxta diversarum Provinciarum, et Regionum probatam consuetudinem per supra adducta jura, et dicta etiam sub verb. *Jejunium, loc. cit. n.* 11. et juxta S. Thomam 2. 2. *quaest.* 166. *art.* 8. *ad* 3. sic expresse dicentem: « In jejunio Quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova, et lacticinia, circa quorum abstinentiam in aliis jejuniis diversae consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos conversatur ». Et sic de jejuniis praescriptis in Regula Fratrum Minorum ultra supracitatos sustinent moderni Expositores Regulae, Corduba, Politius, Longus, quos refert, et sequitur Melphi *in Comm. cap.* 3 *tract.* 13. *quaest.* 1. *et* 2. Matthaeucc. *Cautela Confess. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 36. ubi ad id allegat Marchant. 4. Magistros, Hugonem de Dina, Sanctorum. et Amenum, ac dicit non subsistere opinionem Felicis Potestatis *tom.* 1. *part.* 3. *a n.* 2853. asserentis, Fratres Minores non teneri in jejuniis Re-

gulae extra Quadragesimam, hoc est Adventus, et feriae sextae abstinere ab ovis, et lacticiniis, qui tamen Felix *loc. cit. n.* 2856. dicit, circa id nolle suum proferre judicium, ibi: « Si autem quid ego sentiam, cupis, judicium ferre nolo »; et infra *sub n.* 2899. ad consimilem petitionem dicit: *Huic petitioni nolo ego respondere*, quamvis ex rationibus, et fundamentis, ibi *a n.* 2856. *ad num.* 2875. adductis videatur in dictam sententiam propendere. Concludendum igitur est, quod quamvis cit. statuta, et Constitutiones Ordinis nostri non obligarent sub culpa mortali, per Constitutionem Sixti IV. incip. *Circumspecta* adductam ab ipso Felice Potestate *loc. cit. n.* 2831. et allegatam, ut intellectum suum discurrendi gratia aperiat *loc. cit. n.* 2856. 2866. 2870. *et* 2875. per supra adducta jura, et allegatos Doctores, adhuc tenentur Nostrates sub gravi ad observanda jejunia Ecclesiae, et Regulae in cibis juxta dictam legitimam aliorum consuetudinem, et maxime Religiosorum regionis, et loci, ubi morantur; Nimis enim mirum esset, quod Religiosi majori perfectioni, et mortificationi addicti, atque obstricti, in suis Regulae jejuniis adinstar illorum Ecclesiae universalis institutis, ad minorem abstinentiam, et mortificationem tenerentur, quam saeculares. Quod et dicendum venit de aliis Religiosis pro jejuniis sub praecepto eis impositis a suis respective Regulis, et Constitutionibus; Cum de omnibus, ceteris paribus, militet eadem ratio, et ubi militat eadem ratio, eadem etiam militare debeat juris dispositio, *L. Ideo* 27. *ff. de Legibus*, *L. Illud* 32. *ff. ad Legem Aquil. et cap. Inter corporalia* 2. *de translation. Episcop.* cum similibus.

113 Regulares utriusque sexus nequeunt licite esse Patrini, non solum in Sacramento Baptismi, per jura allegata, et dicta in verb. *Baptismus artic.* 7. *n.* 41. *et sequent.* sed neque in Sacramento Confirmationis, propter eamdem rationem ibi a Sacris Canonibus, et Conciliis adductam. Ubi enim eadem est ratio, eadem debet esse Legis dispositio; *L. Ideo* 27. *de leg. L. Illud* 32. *ff. ad leg. Aquil. cap. Inter corporalia* 2. *de translat. Episcop.* Cum ratio Legis sit anima Legis; *L. Cum ratio* 7. *ff. de bonis damnator.* Et tanto magis urget talis prohibitio quoad illos Regulares, qui nedum jure communi, sed et Jure speciali propriae Regulae ad id vetantur, ut in specie Fratres Minores, ex *cap. XI. suae Regulae* sic expresse prohibentis: « Nec fiant compatres virorum, vel mulierum, ne hac occasione inter Fratres, vel de Fratribus scandalum oriatur »: pro quaprohibita compaternitate ex vi Regulae venit compaternitas quorumcumque in Baptismo, et Confirmatione, ut recte, citatis aliis Regulae Expositoribus, docet Corduba *in cit. cap. XI. Regulae qu.* 4. Lex enim generaliter loquens, generaliter est intelligenda, *cap. Si Evangelica* 13. *dist.* 55. *cap. Quia circa* 22. *de privileg. L. Praeter* 20. *§. Ait Praetor*, *ff. de novi operis nunciat.* cum similibus; Et ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; *L. Non distinguemus* 32. *ff. de recept. arbit. L. De pretio* 8. *ff. de Publiciana in rem action. l. Praeses* 3. *ff. de Officio Praesid.*

Compaternitas prohibita Fratribus Minoribus 114
ex vi Regulae, est solum illa, quae contrahitur in tenendo suscipientem Sacramentum, praesertim Baptismi, et non ipsum ministrando. Et ratio est, quia haec solum scandalum generare potest, ut in praecepto Regulae continetur; ubi autem, ut in ministrando Sacramentum, cessat causa, et finis Legis, nempe occasio scandali, cessat ex vi Regulae ipsa Lex, *c. Cum cessante* 60. *de appellat. L. Cum ancillam* 6. *Cod. de condit. ob causam.* Tum quia generaliter, et proprie tales compatres dicuntur solum tenentes suscipientem Sacramentum, non autem ipsum ministrantes. Et sic expresse declaravit Capitulum Generale Meclinien. *anno* 1499. et habetur in Tabul. Vic. gen. ibi: « prohibeatur, ne Fratres fiant compatres virorum, vel mulierum etc. Intelligendum est quo ad elevationem de Fonte Baptismatis, non quo ad Baptizationem »; Sic refert, et tenet Corduba *loc. cit.* ubi recte cum aliis ibi allegatis Regulae Expositoribus, docet, quod ad tenendum, seu levandum de Fonte Baptismatis prohibetur Fratribus Minoribus, nedum jure communi, sed etiam ex vi Regulae. Quoad ministrandum vero Baptismum prohibetur ipsis, sicuti et omnibus aliis Regularibus solum jure Ecclesiastico communi, *capit. Placuit* 8. *caus.* 16. *quaest.* 1. ibi: « Neque filium de Baptismo accipere, neque baptizare »; Et ex vi Regulae prohiberi Fratribus solam compaternitatem ex susceptione prolis de Sacro Baptismatis Fonte, tenet expresse Marchant. *in cit. cap. XI. Regulae quaest. et cunctus. unica*, et alii Expositores.

Nec valet dicere, quod inter casus, ratione 115
quorum Fratres Minores a loco recedere possunt, referunt antiqui Expositores, esse, si in ipso loco obligentur Fratres ad babtizandos pueros, adeoque eis prohibetur ex vi Regulae etiam Baptismum ministrare. Non valet, inquam, quia iste casus, ut explicat Marchant. *l. c.* referendus est ad locum, ubi sine Apostolica dispensatione adest Cura animarum, et obligatio baptizandi ex officio, non autem ex caritate, aut ex vi compaternitatis; Ex Lege enim Caritatis in casu necessitatis articuli mortis probabiliter imminentis puero, si nullus alius, qui legitime posset, et vellet ipsum baptizare, nedum alii Regulares, sed et ipsi Fratres Minores, non solum licite possent, sed immo tenerentur ipsum baptizare, quia lex caritatis jubet in tali casu providere de remedio ad salutem aeternam omnino necessario, quale est Baptisma; et contra hoc nullum jus praecipere potest, cum necessitas non habeat, nec recognoscat Legem, *capit. Quoniam* 13. *caus.* 1. *quaest.* 7. *capit. Sicut* 11. *de consecrat. dist.* 1. *cap. Omnes* 1. *de fer. cap. Consuluisti* 3. *de celebrat. Missar. cap.*

Concilium 2. *de observant. jejun. cap. Quod non est licitum* 4. *de Regul. jur.* Et tenent expresse Cordub. *loc. cit.* cum Hugone, et Pisano ibi allegatis, et alii passim; Prohibitio enim de non baptizando intelligi debet extra casum similis necessitatis.

116 Fratres Minores electi ad Curam animarum, aliique ad id subdelegati in Conventibus, ubi ex dispensatione Apostolica adest Parochia, possunt licite, sicuti et alii Regulares similiter electi, seu subdelegati, baptizare; quia Summus Pontifex, qui est super jus positivum Ecclesiasticum, *cap. Proposuit* 4. *de concessione praebendae*, concedendo Parochiam, concedere intelligitur omne id, quod ad Officium Parochiale spectat; Concesso enim fine, etiam media, quibus ad eum pervenitur, concessa intelliguntur; *cap. Praeterea* 5. *c. Prudentiam* 21. *et cap. Suspicionis* 39. *de Officio delegat. l. Cui jurisdictio* 2. *ff. de jurisdict.* cum similibus, et ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur, *cap. Ex parte* 27. *de decimis*; et cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, *cap. Cui licet* 53. *de Reg. jur. in* 6. *L. Non debet* 21. *ff. de Reg. jur.*

117 Non possunt tamen nec ibi, nec alibi levare de Sacro Fonte infantes, seu fieri compatres, in tenendo suscipientem Sacramentum, etiamsi non oriatur aliquando scandalum, et de hoc constet, quia licet causa, propter quam fit prohibitio, cesset in casu particulari, et quo ad aliquem pro tunc, manet tamen in generali, et simpliciter quo ad alios, et quod ad se, quia Leges adaptantur ad ea, quae ut plurimum contingunt, non autem ad illa, quae raro accidunt, et ab accidentalibus casibus dependent, ad text. *in Authent. Ut sine prohibitione matres*, in *L. Ex his* 4. *et in L. Num ad ea, ff. de Legibus*, cum similibus. Et ideo simpliciter manet et ipsum praeceptum obligans etiam pro tunc, ut est communis regula Doctorum in omnibus similibus praeceptis; Atque sic debet intelligi caput, quod, cessante causa, cessat effectus praecepti, *cap. Cum cessante* 60. *de appellation.* quando scilicet causa cessat omnino secundum quid, et simpliciter, ac generaliter, ut explicant Richard. *in* 4. *dist.* 4. Silvester. verb. *Furtum quaest.* 15. Corduba *loc. citat.* et alii, et sic servat praxis, et communis consuetudo, quae est optima Legum interpres, *cap. Dilectus* 8. *de consuetud. et L. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus.*

118 Sub dicta prohibitione non comprehenditur Regularis quicumque factus Episcopus. Sic expresse Glossa communiter recepta *in cap. Statutum* 1. *caus* 18. *quaest.* 1. *verb. Absolvit*, ibi: « Item potest sibi facere commatres, quod prius non licuit, exemplo Gregorii, qui prius Monachus factus est, et postea cum esso Diaconus Cardinalis compater Mauritii Imperatoris factus est ». Henno *t.* 2. *tract. de Baptismo disp.* 5. *q.* 2. *concl.* 2. *resol.* 4. et alii passim. Et ratio est, quia Episcopus Regularis a die suae confirmationis, et assumptionis ad Episcopatum, exceptis votis essentialibus, liberatur ab aliis obligationibus suae Regulae, ut habetur ex *citat. cap. Statutum* 1. *caus.* 18. *q.* 1. et tenent communiter Doctores, ut dictum fuit sub verb. *Episcopus art.* 7. *n.* 1. *et* 2.

Regularibus licet invitare populum ad facienda Officia pro animabus Purgatorii in eorum Ecclesia: *Sacr. Cong. Concil. in Volaterrana* 16. *Mart.* 1726. *ad IX. dub.* 119

Regulares possunt impediri, quominus in Ecclesia intra limites Paroeciae erecta Missas canant, licet vocati a Prioribus, et Officialibus Laicis dictae Ecclesiae: *Sac. Cong. Concil. in Valven. seu Sulmonen.* 10. *Mart.* 1727. *ad II. dub.* 120

Regulares ad Ordines promovendi, praetor Litteras Obedientiales sui Superioris, non tenentur exhibere Ordinario fidem sui Baptismatis ad docendum de legitima aetate, dummodo in Litteris obedientialibus exprimatur aetas: *Sac. Congregatio Concil. in Brixien.* 12. *Decembris* 1733. *ad* 2. *dub.* 121

Additur attendenda ad rem Constitutio Benedicti XIII. incip. *Postulat*, edita 7. Martii 1725. in qua interdicitur Regularibus omnibus ad Dignitates Ecclesiasticas promotis, ne aliquid, seu ulla bona extra Coenobia secum asportare audeant; et insuper adimitur Superioribus Ordinum facultas concedendi promotis eisdem ad tempus usum librorum, aliorumque, sub poena Suspensionis a Divinis eo ipso incurrenda, reservata Papae privative quoad alios; revocanturque Praedecessorum Pontificum facultates cuicumque Ordini ad id concessae. 122

Regulares Parochi, aut Vicarii Curati Missam Parochialem applicare debent pro populo diebus Festis, Bened. XIV. Constit. 103. incip. *Cum semper* §. 4. Regulares Parochi tenentur recipere in propriis Ecclesiis, et domibus Missionarios ab Episcopo missos ante Visitationem pastoralem: Idem Constitut. 109. incip. *Firmandis.* 123 124

Regulares Superiores Parochum Regularem corrigere possunt, *ibid.* §. 10. Atque etiam ab animarum cura removere absque consensu Episcopi; *ibid.* §. 11. Nullam vero jurisdictionem habent in subditos Parochiae saeculares; *ibid.* §. 12. 125

Regularis S. Officii Consultor nequit a Superioribus Regularibus sine causa, et inconsulta Congregatione Sacrae Inquisitionis a loco removeri; Bened. XIV. Const. incip. *Ad supremum* §. 33. 126

Regularibus Missionariis in Angliam ablegatis unus Superior est praeficiendus, qui eos visitet, et corrigat: Idem Constitut. incip. *Apostolicum Ministerium*, §. 19. Elapso sexennio, debent iidem ad regiones Catholicas, et proprii Instituti claustra redire; tres menses in eisdem manere, ac quindecim dies spiritualibus exercitiis vacare: *Ibid.* §. 22. Indulgentias suis Ordinibus peculiariter concessas publicare prohibentur; dignis enim de causis in Anglia Indulgentiae Regularibus ad communicandum, sive publicandum concessae suspendun- 127

tur, et Vicariis Apostolicis delegatur largitio In-
dulgentiae quater in anno: *Ibid.*
128 Accipientes munera a Regularibus, exceptis re-
rum medicinalium, seu devotionis muneribus, ul-
tra valorem decem scutorum monetae nequeunt
absolvi a Summo Poenitentiario, nisi prius facta
restitutione, vel si eam de praesenti nequeant a-
dimplere, cum obligatione eamdem quam primum
129 poterunt faciendi. Qui vero infra praedictum va-
lorem ejusmodi munera acceperint, eos injuncta
arbitrio ipsius majoris Poenitentiarii, seu Confes-
sarii per eum eligendi eleemosyna, quae in bene-
ficium Religionis, seu Conventus, cui de jure fa-
cienda esset restitutio, si caute fieri possit, ero-
getur, absolvere, seu absolvi mandare possit: Idem
Constitut. 115. incip. *Pastor Bonus* §. 26.
130 Regulares, quibus a Sancta Sede concessa est
facultas impertiendi benedictionem super popu-
lum cum Indulgentia plenaria, quo ritu id facere
131 debeant? Vide tom. 1. ad verb. *Benedictio.* Regu-
lares Superiores quid praestare debeant in depu-
tandis Confessariis extraordinariis pro Monialibus
sibi subjectis. Vide tom. 2. verb. *Confessarius.*
132 Regulares quoad Ordines recipiendos, vide tom.
5. verb. *Ordinare, Ordo, Art.* 3. Regulares quoad
reclamandum contra validitatem Professionis, vi-
de supra ad verb. *Regularis Professio.*
133 **Regularibus non conceditur translatio, nisi ad
Ordines, in quibus viget claustralis, et Regularis
observantia: Idem tom. 2. Constitut. 7. incip.**
134 ***Pontificia.*** Regularibus ab ordine laxiore ad stri-
ctiorem transferri cupientibus, an, et quomodo
135 convenire necesse sit inter utriusque Ordinis Su-
periores, in jure cautum non reperitur; sed ho-
dierna praxis est, per quam omnes hujus generis
controversiae, et morarum prolixitates devitan-
tur, ut Religiosis viris, qui a laxiori ad strictio-
rem Ordinem transire cupiunt, postquam volun-
tatis suae causas coram competentibus Apostolicae
Sedis Tribunalibus exposuerint, atque probave-
rint, haud aegre a Romano Pontifice indulgeantur
opportunae facultates, in quibus derogatio super
consensu Superioris Ordinis laxioris includitur:
Idem Constitut. 25. incip. *Ex quo.*
136 Regulares quicumque, ne per modicum quidem
tempus, nec ulla occasione possunt ad alloquendas
Moniales sine Episcopi licentia accedere sine gra-
vi culpa: Idem *De Synodo Dioeces. lib.* 7. *cap.*
41. *n.* 7. ex variis Pontificiis Constitutionibus, et
Sacrarum Congregationum Decretis, quae conge-
sta habentur apud Dioecesanam Synodum Pisanam
1708. et in appendic. ad Synodum Dioecesanam
Lucanam habitam ab Episcopo Colloredo 1736. et
a me jam relata *tom* 5. *verb. Moniales art.* 2. *a*
n. 12. *ad* 21. Vide *ibi.*
137 **Praelati Regulares privilegium post Concilium
Tridentinum habentes, possunt suos subditos ab
Interstitiorum lege ad Ordines suscipiendos dis-
pensare: Idem *ibid. lib.* 7. *cap.* 42. *n.* 6.** ubi re-
fert, quod, cum Episcopus Mindensis in sua Sy-
nodali Constitutione 8. expresse **denuntiasset**, se
nulli, sive saecularium, sive Regularium **Ordines**
collaturum, qui non servasset temporum intersti-
tia a Concilio Tridentino praescripta, a quibus,
an quempiam absolvendum Ecclesiae necessitas,
aut utilitas, exposceret, id non a Praelato Regu-
lari, sed a se fore dijudicandum, delata causa ad
Sacram Congregationem Concilii, ipsa sub die 24.
Augusti 1686. rescripsit, **dictam Constitutionem
Synodalem Mindensem « esse reformandam quo
ad eos regulares, qui habent privilegium conces-
sum post Tridentinum ». An, quando, et quomo-** 138
**do possint, vel non, Praelati Regulares suos sub-
ditos in una Dioecesi morantes, dimittere ordi-
nandos in aliam? Vide *tom.* 5. *verb. Ordo art.* 3.
n. 74. *et seqq.***
Quid praestare debeant Regularium Superiores 139
**ad tollendam ignorantiam Laicorum in Religio-
sis professorum, ex praescripto Sacr. C. Epis-
cop. et Regul. Vide tom. 3. verb. *Doctrina Chri-
stiana n.* 15. 16.**
*** Si Regularis ante Professionem habituali mor-** 140
**bo detineatur, nec interrogatus vitium suum de-
nunciet, nisi post Professionem, expelli non po-
test, nisi aliter declaretur in constitutionibus ejus-
dem Ordinis, uti reipsa declaratum est in Consti-
tutionibus PP. Capuccinorum, in quibus Religio
ad retinendum ejusmodi Professum *minime velle
se esse obligatam exprimit.*** An tunc vero Profes-
sus non dimissus a Religione possit sponte abire,
etiam illa repugnante, quaestio est adhuc a Sacr.
Congregatione non definita. *De Synodo Dioeces.
lib.* 13. *cap.* 11. § 4. *nov. edit.*
Regulares pro Apostatis habentur, si sese nul- 141
**liter professos contendentes Regularem habitum
exuunt, et e claustris discedunt, nec unquam an-
nuntur causam suam defensuri, nisi postquam re-
dierint ad Monasterium. Ita ex Trident. *sess.* 25.
cap. 19. *de Regular.* Ibidem §. 13.**
Insuper non licet illis, ex inaniter praesumpta 142
**necessitate recurrendi ad Superiores Ordinis, exi-
re extra claustra sine Superioris litteris, alioquin
apostatarum poenis per Ordinarium loci punian-
tur: Ex Trident. *loco citat.* Ibid. §. 13.** Haec ta-
men intelligenda sunt, quando recurrendi causa
non est vera, urgens, et gravioris momenti, *ibid.*
§. 14. Vetitum est Superioribus Regularibus, ne 143
**subditis suis facultatem faciant transeundi ad a-
liam Religionem, nisi non dubiis documentis con-
stiterit illis, alterius Religionis Superiorem para-
tum esse ad eum recipiendum; atque ita res con-
stitutae sint, ut transitus iste recta fiat ab una ad
aliam Religionem. Ita ex decreto Sacrae Congre-
gationis Concilii ab Urbano VIII. approbato; *Ibid.*
§. 14.**
Transitus iste, etiamsi agatur de apostata trans- 144
**ferendo, fieri nequaquam potest ad Religionem,
in qua Regularis observantia non viget; quin sec
licet, si Religio illa sit militaris, aut hospitalaris,
excepto Ordine Sancti Johannis de Deo. Ita edi-**

xit Benedict. XIII. in Constitut. incip. *Licet Sacra; ibid.* §. 14.

145 Regularis in Claustris non degens, si ab illis abscessit non praeobtenta Superioris venia, vagaturque, etsi gestet Religiosa indumenta, et animum redeundi retineat, debet ab Episcopo loci, ubi moratur, in carcerem conjici, et Superioribus Regularibus consignari, secundum Regulam puniendus, ut ex Decreto Sac. Congregationis Conc. ab Urbano VIII. confirmato. *Ibid.* Haec tamen vera sunt, nisi aliunde constet, Regularem illum se subtraxisse ab immoderata severitate Superioris localis, ut recurrat ad alium Superiorem majorem: *Ibid.*

146 Regulares incorrigibiles expelli possunt ab Ordine, quidquid vetera Sacr. Congregationis decreta olim in contrarium statuerint, ut ex novis Decretis ejusdem Congregationis Concilii firmatur: *ibid.* §. 16.

147 Incorrigibilis vero censetur, qui omnibus inustus est improbitatis characteribus in Jure Canonico ad id designatis. Debet praeterea antecedere carceratio sex mensium in poenitentia, et jejunio, ac tandem sententia Provincialis ejusdem Provinciae, consultis tamen sex aliis ex eadem Provincia Religiosis designandis in Congregatione Provinciali, confirmandisque a Superiore Generali, cui reservata est facultas iterum retractandi eamdem causam, et priorem sententiam revocandi. Ita ex novissimis decretis Sacrae Congregationis Concilii, *ibidem* §. 19.

148 In conficiendis incorrigibilitatis processibus vaient illi, qui ad normam regularum, et consuetudinum ejusdem Ordinis formantur: *Ibid.*

149 Lata contra ejectos sententia notificanda est Episcopo Ordinario loci, non ut de illa cognoscat, sed quia illius jurisdictioni inde subest ejectus, ejusque mandatis obsequi debet. Ita ex Decretis Sacr. Congreg. *ibid.*

150 Ita ejecti non possunt induere habitum Religionis, sed clericalem adhibeant necesse est. Manent insuper perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum in Religione susceptorum, nec potest ab Ordinariis ea poena relaxari, vel moderari. Ita ex Decretis Sac. Congreg. *ibid.*

151 Si vero ex litteris Testimonialibus Ordinarii constiterit, spem evidentem inesse resipiscentiae, tunc iterum ad Ordinem recipiendi sunt: *Ibidem.*

152 Demum ita ejectus voto castitatis omnimode obstrictus remanet, paupertatis vero, cum quadam moderatione, sicut nec obedientia propria Superiori Regulari exhibenda ab eo est. Reliqua vero vota in Professione ab eo nuncupata, remanent in suspenso, Ita ex DD. *Ibidem.*

153 Ejectus, si provocare vult ab injustitia sententiae in se latae, debet se constituere in carceribus formalibus Religionis, ut ex Decreto Sac. Congregat. Concil. lato *die* 15. *Novembris* 1698. constat, *ibid.* §. 31.

154 Religiosi tamen Societatis Jesu post tria vota simplicia ab illis emissa exacto probationis tempore ab Ordine dimissi non comprehenduntur in Decretis de apostatis, et ejectis, ut ex responso Sacr. Congreg. Concil.: *Ibid.* §. 21. Votum castitatis ab illis emissum, dum permanent in Ordine, dirimit Matrimonium. Isti, ne celebrare possint, vetantur solummodo, quia carent patrimonio, vel Beneficio: *Ibid.* §. 23. Sunt tamen habiles ad Beneficia, et ministeria Ecclesiastica obtinenda: *Ibid.* §. 16. Valent tamen haec omnia in dimissis ante Professionem solemnem. Post illam vero emissam censentur ac alii Regulares in ordine ad ejectos: *Ibid.*

Vota castitatis etc. a Religiosis Laicis Cisterciensibus emissa solemnia sunt, non simplicia, ut ex Decreto peculiaris Congregationis habitae coram Benedicto XIV. *die* 27. *Martii* 1747. lato constat, *ib.* §. 28. Vide verb. *Votum art.* 3. *n.* 166. 155

Si Religiosus ob crimen aliquod damnatus sit ad triremes ad certum tempus, num, ea absoluta poena, recipiendus sit iterum a Religione, nondum definitum est a Sac. Congregatione, quamvis consulta desuper fuerit. Haec tamen sola sententia damnationis ad triremes etiamsi nondum remigaverint, perpetuo illos infames declarat, adeoque irregulares. *Ibid.* §. 30. 156

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Tametsi plura hoc in Articulo *ab Auctore* cumulata sint; nihilo tamen minus, et plura addi possent, vel illustrando tradita ab ipso Auctore, vel omissa ab eo supplendo. Angusti vero limites additionum cogunt, ut vix pauca innuamus. 157

De Laico post patratum delictum effecto Regulari, quatuor quaeri solent. Primum, an valide sit professus? Secundum, an debeat puniri a Superiore Regulari? Tertium, an sit standum processui confecto a Judice laico? Quartum demum, an puniri debeat juxta praesentem statum? 158

Vide autem de his omnibus *controvers.* 95. *et* 97. *Samminiati*, ubi sustinetur valide fuisse professum, et quod ei consectarium est, debere puniri a Superiore Regulari, stando tamen processui confecto a Judice Laico, et quidem secundum praesentem statum. Et quod caput est, affertur in casu illo consentanea resolutio Sac. Congreg. Immunitatis *edita* 19. *Januarii* 1677. 159

De Regulari, quando ex necessitate Patri, Matri etc. superveniente exire e Religione possit, et eis subvenire, non inutilis hic quoque esset inquisitio. At brevitatis gratia consule, qui de ea late agit Rosignol. *de Patr. Potest. discept.* 3. c. 4. *n.* 31. *et sequent.* 160

Pariter brevitatis gratia de Regulari, an possit esse Testis in Testamento, adi Scopp. *ad Merlin. Pignatell. Consult.* 88. *n.* 28. *tom.* 2. Sanchez *in praecept. Decalog. lib.* 6. *cap.* 13. *fer. per tot.* 161

An possit esse Procurator in judicio pro saecu-lari, de Alexio *observ.* 108. *ad Capyc. Latr. con-* 162

sult. tom. 2. Novar. *in Lucerna Regular. verb. Procurator n.* 4. *et* 5. Roger. *de Testament. Canon. l.* 1. *disp.* 2. *c.* 4. *n.* 7. Graff. *decis. aur. part.* 3. *c.* 26. *n.* 15.

163 An possit esse exequutor testamentarius sine Superioris licentia, Capon. *controvers. for.* 54. *n.* 29. *et sequent.* ubi etiam de Jesuitis, et rursus iste *discept.* 32 *fere per tot.* Oliv. *de For. Eccles. part.* 3. *quaest.* 35. *n.* 8. *et seq.* Themud. *decis. Ulysippon.* 62. *n.* 5. ubi quod Fratres Minores nec cum licentia Superioris possunt esse exequutores Testamentarii.

164 An possit esse arbiter, Sanchez *in praecept. Decalog. lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 52. *et seq. et n.* 64. *de Fratribus Minoribus*, Scopp. *ad Gratian. decis.*
165 64. *per tot.* Et quid si electus fuerit ante Religionis ingressum? Sanchez *ubi supra.*

166 An possit esse Tutor, Laurea *Alleg. fiscal.* 86. *n.* 2. *lib.* 2. Sanchez *in praecept. Decal. lib.* 6. *c.* 14. *n.* 21. *et seq.*

167 An possit munus Tabellionis exercere, *iidem Auctores ibidem.*

168 An possit esse depositarius, Sanch. *eodem loco n* 17. *et seq.*

169 Quid recuperet, ubi exeat e Religione, Capon. *discept.* 201. *cap.* 1. *n.* 4. Schettin. *de pact. success. part.* 3. *sect.* 9. *n.* 59. *et seq.* Rot. *in Anconitan. donationis* 23. *Julii* 1773. *cor. bon. mem. Perali.*

Et quid suppressa Religione, Torr. *de pact. futur. success. lib.* 2. *c.* 25. *n.* 95. Rot. *in Anconit. seu Senogallien. successionis* 22. *Mart.* 1726. *cor. bon. mem. Nunez.* 170

Et quid si transeat ad Religionem capacem, Capon. *discept.* 64. *et* 280. Staiban. *Jur. resolut.* 125. *et* 126. *lib.* 2. Schettin. *de pact. success. part.* 3. *sect.* 9. *n.* 64. Gobb. *consult. decisiv.* 12. *et* 13. Rovit. *decis.* 10. *ibique* Altimar. *in addit.* 171

Et quid si promoveatur ad Episcopatum, Marant. *part.* 3. *respons.* 55. Capon. *controvers.* 22. *n.* 20. *ubi de* bonis donatis Monasterio, de Marin. *resolut. quotid. c.* 185. *tom.* 2. Lucarin. *de Episcop. Regular. part.* 3. *c.* 2. Argentrè *ad Consuet. Britann. art.* 510. *gloss.* 2. *n.* 3. Rovit. *decis.* 10. *et* 11. *ibique Altimar. in addit.* 172

Responsio Auctoris.

De iis omnibus, quae circa Regulares in hisce *Additionibus* proponuntur, jam satis fuit traditum a me in suis propriis respective locis, nempe in verb. *Filius*, in verb. *Testis*, in verb. *Procurator*, in verb. *Testamentum*, in verb. *Arbiter*, in verb. *Tutor*, in verb. *Depositarius*, in verb. *Clericus*, in verb. *Episcopus*, in verb. *Novitius*, in verb. *Regulares*, in verb. *Moniales*, in verb. *Translatio*, et saepe incidenter alibi. 173

ARTICULUS II.

QUOAD EA, QUAE CONCERNUNT REGULARIUM EXEMPTIONEM AB JURISDICTIONE, VEL NON, ORDINARIORUM; SEU QUOAD EA, IN QUIBUS REGULARES SUBDUNTUR, VEL NON, JURISDICTIONI ORDINARIORUM.

SUMMARIUM

1. Exemptio quid sit? — 2 Episcopi in pluribus casibus Jurisdictionem habent in Regulares, sive Ordinariam, sive delegatam. — 3. In quibus habeant in ipsos Jurisdictionem Ordinariam? — 4. Et in quibus habeant Delegatam? 5. Affertur Constitutio Gregorii XV. de Exemptorum privilegiis, et subjectione, multa ad rem continens scitu digna. — 6. Afferuntur responsa Sacrae Congregationis Concilii ad varia Dubia super dicta Constitutione Gregorii XV. exorta. — 7. Afferuntur alia duo Dubia super eadem. — 8. Afferuntur variae resolutiones Sacrae Congregationis specialiter deputatae in caussa Angelopolitana Jurisdictionis vertente inter Episcopum, et Patres Jesuitas, confirmatae ab Innocentio X. — 9. Regulares subduntur Episcopis quoad caussas Fidei. — 10. Item subduntur Episcopis quoad praedicationem Verbi Dei. — 11. Item subduntur Episcopis quoad susceptionem Ordinum — 12. Item subduntur Episcopis quantum ad audiendas Confessiones Sacramentales Saecularium. — 13. Item subduntur Episcopis, et ab ipsis possunt excommunicati declarari, si ministrent Laicis infirmis etiam hospitantibus in eorum Conventibus Viaticum, et extremam Unctionem absque Episcopi, vel Parochi licentia. — 14. Item subduntur Episcopis quantum ad audiendas Confessiones Monialium Episcopis sub eclarum. — 15. Item subduntur Episcopis, et ab ipsis possunt puniri, si violent sigillum sacramentale Confessionis. — 16. Item subduntur Episcopis, si sollicitent Poenitentes in Confessione, vel doceant Poenitentes non teneri ad denunciandos Confessarios sollicitantes — 17. Item subduntur Episcopis quantum ab observanda, et evitanda in celebratione Missarum, et ab ipsis possunt puniri, si prohibita, vel indecentia in Ecclesiis suorum Ordinum committant circa Missae Sacrificium. — 18. Item subduntur Episcopis, et possunt ab ipsis coerceri, si erigant Altare portatile in Domo privatorum, ut ibi celebrent, et Viaticum ministrent Regulari infirmo absque licentia Episcopi, vel Parochi. — 19. Item subduntur Episcopis, et ab ipsis puniri possunt, si celebrent Missas in Oratoriis privatis Domicellorum diebus exceptis, vel postquam eadem die init ibidem jam celebrata unica Missa in Apostolico Indulto concessa. — 20. Item subduntur Episcopis quoad admissionem ad Habitum, et ad Professiones Monialium in Monasteriis sibi subjectis, et possunt ab illis puniri, si non fuerint prius certiorati — 21. Item subduntur Episcopis quoad electionem Abbatissarum Monasteriorum sui Ordinis, cui per se, vel per alium potest Episcopus interesse, si vult. — 22 Item subduntur Episcopis, si Confessarii Monialium Monasteriorum intra moenia Civitatis permaneant, et pernoctent in mansione per parietes, et per tecta non poenitus disjuncta, et separata a Monasterio. — 23. Item subduntur Episcopis, et ab ipsis puniri possunt, si Superiores extra necessitatem ingrediantur Monasteria Monialium sibi subjectarum. — 24. Item, si Superiores plusquam semel in anno

et caussa Visitationis dicta Monasteria ingrediantur. — 25. Item, si Superior Generalis introducat secum in dicta Monasteria plusquam duos socios sui Ordinis, et Superior alius a Generali plusquam unum. — 26. Item, si ipse Superior Visitator, aut ejus socii sumpserint intra Clausuram refectionem. — 27. Item, si urgente caussa eodem anno pluries ingrediendi septa Monasterii, Superior fuerit ingressus absque praesentia Episcopi Dioecesani, vel alterius personae Ecclesiasticae ad hoc specialiter ab ipso delegatae. — 28. Item subduntur Episcopis Regulares quoad locutionem cum Monialibus, etiam sibi subjectis, et si sine legitima licentia cum illis loquantur, possunt ab ipsis puniri. — 29. Item subduntur Episcopis in iis, quae concernunt clausuram Monialium, etiam sibi subjectarum, et si quoad hanc reperiantur delinquentes, possunt ab ipsis puniri. — 30. Item subduntur Episcopis, si Immunitatem Ecclesiasticam violaverint, vel laeserint. — 31. Item subduntur Episcopis, si offendant Ministros, et officiales Curiae Episcopalis, et tunc possunt ab eis puniri, et carcerari. — 32. Item subduntur Episcopis, si Interdicta per ipsos promulgata non servent — 33 Item subduntur Episcopis, si in eorum personam delinquant, vel Praelatorum Jurisdictionem competentem impediant, ne munus suum exequantur; tunc enim possunt ab eis puniri, et legitime coerceri. — 34. Item subduntur Episcopis, si Censuram Canonis: *Si quis suadente* 29. *caus.* 17 *q.* 4. vel aliam a Jure latam ob notoriam delictum incurrerint: Tunc enim possunt ab Episcopis publice denunciari excommunicati, et ab aliis vitentur. — 35. Item subduntur Episcopis, si degant, et delinquant extra Claustra. — 36 Et hoc procedit etiam in Regulari existente extra Claustra ad erectionem Monasterii de licentia sui Superioris, nisi in ipsa Domo sit Regularis observantia, et vivant sub Superiore Conventualiter. — 37. Regulares degentes in Parochialibus Monasterio unitis non possunt puniri ab Ordinariis, nisi delinquent circa Curam Animarum, et Sacramentorum administrationem. — 38. Regulares tamen de licentia suorum Superiorum manentes in Aliquo membro, seu Grangia sui Monasterii pro Religionis servitio, si ibi delinquant, possunt ab Ordinario puniri. — 39. Regularis degens intra Claustra, et extra cum scandalo populi delinquens, puniri debet a suo superiore, certiorato de punitione Episcopo instante, alias puniri poterit ab ipso Episcopo. — 40. Superior Regularis ab Episcopo admonitus, non puniens, ut supra, talem Regularem delinquentem incurrit ipso facto privationem dignitatis et Officii; et si illum impunitum ad alium Conventum extra Dioecesim transmiserit, tenetur eum revocare intra terminum ab Episcopo praefigendum sub poenis privationis Dignitatis, et Officii, et inhabilitatis, ac privationis vocis activae, et passivae ipso facto incurrendis, ad quas a solo Romano Pontifice restitui potest. — 41. Et si Superior ipsum delinquentem revocare praetermiserit, Ordinarius loci, ad quem trasmissus fuerit, ab Ordinario loci commissi delicti requisitus, tamquam Apostolicae Sedis delegatus punire eum potest, et debet. — 42. Regularis delinquens intra Claustra, seu in Ecclesia, vel Monasterio sui Ordinis cum populi scandalo, censetur, et reputatur delinquere extra Claustra. — 43. Episcopus potest procedere ad summariam informationem de delicto a d. Regulari extra Claustra commisso — 44 Regularis extra Claustra delinquens non est detinendus in carceribus ab Episcopo (nempe in carceribus jurisdictionis Episcopalis), donec processus in Curia Episcopali conficiatur, sed statim remittendus est ad suum Superiorem, etiamsi nullam instantiam faceret. — 45. Regularis deprehensus in delicto, ubi timetur de fuga, potest ab Episcopo capi per suos Ministros, et recta duci ad suum Superiorem cum instantia, ut intra certum tempus eum puniat, et de punitione ipsum certiorem faciat. — 46 Superiores, qui ad praescriptum Concilii tenentur facere certiores Episcopo de punitione Regularium extra Claustra delinquentium, non satisfaciunt faciendo verbo hujusmodi certiorationem, sed eam facere debent in scriptis. — 47. Regularis, qui sine Obedientialibus sui Superioris a suo Conventu recesserit, et repertus fuerit, potest ad Ordinariis Locorum puniri. — 48. Regulares incedentes per Civitatem, et loca sine socio, vel de nocte, aut indecenter vestiti, et sine debita modestia Religiosa, possunt ab Episcopis in carceribus mancipari, tamquam delinquentes extra Claustra, servata tamen forma Concilii Tridentini. — 49. Regulares deferentes publice arma, de mandato Episcopi possunt carcerari. — 50. Regulares subduntur Episcopis quoad expositionem solemnem SS. Sacramenti, *remissive.* — 51. Regulares subduntur Episcopis, quantum ad accedendum ad Processiones publicas, *remissive.* — 52. Item subduntur Episcopis quantum ad componendas controversias super praecedentia in Processionibus, *remissive.* — 53. Item subduntur Episcopis, quantum ad Sacras imagines, et Reliquias ponendas, et exponendas in suis Regularibus Ecclesiis — 54 Item subduntur Episcopis quantum ad publicationem Indulgentiarum. — 55. Item subduntur Episcopis quantum ad erectionem Confraternitatum, *remissive.* — 56. Item subduntur Episcopis quantum ad susceptam administrationem Confraternitatum, vel Hospitalium. — 57. Item subduntur Episcopis quoad Confraternitates Laicorum in suis Regularibus Ecclesiis existentes. — 58. Item subduntur Episcopis Regulares Parochi quoad ea, quae concernunt Curam Animarum. — 59. Dummodo Eccl. Parochialis non sit illius Conventus, in quo Generalis Ordinis habet residentiam ordinariam. — 60. Item subduntur Episcopis Regulares Parochi quoad accessum ad Synodum, et Conferentiam casuum. — 61. Non possunt tamen Episcopi compellere Regulares ad accedendum ad Conferentias casuum, neque in Conventibus suppressis, et postea restitutis, in quibus non degunt de Familia duodecim Religiosi. — 62. Item Regulares subduntur Episcopis quoad renuntiationes, et obligationes Novitiorum. — 63 Item subjiciuntur Episcopis quoad restituendas Novitiis abeuntibus ante Professionem res omnes, quae ipsorum erant. — 64. Item subjiciuntur Episcopis quoad observandos dies Festos legitime praefixos. — 65. Item subjiciuntur Episcopis quoad eis praestanda debita obsequia, et Baldachinum erigendum in eorum accessu ad Ecclesias Regulares pro ibi celebrandis Pontificalibus, et hujusmodi. — 66. Moniales tamen Regularibus subjectae non tenentur erigere Baldachinum Episcopo clausuram visitare volenti, sed sufficit stratum praeparare. — 67. Regulares subjiciuntur Episcopis quoad delicta commissa circa personas intra septa, aut circa Clausuram, vel bonorum administrationem Monasteriorum Monialium etiam Regularibus subjectarum — Item subjiciuntur Episcopis, si ab ipsis moniti sepulturas sub Altaribus, et pradellis in eorum Ecclesiis constructas, nolunt, aut differant expurgare, et illas muro obstrui facere, et replere. *remissive.* — 69. Item subjiciuntur Episcopis, et Censuris Ecclesiasticis possunt coerceri, ne Ecclesiastica, et Sacra Paramenta benedicant pro usu aliarum Ecclesiarum non suarum. — 70. Item subjiciuntur Episcopis quoad exequendam Testatoris voluntatem et reddendam rationem, si illis fuerit commissa executio, sive distributio reddituum, aliorumque bonorum hereditatis. — 71. Item subjiciuntur Episcopis quoad tenendam lampadem accensam ante Altare, in quo est Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti. — 72 Item potestatem, et jurisdictionem habent Episcopi supra Regulares in spectantibus ad venerationem eorum, qui cum Sanctitatis opinione, vel fama Martyrii ex hac vita migrarunt. — 73. Item procedere possunt Episcopi etiam contra Regulares asserentes Beat. Virg. conceptam esse cum peccato Originali. — 74. Item procedere possunt Episcopi etiam contra Regulares Missam celebrantes, et Confessiones Sacramentales excipientes, antequam fuerint promoti ad Sacrum Praesbyteratus Ordinem. — 75. Regulares subjiciuntur Episcopis quoad Judices Conservatores etc. *remissive.*

76. Regulares autem intra Claustra degentes, et habentes suos Conservatores legitime electos in casibus Civilibus conveniri solum possunt coram dictis Conservatoribus, vel coram suis Superioribus, non autem coram Episcopis. — 77. Regulares subjiciuntur Episcopis, si in numero a Constitutionibus Apostolicis praescripto, in Conventu non commorentur, et Regularem disciplinam non servent *remissive*. — 78 Regulares, quamvis ordinarie nequeant ab Episcopis Censuris coerceri propter amplissima eorum Privilegia; Tamen in Casibus particularibus, in quibus vigore Tridentini, vel Constitutionum Apostolicarum datur Episcopis facultas coercendi, corrigendi, et puniendi Regulares, possunt ab ipsis Censuris coerceri, nisi habeant ad id Privilegia sibi concessa vel confirmata post Concilium Tridentinum, *ad n.* 80. — 81. Non posse autem Regulares ab Episcopis Censuris distringi, seu coerceri, resolvunt multi, qui afferuntur. — 82. Unde pendente lite super exhibitione Privilegii, non potest Episcopus Regulares turbare in sua possessione exemptionis; Et in dubio, an Jurisdictio pertineat ad Episcopum? recurrendum est pro decisione ad Sedem Apostolicam. — 83. Caeterum quamvis Regulares exempti sint a Jurisdictione Ordinariorum, et sic non teneantur comparere, dum ab eis citantur; Tamen id non procedit, cum in citatione exprimitur caussa, quae fundat super Regulares Jurisdictionem, si non ordinariam, saltem delegatam in aliquibus casibus particularibus, Tunc enim tenentur comparere, alias poterunt Episcopi contra ipsos contumaces Censuras relaxare, declarando ad removendum omne dubium validitatis Censurarum, quod id faciant tamquam Sedis Apostolicae Delegati. — 84. Concluditur igitur, quod licet Regulares exempti sint a Jurisdictione Episcoporum, non sunt tamen exempti a stricto debito exhibendi eis omne obsequium, et reverentiam. — 85. Et ita Episcopi Jura Regularium debent defendere, ipsosque affectu benevolo prosequi, charitative tractare, et benigne fovere. — 86. Concilii Generalis Viennensis monitum Episcopis, et Regularibus directum in mutuae debitae dilectionis argumentum — 87. Alia ad rem cum add. ex aliena manu *ad n.* 149.

1 Exemptio est Privilegium, quo persona, aut locus ab jurisdictione Episcoporum, seu Ordinariorum liberantur, et subtrahuntur, ac Summo Pontifici immediate subjiciuntur. *Est in re communis, arg. cap. Si Papa* 20. *de Privileg.* in 6.

2 Episcopi, seu Ordinarii in pluribus casibus Jurisdictionem habent in Regulares, sive Ordinariam, sive Delegatam. *Communis*, et clare pate-
3 bit ex infra dicendis. Jurisdictionem Ordinariam in ipsos habent in iis, in quibus Jure Ordinario, seu ex suo ordinario Officio, ex Lege, Canone, vel consuetudine sibi competente possunt contra
4 eos procedere; *Communis*. Jurisdictionem vero delegatam in ipsos habent in iis, in quibus, non Jure proprio, et ordinario suo Officio, sed ex sola demandata sibi auctoritate a Sede Apostolica possunt contra eos procedere, uti cum Canones, et Jura disponunt, ut contra eos auctoritate Apostolica, vel tamquam Sedis Apostolicae Delegati procedant; *Communis*.

5 Affertur Constitutio 18 Gregorii XV. de Exemptorum Privilegiis et subjectione, multa ad rem continens scitu digna.

GREGORIUS EPISCOPUS etc.

Inscrutabili etc.

§. 1. Sane Tridentinae Synodi Decretis provide cautum est, nullum Presbyterum, etiam Regularem posse Confessiones saecularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale Beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat.

§. 2. Nec non, ut in Monasteriis, seu Domibus Virorum, seu Mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum Monasteriorum, seu Locorum familia, personae tam Regulares, quam saeculares ejusmodi Curam exercentes subsint immediate, in his, quae ad dictam Curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, Jurisdictioni, Visitationi, et Correctioni Episcopi, in cujus Dioecesi sunt sita. Itemque ut Episcopi universi, sub obtestatione Divini Judicii, et interminatione maledictionis aeternae, in omnibus Monasteriis sibi subjectis Ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, Clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent; Inobedientes, atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compescentes.

§. 3. Atque ut regulares in Ecclesiis suorum Ordinum praedicare volentes se coram Episcopis praesentare, et ab eis Benedictionem petere teneantur; In Ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt, nullo modo praedicare possunt sine Episcopi licentia; contradicente autem Episcopo nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, praedicare praesumant.

§ 4. Verum quia experientia compertum est, Ecclesiastici regiminis rationem postulare, ut Decretis ejusmodi aliquid adjungatur; matura deliberatione nostra, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuo valitura Constitutione, decernimus, statuimus, declaramus, ut deinceps tam Regulares, quam saeculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium Monasteriis, seu Domibus Regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel Beneficiis, sive Secularibus incumbentem, exerceant; sive alias Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent praevia Episcopi licentia, et approbatione; sive quoquomodo in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant: In his, quae ejusmodi curam seu

administrationem concernunt, omnimodae Jurisdictioni, Visitationi, et correctioni Dioecesani Episcopi tamquam Sedis Apostolicae Delegati, plene in omnibus subjiciantur; Ad haec tam Regulares, quam Saeculares hujusmodi nullis Privilegiis, aut Exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa Clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo loci similiter tamquam ad hoc Sedis Apostolicae Delegato quoties, et quando opus fuerit, puniri, et corrigi valeant.

§. 5. Confessariis vero, Regul. seu Saeculares quomodocumque exempti, tam Ordinarii, quam extraordinarii, ad Confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Dioecesano idonei judicentur, et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant; Sed et Administrantes bona ac ejusmodi Monasteria Sanctimonialium, ut praefertur, etiam Regularibus subjectarum, pertinentia, sive Regulares extiterint, sive Saeculares quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, et compelli queant; Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut ejusmodi Confessarios, atque Administratores amoveant: iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem praedictos Confessarios, Administratores amovendi toties quoties, et quando opus esse judicaverit; Ac similiter possit Episcopus una cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Praefectarum, vel Praepositarum eorumdem Monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac praesidere absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

§. 6. Ac demum habeat Episcopus, tamquam dictae Sedis Delegatus auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque Exemptos, tam Saeculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum non petita illius Benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint; Ita ut Episcopi in suprascriptis casibus, in praenominatas personas, in praemissis omnibus, et singulis, aut circa quoquomodo delinquentes, quoties, et quando opus fuerit, etiam extra Visitationem, per Censuras Ecclesiasticas, aliasque poenas, uti ejusdem Sedis Delegati procedere, omnemque Jurisdictionem exercere libere, et licite valeant.

« §. 7. (Et sequitur clausula praeservativa una cum aliis derogatoriis) ».

Datum Romae apud S. Petrum Nonis Feb. 1622. Pontificatus Anno secundo; Bullar. tom. 4, p. 98 a

Afferuntur responsa Sacrae Congreg. Conc. ad varia dubia super dicta Constitutione Gregorii XV. exorta. 6

Posita Constitutione fel. rec. Gregorii XV. de exemptorum Privilegiis etc. Dubitatur;

« 1. An liceat Episcopis visitare Altaria Regularium Ecclesiarum, quibus Cura Animarum personarum Saecularium non incumbit, aut loca, ubi in eisdem Ecclesiis asservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, vel ubi audiuntur Confessiones personarum Saecularium »?

« 2. An Episcopi possint Regularibus praescribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alias illorum privilegia restringere, ac moderari in Sacramentis administrandis? ».

« 3. An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in Exemptos, tam Saeculares, quam Regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius dioecesis? ».

« 4. An eadem facultas competat Inferioribus Praelatis proprium Territorium, ac Jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus? ».

« 5. An per eamdem Constitutionem in illis verbis »: Possit Episcopus una cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum etc. electionibus per se, vel per alium interesse, ac praesidere, Jus Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur? a.

« 6. An Confessarii Monialium ante dictam Constitutionem deputati debeant ab Episcopo examinari, et approbari? ».

« 7. An Superiores Regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro Confessionibus Sanctimonialium sibi subjectarum audiendis? »

« 8. An Confessiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, et scientiam tenoris dictae Bullae, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullae, atque irritae, nec ne? »

« 9. An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum Saecularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum? ».

« 10. An Regularis ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatus, Confessiones Monialium alterius Monasterii audire possit? ».

« 11. An Confessarii Regulares Extraordinarii semel ab Episcopo deputati, et approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro una vice infra annum ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini, possint virtute dictae approbationis pluries tamquam Confessarii Extraordinarii earumdem Confessiones audire absque nova Episcopi licentia? ».

« 12. Cum in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Supe-

riores Regulares admonere, ut amoveant Confessarios Monialium, atque Administratores bonorum ad earumdem Monialium Monasteria pertinentium: iisque Superioribus, id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem praedictos Confessarios, et administratores amovendi quoties, et quando opus esse judicaverit: An ejusmodi causam Episcopus Superioribus Regularibus significare teneatur? »

« 13. An eadem Constitutio, qua parte supponit Episcopi Jurisdictioni Regulares delinquentes circa personas degentes intra septa Monasteriorum Monialium, aut circa Clausuram, vel bonorum Administrationem eorumdem Monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an vero solum in notoriis, et cum scandalo populi? ».

« Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Trident. Interpretum censuit, Constitut. san. mem. Gregorii XV. de Exemptorum Privilegiis nequaquam subjicere Regulares Exemptos, quibus Cura Animarum personarum Saecularium non incumbit, Episcoporum Jurisdictioni in his, quae Sacramentorum Administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis Saecularibus administrandis iidem Regulares delinquunt; ac propterea ».

« Ad 1. Dubium respondit, Episcopis, non licere in vim ejusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit Animarum Cura personarum saecularium, nec loca, ubi in iisdem Ecclesiis asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum, vel ubi Confessiones personarum saecularium audiuntur ».

« Ad 2. Hac in parte Constitutionem nihil novi Juris induxisse, nec ullam novam auctoritatem Episcopis in Regulares attribuisse, ideoque in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus praescribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alias illorum Privilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Quod si aliunde Episcopis hujusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublatam ».

« Ad 3. Censuit, ejusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personam nullius Dioecesis ».

« Ad 4. Non competere ».

« Ad 5. Jus confirmandi Abbatissas minime fuisse Episcopis per Constitutionem attributum ».

« Ad 6. Confessarios quidem Extraordinarios Monialium nullatenus posse post Constitutionem illarum Confessiones audire, nisi prius ab Episcopo Dioecesano idonei judicentur, et approbentur; Ordinarios vero Confessarios ante Constitutionis publicationem deputatos, posse durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confessionibus Sanctimonialium audiendis absque alio examine, et approbatione Episcopi. Quod si contingat, ut illorum facultas a Sede Apostolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, et approbari ».

« Ad 7. Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioqnin facultas competat audiendi Confessiones Monialium sibi subjectarum, posse, durante eorum Officio, pergere sine alia Episcopi approbatione in Confessionibus audiendis illarum tantum, quae sponte, ac proprio motu id ab eis petierint; At vero eos, qui post Constitutionem eligentur, qui quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum Officiis, seu Dignitatibus, expleto jam tempore a Constitutionibus cujuscumque Ordinis, vel alias legitime praefinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse Sanctimonialium Confessiones audire, nisi prius a Dioecesano Episcopo idonei judicati, et approbati fuerint ».

« Ad 8. Confessiones hujusmodi nullas, atque irritas esse ».

« Ad 9. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum Saecularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione ».

« Ad 10. Regularem ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatum, minime posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii ».

« Ad 11. Confessarios Extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis ejusmodi illarum Confessiones audire; sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit ».

« Ad 12. Non teneri ejusmodi causam significare Superioribus Regularibus, sed hoc relinqui arbitrio, et prudentiae Episcoporum, quorum Conscientiam Sacra Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi in hac parte attributa quoquomodo abutantur, ejus rei in stricto Dei judicio rationem reddituri ».

« Ad 13. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum, et cum populi scandalo ».

Quae Sacrae Congregationis responsa ad se relata fel. rec. Gregorius XV. et S. D. N. Urban. VIII. in omnibus approbarunt, *Bullar. tom.* 4. *pag.* 101. *et* 102.

A. CARD. CAJETANUS.

Prosper Fagnanus Sac. Congr. Secretarius.

Afferuntur alia dubia ab eadem Sacra Congr. declarata, et a SS. D. N. approbata. 7

« 1. An Regularis absque legitima licentia accedens ad Monasterium Monialium Regularibus subjectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum

Moniali colloquens, a Dioecesano Episcopo, tamquam Sedis Apostolicae Delegato coerceri, et puniri possit »?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trident. Interpretum censuit posse. Quam Congr. sententiam Sanctissimus D. N. Urbanus VIII. ad se relatam approbavit.

« 2. An liceat Episcopo in vim Constitutionis san. memor. Gregor. XV. de Exemptor. Privilegiis, punire Regulares, qui ad Abbatissae electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus praenunciata »?

« Sacra Congregatio respondit: Regulares ex eadem Constitutione ita demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissae, eumque usque ad praefinitum tempus expectare, si antea ipse expresse declaravit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque electionibus, per se, vel per alium interesse, ac praesidere; Post eam vero declarationem licere Episcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non praenunciata, ad Abbatissae electionem procedunt; Bullar. *dict. tom.* 4. *d. pag.* 102.

COS. CARD. DE TORRES.

Prosper Fagnanus Secretar.

8 Afferuntur variae resolutiones Sacrae Congregationis specialiter deputatae in *causa Angelopolitana Jurisdictionis* vertente inter Episcopum, et Patres Jesuitas, confirmatae ab Innocentio X. Const. 29. incip. *Cum sicut accepimus*, ubi referuntur ordine sequenti.

» I. An in casu, quo Episcopus praecipiat Decreta aliqua Concilii Tridentini a Regularibus observari, et executioni demandari, Regulares quicumque, etiam Societatis Jesu, sub praetextu, quod hujusmodi praecepto infringant sua Privilegia, possint eligere Conservatores? Congregatio respondit: Si Episcopus praecipiat Regularibus, etiam Societatis Jesu, in illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel Constitutiones Apostolicas Regulares exempti subjiciuntur Jurisdictioni, et Correctioni Episcopi, minime licere ipsis Regularibus ob eam causam Conservatores eligere ».

« II. An quando Ordinarius procedit Juris ordine servato, adversus Regulares exemptos in casibus, in quibus per Concil. Trid. vel Constitutiones Apostolicas ipsi subjiciuntur, possint Conservatores Judices assignare? Respondit, ut ad proximum, non posse ».

» III. An Regularibus, etiam Societatis Jesu, asserentibus se habere Privilegia, quominus obediant Episcopo in executione Decretorum Juris communis, Conc. Trid. et Constitutionum Apostolicarum, Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi Privilegiorum? Respondit, Ordinarios non teneri hujusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali Privilegiorum exhibitione ».

« IV An in casu, quo Regulares quicumque, etiam Societatis Jesu, exhibeant aliqua Privilegia, et Ordinarii judicent, ea non suffragari casui, de quo agitur, et ad rem non facere, Regulares praefati possint, ac debeant provocare ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis, ad Metropolitanum, sive Ordinarium viciniorem, vel potius possint hoc casu eligere Judices Conservatores? Respondit, si verba Privilegiorum sunt obscura, et ambigua, non licere recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Episcopum, nec Conservatores eligere, sed Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum ».

« V. Utrum Constitut. felic. record. Gregorii XV. circa Conservatores Regularium publicata anno 1622. cum Declarationibus Eminentissimorum Sacr. Congr. Concil. Interpretum desuper editis, aeque afficiat, et comprehendat Religiosos Societatis Jesu, ac reliquos Regulares, ita ut omnia alia praefatae Societatis Privilegia fuerint redacta ad terminos dictae Constitutionis, et sic in posterum debeant ab iis eligi Conservatores juxta formam, et tenorem praescriptae Constitutionis; Respondit, hujusmodi Constitutionem cum declarationibus, ut praefertur, editis aeque afficere Religiosos Societatis Jesu, atque aliorum Ordinum, et Conservatores ad illius praescriptum esse eligendos, non obstantibus quibusvis privilegiis, quippe quae omnia sunt redacta ad terminos ipsius Constitutionis ».

« VI. An Regulares praedicti gravati aere alieno, vel ad ratiocinia, vel Testamentorum Executores possint conveniri coram Ordinario, si Conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario praescriptum? Respondit, Regulares in causis praefatis coram Ordinario loci esse conveniendos, si ad praescriptum Constit. san. mem. Gregor. XV. Conservatores non elegerint, et ipsum electionis documentum intra praefinitum tempus in actis Curiae ipsius Ordinarii non exhibuerint, ac dimiserint ».

« VII. An dicti Regulares, Conservatores sive ad Jura, sive ad privilegia tuenda assumentes, teneantur ante exercitium commissionis praestare cautionem coram Ordinario, sive alio Judice competente de Judicio, sisti, et judicatum solvendo, casu, quo in lite, sive causa succubuerint? Respondit, non teneri.

« VIII. An quando Episcopi Jura, vel Decimas Cathedralium adversus Regulares praedictos dote sua spoliantes Ecclesias coram Judice competente tuentur, librosque, memorialia, et allegationes producunt Jus Ecclesiarum Cathedralium exprimentes, et acquisitiones Religiosorum, aliaque id genus adnumerantes, hujusmodi scriptorum occasione possint Regulares nominare Conservatores, praetendentes injuriam sibi inferri in refe-

rendo immoderatas acquisitiones; Respondit, si Episcopi pro tuendis Juribus Cathedralium Ecclesiarum coram Judice competenti hujusmodi scripta producant, et Regularium immoderatas acquisitiones veraciter, et modeste referant, non licere ob eam causam ad Conservatores recurrere ».

« IX. Utrum Regularis quicumque, etiam Societatis Jesu, possit administrare Sacramentum Poenitentiae Saecularibus absque licentia Episcopi Dioecesani, etiamsi in alia Dioecesi ab Episcopo approbatus sit; Respondit; etiam Societatis Jesu in una Dioecesi ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum Saecularium audiendas, nequaquam posse in alia Dioecesi hujusmodi Confessiones audire sine approbatione Episcopi Dioecesani ».

« X. An Episcopus contra dictos Regulares, audientes in sua Dioecesi Confessiones Saecularium absque approbatione, vel concionantes absque licentia Episcopi intra, et extra proprias Ecclesias possit procedere, eos a talibus ministeriis removendo, sive praeceptis, et aliis Juris remediis coercendo? Respondit, eisdem Regularibus, qui confessiones personarum Saecularium audiunt sine approbatione Episcopi loci, vel praedicant in Ecclesiis sui Ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis absque illius licentia, vel in Ecclesiis, etiam sui Ordinis, ipso contradicente, posse Episcopum in vim Constit. felic. record. Gregorii XV. quae incipit: *Inscrutabili Dei Providentia* tamquam Sedis Apostolicae Delegatum, administrationem Sacramenti Poenitentiae, ac munus praedicationis interdicere, eosque Juris remediis coercere, ac punire ».

« XI. An quando Episcopo constat, dictas licentias obtentas non fuisse, possit ipse praecipere, ut, donec licentiam intra praescriptum tempus exhibeant, a tali ministerio abstineant? et an requirendus sit per Episcopum pro his exhibendis Provincialis in alia Dioecesi, vel longissime existens, vel ipsi Regulares Cofessarii, vel eorum Superiores eiusdem Dioecesis, in qua praedicta exercentur? Respondit: Posse Episcopum sic praecipere, nec pro hujusmodi licentiis requirendum esse Provincialem, sed satis esse ipsos Religiosos requirere, aut eorum Superiores in Dioecesi Episcopi existentes ».

« XII. An si contingat, ut aliquis praedictorum Regularium insurgat contra Episcopum in propria dioecesi, maledicto, scripto, vel dicto, populum scandalizando, possit ab Episcopo puniri, et qua animadversione? Et quid, si hujusmodi delinquens transiverit ad aliam Dioecesim, hoc servandum sit, et qua poena puniendus sit Regularis, qui commorans in una Dioecesi spargat famosos libellos contra Ordinarium alterius Dioecesis? Respondit: Si Regularis intra Claustra degens, extra ea in casibus in dubio expressis, ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, teneri Superiorem Regularem, intra tempus ab eo praefigendum, severe illum punire, ac de punitione Episcopum certiorem facere; alioquin sic delinquentem ab Episcopo puniri posse ad praescriptum *Concilii Tridentin. cap. 14. sess. 25. de Regul.* Quod si delinquens ad aliam Dioecesim migraverit, servandum esse, quod praecipitur in Const. san. mem. Clement. VIII. Incip. *Suscepti muneris ratio*.

« XIII. An Conservatores nominati, et electi a Regularibus praescriptis ante exercitium suae jurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario, sub poena nullitatis actuum? Respondit: Utique teneri ».

« XIV. An Privilegia, quae sunt contra Jurisdictionem Ordinarii, et quibus gaudent, et gaudere praetendunt Regulares praefati, debeant Episcopis notificari, seu insinuari? Respondit: Regulares teneri hujusmodi Privilegia Episcopo exhibere, si eis uti voluerint ».

« XV. An praedia, metallorum fodinae, sacchari opificinae a Regularibus Societatis, vel aliis possessa, vel aliae Domus saeculares, in quibus videlicet unus, vel duo Regulares tantum commorantur, gaudeant Privilegio Collegiorum, seu Conventuum? Respondit, Non gaudere ».

« XVI. Utrum Regulares praescripti apothecas quarumcumque mercium, macella, et similia praesertim prope Collegia, seu Conventus exercentes possint ab Ordinario sub Censuris inhiberi, ne hujusmodi exerceant? Respondit; Non posse Episcopum hoc prohibere Regularibus exemptis: sed si in praemissis ita notorie delinquant extra Claustra, ut populo scandalo sint, servandum esse, quod dictum est supra in responsione ad duodecimum ».

« XVII. Utrum Regulares, etiam Jesuitae, in suis praediis, Officinis, aliisque suis Domibus saecularibus sitis intra limites Parochialium ad se non spectantium, possint administrare Sacramentum Baptismatis solemnis, Matrimonii, Extremae Unctionis, et Eucharistiae in Festo Paschatis famulis, mercenariis, rusticis, sive aliis id genus hominibus saecularibus absque Ordinarii, vel Parochi licentia? Respondit; Non posse ».

« XVIII. Utrum Patres Societatis in Civitate, et Dioecesi Angelorum possint consecrare Vasa Sacra, Altaria, et similia in quibus Unctio requiritur? Respondit: Itidem non posse ».

Pro parte vero Religiosorum Societatis Jesu proposita fuerunt infrascripta dubia.

« I. An Episcopi in partibus Indiarum, possint ex integro totum unum Monasterium, vel Collegium ab audiendis Confessionibus suspendere? Respondit; Episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul unius Monasterii, vel Collegii Confessariis adimere facultatem audiendi Confessiones personarum Saecularium, etiam inconsulta Sacr. Congreg. Episcopor. et Regularium negotiis praeposita, cum Decretum ab ea editum sub die 20. Novembris 1615. ex intentionis defectu, et conve-

nientia morali non extendatur ad regiones illas, tam longe dissitas. Verum ab hac generali Suspensione, quae vix sine scandalo, et animarum pernicie contingere potest, abstinendum esse Episcopis, nisi gravissima subsistente causa super quo S. Cong. illorum conscientias graviter voluit oneratas ».

« II. An Episcopus Regularem pro Confessionibus semel approbatum sine nova causa suspendere possit ab ipsis Confessionibus audiendis: Respondit: Regulares, alias libere ab Episcopo praevio examine approbatos ad audiendas Confessiones personarum Saecularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse sine nova causa, eaque ad Confessiones ipsas pertinente ».

« III. An Bulla Pii V. 34. in ordine tom. 2. Bullar. concessa, instante, et supplicante Serenissimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium, sit revocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mitigantur? Respondit; Agendum cum Sanctissimo an velit declarare, Bullam non esse revocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus Parochorum ».

« IV. An Episcopus possit cum Censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in Confessionibus audiendis, vel praedicatione Verbi Dei, et hoc vigore Concilii Trid. vel per quem Canonem? Respondit. Posse procedere, non quidem in vim Conc. Trident. sed in vim Constitut. Gregorii XV. quae incipit: *Inscrutabili Dei Providentia*.

« V. An licentia audiendi Confessiones, et praedicandi, ab Episcopo per litteras missivas, an solum per litteras patentes Cancellariae concedi possit: Respondit: Posse concedi etiam per litteras missivas, si ita Episcopo videbitur ».

« VI. An talis licentia oretenus sine scriptis concedi possit; Respondit; Ut ad proximum ».

« VII. An facultas eligendi Conservatores concessa Societati a Gregorio XIII. suffragetur illis in locis, in quibus non adsunt Judices Synodales; Respondit: Privilegium Gregorii XIII. suffragari, ut Societas non teneatur ex illis eligere Conservatores. Dummodo tamen in reliquis servetur forma Constit. Gregorii XV. hac de re edita.

« VIII. An Conservatores Societatis, Vicarios Generales Episcoporum auctoritate Apostolica per sententias, Censuras, et poenas Ecclesiasticas compellere possint virtute Bullae Gregorii XIII. incip. *Æquum reputamus* datam ultima Februarii 1573. Respondit: Posse a manifestis injuriis, et violentiis eos compescere etiam Censuris, et poenis Ecclesiasticis. Datum Romae die 16. Aprilis 1648. Quapropter, ut praemissa firmius subsistant, et inviolabiliter observentur, Nobis pro parte Joannis Episcopi hujusmodi fuit humiliter supplicatum, ut illa, auctoritate Apostolica, confirmare dignaremur. Nos igitur etc. Decernentes etc. Sic non aliter etc. Irritum, et inane etc. Non obstantibus etc. Romae 14. Maii 1648 ».

9 Regulares subduntur Episcopis quo ad causas Fidei. Concil. Trid. *sess.* 5. *de reform. cap.* 2. Paulus V. Constit. incip. *Romanus, Pontifex* Gregorius XV. Constit. incip. *Universi Dominici*, ubi subduntur ipsis Episcopis, et Inquisitoribus.

10 Item subduntur Episcopis quo ad praedicationem Verbi Dei: Concil. Trid. *cit. sess.* 5. *de reformat. cap.* 2. *sess.* 24. *de Reform. cap.* 4. Gregor. XV. Constit. incip. *Inscrutabili*, et Clemens X. Constitut. incip. *Superna*. Vide verb. *Praedicare, Praedicator*.

11 Item subduntur Episcopis quantum ad susceptionem Ordinum: Concil. Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 8. 11. 12. *et* 14. Vide verb *Ordo*.

12 Item subduntur Episcopis quantum ad audiendas Confessiones Sacramentales Saecularium: Conc. Trid. *sess.* 23. *de reform. c.* 15. Gregor. XV. cit. Constit. incip. *Inscrutabili*, Clemens X. citat. Constit. incip. *Superna*. Vide verb. *Approbatio*, verb. *Confessarius*, et verb. *Reservatio Casuum*.

13 Item subduntur Episcopis, et ab ipsis possunt excommunicati declarari, si ministrent Laicis infirmis, etiam hospitantibus in eorum Conventibus, Viaticum, ut Extremam Unctionem absque Episcopi, vel Parochi licentia: *Clementin.* 1. *de privileg.* et saepius declaravit *Sacr. Congreg. Concilii*, et signanter *in Nullius* 19. *Septemb.* 1637. *in Cremon.* 27. *Februarii* 1649. *in Ripana* 3. *Februar.* 1652. *in Gerunden.* 13. *Februarii* 1649. *et in Neapolitana* 5. *Junii* 1760.

14 Item subduntur Episcopis quantum ad audiendas Confessiones Monialium, etiam sibi subjectarum: Gregorius XV. cit. Constit. incip. *Inscrutabili*, Clemens X. cit. Constit. incip. *Superna*. Vide verb. *Moniales art.* 5. et verb. *Jubilaeum*.

15 Item subduntur Episcopis, et ab ipsis, possunt puniri, si violent sigillum Sacramentale Confessionis, cum isti censeantur delinquere circa administrationem Sacramenti Poenitentiae: Gregor. XV. cit. Const. incip. *Inscrutabili*.

16 Item subduntur Episcopis, si sollicitent Poenitentes in Confessione, vel doceant, Poenitentes non teneri ad denunciandos Confessarios sollicitantes. Gregorius XV. Constit. incip. *Universi*.

17 Item subduntur Episcopis quantum ad observanda in celebratione Missarum: Concil. Trid. *sess.* 22. *de Sacrific. Missae in Decret. de evitand. in celebration. Miss. et Sacr. Cong. Concil. in Vercelien.* « An liceret Episcopo punire Regulares prohibita, vel indecentia in Ecclesiis suorum Ordinum committentes circa Missae Sacrificium? Die 21. Martii 1642. respondit, licere Episcopo punire Regulares committentes proibita, vel indecentia in Ecclesiis, etiam suorum Ordinum, circa Missae Sacrificium », apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *n.* 45.

18 Item subduntur Episcopis, et possunt ab ipsis coerceri, si erigant Altare portatile in Domo privatorum, ut ibi celebrent, et Viaticum ministrent Regulari infirmo absque licentia Episcopi, vel Pa-

rochi: *Sac. Cong. Conc. in Messanen.* 2. *Septem.* 1698. Vide verb *Oratorium n.* 80.

19 Item subduntur Episcopis, et ab ipsis puniri possunt, si celebrent Missas in Oratoriis privatis Domiceliorum diebus exceptis, vel postquam ea dem die fuit ibidem jam celebrata unica Missa in Apostolico Indulto concessa: *Sac. Congreg. Concil. in Neapolitana* 30. *Maii* 1699. et expresse Clemens XI. *die* 25. *Decembris* 1903. In Decreto de celebratione in Oratoriis privatis incip. *Quoniam Sancta* Vide verb. *Oratorium n.* 5.

20 Item subduntur Episcopis quo ad admissionem ad Habitum, et ad Professionem Monialium in Monasteriis sibi subjectis, et possunt ab iliis puniri, si non fuerint prius certiorati: *S. C. Conc. in Limana* 19. *Novemb.* 1625. *in Burgen.* 4. *Decemb.* 1627. *in Dertonen.* 16. *Decembr.* 1646. Vide verb. *Moniales art.* 1. *a n.* 68.

21 Item subduntur Episcopis quo ad Electionem Abbatissarum Monasteriorum sui Ordinis, cui per se, vel per alium potest Episcopus interesse, si vult: Gregorius XV. in cit. Constitut. incipient. *Inscrutabili*, Vide verb *Abbatissa*.

22 Item subduntur Episcopis, si Confessarii Monialium Monasteriorum, intra Moenia Civitatis permaneant, et pernoctent in mansione per parietes, et per tecta non penitus disjuncta, et separata a Monasterio: Alexander VII. Constitut. incip. *Felici*.

23 Item subduntur Episcopis, et ab ipsis puniri
possunt, si Superiores extra necessitatem ingre-
diantur Monasteria Monialium sibi subjectarum:
Gregorius XIII. Const. incip. *Dubiis*, Alexander
24 VII. cit. Constit. incip. *Felici*. Item si Superio-
res plusquam semel in anno ex causa Visitationis
dicta Monasteria ingrediantur: Alexander VII.
cit. Const. *Felici*. Item si Superior Generalis in-
25 troducat secum in dicta Monasteria plusquam
duos socios sui Ordinis, et Superior alius a Gene-
rali plusquam unum: Alexander VII. cit. Const.
26 *Felici*. Item, si ipse Superior Visitator, aut ejus
socii sumpserint intra Clausuram aliquam refectio
nem: Alexander VII. in cit. Constit. *Felici*. Item,
27 si urgente causa eodem anno pluries ingrediendi
septa Monasterii, Superior fuerit ingressus absque
praesentia Episcopi Dioecesani, vel alterius per-
sonae Ecclesiasticae ab ipso ad hoc specialiter de-
legatae: Alexander VII. Constitut. *Felici*. Vide
verb. *Moniales art.* 2. *a n.* 73. *ad* 78.

28 Item subduntur Episcopis Regulares quo ad locutionem cum Monialibus, etiam sibi subjectis, et si sine legitima licentia cum illis loquuntur, possunt ab ipsis puniri: *Sacr. Congr. Conc. approbante Sanctissimo* in duobus resolutis dubiis allatis *supra n.* 7. Vide verb. *Moniales art.* 4. ubi plura alia afferuntur ad id Decreta.

29 Item Regulares subduntur, Episcopis in iis, quae concernunt Clausuram Monialium, etiam sibi subjectarum, et si quod ad hanc reperiantur delinquentes, possunt ab ipsis puniri, Vide verb. *Moniales art.* 3. ubi plura afferuntur Decreta ad rem.

Item subduntur Episcopis, si Immunitatem Ecclesiasticam violaverint, vel laeserint; *Sacr. Congr. Immun. in Panormitana* 3. *Februar.* 1537. Gregor. XIV. Constit. incip. *Ex quo*, ubi cognitio Immunitatis demandatur Episcopis privative quoad omnes, et novissime *in Papien.* 28. *Jul.* 1556. Vide verb. *Immunitas art.* 2. *per tot.* et signanter *a n.* 134. ad 136. 30

Item subduntur Episcopis, si offendant Ministros, et Officiales Curiae Episcopalis, et tunc possunt ab eis puniri, et carcerari, ut declaravit, et laudavit *Sac. Cong. Episcop. et Regular. in Theatina* 26. *Martii* 1692. *referente Card. Caraffa.* 31

Item subduntur Episcopis, si Interdicta per Episcopos promulgata non servent: *Clementin.* 1. *de sentent. excom.* Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regularib. cap.* 11. *et Sacra Congreg. Conc. in Caesaraugustana Interdicti* 11. *Jun.* 1695. in qua declaratum fuit, Milites Hierosolymitanos, sicut ceteros Regulares, et exemptos, teneri, et obligatos esse ad observantiam Interdicti per Archiepiscopum promulgati, non obstante allegata in contrarium consuetudine immemorabili. 32

Item subduntur Episcopis, si in eorum personas delinquant, vel Praelatorum jurisdictionem competentem impediant, ne munus suum exequantur; Tunc enim possunt ab Ordinariis puniri, et legitime coerceri, ut declaravit *Sac. Cong. Concilii*, et approbavit Gregorius XIII. apud Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. Grave gerimus* 19. *de Offic. Ordinarii n.* 76. per text. *in cap.* 1. *de Offic. Delegat.* ibi: « Si eos manifeste cognoveris Justitiam impedire, *et cap.* 1. *de poenis in* 6. ibi: Si hac occasione sua impediatur Jurisdictio ». 33

Item subduntur Episcopis, si Censuram Canonis *Si quis suadente* 29. *caus.* 17. *q.* 4. vel aliam a Jure latam ob notorium delictum incurrerint; Tunc enim possunt ab Episcopis publice denunciari excommunicati, ut ab aliis vitentur, ut declarasse Sacram Cong. Concilii refert Fagnan. *loc. cit. n.* 75. et declaravit *Eadem Sacr. Congr. novissime in Neapolitana* 18. *April.* 1693. 34

Item subduntur Episcopis, si degant, et delinquant extra Claustra, textu expresso in Concilio Trid. *sess.* 6. *de reform. cap.* 3. ibi: « Nemo Regularis extra Claustra degens, etiam sui Ordinis Privilegii praetexto, tutus censeatur, quo minus si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato secundum Canonicas sanctiones visitari, puniri, et corrigi valeat ». 35

Et hoc procedit etiam in Regulari existente extra Claustra ad erectionem Monasterii de sui Superioris licentia; Cum licentia operetur solum, ut recte cum aliis notat Sperelius *decis.* 38. *n.* 19. ne committatur Apostasia, non vero quin ab Ordinario pro excessibus puniri possit, et sic resolvit Sacra Cong. Concilii cum limitatione ut infra: 36

« Regularis manens extra Claustrum de licentia Superioris, etiam in Domo destinata ad erectionem Monasterii, nisi in dicta Domo sit Regularis Observantia, ut saltem vivat sub Superiore conventualiter, potest puniri ab Ordinario ». Ita testantur Genuens. *in prax. cap.* 59. *n.* 2 Sperell. *l. cit. num.* 21. Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. Grave gerimus* 19. *de Offic. Ordinarii n.* 36. Barbos. *ad d. sess.* 6. *c.* 3. *n.* 1. et alii plores ibi citati.

37 Regulares degentes in Parochialibus Monasterio unitis non possunt puniri ab Ordinariis, nisi delinquant circa Curam Animarum, et Sacramentorum administrationem. Sic in causa Canonici Regularis Lateranensis respondit *Sac. Cong. Concilii*, ut testatur Fagnan. *loc. cit. n.* 35. et sic resolutum fuisse *die* 3. *Februarii* 1601. refert Barbosa *loc. cit. n.* 4. et alii. Et ratio est, quia ipsi

38 censentur degere intra Claustra. Regulares tamen de licentia suorum Superiorum manentes in aliquo membro, seu Grangia sui Monasterii pro Religionis servitio, si ibi delinquant, possunt ab Ordinario puniri. Sic respondit *Sac. Cong. Episc. et Regul. die* 27. *Junii* 1655. *ad* 6. *dubium*, in quo quaerebatur: « An ipsae Grangiae, et Conversi in eis degentes subsint Visitationi Episcopi? » Et respondit, *Ad* 6. *Subesse.*

39 Regularis degens intra Claustra, et extra cum scandalo populi delinquens, puniri debet a suo Superiore, certiorato de punitione Episcopo instante, alias puniri poterit ab ipso Episcopo, textu expresso in Concil. Tridentino *sess* 25. *de reform. cap.* 14. ibi: « Regularis non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus, ab Episcopo praefigendum, severe puniatur: ac de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus a suo Superiore Officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit ». Vide infra *n.* 77.

40 Superior Regularis ab Episcopo admonitus non puniens, ut supra, talem Regularem delinquentem, incurrit ipso facto privationem Dignitatis, et Officii per eum obtenti; Et si illum impunitum ad alium Conventum extra Dioecesim transmiserit, tenetur eum revocare intra terminum ab Episcopo praefigendum, sub poenis privationis Dignitatis, et inhabilitatis ad illa, et alia imposterum obtinenda, ac ulterius privationis vocis activae, et passivae ipso facto incurrendis, ad quas a solo Romano Pontifice restitui potest. Sic expresse statuit Clemens VIII. Constitut. incip. *Suscepti muneris*, in qua prope medium sic habet: « Motu etc. Omnibus, et singulis cujuscumque Ordinis, et Instituti Regularium Mendicantium Superioribus in virtute Sanctae Obedientiae, et sub indignationis Nostrae, ac privationis Dignitatum, et Officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis poenis praecipimus, et mandamus, ut juxta praedictum Decretum quilibet ipsorum Regularium etc »: ubi tenorem Decreti allegat, et infra subjungit: « Ceterum si Superior in Regularem delinquentem non animadverterit, quinimo si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca extra Dioecesim, ut praefertur, transmiserit, volumus, et simili motu, atque auctoritate decernimus, ut Superior, instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo praefigendum, et sub eisdem indignationis Nostrae, ac privationis Dignitatum, et Officiorum obtentorum, nec non et sub inhabilitatis ad illa, et alia imposterum obtinenda, ac ulterius privationis activae, et passivae vocis, ad quas a nemine, praeterquam a Nobis, et Romano Pontifice pro tempore existente, restitui possit, ipso facto similiter incurrendis poenis, ipsum Regularem delinquentem a loco, ad quem transmissus fuit, revocare, et in quo deliquit, constituere, seu sistere teneatur ».

Et insuper addit Pontifex, quod si Superior Regularis ipsum delinquentem revocare, ut supra, praetermiserit, Ordinarius loci, ad quem transmissus fuerit, ab Ordinario loci commissi delicti requisitus, vel alias de illius delicto informatus, tamquam Sedis Apostolicae Delegatus, Decretum Concilii exequi, et eum punire possit, ac debeat, ibi: « Quod si hoc etiam facere praetermiserit, per praesentes similiter statuimus, ut Ordinarius Loci, ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, super praemissis ab ipso Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel de illius delicto informatus, ut praefertur, tamquam Sedis Apostolicae delegatus, praedictum Concilii decretum omnino exequi, et in Regularem delinquentem severe animadvertere possit, et debeat etc. non obstantibus etc. ». 41

Regularis delinquens intra Claustra, seu in Ecclesia, vel Monasterio sui Ordinis cum populi scandalo, censetur, et reputatur delinquere extra Claustra; Sic decrevisse *Sacram Congreg Concilii* refert Fagnan. *loco cit. n.* 69. et Sperellus *decis.* 38. *n.* 15. ubi ad litteram refert Decretum dictae Sacrae Congregationis Concilii, quae ad dubium: « An Regularis delinquens notorie in Ecclesia, seu Monasterio sui Ordinis, in quo degit, ita ut populo scandalo sit, dicatur delinquere extra Claustra, ut locus sit dispositioni *Concil. cap.* 14 *de Regularibus*; Censuit delinquere extra Claustra, si in Ecclesia Monasterii delinquit, nisi clausis portis Ecclesiae, et solis Regularibus in ea existentibus, fuerit commissum delictum. Si vero intra Claustra Monasterii, vel Ecclesiae interioris delictum sit commissum, ex verbis Concilii non videtur procedere *dict. cap.* 14. quod expresse dicit extra Claustra; tamen si scandalum sit notorium populo, ex idoneitate rationis idem videtur ». 42

Episcopus potest procedere ad summariam informationem de delicto a dicto Regulari extra Claustra commisso; Sic censuit *Sac. Congregat. Concil.* apud Donatum *prax. rerum Regul.* tom. 43

1. *part.* 2. *tract.* 1. *q.* 54. *n.* 21. quae ad dubium: « An Episcopus, statim habita notitia delictorum, possit capere informationem, et illam ad Superiorem delinquentis remittere, ut nequeat de illo delicto ignorantiam praesumere » ? Respondit, *Posse.*

44 Quando Regularis extra Claustra delinquit, cum dubitatum fuerit: « An detinendus sit in Carceribus ab Episcopo, donec Processus in Curia Episcopali conficiatur, eoque compilato, instante Superiore, remittendus sit una cum processu puniendus: vel potius, non expectata compilatione processus, statim remittendus sit ad Superiorem una cum iis probationibus, quae habentur » ? Sacra Congregat. respondit: « Statim remittendum esse, etiam posito, quod Superior nullam instantiam faceret ». Sic refert Donatus *loc. cit. n.* 7. Fagnan. *loc. cit. n.* 69. et alii plures.

45 Regularis deprehensus in delicto, ubi timetur de fuga, potest juxta Tridentin. *sess.* 25. *de reform. cap.* 6. ab Episcopo capi per suos Ministros, et recta duci ad suum Superiorem cum instantia, ut intra certum tempus eum puniat, et de punitione ipsum certiorem faciat, juxta Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 14. Matthaeucci *Officialis Curiae cap. ult. sub n.* 22. *in fine*, et de quolibet in casibus a Jure permissis firmant Antoneil. *de Regimin. Eccles. lib.* 7. *cap.* 18 *n.* 3. Sperell. *decis.* 38. *n.* 13. Piasecius *Prax. Episcop. part.* 2. *cap.* 3. *art.* 7. *sub n.* 23. Panimoli. *decis.* 84. *adnotat.* 4. *n.* 4. et alii passim.

46 Regulares autem Superiores, qui ad praescriptum Concilii tenentur facere certiores Episcopos de punitione Regularium extra Claustra delinquentium, non satisfaciunt faciendo verbo, hujusmodi certiorationem, sed scriptis facere debent: *Sacra Congreg. Concil. in Lucana* 14. *Decemb.* 1630. quam referunt Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 3. *disp.* 5. *quaest.* 11. *n.* 64. Barb. *in Summa Apostolic. decis. verb. Regularis delinquens n.* 5. et alii.

47 Regularis, qui sine Obedientialibus sui Superioris a suo Conventu recesserit, et repertus fuerit, potest ab Ordinariis locorum puniri, textu expresso in Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 4. ibi: « Nec licet Regularibus a suis Conventibus recedere, etiam praetexto ad Superiores suos accedendi, nisi ab iisdem missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tamquam desertor sui instituti puniatur ». Vide tamen dicta sub verb. *Apostata.*

48 Regulares incedentes per Civitatem, et loca sine socio, vel de nocte, aut indecenter vestiti, et sine debita modestia Religiosa, possunt per Episcopum in carceribus mancipari tamquam delinquentes extra Claustra, servata tamen forma Concilii Tridentini *sess.* 25. *cap.* 14. *de reform. Regular.* Sic *Sac. Congreg. Episcop. in Andrien.* 15. *Decemb.* 1584. *e in Ravennaten.* 12. *Sept.* 1594. apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 6. *formul.* 20. *n.* 13.

49 Regulares deferentes publice arma, de mandato Episcopi possunt carcerari: *Sacr. Congreg. Concil. in Turritana* 3. *Februar.* 1635. apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 15. *formul.* 8. *n.* 43. ubi affert Decretum per extensum.

50 Regulares subduntur Episcopis quo ad Expositionem solemnem SS. Sacramenti; Cum non possint illud solemniter exponere sine licentia Ordinarii, et nisi ex causa publica, ut saepius declaraverunt Sacrae Congregationes Episcopor Concil. et Rituum. Vide verb. *Eucharistia n.* 57. ubi afferuntur Decreta.

51 Regulares subduntur Episcopis quantum ad accedendum ad Processiones publicas. Vide verb. *Processiones a n.* 13.

52 Item subduntur Episcopis quantum ad componendas controversias super praecedentia in Processionibus: Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 13. Vide verb. *Praecedentia.*

53 Item subduntur Episcopis quantum ad Sacras Imagines, et Reliquias ponendas, et exponendas in suis Regularibus Ecclesiis, cum id debeat fieri praevia approbatione Episcopi: Concil. Trid. *sess.* 25. in Decreto de Invocatione, et Veneratione, et Reliquiis Sanctorum, et Sacris Imaginibus

54 Item subduntur Episcopis quantum ad publicationem Indulgentiarum; Conc. Trident. *sess.* 21. *cap.* 9. *de reform. et Sacr. Congreg. Concil. super d. cap.* 9. *sess.* 21. *de reform.* apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 16. *formul.* 6. *n.* 8. ubi refert, quod ita etiam declaravit *Sac. Congreg. Immun. in Firmana* 13. *Junii* 1603. *lib.* 3. *Decret. Valiem. pag.* 494.

55 Item subduntur Episcopis quantum ad erectionem Confraternitatum; Ipsas enim nequeunt illi Regulares erigere, et instituere, nisi de consensu Ordinarii: Clemens VIII. Constitut. 125. incip. *Quaecumque.* Vide verb. *Confraternitas.*

56 Item subduntur Episcopis quantum ad susceptam administrationem Confraternitatum, vel Hospitalium; cum possit Episcopus eos cogere ad reddendam rationem administrationis, et culpabiles repertos ad Juris praescriptum punire, juxta Concil. Trident. *sess.* 22. *c.* 8. *et* 9. ut expresse declaravit *S. C. Concilii* apud Fagnan. l. c. n. 47.

57 Item subduntur Episcopis quoad Confraternitates Laicorum in suis Regularibus Ecclesiis existentes, cum possit Episcopus eas visitare, et ab ipsarum Administratoribus rationem Administrationis exigere ad praescriptum *cit. cap.* 8. *et* 9. *ejusdem sess.* 22. Non potest tamen earum Capellas, Jcones, aut Altaria visitare, nisi quatenus Confratrum administrationem concernunt: *Sacr. Congreg. Concil.* apud Fagnan. *loc. cit. n.* 48. Vide verb. *Confraternitas*, et verb. *Visitatio.* v. Addit. Cas. in fin. h. art.

58 Item subduntur Episcopis Regulares Parochi, seu Curati quoad ea, quae concernunt curam Ani-

marum; Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regularibus*
59 *cap.* 11. Gregorius XV. Constitut. Incip. *Inscrutabili*. Dummodo Ecclesia Parochialis non sit illius Conventus, in quo Generalis Ordinis habet residentiam ordinariam, quia ipsa gaudet exemptione a Jurisdictione Ordinarii; Concil. Trid. *cit. sess.* 25. *de Regularibus cap.* 11. *et Sac. Congr. Conc. in Lauden. Jurisdictionis* 1. *Decemb.* 1691. In qua plene articulo discusso, et partibus informantibus, fuit resolutum, citatam Bullam Greg. XV. incip. *Inscrutabili*, non derogasse Privilegio *cap* 11. *sess.* 25. *de Regular.* favore Generalium Ordinum concesso, apud Monacell. *part.* 1. *tit.* 6. *formul.* 20. *n.* 14.

60 Item subduntur Episcopis Regulares Parochi quo ad accessum ad Synodum, et conferentias casuum, si enim ipsi renuant accedere ad Synodum, et Congregationem casuum conscientiae, possunt ab Episcopo compelli Juris remediis: *Sacr. Congreg. Concilii in dicta Lauden. in responsione ad octavum, et nonum*, confirmata 20. *Septemb.* 1692. *juxta resoluta in Justinopolitana* 24. *Septembr.* 1639. *in Comen.* 16 *Decemb.* 1545. *et in Forosempronien.* 3. *Sept.* 1650.

61 Non possunt tamen Episcopi compellere Regulares ad accedendum ad conferentias casuum conscientiae, neque in Conventibus suppressis, et postea restitutis, in quibus non degunt de familia duodecim Religiosi. Sic expresse respondit *Sacra Congreg. Episcop. et Regular.* ut infra: « Cum Conventus suppressi, et postea restituti, in quibus non degunt de familia duodecim Religiosi, sint vigore Decreti *Ut in parvis* Innocent. X. subjecti Visitationi, Correctioni, et Ordinariae jurisdictioni Ordinariorum locorum, contigit dubitari: An Religiosi Confessarii, et non Parochi in hujusmodi Conventibus degentes compelli possint ab eisdem Ordinariis, ut accedant ad conferentias casuum conscientiae »?

* Hoc tamen locum in illis tantum Coenobiis habet, in quibus lectio de morum doctrina, et Conferentiae casuum fiunt. Vide Epistolam Encyclicam S. Congreg. Disciplinae n. 123. *

Proposito hoc dubio in Sacr. Congr. super statu Regularium habita in Palatio Vaticano *die* 15. *Januar.* 1682. *Em. PP.* censuerunt, Ordinarios Locorum posse quidem hortari, non autem compellere Religiosos Confess. non Parochos ad accedendum ad conferentiam casuum conscientiae ».

62 Item Regulares subduntur Episcopis quoad renunciationes, et obligationes Novitiorum, quae nullae decernuntur, nisi fiant cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii infra duos menses ante Professionem: Concil. Trident. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 16.

63 Item subjiciuntur Episcopis quoad restituendas Novitiis abeuntibus ante Professionem res omnes, quae ipsorum erant; Et possunt ii, ad quos spectat, ab Episcopis per censuras ad id compelli: Concil. Trident. *cit. sess.* 25. *de Regular. cap.* 16.

Item subjiciuntur Episcopis quoad observandos 64
dies Festos in Dioecesibus legitime praefixos: Concil. Trident. *cit. sess.* 25. *de Regularibus cap.* 12. Vide verb. *Festa*.

Item subjiciuntur Episcopis quo ad eis praestanda debita obsequia, et Baldachinum erigendum in eorum accessu ad Ecclesias Regulares pro ibi celebrandis Pontificalibus, et hujusmodi. Si enim Regulares id renuant, potest Episcopus statim absque alia monitione Interdictum Ecclesiae indicere, et denunciare: *Sacr. Congreg. Conc. in Venefrana Interdicti* 26. *Januarii* 1697. Vide verb. *Baldachinum n.* 6. ubi ad id affertur Decretum jussu Clementis VIII. 65

Moniales tamen Regularibus subjectae non tenentur erigere Baldachinum Episcopo clausuram visitare volenti, sed sufficit Stratum praeparare: *Sac. Cong. Conc.* 10. *Januar.* 1686. Vide verb. *Baldachinum n.* 7. 66

Regulares subjiciuntur Episcopis quo ad delicta commissa circa personas intra septa, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subjectarum: Gregor. XV. Constitut. incip. *Inscrutabili*. Vide *supra n.* 5. *et* 6. 67

Item subjiciuntur Episcopis, si ab ipsis moniti, sepulturas sub Altaribus, et pradellis in eorum Ecclesiis constructas nolint, aut differant expurgare, et illas muro obstrui facere, et replere. Vide verb. *Altare a n.* 78. ubi ad id dantur Decreta. 68

Item subjiciuntur Episcopis, et Censuris Ecclesiasticis possunt coerceri, si Ecclesiastica, et Sacra paramenta benedicant pro usu aliarum Ecclesiarum, non suarum; Sic expresse *Sacr. Congr. Rit. Decreto* 18. *ex Decretis generalibus emanatis* 27. *Septembr.* 1689 *et* 20. *Jul.* 1690. *quo ad hoc confirmatis, et approbatis ab Alexandro VIII*. 69

Item subjiciuntur Episcopis quoad exequendam Testatoris voluntatem, et reddendam rationem, si illis fuerit commissa executio, seu distributio redditnum, aliorumque bonorum Haereditatis: *Clementina Religiosis, de Testament.* Fagnan. *in cap. Tua nobis, de Testament. num.* 19. *et* 49. Passerin. *de stat. homin. tom.* 2. *qu.* 186. *ar.* 2. *num.* 121 Sapon. *discept.* 94. *num.* 7. ubi dicit conclusionem esse veram, etiamsi testator rationem exigi prohibuisset; Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 15. *q.* 7. *num.* 23. Ventrig. *in prax. part.* 1. *adnot.* 48. §. *Unico n.* 116. Monacell. *tom.* 1. *adnot. in Appendic. ad Constitut. Gregorii XV. de exemptor. privileg. num.* 3. Vide verb. *Administratio, Administrator*. 70

Item subjiciuntur Episcopis quo ad tenendam Lampadem accensam ante Altare, in quo est Tabernaculum SS. Sacramenti: Transgressores enim puniri possunt ab Episcopis auctoritate sibi delegata a Concilio Tridentino *in Decreto de evitand. in celebrat. Miss. sess.* 22. Nec sufficit tenere lampadem accensam in Choro, sed tenenda est ante, et prope Altare Tabernaculi SS. Sacramenti, prout 71

Sacr. Congreg. Rit. die 22 *Augusti* 1699. respondit Generali Capuccinorum, qui dubium proposuerat: Monacell. *loc. cit. num.* 1. *et* 3. Matthaeucci *Official. Curiae cap.* 19. *num.* 68.

72 Item potestatem, et jurisdictionem babent Episcopi supra Regulares in spectantibus ad venerationem eorum, qui cum Sanctitatis opinione, vel fama Martyrii ex hac vita migrarunt: Urbanus VIII. Constitut. incip. *Coelestis Hierusalem.*

73 Item procedere possunt Episcopi, etiam contra Regulares asserentes Beatam Virginem conceptam esse cum peccato Originali. Gregorius. XV. Constitut. incip. *Sanctissimus.*

74 Item procedere possunt Episcopi etiam contra Regulares Missas celebrantes, et Confessiones Sacramentales excipientes, antequam fuerint promoti ad Sacrum Presbyteratus Ordinem: Clemens VIII. Constitut. Incip. *Etsi alias*. Urbanus VIII. Constitut. incip. *Apostolatus.*

75 Regulares subjiciuntur Episcopis quo ad judices conservatores; Si enim conservatores non elegerint, aut electis uti ausi fuerint aliter, quam juxta formam praescriptam a Gregorio XV. Constitut. incip. *Sanctissimus*, ad annum Conservator. carere debent, et interea eorum causae coram locorum Ordinariis cognosci, et definiri debent. Vide verb. *Conservatores art.* 2. *num.* 35

76 Regulares autem intra claustra degentes, et habentes suos Conservatores legitime electos, in causis civilibus conveniri solum possunt coram dictis Conservatoribus, vel coram suis Superioribus, non autem coram Ordinariis, seu Episcopis; Sic plurles decrevit *Sacr. Cong. Concil.* et expresse statuit, et confirmavit Paulus V. Constitut. 34. incip. *Religiosorum*. Vide verb. *Conservatores* per tot. ubi abunde ad rem.

77 Regulares subjiciuntur Episcopis, si in numero a Constitutionibus Apostolicis praescripto in Conventu non commorentur, et Regularem disciplinam non servent: Urban. VIII. Constitut. incip. *Cum saepe contingat*, Innocent. X. Constitut. incip. *Instaurandas*, et Decret. incip. *Ut in parvis*, Innocent. XII. Constitut. incip. *Nuper*. Vide verb. *Conventus art.* 2. ubi afferuntur multa ad rem.

78 Regulares, quamvis ordinarie nequeant ab Episcopis Censuris coerceri propter amplissima eorum Privilegia, quibus est eis concessum, ne sine Sedis Apostolicae auctoritate possint a quopiam excommunicari, suspendi, et interdici; Tamen in casibus particularibus, in quibus vigore Concilii Tridentini, vel Constitutionum Apostolicarum datur Episcopis facultas coercendi, corrigendi, et puniendi Regulares, ab ipsis possunt Censuris coerceri, nisi habeant ad id Privilegia sibi concessa, vel confirmata post Concilium Tridentinum. Sic Pignatell. *tom.* 3. *consul.* 46. *a num.* 11. *et seqq. ad* 18. ubi plura refert Decreta Sacrae Congregationis, et signanter. *sub num.* 12. ubi refert, *Sacram Congregat. Concil. die* 17. *Julii* 1627. negotio mature discusso, respondisse, posse Episcopos poenis sibi benevisis, etiam Censurarum compellere quoscumque Regulares recusantes, etiam Monachos, et quomodolibet exemptos, ad Processiones publicas, et consuetas accedere, atque illis interesse: «Non obstantibus quibuscumque Privilegiis, Consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis tantum Apostolicis Sacro Concilio Tridentino posterioribus, minime sublatis »: *et sub. num.* 17. refert, *Sacr. Congreg. Rit. in Tarentina die* 3. *Maii* 1642. ad dubium: Utrum teneantur Fratres Minores Reformati S. Francisci accedere ad Processiones Rogationum, et S. Cataldi Patroni, et an Censuris compelli possint; respondisse, observari debere Decreta antiqua Sacrae Congreg. Concil. scilicet Regulares poenis arbitrariis cogi posse ab Episcopo ad interveniendum praedictis Processionibus: Nisi docuerint de Apostolicis Privilegiis contrarium disponentibus, quae sint Concilio Tridentino posteriora ».

Et quod Episcopi possint contra Regulares 79
Censuras relaxare in casibus, quibus eos impedirent, ne suae Dignitatis insignia, et praeeminentias haberent, ipsisque debita obsequia in accessu ad suas Ecclesias denegarent, statuit *Sac. Congreg. Concil. in Venefrana Interdicti* 26. *Januar.* 1679. *Et Sacr. Rit. Congreg. in Camerin.* 21. *Februar.* 1699. et saepe alibi in consimilibus casibus.

Et quod in dictis particularibus casibus possint 80
Episcopi contra Regulares Censuras relaxare, non tamquam Judices, sed tamquam Juribus Executores, ut dicunt Laurel. de Franch *part.* 2. *quaest.* 30. *nu.* 1. et Monacell. *tom.* 4. *supplement. ad tom.* 2. *n.* 355. tenent. Ricc. *in prax, rer. for. Ecclesiast. part.* 2. *resolut.* 210. *n.* 1. *limit.* 2. *et Collect.* 4050. Leo *Thesaur. for. Eccles. p.* 1. *cap.* 8. *n.* 18. *part* 4. *cap.* 2. *n.* 143. Pax Jord. *elucubrat. tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 14. *n.* 59. Ventrigl. *in prax part.* 1. *annotat.* 48. §. *Unic. n.* 106. Gallemart. *Collect. in Concil. Trid. sess.* 15. *cap.* 13. *remiss. verb. nota ex Farinacio*, Romaguer. *ad Synod. Gerund. lib.* 3. *tit.* 10. *cap.* 1. *n.* 10. Monacell. *tom.* 1. tit. 8. *formul.* 20. *n.* 26. *et tom.* 3. *tit.* 3. *formul.* 6. *n.* 13. Card. de Luca *de Jurisdict. discurs.* 29. *n.* 7. *et discurs.* 104. *n.* 2. *et in Miscellan. disc.* 15. *n.* 8. ubi dicit, quod iste punctus post emanatam Constitutionem Gregor. XV. incip. *Inscrutabili*, non mereatur amplius discursum; Passerinus praeclarissimae Religionis Praedicatorum doctissimus Filius *de statu homin. tom.* 3. *quaest.* 189. *art.* 10. *insp.* 10. *nu.* 769. « Sed ubi Episcopis datur facultas coercendi, corrigendi, et puniendi Regulares, datur etiam facultas eos excommunicandi, *ut sic. v. gr. dum sess.* 25. *cap.* 13. datur Episcopis facultas compellendi eos ad Processiones, datur etiam facultas eos compellendi per Censuras ». Barbosa *in Concil. Trident. sess* 25. *de Regularibus cap.* 15. *n.* 19. *et de Offic. et potest. Episcop. part.*

3. *alleg.* 78. *n.* 25. cum pluribus ibi citatis, dicens in finem non semel sic censuisse *Sacram Congreg. Rit. ut. in Ferrarien.* 27. *Jul.* 1609. *in Chilensi* in *Indiis* 27. *Februarii, et* 15. *Maii* 1610. *et in Toletana* 4. *Jun.* 1615.

81 Non posse autem Regulares ab Episcopis Censuris distringi, resolvunt multi, quos refert, et sequitur Sanchez *de Matrimon. lib.* 5. *disp.* 35. *n.* 28. Donatus *prax. Rerum Regul. tom.* 1. *tract.* 13. *qu.* 24. Idem tenent Henriquez *in Summa lib.* 7. *cap.* 25. §. 7. P. Emanuel *in Summa tom.* 1. *cap.* 74. *nu.* 4. Villalobos *in Summa tom.* 2. *tract.* 35. *difficult.* 5. *n.* 17. Portell. *in addition. ad dub. Regular. verb. Episcopus n.* 7. et verb. *Processiones n.* 1. Hieronymus Roderic. in *Compend. qq. Regular. resolut.* 118. *n.* 1. Scort. *in Bullis select. Bulla* 393. *vers. Si autem*, Laurent. de Peyrinis *tom.* 1. *in Constitut. sui Ordin. Minor. Constitut.* 2. *Sixti IV. n.* 60. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 19. *q.* 7. *nu.* 7. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 76. et dicit decisum, Quaranta verb. *Praecedentia in fine*; Et sic tenent plurimi alii acriter defendentes, quod Episcopi non possint Censuris adversus Regulares exemptos procedere, ex quo nulla adsit Religio, quae sive per specialem concessionem, sive per communicationem tale Privilegium habere non praetendat.

82 Unde, pendente lite super exhibitione Privilegii, non potest Episcopus Regulares turbare in sua possessione exemptionis, neque in eos poterit suam Jurisdictionem exercere, et in dubio an Jurisdictio pertineat ad Episcopum? non potest Episcopus in causa cognoscere, ne sit Judex in propria causa, sed examen, et decisio sunt de reservatis Sedi Apostolicae, juxta Constitutionem Clementis X. incip. *Superna*, et interim abstinendum esset a Censuris, admonitis Superioribus, et certiorata Sacra Congregatione de excessu Regularium, ut accidit in *una Foroliviem. die* 6. *Mart.* 1692. ubi cum Patres Camaldulenses occasione accessus Episcopi ad eorum Ecclesiam tempore expositionis Venerabilis Sacramenti, illum nec in ingressu, nec in egressu associare, neque naviculam incensus, ut moris erat (licet a Ministro Caeremoniarum moniti), ut thurificare posset Sanctissimum, porrigere voluissent; Et Episcopus de his Sacram Congregationem reddidisset instructam, haec ad relationem Cardin. Petrucci *die* 6. *Mart.* 1692. rescripsit: « PP. Camaldulenses teneri praestare Episcopo accedenti ad eorum Ecclesiam omnes actus reverentiales, et ad mentem. *Mens est*, quod P. Abbas accedat ad Episcopum, et exprimat obsequia, tam suo, quam Religiosorum suorum nomine »; Sic refert Monacell. *tom.* 4. *supplement. ad tom.* 3. *n.* 356,

83 Ceterum quamvis Regulares exempti sint a Jurisdictione Ordinariorum, et sic non teneantur comparere, dum ab eis citantur; tamen id non procedit, cum in citatione exprimitur causa, quae fundat super Regulares Jurisdictionem, si non ordinariam, saltem delegatam, in aliquibus particularibus casibus, ut si citentur ad comparendum, et reddendam rationem, quare ad Processionem non accesserint; tunc enim tenentur comparere, cum ad id assistat Episcopis dispositio Concilii Tridentini *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 13. eisdem tribuens Jus compellendi Regulares ad Processiones; alias poterunt Episcopi contra ipsos contumaces Censuras relaxare, declarando ad removendum omne dubium validitatis Censurarum, quod id faciant tamquam Sedis Apostolicae Delegati, ut sic declarandum esse censuit pluries in similibus *Sacr. Congregat. Concilii* apud Fagnan. *in cap. Quoniam n.* 35. *de Officio Delegati*, et *in cap. Nullus n.* 32. *de Paroch.* et recenter ita faciendum esse respondit *Eadem Sacr. Congreg. Concil. in Meliten.* 17. *Novembr.* 1703. *ad tertium* apud Monacell. *tom.* 2. *titul.* 3. *formul.* 6. *n.* 5. Vide Ursayam *tom.* 3. *part.* 1. *disceptat.* 15. *et tom.* 6. *disceptat.* 36. *per tot.* ubi multa adducit ad rem, Donat. *prax. rer. Reg. tom.* 1. *tract.* 13. *quaest.* 17. Panimoll. *decis.* 84. *n.* 8.

Concludendum igitur est, quod licet Regulares exempti sint a Jurisdictione Episcoporum, non sunt tamen exempti a stricto debito exhibendi eis omne obsequium, et reverentiam, quia Jus reverentiale eis per exemptionem non fuit ablatum, ut recte dicunt Card. de Luca *de Regularibus discur.* 1. *n.* 31. *et discurs.* 64. *n.* 15. Passerin. *de statib. homin. tom.* 3. *qu.* 189. *art.* 19. *insp.* 10. *n.* 798. Monacell. *tom.* 3. *tit.* 3. *formul.* 6. *n.* 20 et alii passim, et declaravit *Sacra Congr. Episcop. in Foroliv.* 6. *Martii* 1692. et habetur ex Constitut. 26. Leonis X. incip. *Dum intra*, in qua §. 24. Pontifex ipse sic Regulares alloquitur: « Eosdem insuper Fratres in virtute Sanctae Obedientiae monemus (hoc est praecipimus), ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos pro debita, et nostra, ac Apostolicae Sedis reverentia, congruo honore, et convenienti observantia veneerentur ». 84

Et Episcopos sic monet: « Ipsos quoque Episcopos hortamur, et per viscera misericordiae Dei nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes, caritative tractent, ac benigne foveant, seque illis minime difficiles, aut duros, vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios, pieque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus praedictis, tamquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant, eorumque Jura omni cum caritate custodiant, atque defendant ». Et Clement. Unica *Frequens, et assidua, de excessibus Praelatorum* enunciatis triginta gravaminibus illatis per Praelatos §. *Verum*, Episcopos non hortatur, sed eis praecipit, « ut Viros Religiosos exemptos, privilegiatos, et non exemptos, Mendicantes, et non Mendicantes caritative tractent, et foveant, et sua Jura, et Privilegia inviolabiliter eis servent ». 85

86 Et ibidem §. *Verum* sive Episcopis, sive Regularibus exemptis, et non exemptis in mutuae debitae dilectionis argomentum, sensus, et voluntas Concilii Generalis Viennensis per infrascripta praecisa verba exhibetur, ibi: « Verum, quia una est Regularium, et Saecularium Praelatorum, et subditorum, exemptorum, et non exemptorum Universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una Fides, et unum Baptisma, decet, ut omnes, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, et sicut fratres ad invicem vinculo caritatis sint adstricti: decet igitur, ut et Praelati, et alii tam exempti, quam non exempti suis Juribus sint contenti; et alter in alterius injuriam non prosiliat, seu jacturam ». *Haec in dicta* Clementin. Unica, *Frequens*, et *assidua*; *De excessibus Praelatorum*.

87 Ad dicta *supra n.* 39. addenda sunt quae tradit P. Gaudentius de Janua in suo Opero ann. 1748. Romae impresso, *de Visitatione cap.* 4. *Dubit.* 10. *num.* 46 ibi: « Nihilominus pro Regularibus omnibus absque distinctione inter mendicantes, et non mendicantes, si intra claustra vivant, quamvis extra claustra quomodolibet delinquant, quod subsint jurisdictioni, et punitioni propriorum Superiorum privative, nisi, quatenus negligentibus Superioribus sontes punire scandalosos, jurisdictio ad Episcopos devolvatur in terminis Concil. Tridentini, adest apertus Motus proprius Benedicti Sac. memor. XIII. editus quidem ad dirimendas lites quoad hoc inter Neapolitanum Nuncium, et Abbatem Generalem pro tempore Montis Virginis; Sed et pro omnibus Regularibus, et Episcopis, ut evidens erit legenti; sic infra:

BENEDICTUS XIII.

88 Motu proprio etc. Exponi nuper Nobis fecit Don Gallus Galluccio Abbas Generalis Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Montis Virginis, quod licet Monachi omnes ejusdem Ordinis degentes in Monasteria, sub Obedientia Abbatis cum aliis requisitis per Concilium Tridentinum statutis, etiamsi deliquerint extra Claustra, juxta privilegia ipsis concesso per felic. record. Urbanum IV. praedecessorem nostrum in litteris Apostolicis expeditis *sub datum Idibus Januarii* 1264. et dispositionem ejusdem Concilii *cap.* 14. *sess.* 25. de Regularibus, sint prorsus immunes, et exempti a jurisdictione nostri in Regno Neapolitano Reverendissimi Nuncii, et subjecti privative tantummodo eorum Superioribus Regularibus, prout ita declaravit Camerae Nostrae Generalis Auditor per sententiam definitivam in contradictorio judicio, promulgatam contra Curiam Nunciaturae *die* 27. *Novembris* 1671. novas nihilominus modernus Nuncius excitavit praetensiones procedendi contra eosdem Regulares, sic exemptos, vigore facultatum sibi concessarum per fel. record. Clementem PP. VIII. nostrum pariter praedecessorem in Litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis diebus 19. *Junii* 1592. *et* 22. *Aug.* 1601. sub inani etiam supposito, quod hujusmodi facultas ipsi delegata quoque appareat per idem Concilium Tridentinum in supra relato *cap.* 14. ac ex observantia approbata per felic. record. Clementem Undecimom nostrum similiter praedecessorem, non attenta remissione hujusmodi controversiae praecedenter facta ad nostram ejusdem Concilii Tridentini Congregationem, et alteram particularem specialiter delegatam; Subortis proinde variis casibus, et remissa illorum eidem Nuncio causa, propterea in eadem Congregatione Concilii, nec in altera particulari priori loco, ut supra delegata, discussa, neque proposita extiterit. Agnoscentes modo ipsi Oratores, non leve sibi inferri praejudicium per continuationem jurisdictionis praedicti Reverendissimi Nuntii in detrimentum eorum exemptionis praedictae, preces Nobis humiliter porrexerunt, ut pro majori eorum tranquillitate controversiam hujusmodi ad Nos avocare, et privilegia praedicta juxta sensum ejusdem Concilii Tridentini, et Litterarum Apostolicarum interpretari, ac declarare, et sic ab ulterioribus vexationibus, desuper usque modo passis eximere, liberare, et alias opportune, prout juris fuerit, Apostolica Auctoritate providere dignaremur. Nosque ut dissensiones, et jurgia inter Ecclesiasticos, omni celeritate dirimantur, et ad hoc, ut privilegia per Romanos Pontifices concessa, contrario sensu non explicentur, auditis prius per Reverendissimum Episcopum Himericensem nostrum modernum Auditorem, de speciali nostro mandato, partibus praedictis, earum Procuratoribus, et defensoribus, tam in voce, quam in scriptis, visisque, et consideratis omnibus, de jure videndis, et considerandis, juxta illius sensum Nobis relatum, et cum illius voto, privilegia praedicta, et exemptionem respective declarare, litesque hujusmodi terminare, prout infra decrevimus. Litteras itaque Apostolicas Urbani Papae IV. favore dictae Congregationis Montis Virginis, et respective Clementis VIII. favore praedicti Reverendissimi Nuncii, privilegia, et facultates in eis, aliisque posterioribus litteris etiam Clementis XI. concessas, et expressas, dispositionem quoque praedicti Concilii Tridentini, in enunciato *cap.* 14. et alia quaecumque Decreta in praemissis citata, et quomolibet edita, et acta desuper gesta, totumque, et integrum statum, et merita causae in eadem Congregatione Concilii, altera particulari Congregatione, et alio quocumque Judice particulari pendentis; Rationes itidem utrique Parti competentes singulariter praesentibus pro expressis de verbo ad verbum habentes, causam, et litem praedictam in statu, et terminis, in quibus ad praesens reperitur cum omnibus, et singulis illius emer-

gentibus, dependentibus, adnexis, et connexis, et cum clausula *quam, et quas etc.* ad Nos avocantes, illam penitus extinguimus, et abolemus, ac partibus praedictis perpetuum silentium imponimus. Et Auctoritate nostra Apostolica declaramus, et decernimus, Privilegia concessa dicto Reverendissimo Nuncio in Regno Neapolitano per eumdem Clementem VIII. non aliter intelligi posse, et debere, quam de facultate procedendi contra « cujusque Ordinis Regulares exemptos, qui tamen sint devii et errantes, et extra Claustra in delicto deprehendantur »; nullam propterea ipsi competiisse, neque competere facultatem procedendi privative, neque cumulative contra « Monachos, et Regulares degentes in Conventibus, et Monasteriis sub obedientia Abbatum, aliorumque Superiorum »; et cum aliis requisitis per Concilium Tridentinum praescriptis; respectu enim istorum, « totam jurisdictionem privative spectare ad Superiores Regulares, etiamsi Monachi, sive Regulares extra Claustra ita notorie deliquerint, ut Populo scandalum publice oriatur » juxta dispositionem Concilii Tridentini in supra relato Capitulo, et in casu negligentiae Superiorum Regularium esse locum praefixioni termini, sicut ab Episcopo, ita etiam a Reverendissimo Nuncio, ut, eo transacto, jurisdictio ad ipsum devolvatur, juxta clausulam Concilii praedicti. Verba antem illa in primo dicto Privilegio Clementis VIII. « Ut iidem Regulares sciant, praeter eorum Superiorum correctionem, nostram etiam animadversionem incursuros » intelligi semper debere de Regularibus deviis, et errantibus, et extra Claustra vitam degentibus, non obstante quacumque asserta contraria observantia. Litteras Apostolicas proinde ejusdem Urbani IV. et exemptiones ibidem concessas eidem Congregationi Montis Virginis, ac sententiam per eumdem Camerae Apostolicae Generalem Auditorem in criminalibus latam praedicta *die* 22. *Novembris* 1671. in qua pronunciatum extitit, Reverendissimo Nuncio nullum jus competiisse, et competere cognoscendi causas civiles, criminales, et mixtas, praedictorum Monachorum Congregationis Montis Virginis intra Claustra cum requisitis Concilii degentium, etiam extra ea delinquentium, et in delicto deprehensorum, esseque privative subjectos eorum Superioribus Regularibus, juxta exemptionem ipsorum favore concessam in praecitatis Litteris Urbani IV. et Concilio Tridentino praedicto in omnibus, et per omnia confirmamus, approbamus, convalidamus, et renuvamus, suumque debitum sortiri effectum, ac omnimode executioni perpetuis futuris temporibus demandari Apostolica Auctoritate statuimus. Decernentes praesentibus nostris Litteris, licet non admissis, neque in Camera nostra registratis, nullo umquam tempore opponi de subreptione, obreptione, vel alio quovis vitio, aut defectu voluntatis, vel intentionis nostrae, etiam ex eo, quod moderaus Nuncius in Regno Neapolitano, ejusque Promotor Fiscalis, et alii quicumque in praemissis forsitan interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, ad hoc vocati, citati, vel auditi non fuerint, vel ex alia quavis causa quantumvis valida, legitima, urgenti, et juridica, etiam necessario exprimenda, notari, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci, ac in jus, et controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, et facti, vel gratiae remedium impetrari posse; sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, Commissarios, Delegatos, Tribunalia, Collegia, etiam S. Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationem particularem, ut supra deputatam, a latere Legatos, Nuncios Apostolicos, causarum Palatii Apostolici Auditores, et alios quavis Auctoritate fulgentes, semper judicari, et definiri debere; Sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate; ac ex nunc irritum, et inane, nulliusque roboris, et efficaciae declarantes quidquid secus super iis, et circa ea quavis Auctoritate, etiam a Nobis, vel Successoribus nostris pro tempore existentibus contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, nec non dictis Constitutionibus Clementis VIII. ut supra editis, et quacumque asserta contraria observantia; altera Constitutione fel. rec. Pii IV. pariter praedecessuris nostri de registrandis, Regula Cancellariae nostrae Apostolicae de jure quaesito non tollendo, Conciliaribus etiam universalibus, et Provincialibus, et quibusvis aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, per Nos, et Romanos Pontifices praedecessores, sub quibusvis tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, ac insolitis Clausulis irritantibus, et aliis Decretis in genere, et in specie, etiam iteratis vicibus, et motu simili concessis, approbatis, aut innovatis legibus, statutis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, reformationibus, consuetudinibus, caeterisque aliis in contrarium quomodolibet disponentibus: quibus omnibus, et singulis, ac omnibus aliis hic non expressis, de quibus specialis, specifica, espressa etc. ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia specificatio habenda, vel aliqua alia forma ad haec servanda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis, alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, harum serie, motu, et scientia similibus specialiter, et expresse derogamus, ac plene, et sufficienter derogatum esse decernimus, et declaramus.

Datum Romae ex nostro Palatio Apostolico Vaticano hac die 16. *Martii* 1729.

89 Sed an in Constitutione Clementis XII. incip. *Romanus Pontifex* 7. *Kal. April.* 1732. (quam ad litteram retulimus supra ad verb. *Privilegium art.* 3. *n.* 64.) cum aliis recensitis ibi Bullis fuerit hic Motus proprius Benedicti XIII. revocatus,

ut Concil. Trident. non omnino conformis, dubitari potest.

90 Insuper facultas puniendi Regularem vere degentem, et praevaricantem scandalose extra Clausira, competit sane Episcopo, ut praemissum est *n.* 43. *verb. Insuper*, sed cumulative cum Superiore ejusdem delinquentis, non privative, quia privativam non exprimit Tridentinum, nec aliud Sedis Apostolicae Decretum, ut advertit Lauretus de Franchis *prima part. Controvers. in addition. n.* 117. allegans plurimos; ita quod Regularis ipse Superior posset causam utique praevenire, et contra captum, sive habitum reum procedere, juxta Constitutiones Ordinis puniendum: Anacletus Reiffenstuel *cit. n.* 115. *de Offic. Jud. Ord.* sequens Lauretum. *Haec ille expressis verbis.*

91 Regulares Curam subditorum Saecularium assumere nequeunt absque consensu, et approbatione Episcopi: Bened. XIV. tom. 1. Constitut. 109.
92 incip. *Firmandis* §. 11. Regulares Curam Animarum exercentes, vel Sacramenta quovis titulo administrantes, subsunt in his jurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcoporum: Idem *ibid.*
93 §. 2. *et* 3. Quod intelligitur de jurisdictione Ordinaria, non vero delegata: Idem *ibid.* §. 12.
94 Regularis Parochus exemptus est a visitatione, et correctione Episcopi in his, quae pertinent ad observantiam disciplinae Regularis: Idem *ibid.* §.
95 7. Non autem in his, quae spectant ad mores, et exemplarem vivendi rationem: Idem *ibid.* §. 8.
96 Multoque minus in his, quae pertinent ad ipsius
97 Officium Parochiale: Idem *idem* §. 9. Regularis Parochi correctio competit tam Episcopo, quam Superiori Regulari, cum praeponderantia favore
98 Episcopi: Idem *ibid* §. 10. Ipsius remotio decerni potest tam ab Episcopo, quam a Superiore Regulari, absque alterius consensu: Idem *ibid.* §. 21.
99 Exempti tamen sunt ab Episcopi visitatione, et correctione Parochi Regulares, qui curam exercent in Ecclesiis eorum Monasteriorum, sive locorum, in quibus Abbates, aut alii Superiores Regulares jurisdictionem Episcopalem, et temporalem in Parochos, et Parochianos habent: Idem *ibid.* §. 12. Nisi Episcopus probet ampliorem jurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam esse: Idem *ibid.* Exempti sunt etiam animarum curam gerentes in Ecclesiis eorum Monasteriorum, in quibus Abbates Generales, seu Capita Ordinum Sedem ordinariam principalem habent: Idem *ibid.* §. 13. Quod non extenditur ad residentias aliorum Praesulum Regularium non Generalium: Idem *ibid.* §. 13.

100 Illa autem dicenda est Superioris Generalis residentia ad effectum hujusmodi exemptionis, quae a Constitutionibus, vel a consuetudine Ordinis praefinitur. Idque tantummodo Monasterium, non vero aliud, in quo quacumque de causa Superior Generalis commoratus fuerit pro ordinaria Sede haberi praecipit, licet ipse Generalis ibi actu non resideat: Idem *ibid.* §. 17. Vel si a Constitutionibus, vel consuetudine alicujus Ordinis residentia non sit praefinita, illa erit pro residentia ordinaria habenda, quam Superior Generalis, seu Caput Ordinis, initio Generalatus elegerit. Verum si facta semel hujusmodi electione, eamdem postmodum variare praesumpserit, declarat, neque Monasterium initio electum, neque alterum, etiam si cum sua Curia eo se transtulerit, privilegia ordinariae, et principalis Generalitiae Sedis habitu- 101
rum: Idem *ibid.* §. 18. Hac exemptione non gaudent aliae Parochiae hujusmodi Monasteriis unitae: Idem *ibid.* §. 15.

Episcopus pro dictorum exemptorum Parocho- 102
rum remotione potest instare apud Superiorem Generalem, si cognoverit, Parochiam non recte administrari, et aliquando etiam debet pro sui Officii munere, implorata quoque, quatenus opus sit, Apostolicae Sedis Auctoritate, si nempe Generalem praedictum, aut reluctantem, aut Parocho plus aequo faventem invenerit: Idem *ibid.* §. 16. Et 103
in his etiam praeservatur majus jus, quod Episcopo alias acquisitum fuisse probetur: Idem *ibidem* §. 19.

In Regularium Ecclesiis Parochialibus Episco- 104
pus visitare potest illud dumtaxat Altare, in quo SS. Eucharistiae Sacramentum asservatur, et consequenter Sacrum ipsum Tabernaculum, Fontem Baptisterii, si adsit, Confessionale Parochi, Pulpitum Ecclesiae e quo Parochus jus habet Verbi Dei annunciandi, Sacrarium pariter Ecclesiae ad inspiciendum locum, in quo asservatur Sacra supellex pro Sacramentis administrandis, Sepulcbrum, et Coemeterium Parochiale; Turrim Campanariam, dummodo in ea sint campanae ad Parochiam proprie spectantes; ac demum praeter res supra enunciatas, omnia sacra vasa, quibus vel particulae consecratae servantur, vel sacra olea, vel aqua Baptisterii, vel alia rite benedicta, quae pro ingredientium aspersione ad Ecclesiae fores poni consuevit: Idem *ibid.* §. 7.

In regularibus Ecclesiis, sive Parochialibus, sive 105
non, potest Episcopus Confirmationis Sacramentum arbitrio suo ministrare: Idem *ibid.* §. 6.

Regularis Superioris approbatio ad Confessio- 106
nes non suffragatur, ut quis absolvere possit a peccatis, et Censuris reservatis in vim indulti Apostolici requirentis approbationem Ordinarii: Idem 107
Constit. 100. incip. *Apostolica indulta* §. 6. Regularibus non suffragatur Indultum Cruciatae quoad electionem Confessarii pro absolutione a Censuris, et peccatis reservatis: Idem *ibid.* §. 7.

Regulares an expectare debeant consensum E- 108
piscopi, ut Clericum Saecularem ad habitum suae Religionis admittere possint? In jure pariter cautum non reperitur, quamvis hujusmodi consultatio inter Episcopum, et Superiorem Regularem, ut unicuique sua ratio constet, ipseque Superior Regularis ab Episcopo edoceri valeat de idoneitate Clerici, numquam interdicta fuerit, nec ipse Pontifex eam vetare intendat, quin potius illius utilitatem, atque opportunitatem agnoscat, resol-

vens opus non esse ad id nova Constitutione: Idem
ibid.
109 Non licet Episcopis in Synodis derogare privi-
legiis a Sede Apostolica concessis Regularium Or-
dinibus. Benedict. XIV. *De Synodo Dioecesana*
lib. 7. *cap.* 41. *n.* 1. adductis ad id pluribus juri-
110 bus. Regulares enim saepe conquesti sunt, Episco-
pos in Synodis praecepta, et statuta emisisse de
Regulari observantia, cum verbo *praecipimus;* Qua
propter Sacra Congregatio Concilii justam agno-
scens Regularium querelam, verbum illud *praeci-
pimus*, seu *statuimus* nedum a Dioecesanae, ve-
rum etiam a Provincialis Synodi Constitutionibus
jussit expungi, et Decretum in hunc modum re-
formari. Intelligant Regulares se teneri ad Regu-
lae, quam professi sunt, normam, vitam institue-
re: Idem *ib. c.* 43. *n.* 1. ex Fagnano in *c. Quod
super his n.* 25. *de majorit. et obedient.*
111 Possunt tamen Episcopi tamquam Sedis Apo-
stolicae delegati plura sancire quoad Regulares:
idem *ibid. n.* 3. Et praecipue ea, in quibus sub-
112 duntur ipsis, juxta allata in hoc *art* Et signanter
Regulares obstringuntur Constitutionibus Synoda-
libus in iis, quae respiciunt curam animarum, ad-
ministrationem Sacramentorum, et jurisdictionem
Episcopi delegatam: Idem *ibid. l.* 8. *cap.* 4. *n.* 5.
Ex Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 11. *de Regula-*
113 *ribus et cap.* 1. *de Privileg. in* 6. Et ad evitan-
dum scandalum, tenentur etiam aliis Constitutio-
nibus, licet non semper sub gravi: Idem *cit. n.* 5.
114 Tenentur servare Festum indictum, et Interdic-
tum promulgatum ab Episcopo, non tamen jeju-
nium, in Synodo, vel extra denunciatum; Nisi
alia esset antiqua consuetudo, aut scandalum ur-
115 geret. Idem *ibid. n.* 7. *et* 7.
116 Praemonstratensis Ordinis Canonici, et Monia-
les sunt a jurisdictione cujuscumque Ordinarii e-
xempti, et S. Sedi immediate subjecti. Benedict.
XIV. Constit. incip. *Super eminenti* §. 1. *et seq.*
117 Eodem privilegio gaudent Monasteria, Prioratus,
Ecclesiae, praedia, et res quaecumque ad eumdem
Ordinem pertinentes: Idem *ibid.* §. 5. *et* 7. Hac
118 tamen exemptione uti non possunt Canonici Cu-
rae animarum addicti in iis, quae ipsam Curam
respiciunt: Idem *ibid.* §. 8.
119 Regulares sunt ab Ordinariorum jurisdictione
exempti: Benedict. XIV. Constitut. incip. *Apo-*
120 *stolicum Ministerium* §. 3. Tamen extra Dioece-
sim, ubi promoti sunt, Ordinem in alienis Eccle-
siis exercere non possunt, nisi Ordinario, ejusve
Officialibus Testimoniales suorum Superiorum ex-
hibeant: Idem *ibidem* §. 6. Multoque minus licet
ipsis saecularium Confessiones audire, nisi appro-
bati fuerint a loci Ordinario: Idem *ib.* §. 7. Nihil
obstantibus amplissimis quibuscumque privilegiis,
ac etiam consuetudine: Idem *ib.* §. 7. Et approbare
potest Ordinarius Regulares ad excipiendas sae-
cularium Confessiones indefinite, et cum praefi-
nitione temporis; Approbatus autem indefinite
sine causa suspendi non potest: Idem *ibid.* §. 9.

Regulares in iis, quae curam animarum, et ad- 121
ministrationem Sacramentorum respiciunt, sub-
sunt jurisdictioni, et visitationi Episcopi; Nihilque
hac in re ipsorum privilegiis juvantur: Idem *ibid.*
§. 12 *et* 13. idque obtinet, sive Regularis Paro-
chus sit, sive plura, vel unum Sacramentum sae-
cularibus ministret, sive inscio, sive annuente E-
piscopo: Idem *ibid.* §. 14. Non tamen subjiciuntur
in iis, quae Regularem observantiam respiciunt;
nisi maneant extra claustra, vel publice delinquen-
tes, a Superioribus post interpellationem Episco-
pi, non corrigantur: Idem *ibid.* §. 15. Superior
autem Regularis potest sibi subditum, non solum
in iis quae sunt Regularis observantiae, sed etiam
curae animarum, et administrationis sacramento-
rum, punire: Idem *ibid.* §. 17.
Regulares, ob mutatam rerum faciem, in Indiis 122
Occidentalibus, non fruuntur amplius privativo ju-
re obtinendi Parochias, aliaque Officia Curata: Be-
nedict. XIV. Constit. incip. *Cum alias* §. 2. *et se-
quent.* Immo qui iis praepositi sunt, tamquam ad
nutum amovibiles, possunt, nulla expressa causa,
ab Ordinario, neque ac a Superiore Regulari amove-
ri: Idem. *ib.* Aliae vide tom. 3 verb. *Missionarii.*
Regulares non Parochi saecularium Confessio- 123
nes excipientes, an conferentiis casuum pro Clero
saeculari statuti interesse debeant? Ad id juvat
adducere, quae tradit Benedictus XIV. in Appen-
dice ad tomum quartum sui Bullarii, *pag.* 25. *et
sequent.* ut sequitur.

Lettera circolare della Sacra Congregazione della Disciplina, diretta a' Superiori Regolari d'Italia, e dell'Isole adjacenti, sopra il dubbio, se li Confessori Regolari, non Curati, siano obbligati ad intervenire alla Conferenza dei Casi morali, ordinata dalli Vescovi nella loro Diocesi.

§. 1. Altre volte è stata esaminata nelle sagre Congregazioni l'istanza d'alcuni Vescovi di potere astringere li Confessori Regolari non Curati, a dovere intervenire nella Conferenza de' Casi morali, da detti Vescovi in certi giorni della Settimana destinati, e varie furono le risoluzioni secondo la diversità de i Casi, i quali nelle medesime furono proposti. Essendosi poi conosciuto il pregiudizio, che recava all'Osservanza della disciplina Regolare il dovere assistere alla detta Conferenza in quel tempo in cui dovevano i Regolari adempire i di loro Offici Claustrali, e l'abuso, che si era introdotto tra i Confessori suddetti, i quali, col pretesto di dovere assistere alla detta Conferenza, non volevano indi venire all'altra stabilita dalla S. M. di Clemente VIII. e dalle loro Costituzioni dentro i Chiostri; per potersi in tanto dare l' opportuno rimedio a questi inconvenienti, molti Procuratori Generali, specialmente quello dei Minori Conventuali, hanno stimato cosa necessaria il dover far ricorso in questa S. C. della Disciplina, per poterne sentire la finale risoluzione, colla quale si

potessero in avvenire togliere tutti i contrasti. Riferitasi perciò questa causa in essa S. Cong. dall'Eminentiss. Sig. Guadagni Prefetto dalla medesima sotto il seguente dubbio.

Se li Confessori Regolari, non Curati, siano, o no, obbligati ad intervenire alle Conferenza dei Casi di Coscienza dai Vescovi nelle di loro Chiesa secolari stabilite?

§. 2. Ed essendosi, primo di dare la risposta al dubbio suddetto, considerato, che questa materia era stata già magistralmente esaminata, e risoluta e favore delli Regolari nella S. C. del Concilio nel tempo, in cui la Santità del Nostro Signore Papa Benedetto XIV. era Segretario della medesima, in una causa d'Acquapendente — *Visitationis Sacrorum Liminum* 12 *Martii* 1718. inserita nella Notificazione 15. — al §. de i Confessori Regolari, nel Tomo 5. dalle notificazioni, ed Editti della Santità sua, quando era Arcivescovo di Bologna, fù di comun consenso risposto al dubbio suddetto nel dì 19. Maggiu del corrente Anno 1752.

Negativa, et dentur Decreta alias in re hac emanata. Scilicet a S. C. Concilii in una Aquipendii Visitationis sanctorum Liminum 12. Mart. 1718., et in Forosempron. 11. Maii 1685. Riferita nel Foglio della citata Causa d'Acquapendente. Et ex Sac. Congregat. super statu Regularium, in una Maceraten. 16. Januarii 1582. Quali tutte si danno per extensum nel fine della presente lettera.

§ 3. Passò poi essa S. C. nel dare l'opportuno provvedimento sopra l'abuso introdotto in alcuni Conventi, nei quali, o per negligenza, o per ignoranza dei Decreti suddetti non vi si tiene la lezione della Morale, nè vi si fanno le conferenze dei casi, giusta il Decreto di Clemente VIII, e delle di loro Costituzioni Regolari, con ordinare, siccome colla presente ordina a tutti i Superiori Regolari d'Italia, e delle Isole adiacenti, l'esatta, e puntuale osservanza del citato Decreto di Clemente VIII, e delle di loro Costituzioni circa la lezione dalla Morale, e la conferenza dei casi di coscienza, da farsi impreteribilmente in tutti i Conventi del di loro Ordine, tanto in quelli, nelli quali vi è la sufficiente Famiglia de' Religiosi, quanto nei piccioli Conventi, dove però vi sono Confessori Regolari approvati dai Vescovi per ascoltare le Confessioni dei Secolari. E coll'espressa condizione, che qual'ora dentro i Chiostri non venissero eseguiti ad unguem i Decreti di Clemente VIII. e le Costituzioni del di loro Ordine, le quali prescrivono la Lezione della Morale, e la conferenza dei casi di coscienza, da farsi dentro i loro Conventi, o Monasterj, in detto caso siano tenuti, et obbligati i Confessori suddetti Regolari ad assistere, ed intervenire alla conferenza del casi stabilita dai Vescovi. S'incarica intanto a' detti Superiori Regolari, di fare eseguire quanto nella presente Lettera si contiene, acciò con effetto adempiti i Decreti di Clemente VIII. e le Costituzioni dei loro rispettivi Ordini, le quali hanno prescritta, e stabilita la detta Lezione di Morale, e conferenza di casi, come un punto principale della Regolare disciplina dentro i Chiostri, e di dover trasmettere la presente lettera in tutti i loro Conventi, e Monasterj, con farla ivi leggere due volte l'Anno, tenerla affissa nel luogo solito, e registrarla nella loro Segretarie, acciò non si possa allegare causa d'ignoranza in contrario. Per esser così, e non altrimenti l'intenzione di Nostro Signore, a cui essendo state fatta da Monsignor Segretario la relazione di tutto il contenuto nella presente Lettera; si è benignamente degnato di approvarlo, e di confermarlo.

Dato dalla nostra solita Residenza questo dì 8. Novembre 1752.

F. G. A. CARD. GUADAGNI PREFETTO.

F. Solazzi Arcivesc. di Tebe Segr.

Decretum Sacr. Congr. Concilii in una Aquipendii Visitationis Sacrorum Liminum editum 12. Martii 1718.

In Relatione status Ecclesiae de more ab Episcopo Aquipendii ad hanc Sacram Congregationem transmissa, legitur ab eodem institutas fuisse in sua Dioecesi conferentias, sive Congregationes pro discutiendis casibus conscientiae, quae singulo quoque Mense coguntur, quibus diligentissime interveniunt omnes Parochi, et Sacerdotes quibus Fidelium Sacramentales Confessiones commissae sunt, et reliquus Ecclesiasticorum Coetus.

In eadem relatione habetur, quatuor esse Conventus Regularium in Civitate Aquipendii, Augustinianorum videlicet, Minorum Conventualium, Capuccinorum, et PP. Minorum Observantiae, et Religiosos in iisdem degentes saepe saepius non esse in numero a Sanctionibus Apostolicis praescripto.

Rursus in citata legitur Relatione, alios quinque esse Religiosorum Conventus in Dioecesi, duos PP. Minorum Observantiae, alterum in Terra Farnesii, ubi pariter existit Conventus Capuccinorum; quartus Conventus est illa Servorum Beatae Mariae Virginis, qui est in Terra Ischiae; et postremus est Conventus Carmelitarum in Oppido Cellarum, qui est Episcopali Visitationi subjectus.

Tandem in Relatione, aliis praetermissis dubiis, quae specialem non merentur discussionem, proponit Episcopus, An Regularibus, qui suorum subditorum Confessiones audire cupiunt, liberum sibi sit, at licitum, conditionem in concedendis facultatibus injungere, interessendi videlicet menstruis Disceptationibus, Et Congregationibus casuum conscientiae.

Pro parte affirmativa ponderari posse videtur, id non esse novum: Clar. etenim mem. Card. de Luca in adnotationibus ad Concilium Tridentinum

discurs. 2. num. 12. dicit, id futurum esse maximopere proficuum, tum, ut Episcopus perspectas habeat opiniones omnium suorum Confessariorum, tum, ut quantum possibile, est, uniformis sit Confessariorum doctrina in materia morum, et signanter contractuum, in quo saepe saepius Theologi dissident a Theologis, et a Canonistis, quibus addi posset, collationem hanc omnium Confessariorum, tam saecularium, quam Regularium futuram esse non inutilem pro animorum unione, juxta ea, quae habentur in actis Ecclesiae Mediolanensis Tomo 1. p. 4. in Instruct. Confess. p 647. Ideo Regularium Superiores Confessarios suos saepius moneant, et ad hanc animorum unionem in Fidelium aedificationem adhortentur, curentque in primis, ut dum in casuum resolutione diversa inter eos, et Parochos sententia fuerit, prudenter in eos se gerant, ut ad Laicorum notitiam id non veniat, sed ad Nos pro decisione recurrant.

Negativae e contra favent opinioni ea, quae sequuntur. Primo, quod Episcopus Confessariorum Regularium doctrinam perspectam habere potest in examine, quod illorum approbationem praecedit, ad terminos Sacri Concilii Trid. *Sess* 23. *cap.* 15. *de Reformat.* Secundo, quod in Decretis pro Reformatione Regularium editis a Clemente Octavo, praescribitur, quod in singulis Monasteriis, et Conventibus bis in hebdomada habeatur lectio Sacrae Scripturae, vel casuumconscientiae, ad quam Fratres omnes convenire tenentur. Tertio, quod hic in Urbe, in decem, et septem Conventibus fiunt Congregationes casuum conscientiae, illisque interveniunt Parochi tantummodo, et Confessarii ex Clero Saeculari, non vero Regulares, in quorum Conventibus praedictae casuum lectiones habentur. Quarto tandem, quod ab hac Sacra Congregatione die 12. Maii 1685. uti habetur *Lib. Decretorum* 35 *fol.* 438. prodiit haec resolutio in quadam causa Forosempronien. *Accessus ad Congregationem casuum conscientiae.*

Episcopus exponit, in Civitate Forosempron. duo adesse Regularium Coenobia, unum scilicet Minorum Conventualium S. Francisci, alterum vero Barnabitarum, quae propter exiguum Religiosorum numerum inibi degentium, subjecta sunt jurisdictioni Ordinarii ex Decreto San. mem. Innocentii X incipiente: *Ut in parvis*, et licet dicti Religiosi hujusmodi subjectionem agnoscant, atque patiantur, qui tamen ex eis Saecularium Confessiones, eodem Ordinario approbante, excipiunt, ad Congregationem casuum conscientiae, quae singulis Mensibus habetur, cuique Confessarii omnes intersunt, accedere renuunt; quocirca petit declarari, an praedictos Confessarios Regulares cogere possit ad interessendum praefatae Congregationi casuum conscientiae? Sacr Congr. etc. Respondit, *Negative*. His positis onus erit EE. VV. decernere.

An in casu, de quo agitur, permissum esse valeat Episcopo, concedenti Sacerdotibus Regularibus facultatem audiendi Confessiones Saecularium, injungere, ut intersint Congregationibus casuum conscientiae?

Negative, et detur Decretum in Forosempron. 12. Maii 1685.

Decretum Sacr. Congregation. super statu Regularium in una Macerat. 15. Januarii 1682. editum. 124

Cum Conventus suppressi, et postea restituti, in quibus non degunt de Familia duodecim Religiosi, sint vigore Decreti *Ut in parvis*, fel. rec. Innoc. X. subjecti visitationi, correctioni, et omnimodae jurisdictioni Ordinariorum Locorum, contigit dubitari, an Religiosi Confessores, et non Parochi, in hujusmodi Conventibus degentes, compelli possint ab iisdem Ordinariis, ut accedant ad conferentiam casuum conscientiae?

Proposito hoc dubio, in S. Congreg. super statu Regularium habita in Palatio Vaticano die 15. Jan. 1682. Eminentiss. PP. censuerunt, Ordinarios Locorum posse quidem hortari, non autem compellere praedictos Religiosos Confessarios, non Parochos ad accedendum ad conferentiam casuum conscientiae.

Regulares quicumque, etiam exempti, in Indiis Orientalibus agentes, Curam Animarum exercentes, subsunt praevio examini Ordinariorum, et approbationi, nec non visitationi, correctioni, et jurisdictioni eorum in iis, quae ad praedictam Curam pertinent: Bened. XIV. tom. 2. Bull. Const. 1. incip. *Quamvis ad confirmand.* 125

Regulares, etiam exempti, nequeunt exponere Sacramentum Eucharistiae sine velamine in suis Ecclesiis, nisi ex causa publica ab Ordinario probata. Fas est tamen illis, ex causa etiam privata, Sacramentum velatum exponere in tabernaculo aperto, dummodo tamen ab illo non extrahatur; ut ex Decreto Sacr. Cong. *de Synodo Dioecesan. lib.* 7. *cap.* 41. §. 4. 126

Generatim vero jus est Episcopis cogere Regulares parere sibi circa ea, quae ad majorem cultum hujus ineffabilis Mysterii, et celebrationis Missae praecipienda censuerint. Quod ex Decret. Trident. sess. 22. *de observand. et evitand. in celebrat. Missae* eruitur; *ibid.* §. 5. 127

Regulares tenentur parere Episcopo praecipienti, ne in eorum Ecclesiis exponatur insolita imago, aut nova reliquia ab ipso non approbata, et inobedientes possunt etiam censuris cogi, ut ex Decret. Sacr. Congregat die 5. *Jul.* 1700. *Ibid.* §. *eod.* 128

Regulares puniri possunt ab Episcopo tamquam Apostolicae Sedis Delegato, si quid deliquerint in iis, quae respiciunt clausuram monialium etiam exemptarum, et earum, quae intra Monasterii septa degunt: *Ibid.* §. 6. 129

Regulares non possunt saecularium confessiones excipere sine *licentia*, *gratia et beneplacito Episcopi*, quae verba sunt Extrav. Bonifacii VIII. in cap. *Super cathedram de Sepulturis*, quod et con- 130

firmavit Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. *de Reform.* Sed et fas est Episcopis eam facultatem limitare ad certum tempus, certasque personas, quia et ex parte revocare; contrariamque opinionem Alexander VII. die 20. Januarii 1659. damnavit. *Ibid. lib.* 7. *cap.* 42. §. 7.

131 Possunt tamen Regulares ab Episcopo approbati acciri ad domus saecularium aegrotantium, eorum confessiones audituri, non petita a Parochis aegrotantium licentia, sed de audita aegrotantium illorum confessione debent relinquere syngrapham, qua Parochus certioretur. *Ibid.* §. 8.

132 Regularibus Praelatis non licet Monasteria Monialium sibi subjectarum ingredi, nisi semel in anno causa visitationis; si autem necessitas urgeat, ut saepius ingrediantur, non possunt nisi cum praesentia Episcopi Dioecesani, aut alterius Ecclesiastici, ab ipso deputati. Ita ex Const. Alexandri VII. incip. *Felici* Ibid. *lib.* 7. *cap.* 41.

133 Regulares subduntur coercitioni Episcopi, si excipiant confessiones saecularium sine praevia Episcopi approbatione, ut ex Constit. 10. Clementis X. Item non possunt, inconsulto, et non approbante Episcopo, audire confessiones Monialium sui Ordinis etiam exemptarum, ex vi Bullae 18. Gregorii XV. *Ibid.*

134 Regulares nova Monasteria, seu domus ne erigant, vetantur, absque Sedis Apostolicae, et Episcopi facultate, quamvis Tridentinum *sess.* 25. *c.* 3. *de Regular.* solius Episcopi facultatem exprimat: *Ibid. lib.* 9. *cap.* 1. §. 9. *nov. edit.*

135 Est tamen pro Monialibus in ditione Hispanici Regis Breve Urbani VIII. suspensivus ejusdem Constitutionis, sed non valet extra Hispaniam: Ibid. *lib.* 9. *cap.* 15.

136 Ad statum Regularem transire possunt Presbyteri Ecclesiae, vel dioecesis servitio addicti, invito etiam Episcopo proprio; tenentur tamen, nisi aliquid obstet, illum consulere. Ita in Epistola ad Card. Quirinum incip. *Ex quo* Bull. *tom.* 2. *num.* 25.

137 Regulares extra Monasterium degentes, et Clericos Regulares quomodocumque exemptos in civilibus causis mercedum, et miserabilium personarum, nisi habeant Judicem certum a S. Apostolica in partibus deputatum, coram Ordinariis locorum conveniri posse in prima instantia, decernit laudatus Pontifex in Bulla incip. *Ad militantis tom.* 1. Bull. *num.* 48. §. 41.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

138 Agitur in hoc articulo de exemptione, quam vocant *primae speciei*. At de ea, tum de exemptione *secundae, tertiaeque speciei*, jam disseruimus *in additione ad verb. Abbas.*

139 Non incongrue vero hic inquiritur, an haec *primae speciei* exemptio acquiri a Regularibus possit *communicatione Privilegiorum*? Non conveniunt Doctores. At praevaluit *affirmativa* opinio, quam inter alios tenent Navar. *oper. tom.* 2. *commentar.* 2. *de Regular. num.* 63. Barbos. *de Offic. et Potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 105. *n.* 3. Card. de Luca *de jurisd. discurs.* 28. *num.* 4. Chokier *de Jurisd. in Exempt. part.* 1. *quaest.* 17. *num.* 9. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 1. *disput.* 15. *quaest.* 2. *n.* 3. Roderic. *Quaest. Regular. quaest.* 36. *art.* 3. Cassaing. *de Privileg. Regular. tract.* 1. *cap.* 3. *proposit.* 5. *Clement. Concord. Pastoral. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 58.

De casibus, quibus Regulares, tametsi exempti, subjiciuntur delegatae Episcopi jurisdictioni, tractat hic *Auctor*. At consule etiam de iis, ubi res postulat, Fagnan. *in cap. Grave a num.* 37. *ad fin. de Offic. Ordinar.* Chokier. *de Jurisd. ordinar. in Exempt. part.* 2. *q.* 45. Natalem Alexandr. *in Append.* 1. *ad tom.* 1. *Theolog. Dogmat. Moral.* S. M. Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 4. *et plur. seq.* tum et maxime Rousseaud de la Combe *in sua Jurisprudentia Canonica, verb. Exemptio sect.* 5. *per tot.* qui *et sect.* 6. agit de casibus, quibus Capitula exempta subjiciuntur delegatae pariter Episcopi jurisdictioni. 140

Non sunt inter se concordes Doctores, an Regulares exempti teneantur Episcopo praestare reverentiam. Distinguunt nonnulli inter exemptos illos, quibus ipsi Episcopi, juxta facultates, quas olim habebant, exemptionem a sua jurisdictione concesserunt, et exemptos ex privilegiis S. Sedis ab eadem Episcoporum jurisdictione. Quoad exemptos primi generis, nemine dissentiente, admittunt teneri eos praestare reverentiam Episcopis, perinde ac Liberti praestare reverentiam tenentur Patronis, a quibus manumissi sunt. At quoad exemptos secundi generis, sunt qui negant teneri ipsos praestare reverentiam Episcopis; Felin. *in cap. Quum inter. num.* 3. *et* 4. *de re judicat. et in cap. Conquerente fere per tot. de Offic. Ordin.* Tondut. *Quaest. Benefic. cap.* 60. *num. final.* Roderic. *Quaest. Regular. tom. q.* 63. *art.* 9. Fusc. *de Visit. Eccles lib.* 2. c. 10. *n.* 11. Paris. *de Resignat. Benef. lib.* 3. *cap.* 11. *fere per tot.* Barbos. *de Offic. et Potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 105. *n.* 65. Cirin. *in Nex Rer. Jurisd.* c. 6. *num.* 293. *Rot. cor. Puteo dec.* 114. *per tot. cor. Seraphin. dec.* 125. *num.* 19. 141

Caeterum non recedendum ab opinione, quam Doctores *ab Auctore num.* 84. allegati praesidio Constitutionis Leonis X. Incipientis: *Intra*, tenent, scilicet teneri quoscumque exemptos reverentiam Episcopo praestare. Et jure meritoque, quum nil convenientius sit, quam quod et exempti a jurisdictione Episcopi, eidem Episcopo reverentiam praestent ratione dignitatis. Confer. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 15. *q.* 7. *n.* 45. Borell. *in Addit. ad Bellug. in Specul. Princip. Rubric. II.* §. *Videndum litt. F.* Campanil. *in divers. Jur. part.* 2. *q.* 12 *n.* 13. *Rot. in recent. dec.* 111. *num.* 16. *p.* 5. *tom.* 1. 142

143 Posita vero hac opinione, non incongrua est quaestio illa: An Regulares exempti transeundo ante thronum Episcopi teneantur eidem genuflectere, seu potius, caput, et humeros inclinare?

144 Non improbabile videtur, quod teneantur non ad genuflexionem, sed potius ad inclinationem capitis, et humerorum; idque quia obligati ad reverentiam teneri nequeunt ad genuflexionem, utpote quae adorationis species potius est, quam reverentiae, ut post *D. Ambrosium lib.* 6. *Hexamer. cap.* 9. tradunt Alcuin. *c. De Parasceν* Honor. *in Gemma lib.* 1. *cap.* 117. Raban. *ibid. de Instit. Clerical. c.* 41. optime Gavant. *in Thesaur. Sacror. Rituum part.* 1. *tit.* 17. Pasqualig. *de Sacrific. Miss. quaest.* 225. *num.* 5.

145 Quo fit, ut quoties in *Rubricis Missalis*, *ac Caeremonialis* mentio occurrit reverentiae, non genuflexio, sed capitis, et humerorum inclinatio intelligatur, ut post *Petrum de Ruiz*, et alios firmat Piscar. *in Prax. Caerem. lib.* 1. *sect.* 7. *c.* 4. *n.* 2. *et lib.* 2. *sect.* 1. *cap.* 4. *per tot.* optime *c.* 5. *n.* 7.

146 Nec obstat *Caeremoniale Episcoporum lib.* 2. *c.* 18. in quo habetur: *Beneficiati autem, et caeteri de Clero genuflectere debent transeundo tam ante Altare, quam ante Episcopum*. Impugnari enim nequit, quod ubi Caeremoniale expressim praescribit genuflexionem, ea omitti nequeat. At negatur, quod loco citato sub verbis illis *Et caeteri de Clero*, intellexerit de Regularibus. Quid quid enim sit, an in hac materia praejudiciali nomine *Cleri* veniant *Regulares*, ex duabus solidis animadversionibus patet mox dictis verbis *Et caeteri de Clero*, non venire Regulares.

147 Prior inde scatet, quod *Caeremoniale* tunc, quum comprehendere intendit Regulares, haud utitur verbo generali *Clericorum*, sed semper expresse meminit de ipsis Regularibus. Vide *lib.* 1. *cap.* 2. *lib.* 2. *cap.* 33. *et cap.* 38. Si igitur *Caeremoniale* in loco, de quo disseritur, expresse haud meminit de Regularibus, tutissime affirmari potest, minime eos comprehendisse, argumento ducto a *discretiva*, quae aeque in legibus, ac in aliis dispositionibus interpretandis locum sibi vindicat.

148 Altera animadversio promanat ex ipsa materia, de qua eo loci tractat *Caeremoniale*, comprehensioni Regularium aperte resistente. Tractat enim inibi *Caeremoniale* de divinis officiis, in quibus Canonici Beneficiarii, aliique de Clero saeculari, non item Regulares interveniunt. Qua de re certissima res videtur, quod *Caeremoniale* minime comprehendere intellexerit Regulares sub verbis illis *Et caeteri de Clero*, quum nulla melior detur interpretatio verborum, vel obscurorum, vel ambiguorum Legis, quam ea, quae desumitur ex *subjecta materia*.

149 Non ignoro tamen, in contrarium ivisse sententiam Sacram Congregationem Particularem in *Cajacen*. Sacram Congregationem Episcoporum, et Regularium negotiis praepositam in *Suessana*, tum recentius Sacram Rituum Congregationem in *Monopolitana*. At in causis *Cajacensi*, *et Suessana* observantia militabat contra Regulares. Et in causa *Monopolitan*. Regulares sua jura non deduxerunt. Accedit, quod obtinuerunt novam audientiam: Causa vero nondum fuit proposita.

ADDITIONES CASINENSES.

Ut primo intuitu, atque distinctius quae in subjecta materia scire vel maxime expedit, lector percipiat, satius putavimus tradita per clar. Natalem Alexandrum *in append.* 1. *tom.* 1. *Theolog. Dogmatico Mor. Epist.* 15. heic per extensum exscribere, cum opportunis ad rem declarationibus, et illustrationibus, quas in notis adjecimus. Sunt porro hujusmodi.

I. « Regulares Confessarii ab Episcopo necessario sunt approbandi. Possunt Episcopi restringere, vel limitare eorum approbationes ad certas personas, necnon ad certa loca, et tempora (*): possunt eas revocare (**), vel Confessarios hujusmodi ab audiendis Confessionibus suspendere ex nova causa

(*) « Hanc porro approbationem (ita Benedictus XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 9. *cap.* 16. *n.* 7.), seu licentiam posse ab Episcopo concedi Regularibus ad certum tempus, et limitari ad certum dumtaxat genus personarum, diserte declararunt Clemens X. in sua Constit. 10. §. 4. Urbanus VIII. in suis Apostolicis litteris in forma Brevis an. 1639. datis in causa moti litigii inter Cardinalem Sandovalem, et Regulares illius Dioecesanos, Innocentius XIII. in sua Constitutione super Ecclesiastica disciplina in Regnis Hispaniarum edita die 13. Maii 1723. et confirmata a Benedicto XIII. die 23 Septem. 1724. alia Constitutione, quae extat in Appendice ad Concil. Romanum an. 1725. atque opposita doctrina, quam Regularium plerique venditabant, proscripta est ab Alexandro VII. qui . . . . die 30 Januarii 1659. hanc propositionem, *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare:* declaravit *falsam*, *temerariam*, *scandalosam*, *et erroneam* ». Vide amplius Lucium nostrum *v. approbatio*, *art.* 1. *sub n.* 62. *vers. ad ea quae etc.*

(**) « Caeterum (sic praelaudatus Bened. XIV. in Const. incipiente *Apostolicum Ministerium*, edita 30 Maii 1753, *Tom.* 4 *sui* Bullar.) confessarii munus Regularibus deferri potest (ab Ordinariis) sine temporis determinatione, vel cum limitatione . . . . . Porro hujusmodi facultates ad praestitutam tempus collatas, post elapsum temporis intervallum, jus competit ordinario vel abrogando, vel eas renovando, sacerdotem ad novum examen compellendi. Facultates vero nulla cum temporis limitatione delatae, non nisi cum ipso officio desinunt, nec suspendi propterea possunt sine nova causa, quae Confessiones directe respiciat ». — Salvo jure, ut infra, Episc. successoris.
Et cum in hac materia versemur, illud quoque advertas licet, « Episcopum posse Regularibus interdicere auditum Confessionum in propriis aedibus, sive cellis, juxta decretum S. Cong. emanatum an. 1617. 15. *Septembris*. — Potest etiam vetare omnibus Confessariis audientiam Confessionum mulierum, aut puellarum extra Confessionarium, sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus, ex decr. Cong. 18 *Decemb.* 1694. ». Sic B. Alph. de Ligorio *Theol. Mor. lib.* 1. *in Append.* 2. *de privileg. Regular. n.* 78.

ad Confessiones pertinente. Approbati sine restrictione a Vicario Generali Episcopi, possunt iterum ab ipso Episcopo revocari ad examen. Approbati ab Episcopo, possunt ab ejus Successore rursus examinari, et si minus capaces inventi fuerint, rejici. In una Dioecesi generatim approbati, Confessiones in alia Dioecesi audire non possunt absque Dioecesani Episcopi approbatione. A casibus Episcopo reservatis Regulares absolvere non possunt, nisi haec facultas ab illo concessa ipsis fuerit (*). Haec partim ex Tridentino Concilio, partim ex Constitutionibus Summorum Pontificum, praesertim ex Clementina, *Dudum*, Tit. *Sepulturis*, ex *Gregorii XV.* Constitutione, quae incipit *Inscrutabili*, ex Clementis X. Diplomate, quod incipit *Superna*, ex Decreto Alexandri VII. in causa Episcopi Andegavensis, et Regularium ejusdem Dioecesis, etc. Hic tantum subiiciam sacrae Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, et Congregationis Episcoporum, et Regularium Declarationes quasdam haec disciplinae capita spectantes, quas refert Vir Juris Canonici consultissimus *Prosper Fagnanus* in cap. *Grave, ex. De Officio Ordinarii.*

« Quaesitum est a sacra Congregatione Concilii, 1. An Regulares ab Ordinario ad Confessiones audiendas, praevio examine approbati ad tempus, elapso tempore, tamquam semel approbati, possint, invito Ordinario, deinde audire Confessiones? Congregatio censuit, *Non posse* ».

« Quaesitum est 2. an Episcopus volens ex nova causa Regulares semel ad Confessiones audiendas approbatos examinare, teneantur eam patefacere Superioribus Regularibus; et an de hujusmodi causa constare debeat, vel sit credendum Episcopo attestanti hujusmodi causam subesse? Congregatio Concilii censuit », *Posse Episcopum ex nova causa, etiamsi de ea non constet in Actis, rursum examinare, ac minus repertum idoneum reprobare Regularem semel ad audiendas Confessiones approbatum, idque ejus arbitrio, quod tamen debebit esse moderatum, et discretum, ita ut eo non abutatur. Verum ubi hoc facere voluerit, debere id Superioribus Regularibus significare, non quidem cum individua expressione causae; sed tantum se velle ob novam, quae supervenerit, causam, ad hujusmodi examen procedere.*

« 3. Conquerentibus Regularibus S. Dominici Neritonensis, quod cum essent praevio examine approbati ad Confessiones saecularium audiendas a Vicario Generali Episcopi, dum Episcopus Romae degeret, ille ad suam Ecclesiam reversus vellet eos rursus pro audiendis Confessionibus examini subiicere: Sacr. Congregatio Concilii censuit, *Posse Episcopum rursum examinare Confessarios Regulares a suo Vicario approbatos.*

« 4. Quaesitum est a Sacra Congregatione Episcoporum, et Regularium, an Episcopus, qui Regulares ad Confessiones personarum saecularium audiendas approbavit, possit eosdem ex nova causa ab iisdem Confessionibus audiendis suspendere, aut licentias illis concessas revocare, non obstantibus quibuscumque privilegiis; et qualis hujusmodi causa esse debeat? Sacra Congregatio respondit »: *Episcopum, quamvis simpliciter, et absque ulla temporis praefinitione approbaverit Regulares ad Confessiones saecularium personarum audiendas; posse tamen eosdem, si nova causa superveniat, suspendere, ac licentias illis concessas revocare, dummodo causa hujusmodi Confessiones ipsas concernat. Caeterum si Regulares cum scandalo, aut alias inhoneste vivant, vel aliquod delictum committant, propter quod rationabili Episcopi judicio videantur a Confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam voluit esse oneratam, cum praecipua Ministri Sacramenti Poenitentiae qualitas sit integritas vitae, ac morum honestas: utique eam causam ad Confessionis ministerium pertinere; ac proinde nihil obstare, quo minus ob eam possit Episcopus Regulares a semetipso approbatos suspendere, aut repellere a Confessionibus audiendis.*

« Quaesitum est 5. a Congregatione Concilii, An Regulares possint personarum saecularium Confessiones audire virtute licentiarum a Decessoribus Ordinarii illis concessarum, etiam renuente Episcopo Ordinario pro tempore existen-

(*) Quod Regulares non possint absolvere a casibus, quos sibi Episcopi reservaverint, non obtenta ad id eorumdem facultate, praeter Bened. XI. et Clementis V. declarationes, constanter tenuerunt Sacrae Congregationes Concilii, et Episcop. et Regular. Summis Pontificibus approbantibus. Porro D. Carolus Borromeus cum petiisset a Sede Apostolica: *An Regulares ex privilegiis a Sede Apostolica impetratis, praesertim autem ex eo, quod nominant* Mare Magnum, possint *in his casibus, quos sibi Episcopus reservavit, absolvere confitentes?* Sacra Congregatio Concilii *die* 10. *Sept.* 1571. approbante Gregorio XIII. respondit: *ex facultatibus per hoc Mare Magnum, aliave privilegia concessa, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus sibi ab Episcopo reservatis.* Deinde a Sacra Congregatione Episcoporum, et Regularium die 9 Januarii 1601. novum promulgatum fuit Decretum, quo iterum decisum est, nullam illis facultatem competere absolvendi a casibus, *quos locorum Ordinarii hactenus reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt.* Amplius eadem Sacra Congregatio, jubente Paulo V. *die* 6. *Januar.* 1617. aliud edidit decretum, quo priora confirmavit, atque ad unguem servari praecepit. Eademque Sacra Congregatio, praecipiente Urbano VIII. *die* 18. *Nov.* 1628. omnia hue usque relata decreta renovavit, eo Regulares tam intra, quam extra Italiam degentes afficere, et complecti expresse edixit, et declaravit. Ad haec Alexander VII. *die* 24. *Sept.* 1665. inter alias, hanc etiam propositionem damnavit: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Et Clemens X. sua Constitut. quae incipit *Superna*, non solum denuo definivit, per *Mare Magnum*, aliave privilegia, nulli Regularium, cujuscumque Ordinis, Instituti, seu Societatis, etiam Jesu, factam esse potestatem absolvendi a casibus Episcopo reservatis, sed insuper sanxivit: « Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, non ideo a *casibus Episcopo reservatis posse absolvere* ». Ex Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib. V. cap.* 6. et 7.

» te? Sacra Congregatio censuit », *Posse quamdiu Episcopus non prohibuerit. Caeterum esse in facultate Episcopi successoris illos rursus examinare, atque interim prohibere.* V. Scholion in fin.

II. Regulares deputari non possunt ad audiendas Confessiones Monialium, etiam Ordinibus suis subjectarum, absque approbatione Episcopi (*). Potest Episcopus ex legitima causa Superiores Regulares monere, ut hujusmodi Confessarios Monialium amoveant: si renuerint, aut neglexerint, potest Episcopus illos ab audiendis Monialium Confessionibus amovere. (Ex Constitutione Gregorii XV. quae incipit, *Inscrutabili*) Regulares ad audiendas Confessiones Monialium unius tantum Monasterii ab Episcopo approbati, audire non possunt Confessiones Monialium alterius Monasterii. Sic respondit sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trident. Interpretum, ut refert Fagnanus in Cap. *Cum Capellas*, Ex. *De Privilegiis* (**).

III. Non licet Regularibus, etiam in propriis Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario. Ex causa autem privata possunt ea conditione, ut Sanctissimum Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur, et velatum remaneat, ita ut sacra Hostia videri non possit. Ita declaravit Sacra Congregatio Concilii, ut refert Fagnanus in Cap. *Grave*, *ex. De Officio Ordinarii* (***).

IV. Regulares extra claustra degentes visitari, corrigi, et puniri possunt ab Episcopo tamquam Sedis Apostolicae Delegato, non solum in Visitatione, ut sancitum est, Cap. III. Sessionis sextae Concilii Tridentini, *De Reformatione*; sed etiam extra Visitationem, modo Episcopus in Dioecesi sua resideat, ut declaravit Pius Quartus in Constitutione de Residentia Episcoporum (****). Similiter Regulares Apostatae, et ejecti ab Ordine subsunt Episcoporum Jurisdictioni, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii Interpres.

V. Regulares etiam intra claustra degentes, qui vel curam animarum personarum saecularium exercent, vel personis saecularibus aliquod Sacramentum praevia Episcopi licentia administrant, aut in alicujus Sacramenti administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerunt, plene in omnibus subiiciuntur jurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi in his, quae Sacramentorum administrationem spectant, cum in aliqua sacri illius Ministerii parte delinquunt (ex Concilio Tridentino Sessione XXV. *De Regularibus* cap. XI. ex Constitutione Gregorii XV. quae incipit, *Inscrutabili*; et ex Declaratione Sacrae Congregationis Concilii).

VI. Cum Regulares delinquunt circa personas degentes intra septa Monasteriorum Monialium, aut circa earumdem Monialium clausuram, aut circa bonorum eorumdem Monasteriorum administrationem, nullis privilegiis, et exemptionibus tueri se possunt, quominus ab Episcopo loci, tamquam ad hoc Sedis Apostolicae Delegato, quoties, et quando opus fuerit, corrigi, et puniri valeant (ex laudata Gregorii XV. Constitutione).

VII. Regulares administrantes bona ad eadem Monasteria Sanctimonialium, etiam Regularibus subjectarum, pertinentia, quomodolibet exempti,

(*) Vide Lucium nostrum *Moniales* art. V.

(**) Vide v. *Moniales cit. art. V.*

(***) « Sacra Congregatio (ita in terminis decretum quod » P. Alex. commemorat) *die 27. Augusti* 1630 censuit, » non licere Regularibus, etiam in eorum propriis Ecclesiis, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata » sit ab Ordinario; ex causa autem privata posse, dummodo Sanctissimum e tabernaculo non extrahatur, et sit velatum, ita ut ipsa Sacra Hostia videri non possit ». Apud Bened. XIV. *de Synodo Dioeces. lib.* 9. *cap.* 15. *n.* 4.

(****) Dicitur Regularis degere extra claustrum, vel Monasterium, quandocumque non vivit sub Superiore Conventualiter. Hinc dicitur Regularem manere extra Monasterium, etiamsi degat in aliqua domo ad erectionem Monasterii destinata, de licentia sui Superioris, si in dicta domo non habeat Superiorem, nec vivat juxta institutum Regulae Religionis; et comprehendi sub dispositione Concil. Trident. *cap.* 3. *sess.* 6. *de Reformat.* decisum per Sac. Congregationem Concilii sub die 24 Maii 1588. refert Riccius *in prax. part.* 3. *Resolut.* 269. — Apud Ventriglia *Prax. rer. Notabil. part.* 1. *annotat.* 48. *n.* 8.

« Si vero Religiosus aliquis manserit de Superioris licentia sub Regulari observantia in aliquo membro, vel » grancia sui Monasterii pro Religionis servitio, et delinquat, non ab Ordinario, sed a suo Superiore puniri debet secundum formam *cap.* 14. *sess.* 25. *de Regular.* » quia cum hujusmodi Superior illi possit dare licentiam, » *sess.* 25. *cap.* 4. et dicta loca sint membra dependentia » a suis Monasteriis, censentur eodem jure, et gaudent » privilegiis suorum Monasteriorum ». Barbosa *ad Concil. Trident. sess.* 6. *cap.* 3. *n.* 2.

Eodem modo dicitur manere extra Monasterium, si degit in aliquo loco causa docendi doctrinam Christianam: unde « Episcopus potest visitare, et corrigere Regulares » degentes extra claustra occasione docendi doctrinam » Christianam, *Sacr. Congregat. Concil. in Malinen. de* » *anno* 1626. quae prius *in una Limana* 10. *Junii* 1591. » declaraverat, id locum non habere in Patribus Societatis Jesu, qui munere docendi doctrinam Christianam funguntur, dum tamen habeant illis in locis Superiores, qui » curam ipsorum gerant, et apud quos se recipiant juxta » Regulae institutum viventes ». Barbosa *summa apostolic. Decis. v. Episcopus quoad Regulares n.* 9.

« Ulterius Regularis, qui degit extra Claustra de licentia sui Superioris, et ab Ordinario loci deputatus fuit alicui officio exercendo, et in eo cum scandalo deliquit, ab eodem Ordinario puniri potest vigore *cit. Textus cap.* 3. *sess.* 6. Concil. Trident. ita Aldan. *in compend. can. Resol. lib.* 1. *tit.* 6. ubi refert ita fuisse decisum 14 *Februarii* 1585. Qui ulterius addit, fuisse decisum, non posse puniri ab Ordinario loci vigore facultatis *Conc. Trid. l. cit.* Canonicum Regularem, qui jussu sui Superioris degit in aedibus Parochialis Ecclesiae suae Congregationi unitae, in qua curam animarum exercet, et Sacramenta ministrat: si delictum non concernit curam animarum, nec Sacramentorum administrationem » Ventriglia *loc. supra cit. n.* 9.

« Adverte (etiam), quod Regularis, qui vagatur, et absque litteris obedientiae sui Superioris per Civitatem, seu Dioecesim transit, potest ab Episcopo detineri, carcerari, et tanquam sui instituti desertor puniri, tenet Riccius *cit. prax. part.* 3. *Resolut.* 269. ». Ventriglia *ibid. n.* 10. Vide caetera ad rem apud Lucium nostrum v. *Regulares art.* 2. *n.* 39. *et seqq.*

Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere tenentur, ad idque juris remediis cogi, et compelli possunt. Licetque Episcopo ex legitima causa admonere Superiores Regulares, ut eosdem Administratores amoveant, iisque negligentibus, datur Episcopo facultas eos amovendi quoties, et quando opus esse judicaverit (ex eadem Greg. XV. Constitutione).

« VIII. Regulares, qui Libros de rebus sacris in lucem edunt, vel edi curant sine nomine Auctoris, subiiciuntur poenae anathematis, a Concilio Lateranensi sub Leone X. statutae, et a Concilio Tridentino innovatae Sessione iv. de editione, et usu sacrorum Librorum. Iisdemque poenis illi subiiciuntur, qui scripta communicant, vel evulgant, nisi antea examinati, probatique fuerint, ut declaravit sacra Congregatio Concilii ».

« IX. Concilii Tridentini Sessione v. *De Reformatione*, cap. 1. statutum est, ut in Monasteriis Monachorum, ubi commode fieri poterit, lectio sacrae Scripturae habeatur. Qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc, ut Sedis Apostolicae Delegati, eos ad id opportunis remediis compellant ».

« X. Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia; et in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint, idem Episcopus punire potest. (Ex Concilio Tridentino Sessione v. *De Reformatione*, Cap. II. ex Gregorii XV. Constitutione supra laudata, et Declaratione Congregationis Concilii ab Urbano VIII. approbata) (*) ».

« XI. Regularibus, qui errores, et scandala disseminaverint in populum, cum sacrae Praedicationis munus obeunt, vel alias, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis Conciones habeant, Episcopus praedicatione interdicere potest (ex Concilio Tridentino Sessione v. *De Reformatione*, Cap. II.) Possunt etiam Episcopi, quo tempore concionandi licentiam dabunt, a Regularibus exigere professionem fidei; ut declaravit sacra Congregatio Concilii ab Archiepiscopo Mediolanensi rogata ».

« XII. Regulares promulgare, vel proponere populo Indulgentias non possunt sine licentia, et approbatione Ordinarii (ex Concilio Tridentino Sessione XXI. *De Reformatione*, cap. IX. et Declaratione sacra Congregationis Concilii) ».

« XIII. Concilium Tridentinum Sess. XXII. *De observandis, et evitandis in celebratione Missarum*, statuit, *Neve patiantur Episcopi privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda, et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a saecularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi*. Quibus verbis sublatum est privilegium ab Honorio III. olim concessum Fratribus Praedicatoribus, et Minoribus celebrandi in Altari viatico, seu portatili; etiam Episcopo non permittente, secundum Caput *In his*, *Ex. De Privilegiis*. Declaravit autem sacra Congregatio Concilii, hoc Decreto comprehendi etiam Regulares quantumvis exemptos, eosque ea omnia, quae ab Ordinariis locorum circa observanda, et evitanda in Missarum celebratione statuta fuerint, omnino servare teneri, ad idque etiam poenis, et Censuris Ecclesiasticis ab iisdem Ordinariis compelli posse (**) ».

« XIV. Confraternitates Laicorum in Ecclesiis Regularium constitutas Episcopus visitare potest, atque ab illarum Administratoribus rationes administrationis exigere (ex Concilio Tridentino ibidem): non tamen potest earum Capellas ibi sitas, aut Altaria visitare, nisi quatenus Confratrum administrationem spectant, ut respondit sacra Congregatio Concilii (***) ».

(*) Vide anted. Lucium nostrum *v. praedicare nn.* 69. *et seqq*

(**) Vide Lucium nostrum v. Regulares *art.* 2. n. 28.

« Praeterea (sic Bened. XIV.) Concil. Trident. in (suprad.) decreto *sess.* 22. *de observandis, et evitandis in celebratione Missae*, postquam plura statuit religiose servanda in celebratione hujus tremendi sacrificii, addidit: « Haec igitur omnia, quae summatim enumerata sunt, om» nibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solum » ea ipsa, sed quaecumque alia huc pertinere visa fuerint, » ipsi pro data sibi a Sacrosancta Synodo potestate, ac e» tiam ut Delegati sedis Apostolicae prohibeant, mandent, » corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda, » censuris Ecclesiasticis, aliisque poenis, quae illorum » arbitrio constituentur, fidelem populum compellant, non » obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, » ac consuetudinibus quibuscumque ». Ex quibus verbis (prosequitur Bened. XIV.) aperte conficitur, amplam, et quasi indefinitam auctoritatem datam esse Episcopis compellendi Regulares quoscumque ad plenam, et exactam observationem, non tantum eorum, quae praefato Decreto continentur, verum etiam aliorum, quae ipsimet Episcopi ad majorem illius ineffabilis Mysterii decorem, et cultum duxerint praecipienda ». *De Synod. Dioeces. lib.* 9. *cap.* 15. *n.* 5.

Hinc *in Vercellensi*, proposito dubio: « An liceret Epi» scopo punire Regulares, prohibita, vel indecentia in Ec» clesiis suorum Ordinum committentes circa Missae sa» crificium: *die* 21. *Mart.* 1643. Congregatio Concilii re» spondit licere Episcopo punire Regulares committentes » prohibita, vel indecentia etiam in Ecclesiis suorum Ordi» num circa Missae sacrificium ». Apud. Monacell. *Tom.* 2. *Tit* 13. *form.* 1 *num.* 45. *pag.* 14.

Hoc pacto « Regulares, qui, peracto sacrificio Missae, » circumeunt per Ecclesiam afferentes adstantibus osculum » patenae, possunt ad removendum hunc abusum ab Epi» scopo coerceri vigore decreti Trident. *de evitandis in ce» lebr. Missae*, cum Patena nunquam dari debeat populo » osculanda, ut pluries declaravit, et prohibuit *Sacra Ri» tuum Congr.* ». Monacellus *Tom* 1. *Titul.* 6 *form.* 20. *num.* 28. *pag.* 236.

(***) « Sacra Congreg. etc. inhaerendo declarationibus » alias factis, censuit, Confraternitates laicorum in Eccle» siis Regularium exemptorum institutas, subesse jurisdic» tioni, et visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari pos» se, nec non illarum Cappellas in iisdem Ecclesiis Regu» larium existentes, in his tamen, quae Confraternitatum » administrationem respiciunt, et si Confraternitatibus in» cumbit onus manutenendi altare, et illius cultum, Epis» copum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam ma-

« XV. Regulares, qui Confraternitatum Laicorum, vel Hospitalium Administrationem suscipiunt, cogere potest Episcopus ad reddendas rationes administrationis singulis annis, et in eos, quos reos repererit, animadvertere, consuetudinibus, et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis, ut statuit Concilium Tridentinum Sessione XXII. *De Reformatione*, cap. VIII. et IX. et ut declaravit sacra Congregatio ejusdem Concilii Interpres ».

« XVI. Episcopi Regulares ordinandos ad interstitia servanda juxta praescriptum Tridentini Concilii Sessione XXIII. *De Reformatione*, cap. XI. compellere possunt, ut eadem sacra Congregatio declaravit (*) ».

« XVII. Regulares, qui Parochialium Ecclesiarum, aut aliarum saecularium, etiam annexarum curam gerunt, Synodo Dioecesanae debent interesse: et qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec generalibus Capitulis subduntur, compelli possunt ab Episcopis, ut ad Synodum Dioecesanam accedant (ex Concilio Tridentino, Sessione XXIV. cap. 2.) et contumaces privatione vocis activae, et passivae, aliisque poenis arbitrariis, etiam excommunicationis, plectere potest Episcopus, ut declaravit olim sacra Congregatio Concilii, referente Fagnano in cap. *Quod super his, Ex. De Majoritate, et Obedientia* ».

« XVIII. Numerum Monialium, etiam in Monasteriis Regularibus subjectis, Episcopus definire potest, secundum Tridentini Concilii Decretum Sessionis XXV. *De Regularibus*, cap. III. ita tamen, ut adjuncto Superiore Regulari id agat ».

« XIX. Monasteria tam virorum, quam mulierum erigi non possunt sine licentia Episcopi, in cujus Dioecesi erigenda sunt (ex Concilio Tridentino loco mox indicato). Clemens VIII. ex sententia sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium die 26. Augusti 1603. declaravit, locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus, cujuscumque, etiam Mendicantium Ordinis, in civitatibus, et locis eorum ordinariae jurisdictioni subjectis erigendos concedere, nisi vocatis, et auditis aliorum in eisdem civitatibus, et locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, et aliis, quorum interest; et causa cognita, constiterit in eisdem civitatibus, et locis novos hujusmodi erigendos Conventus sine aliorum detrimento commode sustentari posse. Si vero ab eorum sententiis in hujusmodi causis ad Sedem Apostolicam appellari contigerit, ipsos Ordinarios tandiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quousque ab Apostolica Sede pronunciatum fuerit. Gregorius XV. decrevit, ut deinceps novi Conventus non erigantur, nisi in eis duodecim saltem Religiosi degere, et ex redditibus, et consuetis eleemosynis competenter sustentari valeant. Urbanus VIII. decrevit, ut Conventus inposterum erigendi, in quibus duodecim Religiosi sustentari, atque inhabitare non poterunt, et actu non habitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodae jurisdictioni subjecti esse intelligantur. Quod decretum Italiam solam non spectare, sed alia etiam Regna, et Provincias, declaravit sacra Congregatio Concilii, ut refert Fagnanus in cap. *Non amplius*, Ex. *De Institutionibus* (**) ».

« XX. Regulares, qui sine Superiorum mandato in scriptis recesserint a Conventibus suis, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, et reperti fuerint, ab Ordinariis locorum tamquam Instituti sui desertores puniri possunt. Illi autem, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in Conventibus tantum habitare debent: alioqui in illos animadvertere potest Episcopus (ex Concilio Tridentini Sessione XXV. *De Regularibus*, cap. 4) ».

« XXI. Episcopi in his, quae pertinent ad clausuram Monialium conservandam, aut ubi violata est, restituendam, in Monasteriis etiam exemptis, plenam auctoritatem habent, ut Sedis Apostolicae Delegati (ex Concilio Tridentino Sessione XXV. *De Regularibus*, cap. V.) Unde licet Episcopo Monasteria Monialium, etiam Regularibus subjectarum, visitare, et singulas Moniales absque Regularium interventu alloqui: in iis, quae clausuram spectant, examinare: et clausuram violantibus poenas infligere, ut declaravit sacra Congregatio Concilii, cujus ecce Decretum:

Die 26. Maii anni 1640. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini

» sustentationem, cultum, et ornamenta altaris, seu Capellae, » onera Missarum, atque Divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa omnia, quae ad obligationem eorumdem confratrum relationem habent ». *In Nocerina Paganorum* 13. *Junii* 1629. apud Bened. XIV. *de Synodo Dioeces. lib.* 13. *cap. ult. n.* 7.

(*) Vid. Additiones Casinenses v. *Ordo art.* 2. *sub num.* 132. nec non Constitut. Bened. XIV. ibid. in fin. art. 8. incip. *Impositi Nobis*.

Scio amplius notandum « quod licet nonnulli Regulares » possint ex privilegio Apostolico promoveri ad Ordines » diebus festis per annum extra Tempora a jure statuta, ut » ex largitione Gregor. XIII. Const. 77. gaudent PP. Societatis Jesu: Non inde inferri, et deduci potest, quod » caeteri aliorum Ordinum, qui cum illis participant de » privilegiis, possint vigore hujusmodi communicationis » recipere ordines extra tempora. Sed debent simile indultum concessum, vel confirmatum post Concilium Tridentinum exhibere; alias illicite ab Episcopo promoverentur. » Barbosa *Jus Eccles. lib.* 1. *cap.* 23. *n.* 182. Ventriglia » *prax. part.* 1. *adnot.* 44. n. 12 Sac. Congregat. Concil. *in Senen.* 11. *April* 1699. ». Ita Monacellus *Form.* » *pract. Tom.* 1. *Tit.* 6. *Formul.* 20. *n.* 46. *pag.* 237.

(**) Insuper « communis hodie, et in Tribunalibus recepta » est opinio, non licere Regularibus tam intra, quam extra » Italiam, nova Monasteria aut Conventus, sive collegia » fundare sola Episcopi localis auctoritate, sed Apostolicae Sedis licentiam praeterea necessariam esse. Nam » si res esset de aliquo simplici Hospitio, quod pro Regularium iter habentium commodo aedificari vellet, Episcopi localis licentia ad id sufficeret, etiam non accedente Apostolicae Sedis Auctoritate ». Benedict. XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 9. *cap.* 1. *n.* 8.

Interpretum censuit, *Episcopum Colimbriensem*, *uti Sedis Apostolicae Delegatum*, *potuisse quoad clausuram Monasteriorum*, *Monialium Conventus*, *et Cellas Ordinis Cisterciensis Regularibus ejusdem Ordinis subjectas visitare*, *etiam assumpto secum Vicario Generali*, *et Confessario earumdem Monialium*, *Monialesque ipsas in iis*, *quae ad eamdem clausuram pertinent*, *examini subiicere: semotis etiam suspicione violatas clausurae*, *et quacumque Superiorum Regularium negligentia*, *ipsisque inconsultis*, *et irrequisitis*: *ac insuper eidem Episcopo licuisse Rectorem Collegii dicti Ordinis ex supradicta causa inobedientem declarare in poenam excommunicationis*, *ac alias comminatas incurrisse.*

J. CARDINALIS PAMPHILIUS (*).

. . . .

« XXV. In Monasteriis quibus imminet cura Animarum personarum saecularium, Reguiares dictas curae, etiam pro tempore, et ad nutum amovibiles perfici non possunt, nisi de Episcopi consensu, ac praevio examine per eum, aut ejus Vicarium feciendo, excepto Monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, et exceptis etiam Monasteriis, seu locis, in quibus Abbetes Generaies, aut Capita Ordinum Sedem ordinariam principalem habent, atque aliis Monasteriis, seu Domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem, et temporalem in Parochos, et Parochianos exercent. Ita statuit Concilium Tridentinum Sessione XXV. *De Regular*. c. XI. (**) ».

« XXVI. Censurae, et Interdicta Ecclesiastica ab

(*) Vide Appendicem editorum Casinentium sub *v. Moniales* post *art.* 4.

(**) Quid vero juris Episcopis in Ecclesiis Parochialibus Regularium, nec non quoad Regulares hujusmodi animarum curam gerentes, declaravit Benedictus XIV. in sua Constit. incip. *Firmandis*, §. 7. *et seqq.* tenoris sequentis:

« §. 7. In exequanda vero Pastorali visitatione Ecclesiarum Parochialium, quae e Regularibus administrantur, minime quidem licet Episcopo omnia Ecclesiarum hujusmodi Altaria visitare, sed illud dumtaxat, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, et consequenter Sacrum ipsum Tabernaculum: Fontem quoque Baptisterii, si adsit; item Confessionale, in quo Parochus ad audiendas Confessiones residere solet; Pulpitum Ecclesiae, e quo Parochus jus habet verbi Dei, juxta praecipuum ministerii sui munus, annunciandi; Sacrarium pariter Ecclesiae, ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra supellex, pro Sacramentis tam intra Ecclesiam, quam extra illam decenter administrandis; Sepolchrum excipiendis Subditorum Parochiae corporibus addictum, Caemeterium Parochianorum humandis cadaveribus destinatum; Turrim Campanariam, dummodo in ea sint Campanae ad Parochiam proprie spectantes; ac demum praeter supra enunciatas, omnia sacra vasa, quibus vel Particulae consecratae servantur, vel Sacra Olea sive in Baptismo, sive in estrema Unctione adhibenda, vel aqua Baptisterii, vel alia rite benedicta, quae pro ingredientium aspersione ad Ecclesiae fores poni consuevit ».

« §. 8. Visitationi locali proxima est ea, quae personam respicit Parochi; cujus quidem, si Regularis sit, agendi rationem, in iis quae spectant ad observationem proprii ipsius Regularis instituti, non est Episcopi inquirere, quum ad ipsius Superiorem Regularem privative id pertineat. Licet tamen Episcopo, vel potius ipsi specialiter incumbit, ipsius Parochi, seu Curati, etiam Regularis, vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quae extra Claustrum prodierint, Rectoris animarum exempla plurimum conferre ad Populi aedificationem, vel contra eidem obesse maxime possunt, quemadmodum alias eadem Concilii Tridentini Congregatio sapienter decrevit, et Nos etiam earundem praesentium tenore decernimus, et statuimus ».

« §. 9. Ad personalem quoque Parochi visitationem, proindeque ad Episcopi jus, et officium pertinent ea occasione examinare, an titulo legitimo Parochus etiam Regularis animarum curam exerceat, an residentiae lex ab eo observata fuerit, atque observetur; an ad Synodum vocatus, iverit; an Congregationes, seu Conferentias super casibus conscientiae haberi solitas frequentet; an onera, quae secum fert animarum cura, adimpleverit, ac inter alia, an Missam pro Populo applicaverit diebus festis de praecepto; an iisdem festis diebus omnia praestiterit, quae a Sacro Tridentino Concilio praescripta sunt, Populum verbi Dei praedicatione, et Pueros in Fidei rudimentis, Christianae que Doctrinae praeceptis instruendo; an, statis diebus, excipiendis Fidelium confessionibus vacet; an aegrotantibus, et in extremo vitae agone laborantibus debita spiritualia subsidia sedulo praestet, et Sacramenta Ecclesiae tempestive conferat; an Pueros, et Puellas ante susceptionem Sacramenti Confirmationis, tum etiam ante primam eorum Communionem, opportunis instructionibus erudierit; an priusquam Fideles ad matrimonia in faciem Ecclesiae celebranda admittat, debitas inquisitiones adhibuerit, atque adhibeat, quibus tuto deprehendere possit, nullum inter Contrahentes impedimentum existere, eosdemque libere matrimonio consentire, ac demum in Doctrina Christiana, maxime vero in praecipuis Religionis nostrae Mysteriis, illos instructos esse; denique an Parochus apud se recte ordinatos retineat libros tum Baptizatorum, ubi Fons Baptismalis adsit in ipsius Ecclesia, tum Sacro Crismate confirmatorum, libros etiam Matrimoniorum, et status animarum ».

§. 10. Uno verbo quidquid Episcopus a Parocho saeculari exquirere, atque exigere solet, ac debet, id omne, Regulari observantia unice excepta, a Parocho Regulari exquirere, et exigere potest; atque ubi hunc muneri suo defecisse compererit, opportuna Decreta condere, et pronunciare, ac meritas in eumdem poenas statuere; in quo nihilominus Episcopi facultates minime privativae sunt, sed Praesul Regularis jus cumulativam cum ipso habet; ita tamen, ut, si aliter a Superiore Regulari, aliter ab Episcopo decerni contingat, hujus, non vero illius, Decretis sit standum, prout alias a Congregatione Tridentini Concilii interprete judicatum fuit, Nosque Auctoritate Apostolica probamus, confirmamus, atque decernimus. Privativum tamen Episcopi jus est in Parochianorum mores inquirere, ac ea quae inter ipsos scandala oborta fuerint, auditis proborum ac prudentium Virorum sinceris relationibus, de iis cognoscere, easque opportunis remediis resecare, et reformare: nec enim Superioribus in hujusmodi saecularis Parochiae subditos ulla competit jurisdictio ».

§. 11. Eveniente autem casu, quo vel Episcopus, vel Superior Regularis aliquem ex praedictis Parochis ab exercitio Curae removendum, eademque privandum esse judicaverit, quoniam hujusmodi Parochis, sine praevia Episcopi approbatione ad Curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis Superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles; dubitatum propterea fuit, an Episcopus posset ad hujusmodi remotionem procedere, sine Superioris Regularis consensu, et an remotionis causas eidem adducere, easque verificare deberet; tum etiam an Regularis Superior ad similem remotionem, et privationem suo jure deveniens, consensum Episcopi exquirere, suasque agendi rationes illi notas, atque probatas facere teneretur. Qua de re supradicta Congregatio Concilii decrevit, hujusmodi Parochos tam ab Episcopo, quam a Superiori Regulari, aequo jure, non requisito alterius consensu, ab Animarum cura removeri posse, nec unum

Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicari, atque servari debent (ex Concilio Tridentino cap. XII. ejusdem Sessionis). Cum autem dubitatum fuisset, an Episcopus prohibere posset, ne Regulares in Ecclesiis suis Sacerdotes exteros saeculares divina celebrare permittant, nisi prius ab Episcopo, visis literis commendatitiis, Sacerdotes illi admissi fuerint? Sacra Congregatio Concilii respondit, *POSSE* (*) ».

« XXVII. Dies etiam Festos, quos in Dioecesi sua servandos idem Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, servari debent, ut decernit ibidem Tridentina Synodus. Quod quidem Decretum sacra Congregatio Concilii ita intelligendum declaravit, ut Regularium ritus illis diebus festis nihilominus servetur, quoad Missas celebrandas, et alia divina Officia tam publice, quam privatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persolvenda (**) ».

« XXVIII. Sessionis XXV. Concilii Tridentini *De Regularibus*, cap. XIII. tribuitur Episcopis facultas componendi controversias omnes de praecedentia, quae persaepe maximo cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas Personas tam saeculares, quam Regulares, cum in Processionibus publicis, tum in iis, quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, et deferenda umbella, remota omni appellatione, et non obstantibus quibuscumque ».

« XXIX. Statuit ibidem sancta Synodus, ut Exempti omnes, tam Clerici saeculares, quam Regulares quicumque, etiam Monachi, ad publicas Processionas ab Episcopo vocati, accedere compellantur. Quod fieri posse censuit sacra Congregatio, etiam compellendo eos per poenas, vel Censuras Ecclesiasticas; nec eo casu absolvi posse a suis Superioribus, quia sunt excommunicationes ab homine, quarum absolutio petenda est a Judicibus, qui eas tulerunt, vel a summo Pontifice. Excipit tantum sacra Synodus a publicarum Processionum officio Monachos, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt (***) ».

« XXX. Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a Superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat. Sin minus, a suo Superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit. Ita statuit iisdem verbis Concilium Tridentinum Sessione XXV. *De Regularibus*, cap. XIV. idemque decrevit Clemens VIII. Constitutione edita 18. Martii 1596. ac insuper statuit, ut si Superior sic delinquentem ad aliam Dioecesim transmiserit, postulante Episcopo intra terminum ab eo praescribendum, ad locum, in quo deliquit, illum revocare teneatur: alioquin Ordinarius loci, ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, ab Ordinario loci, ubi delictum commissum est, rogatus, vel aliis de delicto certior factus, tanquam Sedis Apostolicae Delegatus Decretum Concilii exequi, et illum punire possit, ac debeat. Regularem vero extra claustra delinquere Sacra Congregatio declaravit, etiam cum in Ecclesia Monasterii delinquit, nisi clausis januis, et solis Regularibus in ea existentibus delictum sit commissum. Caeterum cum extra claustra delinquit, statim remittendum esse ad suum Superiorem, una cum inquisitionibus, et probationibus, si quae sint, sacra Congregatio declaravit ».

« XXXI. Ejusdem Sessionis cap. XVI. irritae declarantur renunciationes, et obligationes quaelibet Novitiorum, etiam in favorem cujuscumque causae piae, nisi fiant cum licentia Episcopi, aut ejus Vic. Gener. infra duos menses ante Professionem.

« XXXII. Statuitur ibidem, ut Novitiis a Monasterio ante Professionem abeuntibus, et habitum regularem dimittentibus, omnia restituantur, quae sua erant. Idque ut recte fiat, Episcopus etiam eos per Censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat ».

. . . . . .

« XXXV. Regulares, qui ob notorium delictum in excommunicationem incurrerunt, Episcopus publice excommunicatos denunciare potest, ut ab

alteri causas indicii sui aperire, multoque minus probare, et verificare debere. Id quod a nobis in omnibus approbatur, et confirmatur ». Haec Bened. XIV. *l. c.*

(*) « Quoniam vero in Tridentino decreto (*Sess.* 23. *cap.* 16.) Episcopis praecipitur, *ut singuli in suis Ecclesiis interdicant, ne cui vago, et ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat;* jure pariter Joseph Cardinalis Spinelli Archiepiscopus Neapolitanus, . sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, etiam Regularibus injunxit, ne quempiam exterum sacerdotem in suis Ecclesiis celebrare permittant, sine praevia Ordinarii licentia . . . Pro sua quippe rerum Ecclesiasticarum notitia probe noverat idem Cardinalis, praedicti decreti virtute factam esse Episcopis facultatem etiam censuris animadvertendi in contumaces, et inobedientes Regulares ». Bened. XIV. *de Synod. dioeces. lib.* 9. *cap.* 15. *n.* 5.

(**) Quod non teneantur Regular. ad officia festorum, decisum refert Barbosa *allegat.* 105. *n.* 34. *de offic. et potest. Episc.* Gavantus in *Manual. Episc. v. Regularium Jura sub Episcopis* n. 27 Decretum, ut extat apud Barbosam *l.* c. est hujusmodi. « Congregatio Concilii censuit, decretum *cap.* 12 . . . *sess.* 25. de Regularibus, ita esse intelligendum, » ut Regularium ritus illis festis semper permaneant quoad » Missas celebrandas, et caetera divina officia, tam pu» blice, quam privatim ab ipsis Regularibus in eorum Ec» clesiis persolvenda, nec circa haec ab ipsis quoquo mo» do quicquam contrarium eisdem Regularibus praecipi » posse. Quod si de facto praeceperint, Regulares neuti» quam ipsis Episcopis obedire teneri ».

Porro « Regulares omnes etiam exempti subjacent Epi» scopis in festis colendis . . . . et peccant contra praece» ptum observationis festorum, a qua obbligatione non exi» muntur Regulares, cum nullum, quod viderim, illis sit » privilegium concessum, quo in diebus festivis possint in » labore suorum Monasteriorum operibus servilibus saecu» lares, et ipsi Religiosi occupari; quapropter ut jam licite » facere, aut permittere possint, petere licentiam ab Epi» scopo tenentur . . . sine dicta enim licentia laborantes, » et Praelati permittentes laborare in dictis diebus, pec» cato sunt irretiti ». Barbosa *cit. allegat.* 105. n 33.

(***) Vide appendicem Editorum Casinentium sub *v. Processio*.

aliis vitentur; ut declaravit Sacra Congregatio Concilii ».

« XXXVI. Regulares, etiam S. Joannis Hierosolymitani, qui in personam Episcoporum delinquunt, ipsorumve jurisdictionem turbant, aut illos impediunt, ne munus suum exequantur, iidem Ordinarii legitime coercere, et punire possunt; inciduntque in excommunicationem latam in Bulla Coenae Domini, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii, cujus sententia a Gregorio XIII. probata est ».

Haec in terminis Natalis Alexander *l. c.*

His addenda, quae sequuntur.

Ad dubium: « Utrum (Episcopis) liceret in » Regularium Ecclesiis, sivo Parochialibus, sive » non Parochialibus Sacramentum confirmatio- » nis administrare; quae quidem controversia in » Congregatione Concilii, partibus plenissime au- » ditis, pro Episcopis decisa fuit, quemadmo- » dum et Nos generaliter, ot sine exceptione eam- » dem definimus ». Sic Benedictus XIV. in Constit. incip. *Firmandis*, §. 6.

Porro ox hujusmodi Pontificis definitione haud amplius dubio illi locus esse videtur, an scilicet Episcopus in Regularium Ecclesiis possit ordines conferre; quod idem dubium circa Sacramentum confirmationis, an nempe in iisdem Ecclesiis posset ministrare, versabatur. Cum enim affirmative quoad administrationem Sacramenti Confirmationis praelaudatus Pontifex definiverit; ita et a pari quoad collationom Ordinum tenendum esse, recta interpretandi, intelligendique ratio nos suadet. Vide *v. Episcopus art.* 4. *n.* 23.

An vero Decretis Synod. Dioeces. Regulares ligentur; dicimus cum Benedicto XIV. quod « Re- » gulares, eorum exemptione non obstante, parere » coguntur Dioecesanae Synodi Sanctionibus, in » iis, quae respiciunt curam animarum, aut Sacra- » mentorum administrationem, juxta Decretum » Tridentini *sess.* 25. *cap.* 11. *de Regul.* atque » Apostolicas Constitutiones Concilii Textum ex- » plicantes; Decretis pariter subjiciuntur, quae » materiam concernunt, in qua subsunt Jurisdic- » tioni delegatae Episcopi . . . Notat praeterea » Suarez . . (prosequitur Bened. XIV.) aliquan- » do ad evitandum scandalum, et fugiendam dif- » formitatem a caeteris Dioeceseos membris, te- » neri Regulares obtemperare Constitutionibus Sy- » nodalibus, a quibus caeteroquin ratione suae e- » xemptionis essent soluti; quamvis simul adver- » tat non semper illas transgredientes fieri gravis » culpae reos, sicuti caeteros, qui Episcopali juri » plene subduntur . . . . (Verum) « non ab » Episcopi praecepto, sed a jure naturali jejunare » coguntur Regulares iis diebus, quos Episcopus » jussit esse esuriales, si non jejunantes scanda- » lum praebeant aliis. Quocirca a culpa non ex- » cusamus eos Regulares, qui illis ipsis diebus, » quibus tota Dioecesis a vetitis cibis abstinet, ut » Episcopi edicto morem gerat, ad suam osten- » tandam exemptionem se splendide epulatos, » palam, et publico gloriantur: haec enim vana » ostentatio non potest non afferre audientibus » gravem offensionem; praesertim si jejunium fue- » rit ab Episcopo imperatum ex publica causa ». *De Synod. Dioeces. lib.* 13. *cap.* 4. *n.* 5. *et* 6.

Quoad ea tandem, quae habet Auctor *v. Regulares art.* 2. *n.* 75. *et seqq.* an scilicet possint Regulares censuris coerceri ab Episcopis, in iis, quibus ex Tridentino, et Apostolicis Constitutionibus Episcopali Jurisdictioni subduntur, videtur eam fuisse Benedicti XIV mentem, censuris hujusmodi posse distringi. Siquidem *lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 5. *de Synod. Dioeces.* ita concludit. « At- » que generatim loquendo, *in his, in quibus a jure* » *communi, a Sacro Concilio Tridentino, a Con-* » *stitutionibus Apostolicis tributa est Episcopo ju-* » *risdictio in Regulares, potest illos etiam per cen-* » *suras Ecclesiasticas compellere*; quod totidem » verbis ab eadem Sacra Congregationo rescrip- » tum legimus ad Episcopum Nebiensem, *die* 7. » *Febr.* 1632. Ob eamdem rationem, quia sci- » licet Trident. *sess.* 25. *de invocat. venerat.* » *et Reliq. Sanct.* decrevit, ne in ulla Ecclesia, » quomodolibet exempta, ulla exponatur insolita » imago, aut nova Reliquia ab Episcopo non ap- » probata, minime dubitandum est, quin possit » Episcopus inobedientes Regulares quibuscumque » poenis, etiam censurarum compescere; quod e- » tiam ex Decreto colligitur edito a Sacra Con- » gregatione Concil. 5. *Jun.* 1700 ».

Sed haec hactenus, vid. amplius Lucium nostrum *cit. art.* 2. *v. Regulares.*

REGULARES

SCHOLION

Ad dicta a Natal. Alexandro heic supra, sub n. 1. ad Quaesitum 5. de Regularibus Confessariis.

Animadvertendum (heic quidem) est, quod olim ex Clement. *Dudum, de Sepult.* Regulares approbati absolute semel ab Ordinario, non poterant obligari, ut denuo examinarentur. Attamen S. Pius V. in Extrav. *Romani Pontificis*, dicit, quod Episcopus successor, *pro majori quiete suae conscientiae*, posset rursus illos examinare. Sed post Gregorius XIII. in sua Bulla *In tanta Negotiorum*.. ad tollendas lites exortas circa Regulares, revocavit omnes declarationes S. Pii V. et praesertim hanc concernentem approbationem Confessariorum Regularium; revocavit, inquam, ad statum pristinum dispositionis Tridentini, quod *sess.* 23. *cap.* 15. nihil aliud exegit quoad Regulares, nisi ut approbarentur ab Ordinario. Hinc inferunt multi DD. ut Aravius, Dicastillus, Villalobos ... quod Regulares approbatos examine ab aliquo Episcopo non possit denuo examinare successor. Attamen contrarium tuentur Diana.. Lezana, Boss. Bordone, et multi alii ex Decreto S. Congregat. (relato a Lezana, et Diana), quo fuit declaratum, quod, non obstante Bulla Gregorii XIII. posset Episcopus successor examinare approbatos ab antecessore; et hanc hodiernam esse Episcoporum praxim testantur Diana, et ipsi Salmanticenses. Sed probabiliter dicunt (ipsi) Salmanticentes cum Villalobos, quod tam ex Constit. S. Pii V. quam ex Declaratione S. Congr. possit Ordinarius successor iterum vocare ad examen aliquem, aut aliquos Regulares, quos notitiam habet non esse idoneos; sed non potest Edicto generali suspendere omnes Confessarios Regulares, usque dum denuo examineutur. Caeterum animadvertendum est, quod revocando generaliter Ordinarius omnes licentias, non comprehenduntur Regulares, qui in odiosis non comprehenduntur, nisi exprimantur. Animadvertendum praeterea, supradicta valere pro approbationibus concessis absolute, non tamen pro concessis ad tempus, e. g. ad sex menses, ut plerumque fit; cum certum sit ex Bulla Innocentii XIII. *Apostolici Ministerii*, confirmata per Bened. XIII. quod Confessarii tam saeculares, quam Regulares non valeant excipere Confessiones extra locum, Personas, et tempus praescriptum, quocumque privilegio non obstante ». Ita D. Alph. de Ligorio *Theol. Moral. lib.* 1. *Append.* 2. *de privileg. Regular. n.* 103. Vide fuse tradita in nostris Additionibus heic supra; item v. *Approbatio art.* I.

REGULARIS DELINQUENS, ET QUOAD IMMUNITATEM

In hac materia sequentia adnotanda veniunt.

1 Quoad Regulares delinquentes extra, vel intra Claustra. Vide *art. anteced a num.* 35. *ad* 9.

2 Quoad bona Regularium decedentium extra Claustra. Vide verb. *Ejicere, Ejecti a Religione a n.* 70. *ad* 73.

3 Sacerdos Regularis professus potest retineri in carceribus Religionis ad simplicem tantum correctionem, dummodo Extractio ab Ecclesia sit facta auctoritate et licentia expressa Archiepiscopi: *Sacra Congregat. Immunitat. in Mediolanen.* 6. *April.* 1644. *lib.* 3. *Decretor. Paul. pag.* 224.

4 Ob extractionem Regularis rei Epistolae infamatoriae ab Ecclesia Conventus, in quo moratur, factam de ordine Provincialis ad correctionem, et ob id ad Domum disciplinae, non ad carceres formales translati, Provincialis, et Fratres Executores non incurrunt Excommunicationem: *Sacr. Congr. Immun. in Æsina* 19. *April.* 1701 *lib.* 3. *Decret. Vallem. p.* 347. Vide tamen verb. *Immunitas art.* 2. *num.* 136.

5 Regularis captus in loco immuni pro delicto non excepto in Bulla Gregorii XIV. gaudere debet Immunitate Eccles. *Sacra Congreg. Immun. in Fulginaten.* 9. *Mart.* 1631. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 116.

6 Mandante Sanctissimo datur facultas Superioribus Religionis Theatinorum conficiendi processum contra suum Religiosum carceratum in loco immuni usque ad sententiam exclusive: *Sacr. Congreg. Immun. die* 21. *Aug.* 1706. *lib. Marefuschi.*

7 Regularis Sacerdos de ordine prioris Conventus, et Commissarii causae criminalis extractus ab Ecclesia Conventus, ad quam confugerat e carceribus ipsius Conventus, restituendus est, et injungitur Archiepiscopo, ut mandet restitui: *Sacr. Congr.*

Immun. in Neopolitana 11. *Octobr.* 1662. *lib. Decret. Grimaldi pag.* 209.

8 Ex gratia Sanctissimi, Regularis ad Tremes juxta condemnatiooem transmittitur, attenta atrocitate delictorum, et instantia Religionis: *Sacr. Congreg. Immun. in Neapolitana* 7. *Aug.* 1640. *lib.* 3. *Decr. Poul. pog.* 126.

9 Regularis committens homicidlum de nocte in personam sui Superioris uoa cum tribus Laicis, et aliis circumstantiis enormibus tradendus est Curiae Saecnlari, si non est in Sacris Ordinibus constitutus; secus vero si sit in Sacris constitutus: *Sac. Congreg. Immun. in una Siciliae* 27. *Apr.* 1632. *lib.* 2. *Decr. Paul. pag* 125.

10 Regularis propinans veneoum suo Guardiano condemnatur ad poenam Triremium: *Sacr. Congreg. Imm. in una N.* 26. *Sept.* 1631. *lib.* 4. *Decr. Paul. pag.* 171.

11 Regularis conversus, qui in actu Apostasiae furatus fuit Scuts mille ab Ærario Conventus, et minatur suo Superiori, ac ceteris Religiosis, nec ooo scandalose cobabitat cum coocnbioa, de Ordine Sanctissimi extrahitur, et consignatnr suo Superiori ad boc, ut eum retineat in carceribns ad correctionem usque ad novos ordines Sacr. Congreg. *Eadem Sacr. Congreg. Immun. in Ariminen.* 2. *Jul.* 1636. *lib.* 1. *Decr. Altoviti p.* 1062.

12 Ex gratia speciali Saoctissimi permittitur, ut Regularis praetensus reus criminis laesae Majestatis carceratus a Regiis, retineatur in carceribus Laicis, et oon restituatur, sicuti oportet; Et ad preces Proregis, S. Cong. particularis desuper coogregata injungit D. Nuncio, ut praevia absolutione carcerantium, deputet Ecclesiasticum ad procedeudum in hac causa usque ad sententiam exclusive, cum facultate utendi opera, et assistentia Laicorum in confectione processus, qui tamen non se intromittant in actibus Judicialibus: *Sac. Cong. Imm. in Neapolitona* 29. *Ap.* 1677. *lib.* 2. *Decret. Altov. pog.* 1381.

13 Similis gratia conceditur pro eodem delicto contra alium Regularem: *Sacr. Cong. Immun. in Mediolan.* 26. *Apr.* 1679. *ibi pag.* 1752. *et* 17. *Jul.* 1677. *ibi pog,* 1419.

14 Regularis excommunicatus, et irregularis scandalose quotidie celebrans Sacrum, extrabitur ad correctiooem tantum: *Sacr. Congregat. Immun. in Urbinaten.* 10. *Aug.* 1680. *lib.* 2. *Decret. Altoviti pag* 2020.

15 Sacra Congregatio censuit, Clericos Minores Provinciae Hispsnisrum, qui occasiooe Capituli Provincialis celebrati in Oppido Matriti (in quo Nuncius praesidebat) recursum habuerunt ad Tribunal saeculare, incidisse in Excommunicationem contentam in can. 13. Coeoae, et indigere absolutione, et quatenus postea celebraverint, etiam dispensatiooe ab Irregularitate; Nihilominus Sacra Congregatio, praevia eorum suspensione a voce activa, et passiva, ceosuit posse (quatenus humiliter petatur) ex Clementia Sanctissimi per litteras in forma Brevis concedi Eminentiss. Urbis Vicario facultatem absolvendi, et respective dispensandi accessos ad Urbem, et similem facultatem per litteras Sacr. Congreg. concedi Nuncio Hispaniarum cum facultate subdelegandi: *Socra Congregat. Immun. in Toletana* 16 *Jan.* 1681. *ibi p.* 2136.

PP. Clerici Minores, qui accesserunt ad Urbem ob recursum praefatum, reiotegrantur in voce activa, et passiva: *S. Congreg. Immun. in Toletana* 28. *Moii* 1681. *lib* 1. *Decr. Altov. p.* 2177. 16

Provincialis Ordinis S. Augustini, qui in executionem ordinis Potestatis Laicae privavit quemdam Priorem Prioratu sui Conventus, ac relegavit extra Regnum, eo quia dictus Prior habuit recursum ad Curiam Ecclesiasticam contra Laicos Debitores Canonum, de mandato Sanctissimi praecipitur Generali Ordinis, ut statim debeat privari Officio Provincialatus, voce activa, et passiva, inhabilitari in perpetuum ad Officia, et Digoitates, et sub rigorosis poenis fiat praeceptum, ut accedat ad Urbem: Ordo praefatus d. Provincialis deleatur de Libro Ordinum Superiorum, ac si non esset factus, et ne unquam praejudicet dicto Priori, et Pater Generalis injuogat omnibus Superioribus Provinciae, ut amplius non agnoscant Provincialem: *Sacr. Congreg. Immun. in Romana* 10. *Februar.* 1696. *lib.* 4. *Litterarum Vallem. p.* 31. 17

Et cum praefatus Provincialis accessisset ad Urbem, data fuit facultas Vicesgerenti eum absolvendi a censuris in aula interiori Conventus S. Aug. io praesentia suorum Religiosorum taotum: *Sacr. Cong. Immun. in Romona* 14. *Mart.* 1686. *lib.* 3. *Litterarum Vallem. p.* 38. 18

Regulares Theologi, qui consilium dederunt Proregi posse cognoscere causam Regularis, unde de ordine ejusdem Proregis postea jugulatus fuit, inciderunt in Excommunicationem, et Irregularitatem; Attamen, annuente Sanctissimo, conceditur Nuncio Hispaniarum, ut eos absolvat, si petierint, praevia privatione vocis activae, et passivae: *Sacr. Congreg. Immun. in Valent.* 17. *Jul.* 1671. *lib.* 2. *Decret. Altov. n.* 2229. 19

Superior Regularis una cum suis Fratribus recurrens ad Tribunalia Laica contra resolutum in S. Congreg. vocatur ad Urbem: *S. Congreg. Immun. in Cotronen.* 19. *Dec.* 1673. *lib.* 1. *Decr. Altov. pag.* 878. 20

Regulares adeuntes Tribunalia Laica acriter puniuntur, et praevia renunciatione desistant a prosecutione causae cor. Laicis: *Sac. Congreg. Immunit. in Nuscana* 26. *Apr.* 1634. *lib.* 2. *Decr. Paul. pag.* 189. 21

Superior Regularis, qui ex licentia sui Provincialis permisit fieri recognitionem corporis delicti in Conventu per Notarium Laicum, incidit io Excommunicationem, et cootra ipsum Episcopus beoe processit: *Sac. Cong. Immun. in Feretrana* 22. *Septembr*, 1671. *lib.* 1. *Decret. Altoviti pag.* 662. 22

23 Contra praefatum Superiorem denegantem Episcopo recognitionem corporis delicti, et ipsam concedentem Judici Laico Episcopus conficiat processum: *Sacr. Congreg. Immun. in Feretrana* 7. *Julii* 1671. *ibi pag.* 571.

24 Contra Superiorem Chartusianum, et alios, qui extraxerunt ab Ecclesia Matrice Fratrem Conversum, Vicarius Apostolicus procedat prout de Jure: *Sacr. Congregat. Immun. in Capren.* 9. *Septembris* 1679. *Decret. Altov. pag.* 473. iidem tamen absolvuntur ad cautelam, reintegrata Ecclesia, et privatim. *In eadem* 3. *Febr.* 1671. *ibi pag.* 618.

25 Regularis extrahens dolose reum criminis nefandi, et bestialitatis, et dicendo: veni, et noli timere, et deinde consignans Curiae Laicae, incidit in Excommunicationem: *Sacr. Congreg. Immun. in Nullius Orbetelli* 26. *Jan.* 1679. *lib. Decret. Martelli pag.* 412.

26 Superior Regularis, et ejus Religiosi, qui stipulaverunt transactionem, et alios contractus de solvendis oneribus Laicis pro bonis acquisitis ab eorum Conventu, accedant ad Urbem: *Sac. Congr. Immun. in Taurinen.* 14. *Januar.* 1699. *libr.* 2. *Decretor. Valleman. pag.* 133.

27 Episcopus potest praecipere, et procedere contra Regulares ex delegatione particulari habita vi Litterarum electionis a Sacr. Congr. *Sac. Congr. Immun. in Ortonen.* 25. *Apr.* 1633. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 189.

28 Aliquando datur Episcopo facultas procedendi contra Regulares in causa violatae Immunitatis Eccles. *Sacr. Congr. Immun. in Senen.* 4. *Aug.* 1639. *lib.* 4. *Decret. Paul. pag.* 81.

29 Superior Regularis recusans extractum remitti in Ecclesia, de ordine S. Congr. graviter corripitur a Procuratore Generali Ordinis: *Sacr. Congr. Immun. in Aquen.* 3. *Mart.* 1654. *lib.* 5. *Decr. Paul.* p. 33.

30 Regulares, qui restiterunt ad recipiendas personas discolas in eorum Conventu, non debent ex hoc capite molestari: *Sacr. Congreg. Immun. in Florentina* 31. *Aug.* 1677. *lib.* 2. *Decret. Altoviti pag.* 1446.

31 Injungitur Episcopo, ut procedat contra Regulares, qui restiterunt, et impedierunt perquisitionem faciendam ex facultate Sacrae Congreg. in eorum Conventu, et procedat etiam quoad contrabandum receptum in Conventu: *Sacr. Congr. Immun. in Eugubina* 17. *Sept.* 1680 *pag.* 2049.

32 Archiepiscopus procedat contra Regularem, qui dolosis verbis exire fecit confugitum a loco immuni, ut incideret in manus Curiae: *Sacr. Congregat. Immun. in Bononien.* 23. *Jan.* 1689. *ibi pag.* 1913.

33 Datur facultas, annuente Sanctissimo, Eminent. Legato procedendi, etiam per alium (modo sit Clericus) contra Regularem indicatum ut mandantem homicidium: *Sacr. Congreg. Immun. in Ravenn.* 20. *Febr.* 1680. *ibi pag.* 1915.

Regularis extractus a Conventu per Cancellarium Episcopi ob rixam secutam inter ipsos, Episcopus restituat: *Sacr. Congreg. Immun. in Favent.* 30. *Maii* 1979. *ibi pag.* 1767. 34

Regularis in rixa, et ad propriam defensam occidens Regularem ejusdem Ordinis, extractus ab Ecclesia aliorum Regularium gaudet Immunitate: *Sacra Congregat. Immun. in Melphien.* 19. *Februar.* 1669. *lib.* 1. *Decret. Altoviti pag.* 319. 35

Datur facultas extrahendi Regularem a quocumque loco immuni, et consignandi suis Superioribus, praestita per ipsos obligatione de non puniendo ob inobedientias, et delicta commissa, seu praevia obligatione de non irroganda alia poena: *Sacr. Congregat. Immun. in Neapolitana* 19. *Februarii* 1704. *lib.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 559. *in Tiburtina* 30. *Jul.* 1696. *lib.* 2. *Decret. Valeman. pag.* 34. 36

Suspenditur ab Officio, et exercitio Ordinum Provincialis, qui, invocato auxilio brachii saecularis, exequitur Regis mandatum relegationis contra aliquos suos Religiosos, et declaratur incurisse in Can. 10. Bullae Coenae Domini, eo quod egit quodammodo partem executoris mandati Regii, et causa non cognita, se gessit ut privatus, non ut Judex, *Sac. Cong. Immun. in Ulyssiponen.* 31. *Jul. seu* 1. *Aug.* 1691. *lib. Decretor. Martelli pag.* 752. 37

Prior Conventus S. Aug. eo quia permiserat Judici, et Cancellario Curiae Laicae facere examen in d. Conventu, Censuras incurrit, a quibus datur facultas Vicario Generali absolvendi in forma Ecclesiae consueta, et interim suspenditur ab Officio ad arbitrium Sacr. Congreg. *Sac. Congreg. Immun. in Pisauren.* 26. *Mart.* 1658. *lib. Decr. Rocci p.* 80. 38

Provincialis Fratrum S. Joannis Dei, qui extrahi fecerat a Domo Ecclesiae Parochialis Religiosum Sacerdotem sui Ordinis, attenta reintegratione Ecclesiae, et praevia obligatione de se abstinendo a similibus, absolvitur privatim ab Episcopo: *Sacra Congregat. Immun. in Mediolanen.* 16. *Maii* 1793. *lib.* 3. *Decret. Vallemani pag.* 491. 39

Regulares, praevia restitutione, vel Deposito Ducatorum triginta sex pecuniae expensae a Canonico in refectione muri ab ipsis destructi, et obligatione de stando Juri, et parendo mandatis Ecclesiae quoad aliae praetensiones d. Canonici, absolvuntur ab Episcopo: *Sacra Congregat. Immun. in Baren.* 4. *Jul.* 1696. *lib. Decret. Vallemani pag.* 197. 40

Religiosus excommunicatus ab Archiepiscopo Baren. cum personaliter ad Urbem accessisset, absolvitur private cum reincidentia a D. Vicesgerente ex commissione Sacr. Congreg. *Sacra Congregat. Immun. in eadem* 30. *Mart. d. Anni, et lib. pag.* 18. 41

Quoad Religiosum extractum a Vicario Capitali, eo quod consilium, et auxilium praestitisset 42

Mulieri secum adulterae venenum propinandi Marito, Sacra Congregatio decrevit, quod praevia cassatione, et circumscriptione omnium actorum Judicialium, Episcopus Mantuanus procedat nomine Sac. Congregat. contra quos de Jure pro actibus laesivis Immunitatis, et Jurisdictionis Eccles. in reliquis ad Sacram Congregationem Episcoporum: *Sacr. Congregat. Immunit. in Brixien, seu Mantuana* 31. *Augusti* 1700. *lib.* 2. *Decret. Vallemani pag.* 310.

43 In causa Palatini Vilnen. Regulares ab Episcopo innodantur Interdicto, et censuris non solum ob contumaciam erga d. Episcopum, sed etiam erga mandata Sanctissimi: *S. Congreg. Immun.* in *Vilnens.* 16. *Novemb.* 1694. *lib.* 1. *Decr. Valleman. pag.* 158. *et in Regesto Litterarum sub. die* 27. *d. Mensis.*

44 Insuper auctoritate Apostolica Superiores Regulares Vilnenses contumaces per D. Nuncium, vel Generales Ordinum, priventur Officiis, declarantur inhabiles ad alia imposterum obtinenda, et priventur voce activa, et passiva, nisi intra brevem terminum paruerint: *Sac. Cong. Immun. ibid.*

45 Datur facultas Episcopo absolvendi Regulares pro suo arbitrio, eo quod adimpleverunt imposita pro emendatione transcursuum, imposita poenitentia publica; Dicti Regulares declarati fuere excommunicati a Curie Episcopali ob contumaciam erga Ordines ejusdem Curiae, concernentes defensionem Immunitatis, et Libertatis Eccles. *Sacra Congr. Immunit.* in *Vilnen.* 25. *Mart.* 1696. *lib.* 2. *Decret. Vallemani pag.* 211.

46 Regulares vocati ad Urbem ex causa violatae Immunitatis suspendantur per Superiores Ordinis ab omnibus Officiis, et priventur voce activa, et passiva, donec pareant: *Sacra Congregat. Immun.* in *Taur.* 8. *Jul.* 1698. *ibi pag.* 192.

47 Super homicidio Patris N. commisso Tarenti injungitur D. Nuncio, ut transmittat processum, et omnes alios actus contra Patrem N. confectos, et construat alium contra eumdem super mala qualitate, et pariter transmittat: *Sacra Congregat. Immunit.* in *Neapolitana* 9. *Februar.* 1700. *d. lib. pag.* 271.

48 Et cum indicia praefati homicidii P. N. essent contra d. P. N tum ob commaculatas sanguine vestes, tum ob fugam e Monasterio ad Ecclesiam Jesuitarum, tum denique ob assuetudinem ad delicta, annuente Sanctissimo, asportatur ad ergastulum loco custodiae: *Sac. Congr. Immun. in eadem.* 8. *Jun. d. Anni, et lib. pag.* 295.

49 Sanctissimus, intercedente Em. Protectore Congregationis Casinensis, benigne annuit, ut tribus Monachis suspensis ab exercitio Ordinum, et privatis eorum Officiis, et Dignitatibus ob inobservantiam Interdicti appositi civitati Mediolanen. pro qua justificarunt, non intercessisse dolum, ex nunc removeatur suspensio a Divinis, et tempore celebrationis proximi Capituli iidem rehabilitentur ad vocem activam, et passivam, et ad alia Officia, et Dignitates; ita tamen ut D. Julius in d. Capitulo eligi non possit Generalis, neque per quinquennium Abbas in Monasteriis Civit. Mediolanen. et D. Benedictus pariter per quinquennium nequeat obtinere munia, et Officia publica in dict. Monasteriis: *Sacr. Congreg. Immun. in Mediolanen.* 7. *Januarii* 1633. *in Ponentiis Archivii Vaticani.*

50 Episcopus debet tueri Regulares contra Violatores Immunitatis, et Libertatis Ecclesiasticae: *Sacr. Congr. Immun. in Aquen.* 5. *Febr.* 1695. *lib.* 1. *Decret. Vallem. p.* 170. *in Cremonen.* 11. *Jan. pag.* 166. *Item* 11. *Junii* 1695. *pag.* 194. *et* 20. *Aug. p.* 210. *in Casalen.* 25. *Sept.* 1700. *lib.* 2. *Decret. Vall. pag.* 315. *in Nullius Guastallae* 17. *Febr.* 1693. *in Regien.* 17. *Martii* 1694. *lib.* 1. *Decret. Vallem. p.* 142.

51 Insuper Episcopus Cremonen. ex commissione Sacrae Congreg. procedit etiam ad Interdictum Locale contra Communitatem Laicalem praetendentem exigere collectas a Regularibus: *Sac. Congreg. Immun. in Cremonen.* 19. *Julii* 1695. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 202.

52 Episcopus non potest concedere facultatem examinandi Regulares. *Sac. Cong. Immun. in Hyeracen.* 3. *Aprilis* 1632. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 121.

53 Nec cogere F. F. Capuccinos ad faciendam recognitionem personae delinquentis: *Sacr. Congr. Immunit. in Neritonen.* 13. *Augusti* 1629. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 1.

54 Verum ex commissione Sacrae Congreg. potest examinare Regulares: *Sac. Cong. Immun. in Feretrana* 12. *Julii* 1689. *lib. Decret. Martelli pag.* 492. in *Fanen.* 30. *Jul. seu* 1. *Augusti* 1691. *d. lib. pag.* 747.

55 Jussu Sanctissimi praecipitur, ut Regularis, qui ab Episcopo juxta facultates Sacrae Congreg. extractus fuerat a loco Immuni ob vitam dissolutam cum meretricibus, et ob alia scandala, consignetur libere Superioribus Religionis cum facultate illum retinendi in carceribus eorum arbitrio per tres menses ad correctionem: *Sacra Congreg. Immun. in Nobana* 5. *Apr.* 1661. *lib. Decr. Rocci p.* 329.

56 Immo Archiepiscopus Mediolanen. etiam auctoritate Sacrae Congreg. procedit contra Abbatem, et Religiosos, et alios ob recursum ad Forum Laicale contra Collegiales Collegii Borromaei: *Sacra Congreg. Immun. in Papien.* 7. *Sept.* 1668. *lib. Decr. Martelli pag.* 344.

57 Injungitur Episcopo, ut reintegret Guardianum ad Confessiones, et ad alia, in quibus illum suspendit ob gesta contra Episcopum in defensam Immunitatis, et Libertatis Ecclesiasticae: *Sacra Cong. Immun. in Collen.* 13. *Julii* 1631. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 83.

58 Episcopus non incurrit in Excommunicationem per hoc, quod fecerit carcerare Regularem praetensum Reum copulae carnelis in proprio Conventu subjecto Jurisdictioni ejusdem Episcopi, uti comprehenso in Decreto *Ut in parvis* S. M. Inno-

centii X. et ducere ad carceres Episcopales: *Sacra Congregat. Immun. in una Montis Alti 19. Aprilis 1701. lib. 3. Decret. Vallem. pag. 347.*

59 Religiosus Apostata sola Episcopi auctoritate extractus e Conventu restituatur eidem Conventui, deinde extrahatur ad formam Bullae, et retineatur in suis carceribus ad correctionem nomine Sacrae Congreg. *Sacr. Congreg. Immun. in Brundusina 24. Augusti 1694. lib. 1. Decr. Vallem. pag. 141.*

60 Idem gaudet immunitate, sed retineatur ad dispositionem Sacrae Congreg. Episcop. et Regul. apud quam fiat recursus: *Sacr. Congr. Immun. in eadem 1. Martii 1695. d. l. pag. 174.*

61 In causa Fratris N. Ordinis Praedicatorum injungitur Episcopo, ut illum consignet suis Superioribus, quibus injungat, ut caritative tracteut ad correctionem tantum, et non ad punitionem, et invigilet, ut ita exequantur: *Sacra Congregat. Immun. in Regien. 12. Julii 1689. lib. Decret. Martelli pag. 494.*

62 In causa homicidii, de quo indicia sunt contra Religiosum, qui etiam in Conventum transtulit diversas res occisi ereptas, Sanctissimus tribuit Episcopo Narnien. facultatem procedendi ad carcerationem d. Religiosi etiam in quocumque loco immuni, cum facultate perquirendi res ablatas in locis immunibus: *Sacra Congregatio Immunit. in Narnien. 2. Decembr. 1693. lib. 1. Decret. Vallem. pag. 91.*

63 Deinde Sanctissimus praecepit eidem Episcopo, ut consignet Curiae Laicali Reos, et acta, resque extractas a locis immunibus, atque praefatum Religiosum carceratum: *Sac. Congr. Immunitat. in eadem 6. et 9. Decembris d. Anni, et lib. pag. 92.*

64 In causa Palatini Vilnen. Episcopus subdit Interdicto, et Censuris quosdam Regulares ob contumaciam, non solum erga Episcopum, sed etiam erga mandata Sanctissimi: *Sacr. Congr. Immun. in Vilnen. 16. Nov. 1694. d. lib. pag. 158. At in Regesto Litter. legitur die 27. Nov. in eodem 2. Julii 2695. d. lib. p. 199.*

65 In causa homicidii P. Guardiani N. datur Episcopo facultas extrahendi e locis immunibus Reos ejusdem delicti ad requisitionem Commissarii Laicalis, cum debita tamen decentia, et interventu personae Eccles. *Sacra Congregat. Immunit. in Savanen. 8. Januarii 1695. lib. 1. Decret. Valleman. pag. 165.*

66 Religiosus invite directus a suis Superioribus ad alium Conventum, ob idque confugiens ad Ecclesiam, jussu Sacrae Congreg. extrahitur per Episcopum, servata forma, et consignatur suis Superioribus, cum cautione, ne illum puniant ob dictum confugium: *Sacr. Congreg. Immun. in Aversana 26. Januar. 1695. d. lib. pag. 169.*

67 Deinde habita informatione Episcopi super extractione Religiosi ab Ecclesia, qui subinde consignatus suis Superioribus, ab iis conjectus fuit in carcerem, injungitur Episcopo, ut faciat illum restitui Ecclesiae: *Sacra Congreg. Immun. in Neapolitana 19. Aprilis d. Anni, et lib. p. 184.*

Episcopus mandet restitui belluam executam a 68
Ministro Laicali, quae inserviebat Monachis N. praevia obligatione ab iisdem facienda de stando Juri, et judicatum solvendo: *Sacr. Cong. Immun. in Nornien. 30. Mart. d. Anni, et lib. pag. 180.*

Praevia restitutione, vel deposito summae im- 69
pensae in reaedificatione muri, et obligatione de stando Juri, et parendo Mandatis Sacrae Congregationis super aliis praetensionibus Canonicis, Episcopus absolvit nonnullos Religiosos: *Sac. Congreg. Immun. in Baren. 2. Jul. d. Anni pag. 197.*

Nuncio Apostolico injungitur, ut assistat Ab- 70
bati Generali Montis Virginis, ejusque consanguineis, ne vexentur a Ministris Regiis: *Sacra Congregat. Immunit. in Nullius Montis Virginis 9. Novembris 1603. lib. 1. Decret. Vallemani p. 85.*

Item, ut tueatur Priorem, et Monachos Camal- 71
dulenses: *Sacr. Congreg. Immun. in Beneventana 6. Mart. 1694. d. lib. pag. 507.*

In causa ejusdem Regularis extracti a loco im- 72
muni de mandato S. Congr. et conjecti in carceres Nunciaturae, Sacr. Congr. Episcop. et Regul. mense Aug. 1683. dedit Nuncio facultatem procedendi usque ad sententiam exclusive, frustra praetendentibus Regularibus procedere contra supradictum in vim Privilegiorum suae Religionis; postea Sacra Cong. Immunitatis decernit, ut, retento in carceribus Reo, procedat Tribunal Nunciaturae ad impinguationem processuum, quatenus opus sit, deinde, iis legitimatis, assignet defensiones, et transmittat: *Sacra Congreg. Immun. in Capuana, seu Neapolitana 12. Jul. 1689. lib. Decret. Martelli pag. 491.*

Praeterea, quatenus idem Regularis pertinaci- 73
ter respondere nolit sub praetextu, quod fuerit extractus ab Ecclesia, datur Nuncio facultas illum torquendi solum pro habenda responsione, non vero pro habenda Confessione delictorum: *Sacra Congreg. Immun. ibid.*

Deinde Sac. Congreg. sic decrevit cum Eminent. 74
Protectore, ut detrudatur in carcerem formalem alicujus Monasterii suae Religionis ad correctionem per triennium, et ultra, arbitrio ejusdem Eminent. *Sacra Congr. Immun. in eadem 16. Jan. 1691. lib. 1. Decret. Martelli pag. 717.*

Et cum supplicaret sibi commutari carcerem 75
Religionis in aliqua alia Religione, vel in carceribus quibuscumque Ecclesiasticis sub praetextu timoris contra propriam vitam: *Sacra Cong. respondit, In decisis, et amplius non proponatur. In eadem 31. Jul. d. Anni et lib. pag. 747.*

Tandem ad preces ejus Matris decrepitae, ejus- 76
dem ope indigentis, et habita attestatione Correligiosorum super illius emendatione, *Sacr. Cong. rescripsit; Pro gratia Eminent. Protectori. In ead. 23. Sept. 1692. lib. Decret. Grimald. pag. 197.*

Sacra Cong. praecipit Nuncio, ut quatenus non 77
adsit aliis causa, mandet excarcerari quosdam Re-

ligiosos detentos in carceribus Nunciaturae ob recursum ad Judices Laicos contra N. Canonicum, et ob destructionem muri ad eumdem pertinentis: *Sacr. Congr. Immun. in Baren.* 9. *Febr.* 1694. *lib.* 1. *Decr. Vallem. pag.* 104. *et seq.*

78 Item, ut procedat contra Superiores Congregationis, non obstante illorum appellatione ad Sanctissimum pro liberatione N. Canonici Suae Congregationis jussu suorum Superiorum carcerati per manus Laicorum in Coemeterio Cathedralis: *Sac. Congreg. Imm. in Vilnen.* 11. *Jan.* 1695. *d. lib. pag* 167.

79 A Sanctissimo, ex voto Sac. Congregationis, denuo conceditur D. Nuncio facultas prorogandi Jurisdictionem usque ad sententiam inclusive Judicis Eccles. ab eodem Nuncio pro fabricando processu jam deputati ex speciali Sanctissimi facultate contra Reguisrem praetensum Reum criminis laesae Majestatis, et veneficii, et cum Reus gauderet Immunitate, Sanctissimus pro hac vice derogavit Bullae Greg. XIV. attentis circumstantiis facti: *Sac. Congr. Imm. in Neapolitana* 7. *Sept.* 1734. *lib.* 2. *Decret. Pauluc. pag.* 199.

80 Nuncius de ordine Sacrae Congr. declarat Provincialem N. incurrisse in Excommunicationem Bullae Caenae ob delictum contra Libertatem Ecclesiasticam: *S. Congr. Immun. in Ulyssiponen.* 31. *Jul. seu* 1. *Aug.* 1691. *lib. Decret. Martelli pag.* 752.

81 Item Superiores Vilnen. contumaces privat Officiis, et declarat inhabiles ad alia in posterum obtinenda, et privat etiam voce activa, et passiva, nisi intra brevem terminum paruerint circa Censuras, et Interdicta: *Sacr. Congr. Immun. in Vilnen.* 16. *Novembr.* 1694. *lib.* 1. *Decr. Vall. pag.* 158.

Nuncio injungitur, ut mandet caritative tractari Religiosum ferris, et compedibus detentum in carceribus Nunciaturae extractum ab Ecclesia ob homicidium commissum: *S. Congr. Immun. in Neapolit.* 22. *Nov.* 1704. *lib.* 3. *Decr. Vallem. pag.* 629. 82

Datur Nuncio facultas absolvendi Regulares a Censuris juxta Decretum in Toletana 16. Januarii 1681. *Sacr. Congr. Immun. in Ulyssiponen.* 16. *Nov.* 1688. *lib. Decr. Martelli pag.* 373. *et seq.* 83

Item datur facultas eosdem dispensandi ab Irregularitate, praevia tamen eorum supplicatione eidem Nuncio, et renunciatione recursibus habitis ad Tribunal Laicum facienda per actum publicum registrandum in actis Nunciaturae: *Sac. Congr. Imm. ibid.* 84

Nuntio Hispano datur facultas absolvendi Abbatissam, aliasque personas excommunicatas ob complicitatem carcerationis Ministrorum Nunciaturae: *Sacr. Congr. Immun. in Toletana* 19. *Februar.* 1904. *lib.* 3. *Decr. Vallem. p.* 599. 85

Eidem datur facultas absolvendi Clericos Regulares Ministros infirmorum Provinciae Hispaniarum ob recursum ad Potestatem Laicam, etiam privatim, cum facultate subdelegandi, praevia tamen obligatione de se abstinendo a similibus: *Sac. Ceng. Imm. in Toletana* 17. *Mart.* 1704. *d. lib. p.* 565. 86

Alia ad rem; Vide verb. *Immunitas art.* 1. *a n.* 133. *ad* 137. et verb. *Regulares*, *art.* 1. *a n.* 89. *ad* 110. 87

REGULÆ CANCELLARIÆ

Vide verb. *Beneficia art.* 9. *et* 10. *per tot.*

REGULÆ JURIS CANONICI

Afferuntur Regulae Juris Canonici tenoris sequentis.

In 5. *Decretalium.*

Capitulum primum.

Non potest brevius summari. Jo. Chrysostomus.

1. Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.

Capitulum secundum.

Dubia in meliorem partem interpretari debent. Beda in Homiliis.

2. Estote misericordes etc. Hoc loco nihil aliud nobis praecipi aestimo, nisi ut ea facta, quae, dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur; quod enim scriptum est; Ex fructibus eorum cognoscetis eos; De manifestis dictum est, quae non possunt bono animo fieri, ut stuprum, blasphemiae, furta, ebrietates, et similia, de quibus nobis permittitur judicare.

Capitulum tertium.

Propter scandalum evitandum veritas non est omittenda. Idem.

3. Qui scandalizaverit etc. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.

Capitulum quartum.

Propter necessitatem illicitum efficitur licitum. Idem.

4. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam et Sabbatum custodiri praeceptum est: Macbabaei tamen sine culpa sua in Sabbate pugnant, et sic hodie si quis jejunium fregerit aegrotus, reus voti non habetur.

Capitulum quintum.

Illicite factum obligationem non inducit. Gregorius VII.

5. Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.

Capitulum sextum.

Tormenta, indiciis non praecedentibus, inferenda non sunt. Idem Vsriensi Episcopo.

6. Cum in contemplatione, *et infra.* In ipso causae initio non est a quaestionibus inchoandum.

Capitulum septimum.

Sacrilegus est offendens rem, vel personam Ecclesiasticam. Stephanus Papa.

7. Quae multoties; *et infra*: Quidquid in sacratis Deo rebus, et Episcopis injuste agitur, pro Sacrilegio reputatur, quia Sacra sunt, et a quoquam violari non debent.

Capitulum octavum.

Qui facit aliter, quam debet, facere non dicitur. Augustinus.

8. Qui ex timore facit praeceptum, aliter, quam debeat, facit, et ideo non facit.

Capitulum nonum.

Committens unum peccatum reus est omnium quoad vitam aeternam. Idem lib. de poenitent.

9. Defleat peccator, quia offendens in uno factus est omnium reus.

Capitulum decimum.

Ignorantia non excusat Praelatum in peccatis subditorum b. D. quoad mysticum, et moralem intellectum. Gregorius in Regesto.

10. Quamvis causae: et infra: Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et Pastor nescit.

Capitulum undecimum.

Pro spiritualibus homagium non praestatur. Lucius III.

11. Indignum est, et a Romanae Ecclesiae consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.

REGULÆ JURIS CANONICI

in 6. *Decretalium.*

Bonifacius Octavus.

1. Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione Canonica obtineri. *Idem.*

2. Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit. *Idem.*

3. Sine possessione praescriptio non procedit. *Idem.*

4. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. *Idem.*

5. Peccati venia non datur nisi correcto. *Idem.*

6. Nemo potest ad impossibile obligari. *Idem.*

7. Privilegium personam sequitur: extinguitur cum persona. *Idem.*

8. Semel malus semper praesumitur malus. *Id.*

9. Datum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. *Idem.*

10. Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari. *Idem.*

11. Cum sunt partium jura obscura, Reo favendum est potius, quam Actori. *Idem.*

12. In Judiciis non est acceptio personarum habenda. *Idem.*

13. Ignorantia facti, non juris excusat. *Idem.*

14. Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiae causam censetur habere. *Idem.*

15. Odia restringi, favores convenit ampliari. *Idem.*

16. Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum. *Idem.*

17. Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum. *Idem.*

18. Non confirmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. *Idem.*

19. Non est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet. *Idem.*

20. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur. *Idem.*

21. Quod semel placuit, amplius displicere non potest. *Idem.*

22. Non debet aliquis alterius odio praegravari. *Idem.*

23. Sine culpa (nisi subsit causa) non est aliquis puniendus. *Idem.*

24. Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse. *Idem.*

25. Mora sua cuilibet est nociva.

26. Ea, quae fiunt a Judice, si ad ejus non spectant Officium, viribus non subsistunt. *Idem.*

27. Scienti, et consentienti non fit injuria, neque dolus *Idem.*

28. Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. *Idem.*

29. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. *Idem.*

30. In obscuris minimum est sequendum. *Idem.*

31. Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet. *Idem.*

32. Non licet Actori, quod Reo licitum non existit. *Idem.*

33. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. *Idem.*

34. Generi per speciem derogatur. *Idem.*

35. Plus semper in se continet, quod est minus. *Idem.*

36. Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere. *Idem.*

37. Utile non debet per inutile vitiari. *Idem.*

38. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare. *Idem.*

39. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequuntur ex illo *Idem.*

40. Pluralis locutio duorum numero est contenta. *Idem.*

41. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum. *Idem.*

42. Accessorium naturam sequi congruit principalis. *Idem.*

43. Qui tacet, consentire videtur. *Idem.*

44. Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur. *Idem.*

45. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit. *Idem.*

46. Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit. *Idem.*

47. Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. *Idem.*

48. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. *Idem.*

49. In poenis benignior est interpretatio facienda. *Idem.*

50. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem. *Idem.*

51. Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum. *Idem.*

52. Non praestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. *Idem.*

53. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus. *Idem.*

54. Qui prior est tempore, prior est jure. *Idem.*

55. Qui sentit onus, sentire debet commodum, et econtra. *Idem.*

56. In re communi potior est conditio possidentis. *Idem.*

57. Contra eum, qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda. *Idem.*

58. Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum. *Idem.*

59. Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem. *Idem.*

60. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri. *Idem.*

61. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, *Idem.*

62. Nullus ex consilio (dummodo fraudulentum non fuerit) obligatur. *Idem*

63. Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri. *Idem.*

64. Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. *Idem.*

65. In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis. *Idem.*

66 Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset. *Idem.*

67. Quod alicui suo non licet, nomine nec alieno licebit. *Idem.*

68. Potest quis per alium, quod potest facere per se-ipsum *Idem.*

69. In malis promissis fidem non expedit observari. *Idem.*

70. In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri. *Idem.*

71. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum magis admittendus. *Idem.*

72. Qui facit per alium, est perinde, ac faciat per se ipsum. *Idem.*

73. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari. *Idem.*

74. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum. *Idem.*

75. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat. *Idem.*

76. Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare. *Idem.*

77. Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore. *Idem.*

78. In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa. *Idem.*

79. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. *Idem.*

80. In toto partem non est dubium contineri. *Idem.*

81. In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus. *Idem.*

82. Qui contra jura mercatur, bonam fidem praesumitur non habere. *Idem.*

83. Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur. *Idem.*

84. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. *Idem.*

85. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. *Idem.*

86. Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis, imputare *Idem.*

87. Infamibus portae non pateant Dignitatum. *Idem.*

88. Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem. *Idem.*

Data Romae apud S. Petrum quinto nonas Martii Pontificatus nostri anno quarto.

Alia, vide in additionibus ad hunc art.

REGULÆ JURIS CIVILIS

1. Paulus lib. 16. ad Plautium.

Regula est, quae rem, quae est, breviter enarrat: Non ut ex regula jus sumatur, sed ex jure quod est, regula fiat. Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur, et (ut ait Sabinus) quasi causae conjectio est, quae simul cum in aliqua vitiata est, perdit Officium suum.

2. Ulpianus lib. 1. ad Sabinum.

Feminae ab omnibus Officiis Civilibus, vel publicis remotae sunt, et ideo nec Judices esse possunt, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere.

3. Ibidem lib. 3. ad Sabinum.

Ejus est non nolle, qui potest velle.

4. Idem lib. 6. ad Sabinum.

Velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini.

5. Paulus lib. 2. ad Sabinum.

In negotiis contrahendis alia causa habita est furiosorum, alia eorum, qui fari possunt, quamvis actum rei non intelligerent; nam furiosus nullum negotium contrahere potest: pupillus omnia, tutore auctore, agere potest.

6. Ulpianus lib. 7. ad Sabinum.

Non vult heres esse, qui ad alium transferre voluit hereditatem.

7. Pomponius lib. 3. ad Sabinum.

Jus nostrum non patitur, eumdem in paganis et testato, et intestato decessisse, earumque rerum naturaliter inter se pugna est (testatus, et intestatus).

8. Idem lib. 4. ab Sabinum.

Jura sanguinis nullo jure civili dirimi possunt.

9. Ulpianus lib. 15. ad Sabinum.

Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.

10. Paulus lib. 3. ad Sabinum.

Secundum naturam est commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.

11. Pomponius lib. 5. ab Sabinum.

Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.

12. Paulus lib. 3. ab Sabinum.

In testamentis plenius voluntates testantium interpretantur.

13. Ulpianus lib. 10. ad Sabinum.

Non videtur cepisse, qui per exceptionem (a petitione) removetur.

14. Pomponius lib. 5. ad Sabinum.

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur.

15. Paulus lib. 4. ad Sabinum.

Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.

16. Ulpianus lib 21. ad Sabinum.

Imaginaria venditio non est pretio accedento.

17. Idem lib. 23. ab Sabinum.

Cum tempus in testamento adjicitur, credendum est pro herede adjectum, nisi alia mens fuerit testatoris; sicuti in stipulationibus promissoris gratia tempus adjicitur.

18. Pomponius lib. 6. ad Sabinum.

Quae legata, mortuis nobis, ad heredem nostrum transeunt, eorum commodum per nos his, quorum in potestate sumus, eodem casu adquirimus, aliter atque quod stipulati sumus: nam et sub conditione stipulantes, omnimodo eis adquirimus, etiamsi liberatis nobis potestate domini conditio existat.

Paulus.

Si filius familias sub conditione stipulatus, emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio, patri actio competit, quia in stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

19. Ulpianus lib. 24. ad Sabinum.

Qui cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus, heredi autem hoc imputari non potest, cum non sponte cum legatariis contrahit. §. 1. Non solet exceptio doli nocere his, quibus voluntas testatoris non refragatur.

20. Pomponius lib. 7. ad Sabinum.

Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit.

21. Ulpianus lib. 26. ad Sabinum.

Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.

22. Idem lib. 28. ad Sabinum.

In personam servilem nulla cadit obligatio. §. 1. Generaliter probandum est, ubicumque in bonae fidei Judiciis confertur in arbitrium Domini vel procuratoris ejus conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum esse.

23. Idem lib. 29. ad Sabinum.

Contractus quidam dolum malum dumtaxat recipiunt, quidam et dolum, et culpam: dolum tantum, depositum, precarium: dolum, et culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum: item Dotis datio, tutelae, negotiis gesta (in his quidem et diligentia requiritur): societas, et rerum communio, et dolum, et culpam recipit; sed haec ita, nisi si quid nominatim convenit, vel plus, vel minus, in singulis contractibus: nam hoc servabitur, quod initio convenit: legem enim contractus dedit, excepto eo, quod Celsus putat, non valere, si convenerit, ne dolus praestetur: hoc enim bonae fidei judicio contrarium est, et ita utimur. Animalium vero casus, mortes, quaeque sine culpa accidunt, fugae servorum, qui custodiri non solent, rapinae, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus praedonum a nullo praestantur.

24. Paulus lib. 5. ab Sabinum.

Quatenus cujusque intersit, in facto, non in jure consistit.

25. Pomponius lib. 11. ad Sabinum.

Plus cautionis in re est, quam in persona.

26. Ulpianus lib. 20. ad Sabinum.

Qui potest invitis alienare, multo magis et ignorantibus, et absentibus potest.

27. Pomponius lib. 16. ad Sabinum.

Neque ex Praetorio, nec ex solemni jure, privatorum conventione quicquam immutandum est; quamvis obligationum causae pactione possint immutari et ipso jure, et per pacti conventi exceptionem: quia actionum modus vel lege, vel per Praetorem introductus, privatorum pactionibus

non infirmatur: nisi tunc, cum inchoatur actio, inter eos convenit.

28. Ulpianus lib. 36. ad Sabinum.

Divus Pius rescripsit, eos, qui ex liberalitate conveniuntur, in id, quod facere possunt, condemnandos.

29. Paulus lib. 8. ad Sabinum.

Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.

30. Ulpianus lib. 36. ad Sabinum.

Nuptias non concubitus, sed consensus facit.

31. Idem lib. 42. ad Sabinum.

Verum est, neque pacta, neque stipulationes factum posse tollere: quod enim impossibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehendi, ut utilem actionem, aut factum efficere possit.

32. Idem lib. 43. ad Sabinum.

Quod attinet ad jus Civile, servi pro nullis habentur; non tamen et jure naturali, quia quod ad jus naturale attinet, omnes aequales sunt.

33. Pomponius lib. 22. ad Sabinum.

In eo, quod vel is, qui petit, vel is, a quo petitur, lucri facturus est, durior causa est petitoris.

34. Ulpianus lib. 45. ad Sabinum.

Semper in stipulationibus, et in ceteris contractibus id sequimur, quod actum est: aut si non appareat, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo, si neque regionis mos appareat, quia varius fuit? ad id quod minimum est, redigenda summa est.

35. Idem lib. 48. ad Sabinum.

Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est; ideo verborum obligatio verbis tollitur: nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur.

36. Pomponius lib. 27. ad Sabinum.

Culpa est, immiscere se rei ad se non pertinenti.

37. Ulpianus lib. 51. ad Sabinum.

Nemo, qui condemnare potest, absolvere non potest.

38. Pomponius lib. 29. ad Sabinum.

Sicuti poena ex delicto defuncti heres teneri non debet: ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum pervenisset.

39. Idem lib. 32. ad Sabinum.

In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora est, quominus fiat.

40. Idem lib. 34. ad Sabinum.

Furiosi, vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est.

41. Ulpianus lib. 26. ad Edictum.

Non debet Actori licere, quod Reo non permittitur §. 1. In re obscura melius est favere repetitioni, quam adventitio lucro.

42. Cajus lib. 9. ad Edictum provinc.

Qui in alterius locum succedunt, justam habent causam ignorantiae, an id, quod peteretur, deberetur. Fidejussores quoque non minus, quam heredes, justam ignorantiam possunt allegare. Haec ita de herede dicta sunt, si cum eo agatur: non etiam, si agat: nam plane qui agit certus esse debet, cum sit in potestate ejus quando velit, experiri: et ante debet rem diligenter explorare, et tunc ad agendum procedere.

43. Ulpianus lib. 20. ad Edictum.

Nemo ex iis, qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi Lex impediat. §. 1. Quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una tantum quis experiri debet.

44. Idem lib. 29. ad Edictum.

Totiens in heredem damus actionem de eo, quod ad eum pervenit, quotiens ex dolo defuncti convenitur: non quotiens ex suo.

45. Idem lib. 30. ad Edictum

Neque pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei suae consistere potest. §. 1. Privatorum conventio juri publico non derogat.

46. Cajus lib. 10. ad Edictum provinc.

Quod a quoquam poenae nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur.

47. Ulpianus lib. 30. ad Edictum.

Consilii non fraudulenti nulla obligatio est: ceterum si dolus, et calliditas intercessit, de dolo actio competit. §. 1. Socii mei Socius, meus socius non est.

48. Paulus lib. 35. ad Edictum.

Quidquid (in) calore iracundiae vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit judicium animi fuisse: ideoque brevi reversa uxor, nec divertisse videtur.

49. Ulpianus lib. 35. ad Edictum.

Alterius circumventio alii non praebet actionem.

50. Paulus lib. 39. ad Edictum.

Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest.

51. Cajus lib. 15. ad Edictum provinc.

Non videtur quisquam id capere, quod ei necesse est aliis restituere.

52. Ulpianus lib. 44. ad Edictum.

Non defendere videtur, non tantum qui latitat, sed et is, qui praesens negat se defendere, aut non vult suscipere actionem.

53. Paulus lib. 42. ad Edictum.

Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est.

54. Ulpianus lib. 46. ad Edictum.

Nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse haberet.

55. Cajus lib. 2. de Testamentis ad Edictum Urbicum.

Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur.

56. Idem lib. 3. de Legatis ad Edictum. Urbicum.

Semper in dubiis benigniora praeferenda sunt.

56. Idem lib. 18. ad Edictum Provinciale,

Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.

58. Ulpianus lib. 2. Disputationum.

Ex poenalibus causis non solet in patrem de peculio actio dari.

59. Idem lib. 3. Disputationum.

Heredem ejusdem potestatis, jurisque esse, cujus fuit defunctus constat.

60. Idem lib. 10. Disputationum.

Semper, qui non prohibet pro se intervenire, mandare creditur. Sed et si quis ratum habuerit, quod gestum est, obstringitur mandati actione.

61. Idem lib. 3. Opinion.

Domum suam reficere unicuique licet, dum non officiat invito alteri, in quo jus non habet.

62. Julianus lib. 6. Digestorum.

Haereditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit.

63. Idem lib. 17. Digestorum.

Qui sine dolo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere.

64. Idem lib. 29. Digestorum.

Ea, quae raro accidunt, non temere (in) agendis negotiis computantur.

65. Idem lib. 54. Digestorum.

Ea est natura cavillationis, quam Graeci σόφισμα appellant, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quae evidenter falsa sunt, perducatur.

66. Idem lib. 60. Digestorum.

Marcellus ait: desinit debitor esse is, qui nactus est exceptionem justam, nec ab aequitate naturali abhorrentem.

67. Idem lib. 87. Digestorum.

Quotiens idem sermo duas sententias exprimit: ea potissimum excipiatur, quae rei gerendae aptior est.

68. Paulus lib. sing. de Dotis repet.

In omnibus causis id observatur, ut, ubi personae conditio locum facit beneficio, ibi, deficiente ea, beneficium quoque deficiat; ubi vero genus actionis id desiderat, ibi, ad quemvis persecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilii.

69. Idem lib. sing. de adsign. libert.

Invito beneficium non datur.

70. Ulpianus lib. 1. de Officio Procons.

Nemo potest gladii potestatem sibi datam, vel cujusvis alterius coercitionis, ad alium transferre.

71. Idem lib. 2. de Officio Procons.

Omnia, quaecumque causae cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt.

72. Javolenus lib. 3. ex poster. Lab.

Fructus rei est vel pignori dare licere.

63. Quintus Mucius Scaevola lib. singul.

ὀζῶν

Quo tutela redit, eo hereditas pervenit, nisi cum feminae heredes intercedunt. §. 1. Nemo potest tutorem dare cuiquam, nisi ei, quem in suis heredibus, cum moritur, habuit, habiturusve esset, si vixisset. §. 2. Vi factum id videtur esse, quod quis, cum prohiberetur, fecit: clam, quod quisque, cum controversiam haberet, habiturumve se putaret, fecit. §. 3. Quae in testamento ita sunt scripta, ut intelligi non possint, perinde sunt, ac si scripta non essent. §. 4. Nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest.

74. Papinianus lib. 1. Quaest.

Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

75. Idem lib. 3. Quaestionum.

Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam.

76. Idem lib. 24. Quaestionum.

In totum omnia, quae animi destinatione agenda sunt, nonnisi vera, et certa scientia perfici possunt.

77. Idem lib. 28. Quaestionum.

Actus legitimi, qui recipiunt diem, vel conditionem, veluti mancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, servi optio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis, vel conditionis adjectionem: nonnumquam tamen actus suprascripti tacite recipiunt, quae aperte comprehensa vitium adferunt: nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit, ita demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur, si obligationis conditio extiterit: quae si verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.

78. Idem lib. 31. Quaestionum.

Generaliter cum de fraude disputatur, non quid habeat Actor, sed quid per adversarium habere non potuerit, considerandum est.

79. Idem lib. 32. Quaestionum.

Fraudis interpretatio semper in jure Civili, non ex eventu dumtaxat, sed ex consilio quoque desideratur.

80. Idem lib. 33. Quaestionum.

In toto jure generi per speciem derogatur, et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.

81. Idem lib. 3. Responsorum.

Quae dubitationis tollendae causa contractibus inseruntur, jus commune non laedunt.

82. Idem lib. 9. Responsorum.

Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur.

83. Idem lib. 2. Definitionum.

Non videntur rem amittere, quibus propria non fuit.

84. Paulus lib. 3. Quaestionum.

Cum amplius solutum est, quam debebatur, cujus pars non invenitur, quae repeti possit, totum esse indebitum intelligitur, manente pristina obligatione. §. 1. Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus.

85. Idem lib. 6. Quaestionum.

In ambiguis pro Dotibus respondere melius est. §. 1. Non est novum, ut quae semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, a quo initium capere non potuerunt. §. 2. Quotiens

aequitatem desiderii naturalis ratio, aut dubitatio juris moratur, justis decretis res temperanda est.

86. Idem lib. 7. Quaestionum.

Non solet deterior conditio fieri eorum, qui litem contestati sunt, quam si non essent: sed plerumque melior.

87. Idem lib. 13 Quaestionum.

Nemo enim in persequendo, deteriorem causam, sed meliorem facit. Denique post litem contestatam heredi quoque prospicitur, et heres tenetur ex omnibus causis.

88. Scaevola lib. 5. Quaestionum.

Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est.

89. Paulus lib. 10. Quaestionum.

Quamdiu possit valere testamentum, tamdiu legitimus heres non admittitur.

90. Idem lib. 15. Quaestionum.

In omnibus quidem, maxime tamen in jure, aequitas spectanda est.

91. Idem lib. 17. Quaestionum.

Quotiens duplici jure defertur alicui successio: repudiato novo jure, quod ante defertur, supererit vetus.

92. Scaevola lib. 5. Responsorum.

Si librarius in transcribendis stipulationis verbis errasset, nihil nocere, quominus et reus, et fidejussor teneantur.

93. Marcianus lib. 1. Fideicommissorum.

Filius familias neque retinere, neque recuperare, neque adipisci possessionem rei peculiaris videtur.

94. Ulpianus lib. 2. Fideicommiss.

Non solent, quae abundant, vitiare scripturas.

95. Idem lib. 6. Fideicommiss.

Nemo dubitat, solvendo videri eum, qui defenditur.

96. Marcianus lib. 12. Fideicommiss.

In ambiguis orationibus maxime sententia spectanda (est) ejus, qui eas protulisset.

97. Hermogenianus lib. 3. juris Epitomarum.

Ea sola deportationis sententia aufert, quae ad fiscum perveniunt.

98. Idem lib. 4. juris Epitomarum.

Quotiens utriusque causa lucri ratio vertitur, is praeferendus est, cujus in lucro causa tempore praecedit.

99. Venulejus lib. 12. Stipulationum.

Non potest improbus videri, qui ignorat, quantum solvere debeat.

100. Cajus lib. 1. Regularum.

Omnia, quae jure contrahuntur, contrario jure pereunt.

101. Paulus lib. sing. de Cognit.

Ubi lex duorum mensium fecit mentionem, et qui sexagesimo, et primo die venerit, audiendus est; ita enim Imperator Antoninus cum Divo Patre suo rescripsit.

102. Ulpianus lib. 1. ad Edictum.

Qui vetante Praetore fecit, hic adversum Edictum fecisse proprie dicitur. §. 1. Ejus est actionem denegare, qui possit et dare.

103. Paulus lib. 1. ad Edictum.

Nemo de Domo sua extrahi debet.

104. Ulpianus lib. 2. ad Edictum.

Si in duabus actionibus alibi summa major, alibi infamia est, praeponenda est causa existimationis. Ubi autem aequiparantur famosa judicia, et si summam imparem habent, pro paribus accipienda sunt.

105. Paulus lib. 1. ad Edictum.

Ubicumque causae cognitio est, ibi Praetor desideratur,

106. Idem lib. 2. ad edictum.

Libertas inaestimabilis res est.

107. Cajus lib. 1. ad Edictum provinc.

Cum servo nulla actio est.

108. Paulus lib. 4. ad Edictum.

Fere in omnibus poenalibus Judiciis, et aetati, et imprudentiae succurritur.

109. Idem lib. 5. ad Edictum.

Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere (non potest).

110. Idem lib. 6. ad Edictum.

In eo quod plus sit, semper inest et minus. §. 1. Nemo alienae rei expromissor idoneus videtur, nisi cum satisdatione. §. 2. Pupillus pati posse non intelligitur. §. 3. Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. §. 4. Mulieribus tunc succurrendum est, cum defraudantur, non ut facilius calumnientur.

111. Cajus lib. 2. ad Edictum provinc.

Pupillum, qui proximus pubertati sit, capacem esse, et furandi, et injuriae faciendae. §. 1. In heredem non solent actiones transire, quae poenales sunt ex maleficio, veluti furti, damni, injuriae, vi bonorum raptorum, injuriarum.

112. Paulus lib. 8. ad Edictum.

Nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

112. Cajus lib. 3. ad Edictum provinc.

In toto et pars continetur.

114. Paulus lib. 9. ad Edictum.

In obscuris inspici solet, quod visimilius est, aut quod plerumque fieri solet.

115. Idem lib. 10. ad Edictum.

Si quis obligatione liberatus sit, potest videri accepisse. §. 1. Non potest videri accepisse, qui stipulatus potest exceptione submoveri.

116. Ulpianus lib. 11. ad Edictum.

Nihil consensui tam contrarium est, qui et bonae fidei Judicia sustinet, quam vis, atque metus: quem comprobare, contra bonos mores est. §. 1. Non capitur, qui jus publicum sequitur. §. 2. Non videntur, qui errant, consentire.

117. Paulus lib. 12. ad Edictum.

Praetor bonorum possessorem heredis loco in omni causa habet.

118. Ulpianus lib. 12. ad Edictum.

Qui in servitute est, usucapere non potest: nam, cum possideatur, possidere non videtur.

119. Idem lib. 13. ad Edictum.

Non alienat. qui dumtaxat omittit possessinnem.

120. Paulus lib. 12. ad Edictum.

Nemo plus commodi heredi suo relinquit, quam ipse habuit.

121 Paulus lib. 13. ad Edictum.

Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quia non facit. Et qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere jussus est.

122. Cajus lib. 5. ad Edictum provinc.

Libertas omnibus rebus favorabilior est.

123. Ulpianus lib. 14. ad Edictum.

Nemo alieno nomine Lege agere potest. §. 1. Temporaria permutatio jus provinciae non innovat.

124. Paulus lib. 16. ad Edictum.

Ubi non voce, sed praesentia opus est, mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo: hic quidem (et) respondere potest. §. 1. Furiosus absentis loco est: et ita Pomponius lib. 1. Epistolarum scribit.

125. Cajus lib. 5. ad Edictum provinc.

Favorabiliores rei potius, quam actores habentur.

126. Ulpianus lib. 15. ad Edictum.

Nemo praedo est, qui pretium numeravit. §. 1. Locupletior non est factus, qui libertum adquisierit. §. 2. Cum de lucro duorum quaeratur, melior est causa possidentis.

127. Paulus lib. 20. ad Edictum.

Cum Praetor in Heredem dat actionem, quatenus ad eum pervenit, sufficit, si vel momento ad eum pervenit ex dolo Defuncti.

129. Idem lib. 19. ad Edictum.

In pari causa possessor potior haberi debet. §. 1. Hi, qui in universum jus succedunt, heredis loco habentur.

129. Idem lib. 21. ad Edictum.

Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit. §. 1. Cum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quae sequuntur, locum habent.

130. Ulpianus lib. 18. ad Edictum.

Nunquam actiones, praesertim poenales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

131. Paulus lib. 12. ad Edictum.

Qui dolo desierit possidere, pro possidente damnatur: quia pro possessione dolus est.

132. Cajus lib. 7. ad Edictum provinc.

Imperitia culpae adnumeratur.

143. Idem lib. 8. ad Edictum provinc.

Melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest.

134. Ulpianus lib. 21. ad Edictum.

Non fraudantur Creditores, cum quid non adquiritur a debitore; sed cum quid de bonis deminuitur. §. 1. Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.

135. Idem lib. 25. ad Edictum.

Ea, quae dari impossibilia sunt, vel quae in rerum natura non sunt, pro non adjectis habentur.

136. Paulus lib. 18. ad Edictum.

Bona fides tantundem possidenti praestat, quantum veritas, quotiens Lex impedimento non est.

137. Ulpianus lib. 25. ad Edictum.

Qui Auctore Judice comparavit, bonae fidei possessor est.

138. Paulus lib. 27. ad Edictum.

Omnis haereditas, quamvis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. §. 1. Nunquam crescit ex post facto praeteriti delicti aestimatio.

139. Cajus lib. ad Edictum Praet. Urb.

Omnes actiones, quae morte, aut tempore pereunt, semel inclusae Judicio salvae permanent. §. 1. Non videtur perfecte cujusque id esse, quod ex casu auferri potest.

140. Ulpianus lib. 60. ad Edictum.

Absentia ejus, qui Reipublicae causa abest, neque ei, neque alii damnosa esse debet.

141. Paulus lib. 54. ad Edictum.

Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentiæ. §. 1. Uni duo pro solido heredes esse non possunt.

142. Idem lib. 56. ad Edictum.

Qui tacet, non utique fatetur; sed tamen verum est, eum non negare.

143. Ulpianus lib. 62. ad Edictum.

Quod ipsis, qui contraxerunt, obstat: et successoribus eorum obstabit.

144. Paulus lib. 62. ad Edictum.

Non omne, quod licet, honestum est. §. 1. In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

145. Ulpianus lib. 66. ad Edictum.

Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, ac consentiunt.

146. Paulus lib. 62. ad Edictum.

Quod quis, dum servus est, egit, proficere, libero facto, non potest.

147. Cajus lib. 24. ad edictum provinc.

Semper specialia Generalibus insunt.

148. Paulus lib. 16. brevis Edicti.

Cujus effectus omnibus prodest, ejus et partes ad omnes pertinent.

149. Ulpianus lib. 37. ad Edictum.

Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum praestare debet.

150. Idem lib. 68. ad Edictum.

Parem esse conditionem oportet ejus, qui quid possideat, vel habeat, atque ejus, cujus dolo malo factum sit, quo minus possideret, vel haberet.

151. Paulus lib. 64. ad Edictum.

Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet.

152. Ulpianus lib. 59. ad Edictum.

Hoc jure utimur, ut quidquid omnino per vim fiat, aut in vis publicae, aut (in vis) privatae cri-

men incidat. §. 1. Deficit, et qui mandat. §. 2. In maleficio ratihabitio mandato comparatur. §. 3. In contractibus, quibus doli praestatio, vel bona fides inest, heres in solidum tenetur.

153. Paulus lib. 65. ad Edictum.

Fere quibuscumque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus. Ut igitur nulla possessio adquiri, nisi animo, et corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum sit.

154. Ulpianus lib. 70. ad Edictum.

Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, et melior habetur possessoris causa, sicut fit, cum de dolo excipitur petitoria, neque enim datur talis replicatio petitoris: *Aut si rei quoque in ea re dolo actum sit.* §. 1. Illi debet permitti poenam petere, qui in ipsam non incidit.

155. Paulus lib. 65. ad Edictum.

Factum cuique suum, non adversario nocere debet. §. 1. Non videtur vim facere, qui suo jure utitur, et Ordinaria actione experitur. §. 2. In poenalibus causis benignius interpretandum est.

156. Ulpianus lib. 70. ad Edictum.

Invitus nemo (rem) cogitur defendere. §. 1. Cui damus actiones, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit. §. 2. Cum quis in alicujus locum successerit, non est aequum, ei nocere hoc, quod adversus eum nocuit, in cujus locum successit. §. 3. Plerumque emptoris eadem causa esse debet circa petendum, ac defendendum quae fuit actoris §. 4. Quod cuique (pro eo) praestatur, invito non tribuitur.

157. Idem lib. 71. ad Edictum.

Ad ea, quae non habent atrocitatem facinoris, vel sceleris, in his ignoscitur servis, si vel Dominis, vel his, qui vice Dominorum sunt (veluti tutoribus, et Curatoribus) obtemperaverint. §. 1. Semper qui dolo fecit, quominus haberet, pro eo habendus est, ac si haberet. §. 2. In contractibus successores ex dolo eorum (quibus) successerunt, non tantum in id, quod pervenit, verum etiam in solidum tenentur, hoc est, unusquisque pro ea parte, qua haeres est.

158. Cajus lib. 26. ad Edict. Prov.

Creditor, qui permittit rem venire, pignus dimittit.

159. Paulus lib. 7. ad Edictum.

Non ut ex pluribus causis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus causis idem potest et nostrum esse.

160. Ulpianus lib. 76. ad Edictum.

Aliud est vendere, aliud vendenti consentire. §. 1. Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem §. 2. Absurdum est, plus juris habere (eum) cui legatus sit fundus, quam haeredem, aut ipsum testatorem, si viveret.

161. Idem lib. 77. ad Edictum.

In Jure Civili receptum est, quotiens per eum, cujus interest, conditionem non impleri, fiat quominus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset, quod ad libertatem, et legata, et ad haeredum Institutiones producitur, quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cum per promissorem factum esset, quo minus stipulator conditioni pareret.

162. Paulus lib. 70. ad Edictum.

Quae propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.

163. Ulpianus lib. 55. ad Edictum.

Cujus est donandi, eidem et vendendi, et concedendi jus est.

164. Paulus lib. 5. ad Edictum.

Poenalia Judicia semel accepta in heredes transmitti possunt.

165 Ulpianus lib. 55. ad Edictum.

Cum quis possit alienare, poterit, et consentire alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec si donationis causa consenserit, ratam ejus voluntatem habendam.

166. Paulus lib. 48. ad Edictum.

Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.

167. Idem lib. 49. ad Edictum.

Non videntur data, quae eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt §. 1. Qui jussu Judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, qui parere necesse habet.

168. Idem lib. 1. ad Plautium.

Rapienda occasio est, quae praebet benignius responsum. §. 1. Quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cujusque capit interpretationem.

169. Idem lib. 2. ad Plautium.

Is damnum dat, qui jubet dare; ejus vero nulla culpa est, cui parere necesse sit. §. 1. Quod pendet, non est pro eo, quasi sit.

170. Idem lib. 3. ad Plautium.

Factum a Judice, quod ad Officium ejus non pertinet, ratum non est.

171. Idem lib. 4. ad Plautium.

Nemo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio, quod praestiterit.

172. Idem lib. 5. ad Plautium.

In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. §. 1. Ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit

173. Idem lib. 6. ad Plautium.

In condemnatione personarum, quae in id, quod facere possunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est, sed et ipsarum ratio habenda est, ne egeant. §. 1. Cum verbum *restituas* in lege invenitur, et si non specialiter de Fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi. §. 2. Unicuique sua mora nocet: quod et in duobus reis promittendi observatur. §. 3. Dolo facit, qui petit, quod redditurus est.

174. Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur. §. 1. Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest.

175. Idem lib. 11. ad Plautium.

In his, quae Officium per liberas fieri personas leges desiderant, servus intervenire non potest. §. 1. Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo jus in me transit.

176. Idem lib. 13. ad Plautium.

Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. §. Infinita aestimatio est libertatis, et necessitudinis.

177. Idem lib. 14. ad Plautium.

Qui in jus, dominiumve alterius succedit, jure ejus uti debet. §. 1. Nemo videtur dolo exequi, qui ignorat causam, cur non debeat petere.

178. Idem lib. 15. ad Plautium.

Cum principalis causa non consistat, plerumque ne ea quidem, quae sequuntur, locum habent.

179. Idem lib. 16. ad Plautium.

In obscura voluntate manumittentis favendum est libertati.

180. Idem lib. 17. ad Plautium.

Quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset.

181. Idem lib. 1. ad Vitellium.

Si nemo subiit hereditatem, omnis vis testamenti solvitur.

182. Idem lib. 3. ad Vitellium

Quod nullius esse potest, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.

183. Marcellus lib. 3. Digestorum.

Etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus: tamen ubi aequitas evidens possit, subveniendum est.

184. Celsus lib. 7. Digestorum.

Vani timoris justa excusatio non est.

185. Idem lib. 8. Digestorum.

Impossibilium nulla obligatio est.

186. Idem lib. 12. Digestorum.

Nihil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolvi possit. Et cum solvendi tempus obligationi additur, nisi eo praeterito, peti non potest.

187. Idem lib. 16. Digertorum.

Si quis praegnantem uxorem reliquit, non videtur sine liberis decessisse.

188. Idem lib. 17. Digestorum.

Ubi pugnantia inter se in Testamento inveniuntur, neutrum ratum esse. §. 1. Quae rerum natura probibentur, nulla lege confirmata sunt.

189. Idem lib. 13. Digestorum.

Pupillus nec velle, nec nolle in ea aetate, nisi apposita tutoris auctoritate, creditur: nam quod animi judicio fit, in eo tutoris auctoritas necessaria est.

190. Idem lib. 24. Digestorum.

Quod evincitur, in bonis non est.

191. Idem lib. 33. Digestorum.

Neratius consultus, an, quod beneficium dare se quasi viventi Caesar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur: Respondit, non videri sibi Principem, quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse: quem tamen modum esse beneficii sui vellet, ipsius aestimationem esse.

192. Marcellus lib. 29. Digestorum.

Ea, quae in partes dividi non possunt, solida a singulis heredibus debentur. §. 1. In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius.

193. Celsus lib. 38. Digestorum.

Omnia fere jura heredum perinde habentur, ac si continuo sub tempus mortis heredes extitissent.

194. Modestinus lib. 6. Differentiarum.

Qui per successionem, quamvis longissimam, Defuncto heredes extiterunt, non minus heredes intelliguntur, quam qui principaliter heredes existunt.

195. Idem lib. 7. Differentiarum.

Expressa nocent, non expressa non nocent.

196. Idem lib. 8 Regularum.

Privilegia quaedam causae sunt, quaedam personae: et ideo quaedam ad heredem transmittuntur, quae causae sunt; quae personae sunt ad heredem non transeunt.

197. Idem lib. sing. de ritu nuptiarum.

Semper in conjunctionibus non solum quid liceat considerandum est, sed et quid honestum sit.

198. Javolenus lib. 13. ex Cassio.

Neque in interdicto, neque in caeteris causis pupillo nocere oportet dolum Tutoris, sive solvendo est, sive solvendo non est.

199. Idem lib. 6. Epistolarum.

Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit.

200. Idem lib. 7. Epistolarum.

Quotiens nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod minimum habeat iniquitatis.

201. Idem lib. 10. Epistolarum.

Omnia, quae ex testamento proficiscuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quoque sine vitio coeperint.

202. Idem lib. 11. Epistolarum.

Omnis definitio, jure Civili, periculosa est: parum est enim, ut non subverti possit.

203. Pomponius lib. 8. ad Quint. Muc.

Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.

104. Idem lib. 28. ad Quint. Muc.

Minus, est actionem habere, quam rem.

205. Idem lib. 39. ad Quint. Muc.

Plerumque fit, ut etiam ea, quae a nobis abire possint, perinde in eodem statu sint, atque si non essent ejus conditionis, ut abire possent: et ideo quod fisco obligamus, et vindicare interdum, et alienare, et servitutem (in) praedio imponere possumus.

206. Idem lib. 9. ex variis Lectionibus.

Jure naturae aequum est neminem cum alterius detrimento, et injuria fieri locupletiorem.

207. Ulpianus lib. 1. ad Leg. Jul. et Pap.

Res Judicata pro veritate accipitur.
208. Paulus lib. 3. Jul. et Pap.
Non potest videri desiisse habere, qui nunquam habuit.
209. Ulpianus lib. 4. ad Leg. Jul. et Pap.
Servitutem mortalitati fere comparamus.
210. Lucius Rufinus lib. 2 Reg.
Quae ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto convalescere non post.
211. Paulus. lib. 59 ad Edictum.
Servus Reipublicae causa abesse non potest.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

1 Hoc articulo satis est eos indicare, qui interpretati sunt tum Regulas Juris Canonici, tum Regulas Juris civilis. Exposueruot Regulas Juris Canonici inter alios *Canisius*, *Peckius*, *Nidus*, *Reiffenstuel*, *Scorremberg*. Optimae vero sunt praelectiones *Joannis Brunemanni* in hasce Juris Canonici Regulas.

2 Regulas Juris Civilis, ut antiquiores praetereamus, commentariis illustrarunt *Calvinus*, *Revardus*, *Petrus Faber*, *Bronchorst*, *Giphanius*, *Hoenius*, *Ludovelius*, *Wisembachius*, *Gunzelius*, *Mullerus*, et qui caeteris est praeferendus *Jacobus Gothofredus*.

3 Ad rectum vero usum Regularum Juris ob oculos semper habenda sunt verba illa *Pauli in L.* 1. *ff. de Regul. Jur. non ex Regula jus sumatur, sed ex jure, quod est, Regula fiat;* Tametsi enim maxime justae Regulae sint, tamen eo usque suo valere momento debent, ut illico quarumlibet causarum, casuumque promiscue decisio exinde peti 4
possit. Sed ea juris pars, materia, articulus, species, subjectum, sic ut dicam, genus tandem proprium liquido teneri debet, sic ut ad suam juris speciem Regula restringatur. Et si quando aptan- 5
da ea videatur ad propositam aliquam juris quaestionem, seu controversiam, illud attendatur, num omnes circumstantiae qualitates in casu proposito concurrant, ad quem, et cujus causa Regula semel confecta fuit. Et hoc est: *Non esse jus sumendum ex Regula, sed ex jure quod est, Regulam* fieri.

Facilius vero est recte ad praecedens monitum 6
uti Regulis Juris Civilis. Ea enim, licet seorsim collocatae sint in ultimo titulo libri ultimi Pandectarum; tamen desumptae sunt ex variis Jurisconsultorum libris. Ope propterea conjunctionis *Inscriptionum* facile est invenire loca, unde sunt desumptae, et sic nosse genus proprium cujusque Regulae, sine quo rectus ejus usus fieri nequit. Et hoc modo *Jacobus Gothofredus* in interpretatione harum Regularum caeteros superavit. At Regulae Juris Canonici non sunt desumptae ex Decretalibus Summorum Pontificum. Quocirca teneri nequit genus proprium ipsarum, quod tanti est momenti in recta applicatione Regularum juris.

RELIGIO NATURALIS ET REVELATA

NOVUS ARTICULUS EX ALIENA MANU.

1 In articulo de Pantheismo alterum de Religione naturali et revelata promisimus, in quo Atheorum, ac Deistarum errores fusius exponerentur, ac expositi confutarentur. Ut autem Lectori satisfaciamus, et apta methodo procedamus, hunc Articulum quatuor in capita distribuemus: In primo de utilitate, necessitate, ac divinae Religione origine agemus: in altero Naturalem Religionem existere adversus Atheos, et et Deistas nonnullos demonstrabimus: in tertio de possibilitate, convenientia, necessitate, atque existentia divinae Revelationis contra alios Deistas tractabimus; et quoniam nulla unquam gens fuit, quae Religionem, quam haberet, Deo non referret acceptam: in quarto capite certos atque perspicuos characteres exponemus, et demonstrabimus, quibus vera religio a falsa secernatur; atque hos in sola Christi religione reperiri, ostendemus.

CAPUT PRIMUM.

De utilitate, necessitate, et origine Religionis.

Religio Ciceroni a *relegendo*. Lactantio, et Au- 2
gustino a *religando*, aliis vero a *re*, *et eligendo* dicta est. Expensis omnibus religionis muneribus, omnes has originationes probat Angelicus Doctor; quia actus, quos religio praescribit, frequenter in corde repetendi, ac veluti relegendi sunt; quia per religionem, quodam pietatis vinculo Deo adstringimur, et religamur; et quia religionis usu, quod negligenter amisimus, iterum eligimus. Religio revelata dicitur ea, quam Deus hominibus per externam revelationem demonstravit. Naturalem vero religionem vocamus illam, quam Natura per usum rationis suggerit, atque inculcat. Atque haec ita definiri potest. « Virtus, qua homo ex humanae, et divinae naturae consideratione obligatum, ac propensum se sentiat ad debitum Deo honorem, cultumque exhibendum per officia a divina Providentia rectae rationis usu praescripta, spe

praemiorum, metuque alterius vitae suppliciorum ». Definitio haec apta, ac satis perspicua videtur, sed clarior fiet, dum in secundo capite singulas ipsius partes demonstrabimus.

Primum caput in duas dividimus partes; In prima parte confutabimus Epicureos, Cardanum, Hobbesium, atque Bailium, qui religionem privatis hominibus, ac humano generi noxiam, et inimicam esse asseruerunt; atque inter hos Bailius eo devenit, ut eam, ne quidem Societati civili, atque Reipublicae utilem esse existimaverit. In altera vero parte de religionis origine agemus contra duplex Atheorum genus; eorum scilicet, qui cum Sysipho apud Critiam, ut refert Sextus Empiricus *lib.* 6. *contra Physicos*, religionem a callidis legum latoribus excogitatam asserunt, ut efferatos homines metu Numinis in officio continerent; et eorum, qui ajunt, homines ignorantia ductos supremam invisibilem omnium rerum causam primum finxisse, metu deinde perterritos ex insolitis phaenomenis terrorem excitantibus, adorare eam, et colere coepisse; atque callidos demum legum latores, praemia, poenasque alterius vitae confinxisse.

Pars prima.

De utilitate, ac necessitate Religionis.

3 Ut melius intelligatur, quae commoda, ac bona sint, quae religio hominibus affert, notandum duximus, hominem in triplici statu considerari posse; nam vel solus concipitur, vel cum hominibus pari auctoritate pollentibus, vel ut Principi, sive Magistratibus subest. Primus dicitur status solitarius, in quo homo propriae conservationis, ac solius corporis, animique sui curam gerit; Alter est status Societatis naturalis, in quo homo natura ipsa duce societatem cum aliis ineat hominibus, in qua sola naturae dictata sequatur; Tertius vero status est societatis civilis, quam homines per conventiones, et pacta illa inierunt, quibus se obligarunt ad leges eorum exequendas, qui civitati, vel reipublicae praesunt, ac leges ferunt, aliaque constituunt, et jubent, quae ad commune bonum expedire videantur. Si unus praesit, reipublicae status monarchicus dicitur; Si soli Optimates, Aristocraticus; Si omnes Patresfamilias, Democraticus; Mixtus denique, si cura reipublicae, vel penes Principem simul sit, et Optimates, vel penes hos, et Populi Electos simul, quemadmodum in Anglia, ac in Romana olim republica sub Regibus fuit. His praemissis, sit

Propositio prima.

Religio singulis hominibus, et naturali eorumdem Societati maxime utilis est.

4 Dem. prima pars. Utile homini est quidquid eum perficit, atque ad beatam vitam agendam ducit. Nam homo, ut res quaelibet, ad perfectionem tendit, et felicitatem maxime expetit; Religio vero ad perficiendum hominem, ut beatam vitam agat, plurimum confert: Nam Religione monemur Deum parentem optimum, beneficentissimum, potentissimum, ac infinita sapientem, vitae, corporisque nostri Dominum esse, qui praecipit, ut vitam servemus, eaque adhibeamus, quibus perfici corpus, animusque possit, aut virtutum, morumque praecepta praescribit, quae ad ea servanda, tum fiducia ipsius in dubiis, et adversis praesidii, tum jucunda bonorum alterius vitae expectatione, allicit, atque aeternorum suppliciorum metu quodammodo impellit. Quae cum ita se habeant, quis non videt, Religionem per optimi parentis amorem, quem excitat, et per praecepta, quibus nostri conservationem, ac virtutem procurare jubet, in perfectionem nos inclinare, per supremum censorem, quem repraesentat, ad eumdem nos incitare, per spem, quam affert supremi illius praesidii in adversis, et aeternorum bonorum, allicere; ac demum per suppliciorum metum fortius ad perfectionem, et virtutem impellere?

Si Religio valida haec virtutem incitamenta praebet; ergo ad beatam vitam agendam maxime utilis est. Nam praeter quam quod, Epicuro quoque fatente, sine virtute felices esse non possumus, explorata res est, sola nos virtute affectus regere, et moderari, ac eorum cohibere impetus quibus turbamur, ac miserrimi sumus: solam virtutem securitatem conscientiae parere, quae remorsus, atque internos conscientiae laniatus excludat, quaeque jucundam delectationem afferat, atque hanc solam esse, quae de omnium hominum approbatione, quam enixe cupimus, securos nos reddit.

Dem. altera pars. Bonum maximum, quod homines in naturali societate exoptant, est pax, ac tranquillitas illa, quae ex securitate oritur, qua quisque persuasus sit ab aliis hominibus amari, atque ex iis neminem ipsi futurum molestum, sed omnes ad benefaciendum esse paratos. Haec felicitas est, quam in societate sperare homines possint. Quis vero non videt, ex sola Religione bona haec sperare homines posse? Sola enim haec est, qua homines sese obligari credunt ad mutuum amorem, et ad aliis non facienda, quae sibi fieri nolint; Idque ex praecepto supremi potentissimi Numinis, quod omnia videt, quodque infallibili auctoritate sua praecepta servantibus immensa bona spondet, violantibus vero aeterna demonstrat supplicia. Haec vero plurimum possunt ad securitatem conciliandam, qua felicitas constat. Tolle Religionem in statu naturali, nulla homines se obstringi lege putarent ad alios amandos, pacta servanda etc. sed quisque sola utilitate, ac voluptate moveretur. Ubi tum securitas esset? Quis non metueret, ne homines datam fidem infringerent, ne bona propria subriperent, ac vitae etiam insidiarentur, dum voluptati, aut utili optato bono 5

6

impedimento esset? Tunc enim homo homini inimicus, ac lupus esset, ut naturalem ipsius statum, sublata Religione, descripsit Hobbesius. Ergo sine Religione homo in statu naturali quacumque bellua miserior esset, ut est manifestum. Est ergo.

7 Opponunt duo sophismata. Primum ajunt, Religionem homini inimicam, et noxiam esse, quia summam ei felicitatem adimit in eo positam ut voluptate liberrime fruatur; Deinde anxiam alterius vitae sollicitudinem secum ferre, ac metum superni Censoris omnia videntis, et aeterna minitantis supplicia; Qui motus, cum perpetuo homines cruciet, miserrimos facit. Addit Bailius, hanc ex corrupto, ac malo humanae naturae fomite prodire, ideoque nonnisi malam esse posse.

8 Haec sunt superborum nominum praecipua adversus totius humani generis persuasiunem argumenta, sibilis potius, quam responsione digna. Nam, ut incipiam a primo, Religio non solum timorem inculcat, sed etiam amorem superni, beneficentissimi Numinis, et summe boni, ac talem amorem, quo solum felices in hac quoque vita esse possumus, ut nos alibi demonstravimus, ac praeterea spem affert praesidii in dubiis, adversis, ac jucundam bonorum alterius vitae expectationem. Metus vero ille, quo timemus, ne supremo displiceamus Numini, neve ipsius iram subeamus, atque alterius vitae supplicia, ad illa omnia nos impellit, quae ad beatam vitam agendam sint necessaria, et ad ea cavenda, quae noxia sint, quaeque privatae, et publicae felicitati obsint. Itaque si Atheis omnibus societas utilis est, quia per leges, metumque poenarum in officio homines continentur; Cur utilis religio non erit, quae tanta ad felicem in societate vitam incitamenta praebet? Nec turbulentus est metus ex religione ortus, sed cum suavi, atque jucunda spe conjunctus, cum ex Deo sit summe sapiente, bono, justo, misericorde, qui infinita sapientia ad benefaciendum utitur, quantum incommutabilis divinae sapientiae, atque justitiae ordo patiatur.

9 Sollicitudo autem illa, quae anxios nos facit de vita futura, a vitiis hominem retrahit, sibi, ac societati noxiis, et ad virtutem incitat, quae humanae felicitatis praecipuum instrumentum est. Metus vero, qui hinc oritur, placidus est in probis, justisque viris, atque jucunda bonorum expectatione temperatus; Et in solis improbis turbulentus est, atque excrucians, cum ii laniatus conscientiae exuere nunquam possint. Sed id poena peccati est, ac per intimum sensum natura ipsa nos monet, esse quoddam divini supremi opificis instrumentum, quo de malo facto monemur, et ad vitia declinanda, ac virtutes sectandas incitamur.

Corollarium.

10 Atque hinc patet, officia, quae Religio praescribit, instrumenta quaedam esse, quorum usu homo perficitur, atque ad tranquillam vitam agendam ducitur. Quamobrem Athei, respuendo religionem, utuntur intellectu, ac voluntate sua, contra id, quod eorum naturae utile est, ac bonum, et contra constitutum in natura ordinem faciunt, « cum res quaelibet homine inferior utatur iis, quae sunt ad suum bonum, et perfectionem, (inquit Raymundus de Sabaude); Athei vero intellectu, et voluntate ad suum damnum, et destructionem utantur ». Ex quo apparet, quam inepte profanus Bailius asserat, probabilius esse Religionem esse malam, et falsam, quia natura malorum utrorumque fons est. Nam si Religio bonum, ac verum bonum, cujusmodi virtus est, homini procurat, ergo religionis usu homo in perfectionem tendit; Homo ergo, dum natura duce religionem servat, ac sequitur, res omnes alias, quae in mundo sunt, imitatur. Quis vero corruptas, depravatasque res dicat, quae certis legibus in debitam perfectionem feruntur?

Scholium.

Facile ex dictis intelligere est, Atheorum vitam omnium miserrimam; Nam sine religione, 11
qua ad virtutem incitentur, vitiis laxant habenas, quae pernicies sunt hominum: Omnium in se hominum odium, atque iram conciliant, tum ob contemptam religionem, quae omnibus quidpiam divinum habetur, tum quod ab omnibus veluti manifesti inimici jure meritoque reputantur, utpote qui nulla se obstringi lege, ac sola voluptate, et utilitate regi opinantur, ac denique nulla bonorum spe, sed sola effraeni vitiorum licentia ducti, tot religionis bonis privantur, ac certo damnationis aeternae periculo sese exponunt. Hinc stulti in Scripturis, et a Patribus appellantur, qui hypothesim amplectuntur, quae si vera statueretur, nihil aliud afferre ipsis posset, nisi privationem bonorum, quae commemoravimus, et desperationem; si vero sit falsa, ut revera est, ad aeterna illos supplicia trahit. « Doctrina haec, (ajebat Auct. Homiliar. quae Clementi Romano tribuuntur) quamvis fabula esset, cum pia sit, vitae non esset inutilis. Singuli enim dum expectant futurum erga se Dei cuncta intuentis judicium, ad temperate vivendum majorem impetum capiunt. Quod si vera est doctrina, aeterno supplicio liberat eum, qui vitam moderatam traduxit, simulque pro beneficio largitur futura a Deo bona aeterna, et ineffabilia ».

Propositio Secunda.

Religio Societati Civili utilis est, eaque sublata, illius vinculum, ac fundamentum evertitur.

Dem. Civilis Societatis vinculum in mutua o- 12
bligatione situm est inter Supremum imperantem, et populum, qua hic sese adstrictum credat ad obsequendum Legibus, Magistratibus, ac iis, quae Princeps pro bono Reipublicae jubeat, et qua

Princeps obligatum se credat ad protegendos Cives, eorumque securitatem, ac bonum commune procurandum. Religio vero ad hujusmodi fovendam obligationem plurimum confert; Nam ii per religionem jurejurando obstringuntur, hoc est, vocando in susceptae obligationis testem Deum, qui omnia videat, qui officia inde orta adimplere jubeat, quique per praemia, ac aeterna supplicia ad omnia praestanda impellat. Hinc optime Cicero: « Quis non videet, inquit, quam multa firmentur jurejurando, quantae scientis sint foederum religiones? Quam multos divini supplicii timor a scelere revocet? Quam sancta sit Civium inter ipsos societas, Deo immortali interposito, tum judice, tum teste »?

Rursus perfecta respublica esse nequit, nisi boni praemiis invitentur, mali autem poenis coerceantur, ut Solon apud Ciceronem *Epist.* 15. ad Brutum, Lycurgus, Pythagoras, Anacharsis, ac reliqui sapientes Legumlatores tradidere. Religione posita, praesto sunt bonis Civibus praemia a potentissimo, ac supremo bonorum Domino promissa, ac malis parata supplicia; Hac vero sublata, ubi bona sunt, quae Cives omnes, tum palam, tum privatim ad officia praestanda invitent? Ubi supplicia pro delictis, de quibus Magistratibus nec constet, nec constare possit? Accedit etiam in recta praemiorum, poenarumque distributione non tam opus, quam operantis animum attendi oportere; Voluntas vero hominis soli Deo, quam religio praemiorum largitorem, malorumque vindicem demonstrat, explorata est. Desunt denique in republica praemia, quae Civibus singulis tribuantur, ut est manifestum. Ergo necessaria religio est; quae hujusmodi defectus suppleat, quae optimi censoris omnia intuentis, amore, ac praemiorum spe, singulos alliciat, quaeque coerceat singulos, parati supplicii metu.

13 Atque hinc altera quoque pars facile patet; Nam spes praemii, metusque supplicii affectus sunt, per quos Cives ad officia obligantur, ideoque pars saltem vinculi civilis societatis; sublata vero religione, hujusmodi affectus plerumque desunt, ut ex dictis patet. Immo deest etiam persuasio illa, qua summi imperantes, et Cives sese obligati credant ad promissa servanda, et officia praestanda. Quis enim ad quidpiam sese adstringi credat, sine superiore, qui jubeat, qui vetet, quique praemis, atque supplicia ostendat, ac dare possit? Qua ratione, sublato Deo, summi imperantes, et Cives mutuo sese obligatos crederent, in iis positi circumstantiis, in quibus sibimetipsis tantum reddendam rationem putarent?

14 Scio, Bailium confugere ad honestatis, et virtutis ideam, quam ex finis Societatis consideratione, sibi homines fingant, et qua ad promissa servanda, ac reliqua praestanda Societatis officia obstringi se credant. At haec vera obligatio non est: Nam hac ratione homo a se ipso obligaretur per propriam cogitationem, nec quemquam agnosceret, cui reddendam rationem esse, et a quo reprehendi, ac puniri posse, putaret. Vera autem obligationis notio duas necessario personas exhibet, quarum altera praecepto, promissis, minisque alteram liget. Accedit etiam, quod eadem ratione, qua homo seipsum ligare, solvere quoque semetipsum posset. Quis vero non videat, hanc non obligationem, sed obligationis figmentum esse, nullius Societati utilitatis?

Deinde falsum est, Religione sublata, homines justi, honestique rationem servare. Liquet id ex impiis Epicuri, Hobbesii, Spinosaeque hypothesibus, quibus, Religione sublata, sola voluptas, et utilitas, aequi, justique mater constituitur, ut nos in altera parte exponemus. Hinc omnes fere Ethnicorum sapientes cum Cicerone *lib. 2. de Nat. Deor.* praedicant; *Sublata religione, fidem etiam, et societatem humani generis, et unam excellentissimam virtutem, Justitiam, tolli necesse est.* Et quidem jure meritoque; Nam fingere sibi nequeunt homines honestatis, virtutisque notionem, nisi distinguant inter privatam, et publicam utilitatem, inter bonum Civitatis, et Reipublicae, ac bonum proprium, ut etiam ipse Bailius fateri cogitur. Ubi vero in multitudine haec distinctio occurrit? Nam major hominum pars ex proprio commodo ac voluptate, non ex publico bono, utilitatem metitur, ut experientia constat. Fac ergo, homines ex utilitate virtutem, ac justitiam existimare, ut Bailius opinatur: Quis impediret, ne homines occulte privatae utilitatis, ac voluptatis causa aliis nocerent? Quis in principibus viris passionis impetum cohiberet? Ubi debita Legibus, ac Magistratibus obedientia esset? Nam subditi, dum testes deessent, nulla obligatione adstringi se crederent; ac testes si essent, ii ad verum dicendum se obligatos neutiquam putarent, nec quidquam metuerent ex falsa depositione, atque perjurio. Mitto alia, quae in societate orirentur incommoda, sublata religione, quae divitiarum, imperii ac voluptate fruendi appetitus compescat; cum hactenus dicta satis superque ostendant praecipuum vinculum esse, ac civilis societatis fundamentum; Quod ex eo quoque comprobare possemus, quia omnes Legumlatores, quorum ex historiis memoria superest, ex religione suis praesidium quaesiere legibus, ut agendo de convenientia, et necessitate revelationis ostendemus.

Opponit Bailius, homines ad pacta servanda, et ad reliqua Civilis Societetis officia sine religione obligatos haberi posse; Nam ex consideratione finis humanae societatis, atque ex ipsa rerum convenientia, non secus ac alii homines possunt cognoscere honestum, et turpe, justum, et injustum, bonum, et malum; ad id enim cognoscendum nihil requiritur, nisi attentio ad rerum convenientiam, et fines, ex quibus honesti, et turpis, justi, et injusti cognitio pendet; Si id cognoscere possunt, ergo censere quoque possunt se obligatos esse ad ea praestanda, quae honesti, jus-

tique notiones suggerunt, adeoque sine religione vinculum humanae Societatis in illa obligatione positum conservaretur.

17 Respondeo primum, paucos esse homines, qui ex rerum convenientia, atque fine, justi, honestique notionem, atque obligationem ad obeunda societatis officia, intelligere possint, sublato religionis subsidio. Nam affectus, et cupiditates nec lege ulla superioris regulatae, nec metu supremi Censoris, et Vindicis refraenatae, rationis lumen majori hominum parte extinguerent, aut ita saltem praefocarent, ut praeter passionum impetum, nullam aliam legem sentirent; sed cum Aristippo, aliisque Atheis uno ore clamarent: *Nil esse natura turpe, si vulgaris*, hoc est, ex religione, quae vulgi magistra est, orta, *solvatur opinio*. Deinde actionum humanarum moralitas sine libertate, atque vera obligatione existere nequit; Atheorum vero plerique libertatem homini adimunt, et obligationem omnes; Cum haec nonnisi ex Superiore jubente, atque vetante haberi possit. Dictata ergo rationis, religione sublata, pro consiliis haberi ad summum possent; At ex consilio obligatio illa non oritur, quae necessarium est humanae societatis vinculum, ejus scilicet in fractione homines se peccare, ac poenae certo sequendae obnoxios fieri omnino eredant.

18 Sed regerit Bailius, naturam sine religionis praesidio incitamenta praebere apta ad Societatis vinculum fovendum, atque servandum: honesti enim amorem suggerit, atque laudis magnam cupidinem. Haec vero tantae virtutis sunt, ut sine religione ad homines obligandos sufficiant, ut datam fidem, ac reliqua servent officia.

19 Responsio vero praesto est. Primum, quia vinculum societatis omnes, ac praesertim multitudinem adstringere debet; pauci vero homines sunt, quos amor honesti, laudisque cupido liget. Deinde laudis, gloriaeque amori fere semper conjunctus est honoris, divitiarum, ac magnae potentiae appetitus, cum hae res magnam apud plebem gloriam, sive existimationem obtineant; Hujusmodi vero appetitus honesti amorem facile extingueret, vel praepediret, dum occasio esset comparandi divitias, et auctoritatem, etiam cum magno reipublicae dispendio. Denique ex illis hypocrisis, non vera virtus oriri posset, quae a publicis avocat hominem sceleribus, sed privatis laxat habenas. Dum vero post Lucretium fingit amorem gloriae cohibere hominem posse a privato quoque scelere, quod timeat, ne id in somnis, aut in phraenosi palam ab ipso fiat; purum, putumque figmentum, ac desperatae causae argumentum est.

20 At, inquit, quos honesti, gloriaeque amor non compescat, nec persuasionem ex religione ortam cohibere posse; ideoque hanc supervacaneam esse. Nam experientia constat, homines in vita instituenda non sequi, sed contemnere passim philosophiae, ac religionis principia. Stoici enim, aliique Fatalistae passim usurpabant exhortationes ad virtutem, et bonum libertatis usum, etsi libertatem ipsi negarent. Et christianorum plerique perverse vivunt, licet Religioni firmissime adhaereant.

Resp. atque principio ajo, non omnes Stoicos homini libertatem ademisse, ac Fatalistas, negata quoque libertate, utiles habuisse hortationes, quibus majus virtuti pondus adderetur, quo in virtutem potius, quam in vitia homines traherentur. Deinde principia illa intimo naturae sensui adversabantur, quo libertatem in nobis experimur: quamobrem mirum esse non potest, quod aliquando non philosophiae principia, sed intimum sensum sequerentur. Quod spectat ad persuasionem, quae ex fide Christiana est, atque illius principiis, haec semper cupiditatibus obsistunt, ac vim exerunt suam. Dum liber sit rationis usus, ostendendo bonum, quod ex virtute est, ac malum, quod ex vitio imminet, cohibent illas, et vincunt: Dum vero vehementi ac turbida commotione obscuratur rationis vis, et praepeditur, cupiditates quidem in transversum homines abripiunt, sed tunc per internam conscientiam, et remorsus inde sequentes, ratio hominem reprehendit; Ex quo apparet, religionis principium perpetuum in homine contra passiones luctam ponere. Contra vero Atheismus, cum non aliud bonum sequendum, ac malum vitandum offerat homini, quam quod per sensus offertur, principia illa usurpat, et probat, quae cupiditates, et libidines fovent. At principia haec honestatis amorem destruunt, et laudis, gloriaeque desiderium ad vitia humanae societatis quam maxime inimica impellunt. Si ergo in iis, quos religio internis conscientiae stimulis, et metu poenarum compescit, tantum potest passionum impetus, ut videant plerumque bona, meliora probent, ac deteriora sequantur, quis credat in Atheis vim appetitus principiorum auctoritate roboratam, et auctam, non ita passionibus, vitiisque indulgere, ut societatis civilis vinculum omnino disrumpat? 21

Ait vero, Atheismum in depravatam vitam homines non ducere; quia Athei, quos historia recenset, virtutibus ornati exhibentur, ut Diagoras, et Theodorus ex Graecis, ex Romanis Cassius, et Atticus, atque ex recentioribus Vanninus, atque Spinosa. Addit praeterea, Gentes fuisse, ac etiam nunc reperiri, quae in privatis familiis sine religione vivant: Has vero facilius posse in societate civili sine Religione conservari, ubi praeter naturae dictata, atque honestatis amorem, Civiles leges haberent. 22

Resp. Atque nego, Atheismum in depravatam vitam, quae Societati Civili obsit, homines non inducere. Ii autem, quos ipse affert, paucissimi sunt, ac talis fortasse indolis, quos amor virtutis afficere, et movere potuerit, et quos studium declinandi apud multitudinem invidiam, et conciliandi propriae sectae existimationem, retrahere a vitiis potuit. Ego vero plura in iis vitia fuisse 23

contendo, quae religio sustulisset, et quae data occasione societati quoque noxia fuissent; quis enim a superbia, ab ambitu, et a vitiis inde profluentibus illos absolvat?

24 Quod secundo loco opponitur, falsum omnino est, ut infra ostendemus. Si vero id quoque daremus, non inde sequeretur posse sine religione civilem societatem consistere. A sociali enim in una familia vita, ad vitam civilem nulla consequutio est: ibi enim unius familiae homines nondum fortasse divisis bonis vivunt, in Civili societate innumeri sunt homines gradu, divitiis, studiisque divisi, atque ad commoda innumera inhiantes, de quibus privatae familiae ne cogitant quidem; Hos vero affectus, si religio desit, nemo ita compescet, ut societas diu saltem consistere valeat.

Corollarium.

25 Si religio tantae privatis hominibus, ac civili societati utilitatis est, ac ad felicem vitam necessaria; Ergo non ut res commentitia, sed ut bonum quoddam rationali creaturae concessum exhibetur, quo optatam felicitatem persequatur. Id sane ex dictis praesumi jure merito posset, sed ut omnia Atheorum fundamenta detegamus, ac funditus omnino evertamus, expendamus Religionis originem.

Pars altera.

De Religionis Origine.

26 Hactenus de utilitate, et necessitate: Dicendum ergo est de ejusdem origine, quam Divinam esse, paucis demonstrabimus. Itaque sit

Propositio Prima.

Nulla Gens est ex antiqua historia cognita, quae Religione caruerit.

27 Demonstratur, ac principio veluti res ipsis Atheis explorata statuitur, omnes civiles Gentes, quas antiquissimae recensent historiae, in civili societate positas, Religionem aliquam habuisse, scilicet, Hebraeos, Chaldaeos, Ægyptios, Phaenices, Indos, Persas, Arabes, Getas, Gallos, Germanos, Graecos, Romanos, aliosque Populos, quorum memoria superest. Id enim adeo persuasum omnibus fuit, ut Plutarchus adversus Colotem Epicureum confidenter scripserit, « facilius Urbem condi sine solo posse puto, quam, opinione de Diis penitus sublata, Civitatem coire, aut constare »; Et ut Athei finxerint, cum Societate civili ortam Religionem esse, ac solum apud Gentes immanitate efferatas, et extra Leges positas Homines sine Religione ulla reperiri posse, speraverint.

28 Sed ne has quidem Gentes invenire unquam potuerunt. Nam Academicus Cotta apud Ciceronem *lib.* 1. *de Natura Deorum* provocavit quidem ad hujusmodi Gentes, veluti ad eas, apud quas nulla suspicio Deorum esset, sed nominare, ac designare nullam potuit; et Cicero ipse tum *lib.* 1. *Tusculanarum quaestionum cap.* 13. tum. *lib.* 1. *de Legibus cap.* 8. affirmat, adeo alte insidere omnium cordibus sensum Divinitatis, ut falsum multi Deum colere maluerint, quam nullum. Nec solum Cicero, sed quotquot fuere Gentium Sapientes palam testati sunt, nullam fuisse unquam Gentem, quae Religione careret: ita Plato *de Legibus lib.* 1. *cap.* 10. ita Aristoteles *ad Nicomach. lib.* 10. *cap.* 11. ita Seneca *cap.* 117. ita Artemidorus lib. 1. *cap.* 9. ita Ælianus *var. hist. lib.* 2. *cap.* 13. ita Maximus Tyrius *diss.* 1. ita Sextus Empiricus *lib.* 1. *contra Physicos cap.* 61. ita Dion Chrysostomus nuncupatus, ita denique Julianus *epist. ad Heracl.* ubi haec habet: *Omnes ante doctrinam Numen esse aliquod persuasi sumus, eo respiciendum, ad eum properandum; credoque animos nostros sic se habere ad Deum, ut visu praedita ad lucem.* Iis vero addi quoque potest, Lucretium hanc Epicuro suo laudem tribuere, ut omnium mortalium primus adversus Religionem ausus sit aperte pugnare. Itaque antiquis omnibus Gentium Sapientibus, atque Philosophia persuasum omnino fuit, nullam tunc detectam fuisse Gentem Religionis expertem. Ea autem, quae Baillus contra opponit, praeterquamquod ex iis, quae diximus *in art. de Pantheismo*, facile dissolvuntur, adversus tantam omnium Sapientium consensionem, nullius momenti reputanda sunt; tum quod ad impios Gentium, quas atheas, et sine Religione vocant, mores, Atheismi nota referri commode possit; tum quod ita appellari a nonnullis consueverint Gentes, quae externo Religionis apparatu earerent, qui apud cultos Populos vigeret; tum demum quia omnes fere illae narrationes dubiae sunt; qui enim ea referunt, vel *fertur*, vel *putatur*, aut *fama est*, scribere solent. Quae quidem expressiones suspicionem, non vero animi persuasionem designant. Ita Mela de Atlantibus, et Strabo de Æthiopibus, qui ad torridam habitant, ita et alii de Callaicis, seu Lusitanis scribunt; quos tamen Religionem habuisse ex aliis monumentis constat.

Propositio Secunda.

Gentes omnes hac nostra quoque aetate cognitae aliquam Religionem habent.

Demonstratur. Omnes fatentur, politas omnes 29
nationes, atque in Civili Societate viventes Gentes in Europa, in Asia, in Africa, et in America, Religionem habere; ac satis obviae sunt descriptiones ex accuratis virorum relationibus, qui regiones illas perlustraverunt, in quibus harum Gentium mores, Religiones, sectae, dogmata, errores, superstitionesque exponuntur. De solis quibusdam barbaris controversia movetur, quos Pe-

trus Bailius ex suspectis quibusdam relationibus veluti Atheos traducit, ut inde conficiat, generalem non esse totius humani generis circa Religionem consensionem, ac posse sine Religione civilem societatem consistere. At a plurimis gravissimis viris ex omni Europae parte, accuratissimarum relationum ope Bailii impostura detecta, et confutata fuit. Praecipua autem momenta, quae cujuscumque cognitae, etiam silvestris Gentis, Religionem probant, collegere, atque referunt duo illustres ex Dominicana Familia Scriptores, scillcet, Thomas Vincentius Monilia in praefatione ad opus contra Fatalistas, et Jo. Vin. Patuzzi in opere de futuro impinrum statu cap. 9. Nos vero pauca ex iis recensebimus, quae tamen satis visa sunt ad rem conficiendam. Primum itaque ex Thevenotii relatione Bailius *Cafros*, et Hottentotos Africae populos in regionibus Capiti Bonae spei finitimis habitantes Atheismi accusaverat. At plures fuere accurati viri, qui post Thevenotium regiones illas adiere, et vitae genus, moresque illorum hominum explorarunt, qui uno ore testantur, praeter paucos, qui Mahumedanam Religionem sequuntur, reliquos unum Summum, ac Supremum Deum agnoscere, eumque magnum Ducem vocare, ac Lunam, Solemque adorare, et plerasque ceremonias habere. Horum testimonia satis obvia sunt in Collectionibus, quae prodiere itinerariorum. Ex iis autem unum laudare sat erit Petrum Kolben Batavum, qui decem annis in illis regionibus commoratus est, quique illorum Hominum lingua comparata, summa cura eorum mores, Religionemque scrutatus est: is in descriptione Capitis Bonae spei Germanice primum edita, ac deinceps Gallice, illorum Hominum Religionem fusim exponit. Ab Africa ad Americam, sive ad Gentes in novo Orbe recenter detectas, gradum facimus; In iis regionibus occurrunt 1. Canarienses, quos Columbus Religionis expertes exhibuerat, at ex historia, quam habemus hujusmodi insularum subactionis, constat, Gentes illas unum Deum nosse, qui praemia virtuti, vitiis vero supplicia in alia quoque vita paraverit. 2. Accusati reperiuntur Caraibae Insularum Antillarum Incolae; de iis autem scribit Roschefaut in eorum historia morali, quod agnoscaot alium Deum boni, alium mali principium, atque hunc vocare *Magoba*; et Sacerdotes itidem habere quos *Boyez* adpellant. 3. Brasilienses, quos ex relatione *de Lery* etiam Lockius asseruit, nec Deum nosse, nec nomen habuisse, quo Divinitatem exprimerent; Sed constat ex *Laet. de Orig. Gent. Amer.* et *Margrav. de Brasil. c.* 9. hos Deum Summum agnoscere, quem *Tupa*, et *Tupana*. nominant, eique per sacerdotes Sacra facere. 4. Silvestres Homines *Canadà*, quos *Hurones*, *Sauriquosios*, et *Armouchieosios* vocant, ex testimonio Sagard, et Lescarbot, sine Religione praedicantur; adest vero egregium opus P. Josephi Frider. Lafitan Soc. J. de moribus Silvestrium Americanorum, in quo illorum Religio accurate describitur, et cum sempliei primorum terrae habitatorum Religione comparatur: et de iis qui in Virginia, et Florida sunt, refert Dominus Winslovv, qui unus ex primis plantatoribus in nova Anglia fuit, didicisse a Barbaris, illos agnoscere unum Deum Supremum, et alios inferiores; atque ita correxit, quae antea externa deceptus specie scripserat, scilicet Deum homines illos non agnoscere. Ex istius autem confessione facile intelligere est primos peregrinatores, qui nec sermonem habere poterant cum hominibus, quorum linguam ignorarent, nec adhibito interprete eosdem explorarunt, deceptos ex eo fuisse, quod de Religione ex externo Templorum, Ministrorum, Rituumque apparatu judicaverint, ac scripserint vel nulla se deprehendisse apud Gentes illas Religionis indicia, vel pauca tantum: ut dixere Le Mair de habitatoribus Insularum Meridionalium, et Schoulen de iis, qui sunt in Insula *Jedso* prope Japoniam. Atque haec satis visa sunt ad ostendendum, omnes cognitas hac aetate nostra gentes, etiam barbaras, atque silvestres, Supremum Numen spe praemii, metuque supplicii alterius vitae colere, atque non solum suspectas, sed etiam falsas omnino esse illorum Hominum relationes, quas Lokius, atque Bailius adhibuere, ut demonstrarent, Homines esse, quibus nulla Divinitatis suspicio sit. (*)

Propositio Tertia.

Religio nec Legislatorum, nec privatorum Hominum commentum est.

Ut clarior res fiat, nonnulla principio observare necesse est. Primum, aliquando apud Scriptores Religionis nomine quemcumque cultum generatim significari, quo sensu dicitur, nullam gentem sine Religione esse; aliquando vero pro externo apparatu, dogmatibus, et doctrina ad Divinitatem pertinenta; atque ita *Cic. orat.* pro Fonteo dixit: *Gentes pro suis Religionibus bella suscipiunt*, et alii antiqui Scriptores aliam Ægypti, aliam Persarum, aliam Graecorum, et aliam esse Romanorum Religionem dixerunt, et eodem sensu nos aliam Iudaeorum. aliam Christianorum Religionem esse passim affirmamus. 30

Deinde certum est, Religioni, quam natura suggerit, plura addita esse per veram, et Divinam revelationem apud Judaeos, atque Christianos, et per illorum quoque auctoritatem, quibus Deus decernendi ea, quae ad Divinum cultum spectant, potestatem fecit: apud Gentes vero, primum privatorum superstitione, deinde callidorum quoque Le-

(*) Non omittendum eruditissimum Aloysii Brennae Romani opus, quod Florentiae prodiit anno 1773. duobus tomis in 4. comprehensum *de generis humani consensu in agnoscenda divinitate.*

gislatorum impostura. Nam constat ex historia, privatos Homines etiam antequam magna constituta essent in Mundo Imperia, varias sibi effingere consuevisse Divinitatis species, atque iis, et etiam nonnullis Creatoris Divinos tribuere coepisse honores; et ex Diodoro Siculo *lib.* 1. *et* 5. et Ephoro apud Strabonem *lib.* 10. atque ex aliis Scriptoribus apud Suidam antiquos omnes Legislatores, quorum memoria superest, Populorum credulitate, et superstitione abusos ita fuisse, ut commenti sint, a Diis, qui in maxima veneratione apud Populos essent, se Legatos fuisse ad Leges, quibus etiam Religio praescriberetur, ferendas; Sic *Amasis, et Mnevis*, apud Ægyptios leges ab *Herma* sibi datas commenti sunt. *Zoroaster* apud Bactrianos, et *Zamolxis* apud Getas, a Dea *Vesta*: *Zathroustes* apud Arimaspos, a Daemone, seu bono genio; *Rhadamanthus, et Minos* Cretensium Reges, a *Jove Cretensi*; *Triptolemus* apud Athenienses, a *Cerere*, gentilitia Dea; *Pythagoras, et Zaleuchus* apud Crotoniatas, et Locrenses a *Minerva*, *Lycurgus* apud Lacedaemonios, ab *Apolline*; *Romulus a Deo Comso*; *Numa* a Nimpha *Ægeria* suas leges sibi traditas gloriabantur.

31 Praeterea constat etiam ex iisdem Historicis, atque ex Herodoto, Legislatores, quos diximus, divinos hominibus nonnullis decrevisse honores, ac in Deorum numerum eos retulisse, qui Rempublicam fundassent, aut de eadem optime meriti haberentur, et Mysteria, quae Eleusina dicuntur, primum in Ægypto, deinde in aliis quoque regionibus stabiliisse, tum ut ea plebi occultarentur, quorum cognitione Religio vilesceret, ut Deorum genealogia, vita, mors etc. tum etiam ut in iis ea Religionis capita constituerent, quae magis ad Rempublicam viderentur conferre.

32 Denique certum quoque est, eos, qui stabilitam per legislatores Religionem, ejusque Mysteria contemnerent, Atheos a Gentibus habitos fuisse: hac enim unice de causa, ut nos alias monuimus, Socrates, et Evehemerus, et etiam Judaei, Christianique ab ethnicis Atheismi accusati fuerunt; atque hujus generis fuisse antiquorum plerosque, qui Athei nominantur, ex eo quod Religionem Legislatorum commentum assererent, luculentissima Platonis auctoritate comprobamus: is enim *lib.* 10. de Legibus de iis verba faciens, qui pro Atheis haberentur, haec scribit: « Deos, o beate vir, primum affirmant, non tantum natura esse, sed arte quice, ac legibus institutos: hinc fieri, ut singulis regionibus, et Populis proprii Dei sint, pro diverso eorum, qui leges rogarunt Civitatum, ingenio, et indole ». Itaque ii, qui primum asseruerunt, Religionem esse Legislatorum commentum, de sola Religione loquebantur, quam callidi hujusmodi homines confinxissent, non vero de ea quae unius Supremi Numinis cultum decernat, qui nostri sollicitus sit, qui per praecepta, et praemia ad virtutem nos alliciat, et per supplicia etiam alterius vitae, a vitiis retrahat, cum hanc servandam esse Religionem constanter illi crediderint. Vides ergo quo labili fundamento innixi recentiores athei Religionem omnem callidorum Legislatorum inventum asserant.

33 Demonstr. modo propositio. Primum quia nullo antiquitatis monumento probant, legislatores, aut alios Homines Religionem omnem finxisse. Quando enim, et quonam in Concilio ad hoc convenere callidi Homines ex omnibus terris, ut istud commentum humano generi persuaderent? Qui fieri potuit, ut, nemine penitus discrepante, in hujusmodi concilium convenirent omnes cujusque Regionis Homines, qui ut locis, ita vita, ac morum institutis tam immaniter invicem dissident? Et ut in tanta vitae, morumque diversitate post tot, ac tantas rerum mutationes, atque vicissitudines apud omnes omnino Gentes, cultas aeque, ac barbaras paucorum Hominum commentum sartum tectumque semper servaretur? *Opinionum enim commenta delet dies, et naturae judicia confirmat*, ut optime inquit Cicero, ac ipsa experientia comprobat, qua videmus, linguas, leges, Religionis ritus, atque alia ab hominum opinione, et arbitrio pendentia perpetuae mutationi, atque vicissitudini obnoxia esse.

34 Deinde cum ex Mose, tum ex aliis antiquis historicis constat, plures Gentes in privatis Familiis Religionem servasse, antequam civilem Societatem inirent; ac similes quoque Gentes etiam nunc in America reperiuntur, in quibus Religio viget, quin quidpiam unquam a Legislatoribus acceperint.

35 Denique falsa omnino probatur hypothesis, quam Athei fingunt de conficto ex metu ab ignorantia orto invisibili Numine; tum quia in adstruendo Supremo Numine, docti, indoctique Homines conveniunt, ac convenere semper: hypothesis autem illa solum apud indoctos Homines locum habere potest; neque apud hos omnes, nam plerique sunt rudes Homines, qui ejusmodi timore non afficiuntur, ac plures etiam ob ingenii imbecillitatem, ad id confingendum inepti; Divinitatis autem persuasio omnibus communis est: Tum etiam, quia ex hujusmodi terrore confictus Deus, res esse deberet formidolosa, truculenta, ac vitae insidians; id enim ignorantis Hominis menti offerunt tonitrua, atque metum, terroremque excitantia phaenomena. At Religio semper, ac ubique Deum summe sapientem, amabilem, de homine optime meritum, ac spem nobis ingerentem tum praesidii in adversis, tum etiam aeternae felicissimae vitae demonstrat, qualem scilicet, indicant Universi structura, ac mirabilis rerum ordo, et varietas, ac certus, atque determinatus cuique finis (*).

(*) Confer Clariss. F. Antonium Valsecchium *dei fondamenti della Religione, e dei fonti dell' empie tdiib.* 3. *p.* 1. *cap.* 12.

Corollarium.

36 Si nulla gens cognita sine religione reperitur, incognitas quoque Australes, aliasque gentes religionem habere secundum Analogiae regulas jure meritoque argumentamur. Sicut enim ea, quae aliis omnibus hominibus communia sunt, in hominibus quoque incognitis praesumuntur, ita et Religio.

Propositio Quarta.

Religio ex Deo est, qui eam primis parentibus indidit, ac per traditionem propagata, et intimo sensu per rationis usum ubique terrarum semper conservata fuit.

37 Demons. Si Religio semper, et ubique ab omnibus ratione utentibus conservata fuit, nonnisi ex Deo communi hominum Parente esse potest, cujus consilio stabilita sit, cujusque providentia per traditionem de patre in filium propagata, ac per intimum naturae sensum excitata, et conservata sit. Neque enim alia suppetit via, per quam religio in homines omnes propagari, ac ab omnibus ubique locorum custodiri potuerit. Inditum vero hominibus esse intimum sensum, quo ad Supremi Numinis cultum excitentur, ac traditam Religionem custodiant, facile patet; Nam quod homini etiam invito natura suggerit, id ex intimo naturae sensu oritur. Hac enim ratione constat, ex intimo naturae sensu prodire felicitatis amorem, ac propensionem illam, qua ad assentiendum propositioni evidenter cognitae trahimur. Natura vero etiam invito homini Dei cultum, metumque suggerit, et inculcat, dum ex. g. eb improbe facta homines de Deo caeteroquin non cogitantes, ac ipsos quoque Atheos damnat, ac metum hinc, atque timorem incutit. Nemo enim est, qui post patratum scelus conscientiae stimulum non experiatur, ac malum sibi inde imminere non sentiat, ac metuat. Hunc autem metum ne Atheos quidem ipsos exuere unquam posse, fatetur ipse Baitius; testatur Cotta apud Ciceronem de Epicuro ipso; et ut alios mittam, asserit Seneca per haec verba: « Mentiantur, qui dicunt, se non sentire Deum esse; nam etsi sibi affirmant interdiu, nocte tamen sibi dubitant ». Quid vero est, quod hanc dubitationem, hunc metum excitat, et incutit, nisi intimus naturae sensus factum improbans, ac Dei reverentiam, timoremque incutiens.

38 Scio, Atheos confugere solitos esse ad Mundi aeternitatem, ut argumenta eludant, quae a nobis pro adstruenda Divinae Religionis origine allata sunt. At quis miserum effugium non rideat? Nam mundum a Deo conditum esse, atque initio Mundi hominem a Deo formatum fuisse, qui Religionem ab eodem accepit, modo a nobis supra indicato, propagatam, tam certum est, quam quod maxime. Mundi enim, hominisque creatio, res facti cum sit, nonnisi ex historicis monumentis constare potest, eadem ratione, qua Urbium, et Imperiorum initia comprobantur. At quotquot extant monumenta, recenter Mundum conditum, et hominum ex una a Deo constituta familia exordium demonstrant. Occurrit primum Mosis historia, quae librorum omnium, qui supersunt, antiquissima est: in hac Mundi genesi, et qua ratione cum homo, tum res singulae formatae sint, accurate describitur; et ad homines quod spectat, primum usque ad universale diluvium humani generis ex una Adami, Evaeque familia propagatio recensetur, deinde a diluvio ad Mosis ipsius aetatem ex una, quae superfuit, Noemi familia. Designantur ibi distincte singulorum patrum-familias nomina, mores, anni, quos vixerint, ea perspicuitate, ac stili simplicitate, ut omnis omnino imposturae suspicio excludatur. Accedit etiam, ea quae hic narrantur de humani generis exordio, et propagatione, stabilita historiae veritate, nota esse debuisse illorum plerisque, quorum gratia Mosis historia conscripta fuit; ut consideranti Patriarcharum successionem ex uno Adamo, et annos, quos illos vixisse asseritur, manifestum fiet. Si ergo animadvertamus, veluti Divinam ab universa gente Hebraea fuisse tunc susceptam Mosaicam historiam, atque ita deinceps ad aetatem usque nostram conservatam, perspicuum erit, non posse, nisi per summam impudentiam, de illius veritate dubitari.

Deinde circa Mundi genesim, hominumque ex una familia propagationem reliqua humani generis monumenta cum Mosis historia consentiunt. 39
Nam omnes nobis cognitae gentes Mundum initium habuisse fatentur; ac nulla unquam gens fuit, quae nationis suae exordia, eaque parva, ex una nempe, aut paucis familiis non ostenderet; Ægyptii, testibus Diodoro Siculo, et Laertio; Phoenices, teste Sanchoniathone; Chaldaei, teste Beroso; Persae denique, Arabes, Assyrii, aliique Orientales, ut ex Homero, Hesiode, aliisque Poetis liquet, qui Mundi nativitatem cecinere, ac Mundum in tempore a Deo ex rudi, indigestaque mole conditum, asseruerunt. Historicis, et Poetis accedunt etiam Philosophi, scilicet Tales, Pythagoras, Anaximander, Plato, aliique; et Aristoteles ipse lib. 1. de Coele c 10. scribit, ante ipsum omnes Philosophos recentem Mundi nativitatem habuisse, nec veram ipse putavit de Mundi aeternitate opinionem, ut optime observavit Grotius, sed eam veluti hypothesim adhibuit, quam aptiorem existimavit ad rerum originem explicandam (*). Quamobrem ex ipsa quoque Aristotelis confessione constat, semper et ubique homines credidisse, Mundum in tempore conditum. Et sane nullus Ocello Lucano antiquior reperitur Philosophus, qui Mundum aeternum asseruerit, cujus

(*) Vereor tamen, ut haec Aristotelis defensio iis probari, qui Moshemium legerint ad Cudwarth sect 2. §. 6, 7 20.

assertio, veluti monstruosum paradoxum, ab universo humano genere explosa fuit.

40 Sed expendamus reliqua humani generis monumenta. Super quatuor circiter annorum millia nulla humanae historiae monumenta supersunt; quae enim de sua antiquitate, et astronomicis observationibus jactabant olim Chaldaei, ac nunc Sinenses, fabulosa, et falsa detecta, et demonstrata sunt ab Huetio, aliisque eruditis Viris, qui de hoc argumento tractarunt. Quotquot praeterea extant monumenta, omnia probant, ex paucis, immo ex una familia propagatos homines esse. Parva in iis occurrunt Societatum civilium, et Imperiorum initia in omnibus Mundi partibus; artium, quae etiam humano generi omnino necessariae sunt, ut seminandi, metendique frumenti, vinum ex uvis exprimendi, ac reliquarum hujus generis: scientiarum, legum civilium, superstitionis, idololatriae, atque etiam atheismi primi inventores, auctoresque nominatim designantur, ut legere est apud Jaquelotium in opere de Existentia Dei, et apud Auctorem Principiorum Religionis naturalis, et revelatae *tom.* 5. *pag.* 59. Quis vero fingat homines ex aeterno extitisse sine scientia ulla, et sine artibus ad vitae cultum omnino necessariis, et quin ullum prorsus posteris monumentum reliquerint sui, rerumque ab ipsis gestarum.

41 Nec male feriatis hominibus confugere licet ad eluviones, devastationesque Populorum: Nam per has, aut omnes, aut unius tantum, vel alterius regionis homines periere. Si omnes, undenam postea humanum genus instauratum, ac propagatum est? Qui fieri sine miraculo potuit, ut diluvium E. G. universale, ita omnes homines perderet, et omnia humani generis monumenta deleret, ut nullum prorsus remaneret vestigium, quo humanum genus antiquius indicaretur aetate illa, qua per historias, ac reliqua monumenta demonstratur? Si vero dicat, per eluviones illas aliquos tantum periisse Populos, cur superstites homines aliquam saltem antiquarum rerum memoriam, ac aliqua antiquitatis monumenta non conservarunt? Qui fieri potuit, ut ne quidem eluvionum, ac depopulationum memoria remanserit? Nullum ergo, nequidem apparens, Atheis effugium superest, quo moveri ad dubitandum possint, quin Religio communi hominum cujusque aetatis consensione adserta, et custodita, ex Deo sit, qui Mundum condidit, ac homines, qui Deum semper coluerunt, ac colunt, *quasi unde orti sint, recordentur, et agnoscant*, ut inquit Cicero *lib.* 1. de Legibus.

Corollarium.

42 Habes ergo ex hucusque demonstratis, Religionem a Deo propriis hominibus inditam fuisse; per traditionem deinde, ex patre in filium naturae sensu ita semper, ac ubique gentium custoditam esse, ut licet pravi, efferatique homines naturae legem plerisque in capitibus depravaverint; licet ignorantia, socordia, ac perversa hominum ratiocinatio veram divinitatis notionem in hominum plerisque corruperit, vel deformaverit; licet superstitio, et idololatria externum, internumque cultum turpissime foedaverit; et licet Epicurei, Atheique convellere ex hominum animis studuerint omnem divinitatis, Religionisque persuasionem: tamen obliterari omnino numquam potuit confusa supremi Numinis notio, nec deleri; aut praefocari intimus ille naturae sensus, qui colendum, metuendumque praedicat Deum omnia intuentem, ac supplicia alterius vitae improbis minitantem. Ex quo apparet, depravari utique potuisse per indicatas causas Religionem, deleri vero, ac convelli ex hominum animis nullo unquam conatu potuisse, ac maluisse homines, falsos Deos, quam nullum Deum colere, ut olim ajebat Cicero.

Caput Secundum.

De naturalis Religionis existentia.

Superiori in capite ostendimus, totum genus humanum adversus Atheos pugnare, ac ne quidem Atheos ipsos improbo conatu potuisse unquam Religionis persuasionem, ac metum supremi Numinis omnino exuere, atque ex eorum cordibus delere. Hoc itaque in capite causam tuemur totius humani generis contra paucos homines, vitiorum fautores, ac manifestos virtutis inimicos, quos vel ipsi humanitatis monstra, ac perniciem humani generis dixerunt, et suppliciis, vel saltem exilio puniendos censuerunt, ut legere est in Laertio, Plutarcho, aliisque antiquis Scriptoribus. Horum hypotheses, quas in Articulo de Pantheismo descripsimus, refutandas suscipimus. Caput vero dividimus in partes duas: In prima, de Dei existentia, ejusque attributis; in altera vero de ejusdem Dei providentia agemus, qua officia illa homini praescribuntur, quibus naturalis religio coostat. 43

Pars prima.

De Dei existentia, et Attributis.

Dei existentiam adversus Atheos demonstraturi, principio visibilia hujus mundi, et ea quae facta sunt expendimus, quae sane Dei existentiam, ac invisibilia ipsius attributa, ita nobis ostendunt, ut omnino inexcusabiles sint, qui Deum ex iis non agnoscant, et colant. Ita enim natura comparati sunt homines, ut dum opera vident, quae rationem, consilium, et artem exprimant, illico intelligant ab eo perfecta fuisse, qui ratione, consilio, et arte polleret. Ubi vero major pulchritudo, quam in ornatu Coelorum? ubi perfectior ordo, quam in Universi, ac rei cujusque partium dispositione? Ubi major constantia, atque ars, quam in motu syderum, quam in plantarum, animantium, hominumque propagatione atque motionibus? 44

Quae ars mirabilior esse potest illa, quam vel in rei minimae, ejusque partis structura intuemur? Scimus enim, quidquid artis in homine est, id ex harum structurae consideratione deductum esse; Si ergo, natura ipsa duce, res, quae artem, et sapientiam artificis demonstrant, in sapientis artificis cognitionem nos ducunt, exploratum procul dubio cuique esse debet, visibilia hujus mundi invisibilem ejusdem Authorem, Rectoremque potentissimum, et sapientissimum demonstrare.

45 Scio, opinari Stratonicos, Epicureosque ornatum mundi, resque omnes Universi ex caeco particularum impetu, aut ex varia atomorum combinatione prodiisse. At permisso possibilem hanc rerum combinationem in sinu materiae, atque in ejusdem materiae particulis reperiri; plura adhuc sunt, quae hujusmodi hypotheseos falsitatem demonstrant. Nam in possibili ex. gr. colorum combinatione, combinatio illa procuidubio reperitur, in qua per egregii Pictoris artem, pulcherrima pictura efficitur; et tamen insani universim haberentur homines illi, qui perfectam picturam ex fortuito colorum casu, seu ex fortuita colorum projectione emersisse assererent: Nam cum hanc non modo casus, sed ne homines quidem efficere possint, qui certis regulis, et arte instructi non sint, non nisi per summam insaniam fortuito casu elaboratam diceremus: Quis ergo dicat, nisi stultissime, sine infinita sapientis arte, ornatum Coelorum, hominesque, et res alias hujus Mundi fieri potuisse? Rursus fingunt Epicurei, ante hanc pulcherrimam rerum combinationem alias infinitas praecessisse. Si ita vero se res haberet, ubi nunc tanta in speciebus animantium, et rerum similitudo? Cur ex hominibus ex. causa nullus superfuit, qui unum tantum, vel plures quam duos oculos haberet, aut plures, vel pauciores partes, quae propagationi speciei non obessent? An non vident perfectam similitudinem, quae in omnibus ejusdem speciei individuis reperitur, artem, ac sapientiam artificis demonstrare, qui species rerum omnium condiderit, partesque singulis concesserit ad necessarios usus destinatas, tum ob individuorum conservationem, tum ob propagationem speciei?

46 At haec levia sunt, et contra infimum illum probabilitatis gradum faciunt, quem Athei, pro se afferre possunt. Graviora enim suppetunt; Nam falsum omnino est, combinationem illam, quae in Universo reperitur, possibilem esse in fortuito particularum materiae concursu, caeca tantum natura gubernante: etenim in hac Universi forma, et rerum varietate, certae motus, ac proportionis regulae sunt, quas solas sapientia praescribere, et decernere possit: ex iis enim sibi comparavit homo quid quid sapientiae, et artis habet, certos autem motus, et proportionis leges in caeca natura, in materie, ac in fortuita atomorum combinatione requirere, perinde est ac asserere, hominem, qui omni arte, sapientia, ac etiam ratione destitutus sit, ad perfectam artis normam, exactum opus perficere posse. Denique in hoc Universo homo reperitur mente, ac ratione praeditus; ubi vero in atomis aeternis, in vi genitrice illas agitante, aut in immensa materia, quam alii Athei fingunt. mentis, et rationis causa sufficiens adest? Haec ergo mundi visibilia non solum sapientissimum, et potentissimum Deum ostendunt, sed etiam falsitatis convincunt Pantheistarum hypoteses. At clarius demonstratur ex ipsa rerum contingentia.

Nam existit ens necessarium, quod scilicet ex se existit, et non potest non existere. Id evidens est. Evidens enim est, dari plura entia contingentia, quae nempe aliquando non fuere, ac natura sua indifferentia sunt ad existendum, vel non existendum. Nam intimo sensu clare intelligimus, nos aliquando non fuisse, nec amplius existere homines, a quibus progeniti fuimus, eadem evidentia constat: Atque ita etiam liquet, alios extra nos positos homines, animantia quaeque, plantas, lapides, ac res alias hujus Universi, vel aliquando non fuisse, vel esse non posse. Porro ea, quae aliquando non fuere, vel quae ita exhibentur, ut clare intelligamus esse non posse, ut Tellus, Sol, Astra, Coelum etc. in semetipsis sufficientem rationem existentiae suae non habent, alioquin non possent non existere, atque uti a seipsis existentiam haberent, ita intima sua virtute conservarentur, ac necessario essent: Accedit etiam, hujusmodi entia, quae contingentia cum sint, habere debuerunt initium, non posse ex nihilo esse, quia nihil nil potest efficere; neque a semetipsis, tum quia si a semetipsis producta essent, sufficientem rationem in semetipsis haberent existentiae suae, qua ut esse, ita et conservari possent, ideoque perire non possent, contra experientiam, vel evidentiam, qua illorum contingentia constat; tum etiam quia res eadem secundum eamdem rationem nequit esse causa, et effectus, alioqnin qua causa sui ipsius, seipsa prior, et qua effectus, seipsa posterior esset; quod evidenter falsum.

Ita evidens est, contingentia omnia ab alia cau- 47
sa producta esse. Age vero? Vel causa haec a semetipsa, et necessario, vel ab alio priore ente procreata fuit. Si primum: En ens necessarium. Si vero dicant, ab alia causa productam esse, atque hanc itidem ab alia in infinitum usque, ne hac quidem in hypothesi ens necessarium excludi potest. Finge hunc in infinitum processum in humanae generationis serie, in qua unus ab alio genitus sit homo, quin ad primum parentem humani generis deveniri possit. Haec infinita esset effectuum series, quorum singuli producti essent; et in qua serie virtus, et sufficiens causa deesset, qua effectus illi existerent: Nam singuli homines destituti essent virtute, qua fiant, et existant; tum quia ab alio producti exhibentur, ac sunt contingentes, tum etiam quia si in semetipsis suf-

ficientem rationem habnissent existentiae suae, virtute hac fieri, et conservari potnissent. At evidens est, singulos homines, ac res contingentes reliquas virtute carere, qua conserventur; cum, reluctante ipsa eorum natura, pereant. Necesse ergo est, extra hanc seriem, etiam infinitam, dari aliquod ens, quod a semetipso existat, et quod in se sufficientem rationem, et virtutem habeat existentiae suae, et etiam rerum omnium contingentium. Hoc vero est ens necessarium. Neque fingant, contingentia esse individua, collectionem ens necessarium. Id enim perinde esset, ac fingere seriem rerum contingentium instar catenae infinitis constantis annulis, quorum singuli, ac omnes producti essent, atque adeo ab alio dependentes, catena vero ipsa improducta, ac ex se suspensa manens, quin in se sufficientem virtutem haberet, qua subsistere, et quin sustentaretur ab alio. Evidens vero est, catenam hanc repugnare. Id enim esset fingere ens aliquod infinitae durationis, quod nec a se, nec ab alio existentiam haberet. Ergo evidens itidem esse debet, repugnare collectionem entium, quorum omnia, ac singula producta sint, ac esse non possint, nisi ab alio, ipsorum vero collectio improducta, et independens sit. Est ergo evidens existere ens necessarium, quod a se sit, quod in semetipso sufficientem existentiae suae, ac rerum omnium contingentium rationem habeat, et causa, et origo sit omnium contingentium. Id adeo verum est, ut nequidem Athei in controversiam revocare audeant. Ostendemus paulo infra, materiam inter entia contingentia numerari. Interim per corollaria demonstrare oportet, ens necessarium esse Deum Mundi Auctorem, Rectoremque.

48 I. Ex superiori demonstratione liquet, *ens necessarium esse ens a se*, quia ex se, non ab alio est; nec alia opus habet causa, ut existat, et conservetur.

49 II. *Entis necessarii essentia in existentia necessaria, sive a se, posita est.* Nam id, quo posito, res est, et, quo sublato, tollitur, quod primum in re concipitur, quodque rem illam ab omni alia secernit, atque attributorum omnium fons est, atque origo, pro rei essentia, sive primario ejus attributo habetur; In ente vero necessario existere, sive existentia a se, vel ut scholae loquuntur, *Asseitas*, id est, quo posito, ens necessarium habetur, et, quo sublato, non amplius est, ut est evidens. Rursus *asseitas* est, qua ens ad entis necessarii constitutionem determinatur, et qua a contingenti secernitur: Ex hac denique necessaria existentia, veluti ex prima radice, atque fonte omnes istius proprietates deducuntur, ut mox apparebit. Existentia ergo necessaria, sive *asseitas*, essentia est entis necessarii. Hinc Deus ut se hominibus ens necessarium esse demonstraret, a Mose rogatus, ut quid ipse esset, exponeret, respondit: *Ego sum, qui sum*, hoc est, ipsum esse necessarium, ac plenitudo entis.

III. *Est aeternum;* Nam quod semper est, ac semper in se habet quidquid ei competere possit, id aeternum dicitur; nam ejus duratio, initio, et fine caret, ejusque perfectio tota simul, et interminabilis est. Hujusmodi vero ens necessarium est; ejus enim natura ex se ipsa existentiam, et quidquid exigit necessarie possidet; et nec a se ipso, neque ab alia causa in nihilum redigi, aut imminui quidpiam potest. 50

IV. *Est prima causa, et fons omnium contingentium;* Nam a seipso est, neque causam ullam habet, a qua pendeat: Contigentia vero cum nec a nihilo, nec a se ipsis existentiam habere possint, causam existentiae suae non aliunde, quam in ente necessario habent. 51

V. *Ens necessarium habet omnes perfectiones possibiles.* Quotquot enim possibiles sunt perfectiones, vel necessariae sunt, vel contingentes; nil enim in rerum universitate concipi potest possibile, quod non sit aut ens necessarium, aut ens contigens; nam praeter ea, quae natura sua existunt, ac non possunt non existere, et ea, quae sunt indifferentia ad existendum, et non existendum, nil superest praeter merum nihil. At in ente necessario sunt perfectiones omnes entis necessarii, et quotqunt possibiles sunt enti contigenti: De perfectionibus entis necessarii nemo dubitat, cum has absolute naturae suae necessitate possideat, qua necessarie sibi vindicat, quidquid habere potest: De contingentibus vero facile patet. Nam vel haec existunt, vel possibilia sunt: quaecumque existunt, existentiem suam, et quidquid perfectionis habent, ab ipso ente necessario acceperunt; quae autem possibilia sunt, non aliunde possibilem existentiam, et perfectionem habent, quam ab ente necessario, ejus unice virtute produci possunt. 52

VI. *Perfectiones entis necessarii infinitae sunt, et nil imperfectionis admixtum habent;* Nam in hujusmodi ente perfectiones omnes possibiles continentur entium contigentium. Hae vero infinitae sunt; sunt enim infinita cum numero, tum etiam specie contingentia possibilia. Sunt etiam hujusmodi perfectiones illimitatae: nam per absolutam naturae necessitatem, qua ens necessarium determinatum est ad existendum, determinat, atque vindicat sibi modo omnium perfectissimo, scilicet respondente existentiae necessariae, quidquid ei compossibile sit. Sunt autem ei infinitae perfectiones possibiles, cum has in eo non repugnere clare intelligamus. Itaque cum causa desit, quae imminuere illas, ac limitare possit, ac per existentiam determinatae sint, qua perfectior concipi nequit, nonnisi illimitatae esse possunt. Est ergo ens necessarium infinitum, et nihil imperfectionis admixtum habet, cum imperfectio defectus sit, in eo vero nihil deficiat. 53

Atque hinc patet, perfectiones, quae dicuntur in scholis simpliciter simplices, cujusmodi sunt illae, quae nihil imperfectionis admixtum habent, 54

in eo repiriri *formaliter:* Eas vero, quibus quidpiam imperfectionis admixtum, ut sunt corpora, et ea, quae natura sua defectibilia sunt, atque ad interitum praeproperant, *virtualiter* tantum, et *eminenter;* cum quidquid in hujusmodi rebus perfectionis sit, infinite eminentiori modo in illo contineatur, ac produci ab illo possit.

55 VII. *Est etiam immensum*, tum quia absoluta existendi necessitas aeque exigit esse ubique, ac alicubi; ergo cum causa desit, quae unum, vel certum locum determinare queat, necessarie ubique esse debet. Tum etiam, quia haec ei perfectio possibilis est, cum concipere possimus spatium, sive expansionem immensam; cumque clare intelligamus, in qualibet illius expansionis parte ens aliquod contigens efficere posse. Si autem immensam expansionem concipere possumus, cui ens necessarium praesens sit, jam clare intelligimus, ei omnipraesentiam, sive immensitatem possibilem esse.

56 VIII. *Est immutabile* Nam quidquid mutari potest, vel ab externa, vel ab interna causa mutatur: ens vero necessarium cum independens sit, ex externa causa mutationem subire nequit; neque ab interna, cum naturae necessitate quidquid ei compossibile sit, necessarie possideat. Rursus mutationem experiri nequit ratione existentiae, quae ei necessaria est; ratione loci, cum sit immensum; ratione temporis, cum aeternum sit, ac omnes temporis differentias complectatur; ac ratione perfectionum, cum natura sua infinitum sit. Est ergo immutabile.

57 IX. *Est Omnipotens.* Nam omnia potest, quae possibilia sunt, cum nil possibile sit, quod in ente necessario existentiae, ac perfectionis suae rationem sufficientem non habeat.

58 X. *Vivit voluntate, et intellectu praeditum,* Nam hujusmodi perfectiones in entibus contingentibus reperiuntur, in quibus non sunt, nisi quaedam entis necessarii participationes. Deinde insunt in eo omnes possibiles perfectiones infinitae, ut demonstravimus; sunt autem hae perfectiones ei possibiles, atque modo infinite perfecto in eo reperiri intelligimus.

59 XI. *Est etiam liberum;* tum quod haec ei perfectio non repugnet; tum quia rerum contingentium natura, atque contingentes leges, quibus earum motus reguntur, ipsius libertatem designant: tum demum quia inter creaturas entis necessarii virtute conditas, homo reperitur, qui perfectionem libertatis habet. Haec ergo in ente necessario modo infinite perfecto reperiri procul dubio debet.

60 XII. *Est spirituale, et incorporeum.* Etenim intellectu, et voluntate praeditum est; atque extensum esse non potest: Nam est immutabile, et nihil imperfectionis habet: quod vero corporeum, et extensum est, cum ex pluribus coalescat, quae dividi, ac separari, et novas figuras, novesque motus suscipere possunt, immutabile esse non potest, nec defectus, sive imperfectionis expers. Tum quia in partes discerpi posse, et mutari imperfectio est, hoc est, defectus immutabilitatis, atque perfectae, et constantis perfectionis. Tum etiam quia in corporea, et extensa natura desunt cognitio, ac perfectiones omnes inde sequentes, ut in philosophia satis demonstratum est. Atque hinc patet, ens necessarium esse substantiam spiritualem infinitam, quam Deum vocamus.

XIII. *Est simplex.* Nam simplex dicitur, quod 61
compositionis est expers. In Deo autem nulla compositio esse potest: etenim immutabilis est, et infinite perfectus; res vero, quae physice composita sit, cum in partes, ex quibus componitur, dividi possit, mutari potest, et ob divisibilitatem imperfecta est. Deus ergo nec ex mente, et corpore conflatus est, ut anthropomorphitae opinabantur; neque mens est, cui nova accidentia superaddi possint, et quae accidentaria quadam luce affici possit, ut Palamitae commenti sunt; nec denique extensus Spiritus est, ut Clarckius, allique arbitrati sunt, qui spatium Dei immensitatem esse asseruerunt: nam quod ita extensum sit, ex pluribus partibus coalescat necesse est, cum nonnisi per has extendi queat. Accedit etiam, quod si Divinus Spiritus ita extensus esset, vel quaelibet pars ipsius Deus esset, vel non. Si primum, tot Dii essent, quot infinitae illius extentionis partes. Alterum vero dici nequit; Nam si hujus Spiritus partes, vita, intellectione, et libertate carerent, neque harum collectio iis praedita esse posset. Denique si res ita se haberet, Deus totus ubique non esset, sed pars ejus in sole exempli grat. in terra etc. immo pars tantum ipsius in ista rerum universitate reperitur; quo quidem nihil absurdius. Qua autem ratione Deus praesens loco sit, dicemus alibi.

XIV. *Deus unus est.* Nam est ens necessarium, 62
entia vero necessaria plura esse non possunt; nam illud tantum ens necessarium est, quod non possumus cogitare non existens; omnia autem entia, uno excepto, concipere non existentia possumus; si enim novem ex. gr. fingantur, octo inutilia esse facile concipiemus. Deinde est infinite perfectus: plura vero entia infinite perfecta dari non possunt, quia unum perfectione careret, quam alii haberent, ideoque omnibus quidpiam deficeret. Accedit etiam, infinite perfectum immensum esse, ideoque a nulla alia re excludi posse; omnipotens esse, ideoque potentiam experiri non posse contrariam, et ipsi aequalem; omniscium denique esse, ideoque ignorare nihil posse. At si plura infinite perfecta essent, unum alterum e loco excludere posset; unius potentia alterius aequalem posset impedire; unus denique vim, atque consilia alterius independentis non intelligeret. Si vero dixeris, mendicare unum Deum posse ab alio vim agendi, et scientiam, quam diximus, jam independentiam, et entis necessarii notionem sustulisti. Denique ordo rerum contingentium, qui in hac universitate viget, unius Supremi Dei existentiam

declarat. Atque haec de praecipuis Dei attributis. Ut autem adversus Atheos res abunde demonstrata maneat, ostendendum suscipimus, materiam non esse ens necessarium.

63 Materia omnes contingentis characteres habet. Nam potest non existere; id enim clare intelligimus; etenim, vel Universum plenum est, vel quid piam vacui habet. Si quidpiam vacui in Universo sit, jam clare intelligimus, ibi materiam non esse, et qua ratione concipimus materiam non existere ibi, eadem spatium omne sine materia esse intelligimus. Si vero vacuum non detur, concipere tamen illud nil vetat: quid enim prohibet, quominus spatium inter aulae parietes interceptum omni destitutum corpore concipiamus? Si concipere possumus materiam non existere, ergo in idea materiae idea existentiae non reperitur, atque existentia necessaria ei non competit. Rursus materia habet omnes modos contingentes, et mutabiles; Sunt enim materiae motus magnitudo, figura, motus, situs, soliditas, inertia etc. hujusmodi autem proprietates, seu modi, contingentes, seu mutabiles, sunt, nec aliter concipi possunt, quam ut arbitrarii effectus causae a materia distinctae. Tum quia motus illi contrarii materiae possibiles sunt; tum etiam quia successive eosdem materia induit; quae quidem mutatio entis necessarii naturae repugnat. Illos vero a causa arbitraria pendere, tum eorum contingentia ostendit; tum etiam ex eo liquet, quia ab indito materiae motu ii repeti nentiquam possunt. Materiae enim neque motus, neque vis motrix essentialis statui potest; tum quia sine motu a nobis concipitur, et veluti res indifferens ad motum, et quietem; tum etiam quia si essentialis materiae motus esset, nulla ipsius pars quiesceret, immo nequidem quiescere posset; secus ac experientia docet, quae plura quiescere corpora demonstrat, atque omnibus inditam ostendit vim inertiae, qua corpus quodcumque status mutationi resistit; tum demum quia motus, et leges, quibus materiae motus regulantur, arbitrarii sunt. Cum non sint ubique uniformes, ut Philosophi demonstrant de vi gravitatis, cohaesionis, repulsionis, et percussionis disputantes. Quae cum ita se habeant, ita propositionem demonstramus: Quod proprietates non habet entis necessarii, et omnes proprietates exhibet entis contingentis, contingens est; materia vero destituitur proprietatibus entis necessarii a nobis expositis, et per omnes proprietates, quas habet, contingens ostenditur. Ergo.

64 Dices: ex nihilo nihil existere; ergo, cum materia existat, quae ex nihilo fieri non potuit, necesse est natura sua existere.

65 Resp. ex nihilo nihil existere, quin causa praeextiterit, quae efficere illud potuerit, quod idem est, ac dicere, a nihilo nihil effici potest: at si causa praecessit, quae creare rem potuerit, nihil prohibet asserere rem ex nihilo factam. Nam ens illud cogitans, quod in me, et in quolibet homine est, initium proculdubio habuit: perspicue enim intelligo non fuisse semper; e nihilo ergo potentissimae causae actione conditum est. Si ens cogitans hac ratione fieri potuit, cur non etiam materia? Deinde ens illud cogitans, quod in me est, voluntate sua efficere motum potest, ac motum sistere, ut quisque intimo sensu cognoscit. Si mens limitata tanta vi pollet, ut novum efficere valeat motum, mens infinite perfecta, ac infinita potentiae praedita, poterit sane non modo motum, sed ipsam etiam substantiam voluntate sua efficere.

Dices: at intelligere non possumus, quomodo res ex nihilo fiat. Sed nequidem intelligere valeo, qua ratione vis elastica, vel electrica, aut magnetica agat, nec proinde harum virium effectus in controversiam revoco. Immo nec intelligo, quomodo ad nutum voluntatis meae digitus moveatur unus, ac illico is deinde sistatur, et agitetur alter, et tamen de iis dubitare non possum. Ergo quod intelligere nequeam, qua ratione ex nutu divinae voluntatis extiterit ex nihilo materia, in dubium istius creationem revocare non possum; cum haec per proprietates, et affectiones omnes veluti effectus infiniti arbitrii exhibeatur. 66

Corollarium.

I. Ex dictis facile patet, falsam esse antiquorum fere omnium Philosophorum, atque Hermogenis sententiam de duobus Principiis aeternis, altero efficiente, altero quod fingeretur; ac falsam itidem esse doctrinam de duobus principiis a Zoroastre apud Orientales traditam, ac per Simonem Magum in Ecclesiam traductam juxta quam duo statuebantur aeterna principia, bonorum unum, alterum vero malorum omnium fons, et origo. Ii enim omnes malum principium, vel materiam ipsam statuere, at materiam una cum maligna ipsi indita virtute, ex qua maligni spiritus prodierint, ut Manichaeorum plerique, atque Priscilianistae somniarunt. Si materia aeterna, increata non est, sed Dei summe boni, ac potentissimi effectus, hujusmodi commenta a fundamentis evertuntur. Sophismata vero, quae circa malorum originem opponunt, in sequenti parte solvemus. 67

Pars altera.

De Dei providentia, atque officiis hominis, quibus naturalis Religio constat.

Providentiae nomine rationem intelligimus, qua per apta media finis procuretur. De Dei itaque providentia disputari inquiremus, num certum ob finem res condiderit, ac res singulas certa ratione in suum finem dirigat. Haec enim inquisitio adeo cum Dei existentia connexa est, ut veteres non dubitaverint confidenter asserere, Epicurum ob negatam Dei providentiam rem sustulisse, ac solum Dei nomen reliquisse. Duplex autem distingui 68

potest regimen, ac rerum cura, physica, et moralis: illa iis legibus continentur, quibus res omnes certo ordine dispositae per quasdam naturae leges in suum finem diriguntur: moralis vero in cura illa sita est, qua creaturae rationo, ac libertate praeditae ita legibus reguntur, ut indito quodam naturae sensu, spe praemiorum, poenarumque metu in certum finem dirigantur, hoc est in optatam felicitatem. Paucis hic expendemus, quae ad Providentiam, ejusque proprietates spectant, et quae contra ab impiis opponi solent; deinde hominis officia ab hac providentia praescripta designabimus; poenas denique, atque supplicia ostendemus, quibus ad hujusmodi officia praestanda eosdem impellit.

Propositio I.

Deus providentia sua omnia regit, et moderatur.

69 Dem. Posita infinita perfectione, quam sibi vindicat ens necessarium, evidens est, Deum providentia sua cuncta regere, et moderari. Cum enim in entibus contingentibus substantiae reperiantur ab ipso conditae, quae intellectu, et sapientia praeditae sunt, qua certos sibi fines praefigunt, et apta ad illorum consecutionem media disponunt, et adhibent, facile patet, hanc perfectionem in Deo sine limitatione ulla reperiri. Rursus Deus operando, modo naturae suae conveniente agere debet, alioquin in actionem ipsius cadere imperfectio posset: ergo non potest agere, nisi modo infinitae sapientiae suae respondente: infinite vero sapientis est finem in agendo sibi proponere, ac aptissima ad istius consecutionem media adhibere. Item agere non potest, nisi modo infinitae suae bonitati respondente; boni vero opificis est, opus quod fecerit curare. *Quis enim deserat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere; nonne major injuria est fecisse? cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit: non curare, quod feceris, summa inclementia*, inquit Ambrosius, *de off. c.* 13.

Propositio II.

Dei providentia cum sapientia, sanctitate, justitia, bonitate, caeterisque possibilibus perfectionibus moralibus conjuncta est.

70 Dem: quia haec perfectio, sive attributum est entis necessarii; omnia vero entis necessarii attributa absoluta necessitate perfectiones omnes illimitatas sibi vindicant, quae sunt ipsi possibiles. Omnes autem istae perfectiones cum providentia componi possunt.

Deinde sapientia est cognitio, qua finem eligit, et apta ad illius consecutionem media disponit, et adhibet; sanctitas est, quae in recti, bonique amore consistit, quaeque mala moralia, cujusmodi sunt peccata, atque vitia, omnino excludit; justitia constans voluntas agendi juxta aeternas, et incommutabiles rationes, et praemia, atque supplicia tribuendi juxta merita, atque demerita; bonitas denique constans voluntas est benefaciendi, seu communicandi felicitatem creaturis: haec vero dum non merentibus dona largitur, gratia: dum malis merita tribuit, misericordia; ubi vero malos punire tardat, longanimitas nuncupatur. Atqui hujusmodi perfectiones in Deo insunt; tum quia sine ipsis non esset infinite perfectus; tum etiam quia harum vestigia, ex participatione ab ente necessario, in ipsis creaturis rationalibus reperiuntur. Ergo juxta principia superius stabilita, in Deo infinite perfecto reperiri debent.

Atque hinc sequitur etiam esse Deum infinite veracem, qui nec falli, nec fallere possit. Nam infinite sapiens falli nequit, alioqnin infinite perfecta ipsius sapientia non esset; in eo enim, qui decipitur, sapientia deest. Infinite autem bonus nequit fallere; decipere enim alium, malum est, defectus est, ac rectae rationi dissonum est. At in infinite bonum, malum cadere nequit, alioquin infinite bonus non esset, quia defectum omnem non excluderet; quod ad plenitudinem bonitatis omnino necessarium est. 71

Propositio III.

Systema divinae providentiae incomprehensibile est.

Nam ab aeterna, immensa, et infinita sapientia stabilitum est, quae infinite superat limitatae mentis nostrae captum. Ita enim natura nos comparati sumus, ut quo a praestantiori ingenio, atque arte, inventa, atque disposita opera sint, eo difficilius comprehendamus: hinc rudes homines praeclara humani ingenii inventa, et consilia Principum non intelligunt; et a brutis intelligi, quae ab hominibus fiunt, nullo modo possunt. Deinde systema hujusmodi seriem complectitur omnium temporum, entium omnium, ac omnium eventuum sibi invicem cohaerentium, ac sese successive explicantium: Res vero omnes, quibus Universus constat, leges, quibus cum omnes, tum singulae reguntur; mutuae inter ipsas actiones, et relationes, et quantum singulae aliis conferunt, cognitum nobis esse non potest, ut experientia constat; ac multo minus successionem, earumque futuros eventus intelligimus. Immo nec minimam rem, vel nos ipsos comprehendimus, cum plura sint, quae de re qualibet, ac de nobismetipsis ignoramus, quam quae novimus, ut est evidens. Systema ergo divinae providentiae etc. 72

Atque in hac ipsa incomprehensibilitate ipsius sapientia elucet. Tum quod id plurimum conferat ad movendos homines ad opera admiranda divinae providentiae, ac venerandum supremum Opificem, 73

cum homines, quae obvia sunt, parvi pendere, quae vero magis recondita videntur, plurimum existimare soleant: Tum etiam, quia incertus rerum eventus necessarius videtur ad homines probandos, et ad summarum virtutum exercitium, fidei nempe, spei, fiduciae, et devotae erga Deum voluntatis, et ad fovendam sollicitudinem felicitatis vitae futurae, quae per spem, atque metum a vitiis nos retrahat, et ad virtutes incitet.

74 Si integrum hujus Mundi systema compertum nobis non est, sed plures ipsius partes, ac rerum in eodem ordine, varietatem, relationes, usus, atque fines ignoramus, nil nos certi decernere possumus de pulchritudine, de bono, deque perfectione ouius; sed cum evidenter nobis constet, a Deo summe sapiente, conditum esse, et gubernari, praesumere omnino debemus, ad Universi pulchritudinem, atque perfectionem spectare ea quoque, quae superflua, vel noxia videantur, quia nos pulchritudinem intelligamus, et quin usus, et commoda ulla inde experiamur. Audi hac de re Augustinum adversus Manichaeos disputantem *lib. de Gen. cap.* 18. *Cum ista dicunt, non intelligunt quemadmodum omnia pulchra sunt Conditori, et Artifici suo, qui omnibus utitur ad gubernationem universitatis, cui summa lege dominatur. Si enim in alicujus Opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat: et si multum est insipiens, superflua putat. Jam vero si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, seipsum vulneravit, etiam perniciosa, et noxia existimat ibi esse multa. Quorum tamen usum, quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, et verba inepta non curans officinam suam constanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare, quae ignorant; sed cum ea viderint credant esse necessaria . . . . In hoc autem Mundo, cujus conditor, et administrator praedicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident . . . Quae omnia unde veniant, non intelligo, nisi a summa mensura, et numero, et ordine, quae in ipsa Dei sublimitate incommutabili, atque aeterna consistunt . . . De superfluis vero quid nobis est quaerere? Si tibi displicet, quod non prosunt, placeat, quod non obsunt: quia etsi domui nostrae non sunt necessaria, eis tamen completur hujus universitatis integritas, quae multo major est, quam domus nostra, et multo melior: hanc enim multo melius administrat Deus, quam unusquisque nostrum Domum suam.*

Solvuntur argumenta contra Dei providentiam ex malis petita.

75 Hic ad leviora solvenda Epicureorum sophismata, notare sat est, Deum qua omniscium, omnia etiam possibilia cognoscere; qua infinite sapientem, nullum a se conditum opus negligere posse; qua infinite activum, atque potentem, omnium curam sine defatigatione gerere; et qua infinite beatum, et sufficientissimum, nullam ex rerum cura pati posse molestiam. His itaque missis, reliqua persequamur, quae ab Epicureis, Manichaeis, atque Baylio proponuntur. Quae quidem omnia huc recidunt.

Deus est infinite sapiens, bonus, sanctus, et justus; Curam ergo rerum universitatis non gerit. 76
Nam si infinita sapiens auctor, ac rector Mundi esset, nil in eo superflui, monstruosi, atque imperfecti occurreret: si infinite bonus, nihil homini noxium haberetur; si infinite sanctus, vitia, atque peccata omnino exciderentur, quae cum sanctitate pugnant; si denique infinite justus, virtutes praemio compensarentur, ac vitiis praesto supplicia essent. In hac autem rerum universitate plura deformia, et monstruosa sunt, plura humano generi infensa animantia, desertae regiones, atque alia plura nullius prorsus usus; plura itidem noxia sunt humano generi, ut infirmitates, dolores, senectus, mors ipsa omnium maiorum pessima. Vitia praeterea, et peccata reperiuntur, et bona probis, improbisque aeque distribuuntur, nec virtuti praemia respondent. Mundus ergo Respublica non est, quam infinite sapiens, bonus, sanctus, et justus moderetur, et curet.

At haec facile corruunt, si animadvertamus ignorare nos Mundi systema, rerum usus, et fines, ac infiniti opificis artem, atque consilia. Nam cum haec omnia ignoremus, reponere possumus, res, quae nullius nobis usus videntur, usus habere in aliis rebus; quae monstruosa videntur, ad Universi pulchritudinem spectare, ac suos quoque in eodem usus habere; quae infensa apparent humano generi, ad systematis pulchritudinem necessaria esse, et homines per metum ex illis ortum, ad societatem ineundam, quae maximum ipsis bonum est, quodammodo impellere, ac alias ignotas nobis utilitates afferre: quae noxia sunt hominibus, ut dolores etc. praeterquamquod ex revelatione novimus, poenam peccati esse, haberi posse naturales hominis conditiones, qui cum ex partibus compactus sit, quae perpetuo motu agitantur, natura sua, ut res aliae compositae, ad interitum properat; dolores vero, qui ex infirmitatibus sunt, si ratione finis spectentur, boni, et quodammodo necessarii homini deprehenduntur, cum per hos moneantur, ut noxia caveant, atque ea procurent, quae ad vitam conservandam sunt necessaria. Ad moralia vero mala quod spectat, ac bonorum in hoc mundo distributionem; fac hominem natura sua liberum esse, sed defectibilem, cum ens contingens sit, et limitatum: fac etiam vitam futuram esse, in qua bonis praemia, improbis vero supplicia parata maneant; quis infinite sapientis consilia, quae nobis explorata esse non possunt, reprehendat, quod vitia, et mala moralia permittit, quod virtuti in hac vita praemia non respon- 77

dere videmus: quod demum bona sua non aeque omnibus distribuit? Nam si explorata nobis systematis Universi consilia forent, perspicue intelligeremus, infinitae sapientiae ordinem postulare, ut homini natura sua libero, usus libertatis concedatur, ideoque, ut permittantur mala moralia, quae inde sequuntur; ut praemia, atque supplicia in futura vita distribuantur; atque ut nonnullorum bonorum largitio a sola munificentia supremi Opificis pendeat. Haec satis esse videntur ad Atheorum extricanda Sophismata; sed ut nil omittamus in Dei providentia comprobanda, per singula malorum genera paucis discurramus.

78 Tria sunt malorum genera. Alia enim sunt metaphysica, alia physica, alia denique mala moralia: malum metaphysicum in defectu summae, et infinitae perfectionis; malum physicum in dolore, sive voluptatis defectu; malum denique morale peccatum est, sive defectus rectitudinis, et conformitatis ad legem, quae in deliberata hominis actione inesse debet. Malum metaphysicum in creaturis necessarium est. Nam creaturae non possunt esse nisi limitatae, sunt enim entia contingentia, quorum perfectio limitata est; solius enim entis necessarii proprium est, infinitum esse. Creaturae ergo esse non possunt nisi limitatae, atque imperfectae. Imperfectio ergo haec non Creatori, sed creatae naturae tribuenda est, quae non nisi limitata esse potest. Ergo in systemate rerum contingentium mala metaphysica ex ipsa rerum natura necessaria sunt. Nec sapientiae id obest Auctoris, qui non nisi ex possibilibus contingentibus Universum formare poterat. Et conveniens fuit, ut non res omnes aeque perfectae essent; tum quod Universum constet ex partibus, quae totius perfectionem habere non possunt; tum quod in eo res una alterius usui inservire debeat; tum denique quia *in rerum bonarum inaequalitate ipsa est jucunda gradatio, ubi minorum comparatio ampliorum est commendatio*, ut inquit *August. contra adver. leg. et Proph. lib. 1. cap. 4.*

79 Mala physica, metaphysici mali consectaria sunt. Nam ex peccato orta sunt, peccatum vero ex limitata, et defectibili hominis libertate. Deinde mala haec veluti media nobis exhibentur, quibus nos Deus a nimio praesentis vitae, ejusque bonorum amore retrahit, ne aeternae vitae bona, atque legem contemnamus. Sunt enim, vel praeparationes quaedam ad virtutem, ne peccemus, vel justae punitiones, cum peccavimus, ut a peccatis recedamus. Nam animi, corporisque doloribus monemur, non hanc, quam nunc veluti peregrini incolimus, sed futuram aeternam alterius vitae nostram patriam esse, ad quam intimo quodam conatu natura tendimus. Nil ergo vetat, quin haec ab infinite sapiente proficiscantur, sicut a bono medico ingratum sapori pharmacum; cum bona sint, quibus malis, quae ex metaphysico oriri possint, cujusmodi moralia sunt, medeamur.

80 Moralis denique mali fons, atque origo in limitata rationalis creaturae libertate posita est. Nam si creaturae omnes limitatae, atque imperfectae propria natura sunt, homo etiam imperfectus, ac natura sua limitatus fieri debuit. Si limitata mens, ac ratio hominis est, ideoque defectus, errorisque capax, regula opus habuit, qua tuto, et sine erroris periculo, optatam felicitatem agnosceret, et prosequeretur: ita enim natura sua felicitatem expetit homo, ut velle esse miserum, etiamsi velit, non possit. Si regula haec homini necessaria est, quae apta ad felicitatem media, ac tutam viam demonstret, infinita sapiens, qui hominis curam gerit, praescribere hanc eidem debet, alioquin sapienter cum ipso non ageret, quia media non designaret ad finem necessaria. Hanc ergo regulam praescripsit; at homo natura sua liber est, atque ita proprietas haec cum ratione conjungitur, ut tolli ea ab homine non potuerit, quin rationis expers, ideoque non homo esset, ut etiam Basilius, aliique SS. Eccles. Patres observarunt. At libertas limitata, et finita esse debuit in creata natura, ut diximus. Deficere ergo a regula potuit, atque errare, tum in fine sibi proponendo, tum in electione mediorum; quamobrem necessaria quoque poena fuit, qua in officio a regula praescripto contineretur, et ad resipiscendum post lapsum impelleretur: ideoque haec etiam ad sapienter regendum hominem praescribenda fuit. At haec omnia occurrunt in Dei erga hominem providentia. Quid ergo in ea mali occurrit? num quia lex homini data? At dedecet bonitatem, et providentiam Supremi Rectoris, hominem erroris capacem, sine lege esse, qua dirigatur. Num quia libertas? sublata vero ratione, quae sine libertate non consistit, hominis natura tollitur. Nec sapientis est, operis, quod faciendum putavit, naturam destruere. Num denique, quia creaturam rationalem fecit? At si ne creatura rationali non amplius in Mundo Dei imago esset, cui communicando Deus bonitatem suam, beneficum se demonstraret. Accedit etiam, ex horum malorum permissione majora etiam bona Deum eruere, quae ad systematis divinae providentiae ordinem, perfectionemque conferunt, ut pluribus demonstravit S. Augustinus. Hac enim posita, locus est nonnullorum divinorum attributorum manifestationi, longanimitati praesertim, misericordiae, et justitiae ex parte supremi Rectoris. Ex parte vero Universi, locus virtuti morali est, quae sine libertate eligendi bonum, vel malum haberi non posset. Quae cum ita se habeant, perspicuum est, neque ex malis moralibus, neque ex physicis inde sequentibus, quidpiam adversus divinae providentiae systema argumentari posse, cum rerum natura attente perpensa, ac rerum cognito fine, nil occurrat, quod cum infinita Auctoris, Rectorisque sapientia optime non cohaereat.

Atque hinc facile patet, neque infirmum Deum esse, qui tollere, vel impedire haec in Mundo mala non possit, nec invidum, si non impediat, 81

dum possit. Poterat utique potentia sua, vel donum libertatis homini adimere, vel voluntatem in se liberam a prava electione continere, aut ita auxilio suo flectere, ut in malum declinare non posset; Sed non decuit divinam sapientiam rationalis creaturae naturam immutare, adimere omnem virtuti locum, atque meritum, et demeritum ex hac rerum universitate excludere, per quae summa ipsius erga homines beneficentia, atque justitia manifestaretur. Mala ergo non sustulit, quia haec auferre non poterat, nisi simul bona longe plura sustulisset, quae imperscrutabili ipsius consilio convenientia rerum Universitati viderentur. Rursus in dividendis bonis suis nulla lex Deo est praeter arbitrium. Si enim ad quidpiam condendum infinita bonitas teneretur, istud esset perfectissimum; perfectissimum autem bonum creatum repugnat; Necesse ergo est, ut bonitas infinita in gradu finito perfectionis, et felicitatis consistat. Quinam vero est gradus finitus, cui Deus adstrictus sit? nullus sane: Ergo bonitas, quamvis infinita, in quovis gradu perfectionis, et felicitatis creaturae sistere potest, ideoque in eo, qui proprius est homini in praesenti statu, et conditione.

82 His stabilitis principiis, facile ostendere est vanitatem exemplorum, quae olim a Manichaeis, et Epicureis, nuper vero a Baylio ad labefactandam divinam providentiam allata fuere, de medico nempe, qui sciat aegrotum, qui vinum jussus sit bibere, statim periturum, si sumat, idque permittat, et de matrefamilias, quae ne filiae libertati obsit, permittit hanc in perditorum hominum ludis versari, in quibus pudicitiae suae jacturam certo facturam novit. Nam ii non vacarent culpa, quia mortem medicus, mater vero filiae suae pudicitiae jacturam impedire tenetur, et aegrotus sine vino convalescere, et vivere, ut vivere puella potest, quin se ad ludos illos se conferat; at supremus rerum conditor, et rector non tenetur usum impedire facultatum, quas ad bonum finem, atque felicitatem comparandam creaturis indiderit; non potuit libertatem homini auferre, quin ipsius naturam, aut perderet, aut immutaret: jus plenum habuit constituendi certos in homine perfectionis gradus: tutas praescripsit regulas, quibus homines a malo avocaret, et in felicitatem dirigeret: internum quoque auxilium praebet, quo freti rite illas exequantur: praemiis, atque suppliciis a malo eos retrahit, et ad bonum impellit: ex malorum denique permissione bona illa eruit, quae supra recensuimus. Atque haec quo ad malorum originem: de praemiorum vero, poenarumque distributione dicemus infra.

83 Inquiri hoc in loco posset, quodnam motivum, et quinam finis Deo in rebus condendis fuerit. Sed rem paucis expediemus, explicato discrimine, quod motivum inter, atque finem intercedit. Motivum itaque vocamus id, quo Deus movetur, et inclinatur ad creandum Mundum; finem vero id, quod Deus per conditum Mundum obtinere voluerit, sive ad quod omnia opera sua *ad extra* ordinaverit. Hac distinctione posita, facile conciliari invicem possunt dissidentes Theologorum hac de re opiniones. Nam Estius, aliique motivum cum fine confundentes, negant, Deum finem sibi proposuisse ullum, dum Mundum conderet, quod tamen sine infinitae ipsius sapientiae injuria dici nequit. Itaque Deo extra infinitam libertatem suam nil motivum fuit creandi Mundum, scilicet, nec res ipsae creatae, nec quidpiam ex istis consurgens. Nam cum independens omnino sit, pendere a creaturis nequit; at si ab iis determinari oporteret ad creandum, penderet ab ipsis, atque in hac determinatione passive se haberet, ageretur enim. et non ageret. Rursus cum sit Deus sibi sufficientissimus, ac nullius indigens, nihil a se diversum expetit, nam rei a se diversae appetitia indigentiam denotat. Determinari ergo non potuit ab aliquo, quod ex ipsis creaturis expeteret. Denique cum creaturae ante liberam divinae voluntatis electionem nihil omnino sint, nil habent, quod movere Deum possit; et si per objectivam repraesentationem movere creaturae Deum possent, omnes indiscriminatim creaturas possibiles produxisset: nam nulla reddi potest ratio, cur aliquas tantum elegisset, cum omnes aeque habeant objectivam illam bonitatem, qua Deus ad creandum motus, et determinatus statuitur. Itaque in sola Dei libertate quaerenda causa determinationis est, qua motus sit ad Mundum creandum, ut post Augustinum *l. 28. de Civ. Dei* S. Thomas asseruit *par. 1. qu. 19.* Nam cum Deus sit infinite perfectus, et sibi sufficientissimus, non plus ei molestiae afferre potest voluntas creandi, quam otium. Cum prima causa sit omnino independens, determinatio, ac inclinatio ipsius voluntatis diverso a nobis concipi debet modo, ac determinationes concipiuntur causarum secundarum, in quibus inclinatio, et actio a praecedente aliqua passione pendent. In Deo ergo sola infinita libertas causa est, a qua determinatio ad creandum pendet. Hinc praesto responsio est, dum inquirunt, cur prius non creaverit Mundum? Cur certo, ac determinato spatio res omnes concluserit? Cur non plura produxerit? Cur denique alias Creaturis non indiderit dotes? Scilicet, quia noluit.

Finis vero divinarum *ad extra* operationum non deest, cum infinita sapientia non casu, sed proposito fine agere debeat. Is vero nonnisi Dei gloria esse potuit, cum nonnisi propter seipsum infinitum, et sibi sufficientissimum operetur. Dei autem gloria ex divinorum attributorum exercitatione, ex divinarum perfectionum in creaturis expressione, aliisque consurgit, quae creaturas rationales ad ipsum glorificandum moveant. Haec de Providentia generatim: agendum nunc est de peculiari cura, quam erga rationales creaturas Deus exercet, et. 84

De officiis hominis, quae ex Dei Providentia sequuntur.

85 Nonnulla praemitiimus, quae vel omnino explorata sunt, vel in Philosophia abunde demonstrata statuuntur. Primo hominem a Deo ratione donatum esse, ut intimo sensu novimus. Secundo, inditum ei esse appetitum felicitatis, ut malum, et miseriam velle non possit. Tertio, liberum esse ad agendum, et non agendum, ac libertatem nonnisi a summo bono, in quo summa ipsius felicitas posita est, vinci omnino posse. Quarto, errare per rationem posse, rationem regulae capacem esse, ac posse per libertatem a rationis regula deficere. Quinto, principium rationis, et libertatis a corpore distinctum, et diversum esse, atque incorporeum, et spirituale; quod quidem tum in Philosophia abunde probatum stabilimus; tum etiam ex his paucis, quia nempe movet corpus, ac corporis partes virtute sua sistit, aut motas dirigit, ac distrahit se a consideratione molestae alicujus corporis partis impressionis, et ad alia consideranda objecta seipsum applicat, etiam incorporea, atque sublimia, in quorum contemplatione ita quandoque defixum manet, ut, quae in corpore fiunt, ne quidem intelligat. Haec sane ab organico corpore, fluidisque per hoc discurrentibus omnino istud diversum exhibent. Accedit etiam, istud idem principium cogitans concipere commode posse non exigere organicum corpus, atque extensum quodcumque, ipso vere existente, quod quidem satis aperte ostendit esse rem a corpore, et materia omnino diversam. Cum vero omnes cognitae per operationes proprietates indivisibile illud esse demonstrent, atque incorporeum, jure meritoque pro spirituali substantia habetur. His praemissis, paucis ostendemus; primum, Deum ab hominibus cultum exigere: deinde praecepta, quibus ii ad certa officia obligantur, praescribere: ac demum, spe praemiorum, ac metu etiam alterius vitae immortalis suppliciorum ad officia praestanda compellere. Sit itaque.

Propositio prima.

Homines Deum colere tenentur.

86 Nota. Cultus nomine actionem intelligimus, quae intuitu alterius excellentiae suscipiatur, sive per quam alterius excellentiam testemur. Debitus Deo cultus actio quaelibet est, per quam ipsius excellentiam, et praerogativas testificari debemus. Cultus, vel internus est, vel externus; ille internis actibus continetur, quibus amore, fide, spe, aliisque internis mentis actibus bonitatem, aliasque Dei perfectiones testificamur, ac debita reverentia, et honore Deum prosequimur; alter vero, actus illos complectitur, quibus exterius hujusmodi venerationem significamus. Externus cultus, vel privatus est, quo quisque privatus homo debito Deum honore glorificat; vel publicus, quo scilicet homines conjunctis votis, publico in loco, ac veluti communi societatis nomine Deum venerantur, et colunt.

Dem. ergo propositio. Homo tenetur Deum colere, si ei debeat summum amorem, summam servitutem, summum obsequium. At haec omnia Deo debet homo: per summam enim Dei sapientiam homo natura sua constitutus est propensus ad amandum bonum sibi propositum, et ad testandum per servitutem, et gratos animi sensus dominium, atque suscepta beneficia, et per obsequium, et cultum praestantissimam intelligentis naturae excellentiam: nam natura sua ad bonum amandum fertur, ad gratum animum exhibendum ei, a quo beneficia receperit, ad ei serviendum, cujus dominio subsit, atque ad testandum cultu aliquo mirabilem alterius praerogativam, et excellentiam. Ergo cum Deus per rationem homini se manifestet, ut summum bonum, summum ab ipso amorem exposcit: Cum se ostendat ut supremum Dominum vitae, functionumque hominis, obsequia illa exigit, per quae hujusmodi supremum dominium testetur: cum denique infinitam excellentiam suam demonstret, cujus consideratio per admirationem, quae sequitur in adorationem, homines quodammodo rapit, summum obsequium postulat. 87

At inquiunt; Deus sibi sufficientissimus est, ideoque nil voluptatis, et utilitatis capere ex creaturis potest. Nil ergo ab ipsis exigit. 88

Etsi Deus sibi sufficientissimus sit, tamen libertate, ac summa sapientia sua rationalem creaturam condidit, atque ita hanc regit, ut haec ignorare ipsum non possit. Vult ergo, ut ipsum agnoscat, et ut fateatur rerum omnium auctorem, rectoremque esse. Quorsum enim sua cura hanc in sui cognitionem duceret, nisi vellet, ut eum agnosceret, et fateretur? Deinde per hujusmodi cognitionem se summum bonum esse demonstrat, ac per inditum naturae sensum hominem monet, summum bonum summe amari oportere. Quorsum vero id, nisi ut ostendat debitum ei esse summum amorem? Rursum per eamdem cognitionem se homini praesentat, ut supremum Dominum omnium rerum, ac etiam singularum hominis actionum. Cur vero ita se exhibet, nisi ut homo cum in se, tum in omnibus actionibus suis eam servitutem ostendat, quae supremo ipsius dominio respondeat? Denique eadem cognitione, ut infinite perfectus, ut potentissimus, omniscius, et immensus repraesentatur. Intelligi autem nullo modo potest, cur ita se nobis exhibeat, nisi velit, ut cultu, et honore ipsius excellentiam prosequamur, ut in dubiis, et adversis ad ipsius potentiam confugiamus, atque in ipsa spem omnem praesidii nostri collocemus. Non alios sane divinae sapientiae fines fingere possumus.

Praeterea Religionem, non ut sibi, sed ut nobis bonam, atque utilem exigit, et imperat. Homo enim natura sua felicitatem expetit, atque hujusmodi desiderium ad felicitatem quoque futurae immortalis vitae protenditur, ut infra probabi- 89

mus. Cum vero errori obnoxius sit, regula ei praescribenda a divina sapientia fuit, qua tuto in hujusmodi felicitatem dirigeretur: neque enim ab infinita sapientia finis proponi potuit homini, quin media designarentur ad hujusmodi finis consecutionem necessaria. Regula autem hujusmodi officiis continetur, quibus Religio constat, ut paulo infra ostendemus.

90 Non solum internus, et privatus cultus Deo debitus est, sed etiam externus, et publicus. Per cultum enim testari quoque debemus supremum Dei dominium, atque suscepta beneficia. Ergo cum Dei Dominium etiam in corpus nostrum, ejusque partes sese extendat, corpus etiam, ejusque actus in Dei obsequium exercere tenemur; id vero fit per externum cultum. Deinde cum beneficia Dei plura experiatur ipsa hominum societas, et cum plura sint dono Dei civili societati concessa, facile patet, etiam ipsam societatem teneri ad Deum communem Creatorem, ac bonorum largitorem palam ac publice, et conjunctis votis colendum. Ergo etiam publicus cultus Deo debitus est.

Propositio Secunda.

Existit lex Naturae, quae hominis officia praescribit erga Deum, erga seipsum, et erga alios homines.

91 Dem. Lex naturae est ordinatio pro communi hominum bono a recta ratione praescripta, per quam a Deo actiones nonnullae praecipiuntur, aliae vetantur, propositis praemiis, atque suppliciis. Atqui lex hujusmodi existit. Nam homo Dei providentia gubernatur; sicut ergo vita ipsius animalis per mechanicas leges regitur, ita ipsius vita rationalis per leges rationis regulari debet; alioquin actiones creaturae rationalis divina providentia non regerentur. Atqui leges ad regendas liberas actiones promulgatae, et cognitae esse debent, alioquin essent inutiles; ergo per usum rationis homini manifestantur, dum homo, cognito fine, nempe felicitate, quem appetit, ad media attendit, quae pro hac comparanda, ratio ipsi suppeditat. Rem paucis ostendam per singula hominum officia discurrendo. Homo per intimum sensum se infirmum, atque ita imbecillem sentit, ut se ad perfectam beatitudinem comparandam omnino insufficientem agnoscat. Recta autem ratio Deum esse demonstrat infinitum, sapientissimum, bene ficentissimum, ac potentissimum, qui nostri sollicitus sit, qui juvare nos possit, ac beatos esse velit; atque hunc propitium nobis fieri oportere per amorem, per obsequium, per preces, ac debitum honorem, et cultum. Hinc vero patet, qua ratione officia erga Deum media sint a divina providentia praescripta ad felicitatem comparandam. Rursus homo, dum seipsum considerat, illico intelligit, se non ab ipso existere, sed Dei actione, eaque conservari, atque regi. Ergo cognoscat, necesse est, se non esse vitae suae, membrorumque Dominum, sed Deum; ideoque non posse, quin in Deum injuriosus sit, seipsum occidere, ac mutilare, vel ea negligere, quae ad propriam perfectionem pertinent. Nam quilibet homo considerari debet veluti Dei opus, cujus conservatio, atque perfectio, rationi a divina providentia homini concessae commissa sit. Ita ergo homo erga seipsum se gerere debet, ut quae ad perficiendum tum corpus, tum animum necessaria sunt, ex divinae providentiae praescripto inquirere, ac adhibere debeat. Ad corpus, partium integritas, et bona valetudo; ad animam vero, tum scientia eorum, quae ad rite vivendum necessaria sunt, tum religionis, ac virtutum exercitium pertinent.

Denique homo spectari potest in ordine ad alios homines. Natura sua ad societatem ineundam ferri, negavit nuper impius Hobbesius, qui homines natura invicem inimicos, atque in statu belli positos finxit, et solo metu ne ab aliis perderentur coactos civilem societatem iniisse. Sed putidum commentum facile refellimus, si animadvertamus, inter animantia solum hominem sermone praeditum a natura esse, cujus extra societatem nullus est usus, homines ita a natura in lucem mitti, ut extra societatem vivere non possint, ac inditum a natura amorem habere, quo se mutuo amant, et ad societatem ineundam trahuntur. Stabilita propensione ad societatem cum aliis ineundam, facile intelligere est, tranquillam, ac beatam vitam in societate exoptare. Hoc vero cognito fine, facile principaliores leges intelligimus, quas Divina providentia per usum rationis demonstrat, veluti media ad illam felicitatem necessaria. Nam ad id necessarium est, ne homo aliis faciat, quae sibi fieri non vult, alioquin ita cum ipso alii se gererent, sicque pax, et tranquillitas nulla foret. Hinc autem sequitur, pacta servanda, neminem laedendum, damna compensanda, ac suum cuique tribuendum fore. Item mutuus inter homines amor, ac mutua voluntas aliis benefaciendi necessaria est. Existit ergo naturae lex per rationem promulgata, quod quidem aliis quoque argumentis comprobari adversus atheos posset: scilicet, ex generali omnium consensione; ex sensu justi, et iniqui omnium animis a natura insito, et ex ipsa conscientia, quae vel ipsos improbos ob iniqua scelera damnat, ac recte facta commendat. Sed quae dicta sunt, satis videntur. Qui plura desiderat, videat Ant. Genuens. *t. 4. Metaph.* et Auctorem *Princ. Relig. Natur. et Revel.* 92

Propositio Tertia.

Vita hominis hujus mortalis conditionis limitibus circumscripta non est, sed praemia, atque supplicia post mortem supersunt a Supremo Judice tribuenda.

Dem. Omnes cognitae gentes, etiam extra Societatem civilem positae, atque silvestres, futurum hominis statum agnoscunt, et credidere semper, in quo justis praemia, improbis vero a Supremo rectore supplicia tribuenda sint, ut ex indubiis 93

monumentis a Cl. Patuzzi demonstratur *c. 9. de fut. Impior. statu*. Al communis humani generis persuasio non aliande, quam a natura communi hominum parente oriri potest; et plura sunt, quae perspicue ostendunt, naturae vocem esse, quae in omnibus clamat, futurum Dei judicium esse, quo homini in alia vita praemia, vel supplicia decernenda sint. Homo enim, dum rationis dictata audit, non potest non intelligere, se a Deo legibus gubernari, quibus praemia, atque supplicia respondere debeant, ut ex dictis constat. Perspicue autem cognoscit, non ita bona in hac mortali vita distribui, ut virtutes praemio compensentur, ac vitia puniantur supplicio: Cum scelestos plerumque homines videat bonis abundare, ac voluptatibus, represso etiam quandoque interno conscientiae stimulo, liberrime frui; justos vero miseros, ac passim eorum miseriam improborum malitia auctam. Hinc vero cognoscat necesse est, futuram superesse vitam, in qua homo Supremo gubernatori rationem reddat suorum operum; et in qua praemia, atque supplicia Divinae Sapientiae legibus respondentia distribuantur: cum, hac sublata, supremum morale Dei in homines imperium Divinae sapientiae, atque justitiae nullo modo respondeat. Praeterea rem ita se habere natura ipsa intimo sensu declarat. Mitto conscientiae laniatus, qui ex metu futuri Dei Judicii improbos homines excruciant. Explorata res est, hominum cuique inditum a natura esse felicitatis amorem. Propria autem experientia compertum nobis est, bonis hujus vitae desiderium hujusmodi non expleri, sed potius augeri, ut perspicue in Philosophia ostenditur. Ergo per hujusmodi amorem ad bonum iis longe praestantius tendimus, quod nonnisi in futura vita obtineri possit. Cum enim amor ille inditus nobis sit a Sapientissimo Deo, qui nostri curam gerit, inutilis esse non potest: expleri ergo quandoque debet: non in hac; ergo in futura vita. Quod quidem magis magisque comprobatur ex eo, quod hujusmodi amori quoddam immortalitatis desiderium conjunctum sit longe ab eo diversum, quo corporis conservationem cupimus: istud enim belluis quoque commune est, ac eo magis, quam in hominibus vehementius, quod iis stupidiores sint, illud vero eo vividius, atque ferventius est, quo magis excultus sit animus: Quis vero fingat indita a Deo desideria esse, quae numquam expleri queant? Hac enim ratione longe praestantior esset cura, quam de belluis habet, quorum appetitibus praesto bona sunt, quibus expleantur.

94 Denique natura ipsa animi immortalis est; mors enim a nobis nulla alia ratione concipitur, quam per divisionem, et separationem partium, quae ante interitum jungebantur; anima vero Spiritualis, ac simplex est, ut supra ostendimus; ideoque discerpi in partes nequit; est ergo immortalis. Quam quidem immortalitatem ipsius functiones abunde demonstrant. Per has enim ostenditur, amputatis membris, ac mutato alternis annis corpore, integram, et invariatam animam perseverare, animam corpori praeesse, atque cogitatione, et voluntate inde sequente corporis, partes movere, motasque regere; ac longe a corpore diversa vita vivere, quae in ipsa cogitatione consistit. Atque hinc facile refellimus excogitatam tertio Ecclesiae saeculo a nonnullis in Arabia haereticis, ac iterum in Germania elapso saeculo excitatam haeresim, quae contendit, animas in praesenti saeculo una cum corporibus interire, sive vitam amittere; rursus vero resurrectionis tempore simul cum iisdem corporibus ad resurrectionem redituras. Ii enim ita sentiunt, quod animam sejunctam a corpore cogitare non posse opinentur. Sed consideranti animae naturam manifestum est, separatam a corpore tum vim cogitandi, tum facultates reliquas expeditas habere. Has enim a corpore non habet; cum corpus cogitandi vim, qua destituitur, ac facultatem libere agendi tribuere non possit, nec corpus animae necessarium est, ut cogitandi, aliasque facultates exerceat; ad id enim sola cognoscibilis rei repraesentatio necessaria est, res autem cognoscibiles menti per ideas exhiberi possunt, etsi a corpore separata sit. Et sane modus operandi per cogitationem, et voluntatem ita proprius ei corpore sejunctae videtur, ut Deus, qui cogitatione, ac volantate cuncta regit, et moderatur, nonnisi ut mens soluta quaedam, et libera segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, et movens, teste Cicerone, intelligi a nobis possit.

Nec ullum nobis negotium facessunt Epicureorum sophismata, quibus corpoream, atque mortalem animi naturam ostendere conantur, quia corpus movet, et movetur ab illo, ac corporis vicissitudines pati per proprias functiones demonstrat; qua enim ratione a corpore movetur, nisi per cognitionem? Non enim alios in se anima experitur motus, nisi cognitiones, atque effectus inde sequentes, corpus vero intelligibile est, atque intelligibiles itidem sunt corporis affectiones, et motus. Quid ergo prohibet, quominus substantia cogitans, quae, quidquid intelligibile sit, cognoscere potest, a corpore, ejusque affectionibus intelligibilibus afficiatur? At, inquiunt, intelligere non possumus, qua id ratione fiat. Plura autem sunt, quae fieri revera videmus, quin tamen modum intelligere valeamus, quo fiant: immo vix alia est in Systemate Universi actio, quae ita a nobis cognoscatur, ut modum, quo fiat, intelligamus. Ergo, cum exploratum nobis sit, substantiam cogitantem corpus intelligere, dubitare non possumus, quin corpus ita illam moveat, ut ipsum cognoscat, licet modum, quo id fiat, ignoremus. Rursus movet mens nostra corpus per voluntatem, non mechanico pulsu, ea scilicet ratione, qua mens suprema voluntate sua omnia regit. Quis vero dicat, ad ita rem movendam opus esse extensione, atque mechanico tactu: et non sufficere intimam per cogitationem praesentiam? 95

96 Ad animi functiones quod spectat, quae corporis vicissitudines imitari videntur, praesto responsio est, si animadvertamus, animam partem hominis esse, quae per organa corporis rerum cognitiones acquirit, et corporis organis utitur, quae sunt humanarum functionum instrumenta. Hinc enim fit, ut paulatim sibi acquirat ideas, ac, crescente homine, magis ideis abundet, et ut pro qualitate organorum corporis, modo debiliores, modo robustiores animi per haec explicatae functiones appareant; ut diversa invicem sunt artificis opera, dum cereo, ligneo, ferreo, ac magis, minusve apto, atque exquisito instrumento utitur. Nec desunt in hujusmodi functionibus incorruptibilis animi indicia; nam plerumque videmus in debili, sene, ac infirmo, ac viribus debilitato corpore, vividiores, ac expeditiores animi functiones, in robusto vero debiles, ac ita stupiditate repressas, ut vix rationis indicia praebeantur, et passim observamus, ortis ex corpore propensionibus animam voluntate obsistere.

97 Haec vero perspicuum faciunt, animam nostram substantiam Spiritualem esse, quae, destructo corpore, supersit, vivat, praemii, atque supplicii sit capax.

98 Sed sufficiat haec indicasse, ut constet per summa capita, Deum providentia sua hominem regere, ac leges, et religionem, etiam per usum rationis praescribere, quas spe praemiorum, et metu alterius vitae suppliciorum servare curet. Qui plura cupit, videat *auct. citat. Princip. Relig. Nat. et Revel.* Genuensem, et alios. Interim sit.

Caput Tertium.

De utilitate, convenientia, necessitate, et existentia Divinae revelationis.

99 Confutavimus supra Atheos, et Pantheistas, atque etiam Deistas, illos, qui naturalem Religionem inficiantur. Alii nunc occurrunt impii viri, qui etiam Deistae, et Naturalistae audiunt. Ii rationem, ac Religionem, quae ratio suggerit, tanti faciunt, ut non solum inutilem Dei revelationem asserant, sed etiam sapientiae, ac summae Dei bonitati contrariam, et repugnantem. Quamobrem praecepta omnia positiva Mosaicae, atque Evangelicae legis, ac omnia, quae Divinae revelationi referuntur accepta, veluti callidorum hominum commentum, atque imposturas respuunt. Ex Anglia hujusmodi elapso saeculo prodiit, ac plures in eadem regione male feriatos homines habuit, qui, editis libris, pro viribus illam tueri conati sunt. Ac inter alios detestandam hanc haeresim propugnarunt Tindal, edito anno 1730. libro, cui titulus est: *Christiana Religio mundo aequalis*, Dominus Chubb, in opere inscripto: *Religio essentialis homini*, et auctor libri inscripti *les Moeurs*. Hos vero plures doctissimi viri confutarunt: ex Anglis Clarkius, Forsterus, aliique plures; ex Galliis Abbadie, et Uttevilius, et doctissimus Auctor operis inscripti: *Religionis naturalis, et revelatae principia*; ex Germanis Fabritius, et alii; ex Italis vero Bernardus Maria de Rubeis Dominicanus, Antonius Genuensis, et alii, quibus addimus etiam eruditissimum virum Franciscum Jacquier, qui tom. II. Instit. philosoph. pag. 311. controversiam hanc accurate pertractavit. Nos vero, ut clare procedamus, nonnulla prius explicare ducimus. Itaque.

Animadvertendum I. Deistas in duplici versari 100
errore: ajunt enim primum, rationem sine revelationis subsidio omnia agnoscere posse, quae Deus veluti apta ad aeternam salutem obtinendam media humano generi designarit; Deinde naturae hominis vires sufficientes esse, ad gratum Deo cultum, atque opera praestanda aeternae felicitatis meritoria. Hic priorem dumtaxat errorem refellimus: de Superni Dei auxilii necessitate ad vitam aeternam consequendam dictum in tract. de Christi gratia, ubi Pelagianos, Socinianosque confutavimus: ab illa quoque controversia abstinendum duximus, quae a Patribus pertractata olim fuit, et agitari universim solet in scholis, scilicet, *num homo aliquando potuerit, ac etiam nunc possit solo naturalis Religionis usu aeternam consequi salutem, dum nil ei de revelatione constet*. De hac enim agendum erit, ubi de Christianae fidei necessitate disseretur.

Animadvertendum II. duplicis esse generis Di- 101
vina intelligibilia, ut optime advertit S. Thomas; quaedam enim humanae rationi pervia sunt: quaedam vero humanae rationis vires omnino excedunt. Humanae rationi pervia sunt intelligibilia, quorum cognitio sumitur ex ipsis creatis mentibus, et rebus sensibilibus; hac enim unice via potest mens nostra ad Divinarum perfectionum cognitionem adsurgere, Dei autem perfectiones, quae nullam cum nostris mentibus, ac sensibilibus rebus connexionem habent, inditas mentibus nostris vires omnino excedunt. Cum Deus omnes perfectiones possibiles habeat, perspicuum est plures sibi vindicare perfectiones, quas limitata mens nostra attingere non valeat. Immo ipsa Dei natura, et ejus attributa, cujusmodi sunt in se, creatae mentis vires omnino superant; cum ex iis, quae facta sunt, manifestari, ut sunt in se ipsis, non possint. Quis deinde profunda Dei arcana, Divinae voluntatis decreta, ac bona, per haec justis hominibus praeparata, ex Creaturarum consideratione agnoscat? Haec adeo clara sunt, ut a Deistis in controversiam revocari non possint. Inquirendum ergo primo loco erit, *num Divinam Sapientiam, et Bonitatem, ac summam Dei erga homines beneficentiam deceat, nonnullas ex iis perfectionibus hominibus revelare?*

Animadvertendum III. si stabiliatur, Deum esse 102
Mundi conditorem, ac rectorem sapientissimum, et potentissimum, dubitari non posse, quin vel

sonos erticulatos in aere producere, aut motus in organo auditus excitare, aut signa quaedam alia homini cospieiende praebere possit, aut imprimere perceptiones in anima, ut bisce modis hominibus innotescat, quae Dens revelare ipsis velit. Cum enim perspicunm sit, nullam contradictionem involvere factam superius recensitis modis Divinarum perfectionum manifestationem, evidens quoque est, Dei revelationem hoc sensu impossibilem non esse; quod vel ipsi Deistae fatentur. Neque enim de revelationis possibilitate adversus Spinosam, et Pantheistas primam rerum ceusam adstruentes Materiam necessario operantem, instituenda controversia est; nam ita inepti, ac ridicnli essemus, perinde ac illi, qui de miraculis adversus Spinosam scribunt: probandum enim adversus istos est, Deum summum existere, qui libere mundum condiderit, ac praescriptis a se legibus regat: ex qno clare sequitur, posse arbitrio suo naturae leges immutare, ac supra easdem agere. Deistae itaque, quos refellimus, posse Deum libertate sua quidquid velit hominibus manifestare, fatentur; Sed negant id convenire summae ipsius bonitati, etque sapientiae, et revelationem Deo impossibilem putant, quemadmodum impossibile ei est innocentem perdere. Deus enim non potest agere, quin agendo se infinite Sapientem praebeat; hac autem ratione agendo, nil snperflui velle potest, alioquin sapienter non egeret, et si bonum exbibere se velit, nil potest ab homine exigere praeter id, quod, attenta rerum convenientia, atque fine, ratio ipsi concessa agendum, vel omittendum snggerat. Si vero alia ratione ageret, nil bomini praeter Dei arbitrium appareret; Deus ergo instar tyranni exhiberetnr, qui solam potentiam, et arbitrium ostenderet. En putidum Deistarum commentum! Nos vero sequentibus propositionibus delebimus.

Propositio I.

Dei sapientiam, bonitatem, ac summam erga homines beneficentiam quam maxime decat nonnulla hominibus revelare, et praecipere, quae humanae rationis vires attingere propria virtute nequeant.

103 Dem. Maxime decet Dei sapientiam, bonitatem, atque beneficentiam ea hominibus ostendere, qnae hominis desiderium in incommutabile, ac sublimius bonum inclinet; quae vividius per delectationem sensibilium ad virtutem, et honestatem perducant; quae verioram Dei cognitionem ingerant, quaequa opinionem in hominibus firment, quae divinam deceat infinitam excellentiam. Quis enim dedecere fingat infinitam Dei bonitatem, et sapientiam bonum illud hominibus ostendere, cujus unice possessione beati esse possint; ea manifestare, quae valida sint ad virtutem incitamenta: quaeque veriorem Dei cognitionem suppeditent, atque eam de Deo opinionem excitent, quae aptissima sit ad infinitam illius excellentiam concipiendam? At manifestando Dens suas perfectiones, quae mentis nostrae vires excedant, et ostendendo in horum unica visione, atque fruitione inditum nobis beatitudinis desiderium expleri posse, desiderium hominis ad altius bonum assnrgit, quam quod experiri in hac vita possit humsna fragilitas; homines a sensibilium delectationibus vividius moventnr ad excolendam virtutem, quia agnoscunt esse alia bona iis sensibilibus longe meliora, quorum gustu multo suavius delectantur, qni vacant activis, vel contemplativis virtutibns: veriorem etiam babent Dei cognitionem, quia tunc solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra id omne, quod de Deo cogitari ab homine possibile est, cum sane naturalem hominis cognitionem divina substantia excedat: denique ex harum perfectionum manifestatione firmatur in homine opinio, quae divinam deceat infinitam excellentiam, ut perspicuum est. Haec ex S. Thoma deprompsimus *lib.* 1. *contra Gentes cap.* 5. Accedit etiam, ut inquit idem S. Doctor, *praesumptionis repressio, quae est mater erroris. Sunt enim quidam tantum de suo ingenio praesumentes, ut totam naturam divinam se reputent suo intellectu posse metiri: aestimantes scilicet, totum esse verum, quod eis videtur, et falsum, quod eis non videtur. Ut ergo ab hac praesumptione humanus animus liberatus, ad modestam veritatis inquisitionem perveniat, necessarium, vel conveniens, et utile fuit homini proponi quaedam divinitus, quae omnino intellectum ejus excederent. Quid? Quod rerum nobilissimarum cognitio, quantumcumque imperfecta, maximam perfectionem animae confert: unde quamvis ea, quae supra rationem sunt, ratio humana plane capere* non *possit: tamen multum sibi perfectionis acquirit, si saltem eadem qualitercumque teneat fide.* Haec ex S. Thoma afferre placuit, ut inde appareat, luculentissimis argumentis fuisse ab Angelico Doctore haeresim hanc, antequam nasceretur, confutatam.

Rursus. Dei consilia circa hominis conditio- 104
nem, sive praesentem, sive praeteritam, sive futuram, humanae rationis vires excedunt: nam ex iis, quae rationi humanae obversantur, argumentari non possumus, qua ratione, quibusque exornatus dotibus conditns homo initio a Deo fuerit; Num hominum vitio deterinr, ac Deo ingrata evaserit humana natura; Qua denique ratione reconciliari Deo oporteat, si per peccatum concitaverit Dei in se iram. Ad praesentem conditionem quod spectat, ex iis, quae agnoscimus, nil est, quod Dei consilia demonstret, circa apta media ad expianda peccata, et ad poenas declinandas, quibus per culpam obnoxii evadimus; et circa cultum externum, qui Deo gratus sit. Denique non potest ratio nostra assequi, quae Dei consilia sint circa

praemia, et supplicia vitae futurae; in quo haec consistat, et num nostris viribus sufficientes simus, aut ipsius indigeamus ope, ut bona haec mereamur; quo denique modo postquam per peccata poenis etiam vitae futurae obnoxii fuimus, ab his subeundis poenis liberari possimus. Haec sane rationis usu ex nostri, rerumque contingentium consideratione assequi non possumus: et ejusdem constat, hominem quemque scire haec eadem capere; atque hujusmodi scientiam necessariam esse, tum ad hujusmodi hominibus desiderium explendum; tum, ut homo propriam cognitionem, et vires agnoscat; tum, ut proprius ei finis sit cognitus; tum denique, ut praemia, et supplicia parata sciat, et certa illa media, quae tutam viam ostendant ad declinanda supplicia, et aeterna praemia comparanda. Decet vero Dei bonitatem, atque sapientiam haec hominibus revelare, immo necessarium videtur, ut Dei bonitas, atque sapientia in ea, quam de homine gerit, cura resplendeat; quis enim infinita sapientia regi hominem credat, si ignoret, num a prima conditione homines propria culpa exciderint; quinam sit ultimus eorum finis, ac apta ad illum consequendum media; qua ratione post peccatum reconciliari debeat; num Mediatore indigeat, ut Deus injuria provocatus placetur, atque alia id generis ad tutam demonstrandam aeternae salutis viam necessaria?

105 Denique positiva praecepta, quae scilicet in rerum naturis fundata non sint, cujusmodi sunt praecepta moralia, quae indifferentia, aut praecipiant, aut vetent, Dei sapientiam, et bonitatem neutiquam dedecent; nam haec vel ad uniformitatem, ordinem, et decentiam spectant externi Divini cultus, cujusmodi sunt Caeremoniae sacrae: vel ea praecipiunt, quae plurimum possunt ad fovendos internos Religionis sensus, et promovendam virtutem, et ea vetant, quibus plerumque homines abutuntur, cujusmodi sunt pleraque Judaeis, Christianisque indicta praecepta; vel denique in memoriam revocant collata a Deo beneficia, et factas promissiones, quo spectare possunt etiam Sacramenta. Decet vero quammaxime divinam sapientiam ea hominibus praescribere, quibus uniformis externus cultus constet, atque decentia, et ordo in ipso habeatur, praesertim cum externus cultus haud facile ab hominibus convenienter ordinari possit, et, si hominem committeretur arbitrio, tot ritus essent, quot homines, et dissidia inter homines circa proprii ritus praestantiam orirentur, quae illius violandae caritatis occasionem praeberent, quam exercere per actus Religionis tenentur. Decet praeterea divinam sapientiam ea homini praecipere, quae ad Religionis sensus fovendos, ad virtutis exercitium, et majus Deo conciliandum obsequium plurimum valeant; hoc enim morale ipsius in hominem imperium tendit. Ergo si Paterfamilias sapienter ea prohibet Filio, quibus eum abusurum noverit, ac ea praecipit, quibus Filius perfici magis possit; cur hac auctoritate divinam sapientiam privabimus? Praesertim cum memoria beneficiorum, ac divinarum promissionum, quae divinis plerisque praeceptis excitatur, validissima sint adversus vitia praesidia, et ad virtutem incitamenta; ac positiva hujusmodi praecepta plurimum possint ad imprimendum animis nostris vividum divinae auctoritatis sensum. Ex quo apparet, non solum in statu naturae hominis lapsae, sed etiam in statu innocentiae convenientem fuisse divinam revelationem.

Plura opponunt: Primum, revelationem eorum, quae ratio assequi nequit, inutilem esse, cum sine hac revelatione praesto homini sint necessaria praecepta ad rite vitam, Religionemque instituendam. Deinde Deum in agendo necessario sequi aeternum rerum ordinem, a quo nequit divina sapientia deflectere; Ordo vero hujusmodi quaedam natura bona esse, et jubenda; quaedam vero mala, ac prohibenda; alia denique indifferentia demonstrat, scilicet, nec jubenda; nec prohibenda. Si ergo Deus positiva homini praecepta imponeret, non huec sequeretur ordinem, sed arbitrarie, et tyrannice ageret; nullum quippe ei, nisi, imperandi motivum esset; Quod quidem quammaxime Dei bonitatem, sapientiam, et justitiam decet. Denique per positiva praecepta hominum felicitatem minui, cum eorum naturalis libertas cohibeatur, in qua magna ex parte eorum felicitas sita est, ac majori peccandi periculo exponantur. Addunt etiam, praecepta hujusmodi a vera virtute homines avocare, cum a praeceptis naturalibus eosdem retrahant; atque superstitioni obnoxios efficere, et ad superstitionem per externas caeremonias inclinare. 106

Resp. et ad primum ajo, humano generi rationem non sufficere, ut Deistae opinantur, quemadmodum in sequenti propositione ostendemus. Rursus eadem ratione nos intelligimus, Deum incomprehensibilem hominibus esse, ac plures in se perfectiones complecti, quas ratione attingere non possumus, sicuti cognita esse non possunt Dei circa nostram conditionem consilia, quae tamen scire natura ipsa impellente cupimus, ac plurimum interest; atque haec ex nostrae, et divinae naturae consideratione eruimus, Dei bonitatem, atque sapientiam decere, ut ea nobis per revelationem ostendantur, quae necessaria esse cognoscimus, cum ut tuta nobis ad salutem via pateat, tum ut veriorem, firmioremque de divina excellentia opinionem habeamus. 107

Ad secondum; triplici modo potest aliquis arbitrarie agere. Primo, dum agit contra aeternum rerum ordinem; quo sensu Princeps arbitrarie agit, dum contra jus aliquid imperat. II. Dum inconsiderate, et sine consilio agit. Fatemur autem, duplici hac ratione Deum agere non posse. III. Arbitrarie agere idem est, ac propria sui arbitrii determinatione agere, dum rerum naturae regu- 108

lae esse nequeant; ut ex. gr. si ex duobus mediis ad finem obtinendum aeque aptis, unum prae altero arbitrarie eligamus. Hoc solo consensu arbitrarie Deum agere contendimus, atque arbitrio se determinasse ad creandum Mundum, et ad ea disponenda, quibus res in suos fines dirigantur. Cum vero res indifferentes, juxta divinum per rationem praescriptum, conferre plurimum possint ad exercitationem virtutis, ad fovendos pietatis sensus, ad decentiam, et uniformitatem cultus externi, et ad conservandam susceptorum beneficiorum memoriam, cujusmodi e. g. fuit Sabbaticus cultus in memoriam Creationis rerum, quis arbitrarie Deum agere fingat, si res indifferentes hujusmodi ob fines praecipiat? Accedit etiam, hujusmodi praecepta nova incitamenta esse ad illarum virtutum exercitium, quas naturalis Religio imperat.

109 Ad tertium; facile patet, positiva praecepta coercendo hominum licentiam, non minuere, sed potius augere eorum felicitatem; haec enim nova virtutum adjumenta sunt, ac mirifice provocant commoda, et veras utilitates hominum; cum bonum promoveant, in quo felicitas hominum consistit: ac licentiam illam cohibeant, quae vitiorum, et miseriae mater est. Nec in deteriori conditione homines ponuntur per positiva praecepta, tum quia nova haec suppeditant virtutis incitamenta, ex quibus plures hominibus utilitates accedere possunt; tum etiam, quia si novis peccatis locus est, est etiam novo merito locus, ac majori praemio, ut adimpleatur. Neque dici potest, positiva praecepta a puriori cultu homines avocare, et ad superstitionem inclinare: nam praeceptis hujusmodi verus, ac purus Dei cultus praescribitur, et ea vetantur, quae ad superstitionem inducunt. Si vero homines iis abutantur, reprehendi hac de causa non possunt: alioquin plura contemnenda essent bona, quibus hominum malitia abutitur.

Propositio II.

Decet quam maxime divinam bonitatem, atque sapientiam per revelationem hominibus promulgare naturalis legis praecepta, et veritates etiam illas, quae humanae inquisitionis perviae reputantur.

110 Dem. I. Virtutum, ac morum praecepta, et Religio ad omnes homines pertineat; decet vero Dei bonitatem, et sapientiam, ea ratione haec hominibus exhibere, ut omnibus nota esse possint, cum enim commune haec sint omnium bonum, exhiberi, ac nota fieri omnibus debeat; sola autem exterior revelatio est, quae haec omnibus hominibus nota facere possit: nam major hominum pars inepta prorsus est ad omnia cognoscenda virtutum, morum, ac naturalis Religionis praecepta, ut ipsa experentia constat: decet ergo etc. Confirmatur Argumento ex D. Thoma deprompto *lib. 1. contra Gentes c. 4.* nam si veritates id genus naturali dumtaxat rationi inquirendae relinquerentur, sequeretur, quod *paucis hominibus Dei cognitio inesset. Plurimi propter complexionis indispositionem* minus apti sunt ad sciendum: impediuntur alii *necessitate rei familiaris*, quominus otio *contemplativae inquisitionis* potiri queant, *ut ad summum fastigium humanae cognitionis pertingant*, *Dei scilicet*, ejusque attributorum notitiam. Laborant alii *pigritia*, qua renuunt *magnos* adsumere *labores studii*, sine quibus *ad praedictae veritatis inquisitionem perveniri non potest.* Vel *illi* praeterea, qui *ad ejusdem veritatis cognitionem, aut inventionem pertingerent*, vix *post longum tempus* id adsequerentur, tum *propter hujusmodi veritatis profunditatem*, tum propter necessarium multiplicium cognitionum praevium apparatum, tum *propter passionum motus*, quibus anima commota *non est apta ad tam altas veritatis cognitionem.* Quid ergo? *Remaneret humanum genus in maximis ignorantiae tenebris: cum Dei cognitio, quae homines perfectos, et bonos facit, nonnisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post temporis longitudinem perveniret.*

Neque praetereas, *quod investigationi rationis humanae plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus in judicando, et phantasmatum permixtionem.* Hinc facillime accideret primo, *quod apud multos in dubitatione remanerent sa, quae sunt verissime demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, praecipue cum videant, a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri.* Contingeret etiam, *inter multo* scilicet *vera, quae demonstrantur, immisceri aliquando falsum, quod equidem non demonstratur, sed aliqua probabili, vel sophistica ratione asseritur, quae interdum demonstratio reputatur.* Quae S. Thomas asserit, atque ex humanae naturae consideratione probat, attendenti ad modum, quo in singulis hominibus ratio adhibetur, et explicatur, experientia ipsa omnino comperta esse debent. Ac demonstrari praeterea possunt exemplo omnium hominum, qui Dei revelatione caruerunt, et ex ipsa Philosophiae historia. Si enim Hebraeam gentem excipias, an non omnes fere homines in idololatriam prolapsi aliquando fuerunt, qui vanis, crudelibus, atque etiam obscoenis superstitionibus Religionem profanarunt? Rursus nullam gentem novimus, quae Mosis, aut Christi revelatione instructa non fuerit, in qua plures non deprehendantur errores circa Dei naturam, et attributa, atque morum disciplinam; ut ex eorum Theologia, legibus, atque exteriori cultu, quorum adhuc vestigia supersunt, intelligere est; et ut demonstratum luculentissime fuit a Patribus, et praesertim ab Eusebio Caesariensi in sua Praeparatione Evangelica. Ex Philosophis Gentium, ne unum quidem reperire est, qui de Deo, deque morum praeceptis contra rectae rationis dictata non erraverit. Mitto Stratonicos, et Epicureos, aliosque, qui vel Dei exi- 111

stentiam, vel providentiam inficiati sunt, ac etiam eos, qui, cum Aristippo, naturam non distinguere inter justum, et injustum asseruerunt. Chaldaei, Stoici, aliique Deum natura igneum credidere: alii vel fato adstrictum, vel naturae necessitate agentem, ut Aristoteles; alii cum quodam malo principio mixtum in res imperium exercere: alii denique absurdis aliis notionibus, quam Dei habuere cognitionem, miscuerunt. Ac circa morum praecepta erravit Plato, qui omnium sapientissimus habitus est; dum uxorum communionem commendavit; dum vagos concubitus, sive fornicationem permisit, dum denique expositionem infantium probavit, nec Bacchi ebrietatem damnavit. Et ipse Epictetus ethicae apud gentes facile princeps, incestum, a quo natura abhorret, ac Patris, et Filiae, et Matris, Filiique concubitum permisit; paria omnia peccata asseruit, ac sapientem Deum ipsum antecellere posse. Quamobrem jure meritoque S. Th. ita concludit: *Et ideo oportuit per viam fidei, ipsam veritatem de rebus divinis exhiberi hominibus; ut sic omnes de facili possent divinae cognitionis participes fieri sine dubitatione, et errore*. Ex quo ita rem conficimus. Decet quam maxime Dei bonitatem, atque sapientiam ea ratione Religionem, et officia homini praescribere, qua unice possint omnes divinae cognitionis, atque etiam officiorum participes fieri sine dubitatione, et errore, id enim perspicuum est. Atqui sola exterior revelatio, qua omnibus Deus rite cognoscendus, et officia hominis explicata proponuntur, sufficiens hominibus in praesenti statu est, ut singulis sine dubitatione, et errore haec innotescant; ut S. Doctor probavit. Decet ergo etc.

112 Accedit etiam, quod ipsa ratio sufficientia in se motiva non habeat, quibus homines ad debitum praestandum obsequium naturalibus praeceptis adstringantur. Experientia enim constat, voluptatem, quae ex virtute est, ac remorsus, qui vitia sequuntur, parum homines plerosque movere, sed necessarium esse ad omnes compescendos, praemia ipsi exterius exhibere, ac demonstrare supplicia. Hanc necessitatem novere legislatores omnes, historici, poetae, et oratores; atque hac necessitate ducti iniere homines societates civiles, in quibus per exterius evulgatas leges, ac per praemia, et supplicia ad officia homines adstringerentur. Insufficiens ergo est humano generi indita hominibus ratio ad officia debita praestanda. Maxime ergo utilis, atque conveniens, immo etiam necessaria humano generi est ea revelatio, qua Deus Religionem exterius, atque leges demonstret, ac per praemia, et supplicia ad Religionis officia exequenda compellat. Ergo etc.

113 At inquiunt: Lex naturae, sive ratio, perfecta esse debet; nam homini a Deo indita est, qui est infinite potens, bonus, et sapiens, ideoque qui nonnisi perfectam tribuere homini rationem potuit. Si perfecta haec est, atque ad vitam instituendam ordinata juxta propositum homini finem, praecepta omnia contineat necesse est, quae ad rite vitam instituendam necessaria sunt, alioquin fini a sapientissimo Domino proposito non responderet.

Resp. ac principio peto, quid nomine perfectae rationis significent; numquid infinitam, atque erroris omnino incapacem? At infinitae perfectionis ratio hominis capax non est; cum natura sua nonnisi limitata esse possit. Si limitata est, ergo imperfecta; Si imperfecta, errare potest. Itaque indita homini ratio errori obnoxia natura sua esse debuit, ac talis naturae, quae usu, et exercitatione explicaretur, et perficeretur, cum ita res omnes limitatae, quae in Universo sunt, nobis exhibeantur. Si ita concipiatur homo, facile patet, sensuum usu ad rationem exercendam moveri, et determinari oportere, et ad id ita necessarius sensus auditus est, quo moveatur homo per externum sermonem ad rationem explicandam, ut Wolfius confidenter asserat, surdos ex nativitate rationem non exercere, scilicet, adeo exiguus in hujusmodi hominibus experimentis detectus est rationis usus, ut visum acuto Philosopho sit, non posse hominem, nisi externo sermone per auditum exerceatur, rationem explicare. Si tanta est inter sensus externos, et praesertim auditum, atque rationis usum connexio, quis non videat, ita hominem esse a Deo constitutum, ut ad ea cognoscenda, quae rationis usu promulgantur, maxime utilis sit facta per externum sermonem revelatio; Immo cum homo ita nobis exhibeatur, facile conjicimus, stabilitum ita esse a divina providentia ordinem, ut hac via institui circa morum Religionem, et praecepta, oporteat. Nec dubito, quin, perseverante beatissimo innocentiae statu, Adamus cui interiori quadam clara revelatione perspicue omnia demonstrata fuerant, filiis, ac posteris per externum sermonem proponere, ac inculcare debuisset Religionem, ac morum praecepta; et quin Deus id significare hominibus voluerit, dum per externum sermonem, praeceptum de non comedendo fructu scientiae boni, et mali inculcavit. 114

Deinde integro homini perfecta sane fuit, ut convenire homini poterat, ratio, quae cum Dei donis, et gratia munita esset, aptissima esse debuit, ad perfectam vitae institutionem. Ita sane mentem hominis initio formatam fatemur. Sed ab hujusmodi perfectione natura nostra excidit, ut non unius, vel alterius, sed omnium cujusque aetatis hominum experimento constat. In omnibus enim ita imbecillis, infirma, distracta affectibus, passionibus praepedita, et obscurata, atque erroribus obnoxia est, ut ne unum quidem reperire sit hominem, qui sine revelationis subsidio circa Deum, et Religionem in manifestum aliquem errorem non inciderit. Naturae autem ita constitutae conveniens, utilis, atque etiam necessaria revelatio est. 115

116 Sed regerunt: Est adhuc Dei veientas, ut praecepta illa homines servent. Aut ergo commentitia est humanae eaturae depravatio; aut Dei bonitas culpanda est, quae ab aegrotantibus, et graviter laesis ea exigit, quae sani tantum praestare poterant.

117 Rursus! Simplicia, iequiant, et obvia, ac omnibus nota sunt Reiigionia principia: haec enim cognitioee existentiaa, et perfectionum Dei continentur, et notitia iiia, qua honorandum essa, et diiigeedum cognoscimus optimum rerum omnium parentem, et benevolentia prosequi oportere omnia rationaiia entia, cum quibus nobis juris commueio est. At haec omnibus obvia sunt, et faciie ie praesenti quoqea statu cognoscuntur. Ergo commentitia est depravatio, ac necessitas inde deducta etc.

118 Ad i. ajo, commentitiam non esse dupiicia status naturae humanae distiectionem, integrae scilicet, atque depravatae per peccatum naturae. Id enim, tum ex ipsa divinae sapientiae consideratione coejicimus, ex qua decuisse ieteliigimus, homieem integrum, et iis ornatum praesidiis fiari a Deo debuisse, quibus par esset ad finis coesecetionem; tum etiam ex Mundi, quam Moses describit, historia, aiiisque indubiis Religionis monumentis, et ex antiqua traditione, cujua vestigia quaedam occurrunt apud antiquas, et recentiores geetes. Ætas aurea, quam cecinere poetae, Deorum aetas, quam descripserunt Ægyptii, quid sent, elsi quaedam aetiquae traditionis vestigia de feiici integrae eaturae statu, ex quo per cuipam homines exciderunt, cujus quidem statua a praesenti diversitatem Calanus Indus ex antiqua traditioee acceperat, atque ea ratione descripserat, quam refert Strabo *l.* 15. *Georg.* atque haec eadem traditio ad nostra eaque tempora, servata apud Ottentotos, gentem maxima barbaram, et apud Septentrionaies Americae incolas, ut auctores illi referuet, alias a nobis citati, qui accurate de horum Religione scripserunt. Nec culpandus est Deus, quod ab homine infirmo praestari haec officia velit, ut in decersu Theoiogiae abunde probatur.

119 Nuec vero indicare sat eobis est, propria culpa homines ie miseram hanc conditionem venissa; io qua ratio adeo imperfecta est, atque uberioris Dei auxilii, et reveiationis maxime indiga. Nec nostrum in praesentia est ostendere quousque pertingere possint iaudabiies hominis conatus, quos Deus jevare paratus est. Deinde si Deus peccaetes homines ad terram iecolendam damnasset, quae fruges noneisi maximo labore exercita praeberet, cujus laboris homines impatientes vesci potius noxiis herbis eiigerent, nonee haec hominis conditio deterior esset, quam nunc existit? Nonne in summa essent divini auxiiii oecessitate, ac summum haberatur beneficium, quidquid hujusmodi laborem minueret?

120 Ad alterum quod attinet, satis utique nobis obvia simpilcissima illa principia videntur, qui ea in Christi schoia didicimus, quae ratioei rectam viam demonstravit, per quam ad officiorum cognitionem veniat. Sed non ita visa sunt iis, quos coelestia doctrina non iiiuminaverit. Omeibus enim perobscura, ac maximis obvoluta difficultatibus cum Cicerone visa est quaestio de natura Deorum; ac nemo gentium sapientum fuit, qui circa attributa, ac circa debitum divinae excellentiae cultum non erraverit. Nemo praeterea, qui ex simplicissimis iliis priecipiis aine maximis erroribus morum praecepta deduxerit, et nos superius diximus. Rursus ex iiiis principiis per argumeotationem, ac difficilem etiam consectariorum seriem morum praecepta deduceoda sunt; constat autem, vel ipsos Philosophos, si non in principiis, saltem in pierisque consecutioeibus errasse: Quis ergo speret, ut ex ipsis universa hominum plebs omeia agnoscere officia possit?

Propositio III.

Revelatio humano generi necessaria est, et existit.

Dem. prima pars. Necessarium humano geeeri 121 est id, sine quo omnes homiees finem, ac media eecessaria ad finis consecutioeem agnoscere eequeaet; homiees vero sine revelatione finem, ac media, per quae finem obtineant, cogeoscere non possunt, ut ex superius allatis argumentis constat, quibus ostendimus, paucos esse homines, qui solo rationis usu finem, quo natura tendunt, agnoscere valeant, et media, sive praecepta a Deo praescripta ad finis consecutionem oecessaria.

Dem. aitera pars. Primum, quia Deus sapien- 122 tissimus, ac beneficentissimus est; Ergo ita ie gubernando homine se gerat necesse est, ut in hac cura, ipsius sapientia, atque bonitas respiendeat, alioquin actio prodire ex Deo posset, quae cum ipsius attributis pugnaret. At si homini cognitio finia, et mediorum, quae ad fieem sunt necessaria, deesset, in horum cura sapieetia, et bonitas Dei noo appareret, cum nec boni, eec sapientis Opificis sit fieem veiie sine iis, quae suet ad obtinendum finem necessaria. Ergo etc.

Deinde omnium omnino hominum consensione 123 constat necessitas, et existentia reveiationis, nam nuiia umquam gens culta fuit, quae Religioeem, quam haberet, ex divina revelatione susceptam non crederet, et quotquot fuere caiiidi Legumlatores, qui Legem, et Reiigionem proponere Populis voluissent, incipiendo ab Amasi, et Mevi apud Ægyptios Legumiatoribus, usque ad Mahumetem, omnes finxarunt a supremo aliquo Numine revelatam sibi fuissa Reiigionem, quam Popuiis proponere, et inculcare contendebant, ut nos in primo capite ostendimus. Undenam vero generaiis haec omeium hominum coesensio in expectanda ex Deo reveiatione, quae Religionem demonstret, oriri potuit, oisi ex intimae conscientiae sensu, quo se

revelationis indigos agnoscerent; et ex persuasione, qua certo crederent, nonnisi ex Deo scire homines posse, qua ratione, et quibus officiis coli oporteat, ut ipsi placeamus; atque ex traditione, quam ex majoribus acceperant, quod aliquando Deus hominibus apparuerit, ac eos allocutus fuerit?

124 Plura contra revelationem opponunt Deistae, quae fusim in nostro hac de re vulgando Opere explicabimus. Hic vero ad ea diluenda notare sufficiet; Primum, nos, in adstruenda divinae revelationis necessitate, non excludere rationem ab illa providentia, qua Deus morales hominis actiones moderatur, sed ei subsidium revelationis necessarium adserere, cujus ope vividius dictata rationis excitentur, ac ea homini demonstrentur, quae melius ostendant, Deum esse supra id omne, quod ratione excogitare possibile sit, et quae divina illa erga hominem consilia patefaciant, quae homo scire natura sua cupit; et quorum scientia maxime utilis est ad Religionem exercendam, nec aliunde, quam a revelatione expectari potest. Ex quo apparet, nos ita certitudinem, quae ex authoritate est, in Religionis subsidium vocare, ut eam non excludamus, quae ex ipsa ratione consurgit. Quamobrem ridiculi omnino sunt Deistae, dum ex eo revelationem respuunt, quia certitudo, quae ex ratione est, major est illa, quae authoritatem sequitur.

125 Deinde, si Dei providentia homines per externam revelationem regit, ea quoque hominibus praebere debet, quae ad firmissimum, ac ejus divinae auctoritati respondentem assensum necessaria sunt, et ad intactam servandem semel factam revelationem, atque ad eam ab hominum impostura certissime discernendam. Haec vero tria in Dei erga homines providentia occurrunt. Nam superna eos fide illustrat, unde omnium firmissimus assensus sequitur, ut proprio nos in loco ostendemus. Eam praeterea externae religioni formam indidit, atque ita hanc per suos ministros regit, ut certi ex ipsius promissionibus simus, semel factam, ac hominibus inculcatem necessariam revelationem, nec deficere, nec immutari unquam posse: Denique iis characteribus munitam suam revelationem praebet, quibus perspicue ostenditur, eam a Deo summe bono, atque sapiente factam hominibus esse, ac evidentissime secernitur ab omni falsa revelatione, atque impostura, ut ex iis clare constabit, quae in sequenti capite disputabimus (*).

CAPUT QUARTUM.

De characteribus divinae revelationis; ubi paucis ostenditur, hos dari, atque in sola Christi Religione reperiri.

126 I. Disputationem hanc adversus eosdem, quos in superiori capite refutavimus, Deistas, suscipimus. Hi enim dari divinam revelationem negant, ec dedecere putant Dei providentiam alia ratione religionem hominibus demonstrare ab ea diversa, per quam unicuique rationali creaturae ex rerum convenientia, et disconvenientia ostenditur, quid honestum, quid turpe, quid justum, quid injustum, quidve Deo gratum, vel ingratum sit: quia sola haec rerum convenentie, et disconvenientia cum proposito homini fine character esse potest Divinae Religionis omnibus obvius, atque conspicuus; et quia cum Deus sit aeque omnibus hominibus Pater, ac aequalem omnium curam gerere debeat, Religionem, quam ab hominibus exigat, eodem modo ostendere omnibus, ac manifestare debet: per convenientiam vero, ac rerum cum praefixo hominibus fine disconvenientiam aeque omnibus religionem proponit, et inculcat; secus vero per revelationem, et per characteres revelationi conjunctos, cum ii paucis tantum, non omnibus hominibus, saltem immediate conspicui esse possint; et cum ita manifestata religione, ex fide potius hominum hanc praedicantium, quam ex infallibili Dei authoritate, adstringenda esset major hominum pars ad praestanda religionis officia. Haec haeresis est impiorum hominum, qui ab elapso saeculo Christianae, ac omni revelatae religioni bellum indixerunt; hos vero, ut supra diximus, generalis omnium cujusque aetatis hominum consensus refellit, ac manifestae impietatis convincit vera humani generis historia, quae ostendit, I. Deum initio hominem creasse rectum, iis internis donis, eaque revelatione regulatum, ut et clare officia religionis intelligeret, et facile assequi optatam felicitatem posset. II. Hominem illum peccasse, ec peccato suo, cum semetipsum, tum totam, quae in ipso continebatur, humanitatem, in miseriam illam dejecisse, in qua modo ignorantia, et passionum pondere premimur; atque ob illud peccatum tum ipsum Protoparentem, tum posteros Dei inimicos, ac suppliciis dignos evasisse. III. Illa eadem historia demonstrat, Deum, non ex debito, cum nihil homini debeat, sed ex mera liberalitate, atque misericordia revelasse hominibus in peccatum lapsis futurum humani generis Redemptorem, per cujus fidem reconciliari Deo, ac salvari possent; atque hanc fidem cum reliquis ad salutem necessariis pluries deinceps per homines Divino, ac prophetico spiritu incitatos incolcasse. IV. Per Mosem postea Hebraeae genti, quae unica ab Idolatriae vitio immunis manserat, solemnem fecisse revelationem, quam loquendo multifariam, multisque modis Patribus in Prophetis intactam ad promissi usque Reparatoris adventum custodivit. V. denique per Christum Messiam antea praedictum christianam manifestasse religionem, quae per Apostolos, et viros sanctos characteribus divinae legationis munitos universo humano generi promulgata, atque inculcata fuit.

II. Haec ex indubiis monumentis praemittenda 127

(*) Confer Valsecchium *Lib. cit. P.* 2, *cap.* 5.

duximus, ex quibus nonnulla hic hypothesis loco stabilimus, quae a theologis luculenter sunt demonstrata. Primo itaque statuimus, Deum nihil debere homini, qui propria culpa necessariam ad propriae salutis conservationem, notitiam amisit, ac ignorantiae, et passionibus obnoxius evasit, a quibus in errorem inductus est, sed sola liberalitate, ac misericordia gratias eidem, ac nova auxilia conferre: ex quo inferre possumus, culpandam Dei providentiam non esse, si divina ex. gr. revelatio, qua Abrahamus, qua Jacobus, qua Hebraei omnes per Mosem instructi fuere, gentibus in Idololatriam lapsis cum divinis suis characteribus proposita non fuit, et si non omnibus aeque eum iisdem conspicuis notis expositum non fuit Evangelium. Cum enim hae gratiae sint, quas Deus gratis confert, et cum peccatores homines iis sese indignos reddant, justo Dei judicio privatos illos fuisse hujusmodi beneficiis praesumimus in poenam peccati. Secundo pro certo habemus, hominem per peccatum, divina exigente justitia, fieri aeternae poenae obnoxium, ac sola liberrima Dei gratia liberari; ex quo sequitur, non fieri homini, qui jam peccavit, injuriam, si Dei gratia non erigatur, et non liberetur a peccato, et peccati poena. Si ergo dicamus, Idololatris, qui propria culpa amisere lumen per antiquissimam revelationem traditum, qui sprevere alia Dei beneficia, ac Deum per Idololatriam dehonorarunt, in peccati poenam perspicuum revelationis lumen datum non fuisse, quid est, quod in Dei providentia reprehendi possit? Numquid ex hoc argumentari potest, non esse convenientem revelationem ad consulendum saluti humani generis, aut dari hanc non posse, cum characteribus divina providentia dignis? Immo potius inferendum videtur, dari homines, qui propria culpa, et ob contemptum gratiae Dei, hoc beneficio priventur, vel qui justo Dei judicio in peccato libere commisso perire debeant. Id sane affirmandum est, si necessaria ostendatur humano generi revelatio, si divini ipsius characteres possibiles, et convenientes, ac revera dari demonstrentur. Res vero ita se habet.

128 III. Nam superiori in capite satis superque demonstratum est, Deum, ut sese ostendat beneficum, sapientem, et justum, debere hominibus per externam revelationem, religionis officia praescribere, atque per idoneos ministros proponere, et inculcare. Et si consideremus errores circa religionem, etiam contra Dei attributa, et naturae legem, qui fuere apud gentes, et apud sapientes quoque homines, qui revelatione caruere; Si animadvertamus, paucos esse ex hominibus, qui propriae rationis usu veram Dei notionem, naturalis legis praecepta, et religionis officia assequi possint; Si observemus, scire homines non posse sine revelatione statum vitae futurae, modum, quo cum Deo post peccatum reconcilientur, et convenientem Deo cultum, tum internum, tum externum; Si denique naturam hominis expendamus, quae ita exigit per externum sermonem, non solum ad fidem, et religionem concipiendam, sed etiam ad exercendam rationem determinari, ut sine externo sermone vix, et ne vix quidem rationem explicet, et exerceat, ut nos ex Wolfio supra diximus: manifestum erit, I. Ita natura sua comparatos homines esse, ut quin externo sermone exerceantur, rationem non explicent, sed belluarum more vivant, et ut externo indigeant Doctore ad rationem perficiendam. II. Ratione homines cognoscere nullo modo posse statum futurae vitae, ac promissa proemia, nec modum, quo reconciliari cum Deo peccatores debeant, neque convenire in designando apto, et convenienti religionis cultu. III. Majorem hominum partem ineptam esse ad cognoscendum per ratiocinium systema naturalium legum, et religionis, atque ad acquirendam exactam Dei notionem; immo, cum ne unus quidem ex Philosophis etiam, atque sapientibus repertus sit, qui in iis non erraverit, definire possumus, impossibile esse per humanam rationem haec omnia cognoscere. Itaque Dei sapientiae, bonitati, atque justitiae consentaneum omnino videtur, ut homines per externam revelationem discant, quae credere de Deo debeant, qua ratione eum colere, et quid agere, quidve vitare oporteat, ut tuto ad optatam felicitatem perveniant. Neque characteres desunt, quibus modo divina providentia digno, ac humani generis constitutioni consentaneo revelata religio proponatur.

IV. Primo itaque, ut religio a Deo revelata 129
certo demonstretur, necesse est, hominem, qui se a Deo missum, sive Dei ad homines legatum asserat, prudentia, justitia, morum integritate, aliisque virtutibus ornatum esse; ita ut sese dignum ostendat, qui Dei legatus eligatur, ac in omnibus suis actibus demonstret, se non divitias, non Mundi voluptates, non honores, ac inanem gloriam quaerere, sed solo Dei amore agere, ac hujusmodi uti ministerio ad procurandam aeternam hominum salutem, et Dei gloriam promovendam, augendamque. Si haec praeferat argumenta virtutum homo, qui se Dei legatum nominet, operibus suis omnem imposturae suspicionem excludit. Sed fieri potest, ut callidi homines has virtutes simulent, et fingant, atque, ut ii etiam, qui bona fide agunt, imaginationis ludibria pro divina revelatione habeant, et evulgent; Quam ob rem necessarium est, ut homo probus, qui se Dei legatum dicat, divinae missionis, sive legationis suae indubia, atque perspicua signa demonstret: sive potius, necesse est, ut Deus, qui hujusmodi hominem elegit, per clara argumenta significet, a se missum esse, ac per hunc coelestem ipsius doctrinam patefieri. Haec vero signa per miracula exhibentur, et per prophetias eventu comprobatas.

V. Miraculum vocamus effectum singularem, 130
cujus causa, sive ratio sufficiens non reperitur in universali naturalium causarum serie; sive quod in idem recidit, effectus, qui supra naturae vires,

vel praeter stabilitum rerum ordinem fiat. Deistae, quos refellimus, cum Deum Mundi auctorem, rectoremque agnoscant, fateantur etiam necesse est, possibilia esse miracula. Si seriem ipse constituit, et conservat rerum naturalium, et si leges ipse stabilivit, et custodit, quibus res contingentes reguntur; quis dubitet, quin effectum procreare valeat, cujus sufficiens ratio in serie causarum naturalium non continentur? quin efficere opera possit, quae creatarum rerum vires superent, et qui agere valeat, secus ac stabilitus rerum ordo postulare videatur? Id adeo clarum est, ut demonstrato adversus Spinosam, et Pantheistas, existere Deum infinite potentem, ac liberum, qui libere hunc Mundum condiderit, conservet, et regat, superfluum omnino censeamus, de miraculorum possibilitate adversus impios illos homines disputare. Nec difficile est demonstrare, convenire Dei bonitati, atque sapientiae per miracula sese supremum Mundi rectorem ostendere, qui per suam revelationem hominum ministerio promulgatam, homines doctrinam doceat, quae necessaria ipsis est ad aeternam felicitatem comparandam. Convenit enim, et necessarium est, ut probavimus, hanc fieri revelationem. At necesse quoque est, ut Deus clare significet divinam hominum missionem, ac factam per ipsos revelationem; Id vero cum ante per miracula fiat, palam est, convenire Dei providentiae, ut hanc ob causam miracula fiant.

131 VI. Neque dicant, miracula non adeo facile posse ab hominibus cognosci, ideoque pro characteribus, ac perspicuis notis habere non posse. Nam ad cognoscenda vera miracula, opus non est omnes metiri quotquot sunt in natura vires, sed sat est evidenter cognoscere, effectus, qui ad invocationem veri Dei fiant, vel esse praeter stabilitum rerum ordinem, vel vires omnino excedere earum causarum, quae ad effectus productionem applicentur; ideoque fieri non posse, nisi virtute ipsius Dei, qui ab homine invocatus statuitur, ut per effectum illum testetur assertam veritatem. Fac, hominem ex. gr. qui se a Deo missum asserat, invocato Dei nomine, solo voeis suae imperio suspensum detinere in aere hominem ex alta turri cadentem, sistere aquarum fluminis cursum, vel retrorsum aquas illas impellere, vel magnum incendium extinguere, ac caeco homini visum, vel mortuo vitam restituere; quis non intelligat, effectus istos humanae vocis vires excedere, ac sola omnipotentis Dei virtute fieri? Nullus sane hominum est, qui hujusmodi opera, Dei prodigia, ac miracula esse clare non agnoscet, et qui illico non intelligat, per hujusmodi miracula Deum comprobare veritatem ab eo assertam, qui ipsum invocaverat. Patet ergo, eam in miraculis inesse evidentiam, quae pro charactere veritatis stabiliri possit.

132 VII. Miraculis accedunt prophetiae eventu comprobatae. Est autem prophetia praedictio rei contingenter futurae, scilicet quae nondum evenit, dum praedicta est, et quae neque ex causis naturalibus, neque ex praesenti rerum constitutione cognosci ullo modo potuit. Perspicuum autem est, hujusmodi futura cognita hominibus esse non posse; cum nullam causam, nullumque medium habeant, per quod valeant illa cognoscere. Ei ergo tantum cognita esse possunt hujusmodi futura, qui cognitione sua totam rerum naturam, quantum ipsa loco, et tempore pateat, comprehendit. Haec vero cognitio soli Deo competit; ergo prophetiae eventu comprobatae, nonnisi a Deo esse possunt. Fac ergo, hominem, qui se Dei Legatum dixit, miraculis, ac prophetiis eventu comprobata missionem suam, ac revelatam doctrinam comprobasse, an non habes satis prespicuas notas, quae divinam revelationem designent?

VIII. Neque his notis contenti sumus. Etsi sciamus, veram prophetiam a solo Deo esse posse, ac miracula, quae ad invocationem Dei fiant, non posse falsam doctrinem comprobare, tamen ne ex confictis e Cacodaemone prodigiis, aut ex falsis, et antiquis impostorum prophetiis, suspicionis umbra saltem apud imperitum vulgum supersit, supra recensitis alterum characterem subnectimus in ipsa doctrina revelata positum. Doctrina itaque revelata omnino respondere debet sanctitati, bonitati, justitiae, ac reliquis Dei attributis: pro revelata enim haberi nequit, nisi omnino Deo digna sit. Primo itaque, cum revelata doctrina sit in subsidium rationis, cum recta ratione pugnare non potest, sed eam perficere debet circa Dei, ejusque attributorum, ac providentiae cognitionem, et per leges, virtutumque praecepta. Secundo, quae supra vires infirmae nostrae rationis revelatio proponit, talia esse debent, quae insigni aliqua praestantia incomprehensibilem Dei perfectionem nobis commendent, et Dei gloriam, ac hominum felicitatem promoveant. Hac enim ratione intelligimus, mysteriorum revelationem fini respondere Dei erga homines providentiae consentaneo. Tertio, cum verum adversari vero non possit, necesse est, ut omnes divinae revelationes invicem consentiant, et posteriores cum prioribus non pugnent: Quae quidem consensio omnino necessaria est, ut Deo revelatio tribuatur, qui nec falli, nec fallere potest. 133

IX. Atque ii sunt characteres, quibus revelata religio demonstratur. Sunt praeterea Notae quaedam, quibus perspicue quoque ostenditur vera Dei Ecclesiae, quae omnino consentaneae sunt peculiari illi curae, qua Deus conservare velit semel stabilitam societatem credentium, cui depositum concredidit divinae revelationis, ac assistantiam illam promisit, quae necessaria est ad istud semper intactum conservandum. Vide Art. nostrum *de Ecclesia*. Interim vero sit. 134

Propositio prima.

Quatuor supra recensiti characteres evidenter veram demonstrant revelatam Religionem.

135 Dem. Doctrina, quae nihil erroris admixlum habeat, sed tota ad Dei gloriam promovendam, et ad procurandam veram hominis felicitatem etiam vitae futurae ordinata sit, veluti divinitus tradita nobis exhibetur, tum quod ex historia humana constat, homines proprio studio, ac infirmae rationis usu hanc assequi non posse; tum quia doctrina haec veluti medium aptum, et necessarium concipi debet, quo homo ad propositum e divina providentia finem perveniet; cum fieri nequeat, ut Dei Sapientiae stabilitus sit hominis finis, quin ei media manifestaverit ad illius consecutionem necessaria. Accedat huic doctrinae viri probi, justi et sancti testimonium, hominis scilicet, in quo solum deprehendamus Dei, ac veritatis amorem, ac unicum studium promovendae Dei gloriae, veraeque hominis felicitatis procurandae. Si hic homo Dei nomine doctrinam illam promulget, jam satis habes, quo coelestem illam, ac divinam putes. Fac vero, hunc hominem prophetiis eventu comprobatis revelationem confirmare; ac invocare deinde Deum, ut palam per miracula testetur, suam, atque divinam esse doctrinam. Si ad hanc invocationem, ac solo vocis imperio hominis Dei nomen invocantis repente v. gr. dividantur fluminis aquae, et retrorsum etiam impellantur, aut magnum extinguatur incendium, vel coeco homini visus, aut mortuo vita restituatur, ita perspicuum est, doctrinam ita promulgatam a Deo traditam esse, ut homo, etsi velit de hoc dubitare, non possit. Nam homo, qui se Dei ad id Legatum dicat, statuitur omnino fide dignus, et qui nullam mentiendi causam habeat; non doctrina, quam proponit, ad privatam illius utilitatem, sed ad communem humani generis felicitatem, et ad solam Dei gloriam promovendam ordinata est, atque ita perfecte morum praecepta, religionis officia, Dei attributa, mysteria ad manifestandam Dei praeexcellentiam aptissima, ac statum vitae futurae repraesentare supponitur, ut vel hac de causa quodam divinitatis charactere insignita demonstretur. Ergo dum a Dei Legato, qui missionem suam, et doctrinam probet per miracula, et prophetias, evulgetur, atque explicetur, ita clare veluti divina exhibetur, ut non possit eam homo non agnoscere pro divina; ergo per evidentes characteres proponitur. Itaque cum demonstratum superius sit, ita homines in hac rerum universitate constitutos esse, ac natura sua comparatos, ut necesse sit, per externam revelationem institui in religionis officiis eos debere, perspicuum est, revelationem hujusmodi characteribus consignatam eisdem convenire. Cum autem omnes cultae gentes, ut alias diximus se revelatam religionem habuisse semper, ac ubique asseruerint, inquirendum nunc est, quaenam gens fuerit, in qua vera, et divina revelatio facta, et deinceps intacta conservata sit. Incipiemus vero a Paganorum religione.

Propositio II.

In Ethnicorum, sive Paganorum religione characteres divinae revelationis desiderantur.

Divina revelatio doctrinam falsam exhibere non 136
potest, falsa enim, et erronea doctrina a Deo esse non potest, qui nec falli, nec fallere potest. In Paganorum vero religione plures errores occurrunt circa Dei naturam, et attributa, circa Dei cultum tum internum, tum externum, et circa ipsa quoque naturalis legis praecepta, ut superiori in capite ostendimus. Deinde Legislatores, qui se a Deo cum legibus religionem accepisse asseruerunt, a falsis Diis manifestatam religionem finxerunt, scilicet Numa a Dea Egeria, et alii vel ab Apolline, vel a Jove, vel ab alia conficta divinitate, ut in primo capite diximus: et ex eorum historiis constat, vel comparandi, vel stabiliendi imperii gratia revelationes illas evulgasse, quae sane res manifesta praeferunt calliditatis, et imposturae indicia. Desunt ergo in Paganorum religione divinae revelationis characteres. Scio, eorum Scriptores miracula quaedam recensere, et oracula Deorum, quos ipsi colerent; sed cum in eorum religione character defuerit divinae legationis, et cum doctrina non solum sine nota fuerit divinae doctrinae, sed etiam falsa, et erronea in plerisque capitibus fuerit, manifestum est, defuisse characterem illum divinae revelationis, qui excludere quoque debet suspicionem, qua dubitare aliquis posset prodigia conficta esse, aut ope Cacodaemonis peracta. Immo cum doctrinae falsae, et rectae rationi contrariae Deus auctor esse nequeat, qui nec falli, nec fallere potest, jure meritoque praesumimus, aut non fuisse apud Idololatras miracula, aut, quae pro miraculis habebantur, fuisse maligni spiritus opera, quibus Deus passus est homines deludi in poenam peccati, quia a vero cultu defecerant. Rursus, quae narrantur ab Ethnicis miracula, velut nulla sufficienti testium fide suffulta rejiciuntur etiam ab eorum Scriptoribus, ut videre est apud Livium, et Ciceronem, aut facta perhibentur in recessu, et noctu coram uno, vel altero, quorum oculis falsa rerum specie facile a callidis viris imponi potuit, vel effectus fuere, qui in admirationem ignaros trahebant, ductio ex. gr. ferri per magnetem, et similia, qua usos fuisse arte ad ostentanda prodigia Simonem Magum, et Apollonium Tianaeum scribunt Julianus, multique antiqui Patres. Quod vero ad oracula spectat, Aristoteles, et Cicero, aliique Ethnici Scriptores nullam illis fidem adhibuerunt. De gentium vero vaticiniis ita scribit Eusebius l. 4. Praep. Evang. *Multi vatum, atque Aruspicum,* non

solum priscis, sed etiam nostris temporibus tormentis in judicio coacti, universam rem suis inventionibus fieri edixerunt; a quibus modos quoque artificii exquisitius patefactos non ignoramus, qui tamquam seductores, et malefici viri, ultimo supplicio secundum leges affecti sunt. Quas res adeo clarae sunt, ut neminem lateant.

Propositio III.

In Mahumedana religione Divinae revelationis characteres non insunt.

137 In Mahumede defuit Dei legati character, is enim diu raptor fuit, ut legitur in ipsius chronico verso ex Arabico, fuit semper mulierosus, ut legitur in Alkorano *Sura* 42. et seq. ac imperium vi, praedonum ope, atque armis sibi comparare studuit. Ubi ergo probitas vitae fuit, qua se dignum exhiberet, qui Dei legatus eligeretur, et qua ostenderet, se solius Dei gloriam, et hominum felicitatem, non vero commodum, voluptatem, gloriam suam, et imperium quaesiisse? Immo cum omnia eo direxisset, ut alios sibi subjiceret, ut imperium acquireret, ut voluptatibus frueretur, manifesta praebuit callidi impostoris indicia. Desiderantur etiam in ipso Divinae Missionis signa: nullo enim miraculo missionem suam probavit, ut ingenue fatentur nonnulli ipsius sectatores, et ipse quoque testatur in Alkorano ubi saepe scribit, se non fuisse missum, ut miracula faceret; quae vero a nonnullis ipsi tribuuntur, vel ea sunt, quae humana arte effici potuerint, ut miraculum de columba ad aures advolante; vel quorum nulli sunt testes, ut dum ajunt camelum noctu ipsi locutum; aut quae sui absurditate refelluntur, ut illud de magna lunae parte in ipsius manicam delapsa, quae ab ipso postea remissa fuit ad reddendam sideri rotunditatem. Praeterea tradita ab ipso de Deo, et moribus, atque religione doctrina plerisque in capitibus cum recta ratione pugnat; Nam Deum corporeum facit, limitatum, ac fato subjectum; Polygamiam simultaneam probat; et ut alia mittam, contra naturae legem, religionem, quae libero interno animi obsequio constare debet, armorum vi extorquendam, et propagandam tradit. Pleraque demum inepta prorsus veluti divinitus revelata exponit; scilicet, Angelos corporeos esse, et ex igne factos, doemones vero ex igne venenato, *Sura* 15. item Angelorum cum mulieribus commercia, atque mortem eorumdem, et resurrectionem etc. Ad bona vero quod spectat alterius vitae, quorum spes allicere homines ad virtutem debet, ea in corporis voluptatibus constituit, quae virtuti obstaculo sunt, atque etiam contrariae. Quid vero si anachronismos, et putida Alkorani expendamus commenta? *Sura* 36. Ismaelem cum Isaaco ab Abramo patre sacrificando confundit; *Sura* 19. Eliam Mosi synchronon facit; et *Sura* 3. Mariam Jesu Servatoris Matrem Amrami, et Aaronis sororem facit: atque in iis, et aliis bene multis talem se prophetam exhibet, qui nec praeterita scire potuerit. Sed, ut unum saltem ex putidis fabellis afferamus exemplum, *Sura* 9. scribit Jesum mortuum non fuisse, sed clam subductum in Coelum, cruci vero affixum quoddam ipsius simulacrum. Quae cum ita sint, facile quisque intelliget, in Mahumedi religione non solum deesse notas Divinae revelationis, sed reperiri quoque manifesta imposturae argumenta.

Quae contra Christianos Mahumedani opponunt, puerilia prorsus sunt, et quae in tractatibus de Trinitate, et Incarnatione a nostris Theologis explicantur. Quaerunt enim, quomodo Deus, qui uxorem non habeat, generare filium potuerit, et huic similia: Sed haec in tractatu, ut dixi, de Trinitate exponuntur. Ajunt etiam, corruptos esse Evangeliorum codices, sed in tractatu de Sacra Scriptura facile falsitatis convincuntur. 138

Ostendendum hic esset, in data per Mosem religione Divinos characteres fuisse; sed id brevitatis causa omittimus, ac sat ducimus adversus Judaeos, atque Infideles, et Incredulos omnes ostendere, hos in Christi religione reperiri. 139

Propositio IV.

In Christi religione divinae revelationis characteres omnino perspicui sunt.

Dem. Christus hujus religionis Auctor, I. ea in mundum venit aetate, in qua Judaei fere omnes, ac nonnullae etiam ex gentibus promissum longe antea a Deo Messiam expectabant, ac se Messiam illum esse dixit; et cum ipse, tum quotquot deinceps fuere Christiani completas in ipso demonstraverunt prophetias, in quibus a pluribus saeculis futurus Messias praenunciatus fuerat; nec id revocari in dubium potest, cum etiam nunc extent libri antiquorum Judaicae gentis Prophetarum, in quibus hujusmodi praedictiones leguntur. II. Vir fuit vitae omnino inculpatae; nam ne ipsi quidem falsi testes ab iis exhibiti, qui eum per invidiam Pilato morti damnandum tradiderant, quidpiam contra ipsum deponere potuerunt, ut ex ipsius Pilati confessione constat, quam in illa historia legimus, de cujus fide dubitari nullo modo posse infra probabimus. III. In eorum confirmationem, quae assereret ipse, atque doceret, opera adhibuit sua, inquiens. *Si non vultis mihi credere, operibus credite.* IV. Opera, quae ad comprobandam divinam ipsius Missionem, ac doctrinam, recensentur ab iis, qui oculati testes fuere, qui nullam mentiendi causam habuere, qui illam scribendo, et praedicando non alium sibi proposuere finem, quam Dei gloriam, et alterius vitae praemia, quae solis virtutum sectatoribus, et a mendacio abhorrentibus parata esse credebant, qui demum adeo constantes in iis asserendis fuere, ut suppliciis, ac crudelissima morte asser- 140

tionum veritatem comprobarerint. Tales enim fuere Evangelistae, et Apostoli, quos mortem crudelissimam subiisse scimus, pro illa sustinenda veritate, quam litteris consignavere, ac palam ubique praedicaverunt. V. Horum operum, ac prodigiorum summa haec est: Christus solo voluntatis suae nutu aquam in vinum convertit in Canae Galilaeae nuptiis, coecis visum, surdis auditum, ac mortuis plurimis, etiam quatriduanis, et foetentibus, vitam restituit, atque haec palam, et spectante multitudine, inter quos illi quoque fuerunt, qui eadem scripserunt, et praedicaverunt. Rursus praedixit mortem suam, et qua ratione tradendus esset in manus peccatorum, ut pro hominum salute Cruci affigeretur; praedixit quoque futuram post triduum Corporis Resurrectionem, et Ascensionem in Coelum, et alia bene multa, quae brevitatis causa omittimus. Resurrectio vero post triduum, ut praedixerat ipse, contigit, et post resurrectionem per dies quadraginta cum hominibus vixit, doctrina sua illos instruendo, ac sese videndum exhibuit, et palpandum tum duodecim discipulis simul congregatis, tum quingentis simul unitis, tum etiam aliis bene multis, quos testes oculatos esse voluit resurrectionis suae, et etiam ascensionis in Coelum; spectante enim ipsa multitudine post dies quadraginta a resurrectione in coelum ascendit. Quid plura? Promiserat, se missurum Spiritum Sanctum, qui doceturus Apostolos, et discipulos esset omnem veritatem; ac ipsa Pentecostes die secundum factam promissionem, datis visibilibus signis, super Apostolos, ac discipulos stetit, qui rudes, ac piscatores homines cum essent, illico coelesti, et divina doctrina instructi loqui coeperunt variis linguis magnalia Dei coram Arabibus, Judaeis, Elamitis, Parthis, Romanis, Ægyptiis, quorum quisque illos veluti propria, in qua natus esset lingua, loquentes audivit. Haec ab eis scripta leguntur, qui vel oculati testes fuere, vel a multis acceperunt, qui illa viderant; Praeterea viri hujusmodi, quos in testes delegerat divinae Missionis suae, miraculorum, resurrectionis, ac aliorum, quae diximus, ita de veritate persuasi fuerunt, ut Christum adorandum gentibus proposuerint, quemadmodum constat ex tota Christianorum historia, ac innumeris miraculis praedicationem suam comprobarunt, quod vel ipsi Hebraei, ac Ethnici Scriptores testantur, qui arte magica, et ope cacodaemonis peracta illa scripserunt. Accedunt etiam tum illorum multitudo, qui Christi fidem susceperunt, tum invicta constantia illorum, qui hanc praedicaverunt; cum nulla alia causa, nisi veritatis, ac Dei amore, et spe illorum praemiorum, quae parata annunciaverunt solis hominibus virtutem sectantibus, induci potuerint, ad tot labores, tormenta, supplicia, ac mortem crudelissimam subeundam, pro iis confirmandis, quae gentibus promulgarent.

141 Nec fingi potest, ope maligni spiritus patrata fuisse miracula illa, tum quia vulgata a Christo ejusque ministris doctrina malignis hujusmodi spiritibus adversatur; prohibet enim, malos spiritus coli, atque ab illa corporis immunditia retrahit homines, qua mali spiritus delectantur. Constat deinde, vulgata, atque recepta Christi doctrina, cessasse apud homines Daemonum cultum, atque Magiam, et coli Deum coepisse cum illorum detestatione. Sed neque sapientiae, et Dei bonitati convenit, ut credamus passum ipsum fuisse, daemonio artibus illudi hominibus ab omni malitia prorsus alienis, et qui ipsum metuerent, cujusmodi fuere primi Christi Discipuli, quorum vita omnino inculpata fuit, et qui Dei amore mortem quoque subiere. Haec urgeri adversus quoque Judaeos possunt, et quidem validius: Dum enim supra dicta expendantur, palam fit, longe clariores esse in Christi, quam in Mosis religione, Divinae revelationis characteres.

Ostendimus, in Christo characteres fuisse Divinae Missionis, atque ex dictis facile patet, etiam in illis, quos elegit Christus, et ad vulgandam misit revelatam religionem, hujusmodi characteres fuisse. Ii enim Apostoli fuere, homines nempe, nec divitiarum cupidi, nec honorum, nec voluptatibus inclinati, sed soli Dei, et proximi amore incitati, ac Dei unice gloriam, ac salutem hominum procurantes. Rudes, ac piscatores homines erant, sed in comprobationem Divinae missionis variis linguis loquebantur, Divinam, et arcanam doctrinam explicabant, atque innumeris miraculis istam comprobaverunt, ut jam diximus. Per horum successores, quibus non semel perpetuam Divini spiritus assistentiam promisit, intactum servatum voluit depositum Divinae revelationis, ut revera conservatum est usque adhuc. Quid demum de doctrina dicemus? Haec sane sola est, quae sufficiat ad veram revelationem comprobandam. Haec enim talis est, quae vere ad Dei gloriam promovendam ordinata sit, et quae unice ducat ad veram hominis felicitatem procurandam cum praesentis, tum vitae futurae. Nil enim in ipsa de Deo indignum, atque repugnans asseritur, ut iegentibus nostros Theologos manifestum fit. Proponuntur sane mysteria humanae mentis nostrae captum superantia, aptissima tamen ad sublimem Dei excellentiam, ac incomprehensibilem ipsius naturam demonstrandam, et ad fovendum in nobis humilitatis exercitium, et debitum enti praestantissimo cultum. Per mysterium enim Trinitatis, incomprehensibilis Divina natura, per Mysterium Incarnationis, et Eucharistiae, incomprehensibilis Dei erga homines amor, et per Mysterium praedestinationis, et gratiae, incomprehensibilis ostenditur Dei providentia, nec quidpiam, ut dixi, in iis repugnans occurrit. Ad homines quod attinet, doctrina Christi Deum exhibet, ut summum bonum, cujus unico possessione per claram visionem, et fruitionem beati esse possimus, quo quidem nil rectae rationi conformius esse potest; nam clare intelligimus, beatitudinem nostram 142

non posse consistere in bonis fortunae, quae desideriis, et timore homines turbant, non in voluptatibus corporis, quae rationem turbant, ac humanas passiones, quae nostrae miseriae veluti fontes habentur, fovent, et augent, non in virtute, et gloria inde sequuta, cum hae humanam superbiam, ac immoderatum sui ipsius amorem foveant, ex quo pars maxima humanae miseriae oritur. Itaque non in alio, quam in Deo summo bono, et immutabili, ultimus finis hominis stabiliri potest: Ad hunc finem referri debent omnes actiones nostrae, si rectam rationem sequi velimus. Atqui id tradit Christi doctrina, quae Deum summe bonum ita amare nos jubet, ut non nostram, sed Dei tantum gloriam procuremus, qua ratione conatus superbiae cohibet, quibus miserrimi homines fiunt, et humilitatem, patientiam, aliasque virtutes fovet ad tranquillam, et beatam vitam agendam necessarias. Jubet praeterea, Dei amore alios homines amandos esse, ac aliis prastanda, quae fieri nobis optemus, et amandos quoque inimicos, iisque benefaciendum, a quibus mala recepimus, unde mutua illa benevolentia oritur, ex qua hominis in societate felicitas pendet. Et ut in eadem societate securitas illa vigeat, sine qua tranquilla, ac beata vita esse non potest, non solum sub poena aeterni supplicii prohibet aliena rapere, vel aliorum jura laedere, sed etiam desiderare illa, et concupiscere. Quibus si addantur, quae praescribit de mutuis conjugum officiis, deque conjugii indissolubilitate, ac de debito Parentibus, Magistratibus, ac Principibus obsequio, manifestum fit, talem esse Christi doctrinam, quae modum praescribat unicum, quo homines optatam in terris felicitatem habere possint, et ad felicitatem illam obtinendam praeparentur, quae veluti merces in alia vita speranda est. Accedit etiam, ad inspirandam humilitatem, spem, ac fiduciam, sive jucundam expectationem hominibus, necessarium esse docere internum Dei auxilium, quo ad agendum Dei amore excitetur, et adjuventur, atque istud auxilium vere petentibus semper praesto esse. Ex quo ita argumentamur. Illa doctrina Deo digna, ac Divina haberi potest, quae Dei praeexcellentiam aptissimo ad debitum Deo cultum excitandum, et fovendum modo demonstret, quae in homine virtutem promoveat, ac caetera ad beatam vitam agendam necessaria, quaeque hominem ipsum tuto ad ultimum finem, seu aeternae felicitatis consecutionem dirigat. Hujusmodi est tradita a Christo doctrina; ergo.

Propositio V.

Inter varias sectas, quae inter Christianos vigent, sola Romano-catholica est, quae revelatae a Deo religionis characteres retinet.

143 Dem. Dei providentia exigit, ut eadem cura, qua humano generi religionem manifestat, eandem integram, atque intactam conservet. Sicut enim decet Divinam providentiam ita hominibus religionem promulgare, ut per obvios characteres constet a Deo traditam esse, ita decet ita eam conservare, ut iisdem conspicuis characteribus demonstretur profectam a Deo esse, atque infallibili ejusdem cura conservari, ac sartam tectam custodiri. Non minus enim ut tuta ab eo tradita regula suscipi ab illis debet, qui revelationem habuere, quam ab illis, qui eamdem deinceps amplecti, ac servare tenentur. Nam ut illis, ita et istis veluti Divina proponi ita debet, ut a falsis secernatur sectis, et ut veluti tutissima aeternae salutis regula agnoscatur. Itaque per certas notas, ac conspicuos characteres constare hominibus debet societas, quae Divinae revelationis depositum a Christo acceperit, ac intactum per idoneos ministros, Divinae providentiae cura, conservaverit. Nam sine iis characteribus constare hominibus non potest de Divina revelatione, ac de necessaria ad salutem regula, ut ex dictis liquet. Inter varias vero Christianorum sectas, quae invicem dissident, circa puritatem doctrinae revelatae, adeoque circa tutissimam aeternae salutis regulam, sola Romano-Catholica est, quae notas, et characteres servet divinae revelationis intactae Dei providentia conservatae. Nam in sola Romana Ecclesia ministri sunt, qui per legitimam deputationem, sive ordinationem, suam missionem a Christo factam probant, et quibus divinae revelationis depositum traditum ea lege fuit, ut nunquam defutura sit infallibilis Dei assistentia, qua ita regantur, ut in deposito fidei custodiendo errare nequeant. In sola enim Ecclesia Romana legitima successio Episcoporum adest, *quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Christi*, ut legitur in Actis Apostolorum; qui per legitimam ordinationem, non interrupta serie, ab Apostolis trahunt originem; qui acceptam a majoribus religionem plebi proponunt, et explicant; et quibus inerrantiae privilegium, dum docerent, a Christo promissum fuit, ea ratione, quam in Art. de Ecclesia demonstravimus, Alii enim Christiani non a Christo, et ab Apostolis missionem suam ostendunt, sed vel a Nestorio, vel ab Euthychete, vel a Calvino, Lutero, aut ab aliis viris e Christi Ecclesiae communione dejectis. Deinde, fatentibus Haereticis, in aliis sectis miracula desunt, quae ostendunt Dei curam in demonstranda hominibus vera ab ipso revelata religione; in Ecclesia vero Romana haec semper viguere, atque vigent, ut discurrenti per singula istius historiae saecula liquet, praesertim ex actis Canonizationis Sanctorum, in quibus omnino demonstrata miracula exhibentur. Sunt etiam in Ecclesia Romana eximiae sanctitatis viri, quorum vitae sanctitas miraculis quoque comprobatur, quae etiam ostendunt visibilem providentiae curam, in conservanda in hac societate revelata religione. Quibus si addantur reliquae verae Ecclesiae notae in supra cit. art. demonstratae,

palam fiet, evidentia morali constare, solam Romanam, et Catholicam religionem veram esse. Haec paucis indicavimus, fusius vero in nostro hac de re vulgando opere exponemus (*).

RELIGIONES REGULARES, ET MILITARES

ARTICULUS I.

QUO AD EA, QUAE CONCERNUNT RELIGIONES IN GENERE.

SUMMARIUM

1. Religin unde dicte; *ad* num. 3. — 4. Religio, seu status religiosus quid sit? — 5. Religiosus, seu regularis quid sit? — 6 Religiosus, et regularis idem significant et solum differuot, quod ly *Religiosus* vaoit e verbo *Religio*? *Regularis* vero a *Regula*. — 7. Tria Vota, Paupertatis scilicet, Obedientiae, et Castitatis perpetuae sunt omoino de essentia religionis; adeo at sine illis religio aliqua proprie dicta aullateous consistere possit. — 8. Tria dicta vota suot de esseotia religioois ex Jure Divioo: adeo at neo Papa possit dispeasare in seosu composito, quod aliquis sit, et maneat proprie religiosus, et tamen non e l adstrictus tribus allegatis votis; quamvis ex aliqua gravi caussa bonum commune concernante possit dispensando ex religioso facere noo religiosom, et ei coocedere facultatem ad saecolom redeuodi, at nubeodi. — 9. Affertur ratio. — 10. Status religiosus a Christo Domino sia institutus, eo invitante, et hortante statim ab initio Ecclesiae fuit susceptus ab ipsis Apostolis, ac aliis Christi discipulis. — 11. Dicta tria vota potius, quam alia fuerunt constituta pro essentia status religiosi, quia per ea homo perfectius se coosecrat, et unit Deo. — 12. Ante adventum Christi oulla fuit vera, et proprie dicta religio cum dd tribus esseotialibus votis. — 13. Quamvis in lege naturae, et in lege scripta quaedam religiosi status vestigia, ac figurae fuerint; tamen pro tooc nulla fuit vera, et proprie dicta religio cum professione dictorum trium essentialium votorom. — 14. Verus, et perfectus status religiosus secundum essentiam cum tribus dictis votis fuit primo, et immediate institutus a Christo Domioo. — 15. Secuodum autem peculiares, et certas vivendi regulas religioois esseatias superadditas fuerunt a variis perfectis, et Sanctis Fuodatoribus variae religiooes institutae, et ab Ecclesia approbatae. — 16. Quamvis dicta tria vota pro essentia status religiosi fuerint a Christo Domino instituta, tamen eorum solemnitas a sola Constitutione Ecclesiae fuit iovecta. — 17 Quamvis omnes religiones conveniaot in substantia, dictorum votorum, et in fine priocipali teodendi mediis ipsis votis ad perfectionem, tamen differuot in accidentibus. — 18. Hinc religio alia est Contemplativa, alia Activa, et alia Mixta. — 19. Contemplativa quae sit? — 20. Activa quae sit? — 21. Mixta quae sit? — 22. Insuper religiones aliae sont Clericales, aliae Monachales, aliae Mendicaotes, et aliae, Militares. — 23. Religiones Clericales quae siot? — 24. Religiooes Monachales quae siot? — 25. Religiooes Mendicantes quae sint? *ad num* 26. — 27. Religiones Militares quae siot? — 28. Professi in illis religionibus Militaribus in quibus praeter Votum Paupertatis, et Obedientiae, etiam emittitur perfectum, et totale votum Castitatis, suot veri, et proprie dicti religiosi. — 29. Professi autem in illis religioníbus Militaribus, in quibus noo emittuotur omnia dicta tria vota substantialia, quamvis siat, et dici possiot religiosi cum addito *Militares*; Noo suot tamen, nec dici possunt absolute, et simpliciter, proprie, et rigorose *Religiosi*. — 30. Utilissimum semper fuit, et adhoo est Ecclesiae Catholicae, vigere in ea religiooes. — 31. Innocentius III. Divinam habuit visiooem, qua vidit Lateranensem Ecclesiam convulsis foodamentis ruinae propinquam, et jam labentem Seraphici Sancti Patris mei Fraocisci suppositis humeris sustiocri. — 32. Hinc in Coronatione, Papae tertia Collecta, seu Oratio canitur de S. P. N. Francisco. — 33. Insuper utilissimum, ac summe expediens est, quod plures, et variae institutae siot, et vigeant. — 34. Nimia tamen, et excessiva multitudo, et varietas religionum, tamquam confusionis causativa, est vitenda. — 35. Religiones in specie, quamvis plures siot, tamen fere omnes sub quatuor principalioribus regulis militant, videlicet S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti, et S. P. N. Francisci, exceptis aliquibus infra assignandis, *ad* o. 36.

1 Religio secundum D. Isidorum *lib.* 10. *Etymol. cap.* 19. dicitur a relegendo, ibi: *Religio nominatur a relegendo*, quod est verbum compositum ex propositione *re*, et *lego*, *legis*, et significat semel, atque iterum legere ea, quae sunt Dominici cultus, quia Religiosus relegit, atque retractat, idest iterum, atque iterum legit, et tractat ea, quae ad Divinum cultum spectant; quae enim sunt Dominici cultus, frequenter in corde sunt revolvenda, ut dicit D. Thomas 2. 2. *quaest.* 81. *art.* 2. juxta illud *Proverb.* 2. *In omnibus viis tuis cogita illum.*

2 Sanctus autem Augustinus *lib.* 10. *de Civitate Dei cap.* 4. dicit, quod Religio dicitur a *religendo*, ibi: « Religio ex hoc dicta, quod Deum reeligere debemus, quem amiseramus negligenter »; et est verbum compositum ex praepositione *re*, et *eligo*, *eligis*; quod significat iterum eligere, quod jam erat electum.

Lactantius Firmianus *lib.* 4. *Divin. Instit. cap.* 24. dicit, quod Religio dicitur, et derivatur a religando, quod est verbum compositum ex praepositione *re*, et *ligo*, *ligas*, significatque iterum, atque iterum ligare id, quod semel erat ligatum; Et tenet etiam D. Augustinus *lib. de vera Religione tom.* 1. *cap. ult* ubi post multa alia verba inquit: *Religet nos uni Omnipotenti Deo vera Religio*; Et amplectitur etiam S. Thomas 2. 2. *qu.* 82. *art.* 1. *et in Opuscul.* 19. *cap.* 1. *in princip.* 3

(*) Hac spectat nuperrimum Valsecchii opus *pro Catholica Religione.*

ubi dicit: « Nomen igitur Religionis, ut Augustinus *lib. de vera Religione* innuere videtur, a religando sumptum est ».

4 Religio, seu status Religiosus « est Fidelium ad Christianae Caritatis perfectionem tendentium editis votis perpetuae Obedientiae, Paupertatis, et Castitatis, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus ». Est in re communis.

5 Religiosus autem, seu Regularis « est persona, quae, emissis tribus votis substantialibus, in aliqua Religione ab Ecclesia approbata vivit, ibique abjectis hujus saeculi curis, et perfectionis impedimentis, propriaque abnegata voluntate, et carnis oblectamentis, ad id solum incumbit, ut ad perfectionem veniat, Deoque perfecte serviat ». Sic

6 *in re communis*: Unde Religiosus, et Regularis idem significant, et solum differunt, quod ly *Religiosus* venit a verbo *Religio*, *Regularis* vero a *Regula*, quam quivis Regularis profitetur.

7 Hinc tria dicta vota, Paupertatis scilicet, Obedientiae, et Castitatis perpetuae sunt omnino de essentia Religionis, adeo ut sine illis Religio aliqua proprie dicta nullateous consistere possit: S. Thom. 2. 2. *quaest.* 186. *art.* 1. Miranda in *Manual. Praelat. tom.* 1. *quaest.* 1. *art.* 4. Pellizar. *in Manual. Regular. tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *quaest.* 2. *et* 3. Donatus *prax. rerum Regular. tom.* 4. *tract.* 1. *q.* 5. et communis, ac certa aliorum: *argum. cap. Cum ad Monasterium* 6. *de statu Monachor.* et Extravagant. Joann. XXII Quorumdam *de verbor. significat.* §. *penult.*

8 Tria dicta vota sunt de essentia Religionis ex Jure Divino; adeo ut nec Papa possit dispensare in sensu composito, quod aliquis sit, et maneat proprie Religiosus, et tamen non sit adstrictus tribus allegatis votis: quamvis ex aliqua gravissima causa bonum commune concernente possit dispensando ex Religioso facere non Religiosum, et ei concedere facultatem ad saeculum redeundi, et nubendi: Miranda in *Manual. Praelator. tom.* 1. *quaest.* 1. *art.* 5. *conclus.* 1. Donatus *loc. cit. qu.* 12. *et* 13. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 31. *n.* 12. ubi testatur de communi, per text. *in cit. cap. Cum ad Monasterium* 6. *de statu Monachor. in fine*, ubi Innocentius Papa III. sic expresse dicit: « Abdicatio Proprietatis, sicut et custodia Castitatis adeo est annexa Regulae Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere »: et Glossa *ibid.* verb. *Abdicatio*, dicit: « Papa non potest dispensare, ut Monachus habeat proprium existendo Monachus, sed de Monacho potest facere non Monachum »; Ex quo clare sequitur, quod dicta tria vota non solo Jure humano, sed Divino requiruntur ad essentiam Religionis; quia si solo Jure humano essent ad eam necessaria, Papa in iis sine dubio posset dispensare, cum ipsemet Innocentius Papa III. *in cap. Proposuit* 4. *de concessione praebend.* expresse dicat; « Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare ». Vide verb. *Dispensatio n.* 19. *et seq.* verb. *Matrimon. quoad Impedimenta art.* 3. *n.* 1. *ad* 9.

Et ratio est, quia status Religiosus secundum suam substantiam, seu essentiam, non ab aliquo puro homine, sed immediate a Christo Domino fuit institutus; Christus enim ipse homines ad tria illa consilia Evangelica est cohortatus, et ad vota perpetua de illis facienda, ut colligitur de paupertate ex *Matthaei* 19. ibi: *Vade, et vende quas habes etc.* De Castitate ex *Matth.* 19. ibi: *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Caelorum* ». De Obedientia, quae fit per abnegationem sui, et suae propriae voluntatis, *ex Matth.* 16. ibi: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum etc.* adeoque dici debet esse de Jure Divino, non praecipiente, sed consulente, ut docent communiter Doctores mox citandi. 9

Unde talis status Religiosus a Christo Domino sic institutus, eo invitante, et hortante, statim ab initio Ecclesiae fuit susceptus ab ipsis Apostolis, ac aliis Christi discipulis, qui, emissis dictis tribus votis, veram vitam Religiosam duxerunt, verique Religiosi extiterunt, et desumitur clare ex *illo Matth.* 19. ubi postquam Christus requisita ad statum Religiosum Adolescenti proposuit dicens: « Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in Coelo, et veni, sequere me »; Petrus nomine omnium Apostolorum indicavit, hunc statum se una cum omnibus aliis jam assumpsisse, dicendo: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te*, vivendo in Obedientia, sine proprio, et in Castitate; *reliquimus omnia*, idest bona temporalia, quod fit per voluntariam *Paupertatem*, et Uxorem, quod fit per *Castitatem*, *et secuti sumus te*, per *Obedientiam*. Hinc in *Actib. Apostolorum cap.* 4. *n.* 32. expresse dicitur: « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis communia ». Ita docent S. Augustinus *Epistol.* 89. *n.* 4. Sanctus Hieronymus in *lib. contra Jovinian. et in Apolog. ad Pamac.* S. Jo: Chrysostom. l. 3. *contra Monast. vitae vitup.* S. Thom. 2. 2. *quaest.* 88. *art.* 4. *ad* 3. Bellarmin. *tom.* 2. *Controvers. de Monachis lib.* 2. *cap.* 5. Joann. Gerson. *Alphab.* 22. *serm. de Coena Domini*; Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 2. *qu.* 8. *et* 9. Hieronymus Plati *de bono statu Relig. lib.* 2 *cap.* 2. Miranda *loc. cit. quaest.* 3. *art.* 1. *conclus.* 1. *et* 2. Donat. *tom.* 4. *tract.* 1. *qu.* 7. Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 3. *cap.* 2. *num.* 3. Engel *lib.* 3. *Decret. tit.* 31. *num.* 4. Pirhing *ibid. num.* 18. Reiffenstuel *ibid. num.* 19. et alii passim. 10

Dicta tria vota prius, quam alia fuerunt constituta pro essentia status Religiosi, quia per ea homo perfectius se consecrat, et unit Deo: Cum enim homo tria principalia habeat, nempe animam, corpus, et bona temporalia, haec omnia per tria illa vota plene Deo consecrantur. Primum, 11

scilicet Anima, per *Obedientiam*, qua Religiosi voluntas sesubjiciendo dispositioni Superioris plene Deo consecratur, ita ut Religiosus non habeat amplius velle, nec nolle, ut expresse dicitur in *cap. Si Religiosus* 21. *de election.* in 6. *cap. Religiosus* 2. *de testament. item in* 6. *cap. Religiosi* 5. *de sepult. item in* 6. Secundum, scilicet Corpus, plene consecratur Deo per *Castitatem*, dum per eam omni voluptati carnali propter Deum renunciatur; Tertium, scilicet Bona temporalia, plene consecrantur Deo per *Paupertatem*; Unde de his tribus votis ad propositum sic loquitur Joann. XXII. in Extravagant. incip. *Quorumdam* 1. *de verbor. significat.* §. *penult. circa finem*, ibi: « Religio namque perimitur, si a meritoria subditi Obedientia subtrahantur; magna quidem paupertas, sed major integritas, bonum est Obedientia maximum, si custodiatur illaesa, nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur, et animo ».

12 Ante adventum Christi nulla fuit vera, et proprie dicta Religio cum dictis tribus essentialibus votis perpetuae Paupertatis, Castitatis, et Obedientiae. *Communis.* Quamvis enim in ipsa Lege naturae ante diluvium quaedam Religiosi status vestigia, ac figurae fuerint, ut patet ex *illo Genesis* 4. *in fine*, ubi de Enos dicitur: *Iste coepit invocare nomen Domini*. Quod Expositores communiter intelligunt de speciali ritu colendi Deum, cum ante ipsum, jam Adam, et justus Abel Deum invocaverint. Et in Lege veteri scripta status Religiosus fuerit figuratus in Nazaraeis, de quibus fit mentio *Numerorum cap.* 6. et in grege illo, seu Cuneo Prophetarum psallentium Deo, de quibus 1. *Reg. cap.* 10. Unde S. Hieronymus Epist. 4. ad Rusticum ait: « Filii Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus, aedificabant sibi casulas prope fluenta Jordanis, et turbis Urbium derelictis, polenta, et herbis agrestibus victitabant ». Et in Elia, et Eliseo, de quibus 3. *Reg cap.* 17. 3. *Reg. cap.* 19. *et* 4. *Reg. cap.* 1. et in Samuele tamquam eorum Principe, de quo Genebrardus (*) *in Chronologia*, et ex ipso Tamburinus *de Jur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 2. *q.* 1. dicit: « Nota, quod Samuel primo instituerit Conventus Religiosorum jugiter psallentium »; Tamen pro tunc nulla fuit vera, et proprie dicta Religio cum perfectione dictorum trium essentialium votorum, perpetuae Paupertatis, Castitatis, et Obedientiae, ut tradunt communiter Doctores, quia, ut dicit Apostolus ad *Hebraeos* 7. *n.* 19. *Nihil ad perfectum adduxit Lex, et ad Galatas* 4. *num.* 3. dicit, quod tempus veteris Legis fuit tempus infantiae, ibi: « Ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes; At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum etc. ».

(*) Quam multa levia, et commentitia in Chronographiae libros, quos edidit, Genebrardus intulerit, neminem latet.

* Vide, si libet, Dissertationem Prooemialem ad Regulas Monasticas e schedis posthumis Lucae Holstenii praemissam Codici Regularum, quas Sancti Patres Monachis, et Virginibus Sanctimonialibus servandas praescripsere collecto olim a S. Benedicto Anianensi Abbate, tum a Luca Holstenio in tres partes digesto, aucto, editoque Romae MDCLXI cap. 1. *. 13

Hinc recte concludunt communiter Doctores, 14
quod verus, et perfectus status Religiosus secundum essentiam cum tribus dictis votis fuit primo, et immediate institutus a Christo Domino, et eo invitante, et hortante, statim ab initio Ecclesiae ab ipsis Apostolis, et aliis Christi discipulis fuit susceptus, ut patet ex dictis *supra n.* 9 *et* 10. Se- 15
cundum autem peculiares, et certas vivendi regulas Religionis substantiae, seu essentiae superadditas (post jam institutam a Christo Domino Religionis, sive Religiosi status substantiam) fuerunt a perfectis, et sanctis Fundatoribus variae Religiones institutae, et ab Ecclesia approbatae; ita ut quaelibet earum suum specialem habeat Fundatorem, seu Institutorem: Quamvis enim Christus Religionem, seu statum Religiosum instituerit secundum substantiam; tamen accidentalia ejusdem reliquit Ecclesiae determinanda; sicuti quamvis Christus ipse instituerit Sacramenta quoad substantiam, tamen accidentalia eorum reliquit Ecclesiae determinanda: *Sic commu-* 16
nis Doctorum. Sicuti etiam quamvis dicta tria vota pro substantia, seu essentia Religionis, seu status fuerint a Christo Domino instituta, ut patet ex antea dictis; tamen eorum solemnitas a sola Constitutione Ecclesiae fuit inventa; textu expresso *in cap. Quod votum unic. de voto, et voti redemption. in* 6. ibi: *Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola Constitutione Ecclesiae est inventa*, et expresse declaravit Gregorius XIII Constitut. incip. *Ascendente Domino*, statuendo, quod Religiosi praeclarissimae Societatis Jesu, qui, peracto Novitiatu, primam Professionem emittunt, pro veris habeantur Religiosis, non obstante quod non nisi simplicia tunc edant vota, et non solemnia emittant, ibi: « Nos considerantes, voti solemnitatem sola Constitutione Ecclesiae inventam esse, triaque hujusmodi Societatis vota, tametsi simplicia, ut substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu Religionis vere constitui etc ». ex quo clare constat, quod votorum solemnitas non fuerit instituta a Christo, sed a sola Ecclesia, et sic quod ipsa Ecclesia possit admittere, et approbare ut veram Religionem etiam sine votis solemnibus, et cum solis simplicibus; Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 31. *num.* 10. *et sequent.* Reiffenstuel. *ibid. n.* 14. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 9. Donat. *tom.* 4. *tract.* 1. *quaest.* 10. Sanchez *in Summa lib.* 5. *cap.* 1. *quaest.* 2. *n.* 11. Pellizzar. *tom.* 1. *Manual, tract.* 1. *cap.* 1. *quaest.* 18. *n.* 26. Rodri-

quez *tom.* 1. *quaest.* 1. *art.* 4. Henriquez *lib.* 12. *Summ. cap.* 5. *n.* 6. et alii passim.

17 Unde quamvis omnes Religiones, seu Ordines conveniant in substantia dictorum Votorum, et in fine principali tendendi mediis ipsis votis ad perfectionem; tamen differunt in accidentibus, et praecipue in duobus, nempe *primo* in fine cujusque Religionis proprio, ac particulari, ad quem quaevis Religio instituta est; *et secundo* in diversis mediis, et spiritualibus exercitiis, quibus quaelibet utitur, tum ad dicta tria vota substantialia exacte observanda, tum ad suum proprium, et particularem finem melius obtinendum: Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 188. *art.* 1. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 1. *nu.* 3. Miranda *tom.* 1. *q.* 6. *art.* 2. Pirhing. *loc. cit. nu.* 20. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 21. et alii communiter.

18 Et hinc Religio alia est Contemplativa, alia
19 Activa, et alia Mixta. *Communis. Contemplativa* est, quae, praeter observantiam trium votorum substantialium ex primaeva sua institutione, principaliter in contemplatione rerum Coelestium, et Divinarum se exercet; sicque ad vitam contempla-
20 tivam potissimum ordinatur. *Activa* est, quae principaliter ex primaeva sua institutione ordinatur ad vitam activam, et opera misericordiae, et caritatis erga proximum, sive spiritualia, sive corporalia exercenda. *Mixta* est, quae utramque in-
21 cludit, scilicet contemplativam, et activam, eo quod ex primaeva sua institutione ordinata sit, tam ad contemplationem rerum Coelestium, et Divinarum, quam ad actionem operum misericordiae, et Caritatis erga proximum: Suarez *cit. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 7. *et seq.* Pirhing. *loco cit. nu.* 1. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 27. Miranda *loc. cit. q.* 6. *art.* 2. et alii communiter.

22 Insuper Religiones, aliae sunt Clericales, aliae Monachales, aliae Mendicantes, et aliae Militares:
23 *Communis.* Religiones *Clericales* sunt, quae ex primaeva sua institutione principaliter ordinantur ad Ministeria Clericorum in Divino cultu promovendo, et salute animarum procuranda, et tales sunt Religiones Canonicorum Regularium: S. Thomas 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. *ad* 2. Suarez *cit. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 6. Pirhing *loco cit. n.* 25 et alii passim.

Religiones *Monachales* sunt, quae ex primaeva sua institutione principaliter ordinantur ad vitam contemplativam, et solitariam: S. Thomas *loc. cit.* Suarez *loc. cit.* Pirhing. *loc. cit. nu.* 21. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 26. Barbosa *lib.* 1. *Jur. Ecclesiast. univers. cap.* 41. *n.* 15. et alii communiter, *argum. cap. Placuit* 1. *caus.* 16. *quaest.* 1. ubi Monachus idem significare dicitur, quod *singularis*, ibi: *Monachus enim graece, latine singularis dicitur*, *cap. Si cupis* 4. *ead. caus. et quaest.* ibi: « Si cupis esse, quod diceris, Monachus, idest solus, quid facis in Urbibus? quae utique non sunt solorum habitacula, sed multorum »; *cap. Placuit* 8. *ead. caus. et quaest.* ibi: « Sedeat itaque solitarius, et taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. Agnoscat nomen suum; Monos enim graece, latine est unus, Achos graece, latine est tristis, inde dicatur Monachus, idest unus tristis. Sedeat ergo tristis, et Officio suo vacet ». Officium enim Monachi est plangere; *cap. Monachus* 4. *ead. caus. et quaest.* ibi: *Monachus non docentis, sed plangentis habet Officium.* Tales Monachi vi primaevae suae institutionis sunt Benedictini, Cistercienses, Carthusiani, Camaldulenses, et hujusmodi. 24

Religiones *Mendicantes* sunt, quae ex primaeva 25
sua institutione paupertatem non tantum in particulari, sed etiam in communi observant, nulla penitus bona immobilia possidentes, contentae iis solis, quae « vel mendicantur humiliter, vel donantur liberaliter, vel honesto acquiruntur labore, et industria »; *arg. cap. Exiit* 3. *de verb. signif.* in 6. *et Clementina Exivi* 1. *de verbor. signif.*, et Glossa *in cap. Cum ex eo unic. de excessib. Praelator.* in 6. verb. *Mendicantes*, ubi expresse dicit: « Hi dicuntur Mendicantes, quibus victum tribuit incerta mendicitas, et qui reditus, aut possessiones ex Regula, vel Constitutionibus habere non possunt »: Pirhing *loc. cit. num.* 22. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 27. Pellizzar. *in Manual. Regular. tract.* 1. *cap.* 3. *sect.* 1. *n.* 12. et alii passim. Tales Religiones de jure communi approbatae, sunt quatuor, scilicet Religio Praedicatorum (*), Minorum, Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum, textu expresso *in cap. Religionum diversitatem unic. de Religiosis Dominibus in* 6.

(*) Ordo Praedicatorum cum primum ab Apostolica Sede confirmatus fuit, bona immobilia possidebat. Constat id ex Bulla Confirmationis ejusdem Ordinis ab Honorio III. anno 1216. die 22. Decembris data, Bullarii Ord. Praed. *tom.* 1. *pag.* 2 in qua haec habentur: « Religiosam vitam » eligentibus Apostolicum convenit adesse praesidium, ne » forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito » revocet, aut robur, quod absit, sacrae Religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis » postulationibus clementer annuimus, et Ecclesiam S. Romani Tolosanen. in qua Divino mancipati estis obsequio » sub B. Petri, et nostra protectione suscipimus, et praesentis Scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum » et B. Augustini Regulam in eadem Ecclesia institutus » esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, » quaecumque Bona eadem Ecclesia inpraesentiarum juste, » et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, praestante Domino, poterit » adipisci, firma vobis, vestrisque Successoribus, et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis, scilicet locum ipsum, in quo praefata » Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Villam » de Cassenolio cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam » S. Mariae de Lescura, cum omnibus pertinentiis suis. » Hospitale Tolosanen. quod dicitur Arnaldi Berardi, cum » omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Trinitatis de » Lobens, cum omnibus pertinentiis suis ». Itaque Ch. Bremondius not. 7. « Enim vero, *inquit*, jam inde a principio Ordinis possessiones eidem fuere ad Annum usque

26 Dicitur autem notanter *ex primaeva sua institutione*, quia ex variis posterioribus Concessionibus, ac Privilegiis Apostolicis, et ex Ordinatione Concilii Tridantini *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 3. concessum est omnibus Religionibus, tam virorum, quam mulierum, etiam olim vere Mendicantibus (sola Religione Sancti Francisci Minorum de Observantia, et Capuccinorum excepta) bona immobilia, Dominiumque rerum habere in communi, ita ut soli dicti Minores de Observantia, et Capuccini, in propria acceptione Iuris Antiqui, Mendicantes sint, ibi: « Concedit Sancta Synodus omnibus Monasteriis, et Domibus, tam virorum, quam mulierum, et Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum Sancti Francisci Capuccinorum, et eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus, aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex Privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat »; Ita tamen nomen, et amplissima Medicantium Privilegia adhuc retinent, iisque plenissime gaudent Religiones Praedicatorum, Eremitarum Sancti Augustini, et Carmelitae, quibus plures aliae Religiones expost a Sede Apostolica fuerunt annumeratae, quae infra distincte addurentur.

27 Religiones *Militares* sunt, quae in primario suae institutionis fine potissimum ordinantur ad militandum pro defensione Religionis Christianae, et Ecclesiae; Et tales sunt Ordo Teutonicus, Melitensis, et plures alii apud Barbos. *loc. cit. num.* 150. Sic Pirhing *loc. cit. n.* 24. Reiffenstuel *loc. cit. nu.* 30. Suarez *tom.* 4. *lib.* 1. *de Reliq. cap.*
28 3. *n.* 4. *et* alii communiter. Professi in illis Religionibus Militaribus, in quibus praeter votum Paupertatis, et Obedientiae, etiam emittitur perfectum, et totale votum Castitatis, qualis est Ordo Militaris Sancti Joannis Hierosolymitani, seu Equitum Melitensium, sunt veri, ac proprie dicti Religiosi, cum habeant omnia requisita ad essentiam verae, et propriae Religionis, nempe tria vota substantialia, et Pontificis approbationem: *Communis.* Vide verb. *Hierosolymitani Equites,*
29 *per tot.* Professi autem in illis Religionibus Militaribus, in quibus non emittuntur omnia dicta tria vota substantialia, nempe perpetuae Paupertatis, Castitatis, et Obedientiae, quamvis sint, et dici possint Religiosi cum addito *Militares*, non sunt tamen, nec dici possunt absolute, et simpliciter, proprie, et rigorose *Religiosi*, quia dicta tria vota sunt de essentia Religionis proprie dictae, ex jure Divino, ut patet ex dictis *supra a nu.* 8. Sic Rodriquez *tom.* 1. *quaest.* 1. *art.* 6. Miranda *tom.* 1. *quaest.* 10. *art.* 4. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 32. et alii communiter.

30 Utilissimum semper fuit, ed adhuc est Ecclesiae Catholicae, quod in ea fuerint, et adhuc sint Religiones, *Communis.* Nec indiget probatione, cum, teste experientia, et fatentibus Pontificiis Oraculis, Religiosi tum precibus, et exemplis, tum Doctrinis, et laboribus, innumera Ecclesiae attulerint bona, et ab ea averterint mala, adeo ut merito Christus ipse Sanctae Theresiae dixerit: *Vae mundo, si Religiosi non essent.* Et omnibus nota 31
est famosissima illa visio, quam habuit Innocentius Papa III. qua vidit Lateranensem Ecclesiam (quae tunc erat Sedes Pontificum) convulsis fundamentis, ruinae propinquam, et jam labentem Seraphici S. P. mei Francisci suppositis humeris sustineri: *Vere*, inquit Pontifex, *hic est ille, qui opere, ac doctrina, Christi sustentabit Ecclesiam.* Sic in Breviario Franciscano die 5. *Octobr. lec-* 32
tione 6. Unde in coronatione Papae, tertia Collecta, seu Oratio canitur de S. P. N. Francisco; Canitur enim prima de Spiritu Sancto, ut illuminet, secunda de Beata Virgine Maria, ut protegat, tertia de S. P. N. Francisco, ut sicut reparavit Ecclesiam, eandem sustentet. Ita Kazenberger in *supplement. Theologiae Sporer, in praerogativis Ordinis nostri Seraphici n.* 10. et alii.

* Secus legimus in Opere inscripto, *Sacrarum Caeremoniarum, sive Rituum Ecclesiasticorum libri tres ab Augustino Patricio ordinati, et a Marcello Corcyrensi Archiepiscopo primum editi, nunc vero tandem in duos Tomos distributi, ac innumeris pene mendis purgati, et Commentariis aucti, Auctore Josepho Catalano Oratorii S. Hieronymi Caritatis Presbytero,* Romae MDCCL. lib. 1. tit. II. §. XVI. Tom. 1. pag. 115. ubi scribitur: Dein» de (Papa) in voce dicit: *Gloria in excelsis Deo,* » *Pax vobis*, et Orationes opportunas, videlicet » de die, et de Spiritu Sancto, ut ultimo dicit se» cretam Orationem pro se, quae habetur in Con» secratione Episcoporum ». Ad quae Catalanus Commentar. num. VII. pag. 116. seq. haec habet: « Finita reverentia, *surgit Papa sine Mi*» *tra*, ut idem nostrum Caeremoniale inquit, *et* » *legit Introitum, et* Kirie eleison, *sustinente Li*» *brum Cardinali Episcopo, cum aliis assistenti*» *bus; deinde in voce dicit*, Gloria in excelsis » Deo, Pax vobis, *et Orationes opportunas etc.* In» censato Altari, ex praescripto Caeremonialis » Gregorii X. itemque Ordinis Romani, auctore » Gajetano, et Ms. Piersanctiani Codicis, *Ponti*» *fex demum sedit ad eminentem Sedem, et dicit,* » Dominus vobiscum, *vel Pax vobis, cum* Gloria » in excelsis, ut dies requirit, et postea dicit » Orationem Dominicae aite, et aliam dicit pro » se secrete. Recensetur Oratio Dominica in his » Caeremonialibus, quia scilicet juxta eorum » praescriptum Ritus ipse Consecrationis, Bene» dictionisve novi Pontificis die Dominica pera-

» MCCXX. quo Fratres *abjecerunt statuto perpetuo pos*» *sessiones, et redditus temporiarios... paupertatem Chri*» *sti Ægyptiorum divitiis praeferentes. Theodoric. lib.* IV. *cap.* 1. Ubi tamen, multorum refrigescente caritate, liberalitas est restincta, legem illam antiquavit Ecclesia. Consulendum *Diploma*, quod incipit - Obtentu divini - *datum a Clemente IV. die* XII. *Februarii* MCCLXVI.

» gebatur. Sed audiamus laudatum Burchardum,
» qui enarrans ritum servatum post electionem
» Innocentii Papae VIII. §. CCIX. ita scribit: *Fac-*
» *ta reverentia*, Cardinalium scilicet, et Praelato-
» rum, ut supra, *surgit Pontifex, deposita Mitra,*
» *et cum assistentibus tantum Cardinalibus dicit*
» *Introitum*, *et* Kyrie eleison, *Cantoribus inte-*
» *rim* Kyrie eleison *cantantibus. Missa dicta est de*
» *Octava Nativitatis Beatae Mariae Virginis*. Tum
» vero §. CCX. ita subjicit: *Dictis per Pontificem,*
» *Introitu*, *et* Kyrie eleison *cessarunt Cantores*,
» *et Papa dixit*: Gloria in excelsis Deo, *quod cum*
» *assistentibus complevit more solito; tum in dicta*
» *sede dixit*: Pax vobis, et Orationem de Octa-
» va; qua sub sua conclusione completa, dixit a-
» liam orationem, etiam alta voce dicens: Ore-
» mus. Deus, qui corda fidelium etc. quam e-
» tiam sub sua conclusione complevit, et ea com-
» pleta interim, quoad Cantores responderent,
» Amen, *dixit secrete aliam pro se, stans, ut prius,*
» *videlicet*: Adesto supplicationibus nostris Omni-
» potens Deus, et quod humilitatis nostrae geren-
» dum est ministerio, tuae virtutis impleatur ef-
» fectu. Per Dominum. Sed de hac Oratione jam
» supra * ».

33 Insuper utilissimum, ac summe expediens est, quod plures, et variae institutae fuerint, et vigeant in Ecclesia Catholica Religiones: *Communis*, cum Sancto Thoma 2. 2. *quaest.* 183. *art.* 2. *et quaest.* 188. *art.* 1. *et seq.* et patet experientia, et fatentur etiam Pontificia Oracula, inter quae signanter illud Gregorii XIII. merito prolatum in laudem, et gloriam praeclarissimae Societatis Jesu in Constitut. incip. *Ascendente*; Et ad rem facit illud *Psalm.* 44. ibi: *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*, ubi per Reginam, Ecclesiam, per varietatem autem, que decoratur, varias Religiones, plures interpretes intelligunt, teste Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. titul.* 31. *n.* 58. Tum quia, cum variae sint inclinationes, et propensiones hominum, nec sint in omnibus pares vires, et habilitates, ex speciali Dei providentia plures, ac variae Religiones saluberrime, ac sapientissime fuerunt institutae, ut si una Religio alicujus inclinationi, propensioni, viribus, ac habilitati non quadraret, alia pro inclinatione, et viribus in promptu haberetur: Nam in *cap. Quia diversitatem* 5. *de concess. praebend.* sic expresse dicitur: « Quia diversitatem corporum diversitas saepe sequitur animorum ». Et juxta illud Poetae: *Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.* Unde Apostolus. *ad Corinth. cap.* 7. *n.* 20. sic dicit: *Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, et *ibid. n.* 34. subjungit: « Unusquisque in quo vocatus est, Fratres, in hoc permaneat apud Deum ».

Nimia tamen, et excessiva multitudo, et varietas Religionum, tamquam confusionis causativa, est evitanda; Unde merito in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. sic fuit statutum, ut expresse refertur in *cap. Ne nimia* 9. *de Religiosis Domibus*, ibi: « Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam Religionem inveniat, sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat; Similiter qui voluerit Religiosam Domum de novo fundare, Regulam, et Institutionem accipiat de approbatis »: et concordat omnino *cap. Religionum diversitatem unic. de Religiosis Domibus in* 6. ibi: « Religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret, Generale Concilium consulta prohibitione vetavit .... repetita Constitutione districtius inhibemus, ne aliquis de cetero novum Ordinem, aut Religionem adinveniat, vel Habitum novae Religionis assumat ». 34

Religiones in specie, quamvis plures sint, tamen fere omnes sub quatuor principalioribus Regulis, S. Basilii videlicet, S. Augustini, S. Benedicti, et S. P. N. Francisci militant, exceptis aliquibus infra assignandis, quae in pluribus quatuor praefatis Regulis se uniformantes, propria statuta, et peculiares Constitutiones pro Regulis habent: Barbosa *lib.* 2. *Jur. Eccles. univers. cap.* 41. *n.* 20. Laymen *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 3. Pirhing *loco cit. n.* 25. Reiffenstuel *loco cit. num.* 34. et alii communiter. 35

Quatuor Ordines mendicantium quatuor fluminibus Paradisi sunt comparati ab Eugenio IV. Constit. incip. *Summa Divinae Bonitatis*, allata in Bullario Inclyti Ordinis Praedicatorum *tom.* 3. *p.* 12. *et seq.* 36

ARTICULUS II.

QUO AD PRIMAM PRINCIPALIOREM REGULAM, ET MILITANTES SUB IPSA.

SUMMARIUM

1. Prima principalior regula est Sancti Basilii ab eodem Sancto instituta. — 2. Olim ab eo tempore, quo in Ecclesia pro Monachis, sive religiosis scripto regulae coeperunt institui, semper dictae Regulae consueverunt approbari, et confirmari ab Episcopis. — 3. Et talis consuetudo duravit usque ad tempus Concilii Lateranensis, in quo approbatio, et confirmatio religionum fuit reservata soli Romano Pontifici. — 4. Monachi S. Basilii in Provincia Siciliae, Calabriae, et Apuliae fuerunt reformati, et eorum Constitutiones fuerunt approbatae ab Eugenio IV. — 5. Basilianorum religioni, seu Congregationi unitum fuit Eremitorium dictum *del Tordon*, et alia similia, et forma gubernandi illa fuit statuta a Gregorio XIII. — 6. Monachi omnes S. Basilii ad unam

tantum Congregationem fuerunt redacti sub uno Abbate Generali, et forma gubernii fuit ei praescripta a Gregorio XIII. — 7. Monachi Basiliani obtinuerunt licentiam habendi in Hispania duo Monasteria pro Reformatis, et recipiendi in eis Novitios, et propriae Constitutiones pro his fuerunt statutae a Clemente VIII. — 8. Sub Divi Basilii regula militant ferme omnes Monachi Graeci, et Orientalis Ecclesiae. — 9. Sub hac regula militavit aliquando Congregatio Armenorum; Hodie tamen illam Sancti Augustini observat. — 10. Item sub hac regula militerunt quandoque Carmelitae. — 11. Hodie tamen aliam observent, quam una cum Carmelitarum religione approbavit Honorius III — 12. Carmelitarum regulam in suo primaevo rigore sine ullis moderationibus Apostolicis observat religio Carmelitana discalceata, quam regulam una cum qualitatibus a S. Theresia additis confirmavit Gregorius XIII. — 13. Haec Carmelitana familia discalceata separata fuit a reliquo Corpore Ordinis cum proprio Generali sibi dato a Clemente VIII. — 14. Carmelitarum Discalceatorum Congregatio in Italia separatur ab Hispanica, et eadem retinet Privilegia.

1 Prima igitur principalior Regula est S. Basilii ab eodem Sancto instituta anno 361. Pontifice Felice II. Imperatore Juliano Apostata, ut refert Barbosa *loc. cit. n.* 21. Vel circa annum 359. plus, minusve (*), ut tradit Miranda *in Manuali Praelatorum tom.* 1. *quaest.* 4. *art* 1. Sanctissimus hic Monachorum antiquorum Orientalis Ecclesiae Patriarcha fuit primus, qui Monasticum statum (**) reformavit, et ea omnia, quae ab Antonio Magno, Hilarione, Pachomio, et utroque Macario (***) pro instruendis illius temporis Monachis, et Religiosis verbo tenus audierat, et sibi fuerant tradita, literis mandavit, atque quibusdam demptis, aliis vero additis, confecit Regulam, quae fuit approbata, et confirmata ab illius saeculi Episcopis, eo modo, quo tunc temporis Religionum Regulae consueverant approbari, et confirmari; de quo quamvis nihil reperiatur expressum, sat est, ut id dicere possimus, quod in Concilio Generali 7. (quod est secundum Nicoenum) Regulae ejusdem fit mentio, tamquam de Regula juris per Ecclesiam approbata, et confirmata. Sic Miranda *loco citato*.

2 Olim enim ab eo tempore, quo in Ecclesia pro Monachis, sive Religiosis scripto Regulae coeperunt institui, semper dictae Regulae consueverunt approbari, et confirmari ab Episcopis, ut tradunt communiter Doctores, et signanter Bellarminus *lib. de Monachis cap.* 4. Miranda *loco cit. q.* 2. *art.* 6. Rodriquez *lib.* 1. *qq. Regul. q.* 1. *art.* 1. Pirhing. *l.* 3 *Decretal. tit.* 31. *n.* 6. Reiffenstuel *ibid. n.* 9. et desumitur clare ex Concil. Chalcedonensi *cap.* 4. relat. in *cap. Quidam Monachor.* 10. *caus.* 18. *q.* 2. ubi expresse habetur, quod nulli erigant Monasteria sine auctoritate, et licentia Episcopi, ibi: « Placuit igitur neminem, aut aedificare, aut constituere Monasteria, aut Oratorii Domum sine conscientia ipsius Civitatis 3
Episcopi ». Et talis consuetudo duravit usque ad tempus Concilii Lateranensis, quod fuit celebratum anno 1215. cujus Concilii fit mentio *in cap. Ne nimia* 9. *de Religiosis domibus*; in cujus Summario expresse dicitur: « Novam Religionem non licet constituere sine auctoritate Romani Pontificis »; Et quod Religionum approbatio, et confirmatio fuerit postea reservata soli Romano Pontifici, habetur clarius *ex cap. Religionum diversitatem unic. de Religiosis Domibus in* 6. *et cap. Quod votum unic. de voto, et voti redemptione*, *item in* 6. ibi: « Per Professionem expressam, vel tacitam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis ».

Monachi S. Basilii in Provincia Siciliae, Cala- 4
briae, et Apuliae fuerunt reformati, et eorum Constitutiones fuerunt approbatae, et forma gubernii, seu regiminis circa Superiorum electiones cum reliquis fuit eis praescripta ab Eugenio IV. Const. 26. incip. *Inter curas*.

Basilianorum Religioni, seu Congregationi uni- 5
tum fuit Eremitorium dictum *del Tordon*, et alia similia, et forma gubernandi illa cum Religiosis in eis existentibus fuit statuta a Gregorio XIII. Const. 46. incip. *Cogit*.

Monachi omnes S. Basilii ad unam tantum Con- 6
gregationem fuerunt redacti sub uno Abbate Generali, et forma gubernii fuit ei praescripta a

(*) Joseph a Puteo in Opere, cui titulus: Dilucidazioni Critico-Istoriche sulle relazioni degli antichi, e moderni Scrittori della vita di S. Basilio Magno date a luce dal P. D. Giuseppe del Pozzo, Maestro di Sacra Theologia, ed Abate Generale dell' Ordine del medesimo Santo, in Roma MDCCXLVI. cap. IX. e. III. pag 56. annum, quo Monasticum Ordinem S. Basilius instituit, legesque Monachis dedit, annum circiter 362. fuisse censet. Sic enim habet: « L' Epoca . . . fortunata, e felice delle promulgazione » delle sante Regole di Basilio, e della Fondazione della » sua Monastica Religione fu circa la creazione del mon» do 4415. circa l' edificazione di Roma 1115. e circa la » comune salute 362. Nella Chiesa universale regnava il » Pontefice Liberio. Nell'Imperio d'Oriente, e d'Occidente » Giuliano Apostata. Governava la Chiesa d' Alessandria » Sant'Atanasio, richiamato al governo del suo Gregge » per esser stato trucidato dalla plebe il crudele Giorgio » invasore della medesima. In Antiochia presedeva Paoli» no discepolo di Eustachio, Vescovo di Sebaste. E in Ce» sarea di Cappadocia occupava quel riguardevole Trono » l'Arcivescovo Dianeo ».

(**) Vide Sancti Basilii Magni Vitam a Mauriois ejus Operum Editoribus perscriptam cap. IV. n. V.

(***) In Codice Regularum ab Holstenio edito part. 1. in qua Ss. Patrum Orientalium Regulae ad Monachos continentur, Regulae S. Basilii praeeunt Regulae S. Antonii Abbatis, S. Isaiae Abbatis, Ss Patrum Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii, Ss. Patrum alia, S. Macarii Abbatis Nitriensis, S. Pacomii Abbatis Tabennensis, ejusdem, et Theodori epistolae, S. Orsiesii doctrina Monastica, et Incerti Regula Orientalis.

Gregorio XIII. Constit. 58. incip. *Benedictus*, et iterum a Clemente VIII. Constit. 14. incip. *Quae ad restituendos*.

7 Monachi Basiliani obtinuerunt licentiam habendi in Hispania duo Monasteria pro Reformatis, et recipiendi in eis Novitios; et propriae Constitutiones pro his fuerunt statutae a Clemente VIII. Const. 103. incip. *Altissimi*.

8 Sub Divi Basilii Regula militant ferme omnes Monachi Graeci, et Orientalis Ecclesiae; et ejusdem Regulae Professores (*) fuerunt inter alios Sanctos, etiam S. Ephraem, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Damascenus, S. Hieronymus, Pachomius, Hesychius, Cassianus, Heraclides, et alii quamplures; fuitque haec Religio primis saeculis celeberrima: Miranda *loc. cit. n.* 4. *art.* 1. Barbosa loc. *cit. a n.* 21. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 25. et alii passim.

9 Sub hac Regula militavit aliquando Congregatio Armenorum sic appellata, eo quod ex Armenia in Italiam translata sit, ubi habitum S. Basilii aliquot annos portavit, ejusque Regulam servavit utendo Coeremoniis Graecis. At progressu temporis, eo quod videretur insolitus apud Latinos ejus vivendi mos, Religiosi Regulam S. Augustini assumpserunt cum habitu parum dissimili ab habitu Religiosorum S. Patris Dominici. Et Monasterium principale, ac Caput hujus Congregationis Genuae situm est, diciturque S. Bartholomaei; Unde Armeni per Italiam dici solent Bartolomeitae (**): Barbosa *loc. cit. nu.* 2. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 24. *q.* 3. nu. 4. *et sequentibus*, ubi etiam de Monialibus, et Equitibus S. Basilii. 10

Item sub hac Regula militarunt quandoque Carmelitae: Barbosa *loc. c. n.* 24. Reiffenstuel *loc. c. n.* 30. et alii. (***) Hodie tamen aliam observant, quam una cum Carmelitarum Religione approbavit, et confirmavit Honorius III. anno 1226. Constit. 8. Incip. *Ut vivendi*, cui Constitutioni inserta est Regula dicti Ordinis, de cujus initio, quamvis satis clare non constet, patet tamen de ejusdem approbatione, et confirmatione per d. Const. 8. Honorii III. 11

Carmelitarum Regulam in suo primaevo rigore sine illis moderationibus Apostolicis observat Religio Carmelitana discalceata: quam Regulam una cum qualitatibus a S. Theresia additis confirmavit Gregorius XIII. 22. Junii 1580. Constit. 64. Incip. *Pia*. Haec Carmelitana Familia discalceata separata fuit a reliquo Corpore Ordinis cum proprio Generali sibi dato a Clemente VIII. die 20. Septembris 1593. Constitut. 25 Incip. *Pastoralis Officii*. Carmelitarum hujusmodi Discalceatorum Congregatio in Italia separatur ab Hispanica, et eadem tenet Privilegia, quibus gaudet Hispanica Congregatio; Clemens VIII. die 13. Novemb. 1600. Const. 71. incip. *In Apostolicae*. 12 13

ARTICULUS III.

QUO AD SECUNDAM PRINCIPALIOREM REGULAM, ET MILITANTES SUB IPSA.

SUMMARIUM

1. Secunda principalior Regula est S. Augustini ab eodem Sancto instituta. — 2. Duo a S. Augustino instituti fuerunt Ordines, scilicet Eremitarum, et Canonicorum Regularium. — 3. Sub utriusque hujus Ordinis Regula plures militarunt, et militant Congregationes, et quidem ex Bordono Coogr. 34. Canonicorum Regularium, et Congr. 18 Eremitarum, et inter omnes, comprehensis etiam Ordinibus Militaribus. 97. refert Tamburinus. — 4. *Canonicorum Lateranensium Ordo* institutus fuit in primitiva Ecclesia a Christi Discipulis, et postea a S. Augustino. — 5. Ordo Canonicorum Lateranensium quare sic dictus? — 6. Canonicis Lateranensibus aliquas

(*) Lucas Holstenius in dissert. cit cap. III. « Ex hactenus dictis, *inquit*, de multitudine ubique colentium vi» tam monasticam in utroque sexu, facile cuipiam valera » ex praesentibus aestimanti persuadebitur fuisse primis il» lis temporibus diversos, et certo charactere discrimina» tos Monachorum ordines, prout postea institutum, prae» sertim in Mendicantibus, quorum universae quamvis late » sparsae familiae, sub uno peculiari capite certis, et » cuique propriis officiis, ac legibus Deo militant. Valde » fallar, si jam tum primis sex, septemve Ecclesiae saecu» lis ista usus invaluerat. Certe vestigia mihi quidem non » apparent, qui quocumque intueor, uniformem ubique Mo» nachatus rationem, et facilem, ac promiscuum invicem » transitum, mutuumque commeatum professionum, et Coe» nobiorum cerno. Orientales Monachi quando in Occiden» tem venerant, cum ibi profitentibus religiosam vitam si» ne discrimine censebantur: vicissim Occidentales in O» riente; quod cum innumeris exemplis demonstrari pos» sit, unum tantum hic afferam Cassiani, et Germani Gal» lorum Monachorum, qui Ægypti monasteria peragra» runt instituti monastici cognoscendi causa, et animo in » patriam referendi haustam inde notitiam disciplinae, in » suum, et popularium suorum usum; unde satis apparet, » existimasse ipsos unum esse in commune omnium ubique » Monachorum modum, et usum Religionis profitendae ».

(**) Congregatio ista extincta, et suppressa fuit ab Innocentio X. Const. *Commissa nobis* die 29. Octobris anno 1650. Bullarii Romani Edit. Mainardi Tom. VI. part. III. pag. 216. seq.

(***) Non omnes Scriptores a quibus Lucius noster accepit, quae de Religionibus Regularibus hoc, et proximis Articulis tradit, in illarum origine investiganda diligenter versati sunt, et quae laudant Romanorum Pontificum Diplomata, habuisse prae oculis videtur. Quamobrem Lectores monemus, ut illos consulant, qui Ordinis cujusque Annales, vel Historias accurate scripserunt, quorum Catalogum dat Langlet du Fresnoy in Opere Gallico idiomate perscripto, atque Italice reddito, cui titulus *Metodo per istudiare la Storia* tom. II. cap. XI. et tribus proximis, adeantque Aloysium Guerra in Epitome citat. Constitutionum Romanorum Pontificum tomo tertio, et quarto in quibus praecipua Diplomata ad Ordines quosque Regulares virorum, ac mulierum spectantia recenset.

Constitutiones praefixit Sixtus IV. et licet non essent amplius in Ecclesia, at Monasterio Lateranensi, sed in unam Congregationem essent redacti, statuit tamen, ut nomen retineant. — 7. Canonici Lateran. tenentur portare vestem lineam super habitum. — 8. Isti Canonici cum fiunt Episcopi, uti possunt Habita, quo alii Episcopi, qui saeculares erant presbyteri. — 9. Praefati Canonici non sunt cogendi interesse Processionibus publicis ultra solitum. — 10 Praecedant omnes Regulares, et vadant immediate post Clerum saecularem — 11. Sancti Frigidiani Canonicorum Lateranensium Congregatio. — 12. Sancti Jacobi de Spatha Canonicorum Regularium Coogregatio. — 13. Sancti Rufi Canonicorum Regularium Congregatio. — 14. Portuensium Canonicorum Regularium Congregatio. — 15. Aroasiensis Canonicorum Regularium Congr — 16. Mortariensis Canonicorum Regularium Congr. — 17. Marbacensis Canonicorum Regularium Congr. — 18. Sancti Quintini Bellovacensis Canonicorum Regularium Coogr. — 19 Sancti Laurentii de Plebe Martyrum, sive de Ultio Canonicorum Regularium Congr. — 20. Sancti Victoris Parisiensis Canonicorum Regularium Coogr. — 21. Sancti sepulcri Canonicorum Regularium Congr — 22. Sanctae Mariae ad Rhenum Canonicorum Regular um Congr. — 23. Sancti Jacobi de Colla Volana Canonicorum Regularium Congr. — 24. Sanctae Crucis Conimbricensis Canonicorum Regularium Congr. — 25. Sanctae Mariae de Crescentiaca Canonicorum Regularium Cong. — 26. Vallis viridis Canonicorum Regularium Congr. — 27. Sancti Antonii de Vienna Canonicorum Regularium Congr. — 28. Praemonstratensium Canonicorum Regularium Congr. — 29 Scholarium Canonicorum Regularium Congr. — 30. Cruciferorum Canonicorum Regularium Congr. — 31. Windesimensium Canonicorum Regularium Congr. — 32. Mussiensium Canonicorum Regularium Congr. — 33. Sancti Demetrii, seu S. M. de Metri Canonicorum Regularium Congr. — 34. Sancti Spiritus Venetiarum Canonicorum Regularium Congr. — 35. Frigionaria Canonicorum Regularium Congr. — 36. Sancti Petri de Monte Corbulo Canonicorum Regularium Congr. — 37 Sancti Salvatoris Canonicorum Regularium Congr. — 38. Sancti Georgii de Alga Canonicorum Congr. — 39. Sancti Marci Canonicorum Mantuanorum Coogr. — 40. Cruciferorum Sancti Cleti Canonicorum Regularium Congr — 41. Sancti spiritus in Saxia Canonicorum Congr. — 42. Eremitarum S. Augustini Ordo a quo tempore inceeperit? — 43. Sancti Guilielmi Eremitarum Congr. — 44. Jambonitarum Eremitarum Congreg. — 45. Sancti Hieronymi in Hispania Eremitarum Congr. — 46. Beati Petri de Tisis Eremitarum Congr. — 47. Illicetana Eremitarum S. Augustini de Observantia Congr. — 48. Carbonaria S. Augustini Eremitarum Coogr. — 49. Perusina Eremitarum S. Augustini Congr. — 50. Lombardiae Eremitarum S. Augustini Congr. — 51. Sanctae Mariae Montis Hortonae Eremitarum S. Augustini Cong. — 52. Baptistellorum Eremitarum S. Augustini Congr. — 53. Pollensis, seu Dulcita Eremitarum S. Augustini Congr. — 54. Calabriae, seu Zampana Eremitarum S. Augustini Congr. — 55. Dalmata Eremitarum S. Augustini Congr. — 56. Germanica Eremitarum S. Augustini Congr. — 57. Sancti Pauli primi Eremitae Congr. S. Augustini Hispanica. — 58. Congregationes variae Eremitarum S. Augustini per Alexandrum IV. unitae. — 59. Eremitarum Discalceatorum S. Augustini Congr. — 60. Haec Congregatio Eremitarum Discalceatorum divisa est in Hispaniam, et Italam. — 61. In supradictarum omnium Coogr. S. Augustini formis, et Regula reperiuntur etiam propriae cujusque Generalis Congr Sanctimoniales Deo inservientes cum magno Devotionis, et Sanctitatis incremento. — 62. Armenorum, seu modo S. Bartholomaei de Genua Congr. — 63. Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Congr. — 64 Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum Congr. — 65. Praeclarissimus Praedicatorum Ordo. — 66. Monialium S. Patris Dominici Ordo. — 67. Tertii Ordinis de Poenitentia S. Patris Dominici Congr. — 68. Servorum Beatae Mariae Ordo. — 69. Servorum Beatae Mariae Reformatorum Congr. — 70. Beatae Mariae Servorum Eremitarum Congr. — 71. Tertii Ordinis Servorum B Mariae Congr. — 72. Fratrum Poenitentiae S. Mariae Magdalenae Ordo. — 73. Mulierum Poenitentium Congr. — 74. Charitatis Fratrum Congr. — 75 Jesuatorum S. Hieronymi Congr. — 76. Monialium Jesuatorum Congr. — 77. Sancti Ambrosii ad nemus Congr. — 78 Apostolorum, seu Apostolinorum Fratrum Congr. — 79. Sancti Hieronymi de Fesulis Fratrum Congr. — 80. Hospitalitatis, et infirmis serventium Congr. S. Joannis Dei. — 81. Sancti Pauli primi Eremitae Congr. Lusitana. — 82. Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Reformatorum, et Discalceatorum Congr. — 83. Discalceatorum Reformatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Cong. Gallica. — 84. Discalceatorum Reformatorum B. Mariae de Mercede Congr. — 85. Sancti Antonii Abbatis in Flandria Congr. — 86. Alexianorum Fratrum Congr. — 86. Bonorum hominum Congr. — 88. Clericorum Hospitelariorum Congr. — 89. Clericorum vitae communis Congr. — 90. Theatinorum Clericorum Congr. — 91. Sancti Pauli Decollati, seu Barnabitarum Congr. — 92. Boni Jesu Clericorum Regularium Congr. — 93. Clericorum Regularium Somaschae, seu S. Majoli Congr. — 94 Ministrantium infirmis Clericorum Regularium Congregatio — 95. Minorum Clericorum Regularium Congregatio. — 96. Sub regula S. Augustini militarunt, et adhuc militant etiam plures Ordines Militares, seu Equestres, et in primis Equestris Ordo S. Lazari. — 97. Equestris Ordo Sancti Sepulcri. — 98. Praeclarissimus Equestris Ordo S. Joannis Hierosolymitani, seu Melitensis. — 99. Equestris Ordo S. Mariae Teutonicorum. — 100. Equestris Ordo S. Jannis Acconensis, et S. Thomae Martyris — 101. Equestris Ordo S. Jacobi in Hispania — 102. Equestris Ordo S. Jacobi in Lusitania. — 103. Equestris Ordo S. Mariae Gloriosae apud Italos. — 104. Equestris Ordo S. Mariae de Mercede. — 105. Equestris Ordo S. Mariae de Monte Carmelo apud Gallos.

1 Secunda principalior Regula est S. Augustini
ab eodem Sancto instituta circa annum Domini 390. (*) existente Summo Pontifice Siricio, et Imperatoribus Occidentis Gratiano, Orientis vero Theodosio *loc. cit. n.* 88. Reif-
fenstuel *loc. cit. nu.* 37. et alii. Duo a S. Augu- 2
stino instituti fuerunt Ordines, scilicet Eremitarum, et Canonicorum Regularium; De anteriori utrius istorum institutione clare non constat, cum Eremitae ex una (**), et Canonici ex alia parte a-

(*) Hoc est anno 388. Romano Pontifice S. Siricio, Imperatoribus Orientis Theodosio; Occidentis Valentiniano II. Vide Maurinos Editores Operum S. Augustini in vita ejusdem S. Doctoris lib. III. cap. II.

(**) Eremitarum causam nostra aetate strenue egit Cl. Joannes Laurentius Berti in Historica Lucubratione *De rebus gestis S. Augustini*, *Venetiis* 1756, cap. XXII. et seq.

cerrime de anterioritate contendant, quorum pro-
inde disputationi negotinm relinquitur.
3 Sub utriusque hujus Regula plures militarunt,
et militant Congregationes, et quidem ut ex Bor-
dono refert Reiffenstuel *loc. cit. n.* 37. Congre-
gationes 34. Canonicorum Regularium, et Con-
gregationes 18. Eremitarum, et inter omnes, com-
prehensis etiam Ordinibus Militaribus, 97. refert
Tamb. *de Jur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 24. *q.* 4. quas
juxta ipsius ordinem hic breviter referemus.
4 *Canonicorum Lateranensium Ordo* institutus
fuit in primitiva Ecclesia a Christi Discipulis: Be-
nedictus XII. Constit. 6. incip. *Ad Decorem;* Bar-
bosa *in Summa Apostolic. decis. verb. Canonici
Regulares n.* 2. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.*
2. *disp.* 24. *q.* 4. *n.* 2. ubi refert praecisa verba
dicti Pontificis Benedicti XII. ibi: « Ad Religio-
nem Canonicorum Regularium Ordinis S. Augu-
stini a Christi gloriosis Discipulis in primitiva Ec-
clesia sacris Institutionibus stabilitam gerentes
praecipuae caritatis affectum »: Et insuper sub-
jungit hoc Eugenii IV. testimonium, ibi: « Hu-
jus Sancti Ordinis, et Sancti propositi post Sanc-
tos Apostolos primum in Alexandrina Ecclesia
Marcus Petri discipulus fuit Institutor, et Condi-
tor, ac gloriosus Doctor Augustinus Episcopus
Divinis Regulis, et doctrina decoravit »; Et idem
testantur S. Antoninus *in suo Chronic. par.* 2.
tit. 15. §. 2. ibi: « Ordo Canonicus, non tam a
B. Augustino institutus, quam renovatus, ab A-
postolis in Monte Sion exordium sumpsit »; Vin-
centius Bellovacensis *in specul. doctrin. lib.* 19
cap. 16. ibi: « Ordo Canonicorum Regularinm pri-
mum ab Apostolis, postea a B Augustino Episco-
po, et Doctore eximio regulariter institutus re-
floruit »; et alii.
5 Ordo Canonicorum Lateranensinm est sic dic-
tus ab Ecclesia S. Joannis Laterani in Urbe, in
qua a S. Leone Magno Pontifice intra annum 440.
et 457. collocatos fuisse refert Caesar Franciotti
Clericus Regularis Sanctae Mariae de Luca in *His-
toria Sacra Lucensi edita anno* 1613. *in Ecclesia
S. Frigidiani statim in princip.* sive ut vult Onu-
phrius Panvinius in *Volumine proprio de Ecclesia
Lateranen. lib.* 1. *cap.* 3. a S. Gelasio Papa S.
Augustini Discipulo ab anno 495. et deinde du-
ravit ibi eadem Familia per 800. annos usque ad
Pontificatum Bonif. VIII. qui, sublatis Canonicis
Regularibus S. Augustini, introduxit Canonicos
Regulares anno 1300. Barbosa in *Summa Apost.
decis. verb. Canonici Regulares Lateranenses n.*
2 *et lib.* 1. *Jur. Eccles. c.* 41. *num.* 101. Carol.
Tapia in *Authent. Ingressi, Cod. De Sacrosanct.
Eccles. verb. Monasteria cap.* 2. *n.* 3. Tambur.
loc. cit. n. 2. cum aliis ibi citatis; Et hos Cano-
nicos obtinuisse Ecclesiam S. Joannis in Latera-
no habetur expresse in Constit. 2. Paschalis II.
incip. *Quanto*, et in Const. 1. Anastasii IV. in-
6 cip. *Potestatem.*
Canonicis Lateranensibus aliquas Constitutiones
praefixit Sixtus IV. Constit. 10. *Cum ad univer-
sos;* Et licet amplius non essent in Ecclesia, et
Monasterio in Laterano, sed in unam Congrega-
tionem essent redacti, statuit tamen, ut nomen
retineant, eisque plurima Privilegia concessit. 7
Canonici Lateranenses tenentur portare vestem
lineam super Habitum: Concil. Senon. *in Decret.
morum cap.* 22. Isti Canonici, cum fiunt Episco- 8
pi, uti possunt Habitu, quo alii Episcopi, qui sae-
culares erant Presbyteri: Leo X. Constitut. 34.
incip. *Dudum.* Praefati Canonici non sunt cogen- 9
di interesse processionibus publicis ultra solitum:
*Sac. C. Rit. in causa Canonicorum Regularium
Lateranens.* 30. *Julii* 1616. Praecedunt omnes 10
Regulares, et vadunt immediate post Clerum sae-
cularem: S. Pius V. Const. 116. incip. *Ex Or-
dinum.*
Sancti Frigidiani Canonicorum Lateranensium 11
Congregatio ab anno Domini 495. incaepit, cujus
Auctor fuit Sanctus Frigidianus ex Canonico La-
teranensi a Gelasio primo creatus Lucanae Civi-
tatis Episcopus, ubi dictae Congregationi dedit
initium, et ab ipso Congregatio nomen desump-
sit, et exinde ab Alexandro II. sub 3. Id. Octo-
bris anno 1068. in suo Brevi incip. *Quoties*, fuit
approbata, et recepta sub patrocinio, et tutela
Sedis Apostolicae: Tambur. *loc. cit.* ubi refert
Breve per extensum.
Sancti Jacobi de Spatha Canonicorum Regula- 12
rium Congregatio incaepit anno Domini 830. a
Ramiro Rege Legionensi. Et fuit probata, et con-
firmata sub Regula S. Augustini ab Alexandro
III. qui nomine Clericorum intelligit Canonicos;
et refert Pennottus *lib.* 2. *c.* 70. vocari tales Cle-
ricos Regulares ab Adriano VI. Const. 1. incip.
Dum intra, et a Clemente VII. Const. 32. incip.
Ex Apostolicae, Radesius *in suis Commentariis;*
Tamburin. *loc. cit. num.* 4. Pennottus *loc. cit.* et
alii.
Sancti Rufi Canonicorum Regularium Congre- 13
gatio incaepit circa annum Domini 1000. a qua-
tuor Canonicis S. Mariae Avenionensis, qui Apo-
stolicam vivendi formam ducere cupientes, se col-
legerunt in quadam Ecclesia Civitati propinqua,
et ibi reposuerunt Reliquias S. Rufi Simonis Ci-
raenei filii, de quo *Marc. c.* 13. *et ad Romanos c.*
16. et Episcopi Avenionensis; Unde Canonici Re-
gulares S. Rufi nuncupari voluerunt, et dictam
Ecclesiam S. Rufi caput Religionis statuerunt, si-
cut et fuit usque ad annum 1217. donec per Hae-
reticos Albigenses, destructo penitus Monasterio,
Canonici Valentiam in Galliam commigrantes,
ibique novam Ecclesiam sub S. Rufi titulo rursus
erigentes, illam caput Religionis statuerunt, et Ab-
bas hujus Monasterii, et Ecclesiae, Abbas Gene-
ralis totius Congregationis vocatur; Et haec Con-
gregatio S. Rufi fuit recepta sub tutela Sedis A-
postolicae anno 1115. a Paschali II. in suo Bre-
vi incip. *Religiosis desideriis*, quod refert Tam-
bur. *loc. cit. n.* 4. Renatus Choppinus *in Mona-*

stico lib. 2. *tit.* 1. §. 29. Vide ipsos *loc. cit.* ubi plura habent ad rem.

14 *Portuensium Canonicorum Regularium Congregatio* vel incaepit apud Ravennam circa annum Domini 1115. vel 1117. a Petro Cive Ravennatensi Sacerdote ex Familia de Honestis, qui arctioris vitae peragendae desiderio incensus, bonis paternis Monasterium, et Ecclesiam in Portu Adriatici sinus aedificavit, et S. Mariam de Portu nuncupavit; Unde Congregatio ibi incaepta Canonicorum Portuensium dicta est: Quam Congregregationem cum certis Constitutionibus approbavit Paschalis II in quodam suo Brevi dictis Canonicis S. Mariae de Portu directo, et relato a Tamburin. *loco cit. n.* 6. et sub tutela Sedis Apostolicae recepit Alexander IV. in Brevi incip. *Commissae nobis*, relato a dicto Tambur. *loco cit.*

15 *Aroasiensis Canonicorum Regularium Congregat.* initium sumpsit circa annum Domini 1097. a duobus piis Sacerdotibus Conone, et Heldemaro, qui cum aliquando vitam solitariam, seu Ereminticam duxissent, anno praedicto sub institutione Canonica, et Regula S. Augustini Monasterium S. Nicolai fundaverunt in Aroasia, qui est locus prope Oppidum Bapalmae in Artesia circa fines Regni Galliae in Dioecesi Airebatensi; Unde ab hoc Monasterio Aroasiae Congregatio Aroasiensis Canonicorum Regularium nuncupatur: Crusenius *in Monastic. Augustin. part.* 2. *cap.* 17. Albert. Miraeus *de Origin. Canon. Regular. cap.* 10, *et* 46. Tamburin. *lib. cit. n.* 7. Barbos. *loc. cit. n.* 107.

16 *Mortariensis Canonicorum Regularium Congr.* initium sumpsit circa annum 1083. ab Adamo Clerico Mortariensi, qui in suis praediis Monasterium, et Ecclesiam munificentissimam in honorem S. Crucis aedificavit, et ibi Canonici sub Regula S. Augustini in Congregatione degere coeperunt. Quae Congregatio a S. Gregorio VII. recepta fuit sub speciali tutela Sedis Apostolicae anno 1085. et a Nicolao V. 8. idus Febr. 1449. unita fuit Congregationi Canonicorum Regularium Lateranensium: Tamburin. *loc. cit. n.* 56. Augustin. Ticinensis *in suo Dilucid. par.* 1. *praefat.* 28.

17 *Marbacensis Canonicorum Regularium Congr.* initium sumpsit circa annum Domini 1090. vel 1094. a quodam pio Viro, Manegaldo nomine, qui auxilio, et opibus Viri nobilis Burcardi a Gebelvier primum Monasterium Caput Congregationis in oppido Marbae Dioecesis Argentinensis in Alsatia fundavit; Unde Marbacensis Congregatio nuncupata est: Tamburin. *loc. cit. n.* 9. Franciscus Guillimanus *in Histor. de Episcop. Argentinentibus in vita Othonis Episcopi* 43. Pennottus *libr.* 2. *cap.* 39. *et* 66.

18 *Sancti Quintini Bellovacensis Canonicorum Regularium Congreg.* instituta est circa annum Domini 1078. a B. Ivone S. Quintini Praeposito, deinde Episcopo Carnotensi ab Urbano II. ordinato; Sigisbertus Gemblacensis *in suo Chronic. sub anno* 1078. S. Antoninus *in sua Histor. tit.* 15. c. 16. *in fin.* Tamburin. *loc. cit. n.* 10. et alii.

Sancti Laurentii de Plebe Martyrum, sive de Ultio Canonicorum Regularium Congr in Delphinatu initium sumpsit circa annum Domini 1050. a Venerabili Sacerdote Gerardo de Oppido Ultio oriundo, qui apud idem Oppidum Monasterium sub Regula S. Augustini aedificavit; Unde ab ipso, tamquam Capite, d. Congregatio nomen desumpsit: Pennottus *lib.* 1. *cap.* 58. Tamburin. *loc. cit. n.* 11. 19

Sancti Victoris Parisiensis Canonicorum Regularium Congr. incaepit circa annum 1113. in Monasterio S. Victoris prope muros Parisienses aedificato a Ludovico Crasso Galliarum Rege, qui deinde ibi tumulatus fuit anno 1137. Crusenius *in Monastic. Augustin. par.* 2. *cap.* 19. Marul. *in Ocean. Religion. lib.* 1. *p.* 72. *et seq.* Augustin. Ticinens. *in Dilucid. par.* 2. §. *Institutio Canonici Ordinis in civitate Parisiens.* Tamburin. *loc. cit. n.* 12. Barbosa *loc. cit. n.* 108. 20

Sancti Sepulchri Canonicorum Regularium Hierosolymitana Cong. instituta fuit Hierosolymis sub Regula S. Augustini a piissimo Austrasiorum Principe, et Sacri Belli Hierosolymitani duce Gothifredo, Urbe e manibus Infidelium erepta: Hic enim piissimus Princeps voti compos factus, Canonicos Regulares, quos de partibus Occidentalibus secum adduxerat, collocavit in Ecclesia S. Sepulcri Domini Nostri Jesu Christi, a qua Congregatio tota in aliis Provinciis sub hoc eodem Instituto propagata nomen desumpsit, et retinuit; Et hanc Congregationem magnis Privilegiis, et Muneribus auctam sub Sedis Apostolicae tutela suscepit Coelestinus II. quarto Idus Jan. 1144. in suo Brev. inc. *Si mansuetudo*, relat. per extensum a Tamb. *loc. cit. n.* 13. 21

Sanctae Mariae ad Rhenum Canonicorum Regularium Congr. alias Rhenana prope Bononiam tertio ab Urbe milliario apud Rhenum, incaepit circa annum Domini 1136. et nomen desumpsit a Monasterio Rhenano ibidem constructo; Innocentius II. praedicto anno 1136. 6. Kalendas Septembr. Constitutiones Canonicorum Portuensium per Paschalem II. confirmatas Canonicis Rhenanis servandas sua auctoritate tradidit, et Privilegio Apostolicae Sedis munivit: Cherubinus Gerardaccius *in Hist. Bononiens. lib.* 2. *p.* 56. *et* 133. Mozzagrunus *lib.* 4. *fol.* 8. *et sequent.* Pennottus *in Hist. tripartit. lib.* 2. *cap.* 48. Tamburin. *loc. c. n.* 24. 22

* Vide opus inscriptum « Memorie Istoriche concernenti le due Canoniche di S. Maria di Reno, e di S. Salvatore insieme unite, Opera di D. Gio. Grisostomo Trombelli, Abate di S. Maria di Reno, in Bologna MDCCLII ».

Sancti Jacobi de Cella Volana Canonicorum Regularium Congr. incaepit anno Domini 1000. in Monasterio vetustissimo Canonicorum in Dioe- 23

cesi Comaciensi: Pennottus *lib.* 2. *Hist. tripart. Regul. Canonicorum c.* 54. Tamb. *loc. cit. n.* 15.

24 *Sanctae Crucis Conimbricensis Canonicorum Regularium Cong.* sic dicta a celebri Monasterio S. Crucis in Civitate Conimbrise, incaepit circa annum Domini 1131. a Don Tello Conimbricensis Ecclesiae Archidiacono, qui una cum aliis piis viris ibidem Regulam S. Augustini professus gloriosum initium dedit huic Congregationi, quae confirmata fuit ab Innocent. II. anno 1135. Pennot. *cit. lib.* 2. *cap.* 59. *et seq.* Tambur. *loc. cit. n.* 16. Barbosa *in Summ. Ap. dec. verb. Canonici Regulares Conimbricenses*, *et lib.* 1. *Juris Ecclesiast. universal. c.* 41.

25 *Sanctae Mariae de Crescentiaco Canonicorum Regularium Congr.* incaepit anno Domini 1140. in agro Mediolanensi circiter ab Urbe milliario in loco, qui vulgo *Crescenzago* nuncupatur. Ibi enim Dominus Otho de Morbiis, Mediolanensis Canonicus Regularis, cum variis sociis sub Regula S. Augustini in Ecclesia aedificata a quodam nobili, et divite Mediolanensi in honorem B. M. V. huic Congregationi initium dedit, quae potissimum floruit sub Urbano III. ex nobilissima Mediolanensi familia de Cribellis, qui eamdem Congregationem pluribus Privilegiis ornavit, suis bonis paternis multum ditavit, ut apparet ex diplomate ejusdem Pontificis sub 7. Kalendas Dec. anno 1186. relat. a Pennot. *cit. lib.* 2. *cap.* 49. Et tandem unita fuit Congregationi Lateranensi: Tamb. *loc. cit. n.* 17. Ang. Ticin. *in suo Diluc. Canonic. Regul. et Chronic. Canonicor. Regul.* Pennot. *loc. cit.*

26 *Vallis-Viridis Canonicorum Regularium Cong.* incaepit ante annum 1200. et nomen desumpsit a Monasterio in honorem B. M. V. erecto in loco dicto Vallis viridis in Brabantia prope Bruxellas; Nec satis constat de praeciso anno, et Auctore: Silvester Maruius *in Ocean. Religion. lib.* 1. *p.* 38. Pennot. *cit. lib.* 2. *c.* 66. Tambur. *loc. cit. n.* 18.

27 *Sancti Antonii de Vienna Canonicorum Regularium Cong.* tempore Bonifac. VIII. sub Regula S. Augustini instituta est circa ann. 1297. Observandum tamen est, quod huic Ordini jam antea circa ducentos annos primordia fecerint nobilissimi viri Gasto, et Girinus, seu Girondus ejusdem Gastonis filius oriundi ex Oppido Motta Viennensis Dioecesis in Gallia, quod hodie S. Antonii dicitur a Corpore hujus Sancti eo allato ex Urbe Constantinopolitana per Joachimum Castri Albenciani, et Mottae Dominum. Supradicti viri cum ex periculosissima infirmitate meritis Sancti Antonii fuissent liberati, pro salutis obtentae gratiarum actione, se totos S. Antonii famulatui devoverunt, suaque omnia libentissime obtulerunt, quae (sicut ab eodem Sancto per visionem acceperant) in alendos pauperes igne sacro, sive gehennali, seu epidemiae morbo tunc in occiduis partibus crudeliter saeviente contactos insumpserunt; quibus alii pii viri sese adjunxerunt, et in similibus sanctis caritatis operibus se exercuerunt sub Habitu saeculari, et sine titulo Ecclesiastico sub Magistrorum, seu Dominorum regimine per annos ferme ducentos, donec Bonif. VIII. eisdem Hospitalaribus (extinctis Magistrorum, seu Dominorum nominibus) Abbatem Generalem praefecit; eosque tam Abbatem, quam alios, in Religiosos sub nomine Sancti Augustini instituit Constit. incip. *In dispositione* 15. *Kalendas Jun.* 1297. in qua illis etiam stricte praecepit signum *Tau*, sive Potentiam deferre, juxta morem solitum ipsorum Hospitalariorum, quod etiam S. Antonius in visione dederat supradicto Gastoni; Albertus Miraeus *de statu Relig. Christ. lib.* 1. *cap.* 24. *et de Origin. Monast. lib.* 1. *cap.* 5. Pennott. *cit. lib.* 2. *cap.* 70. Maruius *in Ocean. Relig. lib.* 1. *p.* 53. Tambur. *loc. c. n.* 10. Barbosa *cit. lib.* 1. *cap.* 106.

Praemonstratensium Canonicorum Regularium Cong. sic dicta a loco *Praemonstrato* in Dioecesi Lugdunensi in Galliis, instituta fuit a S. Norberto tunc Archiepiscopo, et postea Magdeburgensi Germaniae Primate sub Regula S. Augustini, et Instituto Canonicorum Regularium, anno 1120. et deinde confirmata fuit ab Honorio III. Constit. incip. *Honorius Episcopus*, sub dat. Kal. Martii 1126. quae reperitur impressa in statutis Ordinis renovatis de anno 1628. Silvester Maruius in *Ocean. Relig. lib.* 2. *pag.* 172. Barbosa *loc. cit. n.* 109. *et in sum. Apostol. decis. verb. Canonici Regolares Praemonstratenses*, Tamb. *loc. cit. n.* 20. Paulus Moringia *de origine Religion. l.* 1. *c.* 57. 28

Scholarium Canonicorum Regularium Congr. instituta est anno 1200. a quibusdam Scholaribus Bononiae studii causa commorantibus prope eamdem Civitatem: Jacobus de Vitriaco Episc. Tusculanus in *sua Histor. Occid. c.* 27. Pennottus *cit. lib.* 2. *cap.* 54 Tamb. *loc. cit. n.* 211. 29

Cruciferorum Canonicorum Regularium Congr. instituta est a Viris quinque Religiosis, procurante, ac opem ferente Hugone de S. Caro, praeclarissimi Ordinis Praedicatorum Cardinali, tunc temporis per Germaniam Legato, anno 1246. Pontifice Innocentio IV. a quo dicta Congregatio sub Regula S. Augustini confirmata fuit. Monasterium totius Congregationis Caput situm est in Oppido Muitz, seu Huyo in Belgio ad Mosam fluvium in Dioecesi Leodiensi, ubi Praefectus Congregationis residet: Renatus Choppin. in *suo Monastic. lib.* 1. *tit.* 1. §. 6. *et tit.* 2. §. 9. *et lib.* 2. *tit.* 1. §. 21. Miraeus in *Orig. Aug. lib.* 1. *c.* 14. Tambur. *loc. c. n.* 22. Barb. *cit. lib.* 1. *n.* 136. Pennot. *cit. lib.* 2. *c.* 74. 30

Windesimensium Canonicorum Regular. Cong. in Belgio, sic dicta a praedio Windeshemo, tertio a Daventria Germaniae inferioris Urbe lapide ad Isalam fluvium sita, collocato prope Zwolam Trajectensis Dioecesis. Illic enim erectum adest Monasterium ejusdem nominis sub invocatione B. V. 31

M. a Gerardo Magno, et Joanne Busebrona aedificatum anno 1387. Cui Monasterio tamquam capiti totius Windesimensis Congregationis in sola Germania inferiori, ac tractu Rhenano brevi temporis spatio centum viginti Virorum Monasteria, et Feminarum triginta sese adjunxerunt: Crusenius in *Monastic. Augustin. par.* 3. *c.* 21. Barbosa in *Summa verb. Canonici Regulares Windesimenses*, *et cit. lib.* 1. *n.* 149. Pennot. *cit. lib.* 2. *Histor. tripartit. c.* 62. Tamb. *l. c. n.* 23.

32 *Mussinensium Canonicorum Regularium Cong.* sic dicta a primo ejus Monasterio apud Mussiam in Dioecesi Coloniensi, instituta est circa annum Domini 1170. ex Molano *lib.* 1. *de Canonic. cap.* 14. et deinde anno 1430. unita est Congregationi Windesimensi: ut habetur *ex Chronic. Windesimensi cap.* 4. Pennot. *cit. lib.* 2. *cap.* 76. Tambur. *loc. cit. n.* 24.

33 *Sancti Demetrii, sive Sanctae Mariae de Metri Canonicorum Regularium Congregatio*, sive de Poenitentia Martyrum, instituta est in quibusdam Germaniae, et Poloniae partibus circa annum 1200. temporibus Innocentii III. Haec Congregatio pene desierat, illam tamen in Pauli V. Pontificatu renovatam, ac de novo approbatam sub Regula S. August. tradit Nicolaus Crusenius in *Monastic. Augustin. par.* 3. *cap.* 1. Tamb. *loc. cit. num.* 25.

34 *Sancti Spiritus Venetiarum Canonicorum Regularium Congregatio*, sic dicta a Monasterio Sancti Spiritus, in quo degere coepit, instituta est circa annum Domini 1424. a quatuor Clericis nobilibus Venetis, scilicet D. Andrea Bondimerio, D. Michaele Mauroceno, D. Philippo Paruta, et D. Francisco Contareno: Pennot. *cit. l.* 2. *cap.* 54. *et* 14. Tamburin. *loc. cit. n.* 26. * Hanc suppressit Alexander VIII. Const. *Cum sit compertum* die 28. Aprilis 1656. Bullar. Rom. Edit. Mainardi tom. VI. part. IV. pag. seqq. *

35 *Frigionaria Canonicorum Regularium Congregatio*, sic dicta a Monasterio Sanctae Mariae in Silva Frigionaria non longe a Civitate Lucensi, sic nuncupata a multitudine Frigionum illac se recipientium (sunt Frigiones aves quaedam in Italia), instituta est sub Regula Sancti Augustini circa annum Domini 1406. a D. Bartholomaeo ex nobilissima Colomnensium Familia; Haec Congregatio ab Eugenio IV. jussa est a Frigionaria dici Lateranensis, cum Lateransium Canonicorum fuerit reformatrix: Barbosa in *Summa Apostolicar. decis. verb. Canonici Regulares Frigionariae.* Paulus Moringia *in Origin. Relig. l.* 1. *cap.* 8. Pennot. in *Histor. tripart. l.* 3. *cap.* 7. Tamburin. *loc. cit. n.* 27. Marulus *in Ocean. Relig. l.* 1. *p.* 6. *et seq.*

36 *Sancti Petri de Monte Corbulo Canonicorum Regularium Congregat.* sic dicta a primo ejus Monasterio sub patrocinio S. Petri in Monte Corbulo in agro Florentino, duodecimo a Senis lapide aedificato, instituta est a quodam Petro Regiensi, seu Mediolanensi circa annum 1503. sub Pontificatu Julii II. a quo fuit confirmata: Volaterranus *lib.* 12. Trullus *de Canonic. Regularibus l.* 10. *c.* 10. Pennot. *l.* 2. *c.* 54. Barbosa *loc. cit. verb. Canonici Regulares de Monte Corbulo*, Tamburin. *loc. cit. num.* 28.

Sancti Salvatoris Canonicorum Regularium Congreg. sic dicta a primo Monasterio, quod habuit in Silva Lacus non longe a Senis, instituta est a Venerabili P. Stephano Cioni Senensi, prius Ordinis Eremitarum S. Augustini, Coadjutore Jacobo Andrea Senensi, ejusque item instituti, circa annum 1408. Isti Canonici vulgo appellantur *Scopettini* a Monasterio, quod initio Institutionis habuerunt prope muros Florentiae sub nomine Sancti Donati Episcopi Fesulani, Aidan. in *Compendio Canon. Resolut. l.* 1. *tit.* 19. *de Relig. n.* 35. Barbos. *loc. cit. verb. Canonici Regul. S. Salvatoris*, Tamburin. *loc. cit. num.* 30. Moringia *in Origin. Relig. l.* 1. *c.* 40. Marulus *in Ocean. Relig. l.* 4. *p.* 322. * Consulito Trombelli Opus indicatum in Addit. ad *num.* 22. * 37

Sancti Georgii de Alga Canonicorum Congreg. sic dicta ab Alga, sive Alega, parva Insula distante duobus Milliaribus a Venetiis, ubi situm est primum hujus Familiae Monasterium. Instituta est a D. Antonio Corrario Episcopo Hostiensi, et Cardinali Bononiensi, ut patet ex inscriptione facta in ejus Sepulcro in Ecclesia majori Alegae, ibi: « Sepulcrum piissimi Patris D. Antonii Corragii beatae memor. Episcopi Hostiensis, Cardinalis Bononiensis, Fundatoris hujus Congreg. qui obiit anno a Nativitate *Domini* 1445. *die* 19. *Jan. orate pro eo semper.* Sic refert Tamburin. *loc. cit. num.* 32. qui tamen dicit, quod Auctores hujus Congregationis inceptae circa annum Domini 1404 fuerunt Antonius Corrarius, et Gabriel Conduimerius nobiles Veneti: Barbosa autem *loc. cit. verb. Canonici Sancti Georgii de Alga* dicit, quod haec Congregatio instituta fuit a D. Antonio Corrario Bononiensi, et Episcopo Hostiensi anno 1404. et videtur concordare cum supra allata inscriptione Sepulcrali. Hanc Congregationem approbavit, Statuta, vivendique formam ei praescripsit Greg. XII. Constit. 1. incip. *Illis* 5. *Kal. Jul.* 1406. Vide Pennot. *cit. lib.* 2 *cap.* 70. Marulum *in Ocean. Relig. l.* 5. *p.* 341. Paul. Moringiam *de Origin. Relig. l.* 1. *c.* 44. * Congregatio ista extincta fuit a Clemente IX. Constitut. *Romanus Pontifex*, die 6. Decembris 1668. Bullar. Roman. Edit. cit. tom. VI. part. VI. pag. 304. seq. * 38

Sancti Marci Canonicorum Mantuanorum Cong. circa annum Domini 1194. originem sumpsit a quodam Venerabili Sacerdote Alberto Spinula, seu alias de Formigola, qui habita potestate a Sede Apostolica erigendi Collegium Canonicorum Regularium secundum Ordinem Divi Marci, locum pro Monasterio aedificando habuit ab Abbate S. Andreae, et simul ab aliis Mantuanis civibus 39

praedia, et reditus pro Canonicis sustentandis obtinuit, atque ita suae Congregationi fundamenta posuit. Et fuit approbata, et confirmata ab Innocentio III. et Gregorio IX. Const. *Piae postulatio voluntatis.* Sic refert Tamburin. *loc. cit. num.* 33. At Barbosa *loc. cit. verb. Canonici Regulares Mantuani, et cit. lib.* 1. *Jur. Eccles. univers. c.* 41. *num.* 110. dicit, quod hic Ordo refertur institutus a S. Marco, sed Monasterium Mantuanum fundavit ejus Urbis Episcopus Henricus anno 1150. Pontifice Eugenio III. Desiit autem haec Congregatio, et eorum Monasterium S. Marci a Guilielmo Mantuae Duce concessum fuit Monachis Camaldulensibus, obtenta prius a Sede Apostolica facultate, ut refert Tamburin. *loc. cit.*

40 *Cruciferorum Sancti Cleti Canonicorum Regularium Congr.* fertur instituta a B. Cleto Lini Successore, vel a Ciriaco Episcopo tempore Constantini Magni. Haec Congregatio fuit reformata ab Alexandro III. ut fatetur Gregorius XIV. Const. 13. incip. *Romanus.* Ceterum approbata fuit ab Urbano VIII Const. incip. *Cum antecessor*, quam refert Tamburin. *loc. cit. num.* 34. et vivere sub Regula S. Aug. tradit Pennott. *in Histor tripartit. Canon. Regul. lib.* 2. *cap.* 74.* Congregationem istam abolevit Alexander VII. Constit. *Vineam Domini.* Bullar. Roman. Edit cit. tom. VI. part. IV. pag. 101. seqq.*

41 *Sancti Spiritus in Saxia Canonicorum Congreg.* sic dicta, vel quia Collegium sub tutela, et patrocinio Sancti Spiritus constructum est sub saxo, seu Castro Neronis, vel quia Saxones Germaniae populi ibi olim habitarunt, instituta est ab Innocentio III. anno 1199. Huic enim Pontifici oranti facta est vox de Coelo dicens: *Innocenti, vade piscatum ad Tiberim fluvium*: Re cum S. R. E. Cardinalibus communicata, ad Tiberim se contulit, et laxatis retibus, prima vice octuaginta septem, secunda vero trecentos, et quadraginta extraxit infantes abortivos ab impiis matribus suffocatos, et in Tiberim projectos. Non defuit piissimo Pontifici remedium divinitus revelatum. Congregatis enim quamplurimis piis hominibus, eos ad curam Hospitalis Sancti Spiritus, quod Romae circa annum 1201. construxit, praefecit. Eorum cura est Peregrinos, et infirmos suscipere, et curare, ac pueros, et infantes alere; confirmata fuit haec Congregatio ab ipso Innocentio Constitut. 7. incip. *Inter opera pietatis*, 13 *Kalend. Jul.* 1204. Subsunt hi Religiosi Jurisdictioni, et correctioni Praeceptoris Generalis, qui modo a Summo Pontifice eligitur, et Commendator Sancti Spiritus nuncupatur.

42 *Eremitarum Sancti Augustini Ordo* a quonam tempore incaeperit? Variant Historici; Quidam enim dicunt, incaepisse tempore Divi Augustini, quos fuse rejicit Pennottus *in Histor. tripartit. Canonicorum Regular. lib.* 1. *fere per totum.* Alii in D. Guillelmum Aquitaniae Ducem, et Pictaviensium Comitem originem referunt. Alii a in B. Joannem Bonum Mantuanum; Alii alio modo. Unde decisionem relinquendo proprii Ordinis Scriptoribus, quasdam Congregationes Eremitarum S. Augustini referemus.

Sancti Guillelmi Eremitarum Congr. sic dicta a Sancto Guilielmo Aquitaniae Duce, et Pictaviensium Comite ejus Fundatore, incaepit circa annum 1156. Hanc Congregationem fuisse institutam sub Regula Sancti Benedicti scribunt varii Historici, ut videre est apud Tamburin. *loc. cit. num.* 37. Jo. Marquez *de vera origine Eremitarum Sancti Augustini cap.* 13. §. 11. Barbosam *lib.* 1. *Jur. Ecclesiast. univers. cap.* 41. num. 64. qui tamen ibidem dicit, verius esse, fuisse institutam sub Regula Sancti Augustini, uti tenent Nauclerus *volum.* 2. *gen.* 40. *et* 41. Bellarmin. *in Chronol. in fin. lib. de Scriptorib. Eccles. sub anno* 1241. et alii passim dicentes, talem Congregationem vocari communiter Guilielmitarum Ordinis Sancti Augustini. 43

Jambonitarum Eremitarum Congr. sic dicta, quia incaepit a B. Joanne Bono Mantuano apud Caesenam in loco, qui dicitur Budriolum, paulo ante Innocentium III. S. Antonin. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 13. Vide Pennot. *cit. l.* 2. *cap.* 47. *et* 74. Tamb. *loc. cit. num.* 38. 44

Sancti Hieronymi in Hispania Eremitarum Congr. instituta fuit, seu reformata sub Regula S. Augustini, et Patrocinio S. Hieronymi a D. Pietro Fernandez nobili Castellano anno 1370. tempore Urbani V. Licet alii alium hujus Ordinis faciant Auctorem, ut refert Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. univers. cap.* 41. *n.* 144. Praedictus igitur Religiosus vir una cum variis sociis Eremiticam, et satis asperam vitam ducens cum eisdem decrevit Eremitarum S. Hieronymi titulum assumere. Unde iisdem sociis in unum collectis ad Ulpianae locum Toletanae Dioecesis, in quo Sacellum S. Bartholomaeo Apostolo dicatum invenerunt, suo sancto Instituto, et Ordini fundamenta fecerunt, ejusque approbationem, et confirmationem sub Regula S. Augustini a Gregorio XI. obtinuerunt anno 1373. ut refert Silvester Maruius *in Ocean. Relig. lib.* 3. *p.* 202. Hinc praedictum S. Bartholomaei Monasterium est constitutum caput hujus Congregationis, quae in Hispaniis plurima satis pulchra habet Monasteria, et praecipue celeberrimum illud Sancti Laurentii in Escuriali a Philippo II. Hispaniarum Rege magnificentissime extructum: Barbos. *loc. cit. num.* 144. Tamburin. *loc. cit. n.* 39. et plures alii apud ipsos. 45

Beati Petri de Pisis Eremitarum Congr. instituta fuit a nobili viro Pisano Petro Gambacurta, sub Regula S. Augustini, et patrocinio S. Hieronymi anno Domini 1380. Primum hujus Congregationis Monasterium, Caputque Ordinis extructum est in honorem Sanctissimae Trinitatis apud Cessanam in Territorio Urbini, qui ob aeris amoenitatem, et situs pulchritudinem Monsbellus ap- 46

pellatur: Tambur. loc. *cit.* n. 40. Barbosa loc. *citat.* n. 148. Paul. Moringia *de Origin. Relig.* lib. 1. *cap.* 31. et alii.

47 *Illicetana Eremitarum S. Augustini de Observantia Congr.* sic dicta a Monasterio de Silva lacus Illiceto, a multitudine Illicum nuncupato, initium habuit a Magistro Bartholomaeo Veneto, anno Domini 1387. Tamburin. *loc. cit.* nu. 42. Morigia loc. *cit. cap.* 49. Barbosa *loc. cit.* n. 94.

48 *Carbonaria S. Augustini Eremitarum Cong* in Terra laboris Regni Neapolitani, vulgo Campagna, modo S. Joannis de Neapoli nuncupata, originem habuit a Patre Simone Cremonensi, anno Domini 1399. Tamburin. *loc. cit.* n. 43. Barbosa *loc cit.* n. 94.

49 *Perusina Eremitarum S. Augustini Cong.* alias Sanctae Mariae de populo nuncupata, in Provincia Umbriae per aliquot Religiosos Augustinianos incaepit anno 1424. Tamburin. loc. *cit.* nu. 44. Barb. loc. *cit.* n. 94.

50 *Lombardiae Eremitarum S. Augustini Congreg.* ortum habuit anno 1444. a Patre Ioanne Rocco Papiensi, et a Patre Gregorio Cremonensi: Tamburin. *loc. citat.* n. 45. et Barbosa *loc. citat. num.* 94.

51 *Sanctae Mariae Montis Hortonae Eremitarum S. Augustini Congr.* quinto ab Urbe Patavii milliario, initium habuit a Patre Simone de Camarino, anno 1460. ut scribit Tamburin. loc. *cit.* n. 46. At Barbosa loc. *cit.* n. 64. vocat hanc Congregationem Montis Othonii, dicitque fuisse institutam in Marchia Anconitana a d. Patre Simone de Camerino dicto anno 1460.

52 *Boptistellorum Eremitarum S. Augustini Congr.* seu Januensis, sic nuncupata a quodam Patre Baptista Januensi ejus Fundatore, incaepit anno Domini 1484. Tamburin. loc. *cit.* n. 47. Barbosa loc. *cit.* n. 94.

53 *Pollensis, seu Dulcita Eremitarum S. Augustini Cong.* incaepit circa ann. 1492. et est sic dicta, quia eam instituit P. Felix Polles: Barb. *loc. cit.* n. 94. Tamb. *loc. cit.* n. 48.

54 *Calabriae, seu Zampana Eremitarum S. Augustini Congr.* sic dicta, quia fundata fuit a quodam P. Francisco Zampana Calabrensi, incaepit anno Domini 1502. Tamburin. *loc. cit. nu.* 49. Barbos. *loc. citat.* n. 94. Paul. Morigia *de Histor. Relig.* c. 49.

55 *Dalmata Eremitarum Sancti Augustini Con.* incaepit dicto anno 1502. in Dalmatia in Sclavonia: Barb. loc. *cit.* n. 50. Morigia *loc cit.*

56 *Germanica Eremitarum S. Augustini Congreg.* instituta fuit in Germania a quodam P. Andrea de Proles, anno 1514. Tambur. *loc. cit.* n. 51. Paul. Morigia loc. *cit.* n. 49.

57 *Sancti Pauli primi Eremitae Congr. S. Augustini Hispanica* incaepit in Hispania anno Domini 1530. et ibi quamplura habet Monasteria, et in Italia prope Velitrensem Civitatem habet Monasterium satis illustre: Tamburin. *loc. cit.* n. 52. Morigia loc. *cit.* c. 49. sed jam fuerat erecta alia S. Pauli Eremitae in Regno Hungariae a B. Eusebio Strigoniensi anno 1215. Pontifice Innocentio III. confirmationem praestante Fratre Gentili Cardinali ex Ordine S. Francisci Legato Clementis V. in Hungaria anno 1308. *loc. cit. numer.* 126.

Congregationes Eremitarum S. Augustini, quae in Generali unione per Alexandrum IV. facta per Constitutionem 6. incip. *Licet Ecclesiae*, sub eadem denominatione Eremitarum S. Augustini venerunt, ut eas refert Silvester Maruius *in Oceano Religionum* lib. 4. *pag.* 284. et Tamb. loc. *cit.* n. sunt sequentes. 58

Congr. Eremitarum Vallis Hirsuti.

Cong. Eremitarum de Poenitentia Jesu Christi.

Cong. Eremitarum S. Augustini Turris Palmarum Firmanae Dioecesis.

Cong. Eremitarum S. Joannis Boni.

Cong. Eremitarum S. Augustini in loco S. Blasii de Brittinis Fanensis Dioecesis.

Cong. Eremitarum S. Mariae de Rupe cava Lucensis Dioecesis.

Cong. Eremitarum Sanctissimae Trinitatis Centum Cellis in Tuscia.

Cong. Eremitarum S. Mariae de Mureto Pisanae Dioecesis

Congreg. Sancti Jacobi de Minilio Lucensis Dioecesis.

Congreg. Eremitarum Sancti Benedicti de Monte Faboli.

Congr. Eremitarum S. Gulielmi.

Eremitarum Discalceatorum S Augustini Cong. admissa, et instituta fuit in Urbe Roma circa annum Domini 1599. ut patet expresse in Const. 63. Clem. VIII. incip. *Decet Romanum Pontificem*, edita die 5. Nov. 1599. 59

Haec Congregatio Eremitarum Discalceatorum divisa est in Hispanam, et Italam. Constitutiones Congregationis approbatae fuerunt a Paulo V. Constit. 2. incip. *Sacri Apostolatus*. Et distincta est in quatuor Provincias, Romanam, Neapolitanam, Januensem, et Siculam: Urban. VIII. Constit. 58. *Ad uberes*. Congregatio Hispana, quae ulterius in quatuor Provincias distincta est, confirmata fuit cum propriis Constitutionibus a Greg. XV. Const. 36. incip. *Ad Sacram.* 60

In supradictarum omnium Congregationum Sancti Augustini formis, et Regula reperiuntur etiam propria cujusque Generalis Congregationis Sanctimoniales Deo inservientes cum magno devotionis, et sanctitatis incremento; Tamburin. *loc. cit.* n. 55. et alii passim, ducetque communis experientia. 61

Armenorum, seu modo S. Bartholomaei de Genua Cong. a quo primo Monasterio in his partibus nuncupatur, ortum habuit in Armenia, temporibus S. Casilii, et deinde ab Armenia, et postea a Graecia, ubi in Monte nigro Fratres hujus Congregationis se receperunt, a Turcis expulsi, Genuam appulerunt, ibique in Monasterio S. Bar- 62

tholomaei, relicta S. Basilii Regula, illam S. Augustini, et Constitutiones S. Patris Dominici amplexati sunt, et secundum praedictam Regulam, et Constitutionem profitentur; Silvester Marulus *in Ocean. Relig. lib. 5. pag.* 367. Tamburin. *loc. cit. n.* 56. * Vide Adnot. appositam ad n. 9. Art. II. *

63 *Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregat.* instituta est circa annum Domini 1198. a S. Joanne de Matha, et S. Felice Valesio ad captivos e manibus Barbarorum redimendos; et eodem anno 1198. fuit approbata ab Innocentio III. Constit. 1. incip. *Operante*, et ab eodem confirmata anno 1209. Constit. 9. etiam incip. *Operante;* Tamburin. *loc. cit. n.* 67. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 3. *pag.* 194. Pennott. *in Histor. tripartit. libr.* 2. *cap.* 7.

64 *Beatae Mariae de mercede Redemptionis Captivorum Congregatio* instituta fuit circa annum Domini 1218. in Regno Aragoniae a S. Raymundo de Pennafort, a Jacobo Aragonum Rege, et a S. Petro Nolasco sic a B. M. V. inspiratis ad liberandos, et redimendos captivos, et oppressos a Mauris, tunc fere totam Hispaniam opprimentibus, et confirmata fuit anno 1235. a Greg. IX. Const. 9. incip. *Devotionis vestrae*, Tamb. *loc. c. n.* 58. Barbos. *loc. c. n.* 127.

* Sunt tamen, qui Ordinem istum anno dumtaxat 1222. institutum fuisse arbitrantur. Nam quo tempore institutus fuit, S. Raymundus de Pennafort Ordini Praedicatorum sese adjunxerat. Ipsum autem anno 1222 nomen in Praedicatorum Ordinem dedisse ex veteri MSS. Kalendario Barcionensis Coenobii Diagus lib. 2. cap. 9. tradit. Legito S. Raymundi de Pennafort vitam, Summae ejusdem Edit. Veronensis MDCCXLIV. praemissam, cap. II. pag. XXX. et seqq. *

65 *Praedicatorum Ordo* institutus est a S. Patre Dominico Hispano Canonico Regulari S. Augustini, anno Domini 1206. Pontifice Innocentio III. et approbatus, et confirmatus fuit solemniter sub Regula S. Augustini, et propriis Constitutionibus 11. Kal. Januarii 1216. ab Honorio III, Const. 2. Incip. *Religiosam vitam;* Tambur. *loc. cit. n.* 59. Barbosa *loc. cit. n.* 117. Miranda *in Manual. Praelatorum tom.* 1. *qu.* 4. *art.* 3. et alii passim. * Confer Annalium Ord. Praed. Tom. 1. Romae anno MDCCLVI. impressum, ad ann. MCCVI. et ad ann. MCCXVI. *

66 *Monialium S. P. Dominici Ordo* sub eadem Regula S. Augustini degens jam per Universum totum propagatus, celeberrimus est, et floret in dies continuis Sanctitatis exemplis; Tamburin. *loc. cit. n.* 60. et communis experientia.

67 *Tertii Ordinis de Poenitent. S. P. Dominici Cong.* cum sua Regula, et Constitutionibus approbata fuit ab Innocentio VII. anno 1405. Const. in cip. *Sedis Apostolicae.* * In Annalibus paulo ante indicatis ad an. MCCIX. nu. XIII. et seqq. perspicua monumenta afferuntur, ex quibus evincitur, Ordinem istum *De Militia Christi*, tum *de Poenitentia* appellatum, ab ipso S. Dominico originem ducere *.

Servorum B. M. Ordo sic dictus, eo quod B. Mariae Virginis peculiaribus obsequiis addictus sit, institutus fuit sub Regula Sancti Augustini, sub anno Domini 1216. a sex nobilibus viris Florentinis, nempe Bonfilio de Monaldis, Amedeo Bonajuncta, Manetto de Antellis, Alexio Falconerio, Sosteneo de Sosteneis, Uguccione de Uguccionibus, et denuo confirmatus fuit a Benedicto XI. anno 1304. Constitution 1. Incip. *Dum levamus.* Ex qua Constitutione clare patet, hujusmodi Ordinem fuisse per Sedem Apostolicam antea confirmatum, sed forsan injuria temporum Litterae confirmationis ante hanc editae non extant; Tamburin. *loc. cit. n.* 62. Barbosa *loc. cit. n.* 135. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 4. *pag.* 302. *et* 303. Morigia *in Origine Relig. lib.* 1. *cap.* 35. *. Consulito Opusculum Romae vulgatum hoc titulo « Memorie sulla Storia del primo secolo dei Servi di Maria, e degli Spedalieri di S. Giovanni di Dio, Madrid MDCCLXXX. ex quo disces, Ordinem Servorum B. Virginis, non anno 1216., sed anno 1226. fundatum, atque a B. Benedicto XI. primum auctoritate Apostolica confirmatum *. 68

Servorum B. Mariae Reformatorum Congregatio incaepit temporibus Martini IV. circa annum Domini 1285. Auctore S. Philippo Benitio, et hanc approbavit, iterumque reformationem indixit Clemens VI. anno 1346. Constit. 2. Incip. *Regimini.* Urbanus V. anno 1379. Constit. 2. Incip. *Sacrosancta Romana Ecclesia*, et Pius V. anno 1570. Constit. 103. incip. *Postquam*, Tambur. *loco citat. n.* 64. Barbosa *loc. cit. n.* 131. et alii *. Mihi tamen quae de Congregationis hujus Auctore, et anno quo incaepit, ab his traduntur, commenticia videntur. Nam S. Philippus Benitius anno 1285. ex mortali hac vita ad immortalem migravit, nec quo tempore Servorum B. Mariae Ordini praefuit (praefuit autem ex Annalibus ejusdem Ordinis ab anno 1267. usque ad extremum vitae suae diem) regularis disciplina in ea Familia collapsa fuit, ut Reformatione opus esset *. 69

Beatae Mariae Servorum Eremitarum Congr. incaepit anno 1593. et habet Eremitas in Monte Senario tertio tantum lapide a Florentia distante, qui primaevi Instituti modum sequentes, die, ac nocte Deo laudes persolvunt, et confirmata est haec Congregatio cum praescriptione modi recipiendi Novitios ad Habitum, et Professionem, et peculiaribus Constitutionibus a Clemente VIII. Constit. 8. incip. *Decet;* Barbosa *loc. cit. n.* 345. Tambur. *loco cit. n.* 63. ed alii. 70

Tertii Ordinis Servorum B. Mariae Congr. cum sua Regula, et Constitutionibus confirmata fuit a Martino V. anno 1424. Constitut. 15. incip. *Sedis*, Tamburin. *loc. cit. n.* 135. ed alii. 71

Fratrum Poenitentiae Sanctae Mariae Magdalenae Ordo institutus fuit, seu potius renovatus sub Regula Sancti Augustini a quodam Beltramo 72

Gallo in Dioecesi Massiliensi sub anno 1277. temporibus Nicolai III. Tambur. *loco cit. sub. n.* 65. Crusenius in *Monast. Augustin. part.* 3. *cap.* 5. Barbosa *loco citat.* n. 137.

73 *Mulierum Poenitentium Congregatio* instituta, seu potius renovata fuit ab eodem S. Viro Beltramo Gallo, sub eadem Regula S. Augustini, anno 1278. Pontifice Nicolao III. ad refugium mulierum meretricum ad meliorem frugem redeuntium; Tamburin. *loco citat. n.* 66. Barbosa *l. c. n.* 137. Crusen. *in Monastic. Augustin part.* 3. *cap.* 5.

74 *Caritatis Fratrum Congregatio* instituta est sub Regula S. Augustini tempore Nicolai IV. an. 1290. a Guidone Janvillano S. Georgii Domino in Dioecesi Catalaunensi in Provincia Campaniae Regni Gallicani ad hospitalitatem exercendam, pauperes in Domibus suis recipiendos, et caritative alendos; Miraeus *lib.* 5. *Histor. Monastic. cap.* 21. Crusen. *in Manast. Augustin. part.* 3. *cap.* 10. Barbosa *loco cit. n.* 139. *Tambur. loco cit. n.* 67.

75 *Jesuatorum S. Hieronymi Congregatio* instituta est a S. Joanne Columbano Senensi sub Regula San. Augustini, et tutela, ac patrocinio S. Hieronymi anno 1354. et confirmata fuit a Martino V. Constitut. 11. incipient. *Piae.* Isti Religiosi dicti sunt Jesuati, vel quia in ore primorum Patrum hujus Ordinis frequens erat dulce nomen Jesu, vel quia in primordio Religionis prophetico infantium spiritu fuerint sic appellati; Barbosa *loc. cit. n.* 142. Tambur. *loc. cit. n.* 68. Morigia *in Chronic. Jesuatorum, et de Origin. Relig. l.* 1. *c.* 38. et alii *. Congregationem istam extinxit Clemens IX. Constit. *Romanus Pontifex* ad n. 38. indicata.

76 *Monialium Jesuatarum Congregatio* fuit instituta ab eodem S. Joanne Columbano circa annum 1358. Paulus Morigia *loc. cit.* Tamburin. *l. c. n.* 69. et alii.

77 *Sancti Ambrosii ad Nemus Congregatio*, sic dicta, quia sub invocatione S. Ambrosii erectum fuit Mediolani primum ejus Domicilium in loco extra muros, qui tempore S. Ambrosii nemus erat, in quod ipse Sanctus se aliquando ad vacandum Divinis contemplationibus recipiebat, instituta fuit sub Regula S. Augustini a tribus nobilibus Mediolanensibus, nempe Alexandro Crivello, Alberto Besotio, et Antonio Petrasancta, circa annum 1375. et confirmata fuit a Gregorio XI. Constit. 9. incip. *Cupientibus;* Isti Religiosi sub una Congregatione, cujus Caput est dictum Monasterium S. Ambrosii ad Nemus, fuerunt redacti ab Eugenio IV. Const. 22. incip. *Regimini*, et postea haec Congregatio unita fuit cum Congregatione Fratrum S. Barnabae Apostoli sub Regula S. Augustini a Sixto V. quam unionem confirmavit Paulus V. Constit. 12. incip. *Pastoralis*, Barbosa *loc. cit. num.* 154. Tamb. *loco cit. n.* 70. Morigia *de Relig. cap.* 41. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 1. *pag.* 70. *. Urbanus autem VIII. suppressit Constit. *Quantum ornamenti*, die 2. Decembris 1643. Bullar. Rom. Edit. Mainardi tom. VI. part. 2. pag. 402. et seqq. eamque suppressionem ratam habuit, atque ejusdem Congregationis Monasteria in Beneficia secularia erexit Innocentius X. Constit. *Quoniam nostro*, tom. cit. part. III. pag. 28. et seqq. *.

78 *Apostolorum, seu Apostolinorum Fratrum Congregatio* primam originem traxit a S. Barnaba Apostolo, qui cum ab Apostolis missus fuisset in Insubriam ad praedicandum Evangelium apud Mediolanum, cujus primus Archiepiscopus, seu Episcopus creatus fuit, multi homines ejus Praedicationibus inflammati se in unum collegerunt, et vitam more Apostolorum sub tanto Magistro degebant; Verum, eo mortuo, dispersi hujusmodi homines in agris, et Villis eremitice vivebant; Donec horum quidam circa ann. Domini 1484. Privilegio Innoc. VIII. sub Regula S. Augustini, emissis tribus votis in communi vivere iterum coeperunt, retento nomine *Congregationis Fratrum Apostolorum*, seu ut vulgo *Apostolinorum*, ut patet ex Constitut. 3. Alexandri VI. incip. *Piae vitae;* Et deinde haec Congregatio unita fuit cum Congregatione S. Ambrosii ad Nemus a Sixto V. et Paulo V. Const. incip. *Pastoralis;* Tamburin. *loc. cit. n.* 155. Morigia *de Orig. Relig. lib.* 1. *c.* 47. Marulus in *Oceano Relig. lib.* 1. *pag.* 36. *. Hujus Congregationis idem ac praecedentis, cui unita erat, exitus fuit.

79 *Sancti Hieronymi de Fesulis Fratrum Congregatio*, sic dicta, quod Fesulis antiquissima Tusciae Urbe, cujus nunc vestigia vix extant, non longe a Florentia incaeperit, instituta est sub Regula S. Augustini, circa annum 1460. a Carolo Romena, seu Romensi Comite Montis Granelli, et fuit approbata ab Innocentio VII. et Gregorio XII. Constit. incip. *Sacrum*, in qua confirmat Bullam Innocentii VII. quae non fuerat expedita ob mortem ipsius Pontificis, et eam iterum confirmavit expresse sub Regula S. Augustini Eugenius IV. Constit. 21. incip. *Super gregem:* Barbosa *loc. cit. n.* 72. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 1 *cap.* 38. *. Sublata fuit a Clemente IX. Constit. *Romanus Pontifex;* quam ad n. 38. indicavimus *.

80 *Hospitalitatis, et infirmis servientium Congregatio S. Joannis Dei*, ab eodem Sancto instituta est sub Regula S. Augustini anno 1538. et vulgo per Italiam ejusdem Religiosi appellantur *Fate ben Fratelli*. Hanc Congregationem confirmavit S. Pius V. Constit. 143. incip. *Licet ex debito;* et eam confirmavit Clem. VIII. Constitut. 44. incip. *Romani Pontificis;* Haec Congregatio modo divisa est in duas, scilicet Hispanam, et Italam; utraque tamen vivit sub Regula S. Augustini; Tamburin. *loc. cit. n.* 73. Barbosa *loc. cit. n.* 161. Marulus *in Oceano Rel. lib.* 5. *pag.* 430. Pennottus *in Histor. tripart. lib.* 2. *cap.* 74. *. De Ordinis hujus vicibus seculo I. vide, si lubet, Opusculum citatum ad n. 98. *.

81 *Sancti Pauli primi Eremitae Congr. Lusitana* instituta est sub Regula S. Augustini circa annum Domini 1562. Tamburin. *loc. cit. n.* 74. Pennot-

tus *cit. lib.* 2. *cap.* 74. ubi dicit, fuisse jam antea institutam in Ossa rupe quadam satis aspera ejusdem Provinciae.

82 *Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Reformatorum, et Discalceatorum Congregatio* instituta fuit anno 1599. prout apparet ex Constitutione Clementis VIII. incip. *Ad militantis Ecclesiae regimen;* Tambur. *loc. cit. n.* 75. et alii.

83 *Discalceatorum Reformatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Congreg. Gallica* similis Instituti, ac antea dicta, fuit erecta in Gallia auctoritate Gregorii XV. et Urbani VIII. ut apparet ex Litteris de ejus Ordine datis a Cardinali Octavio Bandino Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Protectore, *sub die* 27. *Febr.* 1624. incip. *Cum universae Congregationi*, et ex ejusdem Urbani VIII. Const. incip. *Alias o Nobis*, *sub die* 28. *Februar.* 1631. apud Tamburin. *loc. cit. n.* 76.

84 *Discalceatorum Reformatorum B. Mariae de Mercede Congregatio* initium habuit circa annum Domini 1613. sollicitante P. Joanne Baptista a Sanctissimo Sacramento; Quam reformatam novam Congregationem confirmavit Paulus V. Const. incip. *Inter omnes*; Et hujus reformatae discalceatae Congregationis Fratres separavit totaliter a Calceatis, et item Vicarium Generalem pro ipsis creavit Gregor. XV. Const. incip. *Apostolici muneris sollicitudo;* quod et confirmavit Urbanus VIII. Const. incip. *In sede;* Tamburin. *loco cit. n.* 77. et alii.

85 *Sancti Antonii Abbatis in Flandria Congr.* instituta est anno 1715. sub Pontificatu Pauli V. a quo est ei data Regula Sancti Augustini, et ejus unicum Monasterium Castellettum nuncupatum, subjectum est Provinciali Belgico Augustiniano, salvis tamen hujus Congregationis particularibus Constitutionibus, et Privilegiis; Tamb. *loc. citat. n.* 78. Barbosa *loc. cit. n.* 165.

86 *Alexianorum Fratrum Congregatio*, sic dicta, eo quod ejus Alumni S. Alexium sibi in Patronum delegerint, instituta fuit a piis quibusdam viris circa annum Domini 1309. Hos Regulae S. Augustini addixit Henricus Surdemanus ex Familia Eremitica S. Augustini, ut refert Crusenius *in Monast part.* 3. *cap.* 11. ubi addit, ab Officio sepeliendi mortuos, quod est eorum principale Institutum, vocari *Vespillones;* De cetero sunt simpliciter Laici, nullis Sacris initiati; Miraeus *de Orig. Ord. S. August. lib.* 1. *cap.* 28. Tamb. *loc. cit. n.* 79. Barb. *loc. cit. n.* 141.

87 *Bonorum hominum Cong.* sub Regula S. Augustini instituta fuit circa ann. 1257. a quodam Richardo Cornubiae Comite Henrici III. Regis Angliae fratre, qui, aedificato Monasterio in Villa Bereanstediensi, vigesimo quinto a Londino milliario, ibi cum aliquot bonis hominibus, et Religiosis viris Regulam S. Augustini observabat; Tamb. *loc. cit. n.* 80. Morigia *in Histor. Relig. c.* 72. *. De Religiosis Ordinibus, qui in Anglia ante impiam Henrici VIII. a Catholica fide defectionem floruerunt, legantur « Monasticon Anglicanum, sive Pandectae Coenobiorum Benedictinorum, Cluniacensium, Cisterciensium, Carthusianorum a primordiis usque ad eorum dissolutionem per Rogerium Dodsvvorth Eborac. Guglielmum Dugdale Warvvic. Londini. M. DC. LV. Job. Steveus The History of the autiens Abbeys Monasteries etc. London MDCCXXII., ac Thomae Tanner Notitia Monastica London. MDCCXLIX. *.

Clericorum Hospitalariorum Cong. Instituta fuit circa annum 1300. a P. Augustino Novello Cancellario primum Manfredi Regis Siciliae, deinde Poenitentiario, et a secretis, et Confessionibus Bonifacii VIII. electo in septimum Generalem Eremitarum S. Augustini, quo munere rejecto, hanc Familiam erexit Senis sub Regula S. Augustini, quam Congregationem confirmavit idem Bonifacius VIII. Barb. *loco cit. n.* 140. Tambur. *loc. cit. n.* 81. Crusen. *in Monast. part.* 3. *c.* 10. 88

Clericorum vitae communis Congr. sic dicta, eo quod ejus alumni in communi vivant Apostolorum more, instituta fuit sub Regula S. Augustini anno 1376. a Gerardo Daventriensi ad Isalam fluvium in Germania inferiore, nato in Urbe Episcopali Daventria Archiepiscopi Trajectensis Suffraganea; Barb. *loc. cit. n.* 145. Tamb. *loc. cit. n.* 82. Morigia *in Hist. Relig. c.* 59. Marulus *in Ocean. Religion. l.* 3. *pag.* 197. 89

Theatinorum Clericorum Congr. instituta est circa annum 1524. sub Regula S. Augustini a Joanne Petro Caraffa Neapolitano, Archiepiscopo Theatino, postea Summo Pontifice Paulo IV. Unde ejus Clerici dicti sunt Theatini: Is enim, resignato in manibus Summi Pontificis Episcopatu, una cum S. Cajetano Thienensi, et Bonacio Alexandrino, et D. Paulo Consiliario Romano, facta solemni Professione, Romae primo suam Congregationem fundarunt, quam confirmavit Clemens VII. Constit. incip. *Exponi;* Hanc Congregationem dictus Joannes Petrus Caraffa univit cum Somaschensi, sed postea ad Summum Pontificatum assumptus, et Paulus IV. dictus, Theatinorum Congregationem a Somaschensi separavit, et pristinum solum Institutum servare coegit, ut in ejus Const. incip. *Aliquot ab hinc annis:* Barb. *loc. cit. n.* 158. *et* 160. Tambur. *loc. cit. n.* 83. Morigia *in Orig. Religion. lib.* 1. *cap.* 76. Marulus *in Oceano Religion. lib.* 4. *pag.* 368. 90

Sancti Pauli Decollati, seu Barnabitarum Congregat. sic dicta, quod Sanctum Paulum praecipue elegerit in Patronum, instituta est a tribus nobilibus Mediolanensibus, nempe Bartholomaeo Ferrario, Jacobo Antonio Morigia, et Antonio Maria Zacharia, anno 1526. Dicuntur hujus insignis Ordinis Religiosi vulgo *Barnabitae* a Collegio S. Barnabae Apostoli, quod primum Mediolani habuerunt, et Caput Ordinis statuerunt. Hunc insignem Ordinem approbavit, et confirmavit Clemens VII. Constit. 37. incip. *Vota*, Barbosa *loc. cit. n.* 159. Tambur. *loc. cit. n.* 84. Morigia *in Origine Reli-* 91

gion. lib. 1. *cap.* 66. Marulus *in Oceano Relig. lib* 5 *pag.* 397. * Ab Innocentio X. extincta perpetuo Congregatio ista fuit Constit. *Cum sicut* die 22. Junii 1641. Bullar. Rom. Edit. Mainardi tom. VI. part. nI. pag. 221. et seqq. *.

92 *Boni Jesu Clericorum Regularium Congregat.* in Civitate Ravennae instituta fuit circa annum 1526. a quadam Virgine Margarita ejusdem Civitatis, ministerio duorum Sacerdotum ejusdem Urbis, Domini Leonis, et Domini Hieronymi, qui primi tunc Ordinem professi sunt sub Regula S. Augustini cum propriis Constitutionibus: Pennott. *in Histor. tripartit. Canonicor. Regular. lib.* 2. *cap.* 74. Marulus *in Occan. Religion. lib.* 5. *pag.* 398. Tamb. *loc. cit. n.* 85. Barb. *loc. cit. n.* 157.

93 *Clericorum Regularium Somaschae, seu S. Majoli Congregatio*, sic dicta a primo Monasterio constructo in Somascha Pago inter Mediolanum, et Bergomum, et a celebri Collegio S. Majoli in Civitate Papiae, instituta fuit a B. Hieronymo Æmiliano (*) Patritio Veneto, circa annum 1526. et confirmata fuit a Paulo III. Const. incip. *Ex injuncto;* et S. Pius V. sub Regula S. Augustini reposuit, et nomen ipsi Congregationi imposuit, nempe Clericorum Regularium S. Majoli Papiae, seu Somaschae, ut in ejus Constitut. incip. *Injunctum;* Huic Congregationi Joannes Petrus Caraffa Episcopus Theatinus univit suam Congregationem Theatinorum, sed postea ad Summum Pontificatum assumptus, et Paulus IV. dictus, Theatinorum Congregationem a Somaschensi separavit, et pristinum solum Institutum servare coegit, ut in ejus Constitut. incip. *Aliquot abhinc annis:* Tambur. *loc. cit. n.* 86. Barbosa *loc. cit. n.* 160. Morigia *de Origine Religion. lib.* 1. *cap.* 68. Marulus *in Oceano Religion. lib.* 5. *pag.* 394.

94 *Ministrantium infirmis Clericorum Regularium Congregatio* instituta est a Sancto Camillo de Lellis Sacerdote Neapolitano, ex Oppido Buclanico Dioecesis Theatinae oriundo, egregiae Sanctitatis Viro, circa annum 1586. et tunc sub Instituto simplicis Congregationis eam approbavit Sixtus V. Constitut. 15. incip. *Ex omnibus ;* Et postea sub Instituto Religionis cum quatuor votis solemnibus, incluso scilicet quarto de perenni ministerio aegrotantibus exhibendo, etiam peste laborantibus, fuit confirmata a Gregorio XV. Constitutione 27. incip. *Illius*, et de hac Congregatione multa habentur in Constitutione 75. Clementis VIII. incip. *Superno:* Barbosa *loco cit. num.* 199. Tamburin. *loc. cit. num.* 87. Marulus *in Oceano Religion. lib.* 5. *pag.* 426. Pennott. *in Historia tripart. lib* 2. *cap.* 74. ubi asserit Alumnos hujus Congregationis vivere sub Regula S. August.

95 *Minorum Clericorum Regularium Congreg.* a VV. August. Adurno Januen. et Francisco, ac Augustino Caraccioli Neapolitanis (**), aequo pietate, ac Nobilitate conspicuis, aerae vulgaris Anno MDLXXXVIII. orta est. Eam illico summus ille, ac vero maximus Pontifex Sixtus V. tanta benignitate, et studio est complexus, ut nedum Bulla incip. *Sacrae Religionis*, instar caeterorum regularium Ordinum approbarit, sed ei insuper honoris ergo, et in proprii amoris pignus, ac argumentum *Minoritarum* titulum communicarit; Eamdem plurimi, qui Sixto successere, Pontifices confirmatione Apostolica, et privilegiis amplissimis ornavere. Gregorius nempe XIV. Bulla incip. *Ut ea quae ad Religionis propagationem.* Et alia incip. *Romanus Pontifex.* Clemens VIII. Bulla incip. *Sacrae Religionis propagationem.* Paulus V. Bulla incip. *Decet Romanum Pontificem.* Et alia incip. *Cum sicuti nobis.* Et ne diutius immoremur, novissime Benedictus XIII. Bulla incip. *Sacrsanctum Apostolatus Officium.*

Ad tria vota consueta haec Congregatio addit quartum de Ecclesiasticis dignitatibus non ambiendis, quae omnia quotannis renovat in pervigilio Epiphaniae: et supra consueta caeterorum Ordinum munia, tum orandi, tum psallendi, tum concionandi, tum Sacramenta fidelibus ministrandi, aliaque in Dei cultum, in Ecclesiae splendorem, in sui, et proximi utilitatem vergentia peragendi, id habet proprium, et peculiare, ut perpetuo suos alumnos in orbem singulis horis diei ante Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum Orationi mentali per horam velit addictos: qui propterea etiam *semper orantes* populari praenomine nuncupantur.

Plurimos huc usque viros pietate insignes, et doctrina celebres edidit haec Congregatio, quas in Chronico Ordinis Romae edito typis Joannis Francisci Buagni, anno 1710. fuse recenset Piselius, *lib. prim. cap. prim.*

Sub Regula S. Augustini militarunt, et adhuc 96
militant etiam plures Ordines Militares, seu Equestres, et in primis *Equestris Ord. Sancti Lazari*, alias de anno 391. institutus, et a Gregorio IX. qui simul Regulam Sancti Augustini his Equitibus servandam tradidit, confirmatus, seu, ut verius videtur, Alexander IV. eumdem Ordinem sub dicta Regula Sancti Augustini approbavit Constitut. 1. incip. *Cum a nobis.* Hic tamen Ordo unitus fuit Ordini S. Mauritii a Gregorio XIII. Constit. incip. *Pro commissa*, quam unionem approbavit etiam Clemens VIII. Const. 102. incip. *Decet.*

Equestris Ordo Sancti Sepulcri secundum, Men- 97
nium *in lib. de Symbol. et Origin. Equestr. Ordinum tit. Ordo Equit. Sancti Sepulcri*, et Patrem Marianum a Maleo Minorum de Observantia *part.* 2. *libr.* 13. *cap.* 4. *suae Terrae sanctae illustratae*, fertur institutus a Sancto Jacobo Apostolo primo Episcopo sanctae Civitatis Hierusalem, anno 96. post Nativitatem Christi, et 63. post ejus mortem, ad hoc ut assisterent Custodiae Sanctissimi Sepulcri Domini nostri Jesu Christi. Alii volunt, Fundatorem hujus Ordinis fuisse invictissimum Imperatorem Heraclium, ex quo ipse acquisierit S.

(*) Hunc inter Sanctos ritu solemni Clemens XIII retulit.
(**) Ex his Franciscus Caracciolus Beatorum Catalogo adscriptus a Clemente XIV. fuit.

Sepulcrum, et S. Crucem. Alii dicunt, Fundatorem fuisse Constantinum Magnum, ex quo ejus Mater S. Elena Crucem, et Monumentum Dominicum reperisset, ibique magnificas aedes construxisset, et custodiam, seu curam Militibus quibusdam S. Sepulcri nuncupatis demandasset. Alii tenent, Fundatorem fuisse Carolum Magnum, ex quo ipse ab Aarono Principe Saraceno circa annum Domini 800. dono accepit Ecclesias Sanctissimi Sepulcri, Calvarii, Montis Oliveti, et Civitatis Hierusalem. Alii communius sustinent, fuisse Hunc Ordinem Equestrem S. Sepulcri sub Regula S. Augustini fundatum a Godofredo Bullione primo Hierusalem Rege post recuperationem Sanctae Civitatis, an. 1099. Hic Ordo anno 1485. unitus fuit ab Innocent. VIII. praeclarissimo Ordini Equestri tunc Rhodiano, nunc Melitensi. At Alexander VI. anno 1496. considerans, quod Equites Melitenses emittunt Votum castitatis, quod non emittunt Equites S. Sepulcri, de novo istos ab illis seiunxit, ac divisit, concedendo facultatem nostro Guardiano Sacri Montis Sion Hierusalem, tamquam Commissario Apostolico, creandi Equites Sancti Sepulcri, quae concessio fuit iterum confirmata a Summis Pontificibus Leone X. Clemente VII. et Urbano VIII. et in praxi feliciter perseverat, ut videre est apud P. Petrum Antoninm de Venetiis *in Viridario Seraphico Historico, tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 20. *et tom.* 2. *par.* 7. *c.* 8. ubi per extensum dat modum, et formam eos creandi, et dat formulam Litterarum, quae ipsis novellis creatis Equitibus Sancti Sepulcri a dicto nostro Guardiano Hierusalem in dies conceduntur; sed de his uberius infra, cum de Religione Seraphici Patris nostri Francisci.

98 *Equestris Ordo S. Joannis Hierosolymitani, seu Melitensis* sub Regula S. Aug. et propriis Constitutionibus, quando, et a quo fuerit institutus? Vide verb. *Hierosolymitani Equites per tot.* ubi multa ad rem

99 *Equestris Ordo S. Mariae Teutonicorum*, sic dictus, quod sub Patrocinio Beatissimae Virginis a Teutonicis, et pro natione Teutonica institutus sit Hierosolymis sub Regula S. Augustini, an. 1119. a quodam Viro nobili Teutonico, cujus nomen apud nullum Scriptorem, quem legerit, testatur se invenisse Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiastic. cap.* 41. *num.* 167. *et in Summa Apostolic. Decis. verb. Equites S. Mariae Teutonicorum*; ubi dicit, quod dictus Ordo fuit primum dicto anno 1119. Calisto II. Pontifice, institutus sub sodalitii specie ad recreandos Hierusolymis, et exdipiendos peregrinos Gentis Germanicae; deinde vero ad tutandum eosdem ab incursionibus Barbarorum, confirmatus est Ordo a Coelestino III. anno 1192. Barbosa *loc. cit. num.* 92. Morigia *de origine Relig. libr.* 4. *c.* 3. Marulus in *Oceano Religion. lib.* 3. *pag.* 212. et alii.

100 *Equestris Ordo S. Joannis Acconensis, et S. Thomae Martyris* imitatione praedictorum erectus est sub Regula S. Augustini, et protectione S. Thomae Martyris, a quo nomen desumpsit, ut constat ex Bullis Summorum Pontificum apud Mennenium *de Equestr. Ordin. symbol. et Orig. pag.* 38. ubi refert hanc inscriptionem, ibi: *Magistro, et Fratrib. Militiae Hospitalis S. Thomae martyris Cantuarien. Acconen.* Item ex Bulla Alexandri IV. ibi: *Thomae Magistro, et Fratribus Hospitalis Sancti Thomae Martyris Acconen.* Vocantur etiam Sancti Joannis Acconensis Milites, quia ad exemplum Equitum S. Joannis Hierosolymitani, in Accone Civitate, seu Ptolemaide infirmis inserviebant; Franciscus Mennenius *loc. cit.* Tamb. *loc. cit. n.* 93.

Equestris Ordo Sancti Jacobi in Hispania, ut 101 tradunt Lucas Episcopus Tudensis, Vasaeus, Didacus Valera, Ambrosius de Morales, Illescas in *Histor. Pontif. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 81. Fr. Emmanuel *qu. Regular. tom.* 1. *quaest.* 5. apud Barb. *cit. c.* 41. *num.* 168. *et* in *Summa Apostolic. Decis. verb. Equites S. Jacobi de Spatha apud Hispanos num.* 2. (qui tamen eos non sequitur, sed cum aliis tenet contrarium) dicunt, quod institutus fuerit a Ramiro I. Castellae Rege, qui cum parva manu ingentes Maurorum copias vicisset anno 846. ad amnem Clavigium, quem Hispani vocant *Clavyo*, ducente Christianorum copia Sancto Jacobo Apostolo, quem Rex ipse album prementem equum, ac vexillum rubra Cruce distinctum manu praeferentem ante acies conspicatus est, in tanti Protectoris honorem hanc sacram Militiam instituit. Alii hujus Ordinis originem referunt ad Alphonsum IX. Castellae Regem, qui ensiferis adjutoribus memorabili ad Navas Tolosanas victoria potitus, hujusmodi Milites in unum collectos, privatis rebus in commune collatis, Equites ad Fidei defensionem contra Infideles suscipiendam ordinavit. Ipse autem Barbosa *loc. citat.* dicit, quod Equites Sancti Jacobi de Spatha apud Hispanos instituti sunt sub Regula Sancti Augustini n quibusdam Hispanis Legionensibus, et Gallecis, qui, bonis in communne collatis, se, suaque devovere tutandis Christianis a Maurorum incursionibus, iis, maxime, qui ad Sanctum Jacobum Compostellanum peregrinarentur, ope, et cura Canonicorum Regularium Sancti Eligii, cujus Coenobium non longe distat a Compostella. Et hoc anno 1170. Pontifice Alexandro III. Alphonso IX. Castellae Rege. Utcumque sit, certum est, hunc Ordinem fuisse approbatum a dicto Alexandro III. Constitut. 5. incipient. *Benedictus Deus* 3. *Nonas Julii* 1175.

Equestris Ordo S. Jacobi in *Lusitania* eadem 102 habet initia, quae Ordo S. Jacobi in Hispania, et eamdem S. Augustini Regulam profitetur. Et hujus Ordinis privilegia habentur in Constitutione 32. Gregorii XIII. incip. *Ex Apostolicae Sedis*; et in Constitut. 24. Pauli V. incip. *Majestatis*; in qua concedit, ut Equites S. Jacobi de Spatha Regni Portugalliae contra Infideles per quinquennium militantes, ejusdem Militiae Commendas consequi possint; Tambur. *loc. cit. num.* 95. Barbos. in

Summa verb. Equites S. Jacobi apud Lusitanos, et cit. c. 41. *n.* 169. et alii apud ipsos.

103 *Equestris Ordo S. Mariae Gloriosae apud Italos*, ut refert Barb. *cit. cap.* 41. *n.* 171. *et in Summa verb. Equites S. Mariae Gloriosae apud Italos*, qui reponit ipsum inter Militares Regulam S. Augustini observantes, institutus est a P. Bartholomaeo de Vicentia Ordinis Praedicatorum ejusdem Urbis Episcopo, anno 1233. Pontifice Gregorio IX. Tamburin. autem *loc. cit. n.* 96. cum aliis dicit, fuisse institutum temporibus Urbani VI. Cum enim Bononiae, et Mutinae tunc temporis nobiles quidam viri a publicis oneribus alienati, praedicto Pontifici supplicassent pro Nova Militia hac instituenda, horum precibus annuit, atque ita novus hic Ordo erectus est, et floret maxime Bononiae, et Mutinae sub nomine S. Mariae Matris Domini.

Equestris Ordo S. Mariae de Mercede institutus fuit a Jacobo I. Aragoniae Rege sub Regula S. Augustini, anno 1218. (*) Pontifice Honorio III. Barbosa *cit. c.* 41. *n.* 171. *et in Summa verb. Equites S. Maria de Mercede apud Aragonios*, Marulus *in Oceano Relig.* 6. *pag.* 335. ubi dicit, fuisse extinctum non sine maximo Captivorum Fidelium damno. Quem Ordinem militasse sub Regula Sancti Benedicti multi contendunt cum Tamburino *loc. cit. q. n.* 80. 104

Equestris Ordo S. Mariae de Monte Carmelo apud Gallos institutus est a Philiberto Nerestano Gallo sub Regula S. Augustini anno 1607. Pontifice Paulo V. regnante in Gallia Henrico IV. et fuit approbatus a dicto Paulo V. Constit. 41. incip. *Romanus*. Barb. *cit. cap.* 41. *n.* 173. et alii. 105

ARTICULUS IV.

QUOAD TERTIAM PRINCIPALIOREM REGULAM, ET MILITANTES SUB IPSA.

1. Tertia principalior regula est S. Benedicti, ab eodem Sancto instituta. — 2. Specuensis, sive Casinensis, aut Benedictina Congregatio. — 3. Sicula Congr. — 4. Gallica Cong. — 5. Benchorensis Cong. in Hibernia. — 6. S. Augustini Santueriensis Cong. in Anglia. — 7. Vellaclarensis, seu Cirbitana Cong. — 8 Lirinensis Cong. in Gallia. — 9 Floriacensis Congregat. — 10. Ingirviensis, seu Giribeone Cong. in Anglia — 11. Foldensis Cong. in Germania. — 12. Dunstanensis Cong. in Anglia. — 13. Cluniacensis Cong. in Burgundia. — 14. Camaldulensis Cong. — 15. Fontis, seu Montis Coryli Congr. — 16. Hirsfeldensis Congregatio in Germania — 17. Sanctimonialium Damianitarum Cong. — 18. Sanctimonialium Camaldulensium Congr. — 19. Vallis Umbrosae Congreg. — 20. Cong. Sanctimonialium Vallis Umbrosae. — 21. Cavensis Cong. — 22. Viveriensis Congr. — 23. Sancti Lanfranchi Cong. in Anglia. — 24. Sancti Arialdi Cong. — 25. Hirsaugiensis Cong. — 26. Grandimontensis Cong. — 27. Cisterciensis Congr. — 28. Fontenensis Cong Eremitarum. — 29. Fontis Ebraldi Cong. — 30 Cavignecensis Cong. — 31. Melliensis Congr. — 32. Montis Virginis Congr. — 33. Guillelmitarum Cong — 34. Adest et alia Guillelmitarum Congregatio in Gallia. — 35. Florensis Cong. — 36. Humiliatorum Cong. — 37. S. Pauli primi Eremitae Cong. — 38. Silvestrina Cong. — 39. Vallumbrosellae Cong. in Gallia. — 40. Vallis Caulium Cong. — 41. S. Nicolai de Arenis Cong. — 42. Coelestina Cong. — 43. Vallis scholarium Cong. — 44. Olivetana Cong. — 45. Benedictina Cong. Nigrorum in Anglia. — 46. S. Burgae Viduae, seu Birgittae Congregatio. — 47. Cisterciensis Congregatio in Regnis Castellae. — 48. Genuensis Congregatio. — 49. Bursfeldensis in Germania Congregatio. — 50. Sagiensis Cong — 51. S. Bernardi Congregatio Cisterciensis in Italia. — 52. Casalis S. Benedicti Congregatio. — 53. S. Justinae de Padua Congregatio Casinensis. — 54. S. Michaelis de Murano Cong. — 55. Montis Coronae Cong. — 56. Congregatio Eremitarum Camaldulensium. — 57. Vallisoletana Congregatio S. Benedicti de Observantia. — 58. Lusitana Congregatio S. Benedicti. — 59. Ulyssiponensis Congregatio S. Benedicti. — 60. Mellicensis Congregatio S. Benedicti. — 61. Fulliensis B. Mariae Virginis Congregatio. — 62. Cisterciensis Congregatio in Hispania. — 63. Cisterciensis Congregatio Romana. — 64. Fulliensis Congregatio Reformatorum S. Bernardi in Italia. — 65. Congregatio Cisterciensis B. Mariae Virginis Calabriae, et Lucaniae. — 66. Scotorum Congregatio. — 67. Sclavorum Congregatio — 68. Templariorum Equitum Ordo. — 69. Sancti Salvatoris Equitum Ordo. — 70. Avisiensium, sive de Avis Equitum Ordo. — 71. Calatravea Equitum Ordo. — 72. Gladiferorum Equitum Ordo. — 73. Equitum S. Juliani de Pereyro Ordo. — 74. Equitum Montis gaudii Ordo. — 75. Ordo Equitum S. Georgii de Alfama — 76. Ordo Equitum de Ala. — 77. Alcantarae Equitum Ordo — 78 Montis fraoci Equitum, sive Equitum de Monfrane Ordo. — 79. Trusillensium Equitum Ordo. — 80. Montesiae Equitum Ordo. — 81. Equitum Jesu Christi Ordo. — 82. Equitum S. Stephani Ordo. — 83. Equitum S. Mauritii, et S. Lazari Ordo. — 84. Ordo Equitum S. Bernardi in Hispania.

1 Tertia principalior Regula est Sancti Benedicti ab eodem Sancto instituta circa annum 500. sub Pontifice Symmacho, ut refert Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. univers. cap.* 41. *num.* 35. Vel circa annum 520. ut referunt Miranda *tom.* 1. *quaest.* 4. *art.* 2. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 3. *disp.* 24. *q.* 5. *n.* 3. Brugnol. et alii. * Sive anno 520. adumbrata, et concepta, deinde in Casino Monte absoluta: Mabillonius Annal. Ordinis S. Benedicti lib. II. * Sub hac Regula plures erectae sunt, et militant Congregationes, quorum 85. adducit Tamburin. *cit. disp.* 24. *q.* 5. *per tot.* Bordonus, et alii.

Specuensis, sive Casinensis, aut Benedictina Congregatio est prima dicti Ordinis, fundata ab ipso Sanctissimo Patriarcha Benedicto anno 520. in 2

(*) Vide Addit. ad num. 64.

sacra specu Sublacensi, quo in loco ipse S. Benedictus primis suis discipulis Mauro, Placido, Fausto, et aliis viva Regula extitit, et postmodum anno 529. ad Casinum Montem (Divina sic disponente gratia) eadem Congregatio translata fuit. Et ideo *Specuensis*, seu *Casinensis*, aut *Benedictina* a Scriptoribus appellatur. *Specuensis* quidem a prima S. Benedicti Conversionis habitatione in dicta specu: *Casinensis* a traditione Regulae, quae in Monte Casino Divinitus eidem Sancto Patriarchae Benedicto data est: *Benedictina* autem ab ipsius Sancti nomine. *Casinensis* tamen appellatio est frequentior cum addito alias *Sanctae Justinae de Padua*, de qua infra Tamburin. *loc. cit. num.* 3. Joann. Trithemius *de vir. Illustribus Ord. S. Benedicti lib.* 1. *cap.* 3. Arnold. Wion. *part.* 1. *ligni vitae tract. de nobilissim. Aniciorum familia* §. 10. et *part* 2. *c.* 11. et alii.

3 *Sicula Congregatio* instituta fuit circa annum Domini 536. a S. Placido Abbate, et Martyre, uno ex primis S. Benedicti discipulis, et ejus consanguineo, qui postea Messanae una cum sociis a Manucha Barbaro Tyranno martyrio coronatus est *die* 5. *Octobr. anni* 541. Tamburin. *loc. c. n.* 4. Arnold. Wion. 2. *par. ligni vitae lib.* 3. *pag.* 247. *et eod. lib. pag.* 317. et alii.

4 *Gallica Congregatio* a S. Mauro Abbate, uno pariter ex primis Sancti Benedicti Discipulis, et ejus consanguineo, et condiscipulo S. Placidi, instituta fuit in Gallia circa annum Domini 542. in Monasterio Glanofoliano; Unde et Congregatio *Glanofoliana* a primo hoc Monasterio, et *Maurina* a Mauro fundatore, et *Gallica* a Regione nuncupatur: Tamburin. *loc. c. n.* 5. Vincent. Bellovacen. *in specul. Histor. lib.* 21. *cap.* 67. Trithemius *de vir. Illustrib. S. Benedicti lib.* 3. *cap.* 2. et alii.

5 *Benchorensis Congregatio* in *Hibernia* a Sancto Comogello Abbate fundata fuit circa annum Domini 570. et Benchorensis appellata est a primi Monasterii nomine: Tamburin. *loc. cit. n.* 6. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitae lib.* 5. *cap.* 11. Carolus Sigon. *de Reg. Ital. lib.* 2. *sub anno* 613. *et* 614. Petrus Record. *Hist. Mon. giornat.* 1. *de Ordine S. Benedicti*, et alii.

6 *Sancti Augustini Cantuariensis Congregatio in Anglia* fuit inchoata circa annum 596. a praedicto S. Augustino Cantuariensi Archiepiscopo, et est sic nuncupata ab ejus nomine. Dictus S. Augustinus erat Italus Romanus Monachus, et Praepositus Monasterii S. Andreae Ordinis Sancti Benedicti. Unde missus a S. Gregorio Papa I. cum aliquot sociis Monachis in Angliam ad illius gentis conversionem, ibidem inchoavit praefatam Congregationem, creatus deinde Cantuariensis Archiepiscopus: Tamburin. *loc. c. n.* 7. Beda *in Histor. Anglic. lib.* 1. *a cap.* 21. *et lib.* 2. *et* 3. Tirthemus *lib.* 4. *cap.* 21. *et lib.* 2. *cap.* 2. *et* 3. Trithemius *lib.* 4. *cap.* 48. Arnoldus Wion. 2. *par. ligni vitae lib.* 2. *cap.* 20.

7 *Vallsclarensis*, *seu Sirbitana Congregatio* inchoata fuit circa annum Domini 620. a Sanctis Viris Donato Sirbitano, et Joanne Gotho Monasteriorum Vailisclarae Fundatoribus, et est sic nuncupata a loco *Valleclarensi*, et a *Sirbitano* principali fundatore: Tamburin. *loc. cit. n.* 8. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitae lib.* 5. *cap.* 11. Carolus Sigonius *de Regib. Ital. lib.* 2.

Lirinensis Congregatio in Gallia, sic dicta a ce- 8
leberrimo Monasterio Lirinensi in Insula Lirini prope mare Provinciae erecto a S. Honorato Nicomediae Regis Filio, ac primo illius loci Abbate, et deinde Arelatensi Archiepiscopo, inchoata fuit circa annum 470. et illius Instituta, et Constitutiones retinuit usque ad annum 631. tempore S. Amandi Abbatis qui, relictis Constitutionibus primi hujus Congregationis Fundatoris, Regulam Sancti Benedicti ad amussim in Lirinensi Monasterio cum suis Monachis observavit: Tamburin. *loc. cit. nu.* 9. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitae lib.* 3. *sub die* 29. *Maii*, Petrus Recordatus *giornat.* 1. *de Cong. S. Benedicti.*

Floraeensis Congregatio fundata fuit circa an- 9
num 651. a quodam Fioro comite Theoberti Francorum Regis clarissimo, ab ejus nomine nuncupata est *Floriacensis*, et praecipuum ejus Monasterium Floriacense ab eodem in uno e propriis praediis aedificatum, fuit postea receptum sub protectione Sedis Apostolicae, ac multis privilegiis, et statutis decoratum anno Domini 1063. ab Alexandro II. Constitut. incip. *Si in Apostolica Sede*; Tamburin. *loc. cit. n.* 10. S. Oddo Abbas, et Aymo ejusdem Monasterii alumni *in Bibliotheca Floriacensi*, Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitae lib.* 4. *cap.* 11. Marchus Antonius Scipio *in lib. Elog. Abbat. Montis Cassini in Elogio S. Mauri Abbatis.*

Ingirviensis, seu Giribenna Congregatio in An- 10
glia excitata est circa annum Domini 700. a S. Wilphrido, et Sancto Benedicto Biscopio, a quo aliquando *Biscopia Congregatio* nuncupata est, licet communius *Giribenna* vocetur. Cujus Congregationis Alumnus fuit Venerabilis Beda: Tamburin. *loc. cit. n.* 11. Raynerus *lib. de Apost. S. Benedict. in Anglia sect.* 2. §. 2. Joann. Tirthemius *de vir. Illustr. Ord. S. Benedicti lib.* 2. *cap.* 19. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitae lib.* 5. *c.* 11. *et lib.* 3. *sub die* 12. *Jan.* et alii.

Fuldensis Cong. in *Germania* erecta fuit in Ger- 11
mania circa annum Domini 750. a S. Bonifacio Anglo Regii stemmatis primum Monacho, deinde Archiepiscopo Moguntino, et a Monasterio Fuldensi in Buchonia Silva constructo *Fuldensis Congregatio* est nuncupata: Tambur. *l. c. n.* 12. Trithemius *de vir. Illustr. lib.* 1. *cap.* 6. *lib.* 2. *cap.* 24. *et lib.* 3. *cap.* 171. Wion. 2. *part. ligni vitae lib.* 3. *sub die* 5. *Jun.*

Dunstanensis Congr. in *Anglia* initium sumpsit 12
a S. Dunstano Abbate circa annum Domini 900. et ab ejus nomine est sic appellata: Tambur. *l. c. n.* 13. Raynerus *de Apost. S. Benedict. lib.* 3. *c.*

221. *et lib.* 4. *cap.* 100. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitae lib.* 3. *sub die* 19. *Maii.*

13 *Cluniacensis Congr. in Burgundia*, sic dicta a primo ejus Monasterio *Clunii in Burgundia* apud Civitatem Matisconensem extructo opera Guillelmi Pii Aquitaniae Ducis, incaepit circa annum Domini 910. Primus hujus Congregationis Abbas fuit S. Berno, qui in praedicto Monasterio sexdecim annorum spatio Monasticam disciplinam cum pluribus aliis ad amussim observavit, cui defuncto successit S. Oddo, quem Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. univers. cap.* 41. *n.* 55. et alii dicunt hujus Congregationis Fundatorem: Tamburin. *loc. cit. n.* 14 Miranda *in Manual. Praelat. t* 1. *q.* 4. *art.* 2. S. Anton. *p.* 2. *tit.* 15. *c.* 13. §. 2. Suarez *t.* 4. *de Rel. tr.* 9. *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 1. et alii.

14 *Camaldulensis Congr.* sic dicta a Valle Camaldula in Tuscia non longe a Florentia inter Appenini juga, instituta fuit a S. Romualdo Patritio Ravennate Monacho Benedictino, circa annum 967. et approbata fuit ab Alexandro II. Constit. 1. incip. *Nulli:* Barbosa *loc. c. n.* 46. Tambur. *loc. c. n.* 15. S. Anton. *part.* 1. *tit.* 1. *c.* 15. Silvester Marulus *in Oceano Relig. lib.* 2. *c.* 22. Suarez *to.* 4. *de Relig. tract.* 9. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 7. et alii. Ex eadem Congregatione prodierunt Eremitani montis Coronae, et S. Michaelis de Murano. Et hos Camaldulenses Eremitas Montis Coronae separavit ab illis Eremi Camaldulensis, et Sancti Michaelis de Murano Paulus II. Constitut. 1. incip. *Rationi:* Barbosa *loc. cit.* et alii apud ipsum.

« * Annales Camaldulenses Ordinis S. Benedicti, quibus plura interseruntur tum ceteras Italico-Monasticas res, tum historiam Ecclesiasticam, remque diplomaticam illustrantia, D. Joanne Benedicto Mittarelli, et D. Anselmo Costadoni Presbyteris, et Monachis e Congregatione Camaldulensi Auctoribus, Venetiis MDCCLX. et proximis annis Tomis IX. in folio magno Ecclesiasticae, ac Litterariae Reipublicae bono prodierunt *.

15 *Fontis, seu Montis Coryli Cong.* sic appellata a *Fonte Corylo* in Monte Appenino in radicibus Montis prope Civitatem Calliensem in statu Urbinaten. instituta fuit a Landulpho Monacho Benedictino, circa annum Domini 1008. et postea haec Congregatio unita fuit Congregationi Camaldulensi: Tamburin. *loc. cit. n.* 16. Barbosa *loc. cit. n.* 47. August. Fortun. *in Histor. Camaldulensi lib.* 5. *a c.* 6. *usque ad* 14. et alii.

16 *Hirsfeldensis Congregat. in Germania* sic dicta ab *Hirsfeldia*, ubi incaepit, initium sumpsit anno circiter 1030. sub D. Mengichero Abbate, qui aliqua Monasteria in Hirsfeldia sub strictiori Regulae Benedictinae observantia reformavit: Tamb. *loc. cit. n.* 27. Trithemius *lib.* 1. *de vir. Illustr. Ord. S. Benedicti cap.* 9. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitae lib.* 5. *c.* 11.

17 *Sanctimonialium Damianitorum Cong.* sic dicta a Monasterio S. Damiani Assisinatis, ubi Moniales sub Regula S. Benedicti olim degebant, ut expresse patet ex pluribus privilegiis Ordini Damianitarum concessis a diversis Summis Pontificibus, et signanter a Gregor. IX. Const. incip. *Religiosam* 3. *Nonas Maii* 1235. in qua haec praecisa verba habentur: « In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, et Sancti Benedicti Regulam, atque institutionem Monialium inclusarum Sancti Damiani Assisinatis in eodem loco institutus esse dignoscitur etc. » Idem repetit in alia sua Constitutione sub dat. Perusii 10. *Kalend. Augusti*, et in alia sub dat. Reate 4. *Kalend. Augusti* 1236 et in alia sub dat. Viterbii 18. *Kalend. Maii* 1237. Idem habet Innocent. IV. in sua Constit. qua quaedam privilegia confirmat Abbatiae Monasterii S. Catharinae Caesaraugust. sub dat. Lugduni 4. *Nonas Octobris* 1246. Alexander IV. sub dat. Neapoli 2. *Kal. Maii* 1255. et sic plures alii. At nunc hujusmodi Moniales fere omnes Regulam Seraphici Patris N. S. Francisci profitentur, prout est eis a Sancta Sede concessum: Tambur. *loc. cit. n.* 18. et alii.

Sanctimonialium Camaldulensium Congregatio, 18 quae in Italia satis numerosa existit, Regulam S. Benedicti, et instituta Monachorum Camaldulensium observat: Tamburin. *loc. cit. n.* 19. et alii.

Vallis Umbrosae Congr. sic dicta a *Valle den-* 19 *sissimis arboribus consita* prope Florentiam, instituta est a S. Joanne Gualberto monacho Benedictino, circa annum 1012. quam primus privilegiis decoravit, confirmavit, et sub Sedis Apostolicae protectione recepit Urbanus II. Constit. 1. incip. *Cum universis;* Tamburin. *loc. cit. n.* 20. Miranda *in Manual. Praelat. tom.* 1. *q.* 4. *art.* 2. Marulus *in Oceano Relig. lib.* 2. *p.* 120. Morigia *de Origin. Religion. libr.* 1. *cap.* 15. B. Benignus Generalis Vallumbros. *libr.* 1. *suarum Epistol.* 13. et alii.

Congregatio Sanctimonialium Vallis Umbrosae 20 plura habet Monasteria erecta sub Regula S. Benedicti, et Instituto S. Joannis Gualberti. Quorum Monasteriorum tres fuerunt principales Institutrices, scilicet S. Verdiana Florentina, S. Humilitas Faventina: et B. Berta item Florentina: Tambur. *loc. c. n.* 21. Eudoxius Locatellus *in vita S. Joannis Gualberti in fine.*

Cavensis Congr. sic dicta a principali ejus Mo- 21 nasterio in Metelliana Cava septimo a Salerno milliario a S. Alferio Abbate Sanctae Trinitatis Cavae constructo, qui dictae Congregationis Institutor fuit, incaepit circa annum 1050. Tambur. *lib. cit. n.* 22. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitae lib.* 6. *cap.* 11. Joannes Abbas Capuanus *in vita praedicti S. Alferii.*

Vivariensis Congreg. inchoata fuit circa annum 22 1064. a quibusdam Monachis Abbatiae Castellanensis, quapropter a quibusdam *Cong. Castellanensis* appellata fuit: Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitae l.* 5. *c.* 11. Tamb. *loc. cit. n.* 23. et alii.

Sancti Lanfranchi Congr. in Anglia fuit erecta 23 in Anglia circa annum 1077. ope praedicti Sancti

Lanfranchi: Raynerus *de Apostat. Benedict. in Anglia sect.* 2. §. 2. *et* 3. Tambur. *loc. cit. n.* 24.

24 *Sancti Arialdi Congregr.* ab eodem S. Martyre cum sociis suis fuit excitata circa annum 1080. in Civitate Mediolanensi, et sub instituto S. Joannis Gualberti, diu floruit in Gallia Cisalpina, et post Martyrium S. Adrialdi, et Sociorum, a B. Andrea Abbate Strumiensi, et Discipulo S. Joannis Gualberti moderata fuit, et postmodum Congregationi Vallumbrosanae unita est: Eudoxius Locatelius *in addit. M. S. ad vitam S. Jo. Gualberti*, *et Generalium ejusd. Ord. in addit. ad vitam B. Rodulphi II. Generalis Vallis Umbrosae*, Tambur. *loc. cit. n.* 25 et alii.

25 *Hirsaugiensis Congr.* sic dicta, quia in *Hirsaugiensi Monasterio* apud Germanos valde conspicuo reformata fuit, instituta est circa annum 1080. a S. Guillelmo S. Aarelii Abbate in Confinibus Suevorum Spirensis Dioecesis; Tamburin. *loc. cit. n.* 26. Trithemius *lib.* 2. *de vir. Illust. Ordin. S. Benedicti c.* 9. Arnold. Wion. 2. *par. ligni vitae lib.* 5. *cap.* 11.

26 *Grandimontensis Congr.* sic dicta a *Monte quodam praegrandi*, ubi principale ejusdem Congregationis conditum est Monasterium in Dioecesi Lemovicensi in Gallia, instituta est circa annum 1080. a S. Stephano Albanensi sub Regula S. Benedicti; Tamb. *loc. cit. n.* 27. Barbosa *cit. lib.* 1. *Jur. Eccles. univers. cap.* 41. *n.* 49. Marulus in *Oceano Relig. lib.* 2. *p.* 120. Miranda in *Manual. Praelator, tom.* 1. *q.* 4. *art.* 2. et alii.

27 *Cisterciensis Congr.* sic dicta a *Valle Cistercii*, ubi primum ejus Monasterium extructum est in Dioecesi Cabilon. in Burgundia apud Gallos, instituta fuit a S. Roberto Abbate circa annum 1098. et confirmata fuit ab Eugenio III. Constit. 2. incip. *Sacrosancta*: Tamb. *loc. cit. n.* 21. Barbosa *loc. c. n.* 50. S. Antonin. *part.* 2. *tit.* 18. *c.* 12. §. 18. Marulus in *Ocean. Relig. lib.* 2. *p.* 153. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 1. *cap.* 28. et alii.

28 *Fontanensis Congr. Eremitarum* sit dicta *a solitudine Fontanensi*, ubi primum ejusdem Congregationis Monasterium extructum est, instituta fuit anno 1120. a B. Richardo Monacho Cisterciensi: Tamb. *loc. cit. n.* 10. et alii apud ipsum.

29 *Fontis Ebraldi Congr.* sic dicta *a Celebri Fonte*, juxta quem primum hujus Familiae Monasterium aedificatum est in Dioecesi Pictaviensi in Gallia, instituta est a S. Roberto Alesio Parisiensi Monacho Benedictino, circa annum 1117. Hujus Congregationis Monasteria sunt fere duplicia, idest Virorum, et Feminarum solo muro distincta. Praesidet viris, et feminis Abbatissa electa semper a Monialibus: Barbosa *loc. cit. n.* 61. Tamburin. *loc. cit. n.* 30. Claudius Robert. in *Gallia Christ. tit. de Abbatiis lit. F. verb. Fons Ebraldi*, et alii.

30 *Savignacensis Congr.* sic dicta a primo ejusdem Monasterio *Savignaci* constructo, incaepit circa annum 1121. et a B. Serleone Savignacensi Abbate unita fuit cum triginta Coenobiis, quae eo tempore praedictus Abbas hujus Congregationis Generalis gubernabat, universali Congregationi Cisterciensi: Tamburin. *loc. cit. num.* 32. Chrysost. Henriques in *suo Menologio sub.* 4. *Id. Sep. in annot.* Paulus Longius in *Chronico Lizitensis Eccles. sub anno* 1122.

Mellicensis Congreg. sic dicta a primo ejusdem 31
Monasterio *Mellicensi* non longe a Vienna Austriae constructo, instituta est anno 1122. a Don Sigibaldo Abbate dicti. Monasterii, sub Reg. S. Bened. Tamb. *loc. cit. n.* 31. Trithemius *lib.* 1. *de Vir. Illustr. Ord. S. Benedicti cap.* 9. Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitae lib.* 5. *cap.* 11.

Montis Virginis Congr. sub Regula S. Benedicti, 32
instituta fuit a S. Guillelmo Vercellensi Monacho Benedictino, circa annum 1121. sic dicta *a Monte Virgiliano*, in quo olim Virgilius celebratissimus Poeta amoenissimum hortum habuit, in quo Monte extructum magnificum Monasterium cum Ecclesia sub titulo Beatissimae Virginis Constantinopolitanae, a Balduino Imperatore pretiosis Reliquiis, ornamentis, et privilegiis decorata. Haec Congregatio, quae Regnum Naepolitanum non egreditur, fuit confirmata prius per Joannem Episcopum Avellinen. sub anno 1126. et a Roberto sub anno 1133. et a Guillelmo itidem Episcopo Avellinen. sub anno 1182. et deinde ab Alexandro III. a Lucio III. et a Coelestino III. ut apparet in hujus ultimi Constit. incip. *Religiosam vitam*: Tambur. *loc. citat. num.* 33. Barbosa *loc. cit. num.* 62. Ovidius de Lutiis hujus Congregationis Monachus in *relatione Sanctissimae Virginis B. Mariae Montis Virginis*, et alii.

Guillemitarum Congr. instituta est a S. Guillel- 33
mo Vercellensi Monacho Benedictino anno 1124. et ab ipso nomen desumpsit. Monasteria totius Congregationis dicuntur esse 47. fere omnia per Italiam; Barb. *loc. cit. num.* 61. Marulus in *Ocean. Rel. lib.* 2. *p.* 101. Carulus de Tapia in *Authent. Ingressi, verb. Monasteria cap.* 4. et alii.

Adest et alia Guillelmitarum Congr. in Gallia, 34
sic dicta a S. Guillelmo Aquitaniae Duce, et Pictaviensium Comite ejus Fundatore, quae incaepit circa annum 1156. quam fuisse fundatam sub Regula S. Augustini, diximus verius esse ex Barbosa, et aliis *art. antecedenti num.* 43. At Tambur. *loc. cit num.* 30. probat ex multis, fuisse fundatam sub Regula S. Benedicti. Vide Barbosam *loc. cit.* et Tamb. *l. cit.*

Florensis Congr. sic dicta a S. Joanne *de Flore*, 35
Coenobio insigni, et primaria Sede hujus Congregationis, instituta est in Calabria propre Cosentiam, anno 1196. a B. Joachimo Monaco Cisterciensi, et Abbate Coratii; decursu autem temporis unita est Congregationi Cisterciensi: Tambur. *loc. c. n.* 36. Barbosa *loc. c. n.* 36. Marulus in *Ocean. Relig. lib.* 2. *q.* 177. et alii.

Humiliatorum Congr. instituta est a quibusdam 36
nobilibus Mediolanensibus, qui post dirutam patriam a Federico Ænobarbo jussi abire exules in

Germaniam, inde humilitate, et precibus regressum in Mediolanum iterum sunt adepti, quia vero vestibus albis induti postliminium impetrarunt, eisdem vestibus Deo inservire decreverunt, anno 1196. sub Coelestino III. Fertur autem a multis, Institutorem fuisse B. Joannem Sacerdotem Comensem, quia ipse inter praedictos nobiles primus erat, et praecipuus. Hanc Congregationem extinxit S. Pius V. et Sedi Apostolicae omnes Abbatiae, Praepositurae, beneficia, et omnia bona reservata fuerunt, ut in sua Const. 19. incip. *Quemadmodum sollicitus Pater*, et hoc, ut vindicaret gravem injuriam illatam S. Carolo Borromaeo Cardinali, et Archiepiscopo Mediolanensi, et ejusdem Congregationis reformatore; cum nescio quis ex Humiliatis aliorum persuasu in eum Sclopetam duabus glandibus plumbeis onustam exoneravit, illaeso interim non sine Divino miraculo Sancto Cardinale Archiepiscopo, anno 1560. die 26. Octobris: Joannes Petrus Giussanus in *vita S. Caroli Borromaei lib.* 2. *et* 23. Carolus de Tapia in *Authent. Ingressi, verb. Monasteria cap.* 45. Barbosa *loc. cit. n.* 65. Tamburin. *loc. cit. num.* 37. S. Antoninus 2. *part. Histor. tit.* 25. *cap.* 22. et alii.

* De istius Congregationis origine, vicibus, exituque diligentissime agitur in Opere tribus in quarto, ut vocant, voluminibus comprehenso, cui titulus: « Vetera Humiliatorum monumenta annotationibus, ac dissertationibus Prodromis illustrata, Auctore Hieromyno Tiraboschio Soc. Jesu in Braidensi Universitate Rhetoricae Professore. Mediolani MDCCLXVI. * ».

37 *S. Pauli primi Eremitae Cong.* ab Eusebio Strigoniensi, in Monasterio S. Jacobi Patachii in Regno Hungariae, fundata est anno Domini 1215. Huic Congregationi, quia Paulus Vesprinensis Episcopus quaedam S. Pauli primi Eremitae indixit servanda praecepta, cum praescripto tamen S. Benedicti, Regula S. Pauli primi Eremitae nuncupata est: Arnold. Wion. 2. *part. ligni vitae lib.* 1. *cap.* 71 citans Trithemium, Tamburin. *l. c. n.* 38.

* Hunc Ordinem Monasticum declaravit, ejusque Priori Generali tribuit, ut exercere posset Pontificalia, atque uti habitu Praelatitio, quo utuntur singuli Generales aliorum Monasticorum Ordinum, etiam Romae, Clemens XIV. Constit. *Romanus Pontifex* die 13. Julii 1770. *.

38 *Silvestrina Congr.* instituta est a S. Silvestro Guzzolino nobili Auximensi, Monacho Benedictino, anno 1231. ab ejus nomine *Silvestrina* appellata, et confirmata fuit ab Innocentio IV. Const. 6. incip. *Religiosam vitam:* Barbosa *loc. cit. n.* 67. Tamburin. *loc. c. n.* 59. S. Antonin. 2. *par. Histor. tit.* 15. *c.* 23. §. 2. et alii.

39 *Vallumbrosellae Congr. in Gallia* excitata est in Gallia a S. Ludovico Rege ob eximiam ejus devotionem in S. Joannem Gualbertum, in cujus honorem construxit magnificum Monasterium prope Lutetiam Parisiorum, eidemque alias univit Abbatias, in quibus Institutum Monachorum S. Benedicti una cum Vallumbrosanis Constitutionibus observatur: Biasius Milanesius, Generalis Vallis Umbrosae, *in tract. de miraculis, et Reliquiis S. Joannis Gualberti*, Eudoxius Locatellus *lib.* 2. *vitae S. Joannis Gualberti cap.* 27. Tamburin. *loc. cit. n.* 40. et alii.

Vallis Caulium Congregatio, sic dicta Gallice *a Val des Chous*, prope Divionem Urbem Galliae in Ducatu Burgundiae, instituta fuit a Viardo quodam Monacho Benedictino, anno 1240. sub Greg. IX. a quo fertur confirmatam fuisse: Tamburin. *loc. cit. n.* 41. Barb. *loc. cit. n.* 68. Miraeus *de stat. Eccles. Catholic. l.* 1. *c.* 4. Claud. Robert. *in Gallia Christian. tit. de Abbat. litt. V.* et alii. 40

S. Nicolai de Arenis Congr. in Sicilia, apud Catanam Civitatem, incaepit circa annum 1300. et deinde anno 1506. cum quinque aliis Monasteriis unita est Congregationi Casinensi: Wion 2. *part. ligni vitae c.* 11. Tamb. *loc. cit. n.* 47. 41

Coelestina Congr. fundata est a Sancto Petro Morono, Monacho Benedictino (dictus est Moronus a monte Morono Regni Neapolitani, quem Religiosus incoluit), anno Domini 1274. *Coelestinorum* autem nomen sortita est, quia ejus Fundator S. Petrus, Summus Pontifex electus, Coelestinus V. vocari voluit; et licet ipse Pontificatus honorem dimiserit, ejus tamen Congregatio cum honorifico Coelestinorum nomine remansit: S. Coelestinus V. Constit. 1. incip. *Etsi cunctos*, et eamdem Congregationem confirmavit, et sub protectione Sanctae Sedis Apostolicae recepit Benedictus XI. Constitut. incip. *Religiosam vitam:* Barb. *loc. cit. n.* 69. Tamb. *loc. cit. n.* 43. Miranda *in Manual. Praelator. tom.* 1. *q.* 4. *artic.* 2. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 1. *cap.* 36. Marulus *in Ocean. Religion. lib.* 4. *pagin.* 309. et alii. 42

Vallis Scholarium Congregatio Galliae in Campania instituta est circa annum 1201. a quatuor Lutetianis Theologiae Professoribus, nempe Gulielmo, Richardo, Everardo, et Manasse, in abdita Valle Campaniae Belgicae, versus Lingones, quam Lingonensium Episcopus anno 1213. et Honorius III. Summus Pontifex Nonis Martii 1218. approbarunt, et confirmarunt. Haec Congregatio Regulam S. Benedicti profitebatur, ut tradit Wion 1. *part. ligni vitae cap.* 71. quamvis modo ex Renat. Choppin. *lib.* 2. *Monastic. tit.* 1. *n.* 61. Regulam Sancti Augustini sequatur: Tamb. *loc. cit. n.* 44. et alii apud ipsum. 43

Olivetana Congr. sic dicta a Monte Olivarum in Comitatu Ilcinensi, olim Dioecesis Aretinae, nunc vero Dioecesis Pientinae (*) non longe a Senis, ubi primum ejus Monasterium est erectum, et dicitur Mons Olivetus major, instituta fuit a tribus nobi- 44

(*) Ecclesias Clusinam, et Pientinam simul junxit Clemens XIV, ut narratur in Append. adjecta Vitis Pontificum Romanorum ab Antonio Sandinio descriptis in Clemente XIV, pag. 737. not. 13.

libus Senensibus, B. Bernardo Ptolemaeo Philosophiae Professore, Ambrosio Piccolomineo, et Patritio de Patritiis, anno 1319. sub Pontificatu Joannis XXII. qui eam approbavit Constit. 1. incip. *Cum a Nobis:* Marulus *in Oceano Relig. lib.* 1. *c.* 37. Tamburin. *loc. cit. n.* 45. Barbosa *loc. cit. n.* 91. et alii.

45 *Benedictina Congr. Nigrorum in Anglia*, sub anno 1335. verae, et propriae Congregationis formam sumpsit, cum antea sub latiori quodam Instituto, quod nec Communitatem, nec certa praecepta continebat, vigeret, et creditur fuisse excitata per Episcopos illos Sanctos Augustinum, Dunstanum, et Lanfrancum in Anglia tunc temporis Sanctitate insignes: Raynerus *lib. de Apost. S. Benedict. in Anglia sect.* 2. §. 3. *pag.* 211. *et seq.* Tambur. *loc. cit. n.* 46.

46 *Sanctae Burgae Viduae, sive Birgittae Congr.* instituta est in Anglia anno 1340. a praedicta S. Burga, sive Birgitta Vidua, quae Congregatio in paucis Monasteriis dilatata est, et tempore ruinae, et vastationis Divini cultus sub Henrico VIII. extincta est: Trithemius *lib.* 1. *de Vir. illustr. Ord. S. Benedicti c.* 3. Arnold. Wion. 1. *part. lign. vit. cap.* 11. Tamb. *loc. cit. n.* 47.

47 *Cisterciensis Congreg. in Regnis Castellae* instituta est anno 1425. a P. Martino de Vargas, nato in Regno Castellae in Civitate Xeres de la Fontera, auctoritate Martini V. Constitut. incip. *Pia supplicum vota:* Tambur. *loc. cit. n.* 48. Chrysostom. Henriq. in *Menologio Cisterciens. par.* 2. ubi *de privileg. pag.* 245. *et seq.*

48 *Genuensis Cong.* quae et S. Hieronymi de Silvaria a quibusdam nuncupatur, instituta est in Liguria, anno 1415. et postea unita fuit Congregationi Casinensi, ut, reticito ejus Fundatore, refert Tamburin. *loc. cit. n.* 48. Arnold. Wion. 1. *par. Ligni vitae c.* 11.

49 *Bursfeldensis Congr. in Germania* suum sumpsit initium, et nomen a quodam Monasterio extructo in Oppido, quod *Bursfeldia* dicitur, Dioecesis Moguntinae, eo fere tempore, quo Constantiense Concilium terminabatur: Trithemius *lib.* 1. *de vir. Illustr. Ord. S. Benedicti c.* 12. Tamburin. *loc. cit. n.* 49. Barbosa *loc. cit. n.* 40.

50 *Sagiensis Congr.* sub Regula S. Benedicti cum magna observantia floruit anno 1454. Carolus Fernandez *lib. de observant. Regul. S. Benedicti ad Sagien. Monachos directo*, Arnold. Wion. 2. *par. ligni vitae cap.* 11. Tamburin. *loc. cit. n.* 51. ubi fatetur, se non reperisse, quo loco, aut quo Institutore incaeperit.

51 *Sancti Bernardi Congregatio Cisterciensis* in *Italia* instituta est circa annum 1497. instante Mediolanensium Duce Ludovino Maria Sfortia, ut clare constat ex Bulla erectionis Alexandri VI. incip. *Plantatus*, Chrysost. Henriquez *de privilegiis Cisterciens, pag.* 393. *et seq.* Tambur. *loc. c. n.* 52.

52 *Casalis S. Benedicti Congregatio* incaepit, seu potius reformata fuit circa annum 1494. in Gallia, ut habetur in Constit. Leonis X. incip. *Sacrosanctas*, et nomen desumpsit a Monasterio in eo Pago fundato: Barbosa *loc. cit. n.* 13.

Sanctae Justinae de Padua Congregatio Casinensis, sic dicta a primo ejus Monasterio, et totius familiae Capite, Patavii sub Patrocinio S. Justinae Virginis, et Martyris ejusdem Urbis alumnae erecto, instituta fuit anno 1410. a F. Ludovico Baldo Benedictino Ordinis Cluniacensis, ut scribit Barbosa *loc. cit. n.* 74. seu, ut verius scribit Tamburin. *loc. cit. n.* 54. a D. Ludovico Barbo Patritio Veneto, et Canonico S. Georgii de Aiga. Desiit autem haec Congreg. appellari *S. Justinae*, anno 1503. quo illi unitum est Monasterium Casinense, eo pacto, ut *Casinensis* imposterum vocaretur ob reverentiam Archicoenobii Montis Casini, ut habetur ex Constitutione Jul. II. incip. *Super Cathedram* ibi: « Nec non Congregationem ipsam propter nomen, et Dignitatem Monasterii hujusmodi, quod aliorum Monasteriorum dicti Ordinis Caput est, ut praefertur, de cetero Casinensem, alias S. Justinae, nuncupari debere »: Tamburin. *loc. cit. n.* 54. Barbosa *loc. cit. n.* 74. Marulus *in Oceano Relig. lib.* 1. *pag.* 84. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 1. *cap.* 44. et prae ceteris D. *Jacobus* Cavaci in sua *Historia Caenobii Sanctae Justinae* eloquentissime conscripta. 53

S. Michaelis de Murano Congregatio Eremitarum instituta ante tempora Leonis X. ac in multis Monasteriis, in quibus vita Eremitica sub Regula S. Benedicti, et Institutis S. Romualdi Abbatis propagata est. Deinde vero a praedicto Leone X. redacta fuit haec Congregatio, et unita Congregationi Eremi Camaldulensis, cui univit etiam Eremitas Montis Coronae, ut patet ex ejus Constitut. 2. incip. *Etsi a summo.* Ast tamen Paulus III. Constitut. 1. incip. *Rationi*, Eremitas Montis Coronae a Camaldulensibus separavit, et distinctam Congregationem constituit: Barbosa *loc. cit. n.* 46. Tamburin. *loc. cit. n.* 55. et alii. 54

Montis Coronae Congregatio, alias Grotana, Congregatio, instituta fuit circa annum 1520. a Paulo Justiniano Patritio Veneto, et Monacho Camalduiensi: Barbosa *loc. cit. n.* 46. Tamburin. *loc. cit. n.* 56. Arnold. Wion. 1. *par. ligni vit. cap.* 30. et alii. 55

Congreg. Eremitarum Camaldulensium, quamvis prius esset eadem cum Congregatione Coenobitarum, modo tamen est distincta Congregatio, eamque ab illa separavit Paulus III. Constit. 1. incip. *Rationi congruit:* Tamburin. *loc. cit. n.* 57. Barbosa *loc. cit. n.* 40. Franciscus Petrarcha *de vita solitaria tract.* 3. *lib.* 1. *c.* 16. et alii. 56

Vallisoletana Cong. S. Benedicti de Observantia, sic dicta a Monasterio totius Congregationis Capite, constructo in Civitate Vallisoleti, fundata fuit anno 1520. a Joanne Monacho Benedictino, sub Regula S. Benedicti, et Constitutionibus Casinensium, alias S. Justinae, additis tamen aliquibus 57

particularibus: Tamburin. *loc. cit. n.* 57. Barbosa l. *c. n.* 42. et alii.

58 *Lusitana Cong. S. Benedicti* in Regno Portugalliae, in Provincia Interamnensi, non longe a Civitate Brachara, incaepit in Monasterio S. Martini de Tibaes, circa annum 1549. Haec Congregatio habet sub se ultra viginti Monasteria Virorum, et Monialium plura: Tambur. *loc. cit. n.* 58. ubi dicit, se non reperisse hujus Congregationis Auctorem: Barbosa l. *c. n.* 43. et alii.

59 *Ulyssiponensis Congr. S. Benedicti*, sic dicta a nobili, et magnifico Monasterio in Ulyssiponensi Civitate extructo, fundata fuit anno 1549. a D. Jacobo de Murtia Ordinis S. Hieronymi, et S. Nicolai in Portugallia Abbate Commendatario, Tambur. l. *c. n.* 59. Arnold. Wion 2. *part. Ligni vitae cap.* 11. *in fine*, et alii.

60 *Melidensis Cong. S. Benedicti*, sic dicta *a Melide* Insula juxta Ragusium in Dalmatia, saltem quoad novam reformationem, surrexit circa annum 1560. ope, et industria D. Chrysostomi Casinensis Monachi, Archiepiscopi postea Ragusini: Arnold. Wion *l. c. p.* 609. Tamburin. *l. c. n.* 60.

61 *Fulliensis B. Mariae Virginis Congregatio*, sic dicta a Monasterio suo principali in Regno Galliae apud Tolosam, in quo B. Virginis Imago inter folia depicta cernitur, fundata fuit a D. Joanne Bererio, ejus Abbatiae prius Commendatario, anno 1583. et confirmata fuit a Sixto V. Constitut. incip. *Religiosos Viros*: Barbosa l. c. *n.* 63. Tamburin. *l. c. n.* 61. et alii.

62 *Cisterciensis Congregatio* in Aragoniae, Navarrae, Valentiae, Catalauniae, et Majoricae Regnis, excitata fuit circa annum 1616. promovente Philippo III. Hispaniarum Rege Catholico, et Paulo V. Pontifice approbante, ut patet ex ejus Constitutione incip. *Pastoralis Officii*, Chrysostom. Henriquez *de privileg. Cisterciens. pag.* 447. Tamburin. l. *c. n.* 62.

63 *Cisterciensis Congregatio Romana* circa annum 1623. propriam formam ab aliis Cisterciensium Congregationibus distinctam habere coepit industria D. Vespasiani de Angelis, primi ejusdem Congregationis Praesidis Generalis, et ope Eminentissimi Cardinalis Ubaldini Comprotectoris, ut patet ex Constitut. Gregorii XV incip. *Sacrosancti Apostolatus*, et ex Litteris dicti Cardinalis Ubaldini relat. a Tamburin. l. *c. n.* 63.

64 *Fulliensis Cong. Reformatorum S. Bernardi in Italia* particulare hoc nomen sortita est; et ab illa Galliae separata, approbata est anno 1630. ab Urbano VIII. ut apparet ex ejus Constitut. incip. *Ad celeres*, relata a Tamburin. *l. c. n.* 64.

65 *Congregatio Cisterciensis B. Mariae Virginis Calabriae, et Lucaniae* excitata est circa annum 1633. a D. Emmanuele de Pelusio vigore Bullae Urbani VIII. incip. *Sacrosancti Apostolatus*, relat. a Tamburin. *l. c. n.* 65.

66 *Scotorum Congregatio* sub Regula S. Benedicti, a quo Fundatore, et quo tempore fuerit instituta, ignoratur, ut ex Alexandro de Roma *lib. de feroc. Scotorum c.* 12. refert Tamburin. *l. c. n.* 66. et de ipsa scribunt Trithemius *lib.* 1. *de VII. Illustr. Ordinis S. Benedicti c.* 3. et Arnold. Wion 1. *part. Ligni vitae* l. *c.* 11.

Sclavorum Cong. sub Regula S. Benedicti, a quo Fundatore, et quo tempore, et loco fuerit instituta, penitus ignoratur, ut fatetur Tambur. l. *c. n.* 67. et de ea scribunt Thithem. *lib.* 1. *cit. c.* 3. Arnold. Wion. *cit. cap.* 11. 67

Sub Regula S. Benedicti militarunt, et adhuc varii militant Ordines Militares, seu Equestres, et in primis militavit celebris *Templariorum Equitum Ordo*, sic dictus a Templo Hierosolymitano, prope quod ejus Hospitale primum eorum domicilium est erectum, et institutus fuit circa annum 1118. a novem Equitibus Gallis, quorum duo tantum a Scriptoribus nominantur, nempe Hugo de Paganis, et Gaufridus a S. Audomaro; at ipsis Equitibus data est Regula a S. Bernardo in Concilio Trecaensi in Gallia celebrato anno 1127. nono post eorum institutionem, ad requisitionem Balduini Regis Hierosolymorum, ut apparet ex ejus Epistola ad d. Sanctum directa, et relata a Tamburin. l. *c. n.* 70. Talis autem Ordo extinctus est in Concilio Viennensi in Delphinatu a Clemente V. Constit. 3. incip. *Ad providam*: Tamburin. *l. c. n.* 70. Marulus in *Ocean. Relig.* l. 3. *p.* 215. Franciscus Mennenius *de Origine Ord. Milit. tit. Templar. Equit. Ordo p.* 34. Barbosa l. *c. n.* 76. *et seq.* ubi ad rem vide *ibi usque ad n.* 79. *inclusive*. 68

S. Salvatoris Equitum Ordo institutus fuit in Aragonia sub Regula S. Benedicti, et Institutis, ac Legibus Templariorum, ab Alphonso Navarrae, et Aragoniae Rege, circa annum 1118. Franciscus Mennenius *lib. de Origine Ord. Militar. tit. Ord. Equitum S. Salvatoris p.* 38. Tamb. *l. c. n.* 71. 69

Avisiensium, sive de Avis Equitum Ordo, sic dictus ab Oppido *Avis* in tractu Transtagnano, triginta millia passuum ab Ebora distante, ubi primarium hujus Militiae Domicilium adest, institutus est ab Alphonso Henriquez primo Lusitaniae Rege, an. 1146. Barbosa l. *c. n.* 80. Tamburin. *l. c. n.* 72. Franciscus Mennenius *cit. tit. Ordo Equitum de Avis pag.* 71. et alii. 70

Calatravae Equitum Ordo sub auspiciis Sancii III. Castellae, et Ferdinandi Legionis, et Galliciae Regum, anno 1178. erectus est a S. Raymundo Titerii Abbate, et Didaco Velasquio Alphonsi Regis jam generoso milite, et est sic dictus a *Calotravae* Oppido, ubi primum et praecipuum hujus Militiae Domicilium est, et approbatus fuit ab Alexandro III. sub Regula Cisterciensium, Constit. 5. incip. *Benedictus*, et ab Innocentio III. Const. incip. *Quoties*. Tamburin. *l. c. n.* 73. Barbosa l. *c. n.* 81. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 4. *cap.* 5. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 3. *p.* 226. et alii. 71

Gladiferorum Equitum Ordo erectus est circa annum 1164. in Livoniae Regnis a Maynardo Si- 72

gibergensi Monacho Cisterciensi, et est sic dictus ab ejus insignibus, qui sunt duo Gladii forma Crucis decussatim positae rubescentes: Chrysostomus Henriquez *in Menolog. Cisterciens. sub Kal. Jun. p.* 181. Franciscus Monnenius *lib. de Origine Ord. Militar. tit. Gladiferorum Ordo p.* 39. Tamb. *loc. c. n.* 75. Hic Ordo, teste Mennenio *l. c.* confirmatus ab Innocontio III.

73 *Equitum S. Juliani de Pereyro Ordo*, sic dictus a S. Juliani de Pereyro Oppido, Dioecesis Civitatensis, ubi primum et praecipuum habet Domicilium, institutus fuit sub Regula S. Benedicti, et institutis Cisterciensium anno 1170. sub auspiciis Ferdinandi II. Castellae, Galliciae, et Legionis Regis, ab Nobilissimo Equite Gomezio Fernando, et confirmatus fuit ab Alexandro III. Constitut. incip. *Quoties*. Tamburin. *l. c. n.* 75. Bernard. de Britto *in Chronic. Cisterciens. tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 3. Tapia *in Authent. Ingressi ad Sacrosanct. Eccles. verb. Monasteria c.* 42. et alii.

74 *Equitum Montis gaudi; Ordo*, in Regno Hierosolymitano, originem habuit circa annum 1180. quo anno sub Regula, et Constitutionibus Cisterciensium approbatus fuit ab Alexandro III. particulari Diplomate, quod, teste Francisco Radesio Calatravae Equite, asservatur in Archivio Calatravensi: Chrysostomus Henriquez in *Menologio Cisterciens. p.* 38. *et p.* 276 Tamburin. *l. c. n.* 76. Franciscus Mennenius *de Orig. Ord. Militar. p.* 38. et alii.

75 *Ordo Equitum S. Georgii de Alfama*, sic dictus ab Alfamia Arce in Littore Maris Balearici, in Principatu Catalauniae, Dioecesis Dertusen. sita, apud quam erectus fuit sub Regula S. Benedicti, et Constitutionibus Cistercien. anno 1201. a Petro II. Aragoniae Rege; Tamburin. *l. c. n.* 87. Marulus *in Oceano Relig. p.* 229. Barbosa l. c. *n.* 83.

76 *Ordo Equitum S. Michaelis, seu de Ala*, sic dictus, quia insigne, seu Symbolum, et tessera hujus Militiae est Ala S. Michaelis purpurea intermicantibus radiis aureis supra sinistrum latus, institutus est ab Alphonso I. Lusitanorum Rege, anno 1166. apud Alcobaciae Coenobium Cisterciense in Lusitania, sub Regula Sancti Benedicti, et Institutis Cisterciensium: Bernard. de Britio *Chronic. Cisterciens. tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 18. *et* 19. Tamburin. *loc. cit. n.* 78. Barbos. *loc. cit. n.* 82. et alii.

77 *Alcantaras Equitum Ordo* apud Hispanos institus primum fuit in Oppido *Pereyro* ad ripam Goae, sito, sub patrocinio S. Juliani, et Regula S. Benedicti cum Constitutionibus Cisterciensium, a Nobili quodam Equite D. Suerio circa annum 1176. vel secundum alios, 1185 Deinde anno 1218. a Nunio Fernandez S. Juliani Militum Magistro hujus Militiae Domicilium translatum est ad Alcantaram in Regno Castellae ad Tagi fluminis ripam, locum donantibus Martino Fernandez de Quintano duodecimo Calatravae Magistro, et Equitibus ejusdem Ordinis sub quibusdam conditionibus, quas ex Rades de Audrada refert Azorius *Institut. moral. part.* 1. *lib.* 13. *cap.* 5. *quaest.* 3. *vers. Sunt item Milites Alcantarae*; Unde ab Alcantara, suppresso priori nomine S. Juliani, dicti sunt in posterum *Equites Alcantarenses*. Et hic Ordo primo confirmatus fuit a Benedicto XIII. Antipapa, quem ut verum Pontificem habebat Hispania. Et postea a Julio II. Constitut. 16. incip. *Romani*, Barbosa *loc. cit. n.* 83. Tamburin. *loc. cit. n.* 79. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 4. *cap.* 6. Mennen. *libr. de Orig. Milit. Equest. tit. Alcantara, pag.* 45 et alii.

Montis franci Equitum, sive Equitum de Monfranc Ordo surrexit sub Regula S. Benedicti, et Constitutionibus Cisterciens. in Regno Castellae circa annum 1221. et est sic dictus a praecipua conventus Sede, quae fuit in Castro de *Monfranc* in ipso Regno Castellae: Chrysost. Henriquez *in Menologio Cisterciens. p.* 176. Tamburin. *loc. cit. n.* 81. Franciscus Mennenius *lib. de Origin. Ordin. Milit. p.* 48. et alii. 78

Truxillensium Equitum Ordo, sic dictus a Civitate *Truxillo* in Hispania, in qua incaepit anno 1227. cui Alphonsus Rex, Diplomate condito, Truxillum cum aliis Oppidis, et praediis ditissimis concessit: Chrysostom. Henriquez *in Menolog. Cisterciens. p.* 276. Tamburin. *loc. cit. n.* 82. et alii. 79

Montesiae Equitum Ordo, sic dictus a Castro *Montesiae*, ubi primum, et praecipuum hujus Militiae Domicilium erectum est, institutus est anno 1316. sub Regula S. Benedicti, et Constitutionibus Cisterciens. a Iacobo II. Aragoniae, et Valentiae Rege, et confirmatus a Joanne XXII. summo Pontifice per ejus Bullam datam Avenione 4. Idus Junii, Pontificatus sui anno primo, quae inserta est in principio Constitutionum dicti Ordinis impressarum Valentiae de anno 1573. Barbosa *loc. cit. n.* 85. Tamburin. *loc. cit. n.* 33. Marulus *Ocean. Relig. lib.* 3. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 4. *cap.* 4. et alii. 80

Equitum Jesu Christi Ordo apud Lusitanos, sub Regula S. Benedicti, et Constitutionibus Cisterciens. sub Jesu Christi nomine, et patrocinio, institutus fuit a Dionysio Perioca Lusitaniae Rege, S. Elisabethae Reginae Marito, anno 1319. cui Ordini bona omnia, quae in Lusitania, et Algarbiorum Regnis habebant Templarii, sunt applicata, ut vicinorum Saracenorum incursibus resisterent, ut apparet ex Litteris Joannis XXII. relatis a Tamburin. *loc. cit. nu.* 84 Barbosa *loc. cit. n.* 84. Marulus *in Oceano Relig. lib.* 3. *pag.* 126. Mennenius *lib. de Origin. Ordin. Milit. tit. Equitum Christi Ordo*, et alii. 81

Equitum S. Stephani Ordo apud Florentinos institutus fuit anno 1560. sub Regula Sancti Benedicti, ac nomine Sancti Stepani Papae, et Martyris, a Cosmo I. Mediceo Magno Etruriae Duce, ad arcendos Mauros, et Turcas, et Piratas a Tyrrheno mari, et confirmatus fuit a Pio IV. Constit. incip. *His, qui pro Religionis propagatione;* Barbosa *loc. cit. n.* 86. Tamburin. *loc. cit. n.* 85: Morigia *de Orig. Relig. lib.* 4. *cap.* 8. et alii. 82

83 *Equitum S. Mauritii Ordo* apud Sabaudos institutus sub Regula S. Benedicti anno 1572. a Duce Sabaudiae Emmanuele Philiberto, Emanuelis Regis Lusitaniae ex filia Catharina Nepote, ad Sabaudiam ab Haereticis illaesam tutandam, et conservandam, deinde totam Italiam, cujus ipsa est Claustrum, et munimentum, et confirmatus fuit a Greg. XIII. Constitut. 6. incip. *Christiani populi.* Auctus est Ordo Sancti Mauritii Ordine S. Lazari Hierosolymitani, quem ipsi univit Gregor. XIII. Constitut. incip. *Pro commissa.* Unde appellatur nunc Ordo Equitum Sancti mauritii, et Sancti Lazari; et ubi primum Tessera Ordinis Sancti Lazari erat Crux viridis, et Ordinis S. Mauritii Crux candida, in hac unione decretum est, Equitem in posterum, pro insigni suae Militiae, intra Crucem viridem Crucem candidam ponere debere, et communia utriusque Militiae privilegia esse: Barbosa *loc. cit. n.* 87. Tamburin. *loc. cit. n.* 86. Marulus *in Ocean. Relig. libr.* 3. *pag.* 207. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 4. *cap.* 7. Mennenius *loco citat. tit. Ordo Equitum Sancti Mauritii pag.* 24. et alii.

84 *Ordo Equitum Sancti Bernardi* in Hispania sub Regula Sancti Benedicti extitit, et militavit usque ad tempora Petri Regis Castellae, qui eum extinxit: Chrysost. Henriquez in *Menologio Cisterciens. sub die* 20. *Augusti pag.* 270. Jo: Mariana in *sua Historia de Ordinibus S. Bernardi;* Tamburin. *loco cit. n.* 87. A quo tamen Institutore initium sumpserit, non insinuant.

Additio Nova.

* Quae in hoc Articulo Lucius noster de Ordinibus, qui S. Benedicti Regulam profitentur, ex Tamburino, aliisque tradidit, exigenda sunt ad Scriptores, quorum Opera in nostris Additionibus indicavimus, praesertim vero ad Annales Ordinis S. Benedicti a Mabillonio quam diligentissime scriptos. Maximum quoque lumen istis afferent *Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti in seculorum classes distributa;* in quibus colligendis, et adnotationibus illustrandis Lucas Acherius, Iohannes Mabillonius, ac Theodoricus Ruinartius ex S. Mauri Congregatione Monachi elaborarunt, Gallia Christiana, Italia Sacra, aliaque ejusdem generis Opera, quae hic commemorare, cum in eruditorum hominum manibus versentur, supervacaneum esset. 85

ARTICULUS V.

QUO AD QUARTAM PRINCIPALIOREM REGULAM, ET MILITANTES SUB IPSA.

SUMMARIUM

1. Quarta principalior regula est S. Patris N. Francisci, Deo sibi revelante, et de verbo ad verbum dictante, ab eodem conscripta, *ad num.* 2. — 3. Religio Fratrum Minorum incoepit anno 1208. et fuit confirmata sola vivae vocis Oraculo ab Innocentio III. anno 1210. et iterum in Concilio Lateranensi anno 1215. Et deinde cum propria Regula confirmata fuit ab Honorio III. anno 1223. Constit. 5. incip. *Solet annuere.* — 4. Sub Seraphici P. N. S. Fr. Regula militant omnes illi Fratres Minores, qui dictam Regulam sine alia dispensatione ad litteram observant, quorum alii vocantur *Observantes*, alii *Recollecti*, alii *Discalceati*, alii *Reformati.* — 5. Supradicti omnes Fratres Minores degunt sub Obedientia unius, ejusdemque Generalis, serie non interrupta a S. P. N. Francisco in Generalatu succedentis. — 6. Unde ipse solus utitur sigillo totius Ordinis, et se nominare potest, et nominat *Generalem totius Ordin. S. Francisci, seu Fratrum Minorum.* — 7. Sub Obedientia praedicti Ministri Generalis totius Ordinis degunt etiam variae Provinciae Fratrum Discalceatorum Tertii Ordinis, insuper et Conceptionistae. — 8. Sub eadem S. P. N. Francisci Regula in sua primaeva puritate militant, eamque exactissime ad litteram observant PP. Capuccini. — 9. Patres Capuccini sunt veri Fratres Minores, et Filii S. P. N. Francisci. — 10. Sub eadem Regula S. P. N. Francisci, non in suo rigore, et ad litteram, sed cum certis dispensationibus Apostolicis militant PP. Conventuales — 11. Ex iis prodierunt Patres, dicti Minores Conventuales reformati. — 12. Ipsis Minoribus Conventualibus reformatis unita fuere loca, et bona Fratrum Minorum Discalceatorum per Italiam degentium. — 13. Sub S. P. N. Francisco militant etiam Moniales Clarissae a S. Clara sic dictae, quarum Regulam a S. P. N. Francisco institutam approbavit Innoc. IV. et deinde moderarunt alii Pontifices. — 14. Item sub S. P. N. Francisco militat Tertius Ordo de Poenitentia ab ipso Seraphico P. institutus sub propria Regula confirmata a Nicolao IV. — 15. Hic tertius Ordo nedum floret in Conjugatis, et solutis utriusque sexus in propriis privatis Domibus in saeculo degentibus; sed etiam in Fratribus, et Monialibus in communi intra Claustra viventibus, et tria substantialia vota solemniter emittentibus, pro quibus Regulam reformavit, et approbavit Leo X. — 16. Regularis hic tertius Ordo habet Generalem ad triennium. — 17. Ex iis Tertiariis sunt alii Reformati, qui coeperunt in Gallia anno 1595. — 18. Ab Ordine, seu Religione Seraphici P. N. S. Francisci originem, seu progressum, vel dependentiam habuerunt varii alii Ordines, seu Congregationes Regulares, et signanter praeclarus Ordo S. Francisci de Paula. — 19. Item Congr. Monialium Immaculatae Conceptionis. — 20. Item Congr. Monialium Annunciationis B. Mariae Virginis. — 21. Item Congr. Monialium vulgo Capuccinorum, et quare sic dictae? — 22. Item Reformatio Carmelitarum Discalceatorum. — 23. Insuper ab Ordine, seu Religione S. P. N. Francisci originem, seu progressum, vel dependentiam habuerunt variae aliae Congr. Regulares, et Saeculares utriusque sexus, et signanter Cong. Minimorum, et alia hominum Cong. dicta Sanctae Crucis. — 24. Item Congr. Ursolinarum. — 25. Item Congr. B. Petri de Pisis. — 26. Item Congr. S. Hieronymi in Hispania. — 27. Item Congr. S. Hieronymi de Fesulis. — 28. Secundum aliquos etiam S. Ignatius Loyola Fundator Praestantissimae Societatis Jesu fuit prius professus Tertii Ordinis S. P. N. Francisci. — 29. Item Congr. S. Birgittae. — 30. Item Congr. Dominarum Oblatarum Turris speculorum in Urbe. — 31. Item Congr. Dominorum de Robaodo in Civitate Massiliae. — 32 Item Congr. S. Mariae Charitatis in Gallia. — 33. Item Congr. Convertitarum in Gallia. — 34. Item Cong. pauperum infirmorum. — 35. Item Congr. Monialium S. Joannis Hierosolymitani in Portugallia. —

36. Item Celebre Monasterium Convertitarum aedificatum Parisiis. — 37. Item Patres Carthusiani introducti fuerunt in Civitatem Venetiarum opera nostri Sancti Bernardini de Senis. — 38. Item Hospitale Pietatis in eadem Civitate Venetiarum. — 39. Item Societas mortis in Civitate Mantuae. — 40. Item Hospitale pro pauperibus infirmis in Civitate Bononiae; Societas, seu Confraternitas Disciplinantium in Civitatibus Perusiae, Fulginei, Spoleti, et alibi. — 41. Item Societas, seu Confraternitas SS. Sacramenti. — 42. Item Hospitale in Civitate Veronae — 43. Item Confraternitates disciplinantium, Archiconfraternitas Confalonis, Archiconfraternitas Sacrorum Stigmatum Seraphici P. N. S. Francisci. — 44. Insuper Montes pietatis. — 45. Etiam Ordines Militares, et Equestres, vel promoti, vel dependentes sunt ab Ordine S. P. N. Francisci, et in primis Equestris O. S. Sepulcri. — 46. Affertur formula Litterarum, quae ipsis novellis creatis Equitibus S. Sepulcri a Patre nostro Guardiano Jerusalem in dies conceduntur. — 47. Assignantur privilegia Equitum S. Sepulcri Jerusalem. — 48. Item Equitum Militiae Jesu Christi Ordo — 49. Item Equitum Ascensionis Jesu Christi Ordo. — 50. Item Conceptionis S. Mariae Virginis Equitum Ordo. — 51. Ordo noster Seraphicus, ex revelatione S. P. N. Francisco facta a Christo Domino in Monte Alvernise, usque in finem saeculorum in sua perfectione, et puritate est duraturus, et a Deo conservandus. — 52. Affertur Encomium ei datum a Gregorio IX. — 53. Affertur aliud ei datum a Nicolao III. — 54. Affertur aliud ei datum a Clemente V. — 55. Ad complementum affertur novissima Constitutio Benedicti XIII. dirimens Controversias de ejus Primatu, et Anterioritate, et confirmans aliam suam Constitutionem incip. *Paternae Sedis*, editam ad favorem Minorum de Observantia pro suis Tertiariis.

1 Quarta principalior Regula est S. P. N. Francisci, qui eam sibi imediate a Deo revelatam, et de verbo ad verbum sibi dictatam, et traditam conscripsit, prout non tantum ipsemet S. Pater saepe est fassus, sed et plures Pontifices contestati sunt, inter quos Gregorius IX. *in Regul. FF. Minor. c.* 1. et Nicolaus III. *arg. c. Exiit* 3. *de verbor. significat. in* 6. Quod ipsum etiam ipsemet Christus revelavit S. Birgittae *lib.* 7. *Revelationum cap.* 29. his verbis: « Istius Francisci Regula, quam ipse incoepit, non fuit dictata, et composita ab ipsius humano intellectu, et prudentia, sed a me secundum meam voluntatem: quodlibet ejus verbum, quod in ea scriptum est, de Spiritu Sancto est ». Sic Waddingus *ad annum* 1223. *n.* 13. Dominicus de Gubernatis *in Orbe Seraphico tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. Reiffenstuel. *lib.* 3. *Decretal. tit.* 31. *num.* 47. et alii. Unde contristatus aliquando Sanctus Pater Franciscus de aliquibus Regulae transgressionibus, quae jam suo tempore in Ordine irrepserant, a Christo hanc habuit increpationem: « Cur tu pauper homuncio turbaris? An Ego te super Religionem meam Pastorem sic constitui, ut me principalem Patronum nescias? Hominem simplicem te constitui, ad hoc, ut quae in te fecero, non humanae industriae, sed supernae gratiae adscribantur, et quantiscumque fuerit impulsibus paupercula haec concussa Religio, semper salva meo munere manebit ». Waddingus, Gubernat. Reiffenstuel *loco citat.* ac *in Cronico Ordinis.*

2 Clarius adhuc, et evidentius, plurimisque audientibus expresse revelavit Christus Regulam, et Religionem S. Francisci immediate a se fuisse institutam: Dum Fratre Elia Generali, inito cum aliis consilio, relaxationem Regulae petente, ac contra nimium rigorem protestante in monte Raynerio ad Christum clara voce, Fratre Elia, et aliis praesentibus, dixit Franciscus: « Domine nonne dixi, hos mihi non credituros »? Ad haec enim verba illico in nube lucida apparens Christus, spectantibus, et audientibus omnibus contra Regulae rigorem cum Elia Generali conquerentibus, sensibili, et clara voce ita respondit: « Homuncio, quid turbaris, quasi tuum hoc opus esset? Tune Legislator? Tune hujus vitae Praeceptor? Nonne hae Tabulae a me formatae? tu dumtaxat tenue hujus operis instrumentum, et calamus scribentis. Novi ego quid dictaverim. Novi quid velim praecipere, vires humanae mihi compertae: scio quid possunt, et quid ego valeo, et volo praestare subsidium. Volo proinde, ut Regula haec observetur ad litteram, sine Glossa, sine Glossa, sine Glossa ». Quibus dictis conversus ad congregatos Franciscus dixit: *audistis? audistis?* Elias vero, ac ceteri coelesti voce quidem territi, a proposito tamen suo necdum penitus desistentes rogare coeperunt, ut eisdem, instar aliarum Religionum, saltem in communi aliquid possidere liceret: ad quae Christus a S. Francisco interpellatus, denuo voce clara et sensibili, omnibus audientibus respondit; « Ego pars, et hereditas eorum ero, quandiu curaverint, ut hanc Regulam observent, et quo major erit eorum numerus, eo major in eos mea videbitur providentia ». Quod sane Divinum promissum mirabiliter adimpleri continua experientia in omnibus quatuor Mundi partibus clare cernitur cum, non obstante, quod Religio S. Francisci adeo creverit, ut teste Ludovico Granatensi *conc.* 2. *de S. P. Francisco,* numerus Provinciarum, Monasteriorum, et Fratrum superet omnes Religiones, et Ordines simul sumptos, quod idem Hieronymus Platí S. I. *lib.* 2. *c.* 22. *et* 24. *de propagand. Relig.* et alii testantur, veritate in facto testimonium perhibente. Hactenus Reiffenstuel *loc. cit. n.* 48.

Incaepit autem Religio Seraphici P. N. S. Francisci, quam Fratrum Minorum appellari voluit, anno 1208. Pontifice Innocentio III. qui eamdem solo tamen vivae vocis Oraculo confirmavit anno 1215. At quia ab ipso Innocentio III. non fuerat scriptis tradita Bulla dictae confirmationis, eamdem scriptis confirmavit anno 1223. ejus successor Honorius III. Constitut. 5. incip. *Solet annuere.* 3

Sub Seraphici P. N. S. Francisci Religione, ejusque sanctissima Divinitus accepta, et sibi imme- 4

diate a Christo dictata Regula militant omnes illi Fratres Minores Franciscani, qui dictam Regulam, sine ulla dispensatione ad litteram observant, quorum alii vocantur *Observantes*, scilicet Regulam, desumpto nomine ab Observantia Regulae in suamet puritate. Alii, ut in Gallia, et Belgio, vocantur *Recollecti*. Alii, ut in Hispania, et partim in Italia, vocantur *Discalceati*. Alii, ut in Italia, et Germania, vocantur *Reformati*.

5 Supradicti omnes Franciscani, seu Fratres Minores Regularis, et strictae Observantiae degunt sub Obedientia unius, ejusdemque Generalis, serie non interrupta a S. P. N. Francisco in Generalatu succedentis, ut declaravit Leo X. Const. 26. incip. *Licet alias*. Unde solus ipse utitur Sigillo totius Ordinis, et solus ipse se nominare potest, et nominat « Generalem totius Ordinis S. Francisci, seu Fratrum minorum », ut statuit Leo X. Constit. incip. *Ite et vos in vineam meam*, et expresse definivit de mente Sanctissimi Sacr. Rit. Congreg. in Controversia super hoc mota anno 1625. quae duravit usque ad annum 1631. et resoluta fuit ut infra.

6 » Cum Procurator Generalis Fratrum Minorum » Conventualium S. Francisci sex ab hinc annis ac» gre ferret, Ministrum Generalem de Observantia » in praeteritum usum fuisse, et in praesentiarum » uti titulo, et sigillo cum inscriptione Ministri » Generalis totius Ordinis FF. Minorum, recursum » habuit ad Sanctissimum, supplicans mandari re» formari hujusmodi titulum tamquam non legiti» me dicto Ministro Generali de Observantia com» petentem, et supplicatione per Sanctissimum ad » hanc Sac. rituum Congreg. remissa, eadem Sac. » Congregatio discussionem hujus negotii ad refe» rendum usque de anno 1625. commisit Eminen» tissimo, et reverendiss. Domino Cardinali Muti, » coram quo, formato dubio, de consensu amba» rum partium: An titulus Ministri Generalis to» tius Ordinis FF. Minorum, quo insignitur Mini» ster Generalis Observantium, sit reformandus? » Utraque parte saepe saepius in facto, et jure de» super informante, et audita, ad relationem ejus» dem Eminentis. Cardinalis Muti causa accerri» me in plena Congregatione discussa; Sacra Ri» tuum Congregatio respondit, nihil innovandum, » et Ministrum Generalem de Observantia legiti» me usum fuisse, et uti posse Titulo, et sigillo » cum inscriptione Ministri Generalis totius Ordi» nis FF. Minorum, et ita servari mandavit. Ro» mae 22. Martii 1631.

C. Episcop. Portuen. Card. Pius.

In Regesto hujus Congreg. fol. 47. Vide verb. *Sigillum n.* 23. et 24. ubi expressius ad rem.

Hinc est, quod inter Generales Ordinis Minorum S. Francisci solus Generalis Ordinis Minorum de Observantia, una cum Generalibus aliarum Religionum assistit Capellae Sanctissimi D. N. Papae: ideo non immerito utitur Titulo Ministri Generalis totius ordinis. Vide d. verb. *Sigillum num.* 23. et 24.

Sub obedientia praedicti Ministri Generalis totius Ordinis degunt etiam variae Provinciae Fratrum Discalceatorum Tertii Ordinis. Insuper et Conceptionistae novissime florentes praesertim in Regno Poloniae, ut notat P. Petrus Antonius a Venetiis. *in Viridario Seraphico tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 15. *in fine*. 7

Sub eadem S P. N. Francisci Regula in sua primaeva puritate militant, eamque exactissime ad litteram observant PP. Capuccini, quorum Congregationem confirmavit Clemens VII. Constitut. 21. incip. *Religionis zelum*. Et deinde Paulus III. Constitut. 11. incip. *Exponi*, statuit, quod SS. Cappuccinorum nomen, et habitum, aliumque similem nulli usurpare liceat. Quod et confirmavit Gregor. XIV. Constit. 11. incip. *Beati Francisci* et Gregorius. XV. Constit. 15. incip. *Ex injunct.* Patres Capuccini sunt veri Fratres Minores, Filii S. P. N. Francisci, trahuntque Originem vere et linea non intermissa dicti S. P. N. Francisci; Urban. VIII. Constit. 68. incip. *Salvatoris*. 8 9

Sub eadem Regula P. N. Francisci, non in suo rigore, et ad litteram, sed cum certis dispensationibus Apostolicis militant *PP. Conventuales*, qui, sicuti alii Regulares, bona immobilia, et dominium in communi habere possunt, praesertim post acceptatum ab eis Indultum Concilii Tridentini *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 3. Non autem ex Indulto ipsis praetenso concesso ab Innoc. IV. anno 1244. seu 1247. 14. Kalend. Septembr. Constit. incip. *Quando studiosius*, ut varii falso censuere, et etiam in prima nostra editione *hoc ipso in loco* fuit inadvertenter traditum; Nam duobus primis seculis Franciscanis nullum privilegium, nulla dispensatio, nulla fuit habita concessio Apostolica, quibus redderetur licitus Fratribus Minoribus usus redituum, possessionum, aut bonorum immobilium, Sicque ante annum 1430. fuit illis semper illicitus. Et prima ad id dispensatio fuit ipsis provisionaliter concessa a Martino V. dicto anno 1430. die 23. Augusti Constitut. incip. *Ad statum Ordinis Minorum*. Et prima concessio succedendi in bonis temporalibus hereditariis, ac si essent in saeculo, fuit eis facta a Sixto IV. anno 1472. pridie Kalendas Martii Constit. incip. *Dum fructus uberes*; et non ex tam decantata Constitut. Clementis IV. incip. *Obtentu Divini Nominis* edita 2. Idus Febr. 1265; quae directa fuit tantummodo Magistro Generali, et Fratribus Ordinis Praedicatorum; sine ulla mentione Ministri Generalis, et Fratrum Ordinis Minorum, ut clare constat ex ipsa authentice extracta ex Secreto Archivio Vaticani, die Junii 1727. per D Jacobum Antonium de Pretis Praefati Archivii custodiae Praefectum, prout fideliter refertur in fine Epistolae quartae Boni amici ad Filaletem Adiaforum impress. Lucae per Sebastianum Dominicum Cappuri 1727. et in Apologia pro Ordine Fratrum Minorum *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. §. 1. novissime anno 1748. impress. Lucae apud Philippum Maria Benedini. Quae Con- 10

stitutio fuit specifice confirmata, et de verbo ad verbum relata a Nicolao IV. Constit. incip. *Cum olim*; et a Martino V. Constitut. incip. *Dudum* cum solo praedicto titulo. Hinc, praevio recessu a traditis *loco supra citato*, sistendum omnimode edico in hic expositis, et nullimode recedendum a laudata eruditissima Apologia pro Ordine Fratrum Minorum in tribus Tomis ordinatissime distributa, ubi abunde, solide, et inconcusse omnia ad evidentiam pro nostratibus de Observantia demonstrantur, ac comprobantur.

* In Clementis XIV. vita adjecta part. II. Vitarum Rom. Pont. Opera, et studio Antonii Sandinii, Edit. Patavinae MDCCLXXV. pag. 737. « Monachos Caelestinos in Gallia, et Congregationem » Canonicorum Regularium S. Rufi, petente Re» ge, absolvit. Ibidem Minores, Observantes dic» tos, ut etiam in Sabaudia, revocavit ad Ordinem » Conventualium, quos cum Romae ad S. Petrum, » tum Laureti Poenitentiarios constituit » *.

11 Ex iis prodierunt Patres dicti Minores Conventuales reformati, quos approbavit, et privilegiis, ac gratiis Conventualium non reformatorum frui voluit Sixtus V. Constitut. 68. incipient. *Apostolici*.

12 Et ipsis Minoribus Conventualibus reformatis univit loca, et bona Fratrum Minorum Discalceatorum per Italiam degentium, et ad eos transire indulsit Sixtus V. Constit. 69. incip. *Cum sicuti*.

13 Sub S. P. N. Francisco militant etiam Moniales Clarissae a S. Clara sic dictae, ut statuit Urban. IV. Constitut. 7. incip. *Beata*, quarum Regulam a S. P. N. Francisco institutam anno 1212. approbavit Innocentius IV. Constit. 11. incip. *Solet annuere*; quae postea, spectata feminarum imbecillitate, moderata fuit a variis Summis Pontificibus, et signanter ab Urbano IV. Costit. 7 incip. *Beata*, Eugenio IV. Constit. 28. incip. *Ordini*, Leone X Constit. 6. incip. *Cum sicut*, Pio IV. Const. 103. incip. *Sedis*

14 Item sub S. P. N. Francisco militat Tertius Ordo de Poenitentia ab ipso Seraphico Patre institutus anno 1221. sub propria Regula, quam confirmavit Nicolaus IV. Constitut. 2. incip. *Supra Montem*. Hic Ordo autem vocatur *Tertius* respectu duorum prius a Seraphico S. P. N. Francisco institutorum, scilicet Fratrum Minorum, et Pauperum Monialium; Tres enim Ordines ipse instituit, ut patet ex supra citatis, et aliis Pontificiis Constitutionibus. Unde Ecclesia Seraphica in tertia Antiphona ad Laudes Officii ipsius S. P. N. Francisci sub die 4. Octobris sic canit: *Tres Ordines hic Ordinat. Primumque Fratrum nominat Minorum, Pauperumque fit Dominarum medius. Sed Poenitentium tertius sexum capit utrumque*. Eumque *de Poenitentia* nuncupavit, quia fortassis, ut placet Divo Bonaventurae, sicut poenitentia est via communis ad Coelum, sic Ordo iste cujuscumque status, et sexus, viros, et feminas, Clericos, et Laicos, solutos, et ligatos, seu conjugatos amplectitur, neminem excludit, omnesque hunc Ordinem ingredi, illumque profiteri possunt. * Consulatur Opusculum hoc titulo impressum: *Dissertationes Critico-Historicas, in quarum una Seraphicus Patriarcha Franciscus Tertii Ordinis Institutor, in altera Indulgentiae Portiunculae veritas asseritur, vindicatur, Auctore F. Flaminio Annibali de Latera, Ordinis Minorum Romae MDCCLXXXIV. Ex Typographia Archangeli Casaletti*. *

Hic tertius Ordo a Seraphico P. N. S. Francisco institutus, nedum Sanctitate floruit, et adhuc in dies floret in conjugatis, et solutis utriusque sexus in propriis privatis Domibus in saeculo degentibus: sed etiam in Fratribus, et Monialibus in communi intra Claustra viventibus, et tria substantialia vota solemniter emittentibus, pro quibus Regulam reformavit, et approbavit Leo X. Constit. 42. incip. *Inter cetera*. 15

Regularis hic Tertius Ordo habet Generalem ad triennium, quem licet S. Pius V. Constit. 53. incip. *Ea est*, extinxerit, ac universos Fratres, et Sorores Tertii Ordinis praedicti sub gubernio Generalis, et Provincialium Ministrorum Ordinis S. P. N. Francisci de Observantia constituerit; Sixtus tamen V. Constit. 20. incip. *Romani Pontificis*, ad pristinum usum creandi Generalem per triennium, Ordinem restituit: Voluit tamen hunc Generalem electum, intra duos menses a Generali de Observantia confirmationem petere Et postea quomodo hic Ordo celebrare debeat Capitula, sive Generalia, sive Provincialia, statuit Clemens VIII. Constitut. 33. incip. *Decet*. 16

Ex iis Tertiariis sunt alii reformati, qui coeperunt in Gallia anno 1595. nam extincta fere memoria Regularis Observantiae Tertii Ordinis ob ilaereticorum pravitatem, et bella Civilia inibi quam maxime grassantia, Pater Vincentius Mussart Parisiensis, Praedicator Regius, eximiae probitatis vir, una cum P. Francisco Mussart germano suo, accitis etiam aliis Religiosis, ac piis viris praedicto anno reformationi hujusmodi auctoritate Clementis VIII. ita strenue operam dare incaepit, ut usque ad haec tempora quam plura antiqua Coenobia restauraverit, ac nova erexerit in diversis Galliae Provinciis: nec non in Burgundia, Lotharingia, et pluribus aliis locis; Et isti tertiarii gaudent plurimis privilegiis sibi per diversos Summos Pontifices concessis, et praecipue per Paulum V. Constit. incip. *Quae pro augenda*: Tamburin. *loc. cit. quaest.* 6. *num.* 8. Barbosa *loc. cit. num.* 178. Heronym. Roderic. *in Compend. quaest. Regular. resolut.* 136. et late P. Petrus Antonius de Venetiis *in Viridario Seraphico tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 13. et alii passim. 17

Ab ordine, seu Religione Seraphici P. N. S. Francisci originem, seu progressum, vel dependentiam habuerunt varii alii Ordines, seu Congregationes Regulares, uti, plurimis documentis adductis, refert P. Petrus Antonius de Venetiis in *Viridario Seraph. tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 18

18. et signanter Praeclarus Ordo S. Francisci de
Paula nati intercessione Seraphici P. N. S. Fran-
cisci, cujus et habitum induit, et Novitius exti-
19 tit (*) Dictus Auctor *loc. cit. cap.* 14. Item Con-
gregatio Monialium Immaculatae Conceptionis in-
stituta a B. Beatrice de Silva, in qua Congre-
gatione, sub directione Fratrum Minorum de ob-
servantia, floruit Venerabilis, et celeberrima So-
20 ror Maria de Agreda; Idem *loc. cit. cap.* 15
Item Congregatio Monialium Annunciationis B.
Mariae Virginis instituta B. Joanna Valesia Gal-
liae Regina, sub Regula composita a P. Nicolao
Gilberti nostri ordinis Franciscani: Idem *loc. cit.*
cap. 16.
21 Item Congregatio Monialium, vulgo Capuccina-
rum instituta est a V. Maria Longa Neapolitana,
sub Regula nostri Tertii Ordinis, quae deinde sub
gubernio Capuccinorum (unde dictae sunt Capucci-
nae) a tertia Regula transierunt ad primam S. Cla-
22 rae: Idem *loc. c. cap.* 17. Item Reformatio Carme
litarum Discalceatorum promota a nostro S. Pie-
tro de Alcantara, totam assistentiam, et curam, et
directionem ad id S. Theresiae praestante: Idem *l.*
cit. cap. 18.
23 Insuper ab Ordine, seu Religione S. P. N. Fran-
cisci Originem, seu progressum, vel dependentiam
habuerunt variae aliae Congregationes Regulares,
et Saeculares, utriusque sexus, uti, documentis ad-
ductis, refert dictus P. Petrus Antonius de Vene-
tiis *loc. cit. cap.* 19. Et signanter Congregatio Di-
missarum institnta a Venerabili P. Antonio Paga-
no nostri Ordinis de Observantia, in Civitate Vi-
centiae; et alia hominum Congregatio dicta San-
ctae Crucis ab eodem Vener. Patre Antonio fun-
24 data. Item Congregatio Ursulinarum fundata a
Beata Angela de Desenzano, Oppido intra Vero-
nam, et Brixiam, Religiosa professa Tertii Ordinis
S. P. N. Francisci, approbata a Gregorio XIII. an.
1572. die 24. Novembris. Pro qua Congregatione
P. Franciscus noster Gonzaga, Minister Genera-
lis totius Ordinis, et deinde Episcopus Mantua-
nus, varias compilavit Constitutiones, sub quibus
adhuc vivunt cum Regula ab ipsa B. Angela com-
pilata, et a Paulo V. approbata; Idem *cit. cap.*
25 19. Item Congregatio B. Petri de Pisis fundata
ab ipso B. Petro de Pisis, et F. Angelo a Corsi-
ca, ambodus professis Tertii Ordinis S. P. N. Fran-
26 cisci; Idem *cit. cap.* 19. Item Congregatio S.
Hieronymi in Hispania fundata a B. Stopa, dicto
etiam Tomasuccio, professo nostri Tertii Ordinis:
Id. *cit.* 27. *c.* 19. Item Congregatio S. Hieronymi
27 de Fesulis fundata a Carolo Sacerdote Comite Mon-
tis Granelli, una cum Gualterio Marsio, ambodus
professis nostri Tertii Ordinis: Idem *cit. cap.* 19.
28 Ubi insuper addit, non deesse Auctores, qui refe-
rant S. Ignatium Loyolam, Fundatorem praestan-
tissimae Societatis Jesu, fuisse prius professum Ter-
tii Ordinis S. P. N. Francisci, uti inter alios te-
statur Franciscus Bordonus a Parma, qui fuit Ge-
neralis Tertii Ordinis anno 1654. in Historia ejus-
dem Tertii Ordinis impressa Parmae anno 1658.
apud Marium Vignolam, ubi sic scribit: « Non-
nulli etiam asserunt, S. Ignatium Fundatorem Sa-
pientissimae Societatis Jesu fuisse Tertii Ordinis
S. Francisci ex prima institutione, eo quod in
ejus vita, et Bulla Canonizationis extensa ab Ur-
bano VIII. §. 13. scribitur: Aspera talari tuni-
ca indutus, fune praecinctus, nudo Capite, ba-
culum manu gestans etc. Tertii Ordinis Franci-
scani potissimum exteriori signo demonstratur
per funis precinctionem, ut notum est; Habuit
etiam Franciscanum etc. » Haec ille, alia ad rem
subdens.

* Verum ex S. Ignatii Vita a Joanne Petro Maf-
feio, aliisque descripta, Sanctum hunc S. Francisci
Ordini nunquam nomen dedisse liquet. Vide Bol-
landianos in Comment. praev. ad vitam S. Ignatii
§. IV. n. 41.

Item Congregatio S. Birgittae, Principissae Ne- 29
riciae, fundata ab ipsa S. Birgitta Professa Tertii
Ordinis S. P. N. Francisci; Idem *cit. cap.* 19. Item 30
Congregatio Dominarum Oblatarum Turris Specu-
lorum in Urbe, fundata a S. Francisca Romana pro-
fessa nostri Tertii Ordinis; Idem *cit. cap.* 19. I- 31
tem Congregatio Dominorum de Robando, in Ci-
vitate Marsiliae fundata a B. Hugone de Digna,
doctrina, et miraculis claro, et celeberrimo con-
cionatore nostri Seraphici Ordinis; Idem *cit. cap.*
19. Item Congregatio S. Mariae Caritatis in Gallia, 32
fundata a B. Guido, Domino Montis Sancti Geor-
gii, Professo nostri Tertii Ordinis: idem *cit. c.* 19. 33
Item Congregatio Convertitarum in Gallia sub Re-
gula nostri Tertii Ordinis Poenitentium, fundata a
B. Joanne Tessirando Doctore Parisiensi, Confes-
sore, et intimo consultore Annae Reginae Fran-
ciae; Idem *cit. cap.* 19. Item Congregatio Paupe- 34
rum infirmorum fundata a B. Bernardino de Obre-
gon, Hispano nostri Ordinis Franciscani; Idem *cit.*
cap. 19. Item Congregatio Monialium Sancti Jo- 35
annis Hierosolymitani, fundata in Portugallia a Lu-
dovico filio Emmanuelis Regis Portugalliae sub Cu-
ra, et Gubernio Fratrum Minorum de Observan-
tia; Idem *cit. cap.* 19. Item celebre Monasterium 36
Convertitarum aedificatum Parisiis a S. Ludovico
IX. Rege Francorum, et Tertii Ordinis S. P. N.
Francisci: Insignia duo Monasteria S Mariae Mag-
dalenae, et S. Mariae Ægyptiacae ad eumdem fi-
nem aedificata Neapoli a B. Regina Sancia, vera fi-
lia S. P. N. Francisci, quamvis hodie sub guber-
nio Fratrum Minorum in ipsis non degant, nisi
Moniales virgines primae nobilitatis dicti Regni.
Alia plura Monasteria ad eumdem effectum aedifi-
cata variis in locis a S. Bernardino de Senis, S.
Jacobo de Marchia, Beato Bernardino de Feltria,

(*) Vide S. Francisci de Paula Acta apud Bollandianos ad diem 2. Aprilis, eademque ratione, quae proximis numeris narrantur, ad sincera, ac minime dubia monumenta exigi.

et ab aliis Religiosis Minoribus de Observantia; Id.
cit. cap. 19.
37 Item Patres Carthusiani introducti fuerunt in Ci-
vitatem Venetiarum opera nostri Sancti Bernardi-
38 ni de Senis; Idem *cit. cap.* 19. Item Hospitale Pie-
tatis in eadem Civitate Venetiarum, in quo reci-
piuntur pauperes filii illegitimi, institutum fuit
opera P. Petri de Assisio nostri Ordinis Francis-
39 cani; Idem *cit. cap.* 19. Item Societas Mortis in
Civitate Mantuae, cujus Officium est assistere Ju-
stitiatis, fuit promota, et erecta a B. Raimiro Pe-
40 rusino, nostri Franciscani Ordinis; Idem *cit. cap.*
19. Item ab eodem Beato Raimiro fundatum fuit
Hospitale pro pauperibus infirmis in Civitate Bo-
noniae, ac Societas, seu Confraternitas Discipli-
pinantium erecta in Civitatibus Perusiae, Fulgi-
41 nei, Spoleti, et alibi; Idem *cit. cap.* 19. Item So-
cietas, seu Confraternitas ss. Sacramenti erecta
fuit a nostro B. Cherubino de Spoleto, cujus ani-
ma fuit ad Coelum sociata a sexaginta sex mille
animabus suo medio ad aeternam Gloriam tran-
sactis; Idem *cit. cap.* 19. Item Hospitale in Civi-
42 tate Veronae erectum fuit opera nostri S. Joannis
de Capistrano; Idem *cit. cap.* 19. Item, plurimis
43 aliis relictis Congregationibus, et Societatibus e-
rectis a Sanctis, Beatis, et piis Religiosis Ordi-
nis S. P. N. Francisci, solum recensentur Con-
fraternitates disciplinantium prius fundatae a S.
Antonio de Padua, et deinde a S. Bernardino de
Senis, Archiconfraternitas Confalonis a S. Bona-
ventura Romae erecta, et celeberrima Archicon-
fraternitas Sacrorum Stigmatum Seraphici P. N.
S. Francisci Romae erecta, et jam per totum fere
44 Orbem extensa; Idem *cit. c.* 19. Et insuper Mon-
tes Pietatis inventi, et erecti fuerunt primo a B.
Barnaba ab Interamnia, deinde a B. Marco a Bo-
nonia, B. Cherubino a Spoleto, a S. Jacobo de
Marchia, a B. Angelo a Clavasio, a B. Bernardi-
no de Feltria, et ab aliis Religiosis omnibus nostri
Ordinis S. P. Francisci; P. Petrus Antonius de
Venetiis *in Viridario Seraphico tom.* 2. *part.* 7.
cap. 7. Vide *ibi*, ubi multa ad rem.
45 Nedum supra recensitae Congregationes, Socie-
tates, et Confraternitates, et Hospitalia, sed etiam
Ordines Militares, et equestres, vel promoti, vel
dependentes sunt ab Ordine S. P. N. Francisci. Et
in primis Equestris Ordo S. Sepulcri, qui licet fun-
datus longe ante ortum nostrae Seraphicae Religio-
nis, ut patet ex dictis *supra art.* 3. *n.* 97. tamen
certum est, Equites Ord. S. Sepulcri a solo nostro
P. Guardiano Sacri Montis Sion Jerusalem, tam-
quam Commissario, seu Vicario Apostolico, pro
ut ei fuit concessum ab Alexandro VI. anno 1496.
Committens facultatem (dicit Andreas Favinus apud
P. Petrum Antonium de Venetiis in *Viridario
Seraphico tom.* 2. *part.* 1. *cap.* 20.) « suo Vica-
rio Generali Guardiano Sancti Sepulcri, qui sem-
per est de Ordine Minorum Sancti Francisci de
Observantia, conferendi dictum Ordinem Peregri-
nis, et venientibus in Terram Sanctam ». Quae

concessio fuit iterum confirmata a Summis Ponti-
ficibus Leone X. Clemente VII. et Urb. VIII. et
in praxi gloriosissime perseverat, ut videre est
apud Petrum Antonium de Venetiis *citat. Vir.
Seraph. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 20. *et pag.* 6. *cap.*
8. ubi per extensum dat formam, et modum eos
creandi, et tradit formulam Litterarum, quae
ipsis Novellis creatis Equitibus Sancti Sepulcri a
d. nostro P. Guardiano Jerusalem in dies conce-
duntur, et est ut sequitur.
Fr. N. N. Ord. Minor. Regul. Observantiae 46
Provinciae N. etc. in partibus Orientis Commis-
sarius Apostolicus, Terrae Sanctae Custos, et Sa-
cri Montis Sion Guardianus, et servus.
Universis, et singulis praesentes nostras inspec-
turis, lecturis, et legi audituris, Salutem in Domi-
no sempiternam.
« Ex antiquissimis rerum gestarum monumentis
didicimus, Invictissimos Heroes Carolum Magnum
Imperatorem semper Augustum, sanctumque Lu-
dovicum Gallorum Regem, ac alios quam plurimos
Christianae Reipublicae Magnanimos Reges, et
Principes, honoris Dei, Orthodoxaeque Fidei ne-
dum Zelatores, verum etiam strenuissimos Defenso-
res, tantum, ut nefariis devictis Saracenis, Jerosoly-
mam expugnare, Gloriosique Resurgentis Domini
Nostri Jesu Christi Mausoleum libere custodire va-
lerent, se, bonaque propria, immortali voto jam
praemisso, sponte obligasse, et emancipasse; quare
inter alias Christianorum Principum contra prae-
fatos infideles demandatas expeditiones sub prae-
claro Duce Gottifredo Builion, trecentorum millium
a Sum. Pontif. signatorum Militum comparato
exercitu, Anno denique nonagesimo nono supra
millesimum ab Incarnatione Domini, partim cae-
sis, partim in fugam ejectis hostibus, S. Jerosoly-
morum Urbem, summa cum laetitia, ingentique
gaudio triumphantes ingressi, unanimi exercitus
consensu, praefatum Ducem Gottifredum Jerusa-
lem Regem proclamarunt, ac Domini Nostri Jesu
Christi monumentum ardenti (ut flagrabant) ani-
mo in custodiam acceperunt, ibique Sacrum ejus-
dem Gloriosissimi Sepulcri Equitum Ordinem sub
certis quibusdam Regulis, et Constitutionibus fun-
davere, ac plurimos Illustrissimorum Virorum mi-
lites creavere, quos et quinque rubeis Crucibus ob-
signarunt, atque armarunt, decernentes in poste-
rum, ut eas vestibus appositas, tam in bello, quam
in Regum, Principumque aulis, ac fidelium quo-
rumcumque caetibus (ut ex praefatarum Ordina-
tionum vigesimo nono capite liquido constat) de-
ferre tenerentur. Cujus quidem nobilissimi Ordi-
nis Christianissimi Reges, eximiique Magistri, ut
Erectores, ita et successores fuerunt, Sed proh do-
lor! Capta iterum ab Infidelibus Jerosolyma, cun-
ctisque ab Asia pulsis Catholicis, Sacer hic Eque-
stris SS. Sepulcri Ordo, qui tunc ex Lege Jeroso-
lymis armari tenebatur, extinctus pene remansit,
atque sopitus; donec tandem per Devotissimum
utriusque Siciliae Regem Robertum, magna cum

difficultate, maximisque sumptibus, obtenta ab Ægypti Soldano, Anno Domini 1303. pro Seraphicae Religionis familia in praegrandi Gloriosissimi Sepulcri Templo commorandi facultate: Leo postmodum X. Pontifex Maximus, qui praefato Ordini satis addictus erat, piisque ejusdem votis summopere ad innovandam, nedum antiquissimi hujus Militaris Instituti fere abolitam memoriam, verum etiam ad augendam Christifidelium pietatem, eorumque animos pro Sanctorum Locorum recuperatione excitandos, praedicto Sacrae Montis Sion Guardiano, ejusque Successoribus pro tempore existentibus, Anno Dominicae Incarnationis 1518. pridie Nonas Februarii, hujusmodi Milites, et SS. Sepulcri Equites, ut olim, creare, ordinare, ac instituere sponte concessit, atque mandavit; quod quidem tam feliciter exequutum est, ut dehinc milites quam plurimi creati fuerint, et in dies creentur. In quorum numerum a nobis dignissime relatum esse fidem facimus, et attestamur D. N. qui quidem praefati Ordinis laurea decorari, et insigniri splendoribus summopere cupiens, coram Nobis personaliter comparuit, humiliterque super hujuscemodi re grande sui animi desiderium exposuit, enixeque pro viribus Nos exoravit. Nos igitur piis ejus precibus intenti, justisque supplicationibus inclinati, solerti indagatione circa ea, quae ad Catholicae fidei puritatem spectant, prius facta, et diligenti inquisitione super his, quae, ex antiquissimis Legibus, in vero Christi Milite requirebantur, jam habita, eumque in omnibus idoneum, habilemque repertum praefati Sanctissimae Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi Sepulcri Apostolica auctoritate, qua in hac parte fungimur, Militem, et Equitem juxta morem solemuiter in proprio loco ejusdem Sanctissimi Sepulcri creavimus, ac quinque rubeis Crucibus insignivimus, ac condecoravimus; sicuti per praesentes ita a Nobis armatum, insignitum, ac condecoratum nominamus, declaramus, et publicamus, cum singulari potestate deferendi eas, tam publice, quam privatim, et pro insignibus, et vexillis utendi; nec non omnibus, et singulis privilegiis, Indultis, immunitatibus, gratiis, libertatibus, commoditatibus, et praerogativis, quibus ceteri ejusdem Equestris Ordinis Milites gaudent, vel in posterum gaudebunt, et potientur. In quorum omnium, et singulorum fidem praesentes has litteras manu nostra subscriptas, et Sigillo Gloriosissimae Resurrectionis Dominicae munitas, ac roboratas expediri mandavimus.

Dat. Jerosolymis in Conventu nostro Sancti Salvatoris Anno Domini etc.

Privilegia Equitum Jerosolymorum.

« In Nomine Domini Nostri Jesu Christi. Amen. Universis, et singulis praesentes Litteras inspecturis, visuris, et audituris, Nos Fr. Bonifacius de Ragusio Ord. Min. Observantiae Professor, Sac. Conventus Montis Sion Guardianus, aliorumque Locorum Terrae Sanctae Apostolica auctoritate Vicarius Generalis, nec non Praedicator Apostolicus, in Domino Salutem ».

« Notum sit, quod Nobiles, et Magnifici Domini Peregrini, qui hoc anno 1553. visitaverunt devotissime Dominicum Sepulcrum, et in eo honorifice Equites creati fuerunt, Nos suppliciter deprecati sunt, ut ob Jesu Christi memoriam, et ejus Ordinis reverentiam, eisdem privilegia Militum SS. Sepulcri exhiberemus: quarum precibus commoti, ex antiquis Chartis, et Libris a Summi Pontificibus, et Regibus Christianis privilegia Equitibus concessa describi jussisse profitemur, quae sunt hujusmodi ».

« Primo, quod tales Milites praecedere debeant reliquos cujuscumque Ordinis, seu Militiae, exceptis solis, qui *del Toloson d'Oro* vocantur.

« Secundo, item quod ipsi Milites possint legitimare eos, qui ex legitimo Matrimonio sunt nati, et mutare nomen Baptismale, et arma, seu stemmata concedere ».

« Tertio, item possint Notarios creare ».

« Quarto, item bona Ecclesiastica pro tuenda Christi Fide, etsi uxorati sint, possint tenere sine praejudicio Ecclesiae ».

« Quinto, item a Vigiliis tempore belli sint exempti, et ab hospitio Militum, et nemo ad hoc cogere eos possit ».

« Sexto, item ab omnibus gabellis, et tributis sint exempti, ubique Locorum tam vini, quam cervisiae, et aliorum etc. ».

« Septimo, item, quod possint vestiri sericis, holosericis, et hujusmodi vestibus, ut solent alii Equiter, et Doctores ».

« Octavo, item, quod Corpus patibulo suspensum, si in via repererint, exempto gladio praecidere possint, et ut sepulturae mandetur imperare ».

« Ideo Jure optimo eos dici non immerito, et Equites esse, ac valere, et gaudere omnibus bis privilegiis, sive immunitatibus, praerogativis, et praeminentiis, et aliis, quibus ceteri milites, uti, ac frui consuevere contestor. In quorum omnium fidem, robur, ac testimonium praesentes Litteras fieri curavimus, et Sigillo Sanctissimi Sepulcri D. N. J. C., nostroque Chyrographo communiri ».

Datum Jerosolymae in Conventu S. Salvatoris, Anno Dom. 1553.

LOCO ✠ SIGILLI.

Fr. Bonifacius, qui supra, manu propria.

48 Sic ex aliis refert dictus P. Petrus Antonius de Venetiis in *cit. Viridario Seraphico tom.* 2. *part.* 7. *cap.* 8. Vide ipsum *ibi*, ubi multa tradit ad rem.

Equitum Militiae Jesu Christi Ordo institutus fuit a Dionysio Rege Lusitaniae, et Marito S. Elisabeth Reginae, opera P. nostri Stephani Portu-

gallensis, intimi Consultoris, et Confessarii praedicti Regis, et Archiepiscopi Ulyssiponensis, qui eidem Regi persuasit erectionem dicti Militaris Ordinis, ut ipsi applicaret Commendas, quae alias erant extincti Ordinis Equitum Templariorum, prout fecit, et obtinuit a Joanne XXII. Constit. incip. *Cum horum bonorum*, in qua et confirmatus fuit talis Ordo cum sua Regula, et Statutis: Dictus P. Petrus Antonius a Venetiis in *citat. Viridario Seraph. tom.* 1. *cap.* 20.

49 Equitum Ascensionis Jesu Christi Ordo institutus fuit etiam opera Franciscanorum in Portugallia, uti legitur in Cronicis ejusdem Regni *praelud.* 4. *n.* 1. et notat Waddingus *tom.* 1. *suorum Annalium ad annum* 1213. *num.* 14. et refert dict. P. Petrus Antonius *loco citat. cap.* 20.

50 Conceptionis B. Mariae Virginis Equitum Ordo, sub Regula S. P. N. Francisci, institutus fuit ann. 1623. a Ferdinando Mantuae Duce, et a Carolo Nivernensium Duce, et Adolpho Comite ab Althan, et a Joanne Baptista Petrignano Sfortia, et confirmatus fuit ab Urbano VIII. Constit. incip. *Imperscrutabilis*: Tambur. *loc. citat. quaest.* 6. *num.* 12. ubi refert per extensum dictam Urban. VIII. Constitutionem, una cum aliis duabus ejusdem Pontificis ad rem: Dictus Antonius de Venetiis *loc. citat. n.* 120. ubi dicit, primos Equites hujus Ordinis vocati Militiae Christianae Immaculatae Conceptionis Mariae sub invocatione Sancti Michaelis, et Sancti Francisci, Novitiatum egisse in Conventu Araceli Romae Minorum de Observantia, et postea emisisse Professionem in manibus dicti Summi Pontificis Urbani VIII. cum sequentibus verbis: « Semper tuebor Conceptionem Matris Dei Immaculatae, et in hac re, et in omnibus, ejus promovebo gloriam juxta mentem S. R. E. ». Qui Summus Pontifex quoad vixit, voluit hujus Ordinis esse Protector.

51 Plurima adhuc, et revera non pauca eximia, et preclara gesta Ordinis Fratrum Minorum possent adduci: sed ne auram captare videamur, ipsa apud dictum P. Petrum Antonium de Venetiis, in suo Viridario seraphico in duobus tomis distincto videnda reliquimus. Et hic solum notare sufficiat, quod Ordo noster Seraphicus (ut refert Gubernat. in *Orbe Seraphico lib.* 3. *cap.* 1. citans Waddingum ad annum 1213.), ex revelatione S. P. N. Francisco facta a Christo Domino in Monte Alverniae, per totum Mundum sit dilatandus, et usque in finem seculorum in sua perfectione, puritate duraturus, et a Deo conservandus Unde dixit Grego-
52 rius Papa IX. in Bulla, quae extat in Archivio S. Francisci Leyre: « Passim Catholicam consolatur Ecclesiam auctus Minorum Ordo multitudine, Sacerdotio, Sanctitate, et Doctrina excellens ». Et Nicolaus III. in *cap. Exiit* 3. *de verborum signifcat. in* 6. loquens de Seraphica Religione: « Hi sunt, illius Sanctae Regulae Professores, qui Evangelico fundantur eloquio, vitae Christi roborantur exemplo, Fundatoris Militantis Ecclesiae, et Apostolorum ejus sermonibus, actibusque firmantur. Haec est apud Deum, et Patrem mundo, et immaculata Religio, quae descendens a Patre luminum per ejus Filium exemplariter, et verbaliter Apostolis tradita, et deinde per Spiritum Sanctum B. Francisco, et eum sequentibus inspirata, totius in se continet testimonium Trinitatis. Haec est, cui (attestante Paulo Apostolo) nemo de cetero debet esse molestus, quam Christus Stigmatibus suae passionis confirmavit, volens institutorem ipsius suae passionis signis notabiliter insigniri ». Et Clemens V. *in Clementina Exivi de Paradiso* 1. *de verbor. significat.* loquens de Seraphico Ordine ait: « Verus noster Salomon in solio Militantis Ecclesiae hortum voluptatis inter ceteros quemdam fecit a procellosis mundi fluctibus elongatum, in quo quietius, ac securius vocaretur contemplandis, servandisque hujusmodi operibus exemplaribus, in hunc mundum introivit ipse, ut rigaret ipsum faecundis aquis spiritualis gratiae, et Doctrinae. Hic Hortus siquidem est Fratrum Minorum Sancta Religio, quae muris Regularis observantiae firmiter undique circumclusa, intra se solo contenta Deo adornatur abunde novellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens Dilectus Dei Filius, mortificantis poenitentiae myrrham metit cum aromatibus, quae suavitate mira universis odorem attrahentis Sanctimoniae circumfundunt: Haec est illa Coelestis vitae forma, et Regula, quam descripsit Ille Confessor Christi eximius Sanctus Franciscus ».

BENEDICTUS PAPA XII.

Dilectis Filiis Ministro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, nec non Generali Ministro Fratrum Conventualium ejusdem Ordinis.

Dilecti Filii salutem etc. Qui pacem loquitur in plebem suam, et super Sanctos suos, certam illam avertendae contentionis viam, rationemque Discipulis designavit, monitis, exemplisque suis eosdem adhortatus, ut qui major esset inter ipsos, fieret sicut minor, ac proinde esse contenderent, non praeminentia, et primatu, sed ministrandi, ac subjacendi humilitate praecessores. Haec autem Documenta B. Franciscus Seraphici vestri Ordinis Conditor, et ipse mirabiliter arripuit, et expressit, et custodiendae pacis firmamentum esse voluit alumnis suis, qui modesta ipsa Fratrum Minorum appellatione Evangelicam illam Coelestis Magistri normam praeseferentes, sincerae Caritatis, veraeque Fraternitatis disciplinam, et cultum, per totam Christi Ecclesiam latissime propagarunt. Nos igitur, quemadmodum uberes ex religiosissima institutione Dominici Agri proventus largitori Deo, reique Catholicae gratulamur, ita omnem dare operam debemus, ne dissidia, et lites de loco, et Dignitate bonam frugem suffocare possint, fraternamque concordiam discindere, aut perturbare. Porro

cum tres Constitutiones ediderimus pro Institutione, ac Regimine Tertiariorum ejusdem Seraphici Ordinis in propriis Domibus viventium, primam die 10. Dec. 1725. pro Fratribus Minoribus Regular. Observantiae, quae incip. *Paterna Sedis Apostolicae providentia*, alteram die 24. Maii 1726. pro Fratribus Minoribus, qui Capuccini appellantur, quae incipit: *Ratio Apostolici Ministerii;* Tertiam denique die 5. Jul. ejusdem Anni pro Fratribus Minoribus Conventualibus, quae incip *Singularis Devotio;* non sine ingenti animi molestia rescivimus, controversias inter antedictas laudati Ordinis familias invaluisse de primatu, et antiquitate alterius prae altera, de multiplici erectione Congregationum Tertii Ordinis, deque transitu Tertiariorum unius Congregationis ad aliam, quae cum religiosae disciplinae detrimento, scandala etiam in populis serere possint, et B. P. Francisci spiritum in Discipulis ejus extinguere. Dissensionibus igitur, ac jurgiis aditum obstruere, et necessariam Regularis disciplinae pacem, et tranquillitatem fovere, aut restituere cupientes: Motu proprio, ex certa scientiae, non ad oblatae cujusquam petitionis instantiam, in primis omnes, et singulas de memoratis causis lites, et controversias, utcumque, et quacumque instantia super his ortas, agitatas, et actu pendentes, coram quibuscumque Judicibus, ac Tribunalibus etiam speciali mentione dignis, quorum nomina pro expressis haberi volumus, ad Nos avocantes, perpetuo silentio imposito, extinguimus, et abolemus. Praeterea quascumque Indulgentias, Indulta, Privilegia, Praerogativas, favores, exemptiones, libertates, extensiones, et concessiones, tam in genere quam in specie in memorata Constitutione, quae incipit *Paterna*, Tertiariis Fratrum minorum de Observantia tributas, et per alias superius indicatas, ad Tertiarios Fratrum Minorum Conventualium, et Capuccinorum, eorumque Superiores extensas, et ampliatas, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, et quatenus opus sit, ipsis Fratribus Conventualibus, et Capuccinis, eorumque Tertiariis, in iis tamen, quae praefatae nostrae Constitutioni pro Observantium Tertiariis editae non adversantur, et non alias, de novo concedimus: Mandantes potissimum, ut quae in ipsa circa erectionem unius dumtaxat Congregationis Tertiariorum pro unaquaque Civitate, aut loco, deque eorum transitu praescripta, et sancita sunt, alias posterioribus nostris non obstantibus, inviolabiliter observentur. Quoniam autem a mente nostra, et a proposito memoratae Constitutionis, quae incip. *Singularis Devotio* prorsus alienum erat, ut Fratribus Minoribus Regularis Observantiae, quidquam sui juris, aut possessionis erga Conventuales detraheremus, aut ipsis Fratribus Conventualibus majorem antiquitatem, aut aliam quamcumque praerogativam prae Observantibus concederemus, motu pari, et scientia similibus, decernimus, et declaramus, verba, et enunciationes, quae antiquitatem, et praerogativas ejusmodi respiciunt, nullius roboris, atque eo prorsus modo ac si apposita non essent, de cetero habenda fore, et esse. Immo pro totius praefati Ordinis tranquillitate, et pace perpetuum silentium super hujusmodi controversia imponimus, et pro imposito haberi volumus, et mandamus. Ne quis denique Basilicam B. Francisci Civitatis Assisiensis, ubi Sacrum ejus Corpus requiescit, a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris variis privilegiis auctam, ita supra ceteras ejusdem Ordinis Ecclesias verbis, aut scriptis extollat, et efferat, ut debitus honor, ac reverentia denegetur Basilicae B. M. de Portiuncula extra muros ejusdem Urbis, in qua constat Seraphicum Patrem Institutum suum inchoasse, praecipimus, et mandamus, ut ambae Basilicae, diversis licet rationibus, B. M. quidem propter Ordinis primordia, Assisiensis vero propter Sacrum Corpus Sanctissimi Institutoris, tamquam Ordinis Matrices ab omnibus Fratribus Minoribus agnoscantur, et observentur, prout Romani Pontifices Praedecessores nostri asseruerunt, et concesserunt. Quascumque autem juris, verborumque solemnitates nostra auctoritate supplentes, et quibusvis in contrarium facientibus amplissime derogantes, quae vero exprimenda essent, pro expressis habentes, fore confidimus, ut Familiis vestris per hoc providentiae nostrae Judicium pristinam, vestroque nomine dignam concordiam partam esse gaudeamus Vestrum autem erit, ut pari vigilantia, studioque curis nostris obsequentes, indecoram, importunamque altercationum, libellorumque licentiam, in eorum auctores districte animadvertentes, inhibeatis. Ac vobis, Dilecti Filii, paternae voluntatis pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22 Jul 1728. Pontificatus Nostri Anno quinto.

Carolus Archiepisc. Emissenus.

ARTICULUS VI.

QUOAD PARTICULARES ALIAS RELIGIONES, ET CONGREGATIONES SUB NULLA DICTARUM QUATUOR PRINCIPALIORUM REGULARUM MILITANTES, SED PROPRIAS REGULAS, ET CONSTITUTIONES HABENTES.

SUMMARIUM

1. Carthusiensium Ordo. — 2. Sancti Hieronymi Congr. Itala. — 3 Monialium S. Hieronymi Cong. — 4. Carmelitarum Ordo. — 5 Carmelitarum Discalceatorum Cong. Hispanica. — 6. Carmelitanorum Discalceatorum Congr Itala. — 7. Monialium Carmelitarum Congr. — 8 S. Mariae de monte Carmelo Equestris Ordo. — 9 Minimorum S Francisci de Paula Ordo. — 10 Clericorum Regularium Societ. Jesu Ordo. — 11. Clericorum Regularium de Oratorio Cong. — 12. Clericorum de Oratorio Jesu Cong. Gallica. — 13. Matris Dei Lucae Clericor. Regular. Cong. — 14. Oblatorum S. Ambrosii Congr. — 15. Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum piarum Congr. — 16. Monialium Visitationis B. M. V. Cong. — 17. Monialium Ursulinarum, seu Virginum, ac Viduarum Cong. in Gallia. — 18. Monialium B. M. V. Cong. in Lothariogia. — 19. Monialium B. Mariae de Calvario, et S. Scholasticae Cong. in Gallia. — 20. Piorum Missionariorum Coog. — 21. Missionariorum Presbyterorum Saecularium Congregatio, et Puellarum Charitatis societas. — 22. De multis Ordinibus Militaribus nulli particulari Regulae addictis, remissive. — 23. Alia ad rem ad num. 28.

1 Cartusiensium Ordo sic dictus a Valle Carthusia, vulgo *Certosa* in dioecesi Gratianopolitana in Regno Galliae, institutus est a Sancto Brunone, Nobili Cive Urbis Agrippinae, sub Regula propria, anno 1084. et approbatus, et confirmatus fuit ab Alexandro II. Constitut. 7. incip. *Cum vos*: Tambur. *de Jur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 24. *q.* 7. *n.* 1. Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. univers. cap.* 41. *n.* 182. S. Anton. *part.* 2. *Histor. tit.* 15. *cap.* 22. Miranda *in Manual. Praelator. tom.* 1. *q.* 4. *art.* 2. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 1. *cap.* 27. Marulus in *Oceana Relig. lib.* 2. *pag.* 124. et alii. ' Confer Opus, cui titulus: « Storia Critico-Cronologica Diplomatica del Patriarca S. Brunone, e del suo Ordine Cartusiano compilata dal P. D. Benedetto Tromby Monaco, e Procuratore della Casa di S. Stefano del Bosco nell'ulteriore Calabria. Napoli. MDCCLXXIII. *.

2 *Sancti Hieronymi Congreg. Itala* instituta est temporibus Martini V. a quodam Lupo de Olmeto, sub propria Regula ex scriptis ipsius Sancti Hieronymi excerpta; et confirmata est ab eodem Martino V. Constitut. incip. *Etsi pro cunctorum*: Tambur. *loc. cit. n.* Hieronym. Roderic. *in Compend. qq. Regulor. resolut.* 122. *num.* 17. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 1. *pag.* 132. Piatus *de bono statu Relig. lib* 2. *cap.* 22. Miranda *loco citat. quaest.* 5. *art.* 1. et alii. ' De hujus Congregationis Ortu legatur « Lettera intorno la vera, e sicura origine del Venerabil Ordine de PP. Girolamini, in Roma MDCCLV. ' ».

3 *Monialium S. Hieronymi Congreg.* militat sub Regula ipsius Sanctissimi Patris pro Mulieribus specialiter edita, quae habetur *tom.* 9. *Operum ejusdem pag.* 1378. Tambur. *loc. cit. n.* 3. et alii.

4 *Carmelitarum Ordo*, quem quidam antiquissimum ponunt, temporibus Alexandri III. Summi Pontificis circa ann. Domini 1160. Initium sumpsit. At quia sine aliqua certa Regula Religiosi hujus Ordinis tunc vivebant, hinc non dicitur originata haec Religio dicto tempore, sed tempore Honorii III. quando Regulam ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano acceptam, praedictus Pontifex confirmavit ann. 1226. Constit. 8. incip. *Ut vivendi*. Divisus est hic Ordo in Conventuales, et Observantes; Obediunt tamen eidem Generali: Tamb. *loc. cit. n.* 4. S. Anton. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 1. §. 8. Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 4. *pag.* 279. Morigia *de Orig. Relig. lib.* 1. *cap.* 25. Cassan. *in Catalog. glor. mund. part.* 4. *consid.* 7. et alii.

Carmelitarum Discalceatorum Congr. Hispanica sub eadem Regula, in suo primaevo rigore, sine ullis Pontificiis moderationibus, instituta est circa annum 1565. a S. Theresia, et approbata fuit a Gregorio XIII. Constitut. 64. incip. *Pia consideratione*: Tamb. *loc. cit. n.* 6. Barbos. *loco cit. n.* 29. Morigia *de Origin. Relig. lib.* 1. *cap.* 3. Marulus in *Ocean. Relig. lib.* 4. *p.* 279. et alii. 5

Carmelitarum Discalceatorum Cong. Itala eadem prorsus erat cum praecedenti, sed eam ab illa separavit Clemens VIII. Constitut. 71. incip. *In Apostolicae*: Tambur. *loc. cit. n.* 7. Barbosa *loco citat. n.* 31. Morigia *loco citat.* Marulus *loco citat.* et alii. 6

Monialium Carmelitarum Cong. instituta, ut supra dictum est, a S. Theresia, divisa est in Hispanam, et Italam, uti divisa est Congregatio Religiosorum Discalceatorum, et vivit quaelibet respective sub eadem Regula, et forma suae Congr. Tamb. *loc. cit. n.* 8. et alii mox citati. 7

Sanctae Mariae de Monte Carmelo Equestris Ordo institutus est ab Henrico IV. Galliae Rege, ad exaltationem S. R. E. ac haeresum extirpationem, anno 1608. et confirmatus fuit a Paulo V. Constitut. incip. *Romanus Pontifex*: Tambur. *loco cit n.* 9. et alii. 8

Minimorum S. Francisci de Paula Ordo institutus est circa annum 1436. a S. Francisco de Pau- 9

la (Paula est parva Urbs in Calabria Regni Neapolitani), et approbatus fuit a Sixto IV. Constit. incip. *Sedes Apostolica* : Tamburin. *l. c. n.* 10. Barbosa *l. c. n.* 188. Morigia *de Orig. Relig. lib.* 1. *c.* 49. Marulus in *Ocean Relig. lib.* 5. *p.* 360. Miranda in *Manual. Praelat. tom.* 1. *q.* 4. *art.* 11. et alii.

10 *Clericorum Regularium Societatis Jesu Ordo* institutus fuit circa annum 1534. a S. Ignatio de Loyola, Nobili Cantabro, et approbatus fuit a Paulo III. Constit. 25. incip. *Regimini*, et iterum a Julio III. Constit. 9. incip. *Episcopis*, et a Gregor. XIII. Const. 89. incip. *Ascendente*, et Gregor. XIV. Constitut. 10. incip. *Ecclesia;* Tambur. *loc. c. q.* 8. *n.* 1. Barbosa *loc. cit. n.* 189. Azorius *Instit. moral. part.* 1. *lib.* 13 *cap.* 7. Suarez *de Relig. t.* 4. *tract.* 20. *per tot.* Tapia in *Authent. Ingressi*, *verb. Monasteria cap* 11. n. 8. *de Sacrosanct. Eccles.* Emmanuel *qq. Regular. tom.* 1. *q.* 1. *art.* 4. *et q.* 56. *art.* 1. Miranda *loco cit. tom.* 1. *q.* 10. et alii passim. * Ordinem istum anno 1773. abolevit Clemens XIV. Const. *incip. Dominus*; quem postea Pius VII. restituit anno 1814. Constit. incip. *Sollicitudo.* Vide *v. Jesu Societas* *.

11 *Clericorum Saecularium de Oratorio Congr.* instituta fuit a S. Philippo Nerio Florentino, ann. 1550. et confirmata fuit a Gregorio XIII. Constit. incip. *Copiosus.* Hujus Congregationis alumni statum, et Professionem Cleri saecularis retinentes absque ullo Regulari voto, et vinculo, sub particularibus Constitutionibus, et Obedientia Superiorum simul habitant, et communem vitam degunt, et spiritualibus exercitiis animarum saluti incumbunt, Tamb. *l. c. qu.* 8. *n.* 2. Marulus in *Oceano Relig. lib.* 5. *pag.* 426. Miraeus in *Libello de Congreg. Cleric. in communi viventium cap.* 10. *pag.* 85. *et c.* 11. ubi refert Decretum Gregorii XV. in quo decernitur, quod unaquaeque Domus Congregationis Oratorii se ipsam per se regat, nec plures insimul uniri valeant. Ordinationes, et Instituta dictae Congregat. approbavit, et nonnulla Indulta eidem concessit Paulus V. Const. 4. incip. *Christifidelium.*

12 *Clericorum de Oratorio Jesu Congregatio Gallica* instituta est a Petro de Berullo Presbytero Parisino, doctrina, et pietate eximio, et postea S. R. E. Cardinali; et ad instantiam, et petitionem Mariae Mediceae Galliarum Reginae, et Petri Gondii Archiepiscopi Parisiensis a Paulo V. confirmata fuit anno 1613. Constit. incip. *Sacrosanctae Romanae Ecclesiae:* Tambur. *loco cit. n* 3. Miraeus *in Libello de Congr. Clericorum in communi viventium capitul.* 43. *pag* 184. Graveson in *Histor. Eccles. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 581. *primae impressionis Romanae.*

13 *Matris Dei Lucae Clericorum Regularium Cong.* fuit primitus erecta sub titulo Congregationis Clericorum saecularium B. Mariae Virginis a Venerabili S. Joanne Leonardo e Terra Decimo, Dioecesis Lucensis, circa annum 1574. cujus primi Discipuli, et socii fuerunt tres Nobiles Lucenses, scilicet Joannes Baptista Cionius, Caesar, et Julius de Franciottis Fratres germani, et Georgius Arrighinus de Ponterotto, Dioecesis Lucensis, et confirmata fuit a Clemente VIII, Const. incip. *Ex quo.* Et tandem Gregor. XV. de voto Sacrae Congregationis Episcop. et Regular. hujusmodi Congregationem in Religionem trium votorum solemnium approbavit, prout ex Litteris sub forma Brevis die 3. Novemb. 1621. desuper expeditis habetur; Tamburin. *loc. cit. n.* 4. Barbosa *loc. cit. n.* 162. P. Caesar Franciottus *in lib. de vitis Sanctorum, quorum Corpora in Civitate requiescunt*, Josephus Matriarius ejusdem Congregationis Rector Generalis « in sua Historia miraculosae Imaginis Beatissimae Virginis nuncupatae Sanctae Mariae in Porticu ».

Oblatorum Sancti Ambrosii Congr. instituta est a Sancto Carolo Borromaeo circa ann. 1580. In hac Congregatione sunt Religiosi homines, qui Sancto Ambrosio Mediolanensis Ecclesiae Antistiti, ac patrono, ultro, suaque sponte sese obtulerunt sub Obedientia Archiepiscopi Mediolanensis pro tempore existentis, et Observantia aliquarum Constitutionum ad varia munia Ecclesiastica pro cujusque captu, ac viribus obeunda, et ad pia, et exemplaria Opera Caritatis exercenda Universa Congregationis Oblatorum quasi basis est Ecclesia S. Sepulcri Mediolani; ipsius Domus praepositus est quasi secundus Superior, cum primarius, et supremus Superior sit Archiepiscopus Mediolanensis: Tambur. *loco citat. n.* 5. Vide « Acta, et Concilia Ecclesiae Mediolanensis jussu S. Caroli Borromaei publicata », ubi multa de hac pia, et praeclara Congregatione. 14

Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum piarum Congregatio fuit auctoritate Clementis VIII. fundata circa annum 1596. a Josepho Calasantio (*), alias de Matre Dei, ex clarissima Calasantiorum Familia in Regno Aragoniae adhuc florenti oriundo, et per Paulum V. confirmata *die* 14. *Jan.* 1614. Constitut. 81. incip. *Inter Pastoralis Officii curas:* et tandem Gregorius XV. die 18. Novembris 1621. Constit. 14. incip. *In supremo* hanc Congregationem in Religionem trium votorum solemnium approbavit: Barb. *loc. cit.* n. 6. Graveson *loc. cit. pag.* 582. et alii, 15

Monialium Visitationis B. M. Virginis Congregatio, sic dicta a munere infirmos, et egenos visitandi, quo ad reverentiam Mysterii B. Virginis Mariae visitantis S. Elisabetham, initio fungebantur aliquae piae feminae, fundata fuit a S. Francisco Salesio Episcopo Genevensi, qui Monialibus hujus Ordinis Anessiaci in Sabaudia circa ann. 1610. Regularis vitae normam praescripsit, eisque praefecit *B. Joannam Franciscam Fremiot de Chantal* in Galliis natam, Divione Urbe, Ducatus Burgun- 16

(*) Hunc Benedictus XIV. primum Beatorum cultu decoravit, deinde Clemens XIII. inter Sanctos solemniter retulit.

diae, Dioecesis Lingoniensis, quae nascentem hanc Congregationem instar Matris, ac Fundatricis lactavit, aluit, instituit, et progavit. Et ea Sanctitatis fama in vita, et post mortem adeo claruit Venerabilis haec Dei serva, ut nunc acta de ejus vita, virtutibus, ac miraculis in Sac. Rit. Congregatione examinentur, et spes firma adsit, ut Coelitum albo propediem solemni ritu adscribatur. Et revera novissime, Deo dante, Beatorum fastis adscripta est die 23. Nov. 1751. a Benedicto XIV. Const. incip. *Cum Sextodecimo.*

* Atque a Clemente XIII. albo Sanctorum adjecta, ejusdemque Festum die duodecimo Kalendas Septembris ab universa Ecclesia Clemens XIV. celebrari praecepit. *

17 *Monialium Ursulinarum, seu Virginum, ac Viduarum Congregatio in Gallia*, sub nuncupatione S. Ursulae, ad erudiendas litteris, et bonis moribus puellas, fundata est Parisiis anno 1611. a Nobili *Maria L'huillier*, Domina S. Bobae, quae novae a se institutae Sodalitatis a Paulo V. Summo Pontifice approbationem obtinuit *die 23. Septemb. ejusdem anni* 1611. Graveson. *loc. cit. pag.* 586. Non debet tamen haec Congregatio confundi cum Congregatione Ursulinarum fundata a B. Angela de Desenzano, de qua satis dictum *supra art.* 5. *num.* 4.

18 *Monialium B. Mariae Virginis Congr* ad puellas litteris, et pietate imbuendas, fuit fundata a Venerabili Servo Dei Petro Forrerio, Parocho Montencurii in Lotharingia, et Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis S. Salvatoris Reformatore: Graveson *loc. cit. pag.* 586

19 *Monialium Beatae Mariae de Calvario, et S. Scolasticae Congreg.* instituta fuit ab Antonietta Aureliana Ludovici Ducis Longavillani filia, quae hanc Congr. inchoavit in Monasterio Pictaviensi in Galliis, ubi sexto post mense pie decessit *die* 25. *April.* 1618. Graveson. *loc. cit. pag.* 580.

20 *Piorum Missionariorum Congr.* Instituta fuit circa annum 1621. a Carolo Caraffa Neapol., e Nobilissima Familia oriundo, et approbata fuit a Gregorio XV. Const. incip. *Ex quo divina Majestas:* Graveson. *loc. cit. p.* 587.

21 *Missionariorum Presbyterorum Saecularium Congreg. et puellarum Caritatis Societas* instituta est a S. Vincentio a Paulo, circa annum 1626. et approbata ab Urbano VIII. 1632. Graveson *loc. c. pag.* 597. Marcus Battaglini Nocerae Episcopus *in Annalibus Sacerdotii, et Imperii anno* 1660. *n.* 35. Ludovicus Abelly Rhutenensis Episcopus, *in ejus vita Parisiis impressa*, et alii.

22 De multis militaribus Ordinibus nulli particulari Regulae addictis, sed sub propriis Constitutionibus Equestre Institutum profitentibus, vide Tamburin. *loc. cit. disp.* 24. *Quaesit.* 9. *per tot.* et eruditissimum P. Philippum Bonanni Societatis Jesu, qui egregie scripsit de omnibus Religionibus, et Ordinibus etiam Militaribus, et Insignis, Franciscum Mennenium, et alios.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Plura addere potuissemus *in hisce sex articulis*, et in nonnullis *Auctorem* castigare. At ne nimii essemus in re, quae forte nulli fere usui esse potest, satius existimavimus *Auctores* indicare, qui de origine, et variis Regularium speciebus accuratius, quam *Auctor*, disseruerunt. 23

Vide igitur Helyot « in Historia Ordinum Monasticorum, Religiosorum, ac Militarium. Possunt etiam consuli Philippus Bonanni *de Hierarchia Ecclesiastica*, Coronelli *in Catalog. Ordin. Religios. eorumque indument. iconib. express.* 24

Franciscus, quoque *Florens*, Jurisconsultus celeberrimus, brevem, sed pereruditum composuit de statu Regular. tractatum, quo de origine, et variis institutis Eremitarum, Monachorum, Coenobitarum, Anachoretarum, caeterorumque Regularium tam in Oriente, quam in Occidente multa delibat. 25

De originibus Monasticis speciatim tractant Dandinus Altaserra, Albertus Miraeus, Rodulphus Hospinianus, Crecceliius, aliique; Chopini Monasticon multa eruditione refertum, sed ut plurimum luce indiget, nec exhaurit ea, quae ad monasticam disciplinam in universum pertinent. 26

Additiones Novae.

* Vel inter Auctores de originibus Monasticis tractantes, ad quorum Opera Lectores rejiciebantur, numerandus Rodulphus Hospinianus non erat, vel illud una adnotandum, ejusdem Opus, cui titulus « De Origine, et Progressu Monachatus, ac Ordinum Monasticorum, Equitumque militarium, tam Regul. quam Secularium omnium libri VI » calumniis, mendaciisque scatere, ac tale prorsus esse, quale ab acerbissimo Catholicae Fidei hoste expectari poterat. Vide Ven. Cardin. Bellarminum *De membris Ecclesiae militantis lib.* II. 27

Ordinum Religiosorum Catalogum, praeter Scriptores sive a Lucio nostro, sive ab Auctore Addit. indicatos, dat Joannes Dominicus Musantius, in Tabulis Chronologicis, septima aetate, tabula X. quae inscribitur *Sacer Coelibatus, Ordines Religiosi*, ex qua adscribere placet, quae ad saec. XVIII. hoc est ab anno Christi 1700. ad 1750, leguntur. Sunt autem hujusmodi: « Fratres Bethleemitae instit. » 1687. Mendican. privilegiis ornati 1707. Congreg. Piorum Operariorum Neapoli pridem in » Urbem deducta stabilitur 1712. Antiquissimus » Ordo Equestris Aureatus Constantinianus S. Georgii a Francisco Farnesio Parmae, et Placentiae » Duce restitutus, approb. Innoc. XII. et Clement. » XI. Equestres Ordines S. Ludovici a Ludovico » XIV. Aquilae Albae ab Augusto II. Rege Polon. » S. Crucis, et Amoris erga Proximum, ab Elisabetha Imper. Claustrales Professi anno 1726. » prohibentur a Benedicto XIII. Constit. *Licet Sacra*, ne transeant ad alios Ordines, ubi observantia non vigeat, itemque ad Ordines Hospital. 28

» aut Militares. Ordo Scholarum Piarum multis » Privilegiis ornatur a Clemente XII. Ordinem » mixtum ex vita contemplativa, et activa, sive » eremitica, et Apostolica, et a Christi passione » nuncupatum, approbat Benedictus XIV. 1748. » Ordo Equestris S. Georgii martyris confirmatur » in Bavaria a Rom. Pontif. et iterum 1741. eo» dem anno Ordo Equestris, sive Militia S. Janna» rii a Carolo utriusque Sic. Reg. instituta. Multa » concessa Militiae SS. Mauritii, et Lazari, et ali» qua de eadem declarata, et sancita Const. incip. » *Fructuosa Militarium* ann. 1744. ». Ordinibus indicatis adde Congregationem a PIO VI. feliciter regnante confirmatam, cujus regulae Constit. incip. *Injuncti nobis* approbatae; ipsaque Congregatio in Regularem Ordinem Constit. incip. *Ex debito* ab eodem SS. Pontifice erecta, atque instituta est. Quas quidem Constitutiones ad litteram referre opportunum duximus. Sunt autem hujusmodi:

PIUS PAPA VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

» Injuncti nobis divinitus Pastoralis Officii ratio » exigit, ut paternam Religiosorum virorum Altis» simi obsequiis sub laudabili vitae Religiosae in» stituto mancipatorum curam gerentes, ipsos in » salutari eorum vivendi norma, Regularique ob» servantia confovere, atque conservare satagamus, » ac proinde ea, quae simili consilio, ac pro felici, » prosperoque illorum regimine, et gubernio pro» vide, prudenterque facta, atque ordinata esse no» scuntur, quo firmiori stabilitate permaneant, A» postolici munimis praesidio roboremus. Exponi » Nobis siquidem nuper fecerunt dilecti Filii Fra» tres Poenitentiae nuncupati, quod pro felici ip» sorum exponentium, et ipsius Religionis directio» ne, formatae, seu compilatae fuerunt nonnullae » Constitutiones tenoris, qui sequitur, videlicet (*Se» quuntur Regulae*). Cum autem, sicut eadem ex» positio subjungebat, dicti exponentes, Constitu» tiones hujusmodi, quo firmius subsistant, et » serventur exactius, Apostolicae Confirmationis » nostrae patrocinio communiri summopere desi» derent; Nos specialem ipsis exponentibus gra» tiam facere volentes, et eorum singulares perso» nas a quibusvis excommunicationis, suspensio» nis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis senten» tiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine » quavis occasione, vel causa latis, si quibus quo» modolibet innodatae existunt, ad effectum prae» sentium dumtaxat consequendum harum serie ab» solventes, et absolutas fore censentes, supplicatio» nibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter » porrectis inclinati, de nonnullorum Venerabilium » S. R. E. Cardinalium ad ipsas Constitutiones exa» minandas a Nobis specialiter deputatorum consi» lio, omnes, et singulas Constitutiones praeinser» tas Auctoritate Apostolica tenore praesentium » confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis » Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, » et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper » quomodolibet intervenerint, supplemus. Decer» nentes easdem praesentes litteras, et Constitutio» nes praeinsertas semper firmas, validas, et effica» ces existere, et fore, suumque plenarium, et in» tegrum effectum sortiri, et obtinere, ac ab illis, » ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in fu» turum, inviolabiliter observari; sicque in prae» missis per quoscumque Judices Ordinarios, et De» legatos etiam causarum Palatii Apostolici Audi» tores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eo» rum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpre» tandi facultate, et auctoritate, judicari, et defi» niri debere, ac irritum, et inane, si secus super » his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel » ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus » Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, » ac quibusvis etiam juramento, confirmatione A» postolica, vel quavis firmitate alia roboratis sta» tutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, in» dultis, et litteris Apostolicis in contrarium prae» missorum quomodolibet concessis, confirmatis, » et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illo» rum tenores praesentibus pro plene, et sufficien» ter expressis, ac de verbo ad verbum insertis ha» bentes, illis alias in suo robore permansuris, ad » praemissorum effectum hac vice dumtaxat spe» cialiter, et expresse derogamus, caeterisque con» trariis quibuscumque. Volumus autem, ut earum» dem praesentium litterarum transumptis, et im» pressis, et manu alicujus Notarii publici subscri» ptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate » constitutae, vel Procuratoris Generalis dicti Or» dinis muniis, eadem prorsus fides in judicio, et » extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesen» tibus, si forent exhibitae, vel ostensae. ». *Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Maii MDCCLXXXIV. Pontificatus Anno Decimo*

INNOC. CARD. DE COMITIBUS.

Loco ✠ Sigilli.

PIUS PAPA VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

» Ex debito Pastoralis Officii, quo Ecclesiae Catholicae per universum Terrarum Orbem diffusae regimini Divina dispositione praesidemus, Congregationes Christifidelium Christum Dominum in paupertate, ac jugi corporum suorum mortificatione, ac poenitentia propius sectari suscipientes paterno charitatis affectu prosequimur, felicique illorum statui, ac ut Personae, quae tam pium vitae Institutum amplexae sunt, in ea vocatione, qua vocatae sunt, perseverent usque in finem, opportunis rationibus, et favoribus providere studemus, sicut omni-

bus mature consideratis ad omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem expedire in Domino arbitramur. Siquidem cum Nos hodie per alias nostras in simili forma Brevis expeditas litteras, Regulas, et Constitutiones dilectorum Filiorum Fratrum Poenitentiae nuncup. approbaverimus, ac confirmaverimus, iidem Fratres, Nobis insuper exponi fecerunt, quod cum ipsi in Religiosa eorum Congregatione singula, quae veros, et formales decent Regulares tum respectu habitus, tum caeterorum operum, ad quae juxta praedictas Constitutiones tenentur, adimpleant, eamdem Congregationem in veram, et formalem Religionem, in qua non vota simplicia, sed expressa, et solemnia, sicut in quatuor Mendicantium Ordinibus, caeterisque approbatis Religionibus in posterum ab omnibus perpetuo profiteantur, itaut in posterum dictae Congregationi Religionis, et Ordinis, ipsis vero Fratribus illud Religiosi, et Regularis nomen respective conveniat, et Religio hujusmodi quoad Personas, et Inservientes quoscumqne a jurisdictione Ordinarii sub praedictis Constitutionibus, ut praefertur, auctoritate nostra Apostolica confirmatis exempta intelligatur, et esse debeat, per Nos erigi, et approbari, ac confirmari; Gratias, et privilegia spiritualia, quae alias Fratribus Ordinis Sancti Francisci per Romanos Pontifices Praedecessores Nostros fuerunt concessa, ipsis per Nos communicari summopere desiderent; Nos eorumdem Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praedictam Congregationem Fratrum de Poenitentia nuncup. in veram Religionem cum votis solemnibus ex integro etiam ab iis, qui hactenus vota hujusmodi in eadem Congregatione emiserunt, emittendis, ita tamen ut nova vota emittentes prius de inefficacia praecedentium votorum ad constituendum eos veros Religiosos certiorentur, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus, Gratias, et privilegia spiritualia alias, ut praefertur, per Romanos Pontifices Praedecessores nostros Fratribus Ordinis S. Francisci quomodolibet concessa, etiam specifica, et individua mentione digna, et quibus memorati fratres Ordinis S. Francisci de praesenti utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, vel poterunt in futurum, ad praedictam Congregationem, seu Ordinem Fratrum de Poenitentia nuncup. et singulas illorum Conventus Domos, Loca Regularia, illorumque Superiores, Guardianos, Praelatos, ac quascumque Regulares personas auctoritate Apostolica tenore praesentium extendimus, iliaque eis communicamus, concedimus, et indulgemus. Decernentes has praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum plenissime suffragari, ac ab iis respective observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Apostolicis, et in Universalibus, Provincialibusque, et Sinodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non Congregationis, seu Ordinis praedicti etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, et manu alicujus Notarii publici subscriptis; et Sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides in Judicio, et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Maii MDCCLXXXIV. Pontificatus Nostri Anno Decimo ».

J. Card. de Comitibus.

Loco ✠ Sigilli.

RELIQUIAE

Praestat de Reliquiis sequentia adnotare

1 Reliquiarum detractio in elevatione Corporum Servorum Dei prohibetur, sub poena suspensionis, interdicti, et Excommunicationis latae sententiae Papae reservatae: Bened. XIV. tom. 1. Constitut. 46. incip. *De Congregationis Venerabilium*.

2 Reliquiae Sanctorum in locis, in quibus coluntur, solent praestare validum praesidium ad arcendas calamitates, et succurrendum necessitatibus; Bened. XIV. in Appendice ad Tomum 4. sui Bullarii, Constitut. incip *Jamdudum* §. 19. ubi adducit

3 exempla. Reliquiae Sanctorum, ut decenti loco statuantur, curae Episcoporum mandatum est a Concilio Tridentino: Idem *ibid*. Constitut. incip. *Soror Imelda*, § 1.

4 Reliquiis Sanctorum, utcumque exiguis, et licet ignoretur nomen proprium Sancti, cujus sunt hujusmodi exuviae, cultus est exhibendus: Idem *ibid*. in d. Constitut. *Jamdudum* §. 1. et 2. Major tamen est fidelium devotio erga integrum corpus alicujus Sancti, si praesertim de ejus proprio nomine constet: Idem *ibid*. §. 5.

Reliquiae Puerorum, cum notis Martyrii repertae, cultum publicum in Ecclesia obtinuerunt: Bened. XIV. Constitut. incip. *Beatus Andreas*, §. 5
20. ubi ad id varia adducit exempla. Reliquiae 6
quaecumque ex Assisiensi Basilica, sub poena excommunicationis Papae reservatae, excepto articulo mortis, aliisque gravibus poenis, extrahi sine Pontificia dispensatione prohibentur: Idem Constitut. incip. *Fidelis Dominus* §. 13.

Alia ad rem. Vide verb. *Cultus Sanctorum*.

REMEX

In hoc articulo sequentia adnotare satis sit

1 Christiani captivi in Triremibus Turcarum, vel Haereticorum ob evitandam mortem sibi alias imminentem, licite remigant contra Catholicos, sarcinas, et arma ad bellum necessaria convehunt, propugnacula aedificant, ad rapinas, et incendia cum Dominis Infidelibus cooperantur; Sic probabiliter cum Lessio, Sanchez, Suarez, Layman, Diana, Castropalao, Mendo, Busembaum, et aliis, La Croix *lib.* 2. *t.* 3. *c.* 2. *art.* 3. *n.* 250. *et* 278.

* Quaestionem istam proponit Daniel Concina, atque ita dirimit in Theologiae Christianae Dogmatico-Moralis compendio, lib. III. in Decal. Dissert. IV. De vitiis contr. carit. cap. III. num. XIV. « Disputant in utramque partem Theologi. Adfirmantem sententiam probabiliorem judico, vero in sensu explicatam. Distinguenda sunt diversa remigandi tempora. Primum cum exploratum captivis Christianis est, in pugna committenda victores Christianos futuros adversus Turcas. Secundum cum bellum est injustum, imminetque Christianis libertatis, bonorum, vitaeque jactura. Tertium cum Christianis imminet dumtaxat bonorum externorum jactura, remigibus vero captivis vitae amissio, aut membrorum mutilatio. In primo, et tertio casu licite remigare captivos Christianos posse adfirmant omnes. De secundo casu Theologi disputant: et sententia, quae gravis culpae reos captivos remigantes adversus innocentes Christianos damnat, mihi probabilior est. Quoniam nullo jure permissum est suppetias ferre alteri adversus innocentes, quos laedere crimen est. Peccant autem Turcae bello injusto Christianos occidentes: peccant ergo et Christiani auxilium Turcis praebentes in hac injusta actione. Nec video qua ratione opposita opinio non contineatur in damnatione Innocentii XI. Si nequeunt famuli heros suos cymba pergentes ad constuprandas virgines adjuvare remigando, aut ascendentes per fenestras ad fornicandum, aut occidendum scalas tenere, vel humeris eas sustinere: qua ratione possunt captivi Christiani sua remigatione Turcarum classem impellere ad Christianorum perniciem? Remigatio indifferens est absolute spectata, sicut tenere scalam, et humeris alium sustinere; at, spectatis circumstantiis, noxia est, ut innumeris patet exemplis. *

Remiges coacti confugientes libere ad Ecclesiam 2
gaudent Immunitate, et Archiepiscopus ab illorum extractione abstineat: *Sacr. Congr. Immunit. in Neapolitana* 27. *Augusti* 1660. *lib. Decr. Rocci p.* 281. *in Aquilana* 10. *Maii* 1639. *lib.* 3. *Decret. Paul. p.* 99 *in Oppiden.* 21. *Mart.* 1643. *lib* 5. *Decr. pag.* 247. Consequenter nec Episcop. 3
sine facultate Apostolica potest eos consignare: *Sacr. Congreg. Immunit. in Barchinonen.* 19. *Jul.* 1661. *lib. Decret. Rocci p.* 347.

Transmissi ad Triremes pro reintegratione violatae Immunitatis debent ad locum immunem, a 4
quo fuerunt extracti, remitti: *Sacr. Congreg. Immun. in Tropien.* 1. *Sept.* 1643. *lib.* 3. *Decr. Paul. p.* 209.

Remiges, etiam Triremium Sedis Apostolicae, 5
extracti ab Ecclesia, gaudent Immunitate Ecclesiastica, et sunt restituendi: *Sac. Congreg. Immun. in Viterbien.* 21. *Januar.* 1676. *lib.* 1. *Decret. Altov. p.* 1201.

6 Condemnati ad Triremes, qui confugerunt ad Ecclesiam ligati iisdem catenis, quas ferebant, extracti a militibus, gaudent immunitate, et sunt restituendi; *Sacra Congregatio Immunitat. in Neapolitana* 15. *Maii* 1685. *lib.* 2. *Decretor. Altov. p.* 446.

7 Licet condemnati ad Triremes, et Milites servientes in Triremibus gaudeant immunitate, attamen Sanctissimus concedit Episcopo facultatem ad annum eos extrahendi etiam cum coactione, et consignandi, praevia obligatione juratoria non puniendi eos, cum comminatione Censurarum in casu contraventionis: *Sacr. Congreg. Immunit. in Anconitana* 6. *Septembr.* 1672. *lib.* 1. *Decret. Altov. p.* 728. *et Januen.* 28. *Junii* 1658. *lib.* 2. *Decret. Vallem. p.* 159.

8 Pariter conceditur facultas, annuente Sanctissimo, ad tempus extrahendi, et consignandi condemnatos ad Triremes cum solitis Clausulis: *Sacra Congr. Immunit. in Neapolitana* 9. *Novembris* 1660. *lib. Decretor. Rocci pag.* 296.

9 Sacerdos ad Triremes Pontificias per decennium condemnatus, aufugiens e carceribus, in quibus adhuc detinebatur, et confugiens in Ecclesiam, gaudet immunitate Ecclesiastica, quamvis a d. sententia non appellaverit: *Sacr. Congregat. Immunit. in Anglonen.* 22. *Jun.* 1660. *lib. Decr. Rocci p.* 260.

10 Remex coactus confugitus ad Ecclesiam, ex gratia specialissima, facto verbo cum Sanctissimo, conceditur remitti ad Triremes, ita tamen, ut in aliquo non possit puniri ratione fugae, et declaretur, ipsum gaudere debere immunitate Ecclesiastica: *Sac. Congr. Immun. in Neapolitana* 14. *Aug.* 1634. *lib.* 2. *Decr. Paul. pag.* 198.

11 Ex gratia speciali mandatur Episcopo, ut sibi constito de concludenti probatione delicti, et facta per ipsum desuper declaratione, faciat consignare Curiae Saeculari reum die praecedenti a transmissione ad Triremes condemnatum, praeviis promissionibus, et cautelis solitis, et signanter, quod finito tempore condemnationis ad Triremes, restituatur eidem Ecclesiae, a qua fuit extractus: *Sacr. Congr. Immunit. in Savonen.* 21. *Novemb.* 1635 *ibi pag.* 239.

12 Datur facultas, annuente Sanctissimo, extrahendi ad formam *c. Inter alia de Immun.* mancipatos servitio Triremium, et consignandi eorum Capitaneo cum solitis clausulis: *Sac. Congr. Immunitat. in Milevitana* 5. *Jul.* 1669. *lib.* 1. *Decret. Altov. pag.* 238. *in Taurinen* 9. *Septembris* 1670. *ibi pag.* 470.

Condemnati ad Triremes extracti a Laicis gaudent Immunitate, et ideo sunt restituendi Ecclesiae, et secuta restitutione, pro hac vice tantum datur facultas eos extrahendi, et consignandi ministris laicis, dato juramento de non puniendo pro fuga: *Sacr. Congr. Immun. in Taurinen.* 8. *Novembr.* 1687. *lib. Decr. Mart. p.* 187. 13

Remex coactus, extractus sine facultate Apostolica, restituatur, et deinde detur facultas eum extrahendi ad formam: *Sacra Congreg. Immunit. in Sutrina* 17. *Jun.* 1673. *lib.* 1. *Decret. Altoviti p.* 912. *in Januen.* 28. *Jan.* 1698. *lib.* 2. *Decr. Vallem. p.* 159. 14

Mandante Sanctissimo, datur Nuncio facultas, etiam cum potestate subdelegandi Episcopos, ad effectum extrahendi Remiges Triremis Pontificiae, qui arripuerunt fugam occasione naufragii, ac confugerunt ad loca immunia: *Sacra Congreg. Immun. in Neapolitana* 9. *Nov.* 1696. *lib.* 2. *Decret. Vallem. p.* 55. 15

Annuente Sanctissimo, conceditur facultas Episcopo extrahendi Remiges spontaneos dictos *di buona voglia* ab Ecclesiis, et locis immunibus ad formam *c. Inter alia, de Immun.* dummodo pro delictis, ob quae confugerunt, et pro fuga fiat promissio non puniendi: *Sacra Congregat. Immun. in Milevitana* 3. *Dec.* 1674. *lib.* 1. *Decr. Altov. p.* 1035. 16

Renovantur facultates pro extractione Remigum a locis immunibus pro duodecim casibus: *Sacra Congr. Imm. in Neapolitana* 1. *Mart.* 1692. *lib. Dec. Grim. p.* 94. 17

Remex coactus de mandato Sanctissimi restituitur in alia ab Ecclesia extractionis, deinde extrahitur, et consignatur Officialibus Triremium cum solitis clausulis: *Sac. Congreg. Immun. in Viterbien.* 12. *Jan.* 1684 *lib. Decret. Valleman. p.* 20. 18

Ad Triremes damnatus, licet non remigaverit, quando delictum, propter quod damnatus fuit, infamiam irrogat, expleto tempore, non est rehabilitandus ad exercitia Ordinum: *Sacra Cong. in Romana, seu Ravellen.* 6. *Jul.* 1726. 19

REPRÆSENTATIONES, AN, ET QUÆ FIERI POSSINT IN ECCLESIIS

VIDE VERB. *ECCLESIA ART.* 5. *A N.* 49. *AD* 52.

REPUDIUM

1 Repudium in Veteri Testamento permissum
fuit Judaeis ob eorum cordis duritiem: Be-
nedict. XIV. tom. 2. Constitut. 38. incip.
2 *Apostolici Ministerii*. Sed in nova Lege Gra-
3 tiae vetitum est: Idem *ibid*. Repudii libellum non
licet Judaeis ad Fidem conversis dare uxoribus in
4 judaismo remanentibus: Idem *ibid*. Repudii libel-
lum, si quis Neophytus Rabinicis superstitionibus
inveniatur dedisse uxori recusanti se convertere,
in eum tamquam judaizantem animadvertendum
esse statuitur: Idem *ibid*. Si autem id fecerit co- 5
ram Notario, et testibus Christianis, minori poena
plectendus erit; Idem *ibid*.

RESCISSIO, AC NULLITAS MATRIMONII

Seu Causarum Matrimonialium judicia coram quibus, et quo ordine, ac forma sint peragenda.

NOVUS ARTICULUS EDITORUM CASINENSIUM

SUMMARIUM

1. Quid Benedictus XIV. statuit circa methodum in peragendis judiciis dissolutionis vinculi matrimonialis: affertur ejus Constitutio ad rem. — 2. Quinam in hujusmodi Matrimonii causis sint Judices ex mente Tridentini *sess.* 24. *cap.* 20. *de Reformat. ad num.* 6. — 7. An abbates, et alii inferiores Praelati potestate in praedictis causis iudicandis polleant. *ad num.* 8.

Quia evenire poterat, ut per vetitum nefas dissolutiones faederis conjugalis fierent, vel ex praecipiti judicio, vel ex utriusque partis collusione, vel alterutrius praepotentia, et fraude, Benedictus XIV. hisce malis obviam ire studens, saluberrimam edidit Constitutionem incip. *Dei Miseratione*, circa formam ejusmodi judicii, et quidquid aliud ad rem opus esset. Quippe sanxit, ut publicus matrimoniorum defensor in omnibus, et singulis causis debeat validitatem Matrimonii ita semper tueri, ut judicium sine eo instructum, et quidquid in actis, eo non citato, fiat, nullius sit momenti. Et quoties in primo gradu Sententia pro Matrimonio feratur, nequeat unquam ipse appellare; at Sententia contra Matrimonium prolata, appellationem ex officio suo debeat omnino interponere, quamvis hanc pars expresse abnuat. Interea neutri parti unquam licere post unicam Sententiam pro nullitate, ac rescissione Matrimonii latam, ad secundas nuptias convolare, etiamsi fuerit appellatio neglecta, vel omissa intra decem dies, vel deserta postmodum sit lapsu fatalium; alias cunctis polygamiae poenis Canonicis fiant contrahentes obnoxii. Item, ut in secundo gradu Judex, non secus quam in primo, defensorem ad id, pariter strenuum, audiat in singulis actis. Si primae Sententiae secunda conformetur, atque ab hac Defensor, et pars, quae succubuit, provocare non censuerint, licebit secundas inire nuptias. Secus ubi vel defensor, vel pars iterum appellaverit; tunc enim tertiam oportet conformem Sententiam eum expectare, qui secundas expetit nuptias: quum appellatio executionem perinde unius, atque duarum conformium Sentent. executionem jure suspendat. Praeterea in rem judicatam nunquam transire Sententiam de nullitate Matrimonii, sed posse, novis rebus detectis, quandocumque revideri declaravit. Lubet afferre tenorem Constitut. memoratae, prout sequitur:

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Dei miseratione, cujus judicia incomprehensibilia sunt, et viae ininvestigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo

agamus, ad commissum Pastoralis officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia, et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et Sacramentis Ecclesiae injuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda Divinae Legis servetur Auctoritas.

§. 1. Siquidem Matrimonii foedus a Deo institutum, quod, et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio, aliisque Matrimonii bonis servandis, perpetuum, et indissolubile esse convenit; et quatenus est Catholicae Ecclesiae Sacramentum, humana praesumptione disolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronuntiavit, dicens, *Quod Deus conjuxit, homo non separet*, ad aures Apostolatus nostri pervenit, in quibusdam Ecclesiasticis Curiis inconsulta nimis Judicum facilitate infringi, et temere, atque inconsiderate de eorumdem Matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem Conjugibus fieri transeundi ad alia vota Quos sane improvidos Judices humanae naturae conditione, et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia sanctum Matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum, atque indissolubilem primus humani generis Parens praemonuit, inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*: Et illud additum est. *Quamobrem relinquet homo Patrem suum, et Matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*.

§. 2. Hujusmodi autem abolendae pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum Virorum, qui post primam, et secundam, ac tertiam, quam duxerant uxorem, ob nimium Judicum praecipitantiam in nullitate matrimonii declaranda, adhuc primis illis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; et similiter foeminorum, quae post primum, secundum et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se junxerant, non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra Matrimonii vincula ita contemni, et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemuimus, et non praetermisimus Apostolicae nostrae solicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostri Anno ad Episcopos illarum Partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis literis, graviter conquesti sumus de hujus modi pravitate, quae in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere, et pastoralem zelum accendere curavimus, quod etiam egimus cum aliis aliarum Regionum Episcopis, ubi hujusmodi pravum dirimendorum Matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

§. 3. Verum Nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum Judicum, quibus, vel in prima instantia, cum Causa coram Judice Ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest Judex, ad cujus Tribunal causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, justa de causa coram eo disceptari nequit, Causae Matrimoniales hujusmodi a Sede Apostolica committuntur; qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem proclives sunt ad Matrimonia dissolvenda, atque eadem Matrimonia, levi, vel etiam nullo habito examine, irrita, ac invalida declarant: partim etiam ex facto Conjugum super nullitate suorum Matrimoniorum litigantium; cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem Matrimonii postulat, in judicio compareat, et Sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus Conjugibus in Judicium venientibus, altero, qui pro Matrimonio, altero vero, qui contra agit, Sententia de nullitate Matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem Judicem appellationem interponat; vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, et invicem colludentes, contractum Matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia Pars, quae pro validitate Matrimonii stabat, ejusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a Judice Sententia contra Matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et incaeptum opus, ac Causam post primam sententiam deserit; Quo fit, ut deinde ambo Conjuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum Matrimonium se conferat.

§. 4. Quod autem ad Judices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro Litigantiam commodo causae Matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de justitia unicuiq. integre, sapienterq. administranda soliciti esse debemus, encyclicis Literis ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos scriptis vigesima sexta Augusti, anno secundo Pontificatus Nostri, providere curavimus, in quibus ea praescripsimus, quae Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum Causae non nisi personis congrua juris peritia, et necessario probitatis, spectaeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis literis constituta sunt, id etiam in praesenti adjungimus. Quod quamvis Concilii Tridentini Decretum, quo causae Matrimoniales subtractae fuerunt Decani, Archidiaconi, et aliorum inferiorum Judicio, et Episcoporum tantum examini, et jurisdictioni reservatae, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem Dioecesi constituti, vel privilegio aliquo, vel praescriptione, saltem in visitatione, Causarum Matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; ac idcirco minime obstet commissionibus, quae, pro iisdem causis matrimonialibus definiendis, a Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent: nihilominus praecipimus,

ac mandamus iis, ad quos hujusmodi Commissionum, seu Delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant, nisi Episcopis, praesertim vicinioribus; vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio, et delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem, et modum a Nobis praefatis encyclicis Literis praescriptum, pro Judice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

§. 5. Quod vero ad ordinem, et seriem Judiciorum in causis matrimonialibus, pro debita, et congrua earum terminatione, servandam spectat, Motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deve Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus, ac jubemus, ut ab omnibus, et singulis Locorum Ordinariis in suis respective Dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest, ex Ecclesiastico coetu, juris scientia, pariter, et vitae probitate praedita, quae Matrimoniorum Defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si justa causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam, et iisdem qualitatibus ornatam; quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad Matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

§. 6. Ad officium autem Defensoris Matrimoniorum hujusmodi, ut supra electi, spectabit in judicium venire, quotiescumque contigerit, matrimoniales causas super validitate, vel nullitate eoram legitimo Judice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu Judiciali citari, adesse examini testium, voce, et scriptis Matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad Matrimonium sustinendum necessaria censebit.

§. 7. Et demum Defensoris hujusmodi persona, tanquam Pars necessaria ad judicii validitatem, et integritatem censeatur, semperque adsit in Judicio, sive unus ex Conjugibus, qui pro nullitate Matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter voro pro validitate, in Judicium veniant. Defensor autem, cum ei munus hujusmodi committetur, juramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in Judicio adesse debeat pro alicujus Matrimonii validitate tuenda, rursus idem juramentum praebebit: quaecumque vero, eo non legitime citato, aut intimato, in judicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac, pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus perinde, ac si citata, et intimata non esset ea Pars, cujus citari intererat, et quam, juxta legum, et Canonum praescripta, ad legitimam Judicii validitatem, citari, aut intimari omnimo necessarium erat.

§. 8. Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas hujusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de Matrimonii validitate dobitatur, et existentibus in judicio vel uno ex Conjugibus, qui pro nullitate Matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, Defensor Matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a Judice pro Matrimonii validitate judicabitur, et nullus sit, qui appellet, ipse etiam appellatione se abstineat; idque etiam servetur, si a Judice secundae instantiae pro validitate Matrimonii fuerit Judicatum, postquam Judex primae instantiae de illius nullitate Sententiam pronunciaverat; sin autem contra Matrimonii validitatem Sententia feratur, Defensor inter legitima tempora appellabit, adhaerens Parti, quae pro validitate agebat; cum autem in Judicio nemo unus sit, qui pro Matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum Sententia, judicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem Judicem provocabit.

§. 9. Appellatione a prima Sententia pendente, vel etiam nulla, ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem Defensoris, et Partium interposita, si ambo, vel unus ex Conjugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus, ac decernimus, ut non solum servetur, quae adversus eos, qui Matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statuta sunt, praesertim, ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera Sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita, deserta deinde fuerit; Sed ulterius, ut contrahens, vel contrahentes Matrimonium hujusmodi, omnibus poenis contra Polygamos a Sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis constitutis, omnino subjaceant, quas in eos, quatenus opus sit, Motu, scientia, ac potestate simili rursus statuimus, decernimus, ac renovamus.

§. 10. Posteaquam vero, appellationis beneficio, ad alterum Judicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia, et singula quaecumque coram Judice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte, ac diligenter custodientur, citato in quolibet Judicii Actu Defensore matrimonii, qui voce, et scripto matrimonii validitatem strenue, ac pro viribus tuebitur. Et si Judex in secunda instantia fuit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicae Nuncius, aut Episcopus vicinior; Matrimonii Defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quae a Nobis Superius constituta sunt, peragere possit; si autem Judex in Secunda instantia erit Judex Commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio demandata sit, et qui Tribunal, et Jurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat Defensore Matrimonii, volumus, ut illo Defensore Matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cujus Dioecesi causam cognoscet, etiamsi idem Ordinarius sit, qui primam Sententiam in eadem causa pronunciaverit.

§. 11. Instructo autem in hunc modum judicio, si secunda Sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda, aeque ac in prima, nullum, ac irritum matrimonium judicatum fuerit, et ab ea Pars, vel Defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit, in potestate, et arbitrio Conjugum sit novas nuptias contrahere; dummodo alicui eorum, ob aliquod impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram Sententiam conformem, ut supra, Conjugibus facta, intelligatur, et locum habeat, salvo semper, et firmo remanente Jure, seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cujuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem judicatam; sed si nova res, quae non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in judicialem controversiam revocari. Quod si a secunda Sententia super nullitate, vel altera Pars appellaverit, vel hujusmodi sit, ut ei, salva conscientia, Defensor Matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste injusta, vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut, firma remanente utrique Conjugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, poenis, ut praefertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia, vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a Nobis in prima, et secunda instantia demandata fuerunt, nempe, in quolibet judiciali actu, citato, et audito Defensore matrimonii, qui a Judice tertiae instantiae deputatus fuerit.

§. 12. Defensor autem Matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, et Ecclesiae reverentia, in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede, aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius Causae Judice ei constituatur, et ab ea Parte, quae pro validitate Matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur; sin minus, a Judice primae, vel secundae, vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecunias ex mulctis suorum Tribunalium redactas, vel redigendas, et in opera pia erogandas, in hujusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero Judices causae erunt Judices Commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus, ac mandamus, ut Defensori Matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cujus Dioecesi Judex Commissarius, juxta Sedis Apostolicae mandatum, judicium exercebit.

§. 13. Hactenus quidem quoad Causas Matrimoniales, quae extra Romanam Curiam pertractantur: Quoad Causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata Urbe, ejusque Suburbiis, et Districtu Vicarium nostrum in Spiritualibus pro tempore spectet; mandamus, ac jubemus, ut omnia, et singula, quae in aliis causis extra Romanam Curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut judicium peragatur, citato, et audito Defensore Matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut supra, omnimo serventur. Tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia, ex consensu Partium, vel in secunda, per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia, Romam deferuntur; quas omnes judicari volumus, vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione, et executione Concilii Tridentini, vel in Causarum Palatii nostri Auditorio, dummodo Nobis, et Romano Pontifici pro tempore justis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanae Curiae Praelatorum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Defensor Matrimonii a Cardinali Praefecto ejusdem Congregationis, si vero in Palatii nostri Auditorio, ab Auditore Decano prefati Tribunalis, si demum in Congregatione particulari, a Persona ejusdem Congregationis digniore deputetur.

§. 14. Unica quidem resolutio pro nullitate Matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in Palatii nostri Auditorio, unica Sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam Conjugibus facultatem novas nuptias contrahendi. Sed, si causa in praefata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rursus in eadem, ad Defensoris Matrimonii instantiam, reproponatur; Si vero Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem ejusdem Defensoris, altera etiam particularis Congregatio deputabitur. Si vero in Palatii nostri Auditorio judicata sit, a praefato Defensore Appellatione interposita, ab aliis Auditoribus juxta ordinem in gyrum, seu turnum definiatur; Si autem causa universo Tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut ullo in casu Matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo judicata, vel resolutiones, aut Sententiae penitus similes, et conformes, a quibus neque Pars, neque Defensor Matrimonii crediderit appellandum, emanaverit. Quod si secus factum fuerit, et novum initum Matrimonium, nostrae voluntatis hujusmodi transgressores poenis a Nobis, ut supra, statutis submittantur.

§. 15. Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione Matrimonii rati, et non consummati, quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam, a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent, ut hujusmodi instantiae ordi-

ne, ac rite procedant, volumus, ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex, eo lecto, et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem rejiciat, vel ejus examen alicui ex dictis Congregationibus committat; a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario ejusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia judicabit, an Congregationis Resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri Congregationi, vel Tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

§. 16. Demum volumus, ac decernimus, easdem praesentes literas semper firmas validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime, et inviolabiliter observari. Sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et S. Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus verborum, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu scientia, et potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in aliis tradita observata eisdem praesentibus pro expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 17. Volumus autem, ut praesentes Literae in valvis Ecclesiae Lateranensis, et Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur, et affigantur, sicque publicatae, et affixae, omnes, et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent, et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, statuti, Constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo, tertio nonas Novembris, Pontificatus Nostri Anno 11.

D. CARD. PASSIONEUS.

X Sub — Datarius

Visa de Curia

N. Antonellus

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius

Publicata die 29. ejusdem mensis, et anni.

2 Judices vero quoad spectat in causis matrimonialibus definiendis, extra controversiam est, id muneris ex Tridentino Episcopis competere, neque amplius decanos, Archidiaconos, aliosque inferiores ejusmodi jus praesumere posse, quovis privilegio, aut consuetudine non obstante. « Ad haec » (verba sunt Trident.) causae matrimoniales, » non decani, Archidiaconi, aut aliorum inferio» rum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tan» tum examini, et jurisdictioni relinquantur . . . » non obstantibus privilegiis, indultis, concordiis » quae suos tantum teneant auctores, et aliis con» suetudinibus ». *sess.* 24. *de Reformat. cap.* 20.

Quod autem decani, et caeteri hic nominati non possint cognoscere causas matrimoniales, hoc etiam procedit, etsi essent exempti. Gallemart *in cit. sess.* 24. *Cap.* 20. *sub n.* 13. 4

Si vero de Vicario Generali Episcopi sermo sit: « secundum probabiliorem sententiam poterit is » vi sui Officii, seu Vicariatus sibi commissi, abs- 5

» que speciali mandato, causas matrimoniales co» gnoscere, et dijudicare . . . Est quoque ratio . . . » (quod) neque a jure, neque a Tridentino adimi» tur Vicario potestas cognoscendi causas matri» moniales .. Monet tamen recte Pirhing, hac in re » spectandam consuetudinem cujusque dioecesis ». » Leurenius *Vicar. Episc. quaest.* 160. *n.* 3. « Con» traria, opinio (sic quoque Ventriglia), nempe, » quod Vicarius ex sola generali commissione pos» sit cognoscere de causis matrimonialibus, judica» tur verior, et communis ». *Prax. For. Eccles. part.* 2. *Annot.* 14. *n.* 25. Ac ita sentiont Genuensis, Pax Jord. Azorius, aliique innumeri apud Barbosam *in Trid. cit. cap.* 20. *num.* 57.

6 Sede vero Episcopali vacante, causas ejusmodi Vicarium Capituli cognoscere posse, declaravit S. Cong. Concilii 30. *Maji* 1602. Vide *v. Vicarius Capituli art.* 2. *n.* 20.

7 An autem Abbates, et inferiores Praelati dicta potestate polleant causas matrimoniales judicandi? Antequam de hoc responsum demus, lubet heic repetere, quae sub *v. Abbas num.* 48. de triplicis speciei *Abbatibus* dicta sunt, hoc sane pacto:

Nimirum prima species est eorum, qui certo praesunt generi personarum existentium intra septa alicuius Ecclesiae, Monasterii, seu Conventus cum passiva exemptione a jurisdictione Episcopi. Ejusmodi sunt Superiores Regulares, et nonnulli Praelati Saeculares, qui una cum Ecclesia, ejusque Ecclesiae Clericis, et administris, quibus praeficiuntur, subsunt immediate Romano Pontifici.

Secunda species est Praelatorum habentium jurisdictionem activam in Clerum, et populum certi loci; qui tamen locus est intra Episcopi Dioecesim, a qua undique circumscribitur. Et hujusmodi Praelati improprie tantum, et lato quodam loquendi modo, dicuntur esse *Nullius*.

Tertia species est Praelatorum, qui jurisdictionem activam habent in Clerum, et populum alicujus loci, seu oppidi, aut plurium locorum, et oppidorum, quae omnino avulsa, et separata sunt a cujuslibet Episcopi Dioecesi; quapropter dicuntur constituere quamdam quasi Dioecesim, ubi Praelatus, iis exceptis, quae Ordinis Episcopalis sunt, omnia exercet, quae caeteroquin ad Episcopalem jurisdictionem pertinerent. Hujus generis Praelati inter inferiores nobilissimi sunt, et dicuntur vere, et proprie *Nullius*, et veris annumerantur Ordinariis locorum.— Haec in terminis apud Benedictum XIV. *de Synod. Dioec. lib.* 2. *Cap. XI. n.* 1.

Hisce distinctionibus, ac declaration, praemissis: « Si agatur (sic Cardinalis Petra) de Praelatis » *tertiae speciei nullius*, tunc non per viam praes» criptionis, sed per viam comprehensionis in eo» dem jure vere nullius, dicuntur habere dictum » jus cognoscendi causas matrimoniales, quia ha» bent jurisdictionem in omnibus juribus Episco» palibus, et dicuntur Episcopi in iis, quae pen» dent a jurisdictione, etiam dignitatis Episcopa» lis, praeter potestatem Ordinis . . et declaravit » plures Sacra Congregatio Concilii, cognitionem » causarum matrimonialium pertinere ad hujus» modi Praelatos vere *nullius* ». *ad Const. Apost. Const.* 4. *Callisti III. Sect.* 2. *num.* 37. *Tom.* 5. *pag.* 58.

» Abbati nullius dioecesis (ita etiam Barbosa) » habenti in suos subditos omnem jurisdictionem, » competit cognoscere de causis criminalibus, et » matrimonialibus suorum subditorum ». *in Trident. sess.* 24. *cap.* 20. *n.* 55.

Quantum vero attinet ad Praelatos inferiores, *sive primae, sive secundae speciei* « declaratum fuit a 8
» Sacra Congregatione Concilii, et hoc jus practita» tur, ut non possint dictas causas (matrim.) co» gnoscere . . . nisi *dicti Praelati* probarent pos» sessionem immemorabilem, ex ea ratione, quia » *immemorabilis* supponit privilegium Apostoli» cum, cum praesumat meliorem titulum de mun» do . . . non (vero) suffragari quadragenariam » cum titulo colorato . . . (quippe) Concilium » substulit quamcumque consuetudinem, et sic » etiam quadragenariam cum titulo colorato; im» memorabilem vero non substulisse tenendum est, » quia ista praesumit adesse quemcumque titulum » meliorem de mundo, et sic privilegium Aposto» licum . . . Unde sicuti privilegio Apostolico po» test acquiri tale jus cognoscendi dictas causas, » ita etiam immemorabili ». Cardinalis Petra *loc. cit. num.* 33. *et seqq.*

» Hodie (sic pariter Fagnanus) consuetudo in» feriorum cognoscendi de causis matrimonialibus » sublata est a Concilio Tridentino, nisi sit im» memorabilis, ut declaravit Sacr. Congregatio » ejusdem Concili interpres ». *Ad cap. accedentibus, de excess. Praelat. n.* 6.

Ac demum Joan. Devoti sic habet: « Criminales, » et matrimoniales causas subditorum recte judi» cant Praelati, qui quasi Dioecesim separatam ha» bent; non item *reliqui Praelati inferiores, licet* » *exempti sint*, nisi hoc privilegium obtinuerint » vel a summo Pontifice, vel per praescriptionem, » quae ultra hominum memoriam est ». *Jus Canon. Univ. de Officio Judicis Ordin.* §. 14.

RESCRIPTUM

SUMMARIUM

1. Rescriptum vi nominis quid importet? — 2. Rescriptum quid sit? — 3. Rescriptum dividitur in Rescriptum *Justitiae*, et Rescriptum *Gratiae*. — 4. Rescriptum *Justitiae* quale sit? — 5. Rescriptum *Gratiae* quale sit? — 6. In Apostolicis rescriptis *Justitiae* apponi solet filum *Cannabis*. In rescriptis vero *Gratiae* apponi solet filum *Sericum*. — 7. Rescripta tum *Justitiae*, tum *Gratiae* impetrare potest omnis ille, qui non reperitur a Jure prohibitus. — 8. Dicta tamen rescripta impetrare prohibentur Haeretici. — 9. Item Rescripta impetrare prohibentur Excommunicati Excommunicatione majori. — 10 Rescripta impetrata ab Excommunicatis ipso Jure sunt nulla, nisi in caussa ipsius Excommunicationis, vel appellationis sint impetrata. — 11. Rescripta Justitiae, seu ad lites, sunt praesentanda inter annum postquam impetrans habuerit copiam Judic. Delegantis. — 12. Rescriptis autem Gratiae, et ad Beneficia non est certum tempus in Jure praefixum, quo praesentari debeant. — 13. Dummodo tamen impetrans per notabilem negligentiam, aut dolum, seu malitiam diutius ati non postposuerit, Tunc enim impetrans interim aliud contrarium Rescriptum esset praeferendus primo in assecutione Beneficii. — 14. Quando autem aliquis debeat dici negligens in praesentandis rescriptis Gratiae, relinquitur arbitrio Judicis dijudicandum, inspecta qualitate personae, loci distantia, ac qualitate caussae. — 15. In Rescriptis Justitiae attenditur tempus *Praesentatae*. — 16. In Rescriptis autem Gratiae attenditur tempus *Datae*. — 17. Rescripta omnia tum Justitiae, tum Gratiae, sicuti et Privilegia, quando verba sunt clara, intelligenda sunt, et interpretanda secundum propriam significationem, et communem usum loquendi. — 18. Rescripta Justitiae, seu ad lites in dubio, si de contraria voluntate rescribentis non constet, intelligi, et interpretari debent secundum Jus commune. — 19. Praeterea rescripta Justitiae, seu ad lites sunt stricte interpretanda, Nec ad casum, vel Personam in rescripto non expressam sunt extendenda. — 20. Rescripta Gratiae, quae nemini praejudicant, sunt, generaliter loquendo, late interpretanda. — 21. Rescripta autem impetrata ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda sunt stricte interpretanda. — 22. Adducuntur ad rem exempla valde notanda. — 23. Qualis autem interpretatio facienda sit in rescriptis, quae habent vim Beneficii? *remissive*. — 24. Rescripta Gratiae, et ad Beneficia per subreptionem, et obreptionem obtenta, sunt ipso Jure nulla. — 25. Rescripta autem Justitiae, seu ad lites per subreptionem etiam dolosam non vitiantur ipso Jure, sed duntaxat ope exceptionis. — 26. Assignatur ratio hujus discriminis inter rescripta Gratiae, et Justitiae. — 27. Rescripta sive Justitiae, sive Gratiae generatim loquendo fiunt subreptitia, vel obreptitia duas ob caussas, quae assignantur. — 28. Inter *Obreptionem*, *et Subreptionem* nonnulli ponunt differentiam, quae assignatur. — 29. Alii autem fere communiter volunt, quod *Obreptio*, et *Subreptio*, non different, sed sint termini Synonimi. — 30. Obreptio, seu Subreptio dolosa vitiat rescriptum in toto. — 31. Obreptio, seu Subreptio ex ignorantia, vel simplicitate vitiat rescriptum in totum, si Pontifex, vel Princeps, cognita veritate, nullo modo dedisset tale rescriptum. — 32. Obreptio, seu Subreptio ex ignorantia, vel simplicitate non vitiat substantiam rescripti, si Pontifex, vel Princeps, alias expressa veritate, vel tacita falsitate, adhuc ipsum rescriptum concessisset. — 33. Et hoc etiam locum habet nedum in rescriptis Justitiae, et ad lites, sed etiam in rescriptis Gratiae, et ad Beneficia. — 34. Error manifestus, et gravis latinitatis vitiat rescripta Apostolica. — 35. Non sic autem error levis, ut defectus unius litterae, vel syllabae. — 36. Error manifestus, et gravis non vitiat Testamenta, et alia Instrumenta, modo de voluntate Disponentis constat. — 37. Error in nomine, vel pronomine non vitiat Testamentum, aut aliam dispositionem: Dummodo constet de corpore, sive de quo senserit Testator, aut disponens. — 38. Rescripta Apostolica emanata contra Jus commune, de quo mentionem non faciunt, aut contra communem stylum, seu praxim Curiae Romanae praesumuntur falsa, et rejici debent. — 39. Rescripta, et alia quaecumque instrumenta habentia rasuram in loco suspecto, et substantiali, tamquam falsa, et invalida rejici possunt, et nihil probant. — 40. Rescripta Justitiae, seu ad lites, re adhuc integra, expirant morte concedentis; Secus autem, quando res non est amplius integra. — 41. Ut autem res non sit amplius integra, sicque perpetuetur valor rescripti Justitiae, seu ad lites, et Jurisdictio delegata, requiritur, et sufficit citatio partis per Delegatum ante obitum concedentis, seu Delegantis facta. — 42. Rescripta Gratiae, seu ad Beneficia non expirant morte Concedentis, etiamsi res adhuc integra maneat. — 43. Intellige tamen de rescriptis Gratiae jam factae: Secus autem de rescriptis Gratiae faciendae. — 44. Affertur ratio Disparitatis. — 45. Rescriptum Gratiae factae ad Beneplacitum Concedentis durat, donec ille illud revocaverit; aut donec ipse concedens moriatur. — 46. Rescriptum Gratiae concessae ad Beneplacitum Sedis Apostolicae, non expirat morte Papae concedentis. — 47. Rescriptum Gratiae ad beneplacitum Personae, et Dignitatis, quae perpetua est, an expiret morte Concedentis? — 48. Rescriptum Gratiae concessae cum clausula: *Donec revocaverimus*, *Donec aliud duxerimus ordinandum*, et hujusmodi, durat perpetuo, nisi a concedente, vel successore ipsius revocetur. — 49. Alia ad rem ad *num*. 65. — Subnect. Addit. Casinenses pluribus num. distinctae.

1 Rescriptum vi nominis importat omnes responsiones ad quamcumque petitionem scripto datas. Unde in hoc sensu Rescriptum idem significat, ac *Responsum scriptum*, quo nimirum rescribitur absenti, et sic etiam scriptae Epistolae responsoriae privatorum, Rescripta dici possunt: Gregor. Tholosan. *lib.* 1. *de Rescript. n.*
2 4. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 3. §. 1. Reiffenstuel *ibidem n.* 2. et alii passim. In proposito autem non de privatorum, sed supremorum Principum Rescriptis est sermo. Et Rescriptum sic captum « est Responsum a Supremo Principe ad consultationem, relationem, vel supplicationem alterius in scripto datum »; sic dictum, non quasi iterum scribatur, sed quasi responsum scriptum. Colligitur *ex l. Appellandi usus*, 1. §. 1. *ff. de appellationib. et relationib. ad Rubr. de Rescriptis n.* 2. Hostiens. *ibid.* Azorius *part.* 1. *Institut. moral. lib.* 4. *quaest.* 1. Pirhing *loc. cit. n.* 1. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 2. et alii communiter.

3 Rescriptum dividitur in Rescriptum Justitiae, et
4 in Rescriptum Gratiae. *Communissima*. Rescriptum *Justitas* est illud, quod datur ad explicandum, seu declarandum Jus pro justitia administranda in decisione causarum inter partes *Est in re com-*
5 *munis*. Rescriptum *Gratiae* est illud, quod ex mera gratia, et liberalitate Principis datur ad obtinenda Beneficia, et alias consimiles gratias. *Est in re communis.*

6 In Apostolicis Rescriptis *Justitiae* apponi solet filum *Cannabis*, in quo plumbum pendet; In Rescriptis vero *Gratiae* apponi solet filum *Sericum*. Unde *in cap. Quam gravi* 6. *de crimine falsi*, dicitur, quod, ad deprehensionem falsi, filum Bullarum sit diligenter inspiciendum: Engel. *lib.* 1. *Decr. tit.* 3. *n.* 17. Rebuff. « in praxi Beneficiorum in tit. differentiae inter Rescripta Gratiae, et Justitiae »; et alii passim.

7 Rescripta tum *Justitiae*, tum *Gratiae* impetrare potest omnis ille, qui non reperitur expresse a Jure prohibitus: *Communis, arg. cap. Jam nunc* 8. *caus.* 28. *q.* 1. *et cap. Non indiscrete* 1. *de Pro-*
8 *ratorib. in* 6. Dicta tamen Rescripta impetrare prohibentur Haeretici; *l. Nullus* 2. *Cod. de Summa*
9 *Trinitate*. Item Rescripta impetrare prohibentur Excommunicati Excommunicatione majori, *c. Di-*
10 *lectus, de Rescriptis*. Unde Rescripta impetrata ab Excommunicatis ipso Jure sunt nulla, nisi in causa ipsius Excommunicationis, vel appellationis sint impetrata, textu expresso *in c. Ipso Jure* 1. *de Rescriptis in* 6.

11 Rescripta Justitiae, seu ad lites, sunt praesentanda intra annum, postquam impetrans habuerit copiam Judicis Delegati; Alioquin valet secundum Rescriptum ab Adversario impetratum, etiam non facta mentione de primo: *Communis*, textu expresso *in cap. si autem* 9. *et cap. Plerumque* 23. *de Rescriptis.*

12 Rescriptis autem Gratiae, et ad Beneficia non est tempus in Jure praefixum, quo praesentari debeant, *cap. Si autem* 9 *de Rescriptis*, et *ibi* DD.
13 communiter. Dummodo tamen impetrans per notabilem negligentiam, aut dolum, seu malitiam diutius, seu longius uti non postposuerit, quia si interim aliquis impetraverit aliud contrarium Rescriptum, tunc secundus impetrans in assecutione Beneficii praeferendus esset primo: *Communis* per text. *in cap. Ubi qui gratiam* 12. *de Rescriptis in* 6. ibi: « Cum tamen dolus tibi non possit, vel notabilis negligentia imputari », *et cap. si Clericus* 11. *de praebend. in* 6. ibi: « Cum facta ei gratia, per ipsius negligentiam sit extincta ».

14 Quando autem aliquis debeat dici negligens in praesentandis Rescriptis Gratiae, relinquitur arbitrio Judicis dijudicandum, inspecta qualitate Personae, et loci distantia, ac qualitate causae; *argum. cap. Cum sit Romana* 5. *de appellat.* Glossa *in citat. cap. si Clericus* 11. *de praebend. in* 6. *in verb. Negligenter*, per textum notabilem in *l. Continuus* §. *Cum ita*, *ff. de verbor. obligationibus*, Panormitanus *in cit. cap. si autem* 9. *de Rescriptis n.* 4. Alexander *lib.* 1. *consil.* 19. *n.* 29. Menochius *de Arbitr. Judic. cas.* 104. *n.* 4. Engel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 3. *n.* 23. Reiffenstuel *ib. n.* 66. et alii passim.

In Rescriptis Justitiae attenditur, et inspicitur 15
tempus *Praesentatas*, seu factae praesentationis: *Communis*, per text. in cap. *Ut debitus* 59. *de appell.* In his enim Rescriptis Justitiae subintelligitur tacita conditio, *si praesentetur, arg. c. Super eo* 12. *de appell.* ibi: « si autem infra certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc terminus incipit currere, cum Judices contigerit Litteras recepisse ».

In rescriptis autem Gratiae attenditur, et inspi- 16
citur tempus *Datae*: *Communis*, per text. *in c. Eamte* 7. *de Rescriptis*, ibi: « Quod nullatenus fecisse deberes, si Datam Litterarum diligentius attendisses »; et concordat *cap. constitutus* 19. *juncta Glossa ibidem verb. Impetrasse, de Rescriptis*, *et c. Eum cui* 7. *de praebend. in* 6. in cujus Summario sic expresse habetur: « In impetratione Beneficiorum inspicitur Data, non praesentatio, vel receptio »; et clare habetur decisum in *cap. si eo tempore* 9. *de Rescriptis in* 6. ubi Pontifex resolvit, quod virtute Rescripti Beneficialis non possit conferri Beneficium Curatum illi, qui tempore *Datae* ipsius Rescripti nondum habebat aetatem idoneam ad illud, etiamsi postmodum fuerit effectus legitimae aetatis, reddita hac ratione: *Cum tempore Datae ipsarum adhuc non esset idoneus*, et in ejus Summario expresse dicitur: « in Litteris ad Beneficia impetratis inspicitur tempus datae. Unde per illas Beneficium Curatum obtinere non poterit, qui licet nunc sit major, illo tempore minor erat ».

Rescripta omnia, tum Justitiae, tum Gratiae, si- 17
cuti et Privilegia, quando verba sunt clara, intelligenda sunt, et interpretanda secundum propriam significationem, et communem usum loquendi; *l. Licet Imperator*, *ff. de Legatis* 1. *et l. Ille*, *aut Illa*, *ff. de Legatis III. cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis, c. Porro, de Privileg.*

Rescripta Justitiae, seu ad lites, in dubio, si de 18
contraria voluntate Rescribentis non constet, intelligi, et interpretari debent secundum Jus commune, ita ut ab illo nullimode recedatur, quamvis necessarium foret a verborum proprietate recedere, vel clausulam adjectam transponere, *cap. Cautum* 18. *de Rescriptis*, ubi circa hoc habetur casus, et Decisio singularis, ut notant *ib.* Abbas *n.* 1. Felin. *n.* 9. Fagnan. *n.* 4. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 3. *n.* 15. Reiffenstuel *ibidem n.* 110. et alii communiter. Et ratio est, quia Rescripta Justitiae, seu ad lites, dantur ad Juris observantiam. Unde in dubio non censetur Papa, seu Princeps velle decernere aliquid juri communi contrarium, quia mens Principis censetor esse talis qualis de Jure esse debet, *l. Ex post facto* 33. *ff. de vulg. et pupill. substitut.* Adeoque in tali casu, si Ordo, aut constructio verborum aliam explicatio-

nem, aut sensum non admittat, nisi qui sit contrarius Juri communi, potius praesumendum est, per errorem Scriptoris verba esse transposita, vel aliter mutata, cujusmodi error veritati obesse non debet; *l. Errors* 7. *et l. Ambiguitates* 24. *Cod. de Testamentis*.

19 Praeterea Rescripta Justitiae, seu ad lites sunt stricte interpretanda, nec ad casum, vel Personam in Rescripto non expressam sunt extendenda: Glossa communiter recepta in *cap. Nonnulli* 28. *verb. Lites restringendae, de rescriptis, c. olim* 32. *et c. P. G. de Offic. et Potest. Judic. Delegat. c. Quod alicui* 74. *de Regul. Juris in* 6. Pirhing *loc. cit. n.* 17. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 121. Felinus in *cit. cap. causam* 28. *de Rescriptis n.* 8. et alii passim. Et ratio est, quia per Rescripta Justitiae, seu ad lites detrahitur jurisdictioni Judicum Ordinariorum, simulque per ea praebetur ansa, et materia litigandi, adeoque merito censeri debent odiosa, cum omnis recessus a Jure communi censeatur odiosus: *c. Is qui* 1. *et c. si quis* 2. *de Filiis Presbyterorum in* 6. sicque restringenda, et non extendenda; *c. Odia* 15. *et c. Quae a Jure* 28. *de Regul. Juris in* 6.

20 Rescripta Gratiae, quae nemini praejudicant, sunt, generaliter loquendo, late interpretanda: *Communis*, textu expresso in *l. Beneficium ff. de Constitutionibus Princip. c. Cum olim* 16. *de verborum signific. c. Quia circa* 22. *de Privileg. c. Quamvis* 4. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Favores convenit ampliari*.

21 Rescripta autem impetrata ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda sunt stricte interpretanda, et restringenda, quia sunt ambitiosa, seu per ambitionem impetrari solent: *Communis*, textu expresso in *cit. cap. Quamvis* 4. *de praebend. in* 6. ibi: « Quamvis plenissima sit alias in Beneficiis interpretatio facienda, Litterae tamen super obtinendis Beneficiis debent, cum sint ambitiosae, restringi ».

22 Unde ad rem habentur exempla valde notanda *cap. Cui de non Sacerdotali* 27. *de Praebend. in* 6. ibi: « Cui de non Sacerdotali Praebenda provideri mandatur, sibi etiam volenti Sacerdotalis auctoritate mandati hujusmodi conferri nequibit. Similiter, si in Ecclesia, in qua integrae, ac dimidiae Praebendae habentur, mandatur integra conferri Praebenda, quamquam ille, pro quo scriptum extitit, dimidia velit esse contentus, ei de ipsa non poterit provideri. Idem cum injungitur provideri alicui de Praebenda certi valoris, etiam illo volente, mandatum non possit adimpleri; non enim hujusmodi mandata (quorum fines diligenter servari oportet) debent ad casus alios, quam expressos extendi ».

23 Qualis autem interpretatio facienda sit in Rescriptis, quae habent vim Privilegii? Vide verb. *Privilegium art.* 2. *a n.* 19. *ad* 28.

24 Rescripta Gratiae, et ad Beneficia per subreptionem, vel obreptionem obtenta, sunt ipso Jure nulla: *Communis, in c. Constitutus* 19. *et cap. Ad Audientiam* 31. *de Rescriptis, cap. Si is* 2. *de filiis Presbyteror. in* 6. ibi: « Talis dispensatio... veluti per subreptionem obtenta nullius penitus est momenti »: *cap. Si metu* 23. *de Praebend. in* 6. ibi: *Ipsam* (gratiam) *veluti subreptitiam vires nolumus obtinere*, Clementin. *Si Dignitatem* 1. *de Praebend.* ibi: « Gratia hujusmodi velut subreptitia nullius penitus est momenti ».

Rescripta autem Justitiae, seu ad lites per subreptionem etiam dolosam non vitiantur ipso Jure sed dumtaxat ope exceptionis, idest valida sunt, donec Adversarius, contra quem impetrata sunt, de subreptione ipsorum excipiat, et vere subreptitia demonstret: *Communis*, per text. in *c. Si autem* 9. *et c. Plerumque* 22. *de Rescriptis*, ubi habetur, quod si posterius Rescriptum ad alios Judices impetretur, non facta mentione prioris Rescripti, per exceptionem rejici potest, nisi is, qui prius Rescriptum impetravit, eo per annum, dolo, vel negligentia uti intermittat. 25

Ratio autem hujus discriminis inter Rescripta Gratiae, et Justitiae est, quia in Rescriptis Gratiae non est pars, quae possit excipere de subreptione. Unde, cessante provisione hominis, necesse fuit, ut Lex ipsa provideret, ipso Jure hujusmodi Rescripta subreptitie obtenta irritando, et cassando, ut sic falsus Precator consuleret suae conscientiae per cessionem Beneficii, ut notat Glossa in *cap. Cum pridem* 10. *de renunciations verb. Sed dumtaxat*. At vero in Rescriptis Justitiae, seu ad lites, adest pars, cujus interest, quae potest de eorum subreptione excipere, et appellare. Unde stante provisione hominis, non fuit necesse, ut Lex provideret per irritationem hujusmodi Pescriptorum: Fagnan. in *cit. cap. Ad audientiam* 31. *de Rescriptis n.* 37. Pirhing *loc. cit. n.* 85. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 173. et alii, qui afferunt alias rationes discriminis apud ipsos videndas. 26

Rescripta sive Justitiae, sive Gratiae, generatim loquendo, duas ob causas fiunt subreptitia, seu obreptitia. Primo ob taciturnitatem veritatis ad rem per se, seu intrinsece pertinentis, adeoque necessario exprimendae. Secundo per expressionem falsitatis itidem per se, et intrinsece ad rem spectantis; *c. Super litteris* 20. *de Rescriptis*, ibi: *Tacita veritate, vel suggesta falsitate*. Et infra, *Falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem* Et infra: *Si vero per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis*. Et colligitur etiam *ex l. Praescriptions* 2. *Cod. Si contra Jus. l. Quidam* 1. *Cod. Si Nuptiae ex Rescripto; l. Si quis obrepserit* 29. *ff. de Lege Cornelia de Falsis*. 27

Inter *Obreptionem*, et *Subreptionem* nonnulli volunt adesse hanc differentiam, quod nempe *Obreptio* committatur per narrationem, seu expressionem falsi, et *Subreptio* per taciturnitatem veri necessario exprimendi, vel quando per confusam, aut perplexam, seu callidam ejus narrationem oc- 28

cultatur. Sic plures Doctores apud Menoch. *de Arbitrar. Jud. cas.* 201. *num.* 9. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 21. *numer.* 2. Barbosa *in cit. cap. Super litteris* 20. *de Rescriptis num.* 3. qui proinde addunt, quod majus est vitium *Obreptionis*, quam *Subreptionis*, cum gravius sit falsum exprimere, quam verum tacere; Quam differentiam semper menti tenendam vult Abbas *in cap. Cum Dilecta* 22. *de Rescriptis n.* 7.

29 Alii autem fere communiter volunt, quod *Obreptio*, *et Subreptio* sint termini synonimi, at indifferenter, ac promiscue illos usurpant, appellando omnia Rescripta male impetrata Obreptitia, vel Subreptitia, sive falsum in iis narretur, et exprimatur, sive veritas necessario explicanda taceatur: Ita Abbas in *cit. cap. Cum Dilecta* 22. *de Rescriptis n.* 7. Fagnan. *in cit. cap. Super litteris* 20. *de Rescriptis n.* 5. cum pluribus ibi citatis, Jason. in *cit. l. Praescriptione* 2. *Cod. Si contra Jus n.* 1. Decius in *cit. cap. Super litteris n.* 1. Menochius *de Arbitrar. Jud cas.* 201. *n.* 10. ubi alios plures allegat, Pirhing *loc. cit. n.* 86. *in fine.* Reiffenst. *loc. cit. n.* 155. Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. disp.* 21. *n.* 2. et alii. Et hoc colligitur ex pluribus Juribus, tam Canonicis, quam Civilibus, in quibus *Obreptio*, *et Subreptio* pro synonimis, et idem importantibus accipiuntur; Et quidem sic accipiuntur in *cap. Quisquis metu* 79. *caus.* 11. *quaest.* 3. ibi: « Uterque reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit »: et idem ipsissimis verbis habetur in *cap. Falsidicus* 1. *de crimine falsi*, et clarius habetur in *cit. cap. Super litteris* 20. *de Rescriptis*, ubi per totum parificantur taciturnitas veri ceteroquin de Jure exprimendi, et narratio, seu expressio falsi, uti notat Fagnan. *ibid. num.* 25. cum aliis; et patet ex verbis textus adductis *supra n.* 27. Idem habetur *ex l. Quidam* 1. *Cod. Si nuptiae ex Rescripto*, ubi eadem Rescripta modo *obreptione precum*, modo *subreptione precum* impetrari dicuntur, Item *ex l. Si quis obrepserit* 29. *ff. De Lege Cornelia, de falsis*, ibi: *Si quis obrepserit Praesidi* (veritatem in precibus ab eo datis non adjiciendo) perinde *punitur*, *atque si falsum fecerit.* Item *l. Praescriptione* 2. *Cod. Si contra Jus*, ibi: « Sive in Juris narratione mendacium reperiatur, sive facti, sive in tacendi fraude; pro tenore veritatis, non deprecantis affirmatione datum Judicem cognoscere debere ».

30 Obreptio, seu Subreptio dolosa vitiat Rescriptum in totum: *Communis* per textum expressum *in cap. Super litteris* 20. *de Rescriptis*, ibi: « Qui « priori modo (idest per fraudem, vel malitiam) « falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in suae perversitatis poenam nullum ex illis Litteris commodum consequantur »; Et ratio est, quia fraus, et dolus nemini patrocinari debent; *cap. Sedes* 15. *et cap. Ex tenore* 16. *de Rescriptis*, *cap. Ex litteris* 2. *de dolo, et contumacia; cap. Tuae* 12. *de Clericis non resident. l. In fundo, ff. de Rei vindic. l. Cum hi, de transactionibus, l. Si Legatarius, Cod. de legatis*, cum similibus.

Obreptio, seu Subreptio ex ignorantia, vel simplicitate vitiat Rescriptum in totum, si Pontifex, vel Princeps, cognita veritate, nullo modo dedisset tale Rescriptum: *Communis*, per textum expressum *in cit. cap. Super Litteris* 20. *de Rescriptis*, ibi: « Si vero per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis (ex ignorantia, vel simplicitate) Litterae fuerint impetratae, qua tacita, vel expressa, Nos nullas prorsus Litteras dedissemus, a Delegato non est aliquatenus procedendum ». Unde Felinus in Summario in *cit. cap. Super litteris* expresse dicit: « Subreptio, si processit ex simplicitate, vel ignorantia, eatenus vitiat, quatenus fuit causa concessionis »; *arg. leg. Adigere* 6 *§.* 2. *ff. de Jurepatron. cap. Cum cessante* 60. *de appellat.* cum similibus. 31

Obreptio, seu Supreptio ex ignorantia, vel simplicitate non vitiat substantiam Rescripti, si Pontifex, vel princeps, alias expressa veritate, vel tacita falsitate, adhuc ipsum Rescriptum concessisset: *Communis*, per textum expressum in *cit. cap. Super litteris* 20. *de Rescriptis*, ibi: « Si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quae quamvis fuisset tacita, vel expressa, Nos nihilominus (saltem forma communi) Litteras dedissemus, Delegatus non sequens formam Litteris ipsis appositam, secundum Ordinem Juris in causa procedat ». 32

Et hoc locum habere nedum in Rescriptis Justitiae, et ad lites, sed etiam in Rescriptis Gratiae, et ad Beneficia, tenent Abbas *in cit. cap. Super litteris n.* 5. Felinus *ib. n.* 2. citans Butrium, Imolam, et alios, Fagnan. *ib. n.* 54. *et seq.* citans multiplices Decisiones Rotae; Raiffenstuel *lib.* 1. *Decr. tit.* 3. *a n.* 161. *ad* 199. ubi solvit contraria; Engel *ib. n.* 12. et alii per text. *in cap. Si eo tempore* 9. *de Rescriptis in* 6. *cap. Si pro Clericis; et cap. Dudum* 14. *§. Nos igitur*, *de Praecend. in* 6. 33

Error manifestus et gravis latinitatis vitiat Rescripta Apostolica: *Communis*, per expressum textum *in cap. Ad audientiam* 11. *de Rescriptis*, ibi: « Quibus Litteris, quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere »; Cum enim Rescripta Apostolica transeant per multas manus, magnaque maturitate consilii decoquantur, sive concipiantur; *cap. Apostolicae* 4. *caus.* 35. *qu.* 9. et *ibi* Gloss. verb. *Decoquantur*, non est verisimile, quod ex tam multis doctis, et cautis Officialibus, nullus viderit manifestum, et gravem errorem latinitatis, aut si viderit, ipsum reliquerit incorrectum; adeoque stat fundata praesumptio, quod Rescriptum adeo vitiosum processerit extra voluntatem Papae, et ab alio fuerit falsificatum. 34

Dicitur autem notanter *error manifestus*, *et gravis*, quia error levis, verbi gratia, defectus unius litterae, vel syllabae non vitiat ipsa Rescripta, eum de facili possit etiam plurium oculos subterfuge- 35

re: *Commmunis*, textu expresso *in cap. Ex part.* 11. *de Fide Instrumentorum*, ibi: « Quia rescrip» tum Apostolicum pro eo, quod in hac dictione spoliarunt, haec figura O deerat, asseritur vitiosum; mandamus quatenus, hoc non obstante, in negotio ipso ratione praevia procedas »: et concordat textus *in leg. Qui habebat* 54. *ff. De manumissis testament.* ubi licet Testator manumissurus unicum suum servum, vocaverit eum *Cratistum*, cum appellaretur *Cratinus*, respondetur *Nihil obesse*, *quod in syllaba errasset*, in cujus Summario Bartolus expresse dicit: *Error in syllaba non nocet.*

36 Error manifestus, et gravis non vitiat Testamenta, et alia Instrumenta, v. g. contractuum, modo de voluntate Disponentis constet; l. *Errors* 7. *Cod. de Testamentis*, juncto Summario, in quo sic expresse habetur: « Error scribentis veritati non nocet, et ideo si apparet de voluntate Testatoris, licet per errorem scribentis scripta non fuerit, habetur pro scripta ». Et concordant *l. Qui habebat* 54. *ff. De manumiss. Testam. et l. Imperator* 8. *ff. De statu hominum.* Et sic tenent Glossa final. *in cit. c. Ad audientiam* 11. *de Rescriptis*, et ibi Abbas *n.* 3. Felin. *n.* 8. Pirhing *lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 120. Reiffenstuel *ibid. n.* 216. et alii passim. Cum enim haec non transeant per tam multas manus sicut Rescripta Apostolica, sed uni Tabellioni ordinarie scribenda committantur, facilius potest irrepere falsa latinitas, aut alius error incorrectus relinqui; adeoque talis error non vitiat Testamenta, seu Instrumenta, si ceteroquin sufficienter constet de voluntate Testantis, seu Disponentis.

37 Error in nomine, vel pronomine non vitiat Testamentum, aut aliam dispositionem; Dummodo constet de Corpore, sive de quo senserit Testator, aut Disponens: *Communis*, textu expresso *in leg. si in nomine, Cod. de Testament.* ibi: « Si in nomine, vel pronomine, seu cognomine, seu agnomine Testator erraverit, nec tamen de quo senserit, incertum sit, error hujusmodi nihil officit veritati ».

38 Rescripta Apostolica emanata contra Jus commune, de quo mentionem non faciunt, aut contra communem Stylum, seu praxim Curiae Romanae, praesumuntur falsa, et rejici debent; *cap. Rescripta* 15. *causa* 25. *qu.* 2. *l. Rescripta* 7. *Cod. de precibus Imperat. asserend. l. Ultim. Cod. si contra Jus.* Non enim verisimile est, Pontificem, cujus est Jura tueri, voluisse Jura tot vigiliis excogitata, et firmata, uno verbo, vel Rescripto evertere, *cap. Ecclesia* 57. *de election.*

39 Rescripta, et alia quaecumque Instrumenta habentia rasuram in loco suspecto, et substantiali, tamquam falsa, et invalida rejici possunt, et nihil probant: *Communis*, per text. *in L. Licet* 5. *de crimine falsi*, *cap. Inter dilectos* 6. §. *Sed contra*, *de Fide instrumentor.* et *cap. Cum olim* 14. *de privileg.* et praesertim *in cap. Cum venerabilis* 7. *de Religiosis Domibus*, ubi quoddam Instrumentum, propter rasuram in loco suspecto, ad faciendam fidem reputatur invalidum, utpote de Jure suspectum, ibi: « Praedicto Instrumento nullam fidem penitus adhibendam propter superlinearem scripturam, et rasuram loco suspecto factam, ubi videlicet annotatio temporis recensetur »; et infra; « Quia vero Instrumentum praedictum, per quod Episcopus Ecclesiam intendebat quoad temporalia vindicare, ad faciendam super hoc fidem invalidum esse cognovimus, utpote propter praedicta de Jure suspectum, vos ab impetitione ipsius quoad temporalia ejusdem Ecclesiae duximus absolvendos ».

Rescripta Justitiae, seu ad lites, re adhuc integra, expirant morte concedentis; secus autem quando res non est amplius integra: *Communis, ac certa.* pro text. expressum, *in cap. Licet undique* 30. *de Offic. Delegat.* ibi: « Inquisitioni tuae taliter respondemus, quod si Jurisdictione a suo sibi Collega delegata, eo vivente, uti non caeperit, quia mandatum hujusmodi re integra morte mandatoris expiravit, non habet solus officium judicandi; Si vero ante mortem illius jurisdictione uti caeperit demandata, vices suas, et illius poterit adimplere »; et concordat *cap. Relatum* 19 *cap. Gratum* 20. *de Offic. Delegat. cap. Quamvis* 6. *eod. in* 6. *et l. Quia*, *ff. de Jurisdict. omnium Judic.* cum similibus. 40

Ut autem res non sit amplius integra, sicque perpetuetur valor Rescripti Justitiae, seu ad lites, et Jurisdictio delegata, requiritur, et sufficit citatio partis per Delegatum ante obitum concedentis, seu Delegantis facta: *cap. Gratum* 20. *de Offic. Delegati*, juncto ejus Summario, in quo expresse dicitur: « Si delegatus citavit ante mortem Delegantis, perpetua est ejus Jurisdictio »; *cap. Nemini* 10. *de Offic. Legati*, ibi: « Nemini dubium esse volumus, quin Legatorum Sedis Apostolicae statuta edicta in Provincia sibi commissa durent tamquam perpetua, licet eamdem postmodum sint egressi; Secus autem, si causas duxerint delegandas aliquibus, cum jurisdictio istorum expiret, si ante illorum discessum horum citatio non praecessit ». Sic tenent Abbas *in citat. cap. Relatum* 5. Barbos. *in citat. cap. Gratum n.* 3. Bartol *in l. More Majorum num.* 13. *de Jurisdict. omnium Jud.* Maranta *in Speculo aureo part.* 4. *dist.* 5. *n.* 61. ubi dicit hanc esse communem opinionem. 41

Rescripta Gratiae, seu ad beneficia non expirant morte concedentis, etiamsi adhuc res integra maneat: *Comm.* textu expresso *in c. si super gratia* 9. *de Offic. Deleg. et cap. si cui* 36. *de Praebend. in* 6. Vide verb. *Gratia*, *ut est gratiosum Rescriptum n.* 1. 42

Intellige tamen de Rescriptis Gratiae jam factae; Secus autem de Rescriptis Gratiae faciendae, text. expresso *tu cit. c. si cui* 36. *de Praebend. in* 6. §. *final.* Vide d. verb. *Gratia n.* 2. 43

Affertur ratio disparitatis. Vide *ib. n.* 3. 44

Rescriptum Gratiae factae ad beneplacitum concedentis, durat, donec ille id revocaverit; Aut donec ipse concedens moriatur. Vide *ibid. num.* 4. *et* 5. 45

46 Rescriptum Gratiae concessae ad beneplacitum Sedis Apostolicae non expirat morte Papae concedentis. Vide *ib. num.* 6.

47 Rescriptum Gratiae ad beneplacitum Personae, et Dignitatis, quae perpetua est, an expiret morte concedentis? *ib. n.* 7.

48 Rescriptum Gratiae concessae cum clausula: *Donec revocaverimus, Donec aliud duxerimus ordinandum*, et hujusmodi, durat perpetuo, nisi a concedente, vel successore ipsius revocetur. Vide *ib. n.* 8. *usque in finem*, ubi multa ad rem.

49 Quoad ea, quae concernunt renunciationem, et revocationem Rescriptorum, Vide verb. *Privilegium art.* 3. *per tot.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

50 Nil frequentius, quam quod rescripta subreptitia, vel obreptitia sint. At nil incertius, uter probare teneatur, vel subreptionem, vel obreptionem
51 esse commissam; Is, qui rescriptum impetravit,
an ille, qui vitium hoc opponit. Doctores sane
hic mirum in modum variant. Vide diversas opiniones apud Strik. *Juridic. dissert. volum.* 7. *disput.* 24. *c.* 3. *num.* 34. *et plur. seq.*
52 Meo autem judicio distinguendum est subreptionem inter, ac obreptionem. Qui excipit de subreptione, falsas esse dicit adductas circumstantias,
et ita videtur litem negative contestari, adeoque
veritatem ille, qui rescriptum impetravit debet probare, maxime si agatur de rescriptis gratiae, nisi
tamen adductae circumstantiae praesumptionem
53 veritatis habeant. At qui obreptitium rescriptum
contendit, non impugnat adductas circumstantias,
sed non omnes, easque essentiales adductas esse,
pluresque adduci debuisse, tenet, et in eo suam
fundat exceptionem, quod tamen dubium est, a
deoque illud docere debet; Bohemer. *in Decret.
lib.* 1. *tit.* 3. §. 13. Bruneman. *ad L.* 11. *n.* 35.
ff. de Interrog. in jur. faciend. Van-Esp. *de Jur.
Pontific. consil.* 1. §. 2. *de rescript.*
54 At duo praeterea distingui debent casus. Aut
enim excipiens, indefinite de obreptione excipit,
non omnes essentiales circumstantias adductas esse, sine speciali earum mentione, et hoc casu
55 probare ipsi incumbit. Aut vero exprimit circumstantias reticitas, et ita dubitatur tantum, utrum,
expressae sint, an vero necessario exprimi debue-
56 rint. Prius haud indiget probatione, quum vel ex
precibus rescripto adjiciendis, vel ipso rescripto,
in quo contenta precum repetuntur, de eo statim
57 constare possit. Posterius probandum omnino, et
quidem ab allegante, qui suam in hoc fundat exceptionem; Bohemer. *ubi supra.*
58 Id vero graviori involutum est difficultate, undo constare queat Principem non ita rescripsisse,
ubi haec, vel illa qualitas fuisset expressa, vel non
expressa. Id enim omnino ad probationem facit.
Si enim Princeps nihilominus ita rescripsisset, ta- 59
metsi haec, vel illa qualitas fuisset expressa, vel
non suppressa, frustra ejus probatio suscipitur.
Tria autem qualitatum genera hinc sunt obser- 60
venda. Aliae enim qualitates jam clare, et expresse in jure sunt determinatae, pertinentque ad qualitatem personae, et hae exprimi omnino debent.
Eo vel maxime si leges harum qualitatum expres- 61
sionem dedisse videantur pro forma, quae servari
adamussim debet. Aliae qualitates ex stylo Curiae, 62
vel consuetudine Principis dependent, non expressa lege, et hae eodem modo sunt exprimendae,
cessatque hic arbitrium, quia consuetudine res
jam definita est. Aliae demum qualitates nullo Ju- 63
re sunt determinatae, quae si reticitae sint, arbitrio Judicis committendum, quatenus harum reticentia obreptionem inducat. Is autem, pensatis sin- 64
gulis circumstantiis, judicabit, an talis sit qualitas,
quae potuisset retrahere Principem a concessione,
si illam notam habuisset; Confer Stryk. *Juridic.
dissert. volum.* 7. *disput.* 33. *cap.* 3. 42. *et seq.*
Reliquum esset, ut dissereretur de indiciis, qui- 65
bus vera a falsis rescriptis distinguuntur. Sed ne
nimius sim, consule, qui de iis accuratissime, et
quidem accomodate ad forum agit, Bohemer. *in
decretal. lib.* 1. *tit.* 3 §. 18. *et plur. seq.* Vide
etiam, si cupias, qui de ipsis magis ex professo,
et majori eruditione tractant, Joan. Mabillon. *de
re diplomatic.* Heineccium *de sigill.* Hertium *de
fide diplomat.* et Jo. Eisenart *de Jur. diplomat.*

ADDITIONES CASINENSES.

Haec, quae sequuntur, de Rescr. notare expediat.
Ac primum, ut de forma rescriptorum quaedam 66
persequamur, illud animadvertendum venit, nempe cum de Pontificiis Rescriptis sermo sit, nomen
Pontificis, annum incarnationis, et Pontificatus,
diem, locumque subjiciendum esse, alioquin Rescriptum de falsitate suspectum reddi, diserte evincitur *ex* c. *eam* 7. *de Rescript.* c. *inter* 6. *de fide
Instr.* Schmalzgrueber *ad tit. de Rescript.* §. 2. *n.* 8

Quoad Rescripta beneficialia illud porro atten- 67
dendum venit, quod aliqua dantur *in forma pauperum*, seu *in forma communi*, quibus mandatur
conferri beneficium Clerico pauperi: et haec vocantur *rescripta justitiae*; quia aequum est Clerico provideri de beneficio, si alias cogeretur mendicare.
Alia vero dicuntur *Rescripta gratiae*, quae ab Apostolica Sede emanant etiam pro Clericis non indigentibus; et haec sunt iterum duplicis generis, videlicet in *forma gratiosa, et in forma dignum.*
Quando dantur in *forma gratiosa*, Clericus sup- 68
ponitur dignus beneficio, de quo providetur, et tantum datur mandatum ad deputatos executores, ut
provisum in possessionem inducant (*).

(*) Quippe in hoc casu Papa praevie per testimonium Ordinarii satis est instructus de Capacitate Oratoris; adeoque litterae tunc expediuntur in *forma gratiosa*, idest sine ulla commissione super examine per Ordinarium facienda, priusquam provisio obtineatur; sed absolute per Papam fit provisio, et vigore hujus provisionis potest Orator capere

69 Quando autem dantur sub forma *Dignum*, etsi impetranti aliquando ad beneficium tribuatur jus, provisio tamen de illo non fit Romae a Pontifice, sed facienda, vel saltem per tituli collationem perficienda committitur Dioecesis Ordinario, cum mandato, ut praemisso examine, clerico, pro quo scribitur, si idoneus reperiatur, conferat beneficium. Schmalzgrueber *ibid.* n. 10.

70 Et quia, uti recte notant Canonistae, quando provisio expeditur in forma *dignum*, tunc proprie de beneficio non providet Papa, sed potius ipsi Ordinario, vel executori mandat providere, non immerito hujusmodi provisio dici posset *mandatum de providendo*. In hac siquidem provisione remittit supplicantem ad Ordinarium, ut supplicanti de beneficio provideat, si modo, praevio examine, eum idoneum repererit, sub hac clausula: « Mandamus, » quatenus, si post diligentem examinationem dic» tum N. ad obtinendum beneficium N. idoneum » esse reperies, super quo conscientiam tuam one» ramus, eidem N. dictum beneficium Auctorita» te Apostolica conferas ». Apud Espenium *Jus Eccles univer. part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 7. *cap.* 1. n. 2.

71 Hinc porro colligas licet, d. supplicantem, ante obtentam ab Ordinario collationem, nullum adhuc titulum beneficii habere. Espenius l. *cit. n.* 3.

Unde etiam fit, quod si quis obtinuerit provisionem in forma *dignum*, non possit, ante obtentam collationem ab Ordinario, suum beneficium alicui resignare, Flaminius Parisius *de resignat. benef. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 149.

72 Jam vero in hujusmodi Rescriptis sequentes Regulae servandae veniunt.

I. Si Rescriptum detur in *forma pauperum, seu communi*, debet fieri mentio patrimonii; alias erit invalidum; et ratio est, quia per ejusmodi rescripta providetur solum Clericis pauperibus; at non potest dici pauper, qui sufficiens habet patrimonium. Schmalzgrueber *loc. cit.* n. 10.

II. Tam in Rescriptis *justitiae*, quam *gratiae sub forma gratiosa*, debet exprimi illius pro quo rescribitur defectus, (si qui adsit), ex quo absque dispensatione redditur incapax; alias, si talis defectus reperiatur, et de hoc non sit facta mentio in Rescripto, repellendus est, cum Papa non praesumatur relaxare jus, quando id non exprimit. Idem *ib.*

III. Tam in Rescriptis *gratiae*, quam *justitiae* (beneficialibus) exprimendum est beneficium ante obtentum, etiam unicum. Venit autem nomine beneficii hoc loco, etiam beneficium tenue, imo et pensio, si in titulum beneficii detur. Idem *l. c.*

IV. Exprimenda etiam est qualitas beneficii ante obtenti: v. g. an sit Dignitas, an residentiam perpetuam exigens, an patronatum, an electivum; quippe Pontifex non censetur velle derogare juri electorum, vel patronorum, praesertim laicor. si de his circumstantiis mentionem non faciat. Idem *ib.*

V. Exprimi debet, an sit beneficium Ecclesiae Cathedralis: an sit beneficium regulare, si saecularis, vel saeculare, si regularis pro eo supplicet; quia regulariter beneficia saecularia saecularibus, et regularia Regularibus conferri debent. Id. *ibid.*

VI. Exprimendus etiam valor, seu quantitas redituum beneficii juxtam praxim, et stylum Romanae Curiae. Idem *ibid.*

VII. Exprimendus modus, quo vacat beneficium, pro quo supplicatur, an morte, resignatione etc. inducta vacatio sit: item persona, per cujus obitum e. g. illud vacat, si talis illa sit, ut Papa non credatur provisurus de beneficio, nisi illa rescita. Idem *l. c.*

VIII. Exprimi debet, si jus ad, vel in beneficio, quod per rescriptum impetratur, competat alteri: quia Papa jus alteri competens tollere, vel ei derogare non creditur, nisi hoc exprimat. Idem *l. c.*

IX. Exprimendum est, etsi alius sit tantum in possessione colorata, imo si solum sit detentor beneficii per aliquod tempus, nisi aperte sit injustus; quia possessione non notorie injusta dejici nemo sine causae cognitione assolet. *Id. ib.*

X. Denique facienda mentio primi rescripti super beneficio ab alio impetrati; proceditque hoc, etsi impetrans mandato illi prius impetrato renuntiavit. Et ratio est, quia si prius mandatum expressum fuisset in supplicatione, verisimiliter Papa posteriores litteras non concessisset. Idem *l. cit.*

Praestat insuper quoad formam Rescriptorum sequentia adnotare 73

Et quidem quaeritur; quid importat Rescriptum *ad instantiam*, et Rescriptum *Motu proprio? Ad instantiam* concessum censetur rescriptum, seu gratia, quando ad ejus concessionem Princeps inductus est impetrantis precibus, ac petitione: praesumitur autem concessa *ad instantiam*, quoties litteris non est expressum, concessionem factam esse *motu proprio*. 74

E contra *motu proprio* tunc dicitur concedi gratia, quando ejus concessionem vel non praecessit impetrantis petitio, vel si praecessit, concedens tamen ad concessionem faciendam non est motus petitione, sed potius proprii animi motu, et voluntate. 75

Porro clausulae istius *motu proprio*, adjecta rescripto, ea vis est, ut quamvis non tollat obreptionem commissam per narrationem falsi, tollat tamen regulariter subreptionem commissam per reticentiam veri, seu alicujus veritatis de jure, vel stylo Curiae exprimendae. Hinc validum est rescriptum motu proprio concessum, quando impetrans reticuit beneficium tenue; non vero valet, quando beneficium, quod est curatum, dicitur simplex, aut falsus ejus valor exprimitur. Ratio disparitatis est, quia quando tacetur veritas, Pontifex ab illa ad concessionem non movetur; neque sciri 76

possessionem beneficii, sine examine praevio, vel litteris provisionis ab ipso Ordinario. Quare provisio in hac forma *gratiosa* expedita, est vera, et propria dicta provisio Apostolica. Espenius *part.* 2. *sect.* 3. *Tit.*7. *c.* 1 *n.* 17. 18.

potest, an bene informatus de rei veritate, gratiam denegasset; imo cum ea gratia procedat ex mera liberalitate Principis, potius praesumi potest, quod etiam veritate cognita, adhuc illam concessurus fuisset. E contrario, quando causa falsa exprimitur, satis apparet, quod concessio ex errore processerit; et cum errantis nullus sit consensus, neque clausula *motu proprio* firmabit gratiam. Schmalzgrueber *loc. cit. n.* 11.

77 Tres autem casus excipiendi sunt, in quibus etiam Rescriptum *motu proprio* non tollit subreptionem: nempe, 1. quando veritas per reticentiam suppressa respicit jus tertii, cui per Rescriptum praejudicatur; quia *motus proprius* jus quaesitum non aufert, nisi id exprimatur. 2. Quando suppressa est inhabilitas personae, v. g. irregularitas: quia *motus proprius inhabilitatem* non aufert, neque dispensationem inducit super impedimento, nisi aliquid addatur, quo rescribens indicet, se dispensare, vel impedimentum velle tollere. 3 Quando tacetur qualitas beneficio intrinseca, scilicet, quod sit curatum etc. cum enim pro diversis beneficiis diversa requiratur habilitas, praesumi non potest, quod Papa per *motum proprium* beneficium quodlibet velit cuivis conferre. Idem *ib.*

78 Quoad vero clausulas in Rescriptis addi solitas, quatuor maxime enumerantur. Prima, et plusquam consueta est, *si preces veritate nitantur*, quae eadem est ac illa, *si ita est*, nec non alia, *veris existentibus narratis:* Apud Barbosam *de clausulis etc. Claus.* 154. *n.* 1. Haec quidem clausula in omni Rescripto ad instantiam partis emanato, etiam si non apponatur, semper est subintelligenda. Textu claro *c.* 2. *h. Tit. de Rescript.*

79 Hujus quidem clausulae diversa vis est in Rescriptis *gratiae*, et *justitiae;* nam Rescriptum *gratiae*, si res non ita se habeat, ut in supplicatione Rescripti dicitur, est ipso jure nullum. Quippe in Rescriptis ejusmodi clausula illa inseritur ad demonstrandam intentionem concedentis gratiam, illam non concessuri, si falsa sint, quae proponuntur in supplicatione. Secus vero se res habet in Rescriptis justitiae, in quibus talis clausula inseritur tantum ad instructionem judicis, quomodo secundum justitiam procedere debeat. Schmalzgrueber *l. cit. n.* 12.

80 Secunda *clausula*, non minus usitata, est, *salvo jure alterius*, quae in omnibus Rescriptis, sive gratiae, sive justitiae subintelligi saltem debet: et ratio est, quia Papa, vel Princeps non censetur velle derogare juri alterius, nisi hoc exprimat. Quo fit, ut Rescriptum, quod in damnum alterius cedit, nisi in eodem (Rescripto) expressum illud sit, ipso jure sit nullum, saltem si sit grave; modicum enim praejudicium aestimari non solet, *cap. ad aures* 8. *h. tit. de Rescript.* Schmalzgrueber *ibid.*

81 Tertia *clausula*, quae addi, vel subintelligi solet in Rescriptis datis ad beneficia assequenda, his verbis proponitur, *si is, cui datur beneficium Ecclesiasticum, dignus sit;* hoc est, si impedimentum Canonicum nullum habeat. Haec tacite ipso jure inest collationi beneficii, non tamen facit illam conditionalem proprie; quia actu vel validam eam facit, si fiat digno, vel invalidam, si indigno. Idem *l. c.*

Quarta *clausula* additur Rescriptis derogatoriis privilegiorum, his verbis concepta, *non obstantibus quibuscumque privilegiis sub quacumque verborum forma concessis.* Heic nota, quod h. clausula privilegiis insertis juri Comm. non derogatur, nisi specialis fiat derogatio. Item excipiuntur privilegia, quae ita concessa sunt, ut per nullam Constitutionem revocata censeantur, nisi ipsorum fiat expresse mentio. Excipiuntur 3. privilegia concessa per modum contractus, v. g. in compensationem meritorum, quia in hoc casu jus acquiritur privilegiato; juri autem alicui quaesito derogari, non nisi ex gravi causa potest; opus igitur erit speciali mentione illorum, ut derogatum illis velle supponi possit. Idem *ibidem.* 82

Quantum vero ad Rescriptorum interpretationem, sequentes Regulae prae oculis habendae sunt. 83

Regula 1. Interpretatio Rescriptorum regulariter facienda est secundum propriam, et communi usu, praesertim Curiae, ex qua emanant, receptam significationem verborum; nam in hoc sensu censetur locutus fuisse Princeps.

Regula 2. In dubio, quando non constat de contraria voluntate Rescribentis, intelligi, et explicari debent secundum jus commune, Ratio est, quia non censetur Papa, vel Princeps velle decernere aliquid, quod sit juri communi contrarium, nisi expresse ei deroget per clausulam *non obstante tali lege* etc. Hinc casu, quo ordo, aut constructio verborum in rescripto *justitiae* aliam explicationem, et sensum non admittit, nisi qui contrarius sit juri communi, potius praesumendum est, errore scriptoris verba fuisse transposita, vel aliter mutata.

Regula 3. In Rescriptis justitiae stricta interpretatio fieri debet. Ratio est, quia per illa detrahitur jurisdictioni Ordinarii. Hinc de casu, vel de persona, ad casum, vel personam non sunt extendenda.

Regula 4. Rescripti verba ita interpretanda sunt, ut quam minime praejudicetur aliis, eorumque juri quaesito; quia concessiones Principis semper sunt intelligendae, ut nemini noceant, nisi quantum expressum est. Hinc porro in Rescriptis *justitiae*, nomine *clericorum* non venit Episcopus, aut Religiosi; nomine *populi*, si is est interdictus, non veniunt Clerici.

Regula 5. Dispensationes Regulariter stricte interpretari debent. Quippe sunt relaxationes quaedam juris communis, et contra jus; adeoque strictam patiuntur interpretationem.

Excipitur 1. Si dispensatio concessa sit ex motu proprio, publicae utilitatis intuitu. 2. Si, extensione non admissa, reddatur inutilis talis dispensatio. 3. Si ea, ad quae extenditur, sit accessoria, et inseparabiliter connexa concesso. Schmalzgrueber *l. cit.* §. 4. *n.* 24. *et seqq.*

84 Quoad vero executionem Rescriptorum attinet: quaeri merito potest, quodnam rescriptum praeferendum, et executioni mandandum, quando super una, eademque causa duo, vel plura Rescripta sunt impetrata? In hoc casu distinctione res resolutionem suscipit: vel enim utrumque Rescriptam est speciale, vel utrumque generale, vel unum generale, alterum speciale.

85 Priori casu, si posterius mentionem fecit prioris sibi contrarii, isti derogatum censebitur per posterius: si mentionem non fecerit, praevalebit prius; et secundum, si sit Rescriptum gratiae, ob subreptionem erit nullum; si vero Rescriptum justitiae, per exceptionem repelli poterit, si intra annum haec opponatur; nam si post annum, convalescit posterius, et evanescit prius.

86 Ad alterum casum deveniendo, videndum, an unum ex illis sit magis speciale, an neutrum. Si unum est magis speciale, illud praevalebit. Si vero neutrum sit speciale magis quam alterum, prius impetratum praevalebit posteriori, nisi hoc munitum sit clausula, qua priori derogetur.

87 Ad tertium, quando nempe unum est generale, alterum speciale; speciale derogat generali quantum ad ea, quae in speciali specialiter, et contraria contentis in generali exprimuntur, vel in generali non exprimuntur, licet prioris mentionem non faciat, prout statuitur *cap. sicut* 1. *et cap. Pastoralis* 14. *h. tit. de Rescript.* Schmalzgrueber *ibid.* §. 6. *n.* 35.

Tandem ut de vitiis Rescriptorum nonnulla attingamus, illud pro comperto habeto, pluribus modis vitiari, et suspecta reddi posse: nempe; 1. si emanarunt contra jus commune, non addita clausula derogatoria ejusdem, quippe non est verisimile id a Rescribente fieri voluisse; adeo ut tale Rescriptum sit saltem suspectum, ne dicamus suppositium: 2. Si emanarunt contra consuetudinem legitime praescriptam, et stylum Curiae, et speciali clausula non sit munita: 3. si per illud laedatur jus quaesitum tertio, et Rescriptum de eo mentionem non faciat, quia concedens, nisi hoc exprimat, non praesumitur alterius juri per Rescriptum suum derogare: 4. Si per aliquod Rescriptum justitiae uni, vel pluribus certis Judicibus committerentur omnia negotia tam praesentia, quam futura, *cap. Adhaec h. tit. de Rescript.* Siquidem per ejusmodi Rescriptum nimium praejudicaretur potestati Judicis Ordinarii, quod praejudicium Papa facere non praesumitur: 5. Si in Rescripto committatur, aut mandetur aliquid insolitum, nimis durum, alienum a recta ratione, aut contra publicam utilitatem, *cap. Si quando* 5. *h. tit.* 6. Si Rescriptum contineat manifestum, et inescusabile peccatum, vel errorem in latinitate; cum enim ejusmodi Rescripta per manus multorum Officialium transeant, non est verisimile, illos non correxisse, vel emendasse errorem, si illud Rescriptum emanasset ex Curia: 7. Si contineat rasuram, lituram, cancellationem in loco suspecto, seu parte Rescripto substantiali (*). Si careat 88

(*) Si rasura reperiatur in loco non substantiali, adeoque nec suspecto, Rescriptum idcirco non redditur vitiosum, v. g. si adsit rasura in narratione, seu praefatione Rescripti; idque patet ex *Cap. ex litteris* 3 *de Fid. Instr.* ubi, cum quaedam litterae arguerentur falsitatis, eo quod in narratione facti abrasae fuissent, respondit Pontifex, *quod propter abrasionem illam litterae judicari falsae non possunt.* Insuper non vitiatur Rescriptum, quando rasura est modica, seu paucarum litterarum non mutantium ordinarium sensum: vel quando ex praecedentibus, ac subsequentibus verbis, aut aliis hujusmodi Rescriptis satis apparet, rasuram suspectam non esse, nec aliter scribi debuisse. Caeterum quaenam rasura sit modica, et quando sensus rectus percipi valeat, judicis arbitrio relinquitur. Reiffenstuel *ad tit. de Rescript.* §. 9 *n.* 225 *et seqq.*

Sed ad majorem rei distinctionem haec habe. Quando abrasio in litteris Apostolicis facta fuit a Cancellario, seu alio ex Officialibus Curiae « manifestum est, eam non inducere falsitatem . . . Non distinguitur hoc casu, an rasura sit in loco suspecto, quia nihilominus cum appareat facta ab Officiali, non reddit falsum Rescriptum ».

Si vero « certum est, abrasionem fuisse factam ab impetrante, vel alente; (tunc) modica quaelibet rasura in litteris Apostolicis, etiamsi sit unius Syllabae, unius litterae, vel puncti, reddit eas falsas, et sic radens est falsarius, et excommunicatus . . . (Unde) hodie praeceptum est, ut in litteris D. Papae nec in magno numero, nec in modico audeat quis manum apponere, etiam literam unicam, vel dimidiam, vel punctum unicum addendo, cancellando, diminuendo, componendo, aut mutando, exceptis Officialibus, quibus hoc permissum est, alioquin manum apponens, ex Canone lato in Curia, ipso facto sententiam excommunicationis incurrit, quae non potest per aliquem citra Sedem Apostolicam relaxari, et tales difficillime absolvuntur sine poena ». Fagnanus *ad Cap. Ex Conscientia, de crimine falsi*, n. 6. *et seqq.*

Excipiunt Nav. *man. c.* 27. *n.* 62. Sayr. *lib.* 3. *c.* 30. n. 11 et alii apud Palao, *part.* 7. n. 3. si hujusmodi rasura non immutatur sensus litterarum a Papa intentus; nam tunc radentem, ob parvitatem materiae a poenis falsariorum excusant. Neque obstat, quod in privilegiis Summo Poenitentiario concessis, contentum erat, ut posset absolvere ab excommunicatione, quae ex mutatione verborum incurritur, literae sensu non mutato; quia ante Clementem VIII. in hac clausula Bullae *Coenae* addebant Pontifices, *excommunicamus eos, qui mutant punctum, aut litteram* etc. quae verba postmodum omissa sunt, utpote non inducentia mutationem, quae falsitatem constituat. Schmalzgrueber, *ad Tit. de crim. Falsi*, *n.* 39.

Quaeritur amplius hic, an poenas, ut supra, incurrat etiam is, qui literas Apost. juxta mentem Papae corrigit, ut si petita sit dispensatio in impedimento affinitatis, et Notarii errore consanguinitas, vel pro Dioecesi Eystetensi, Ratisbonensis expressa sit? Quamvis cavendum omnino sit, ne correctio tali casu fiat auctoritate propria, sed potius per Notarios, et Officiales Curiae, casu tamen, quo propria auctoritate est facta, probabiliter poenae falsariorum a sic emendante non incurrentur, ut recte Sayr. Reginald. Bonacina, Palao, Diana, Wiestner, Schmier tenent; quia hujusmodi immutatio non est proprie falsificatio, cum falsum tollat, et literas veras reddat; quod videtur conforme intentioni, et concessioni Papae. Ita in terminis Schmalzgrueber *ad cit. Tit. de crimine falsi*, *n.* 42. *et* 43.

Prosequendo heic inserere per Fagnanum tradita: Quando « dubium est, a quo facta fuerit abrasio, (tunc) rasura paucarum litterarum facta in loco non suspecto non reddit litteras falsas, alias secus . . . quia quando rasura reperitur in loco non suspecto, praesumitur facta per Officialem, secus vero si reperiatur in loco suspecto, quia praesumitur facta per impetrantem, seu utentem, et ideo talibus litteris fides non adhibetur ». Fagn. *ib. num.* 15. *et* 19.

debita forma, aut solemnitate, quae in praxi, aut stylo Curiae recepta est v. g. est stylus Curiae Romanae, ut Pontifex in suis Rescriptis Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, *Fratres*, Reges autem, Principes, et alios cujuscumque ordinis, sive clericos, sive laicos, *filios* appellet; et cum uni tantum personae rescribitur, numquam fit usus numeri pluralis: quae si in Rescripto aliquo neglecta fuerint, illud censebitur falsum Schmalzgrueber *loc. cit.* §. 3. n. 13. *et* §. 2. n. 9.

89 Errores in Rescriptis quoad spectat: si irrepserint in nomine, vel cognomine, modo de persona constet, Rescriptum non vitiatur: Sanchez de *Matrim. l.* 8. *disp.* 21. *num.* 37. quippe quod conceditur non propter nomen, sed propter personam supplicantis, et qualitates ipsi intrinsecas. Reiffenstuel *ad Tit. de Rescript.* §. 9. *num.* 220.
90 Error vero Dioecesis, quando per Rescriptum fit *Delegatio causae*, nempe Ordinario Dioecesis, vitiat Rescriptum, *ex cap. significante* 14. *h. Tit.* quippe in h. casu persona delegati attenditur. Additur vero notanter, *quando per Rescriptum fit delegatio causae*. Nam quando ad praeviam supplicationem partis ipsemet Pontifex gratiam concedit, v. g. actualiter cum aliquo dispensando, jam constat de mente concedentis, ac proinde non obest error in nomine, vel praenomine Dioecesis, modo constet de corpore. Reiffenst. *l. c.* n. 221. *et seqq.*
91 Item vitiatur Rescriptum per subreptionem, vel obreptionem, ut videre est apud Lucium nostrum heic supra n. 27. *et seqq.*

Quaeres hic, An subsistat Rescriptum, in quo ex duabus causis, simul, et copulative allegatis, 92
una sit vera, altera falsa? ℟. probabiliter subsistere, dummodo causa, quae vere allegata est, sufficiat de jure, et stylo Curiae ad impetrandam gratiam Rescripto ejusmodi concessam, et altera, quae falso allegata est, non sit de substantia Rescripti, et causa finalis unica. Porro, an aliqua causa finalis sit, an vero impulsiva tantum, si id verbis Rescripti non satis constet, arbitrio judicis definiendum erit. Quod si, omnibus consideratis, remaneat dubium, benignius sentiunt, qui tali casu docent, in omnibus literis gratiosis, ex duabus causis, unam tacitam, vel falso expressam censendam esse potius impulsivam tantum, ex generali principio, quod in dubio praesumendum sit pro valore actus, ubi in nullius praejudicium cedat.

Aliud dicendum, quando unica solum causa in Rescripto exprimitur, nam haec, finalis, non im- 93
pulsiva censeri debet; consequenter, si falsa illa sit, irritum erit Rescriptum, quippe concedens, non censetur velle facere gratiam sine aliqua causa vera; ut patet ex clausula apponi solita, *si preces veritate nitantur*: Adeoque, non subsistente causa, Rescriptum fit irritum. Schmalzgrueber *l. cit.* §. 3. n. 18. (*).

Quaeres ultimo, an Rescripta vitientur per errorem adjectae qualitatis? ℟. cum distinctione, 94
an talis qualitas sit adjecta per modum *taxationis*, *vel restrictionis, et determinationis*, an per modum *demonstrationis, et indicationis* tantum. Priori modo Rescriptum corruit: secus si per modum *demonstrationis*. Idem *ibid.* n. 19.

Sed haec satis sunto.

RESERVATIO CASUUM

SUMMARIUM

1. Reservatio casuum quid sit? — 2. Casus reservatus quid sit? — 3. Per actum reservationis principaliter, ac directe afficitur solummodo Persona Confessarii, ejus Jurisdictionem arctando, ac ligando, et indirecte solum Persona ipsius Poenitentis. — 4. Regulares intra Dioecesim Episcopi approbati possunt absolvere Poenitentes alterius Dioecesis a Casibus in Dioecesi dictorum Poenitentium reservatis, si non sint reservati in Dioecesi, in qua Confessiones audiunt. — 5. An id possint etiam alii Confessarii Sacerdotes saeculares? — 6. Certum est dari in Ecclesia Dei potestatem reservandi aliqua peccata. — 7 Sola peccata mortalia graviora, et atrociora, externa, certa, ac opere consummata reservari solent, ac debent. Unde Reservatio non est facienda, sicuti neque Excommunicatio major est ferenda pro venialibus, aut mortalibus jam confessis. — 8. Potestas reservandi peccata, et casus residet in Summo Pontifice respectu totius Ecclesiae. — 9. Item in Episcopis respectu suarum Dioecesum, pro quibus veniunt etiam omnes Praelati habentes proprium independens Territorium, et jurisdictionem quasi Episcopalem. — 10. Item in Praelatis Regularibus auctoritatem quasi Episcopalem habentibus. — 11. Nullatenus tamen possunt Casus reservare Superiores locales. — 12. Neque Parochi in suis Parochiis. — 13 Papa ordinarie nullum peccatum mortale sibi reservet, nisi propter annexam Excommunicationem sibi itidem reservatam. — 14. Aliquoties tamen Papa sibi reservat peccatum aliquod absque ulla Excommuni-

» Praedicta (porro) procedunt, si litterae Apostolicae » sint redditae apertae, secus vero si clausae, quia tunc » non nocet rasura in quocumque loco sit, et est commu- » nis conclusio, ut dicit Mor. Soc. qui tamen eam limitat » et bene, dummodo character in loco rasurae non sit ab » alio multum difformis, alias secus; praesertim si esset » magna, et notabilis rasura, et esset in loco suspecto, » nec fiat aliqua mentio intus de correctione; cum eo ca- » su praesumi posset, sigillum esse adulterinum, quod es- » set falso appositum, vel quod forte aliquo ingenio literae » essent disigillatae, et rasura commissa, et postea sigil- » latae; sed si intus eadem manu, et forma incturae fie- » ret mentio de abrasione, secus esset dicendum ». Idem *l. c.* n. 18. *et seqq.*

(*) « Quaeritur, an petitio subreptitia, vel obreptitia vitiet » dispensationem? ℟. Regula sit, quod tunc dispensatio erit » nulla, quando tacetur veritas, quae de Stylo Curiae de- » bebat necessario exprimi, vel allegatur falsum, quod de » jure taceri debebat. Alia Regula est, si tacetur, vel ex- » ponitur falso causa tantum impulsiva, valet dispensatio: » secus vero si causa esset motiva, ita ut sine ipsa Supe- » rior minime dispensasset ». Ita D. de Ligorio *Theol. Mor. lib.* 1, *de Legib.* n. 185.

collectio annexa. — 15. Quinam autem sint Casus Papae reservati? *remissive* — 16. Qui sint Casus ab Episcopis sibi reservati? et adducuntur Casus reservati in hac Alexandrina Dioecesi. — 17. Quinam sint Casus, qui reservari possunt a Praelatis Regularibus pro suis respective subditis? *remissive*. — 18. Casus regulares a Clem. VIII. limitati, et recensiti sunt tantum undecim. Nec possunt Generales pro tota religione sine consensu Capituli Generalis, nec Provinciales pro suis respective Provinciis sine consensu Capituli Provincialis alios ab illis reservare. — 19. Nec tenentur dicti Praelati regulares omnes illos undecim reservare, sed possunt vel omnes, vel aliquos solum reservare. — 20. In nostra tamen Seraphica Religione sunt omnes undecim reservati, quibus Capitulum Generale addidit pollutionem voluntarie procuratam, si forte non contineatur sub lapsu carnis opere consummato, et inobedientiam contumacem. — 21. Immo casus reservati in nostro Seraphico Ordine sunt novemdecim. — 22. Afferuntur dicti Casus reservati in nostro Ordine. — 23. Provinciales tamen non tenentur omnes dictos Casus sibi solis reservare, sed possunt sibi reservare, aut omnes, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire in Domino judicaverint. — 24. Regulares non exempti subjacent Casibus ab Episcopo reservatis. — 25. Episcopus non debet sibi reservare absolutionem illorum, qui non communicant in Paschate, sed eis potest poenas pecuniarias, aut etiam Excommunicationis injungere. — 26. Non debent Episcopi sibi reservare absolutionem eorum, qui non solvunt Locis Piis, id, quod ratione administrationis, vel alia de caussa debent, quia hi remediis Juris cogendi sunt. — 27. Poenitentiarii Cathedralium non possunt absolvere Poenitentes a Casibus Episcopo reservatis sine speciali ejus licentia, et concessione. — 28. Nec possunt facultatem sibi concessam aliis delegare. — 29. Neque possunt Poenitentes a Censuris, et Casibus reservatis sibi concessis absolvere, non audita integra Confessione Sacramentali. — 30. A casibus reservatis, sive Summo Pontifici, sive Episcopis, sive Praelatis regularibus, quinam, et a quibus possint absolvere, vel non? *remissive*. — 31. Quando, et quomodo urgente necessitate celebrendi, seu communicandi, possit poenitens absolvi ab inferiori Confessario a peccatis reservatis habentibus etiam adnexam Censuram reservatam? *ad num.* 34. — 35. Poenitens habens unicum peccatum reservatum sine ullis aliis, potest absolvi directe a Confessario inferiori in articulo mortis. At vero in urgente necessitate celebrendi, seu communicandi, nec directe, nec indirecte; Et quid in tali casu sibi consulendum, *ad num.* 36. — 37. Qui confitetur Confessario potenti directe absolvere a reservatis, et inculpabiliter obliviscitur alicujus reservati, potest postea a quovis Confessario directe absolvi ab illo reservato oblito. — 38. Qualiter possit absolvi poenitens, qui cum peccatis non reservatis habet casum reservatum a se ignoratum, et bona fide confitetur Confessario non habenti facultatem in reservata, nec percipienti illum casum esse reservatum. — 39. An, et quando possit absolvi a Confessario inferiori poenitens habens peccatum reservatum invincibiliter ignoratum esse tale? — 40. Confessarius inferior dubitans, sive dubio juris, sive facti, sive dubio positivo, sive negativo, an peccatum a poenitente confessum sit reservatum? judicare potest in favorem poenitentis quod non sit reservatum, et ipsum absolvere. — 41. Adducitur, et absolvitur objectio. — 42. An si post confessionem talis peccati dubii, poenitens certo cognoscat suum peccatum revere fuisse reservatum, teneatur recurrere ad Confessarium habentem facultatem in reservata? — 43. An, et quando possit absolvi qui obtinuit facultatem, ut absolvatur a reservatis, si post obtentam talem facultatem, iterum committat alia reservata? — 44. Pueri usum rationis habentes ante annos pubertatis, incurrunt casus reservatos. — 45. Alia de casibus reservatis, cum add. ex al. man. *ad num.* 58.

1 Reservatio Casuum est negatio Jurisdictionis ad aliquod peccatum absolvendum: *Est*
2 *in re Communi.* Hinc casus reservatus est peccatum, cujus absolutio non permittitur cuivis simplici, et inferiori Confessario, sed ea reservatur, et manet penes Superiorem illius simplicis, et inferioris Confessarii, aut penes alterum Confessarium a Superiore ad id specialiter delegatum *Ita in re Communis.*

3 Dicitur autem notanter, *Cujus absolutio non permittitur cuivis simplici, et inferiori Confessario,* ad denotandum, quod per actum Reservationis principaliter, ac directe afficitur solummodo Persona Confessarii, ejus Jurisdictionem arctando, ac limitando, et indirecte solum Persona Ipsius Poenitentis, eo quod a tali Confessario ob defectum Jurisdictionis a Casu reservato absolvi non possit. Sic inter alios recte notat Fagn. *in cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Poenitentiis, et remissionib. n.* 78. *et seq.*

4 Hinc poenitentes confluentes ex alia Dioecesi cum peccatis in ea reservatis possunt absolvi a Confessario Regulari in Dioecesi, in qua est approbatus, si in ipsa talia peccata non sint reservata, et tales poenitentes in fraudem reservationis pro obtinenda absolutione ad eam non confluxerint. Sic expresse Clemens X. Constitut. incip. *Superna*. §. 6. *ibi:* « Decernimus, et declaramus . . . posse Regularem Confessorem in ea Dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis pro absolutione obtinenda migrasse ». Posse enim Regulares intra Dioecesim Episcopi approbantis absolvere etiam poenitentes alterius Dioecesis, jam expresse declaraverat *Sac. Cong. Conc.* apud Fagn. *lib.* 5. *Decret. in cap. Omnis, de poenitentiis, et remissionib. n.* 79. quia ipsi habent jurisdictionem a Papa *ex Clement. Dudum* §. *statuimus, de sepulturis,* ut notat Glossa *in cap.* 2. *ante figurationem casus, de poenitent. et remissionib. in* 6. cujus jurisdictio non restringitur ad limites alicujus Territorii, *cap. Cuncta per mundum* 17. *caus.* 9. *q.* 3. sed universus Orbis est sua Dioecesis, *c. Per principalem* 21. *ead. caus. et qu.* ut cum aliis observat Fagn. *loc. cit.*

An autem possint similiter dicti poenitentes 5
confluentes, ex alia Dioecesi sic absolvi a Confessario saeculari? Negant cum aliis Fagnanus *loc. cit. n.* 70. Sotus in 4. *Sententiar. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 4. Medina *lib.* 1. *cap.* 10. Graffius *lib.* 4.

cap. 18. n. 56. et alii. At vero affirmat jam communis Doctorum sententia cum Cajetano, Henriquez, Suarez, Vasquez, Bonacina, Cabassutio *Juris Canon. Theoria et prax. lib.* 3. *cap.* 12. ubi solidas adducit rationes, ac dicit, quod constans usus, et regula receptissima est in omni causa delicti judicandum esse reum secundum jura ipsius loci, ubi judicatur idem reus; *Authentic. Qua in Provincia*, *Cod. Ubi de crimine agi oportet; cap. Placuit* 4. *caus.* 6. *qu.* 3. cum similibus. Et sic Pontas *verb. casus reservati casu* 12. *et* 15. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *c.* 5. *num.* 3307. Matthaeuc. *Cautela Confessarii lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 5. *et* 6. et alii passim, ac servat universalis praxis, et consuetudo, quae est optima Legum interpres; *L. Si de consuetudine* 37. *ff. de Legib. c. Cum Dilectus* 8. *de consuetud.* Et ratio est, quia est fere impossibile, quod Confessarius possit cognoscere omnes poenitentes, an sint Dioecesani, vel non; et scire omnes, et singulos casus reservatos in Dioecesibus eorum, qui ad se Confessionis gratia confluunt, ad quod teneretur, si eos non posset absolvere. Quod tamen, ut nimium onerosum, ac fere impossibile, nullus Episcopus ab iis, quos ad Confessiones excipiendas admittit, solet exigere; Tum quia in hoc par videtur ratio de Confessario saeculari ac de Regulari: Si ergo id potest Regularis, poterit etiam Confessarius saecularis, qnia ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio; *L. Ideo* 27. *ff. de Legib. L. Illud.* 32. *ff. ad Leg. Aquil. et cap. Inter corporalia* 2. *de translation. Episc.* Cum ratio Legis sit anima Legis; *L. Cum ratio* 7. *ff. de bonis damnator.* Non possunt tamen tales poenitentes absolvere a dictis casibus reservatis tam Confessarii Regulares, quam Saeculares, si consulto, et ex industria veniant ad eos pro obtinenda absolutione in fraudem reservationis a proprio Episcopo factae, ut expresse declarat Clemens X. in d. Const. incip. *Superna*, per verba adducta *sub n.* 4. Frans enim, et dolus nulli patrocinari debent, *cap. ex litteris* 2. *de dolo, et contumacia, c. Sedes* 15. *et cap. Ex tenore* 16. *de Rescript. cap. Tuae* 12. *de Clericis non resident. cap. Officii* 14. *de Testam. L. in fundo* 38. *de rei vindicat. L. cum n.* 8. *ff. de transaction. L. Si legatarius* 24. *Cod. de Legatis*, cum similibus.

6 Certum esse dari in Ecclesia Dei potestatem reservandi aliqua peccata a Superioribus, a quibus inferiores Confessari absque speciali licentia, et facultate extra mortis periculum absolvere non possunt, patet hoc praeter continuam praxim, et sensum universalis Ecclesiae ex verbis Christi *Joann.* 20. *n.* 18. ibi: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt », et ex Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. ibi: « Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam, et graviora crimina, non a quibusvis, sed a Summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur etc. ». *Et infra:* « Extra quem articulum mortis Sacerdotes cum nihil possint in Casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, et legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant ».

Sola peccata mortalia graviora, et atrociora, externa, certa, ac opere consummata reservari solent, ac debent; Unde reservatio non est facienda, sicut neque Excommunicatio major non est ferenda pro venialibus, aut mortalibus jam confessis: *Communis* cum Sporer *tom.* 3. *par.* 3. *c.* 6. *n.* 730. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *n.* 3. Herincx *disp.* 6. *de Poenitent. n.* 6. *et seq.* Mastrio *in Theol. moral. disp.* 31. *q.* 9. *n.* 224. Et ratio est, quia reservatio ab Ecclesia instituta est ad coercenda delicta atrociora, et graviora, ut constat ex Conc. Trid. *sess.* 10. *cap.* 7. ibi: *Atrociosa quaedam, et graviora crimina.* Tum quia venialia, et mortalia jam confessa sunt materia libera; unde cum non sint necessario confitenda, eorum Reservatio esset inutilis. 7

Potestas reservandi peccata, et Casus residet in Summo Pontifice respectu totius Ecclesiae: *Communis, et certa.* Item in Episcopis respectu suarum Dioecesum, pro quibus veniunt omnes Praelati habentes proprium independens Territorium, et Jurisdictionem qnasi Episcopalem: *Communis, et certa.* Sicque definitum est in Conc. Trid. *sess.* 14. *de Sacramento Poenitentiae Canon. XI.* ibi: « Si quis dixerit, Episcopus non habere Jus reservandi sibi Casus, nisi quoad externam politiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere quo minus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit ». Item in Praelatis Regularibus auctoritatem quasi Episcopalem habentibus, uti sunt Generales, et Provinciales: *Communis, et certa.* Vide verb. *Regularis Praelatus a n.* 53. *ad* 56. 8 9 10

Nullatenus tamen possunt Casus reservare Superiores locales: *Communis, et certa.* Vide dict. verb. *Regularis Praelatus a n.* 56. *ad* 59. Item neque casus reservare possunt Parochi in suis Parochiis, quinimmo neque possunt in Confessarium sibi eligere Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. Vide d. verb. *Regularis Praelatus n.* 59. 11 12

Papa ordinarie nullum peccatum mortale sibi reservat, nisi propter annexam Excommunicationem sibi itidem reservatam: *Communis.* Dicitur autem notanter *ordinarie*, quia aliquoties Papa sibi reservat peccatum aliqnod absque ulla Excommunicatione annexa, ut fecisse Sixtum V. in Const. 91. contra male promotos incip. *Sanctum, et salutare*, notant Lugo *disp.* 20. *de Poenitentia sect.* 2. *n.* 27. et Reiffenst. *Theolog. moral. dist.* 9. *q.* 1. *n.* 5. et videri potest in *Bullario Romano Const.* 91. *dicti Pontificis.* 13 14

* De hac reservatione vide Ligorium *l.* 6. *tract.* 4. *num.* 580.

Nunc autem ex Constitut. Benedicti XIV. quae incipit: *Sacramentum*, certo reservatus est Summo Pontifici sine censura casus, quando quis falso accusat Sacerdotem innoxium de sollicitatione a-

pud Judices Ecclesiasticos, sive per se ipsum, sive procurando, ut per alios calumnia inferatur.

Alium casum addit Ligorius *loc. cit.* desumptum ab Auctore libri, cui titulus; *Instruzione per li Novelli Confessori; par.* 2. *cap.* 15. *num.* 306. nempe, si quis accipiat dona a Regularibus utriusque sexus, nisi prius totum restituerit, si dona valeant pluris decem scutorum Romanorum, vel, si valeant minoris, saltem partem, ad arbitrium Poenitentiarii. Sed immerito. Nam Clemens VIII. cujus Constitutioni, quae incipit, *Religiosae*, innixa est haec doctrina, nihil aliud statuit, nisi ut qui contra interdictum accipiunt dona a Regularibus, ad restitutionem teneantur, *adeo ut restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiae obsolvi possint.* Ubi de reservatione hac, seu recursu ad S. Sedem ne verbum quidem. Sed Summus Pontifex solum declarat incapacem absolutionis eum, qui cum restituere teneatur, nondum restituerit, ut videre est apud Thesaurum *de Poenis Ecclesiasticis, verb. Munera, cap.* 10. *vers. Quod vero Clemens.* Quam incapacitatem Benedictus XIV. citatus a Ligorio in suo Opera, cujus titulus: *Instruzione, e Pratica per li Confessori, cap.* 13. *num.* 8. confirmat etiam relate ad Card. Poenitentiarum, §. 26. suae Constit. quae incipit, *Pastor bonus*, hanc tantum illi facultatem concedens, ut qui infra valorem decem scutorum ejusmodi munera acceperint, eis injuncta arbitrio ipsius Majoris Poenitentiarii, seu Confessarii, per eum eligendi eleemosyna, quae in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si caute fieri possit, absolvere, seu absolvi mandare possit".

15 Quinam autem sint casus Papae reservati? Vide verb. *Excommunicatio art.* 2. ubi referuntur Excommunicationes ipsi reservatae in Bulla Coenae, et *art.* 3 ubi referuntur Excommunicationes ipsi reservatae extra Bullam Coenae, et *art.* 4. ubi referuntur Excommunicationes nemini reservatae; Et verb. *Absolutio art.* 1. ubi referuntur sex Casus, dicti Clementini, ex quo de ejusdem mandato fuerint reservati intra Italiam, et extra Urbem.

16 Qui vero sint Casus ab Episcopis sibi reservati? inspiciendae sunt tabulae Casuum reservatorum pro qualibet respective Dioecesi, et hic sufficiat adducere Casus reservatos pro hac Alexandrina Dioecesi in Synodo celebrata die 1. 2. *et* 3. *Maii* 1723. et sunt sequentes

Primo. Tentantes Monialium pudicitiam, aut cum eis quoquomodo, sive factis, sive scripturis, sive verbis quomodocumque conceptis per se, vel per interpositas Personas inhonesta perpetrantes.

2. Qui infantes suffocaverint ob non adhibitam diligentiam, et detinentes in lecto infantes, qui nondum annum expleverint, non adhibita debita, et necessaria cautela *parvae*, ut dicitur *Cunae*.

3. Qui infantes exponunt, vel exponi faciunt, praesertim locis piis, si habent, unde illos alere possunt, nisi eorum locorum damna resarciant.

4. Qui Deum haereticaliter blasphemaverint, seu maledixerint, aut opprobriosa verba in ipsum, vel Sacratissimam Mariam, Sanctosque omnes proferre ausi fuerint.

5. Homicidium per se, vel per alios perpetrantes, sive quoquomodo auxiliantes, et consulentes, et abortum procurantes, si ad haec sequatur effectus, venenaque hominum mortifera componentes, vendentes, dantes ad malum finem.

6. Stuprantes Virgines sub promissione Matrimonii.

7. Qui ante contractum Matrimonium in facie Ecclesiae cum sponsa copulam habuerint.

8. Qui sodomiam active, vel passive commiserint, aut bestialitatis crimen perpetraverint.

9. Qui in primo, vel secundo Consanguinitatis gradu, aut in primo affinitatis, vel Cognationis spiritualis incestum commiserint.

10. Qui Hebraeis pecunias ad negotiationem dederint ad effectum participandi de eorum usuris.

11. Deponentes falsum, vel verum tacentes in notabile praejudicium alterius coram Judice post juramentum praestitum.

12. Qui falsa Instrumenta, aut fides falsas in grave damnum Proximi confecerint, vel subscripserint, ex quibus rei, vel famae damnum sequatur, et nonnisi refectis damnis absolvantur.

13. Differentes absque legitima causa solvere debita cujuscumque generis erga pia loca et propter quamvis piam causam, non absolvantur, nisi praevia solutione. Monemus propterea Confessarios omnes, ut antequam Poenitentes audiant, ab eisdem sciscitentur, an sint Debitores Piorum Locorum, et Monasteriorum Monialium ex aliqua causa, ad hoc, ut sciant, an sint in statu, ut illis absolutionem impertiri valeant.

14. Componentes, et in publico affigentes per se, vel per alios carmina satyrica, vel Prosas, Libellos famosos (vulgo Pasquinate, o Sonetti), quibus Proximi famae, Dignitati, seu existimationi detrahatur.

Tandem monemus Parochos omnes, et Confessarium quemlibet, ademptam esse facultatem absolvendi complices in quocumque peccato mortali, et quod unusquisque tenetur habere apud se, et in Confessionario, sive in loco, ubi Confessiones audiri solent, praesentem notam Casuum Reservatorum, sub poena Suspensionis ab audiendis Confessionibus.

Quinam sint Casus, qui reservari possunt a Praelatis Regularibus, nempe Generalibus, et Provincialibus pro suis respective subditis? Vide verb. *Regularis Praelatus a n.* 53. *ad* 55. 17

Ubi observa, quod casus Regulares a Clemente VIII. limitati, et ibi recensiti, sunt tantum undecim, nec possunt Generales pro tota Religione, sine consensu Capituli Generalis, nec Provinciales pro suis respective Provinciis, sine consensu Capituli Provincialis alios ab illis reservare. Nec tenentur dicti Praelati Regulares omnes illos undecim 18

19

reservare, sed possunt vel omnes, vel aliquos solos reservare, ut *ibi* a Clemente VIII. statuitur. In nostra tamen Seraphica Religione sunt omnes Reser-
20 vati, quibus Capitulum Generale addidit pollutionem voluntarie procuratam, si forte non contineatur sub lapsu carnis opere consummato, et inobedientiam contumacem, qualis esse declaratur: « Quando quis, trina monitione praemissa facta congruis intervallis, per diem naturalem inobediens perseverat ». Ita habetur in statutis Generalibus Leodii impressis, et tradunt Henno *t.* 4. *tract. de Poenitentia disp.* 8. *q.* 8. *art.* 2. *concl.* 2. Sporer *t.* 3. *p.* 3. *cap.* 6. *sect.* 2. *q.* 1. *n.* 716. et alii. Im-
21 mo, ut habetur in *Compilatione Statutorum Sambucae c.* 7. §. 2. *et* 3. Casus Reservati in nostro Seraphico Ordine sunt novemdecim, et dicto §. 2. *sub n.* 7. ut nullus ignorantiae locus sit, statuitur, quod Provinciales Casuum Reservatorum Tabellam conficiendam, et in singulis Conventibus publicandam curent in hunc, qui sequitur modum.

Tabella Casuum, qui Generali, et Provincialibus reservantur.

22 1. Nomen Dei, aut Domini Nostri Jesu Christi, aut Deiparae Virginis Mariae blasphemantes.

2. Rebus Sacris abutentes.

3. Quidquam in Religionis detrimentum extra Religionem patefacientes.

4. Discordias Patrum, vel depositiones Praelatorum manifestantes.

5. Calumniam in judicio cuiquam imponentes, vel ad faciendum inducentes.

6. Falso, ac scienter quempiam accusantes, et accusantem revelantes.

7. Falsum testimonium deponentes, vel deponendum procurantes, aut alium quomodolibet infamantes.

8. Jurati veritatem negantes, et falsum affirmantes.

9. Ter debite moniti obedire renuentes.

10. Consummatum carnis peccatum quodcumque admittentes.

11. Denarios contra Regulam accipientes, tenentes, vel asservantes.

12. Rei sacrae, vel notabilis furtum perpetrantes.

13. Religionis bona extra Ordinem dono dantes.

14. Fratribus, vel Saecularibus vendentes, aut quovis modo alienantes.

15. Generalis, vel Provincialis, aut eorum Secretariorum litteras, tum missas, tum accipiendas impedientes, frangentes, falsificantes, aut quomodolibet intercipientes.

16. Sigillum Ordinis, vel cujusvis alterius Praelati, aut Personae notabilis falsificantes.

17. Libellum famosum facientes, fieri procurantes, inducentes, consulentes, projicientes, vel publicantes.

18. Graviter quemquam percutientes, aut contra Praelatum machinantes.

19. Carnes comedentes, quando Ecclesiae, vel Regulae praecepto vetitum fuerit, nisi scriptam facultatem ob necessitatem a Superiore antea impetraverint.

Advertendum est tamen, quod Provinciales non 23
tenentur omnes dictos Casus sibi solis reservare, sed possunt sibi reservare aut omnes, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire in Domino judicaverint, ut patet ex verbis Clementis VIII. *in cit. Decreto relato sub verb. Regularis Praelatus n.* 53. Unde, si non omnes, sed solum aliquot sibi reservent, et aliorum absolutionem aliis sibi subditis Confessariis duxerint concedendam, expedit, ut in singulis Conventibus eorum Tabellam ad omnium notitiam publicari, et asservari faciant.

Regulares non exempti subjacent Casibus ab E- 24
piscopo reservatis: Silvester *par.* 1. *verb. Casus Reservati cas.* 2. La Croix *lib.* 6. *par.* 2. *n.* 1645. et alii.

Episcopus non debet sibi reservare absolutionem 25
illorum, qui non communicant in Paschate, sed eis potest poenas pecuniarias, et etiam Excommunicationis injungere, ut declaravit *Sacra Congr. Concil.* Nam propositis olim in ea dubiis:

I. « An Episcopus adversus eos, qui temporibus ab Ecclesia statutis, ad Confessionis, et Eucharistiae Sacramenta negligunt accedere, et poenas *Cap. Omnis utriusque sexus, de Poenitent. et remissionib.* contemnunt; possit etiam ad Excommunicationem procedere »?

II. « An pro Satisfactione poenas pecuniarias pio Loco applicandas injungere »?

III. « An expediat talium absolutionem sibi reservare »?

Die 28. *Jan.* 1587. *Sacr. Congr.* ad primum censuit *licere*; nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ex rationabili causa Communio ad tempus dilata fuerit. Ad secundum, posse injungi eleemosynas alicui pio loco applicandas pro hujusmodi Excommunicatorum emendatione; ad tertium, non expedire »; *lib.* 18. *Decret. pag.* 603. apud Monacelli. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *adnot. ad Decret. Communionis quotidianae n.* 17.

Nec debet Episcopus sibi reservare absolutionem 26
eorum, qui non solvunt locis piis id, quod ratione Administrationis, vel alia causa debent, quia hi remediis Juris cogendi sunt: Sic *Sacr. Cong. Conc. in Castren.* 3. *Febr.* 1635. *lib.* 15. *Decret. pag.* 194. apud Monacell. *loc. cit. n.* 18.

Poenitentiarii Cathedralium non possunt absol- 27
vere Poenitentes a Casibus Episcopo reservatis; nisi ipsemet Episcopus talem specialem facultatem eis concesserit. Nec possunt facultatem sibi conces- 28
sam, aliis delegare. Neque possunt Poenitentes a Censuris, et Casibus reservatis sibi concessis absolvere, non audita integra Confessione Sacramentali: *Sic Sacra Congr. Concilii in Derthonen.* 5. *Julii* 1647. nam propositis in ea sequentibus dubiis ».

I. « An Canonicus Poenitentiarius Ecclesiae Ca- 29

thedralis possit absolvere a Censuris, et Casibus, tam a Jure Episcopo reservatis, quam ab illis, quos Episcopus sibi reservavit » ?

II. « An Poenitentiarius dispensare possit tempore Quadragesimae super esu ciborum cum infirmis, et cum aliis habentibus attestationem Medicorum absque speciali delegatione ab Episcopo concedenda »?

III. « An Poenitentiarius facultatem, quam habet absolvendi Poenitentes a Casibus sibi concessis, possit alteri Confessario delegare, qui absolvat, prout idem Poenitentiarius » ?

IV. « An Poenitentiarius possit absolvere Poenitentes a Censuris, et Casibus reservatis sibi concessis, non audita integra Confessione Sacramentali, sed tantummodo ab ipsis Casibus reservatis, et pro aliis poenitentes remittere ad alium Confessarium » ?

Sacra etc. ad supradicta dubia respondit negative in omnibus ; lib. 18. *Decret. pag.* 346. apud **Monacell.** *loc. cit. num.* 19.

30 A casibus reservatis, sive Summo Pontifici, sive Episcopis, sive Praelatis Regularibus quinam, et a quibus absolvere possint, vel non? Vide verb. *Absolvere, Absolutio per tot.*

31 Dictis adde, quod, urgente necessitate celebrandi, seu communicandi, ad vitandum grave scandalum, et notam infamiae, non solum potest poenitens ab inferiori Confessario absolvi directe a peccatis non reservatis, et indirecte a reservatis nullam habentibus adnexam Censuram reservatam, juxta dicta sub verb. *Jurisdictio num.* 35. et verb. *Poenitentiae Sacramentum art.* 2. *num.* 91. sed etiam id poterit in defectu Superioris, et Confessarii habentis ad id facultatem, quamvis peccata reservata adnexam habeant occultam Censuram reservatam, V. G. Censuram reservatam excommunicationis ob occultam Clerici percussionem, et ipse Confessarius inferior neque in tali necessitate possit eum absolvere a tali reservata Censura: Sic Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 10. cum Henriq. Suarez, Coninch. et aliis ibi citatis, La Croix post Busembaum l. 6. *par.* 2. *num.* 1599. Sporer *tom.* 3. *cap.* 6. *sect.* 2. *num.* 753. Reiffenstuel *Theolog. moral. tract* 14. *dist.* 9. *qu.* 2. *num.* 10. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 104. *par.* 5. *tractat.* 13. *resol.* 10. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *num.* 3123. Card. de Lugo *de Eucharistia disp.* 14. *sect.* 5. *nu.* 100. *et* 102 cum aliis ibi allegatis, Illsung. *tract.* 6. *disp.* 6. *q.* 7 *art.* 8. §. 1. *num.* 137. Joan. de la Crux *de excommunicat. art.* 2. *nu* 6. Matthaeuc. *Cautela Confessarii lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 44. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 24. *et seq. ac cap.* 36. *num.* 9. *et* 10. et plurimi alii dicentes, quod sic absolutus in tali necessitate, licet adhuc remaneat excommunicatus, possit licite celebrare, aut communicare, cum sit recte dispositus. Et ratio est, quia absolutio a peccatis, et infusio gratiae potest per accidens haberi remanente Censura, cum gratia non sit incompatibilis cum ipsa Censura, ut si ex inculpabili ignorantia, aut inadvertentia poenitens censuram non confiteatur; Vel Confessarius inferior Censurae inscius, aut ignarus, aut ex oblivione, seu aliter, eum solum a peccatis absolvat; ergo etiam si in tali casu urgentis necessitatis celebrandi, aut communicandi poenitens aliunde dispositus, in defectu Superioris, aut Confessarii potentis, scienter confiteatur Confessario inferiori impotenti absolvere a Censura reservata; quia pro tunc poenitens facit quantum potest, et Lex Ecclesiastica Censuram imponens, non praesumitur obligare cum tanto detrimento.

32 Quamvis enim regulariter, et per se loquendo non possit excommunicatus absolvi a peccatis nondum absolutus ab Excommunicatione, per accidens tamen in supradicta, et simili necessitate potest absolvi a peccatis nondum absolutus ab Excommunicatione reservata occulta. Et ratio est; quia sicuti Lex jejunii, et audiendi Missam non obligat, cum jejunari, et Missa audiri non potest sine gravi damno, ita nec Lex, quod absolutio excommunicationis occultae praemittatur absolutioni a peccatis, obligat, quando, vel cum gravi scandalo, et nota infamiae omittenda esset celebratio, seu communio, vel Missa celebranda, et Eucharistia percipienda foret sine absolutione Sacramentali; cum omnes istae sint Leges Ecclesiasticae, quae non obligant cum tanto detrimento. Nec ipse poenitens in tali necessitate potest prius etiam ab excommunicatione reservata occulta absolvi ab inferiori Confessario, cum iste carens potestate ordinaria, vel delegata, nequeat ex communi Doctorum sententia absolvere nec ab excommunicatione occulta reservata etiam in casu necessitatis, nisi necessitas sit extrema propter periculum mortis, in quo quivis simplex Sacerdos in defectu Confessarii approbati, juxta dicta *sub verb. Absolutio art.* 1. *num.* 48. *et seq.* potest absolvere non solum a peccatis, sed etiam a Censuris quomodocumque reservatis a Concil. Trid. *sess.* 14. *de Sacr. Poenitent. cap.* 7. Dictum autem fuit notanter ab *excommunicatione occulta*, quia in nostro casu, si excommunicatio sit publica, absolutio ab ipsa debet praecedere absolutionem a peccatis, et non potest in necessitate celebrandi, seu communicandi absolvi ab inferiori Confessario; quia scandalum non esset, si poenitens publice excommunicatus non celebraret, aut non communicaret; sed potius si celebraret, aut communicaret.

33 Nec valet objicere, quod si hoc esset, excommunicatio non privaret usu, et perceptione Sacramentorum, contra expressam prohibitionem *in c. cum illorum* 22. *et cap. Si quem* 59. *de sententia excommun.* et similibus. Non valet, inquam, quia citati Sacri Canones, aliique similes privant utique usu, et perceptione Sacramentorum per se loquendo, per accidens autem, ut in supradictis casibus necessitatis urgentis, possunt illis non privare. Unde excommunicatus occultus in Confessione in-

tegre, et cum dolore, ac vero proposito se accusans, in illis casibus reciperet Sacramentum, et gratiam, sed non perciperet de Indulgentiis; Extra vero casus urgentis necessitatis, nec celebrare, aut communicare posset, sed remaneret sacris privatus sicut antea. Sic Joannes de la Crux *loc. cit. num.* 6. Matthaeuc. *cit. lib.* 2. *c.* 36. *num.* 10. et alii supracitati.

34 Nec valet etiam objicere, quod si poenitens in tali urgente necessitate potest ab inferiori Confessario absolvi etiam a reservatis habentibus adnexam censuram reservatam, deberet etiam posse absolvi ab ipsa Censura reservata, sicuti potest absolvi poenitens in extrema necessitate articuli mortis. Non valet, inquam, quia magna intervenit differentia inter utramque necessitatem; In extrema enim necessitate articuli, seu periculi mortis nulla remanet reservatio, adeo ut quilibet simplex Sacerdos, in defectu alterius jam approbati, possit tunc tamquam cum omnimoda facultate approbatus, absolvere poenitentem a quibusvis peccatis, et Censuris quomodocumque reservatis, ut expresse statuit Conc. Trid. *sess.* 14. *de Sacr. Poenitet. cap.* 7. Nec si convalescat, elapsa tali extrema necessitate, tenetur postea iterum confiteri, aut comparere coram Superiore pro nova absolutione impetranda, quia jam directe, et plene absolutus est ab omnibus peccatis, et censuris quomodocumque reservatis; Et solum tenetur se sistere Superiori in casu, quo fuerit irretitus Censura reservata, non ut iterum a Censura absolvatur, cum jam in tali articulo fuerit pro foro interno ab ipsa directe, et plene absolutus, sed dumtaxat ut ipsius Superioris mandatis pareat, poenitentiam, vel remedium ab ipso accipiat, et in foro exerno satisfactionem exhibeat; ex *cap. de cetero* 11. *c. Ea noscitur* 13. *c. Quod de his* 26. *c. Quamvis* 58. *de sent. excommunicat.* et ex Bulla coenae §. *Ceterum*, juxta dicta in verb. *Absolutio art.* 1. *num.* 53. 54. *et* 55. At vero in dicta urgente necessitate celebrandi, aut communicandi, remanet adhuc reservatio, ita ut poenitens in ipsa a Confessario inferiore non absolvatur a peccatis reservatis, nisi indirecte, quatenus absolvitur ratione concomitantiae cum peccatis non reservatis directe absolutis ex vi absolutionis directe cadentis super ipsa peccata non reservata, cum non possit unum peccatum sine alio remitti; nam gratia sanctificans omnia expellit, ut habetur ex Concil. Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. *de Sacr. Poenitentiae;* et nullimode, nec indirecte, remaneat absolutus a Censura reservata; ita ut ad differentiam absoluti in articulo mortis teneatur ipse se sistere Superiori, aut Confessario praedito necessaria facultate, ut ab ipso recipiat absolutionem directe a peccatis reservatis, a quibus fuit tantum indirecte a Confessario inferiori absolutus, et a Censuris reservatis, a quibus nullo modo fuit absolutus. Neque in tali urgente necessitate absolvi potest a simplici Sacerdote nondum ad Confessiones excipiendas approbato, sicuti potest absolvi poenitens in extrema necessitate articuli, seu periculi mortis, ut docent Gobat *tract.* 7. *num.* 381. Palaus *tract.* 23. *p.* 15 §. 7. Sporer *loc. cit. num.* 358. et alii recte dicentes, quod id non permittit usus, et consuetudo Ecclesiae; Non enim in tali casu est par, nec tanta necessitas, ac in articulo mortis, cum in hoc articulo id solum permittat Ecclesia, et Trid. Conc. *c. sess.* 14. *de Sacram. Poeniten. c.* 7. *Ne hac occasione aliquis peccat*; quod evenire non potest extra dictum articulum, extra quem Concil. ipsum dicit, quod simplices Sacerdotes nihil possint. Immo neque in ipso mortis articulo potest simplex Sacerdos absolvere, si adsit Confessarius approbatus promptus ad confessionem moribundi excipiendam, ut dictum fuit sub verb. *absolutio art.* 1. *num.* 51. *et* 52.

Poenitens in extrema necessitate articuli, seu 35
periculi mortis, habens unicum casum reservatum, sine ullis aliis peccatis, sive mortalibus, sive venialibus, potest directe absolvi a simplici Sacerdote, seu Confessario inferiori sine ullo onere comparendi coram Superiore, seu delegato, si convalescat, nisi habeat adnexam Censuram reservatam, juxta superius dicta. At vero in urgente necessitate celebrandi, seu communicandi, nec directe, nec indirecte potest absolvi a Confessario inferiori: Non directe, quia ad id facultatem non habet Confessarius inferior; Nec indirecte, quia nullum aliud habet, et confitetur peccatum non reservatum, ex cujus absolutionis vi per concomitantiam absolvatur; Sed tunc debet sibi consulere, sicuti qui non habet, copiam Confessarii, ut evadat in gratia per contritionem, sicque non praemissa confessione celebret, aut communicet: Suarez *Disp.* 30. *sect.* 3. Layman *loc. cit. cap.* 12. *num.* 11. Felix Potestas *loc. cit. num.* 3125. Sporer *loc. cit. num.* 757. et, ipso teste, alii moderni passim.

Consultius tamen est in tali casu ob difficulta- 36
tem eliciendi actum contritionis, immo necessarium est, praesertim si velit poenitens obtinere absolutionem indirectam ab ipso peccato reservato, putans se non esse sufficienter de ipso contritum, confiteri simul cum ipso aliquod peccatum veniale, vel mortale jam antea confessum, ut sic a d. Confessario inferiori absolvatur directe ab istis, et ratione concomitantiae ex vi talis absolutionis, indirecte absolvatur ab ipso peccato reservato, alioquin nulla adesset materia idonea absolutioni directae, nec consequenter indirectae: et aliunde adimpleret praeceptum de praemittenda Confessione Communioni, ad quod saltem per accidens esset adstrictus etiam in tali casu, si putaret se non esse sufficienter contritum de ipso peccato reservato. Sic cum aliis Cardinalis de *Lugo de Eucharistia disp.* 14. *sect.* 5 *num.* 98. Gobat *loc. cit. num.* 381. Sporer. *loc. cit. num.* 358. Matthaeuc. *Cautela Confessarii lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 11. et alii, cum semper tamen onere comparendi coram Superiore, seu Confessario ad id facultatem haben-

te, ad obtinendam absolutionem directam, ut supra dictum est.

37 Qui confitetur alicui potenti directe absolvere a reservatis, et inculpabiliter obliviscitur alicujus reservati, potest postea a quovis Confessario directe absolvi ab illo reservato oblito. Sic Covarruvias, Coninch. Ledesma, Navarrus, Reginald. Arriaga, Lessius, Tambur. Lugo, Herincx, Gobat, Busemb. et alii 20. graves Auctores cum Aversa *quaest.* 17. *sect.* 8. et Viva *quaest.* 11. *art.* 4. *et* 6. aliique compiures apud la Croix *lib.* 6. *par.* 2. *num.* 1449. *et* 1695. Felix Potestas *tom.* 1. *par.* 4. *nu.* 3309. cum Mastrio, Poncio, Diana, et communiori Doctorum, Matthaeuc. *Cautela Confessarii lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 13. testans de communi, sicuti, etiam tenet, et de communi testatur Card. de Lugo *de Poenitentia disp.* 20. *sect.* 7. *nu.* 85. *et seq.* Et ratio est, quia jam ablata est reservatio ob intentionem implicitam virtualem, seu interpretativam tam poenitentis, quam Confessarii, quia poenitens dum petit absolvi, virtualiter petit in quantum indiget, et Confessarius intendit absolvere in quantum vi suae jurisdictionis potest, et poenitens indiget, juxta clausulam; *In quantum possum, et tu indiges.* Atqui Confessarius potest a peccatis reservatis absolvere, et poenitens indiget, ac absolvi vult ab omnibus peccatis, etiam reservatis, ergo tollitur omnis reservatio, etiam illius peccati inculpabiliter obliti. Limitant tamen valde probabiliter Gabriel, Angelus, Silvester, Rosella, Bonacina, cum Dicastillo, Suarez, Praeposito, et aliis in solo casu, quo absolvens intenderit eam reservationem tollere, quia ut cum aliis dicit Dicastill. *de Poenitent. dist.* 11. *num.* 14. non tollitur reservatio, si nulla fiat mentio reservatorum, nec adsit positiva intentio illam tollendi; cum tunc non videatur satisfieri intentioni superioris reservantis, quae est, ut reservatum directe subjiciatur Clavibus, sicque ratione reservationis explicatae, medicina conveniens imponatur ab illo, qui in reservata habet potestatem.

38 Poenitens, qui cum peccatis non reservatis habet casum reservatum a se ignoratum, et bona fide confitetur Confessario non habenti facultatem in reservata, nec percipienti illum casum esse reservatum, absolvitur a non reservatis directe, et indirecte a reservato; cum onere tamen, quod, cognita reservatione talis casus, accedat ad Confessarium habentem facultatem, ut ab ipso absolvatur directe. Si autem nullum aliud peccatum habeat, et confiteatur solum ignoratum reservatum, tunc ab eo nec directe, nec indirecte remanet absolutus, ex defectu jurisdictionis Confessarii, et materiae poenitentis, super quam cadat absolutio directa; Et bona fides excusat quidem ipsum a Sacrilegio, non vero quin, cognita reservatione, teneatur illud confiteri Confessario habenti facultatem in reservata, juxta dicta supra *n.* 33. *et* 34.

39 Poenitens habens peccatum per se immediate reservatum sine adnexa Censura, quamvis invincibiliter ignoraverit esse reservatum, non potest absolvi a Confessario inferiori non habente facultatem in reservata: Bene vero potest ab ipso absolvi, si peccatum non ratione sui, sed solum sit reservatum ratione adnexae excommunicationis invincibiliter ignoratae. Sic communior, et verior Doctorum sententia. Et ratio differentiae est, quia reservatio non est poena poenitentis, sed restrictio jurisdictionis Confessarii ipsum immediate respiciens, ejusque manus totaliter ligans, itaque sive peccator sciat, pecccatum esse reservatum, sive non, semper fit Confessarii jurisdictio restricta. Excommunicatio vero est poena immediate respiciens poenitentem, quae ab ignorante inculpabiliter non incurritur, textu expresso in *cap. Si vero* 4. *de sent. excommunicat. cap. Ut animarum* 2. *de Constitutionib in* 6. *L. Si ignorans* 50. *ff. Locati,* cum similibus; adeoque quamvis committens tale peccatum reservatum ratione excommunicationis ei adnexae, coram Deo graviter peccet, tamen apud Ecclesiam non ligatur ipsa excommunicatione invincibiliter ignorata: cum ad ipsam incurrendam requiratur contumacia, quae non adest in invincibiliter ignorante esse tali peccaminosae actioni adnexam a Lege Ecclesiastica excommunicationem.

Confessarius non habens facultatem in reservata, 40
dubitans post debitum examen, an peccatum a poenitente confessum, sit reservatum, sive dubium sit juris, v. g. an sit Lex reservans tale peccatum; sive dubium sit facti, v. g. cum scitur quidem tale peccatum, puta homicidium, abortum procuratum, adulterium, et hujusmodi, esse a Lege reservatem, sed dubitatur, an fuerit commissum, vel simpliciter, vel secundum circumstantias, seu conditiones, quibus est reservatum, an revera sit homo occisus, an advertenter, et deliberate, an ex pharmaco praebito sit revera sequutus abortus; an femina cognita, sit ligata, vel soluta, sit consanguinea, aut affinis, et hujusmodi: in utroque dicto dubio, sive dubium sit positivum, cum scilicet adsunt rationes probabiles pro utraque parte, sive dubium sit negativum, cum videlicet pro neutra parte adsunt rationes probabiles, potest prudenter judicare in favorem poenitentis, quod tale peccatum non sit reservatum, et ipsum absolvere; Sic communis Doctorum in casu dubii positivi, et satis communis in casu dubii negativi, teste Sporer *loc. cit. n.* 733. cum Henriquez, Suavez, Sanchez, Bonacina, Card. de Lugo, Diana, Tamb. aliisque ibi citatis. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *cap.* 5. *n.* 3311. cum Mastrio, Leandro, Arsdekin, et aliis ibi allegatis, La Croix post Busemb. *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1599. *in fine et n.* 1604. cum aliis ibi citatis, Gobat *tract.* 7. *n.* 356. cum aliis ibi adductis. Et ratio est, quia res tam odiosa, ut reservatio, non est extendenda ad casus dubios, sed ad solos claros, et perspectos, ac certe reservatos, *arg. c. Odia* 15. *de Regul. jur. in* 6. Tum quia semper in dubiis benigniora praeferenda sunt; *L. Semper* 56. *ff. de Regul. juris,* ac in re dubia benigniorem in-

terpretationem sequi non minus justius, quam tutius est; *L. ea quae* 192. *ff. eod. de Reg. jur.* et in ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet; *L. Si fuerit.* 10. *ff. de rebus dubiis.*

41 Nec valet objicere, quod Clemens VIII, *an.* 1601. *die* 9. *Jan.* prohibuit absolutionem a casibus non solum *clare*, sed etiam *dubie* contentis in Bulla Coenae, adeoque etc. Non valet, inquam, quia idem Clemens moderavit illud suum primum Decretum per aliud editum *die* 29. *Nov.* 1602. in quo ea de re omisit illas particulas *clare*, *vel dubie contentis*, quod confirmat nostram sententiam de certitudine requisita ad reservationem, ut cum multis tradit Gobat *loc. cit. n.* 357. La Croix *loc. cit. n.* 1604. Verricell. *tract.* 8. *q.* 16. et Felix Potestas *loc. cit. n.* 3313. testans de communi.

42 An autem si post confessionem ejusdem peccati dubii apud Confessarium carentem potestate in reservata, poenitens certo cognoscat suum peccatum revera fuisse reservatum, teneatur tunc recurrere ad habentem facultatem? Negant absolute Gobat *loc. cit. num.* 358. et alii apud ipsum, Mastrius, Leander, et Sporer *loc. cit. n.* 714. et alii, quia, dicunt ipsi, absolutio non fuit data sub conditione: *Nisi postea constet peccatum esse vere reservatum*, sed absolute, atque tamquam sub eo dubio revera non reservatum, jam directe absolutum, et remissum fuit; Ex praesumpta enim voluntate superioris, quamdiu peccatum est dubium, relinquitur jurisdictio, cum non censeatur velle reservatio nem in dubio, nisi exprimat. Affirmant autem absolute alii citati, et sequuti a Felice Potestate *loc. cit. n.* 3312. etsi tale peccatum erat reservatum ratione sui, et non ratione Censurae adnexae, tenet recte la Croix *loc. cit n.* 1693. citans etiam Card. de Lugo *disp.* 20. *a n.* 20. Et ratio est, quia sicuti in casu necessitatis, aut si quis bona fide per inadvertentiam fuisset ab inferiore absolutus, reservatio non esset sublata, sed teneretur poenitens, elapsa necessitate, et cognito errore, recurrere ad Superiorem; ita, et in hoc casu, sicuti dictum est supra *n.* 33. 34. et 35. et sub verb. *Poenitentiae Sacramentum art.* 2. *n.* 129. de peccato confesso ut dubio, et postea cognito ut certo; Quae sententia affirmativa est in praxi tenenda, quamvis sit probabilis etiam prima opinio negativa, ut asserit la Croix *loc. cit. n* 1693. allegatis Sa, Hurtad. Portel. Sporer, Gobat, Dicastill. et aliis: ac satis probabilem dicit etiam cum aliis Card. de Lugo *loc. cit. n.* 22 *et seq.*

43 Qui a Superiore petit, et obtinet licentiam, sive per se, sive per Confessarium, ut possit absolvi a reservatis, si post obtentam talem facultatem iterum committat alia peccata reservata; Si petitio, et confessio facultatis fuit ad certa reservata jam commissa, talis licentia non extenditur ad alia postea commissa; Si vero fuit petita, et obtenta facultas generatim, ut possit absolvi a reservatis, tunc facultas extenditur, etiam ad posteriora reservata post obtentam facultatem commissa. Sic Lugo, Tamburin. Stoz. Dicastill. Gobat, Sporer citati, et sequuti a la Croix *loc. cit. num.* 1692. ubi cum Sporer *loc. cit. n.* 765. subjungit, quod id verum est, etiamsi poenitens ex confidentia illius gratiae saepius peccasset. Et universaliter docent Sanchez, Reginald. Lugo, Bonacina, Beja, Dicastill. Aversa, Navarr. Suarez, Henriquez, Filliuc., Bossius, Viva, cum ipso *l. cit. n.* 1451. *et* 1692. si quis ideo committat reservatum, quia jam est Jubilaeum, quia hoc peccatum specialiter non reservatur; In similibus tamen casibus, praesertim extra Jubilaeum, attente consideranda sunt verba petitionis, et concessionis, et judicandum est juxta praesumptam mentem, et verba concedentis, et non aliter.

Pueri usum rationis habentes ante annos pubertatis, nempe ante annum 14. incurrunt casus reservatos: Card. de Lugo *de Sacrament. Poenitent. disp.* 20. *n.* 10. cum Homobono, Lazario, et Florono ibi citatis, Tamburin. *tom.* 2. *pag.* 40. *de casibus reservatis n.* 5. Felix Potestas *tom.* 1. *par.* 4. *n.* 3306. La Croix *lib.* 6. *par.* 2. *n.* 1691. Aversa, et alii apud ipsum, contra Paludanum, Graffium, et alios. Et ratio est, quia reservatio est medicina, qua aeque indigent impuberes, ac puberes, ipsisque est valde utilis, ut a gravioribus peccatis deterreantur. Nullas autem dicti pueri impuberes incurrunt reservatas Censuras, ut tenent ultra citatos Doctores, Fagundez, Sa, et alii allegati, et sequuti a Felice *tom.* 1. *pag.* 5. *n.* 4591. contra Azorium, Vasquez, et alios volentes, ipsos impuberes incurrere Censuras latas a jure, licet non incurrant latas ab homine. Et ratio nostra est, quia ex *c. Pueris* 1. *et c. Referente* 2. *de delictis puerorum*, pueri infra annum 14. simpliciter eximuntur a poenis. Unde ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; *cap. Quia circa* 22. *de privileg. l. Non distinguemus* 32. *ff. de receptis arbitris, l. Praeses* 3. *ff. de Officio Praesidis, l. De pretio* 8. *ff. de publiciana in rem action.* Tum quia in poenis benignior est interpretatio facienda; *c. In poenis* 49. *de Regul. jur. in* 6. *c. Statutum* 22. *de election. in* 6. *l. Factum* 155. *ff. de Regul. jur. l. cum quidam* 19. *ff. de liberis, et posthumis.* 44

* Societates quaedam, ex vi suorum privilegiorum, non possunt ullo modo in quibusdam anni solemnitatibus eligere sibi Confessarium, a quo a casibus Episcopo reservatis, sine Episcopi licentia absolvantur, ut praeter decisiones Sacrae Congregationis ferunt litterae Benedicti XIV. incip. *Pias Christifidelium* relatae in Tract. de *Synodo Dioec. l.* 5. *§.* 9. *nov. edit.* 45

Denique accedentes in fraudem ad aliam Dioecesim, ut absolvantur a reservatis suae Dioecesis absolvi non possunt, ex Bulla Clementis X. incip. *Superna. Ibid.* 46

Canonicus Poenitentiarius vi sui muneris nullam habet facultatem absolvendi peccata Episcopo reservata, ut a Sacra Congregatione Concilii decisum refertur *ibid. §.* 8. 47

48 Ad solum Romanum Pontificem, Episcopos, et Praelatos inferiores habentes jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio separato pertinet reservatio casuum ex Doctrina Concil. Trident. et Decisionibus Sac. Congregationis. *Ibid.* §. 11.

49 Quamquam reservatio fieri potest extra Synodum, multa tamen suadent, ut potius in Synodo fiat; ideo praesertim, quia non desunt Theologi cum P. Roncaglia tenentes, leges ab Episcopo latas extra Synodum, eo cessante, cessare, cum ea tantummodo, quae in Synodo fiunt ab Episcopo, legis plenam auctoritatem obtineant. *Ibid.* §. 3.

50 Actus mere internos, nec Summus Pontifex, nec Episcopi reservandos sibi unquam censuerunt. *Ibid. cap.* 5. §. 5.

51 Regulares non solum reservare prohibentur alia crimina, quam quae in Decreto Clementis VIII. definiuntur, sed nec possunt alia ab iis diversa crimina illigare censura reservata, ut et firmat Bened. XIV. ex Decr. quodam Sac. Cong. Episc. et Regular. *Ibid.* §. 5.

52 Alia, vide verb. *Approbatio*, verb. *Confessarius*, verb. *Jubilaeum*, verb. *Moniales art.* 3. *a n.* 9. *et* 23. et *art.* 5. *n.* 81. verb. *Novitius*, verb. *Regularis Praelatus verb. Regulares.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

53 In hoc articulo Auctor multa ex laxioribus Casuistis excerpsit, quae ad Cristianae Ethices normam nullo modo sustineri posse, Censores animadvertunt, quare quae a *num.* praesertim 31. *usque ad* 53. adducuntur, ea non sunt passim admittenda, sed ii consulendi Auctores, qui rem exactius tractarunt, ut Antoine, Franzoja etc. Vide quae diximus in Additione ad verb. *Confessarius art.* 1.

Responsio Auctoris.

54 Ast tradita *ibi* a me sunt suffulta et ratione, et auctoritate classicorum Auctorum; immo aliquorum, qui sua opera typis tradiderunt Romae, ut inter alios Matthaeuccius noster *in Cautela Confessarii, Editionis Romanae*, cum solitis sine ulla Censura revisionibus, et approbationibus, ut *ibi* videre est *locis a me citatis*, et iste certe non est laxior Casuista. Et Antoine, ad quem Theologus lectores amandat, in *tract. de Poenit. art.* 2. *de casibus reservatis, quaest.* 5. « An Sacerdos approbatus carens potestate absolvendi a reservatis, possit aliquando directe absolvere a non reservatis, et indirecte a reservatis? ℟. circa hoc duplex est sententia. Prima, quae est communis, docet, id posse in duobus casibus. Primo, si poenitens inculpate oblitus est aliquod reservatum, vel si bona fide illud confiteatur Sacerdoti non advertenti esse reservatum . . . . Unde merito censetur Ecclesiam tunc dare potestatem absolvendi directe a non reservatis, et indirecte a reservatis, cum onere postea reservata confitendi Sacerdoti habenti potestatem in illa. Quam sententiam Sanctus Carolus tenendam proponit in sua Dioecesi, in qua proinde dat hanc potestatem: volunt autem, Episcopos censeri eamdem potestatem concedere hoc ipso, quod non contradicunt sententiae communi id asserenti, quam ignorare nequeunt. Secundo, si Sacerdos, habens reservata, nequeat omittere celebrationem Sacri sine gravi scandalo, nec adsit Confessarius habens potestatem in reservata; quia cum quilibet sibi peccati mortalis conscius teneatur Confessionem praemittere Communioni: credibile non est Ecclesiam sic instituisse reservationem, ut tunc a peccatis absolvi nequeat, directe quidem a non reservati, et indirecte a reservatis, malitque eum cum incerta contritione non confessum celebrare, quam Confessionem Communioni praemittere . . . . Secunda sententia negat, in ullo casu extra mortis periculum posse; quia peccata non reservata remitti nequeunt sine reservato, nam unum mortale sine alio remitti non potest etc. »: et pergit probare argumentis, quibus utuntur Patroni secundae sententiae. Unde cum Clarissimus P. Antoine asserat expresse, quod prima sententia, quae est illa mea, communis est, et eamdem tenendam in sua dioecesi mandat Sanctus Carolus; Hinc habes Erudite lector quid in his sit sentiendum.

Novae Additiones.

* Quaestiones, quas Lucius noster in Articulo proponit, accurate versat Seraphinus Maria Maccarinelli Ord. Praed. tunc adversus haereticam pravitatem in Civitate, ac Dioecesi Cremensi Inquisitor Generalis, deinde Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis Commissarius Generalis, in Opere, cui titulus: « Exercitationes Theologico-Morales in Censuras et Casus, quorum absolutio in Brixiana Ecclesia jure peculiari Episcopo reservatur, Mediolani MDCCLIV. » Exercitatione 1. *De Reservatione universim*, in qua Exercitatione has regulas cap. 1. et tribus proximis statuit: » I. Reservatio afficit Confessarios, non vero Poenitentes reservatorum casuum, aut censurarum reos II. Reservatio eos solos, et omnes afficit confessarios, qui jurisdictionem habent, aut exercent cum dependentia a Praelato logem reservationis ferente. III. Reservatio non est vere poena ecclesiastica, licet aliquam consequenter afferat rationem poenae. IV. Reservatio non est sumenda late, metaphorice, et improprie, sed stricte, et proprie; dummodo tamen non sumatur dumtaxat nimium stricte, nimium proprie, et praecipue, et in toto rigore. V. Reservatio non est trahenda ad consequentiam. VI. Investigatio finis, sive motivi, quo Legislator in lege reservante ferenda motus fuit, utilis quidem interdum esse potest ad legem ipsam rite interpretandam; sed frequentius tamen evadit inutilis, imo vero et aliquando pericolosa, et nonnunquam temeraria. VII. Statutum quo Episcopi in suis singuli Dioecesibus reservationem ferunt (ut apud nos Ta- 55

bula nostra reservatorum) est statutum de se perpetuum, semper duraturum, et vim obbligandi habens etiam post mortem ejusdem Episcopi reservantis, nisi ab eo, aut illius successore fuerit revocatum. VIII. Omnes, et singulae excommunicationes in Tabula nostra latae, sunt excommunicationes majores; omnes, et singulae suspensiones, sunt suspensiones integrae, et totales; ambo interdicta, sunt tantummodo personalia. Universim omnes censurae Tabulae nostrae sunt latae sententiae. IX. In reservationibus saltem Episcopalibus, reservata censura, non intelligitur reservatus casus sive delictum, contra quod censura lata est; nec vicissim, reservato casu, intelligitur reservata censura, si qua illi casui adnexa est; nisi Legislator reservans aliter in lege reservante statuerit. X. In reservationibus saltem Episcopalibus, praesertim ubi censurae, et casus diversis sub titulis reservantur (ut fit in Tabula nostra), contingere potest ut unum, idemque crimen multiplici simul reservationi Episcopali subdatur, et aliquando etiam multiplici censurae. XI. In reservationibus saltem Episcopalibus, sublata per legitimam absolutionem censura reservata, vel ea propter aliquam causam excusantem non contracta, nulla superest reservatio; nisi aliunde etiam casus ipse, sive crimen, contra quod censura illa lata est, se solo reservatione teneatur. XII. Quidquid peccatum ita imminuit, ut illud reddat tantum veniale, excusat quoque a censura contra idem peccatum lata. XIII. Impotentia excusat a censura. XIV. Metus gravis excusat a contrahendis censuris. XV. Ignorantia aliquando quidem a contrahenda censura excusat, non tamen semper. XVI. Dubium poenae, aut facti circa censuram a censura ipsa non excusat, si revera lata lex sit censuram inferens, aut factum sit ejus speciei, quae sub censurae poena prohibetur. XVII. Coscientia erronea non inducit censuram, ubi censura lata non est. XVIII. Sola aetas impubertatis non excusat impuberes a contrahenda censura, (praesertim loquendo de censuris latis in Tabula nostra reservatorum. XIX Sola ratio sexus, aut status neminem eximit a censuris contrahendis. XX. Existentia subditi extra Dioecesim Episcopi eumdem subditum ibi peccantem excusat a contrahenda censura, praesertim ex latis in Tabula nostra reservatorum. XXI. Extranei, peregrini, vagi, aliique similes homines peccantes intra Dioecesim Episcopi contrahunt censuras statuto Episcopali latas. XXII. Peccata venialia non sunt obnoxia reservationi. XXIII. Peccata mere interna reservationi non subduntur. XXIV. Ne peccata quidem externa reservationi subduntur, quantumvis magna sit interior animi malitia, nisi etiam malitia externi actus tanta sit, ut actus ipse externus mortale peccatum praesefert. XXV. Ne exterior quidem mortaliter gravis malitia peccati peccatum ipsum reddit reservatum, nisi ea exterior gravis malitia pertineat ad eam speciem peccati, quae in lege reservante exprimitur. XXVI. Nullum peccatum quantumvis mortale, externum etc. reservationi subditum est, nisi *materialiter* simul et *formaliter* sit ejus speciei, quae in lege reservante exprimitur. XXVII. Reservationi non est obnoxium peccatum, nisi completum sit, et consummatum in ea specie, quae per legem reservantem exprimitur: dummodo tamen Legislator reservationem ferens aliud non praeceperit. XXVIII. Nullum peccatum, quantumvis mortale, externum, completum etc. reservationi subjectum est, nisi in ipso verificentur omnia, et singula, quae in lege reservante exprimuntur. XXIX. Peccata reddi possunt obnoxia reservationi, etiam ratione solius circumstantiae notabiliter aggravantis; quae propterea circumstantia in casu reservationis omnino necesse est in confessione manifestanda. XXX. Peccata dubia dubio facti reservatione non comprehenduntur. XXXI. Peccata dubia dubio Juris habenda sunt pro vere reservatis. XXXII. Sola aetas impubertatis non excusat impuberes peccantes a reservatione. XXXIII. Sola ratio sexus foeminei foeminas non eximit a reservatione, nisi quando ab ipsa lege reservante expresse eximuntur. XXXIV. Metus, quantumvis gravis, non excusat a reservatione casuum, nisi quando simul excusat a peccato mortali. XXXV. Nulla omnino ignorantia juris reservantis excusat a reservatione casuum, nisi quando simul excusat a peccato mortali. XXXVI. Ignorantia facti etiam concomitans, dummodo non sit graviter culpabilis, excusat a reservatione in omnibus peccatis. XXXVII. Illicita est, gravissimis sub poenis vetita, atque etiam invalida absolutio a reservatis, sive casibus, sive censuris attentata a Confessario inferiori non habente facultatem in reservata. XXXVIII. Ne in poenitentiam quidem, sive satisfactionem pro reservatis imponendam, aut a superiori Confessario impositam, Confessarius inferior potestatem ullam habet, neque eam consequenter imminuere potest, aut commutare. XXXIX. Confessarius dubitans de sua jurisdictione in reservata, non potest licite absolutionem ab illis attentare; atque si durante dubio eam attentet, et aliunde revera jurisdictionem in reservata non habeat, absolutio evadet etiam invalida. XL. Nulla necessitas, nullum impedimentum (solo excepto articulo mortis, de quo postea) efficere potest, ut Confessarius inferior a reservatis licite, aut valide absolvere directe queat. XLI. In articulo mortis, deficiente Confessario superiore, quilibet Confessarius inferior, eoque etiam deficiente, quilibet Sacerdos, etiam censura ligatus, saltem toleratus, licite, et valide absolvere potest quemlibet Poenitentem a quibusvis reservatis, solo excepta reservata suspensione. XLII. Confessarius inferior, aut Sacerdos simplex in articulos mortis absolvens a peccatis reservatis nihil a Poenitente exigere debet, nisi id, quod alias pro ipsis peccatis debitum esset; absolvens vero a censuris reservatis obligare debet Poenitentem, ut si supervivat, quam primum commode poterit, se praesentet coram Confessario superiore, et satisfaciat parti laesae, si qua laesa fuit. XLIII. Extra mortis

articulum a reservatis absolvere potest ipse Praelatus reservans; vel ejus successor; vel qui ipsis in jurisdictione superior est; vel demum alius quilibet Confessarius ad id delegatus. XLIV. Quamvis Confessarii superiores ordinarii possint alios, prout libuerit, Confessarios delegare ad absolvendum a reservatis etiam ad universalitatem causarum; nullus tamen Confessarius superior quavis ratione delegatus potest alium ad universalitatem causarum subdelegare, nisi id fuerit ipsi a superiore ordinario expresse concessum. XLV. Confessarii superiores delegati delegatione reali ad absolvendum a reservatis ad universalitatem causarum possunt alios quoque Confessarios subdelegare; eos tamen subdelegando dumtaxat in particulari, et ad nudum ministerium absolvendi a reservatis. XLVI. Nullus Confessarius superior delegatus ad absolvendum a reservatis etiam ad universalitatem causarum, sed delegatione dumtaxat personali potest alium quovis modo subdelegare, ne quidem in particulari, et ad nudum ministerium; idemque dicendum de delegato sola delegatione in particulari, et ad nudum ministerium, qui item nullum alium potest quovis modo subdelegare. XLVII. Nullus Confessarius quovis modo delegatus ad absolvendum a reservatis censuris episcopalibus licite, aut valide potest absolvere a casibus episcopalibus; aut vicissim delegatus ad absolvendum a casibus, absolvere potest a censuris reservatis episcopalibus; nec item delegatus ad absolvendum ab uno casu, aut censura absolvere potest ab alio casu, aut censura reservatis. XLVIII. Confessarius delegatus ad absolvendum a reservatis, sive casibus, sive censuris (saltem in Tabula nostra reservatis) sub hac, aut simili verborum forma: *pro hac vice dumtaxat*, absolvere potest poenitentem, etiamsi post obtentam, nondum tamen exercitam delegationem, in eumdem casum, aut censuram relapsus fuerit; dummodo tamen in delegatione, aut petitione facultatis certus reservatorum casuum, aut censurarum numerus non fuerit expressus. XLIX. Confessarius delegatus ad absolvendum a reservatis cum praescriptione conditionis ante absolutionem implendae, non potest nec licite, nec valide absolvere nisi conditione ipsa, quantum fieri potest, prius impleta; delegatus vero cum praescriptione conditionis, quae non praecipiatur ante absolutionem implenda, valide quidem absolvit, etiamsi nunquam praescriptam illam conditionem adimpleat; ita tamen absolvendo illicite absolvit L. Nullus Confessarius superior, sive ordinarius, sive delegatus absolvere licite, aut valide potest a casibus reservatis nisi, in sacramentali confessione; a censuris vero reservatis tam ordinarius, quam delegatus potest et licite, et valide absolvere etiam extra sacramentalem confessionem, dummodo tamen non fuerit delegato a delegante praescriptum, ut in confessione sacramentali tantum etiam a censuris absolvat, quod apud nos praescribi ut plurimum Solet. LI. Confessarius superior, sive ordinarius, sive delegatus, Poenitentem obstrictum reservatis dumtaxat censuris ab iis solis absolvere potest, eum remittendo ad alium etiam inferiorem Confessarium, ut absolvatur a peccatis, quae reservata non sunt; et vicissim inferior Confessarius eumdem Poenitentem absolvere primum potest a peccatis, quae reservata non sunt, et subinde eum, ut absolvatur a censuris reservatis (dummodo illae non sint excommunicationes) remittere ad Confessarium superiorem. LII. Confessarius superior non potest Poenitentem reum simul peccatorum mortalium reservatorum, et non reservatorum absolvere a solis reservatis, ipsum remittendo ad inferiorem Confessarium, ut absolvatur a non reservatis; nec vicissim potest inferior Confessarius eum absolvere a non reservatis, ipsum remittendo ad superiorem, ut absolvatur a reservatis. LIII. Peccator censuris reservatis ligatus si earum confessionem integram faciat apud Confessarium quemlibet superiorem, eb eoque a censuris illis absolvatur, revera absolutus manet, tametsi confessio illa fuerit culpa ipsius peccatoris, puta propter defectum contritionis, aut propositi etc. invalida; idemque dicendum de censuris reservatis, quarum ille inculpate oblitus fuerit; saltem loquendo de censuris Tabulae nostrae. LIV. Si peccator reservatorum peccatorum, sive casuum reus confessionem faciat quovis ex capite invalidam coram Confessario quolibet superiore, dummodo reservata illa peccata integre confiteatur, et satisfactionem injunctam recipiat, non absolvetur quidem a reservatis illis, sed eorum adhuc reatu tenebitur propter confessionis invaliditatem, sed sublata tamen remanebit eorum reservatio, ita ut possit ab ipsis subinde etiam per Confessarium inferiorem absolvi. Contrarium tamen probabilius dico esse sentiendum de Peccatore reservatorum casuum reo, qui confessionem etiam validam faciat coram Confessario superiore, sed reservatorum casuum etiam inculpate obliviscatur. LV. Tempore Jubilaei Confessarius quilibet, etiam inferior, modo universim ad confessiones audiendas approbatus sit ab Episcopo, sive Ordinario loci illius, in quo confessio audienda est, potest quoscumque poenitentes sinceram habentes lucrandi Jubilaei intentionem absolvere a quibusvis censuris, sive casibus, ab iis saltem, qui Episcopis ipsis, aut locorum Ordinariis reservati sunt. ».

In explicatione autem Regulae. XI. « Nulla necessitas, nullum impedimentum (solo excepto articulo mortis, de quo postea) efficere potest, ut Confessarius inferior a reservatis licite, aut valide absolvere directe queat » ubi monuit Regulam hanc totidem fere, verbis haberi in Decreto 9. Januarii anno 1601. Clementis VIII. auctoritate edito, quod integrum dedimus verb. *Confessarius* in Append. ad Art. IV. n. 6. eamque de absolutione directa acceptam communi consensu a Theologis approbari, subdit, ex Theologis aliquos dissentire si de indirecta absolutione intelligatur « Directam porro absolutionem, *inquit*, vocant illam, qua Confessa- 56

rius immediate virtute suae, quam habet jurisdictionis, peccata, aut censuras solvit, et dimittit. Indirectam absolutionem vocant illam, qua peccatum dimittitur, et censura relaxatur a Confessario non immediate ratione jurisdictionis, quam in ea reservata habeat (cum supponatur esse Confessarius inferior, hoc est, non habens jurisdictionem in illa reservata), sed mediate, quatenus absolvendo directe ratione suae jurisdictionis a non reservatis, eaque absolutione gratiam sanctificantem infundendo, per quamdam veluti consequentiam absolvat etiam a reservatis; quia gratia sanctificans in animam Poenitentis infusa omnia peccata expellit, cum gratia sanctificans simul cum peccatis in eadem anima esse nequaquam possit, juxta Theologos post. S. Thomam 3. p. qu. 86. art. 3. ».

57 Hac praemissa directae, atque indirectae absolutionis notione, Theologos indicat, qui Confessarium inferiorem in casu necessitatis gravis, aut impedimenti, etiam extra articulum mortis, posse Poenitentem absolvere a reservatis, quibusdam conditionibus positis, affirmant; aut contra in nullo penitus casu cujusvis necessitatis, vel impedimenti (solo dumtaxat excepto articulo mortis) posse Confessarium quemlibet inferiorem licite, aut valide absolvere a reservatis nec directe nec directe contendunt; et momenta, quibus utriusque opinionis Patroni nituntur, explicat.

58 Postremo roganti, quamnam ex istis opinionibus sequendam in praxi consulat, in haec verba respondet: » Salvo meliori judicio, cui libenter subscribam, in primo ex memoratis casibus, ejus scilicet, qui bona fide confitetur reservatum, quod reservatum esse ignorat (vel, quod idem fere est, reservati obliviscitur) apud Confessarium inferiorem, ab eoque non advertente absolvitur: in primo, inquam, hoc casu, me libentius assentiri primae Theologorum opinioni, et judicare, eum absolutione indirecta absolutum remanere etiam a reservato, cum onere tamen se praesentandi coram Confessario superiore, ut ab eo directe absolvatur, si forte aliquando in cognitionem veniat reservationis. Ita sentire me cogit praeter alia anthoritas gravissima S. Caroli Borromaei in doctrina Concilii Tridentini interpretanda peritissimi, qui hanc opinionem approbat pro eo casu, et in sua Dioecesi Mediolanensi tenendam proponit in Instructionibus pro Confessariis. Vide dicenda ad Regulam LV. In 2. vero ex propositis casibus, Sacerdotis videlicet urgenti gravi casu celebraturi, aut alterius Eucharistiam necessario sumpturi, nec habentis nisi Confessarium inferiorem, cui reservata confiteatur, consulerem esse distinguendum. Aut enim reservata, quibus ille Poenitens teneretur, essent tantummodo peccata, sive proprie casus reservati, aut essent dumtaxat censurae reservatae. Si essent tantummodo peccata reservata, libentius assentirer secundae ex descriptis Theologorum opinionibus, affirmando eum non posse, ne quidem indirecte absolvi a peccatis reservatis per Confessarium illum inferiorem, nec consequenter teneri eidem Confessario confiteri reservata, aut non reservata; sed ei consulerem, ut excitata in se, quantum fieri posset, contritione perfecta, Missam celebraret, aut Eucharistiam sumeret, et subinde quamprimum confiteretur omnia tam reservata, quam non reservata Confessario superiori, ut ab omnibus directe absolveretur. Mallem enim ipsum sine praemissa confessione, et absolutione Eucharistiam percipere, aut Missam celebrare, quam absolutionem percipere a Confessario inferiori adeo dubiam in eo casu jurisdictionem habente, cohaerenter ad Regulam XXXIX. Si vero reservata, quibus Sacerdos ille, aut Poenitens teneretur, essent tantum censurae reservatae, crederem probabilius, et tutius, ipsum teneri ad confitendum integre peccata sua Confessario illi inferiori, et posse ab eo absolvi ab ipsis peccatis cum onere se praesentandi quamprimum Confessario superiori, ut per eum etiam a censuris reservatis absolvatur. Interim tamen ipsi permitterem, ut Missam, urgente gravi necessitate, celebraret, vel Eucharistiam perciperet. Urgente enim gravi necessitate magni scandali vitandi, imminentis infamiae etc. ut in hoc casu Sacerdotis, vel Poenitentis illius censurae Ecclesiasticae non obligant, ut ad Regulam XIV. dictum fuit; ergo nec impediunt Sacramentorum susceptionem, aut celebrationem, sed manent veluti suspensae, nec quidquam operantur, donec gravis illa necessitas, aut metus scandali, aut infamiae durant: ergo, ea necessitate durante, potest adhuc Sacerdos ille, aut Poenitens Sacramentum Poenitentiae suscipere a Confessario inferiori, sicque a peccatis, quae non sunt reservata, absolvi, et interim sine ullo piaculo Missam celebrare, vel Eucharistiam suscipere: Lege Concinam tom. 10. lib. 3. dissert. 2. cap. 1. qu. 9. testantem, et approbantem *communiorem* esse *sententiam*, quod, ad declinandum grave detrimentum, possit excommunicatus Sacramenta suscipere. Cohaerenter ad hactenus dicta ego omnino certum existimo cum gravioribus Theologis, Confessarium inferiorem, ne ex metu quidem quantumvis gravissimo mortis sibi comminatae, licite, aut valide posse a reservatis absolvere nec directe, neque indirecte, sed comminatam sibi mortem potius constanter subire debere, quam absolutionem a reservatis attentare; contra atque Cabrinus resolut. 122. affirmavit. Namque reservatio subtrahit, aut certe ligat in Confessario inferiori jurisdictionem, ne ad reservata se extendere queat (ex definitione reservationis), atque adeo Confessarius inferior in ordine ad reservata non habet jurisdictionem, qua absolvere queat; atqui sine jurisdictione illicita est, et plane invalida absolutio, ut multoties cum omnibus Catholicis dictum fuit: eaque evadit invalida non ex sola lege Ecclesiastica, sed ex lege et institutione divina, qua Christus Sacramenti Poenitentiae auctor instituit, ut sine jurisdictione Sacramentum illud non possit valide administrari; ergo quantumvis metus gravis Confes-

sario inferiori incutiatur, nunquam poterit quovis modo licite, aut valide absolutionem a reservatis attentare, sed obedire potius debebit Christo praecipienti, ne sine jurisdictione absolutionem attentet, quam hominibus mortem comminantibus. » *

RESIDENTIA, RESIDERE

SUMMARIUM

1. Residere in Ecclesia, vel Praebenda quid sit, et importet. — 2. Ad residendum non sufficit commorari personaliter, et existere in loco Beneficii, sed insuper requiritur, quod Beneficiarius personaliter deserviat Ecclesiae in Divinis Officiis. — 3. Beneficiarius debet per se ipsum personaliter praestare Ecclesiasticum Ministerium nec potest per alium. — 4. Residentia est duplex, una vera, et altera ficta; et quae sit utraque? — 5. Spectato Jure communi omnia Beneficia requirunt residentiam. — 6. Ex generali tamen consuetudine Beneficia simplicia eam non requirunt, nisi Fundator oppositum statuerit, aut Statutum, vel legitima consuetudo alicujus particularis Ecclesiae eam requirant. — 7. Episcopi, et Parochi tenentur ad residentiam personalem non solum de Jure Canonico, sed etiam de Jure Divino. Et Episcopi nunc attendere debent novissimam Constit. Benedicti XIV. — 8. Beneficia non Curata obtinentes tenentur ad residentiam de solo Jure Canonico, atque ex primaeva Fundatorum dispositione per Sacros Canones approbata. — 9. Quoad ea, quae concernunt Canonicorum residentiam, et quibus poenis subjaceant non residendo — 10. Quoad ea, quae concernunt Episcoporum residentiam, et quibus poenis subjaceant non residendo? *ad nu.* 30. — 31. Quoad ea, quae concernunt Parochorum residentiam, et quibus poenis subjaceant non residendo? *ad nu.* 43. — 44. Quid circa residentiam Clericorum simplex dumtaxat Beneficium habentium? Alia ad rem *ad num.* 56.

1 Residere in Ecclesia, vel Praebenda nihil aliud est, et importat, quam commorari in loco Beneficii, et Ecclesiae in Divinis Officiis personaliter deservire. *Sic in re communis*, per text. *in c. Quia nonnulli* 3. *de Clericis non resident.* ibi: « Cum igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticorum Ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quaeratur, quae residere in loco, et curam ejus per seipsam valeat exercere »; *cap. relatum* 4. *eod. tit.* ibi: « Cum in Lateranensis Concilio statutum sit, ut personae tali Ecclesia, vel beneficium Ecclesiasticum conferatur, quae residere in loco, et curam ejus per se valeat exercere »; *c. Conquerente* 6. *eod. tit.* ibi: *Vel quod eidem Ecclesiae non deserviat.*

2 Ex quibus textibus clare patet, quod non sufficit commorari personaliter, et existere in loco Beneficii, sed insuper requiritur, quod Beneficiarius personaliter deserviat Ecclesiae in Divinis Officiis. Unde Canonicus quamvis personaliter sit praesens in loco Ecclesiae Cathedralis, vel Collegiatae, si numquam accedat ad Chorum, et Capitulum, non censetur residere, text. expresso *in cap. Consuetudinem unic. de Clericis non resident in* 6. ibi: « Qualitercumque in Civitatibus, seu aliis locis, in quibus ipsae consistunt Ecclesiae, sint presentes », et ibi Glossa communiter recepta verb. *Praesentes*, ubi sic expresse habet: « Quid enim prodest praesentia in loco, ex quo Divinis non adsunt, propter quae sunt Beneficia constituta »?

3 Item ex dictis textibus manifeste patet, quod Beneficiarius debet per se ipsum personaliter praestare Ecclesiasticum Ministerium in loco Beneficii, et in Divinis Officiis ipsi Ecclesiae deservire. In ecclesiasticis enim Beneficiis requirentibus residentiam locum non habet *Regula* 60. *Juris in* 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*, quia haec Regula patitur exceptionem, quoties electa est industria, et fides personae, cui aliquid committitur, ut patet *in cap. Quoniam* 43. *§. Is autem, de Officio Judicis Delegati, et cap. Is, cui* 12. *eod. in* 6. Sic autem in Beneficiis Ecclesiasticis censetur electa industria, et fides personae ad per se ipsam personaliter residendum, et Ecclesiae in Divinis Officiis deserviendum; *cap. Quia nonnulli* 3. *c. Relatum* 4. *et c. Conquerente* 6. *de Clericis non resident. et cap. Unic. eod. in* 6. cum similibus.

Residentia est duplex, una *vera*, et altera *ficta*. 4
Residentia vera est illa, qua Beneficiarius vere, ac realiter praesens est in loco Beneficii, hujusque onera, seu Officia per semetipsum personaliter exercet. Residentia *ficta* est illa, qua Beneficiarius ex legitima causa absens habetur ex quadam Juris fictione pro praesenti, saltem ad lucrandos fructus grossos, *cap. De cetero* 7 *et c. Ad audientiam* 15. *de Clericis non residentibus*, ubi duo Canonici absentes in servitio Episcopi hac Juris finctione habentur praesentes, seu residentes. Vel etiam ad lucrandas distributiones quotidianas, *cap. Consuetudinem Unic. de Cleric. non residen. in* 6. ubi Canonici infirmitate, seu justa, ac rationabili corporali necessitate, aut evidenti Ecclesiae utilitate impediti, licet absentes, habentur hac Juris fictione praesentes, seu residentes, Concil. Tridentin, *sess.* 24. *de reform. c.* 8. ubi statuit, quod Canonicus Poenitentiarius pro praesente in Choro censeatur, dum audit Confessiones in Ecclesia, ibi: « Qui dum Confessiones in Ecclesia audiet, inter praesentes in Choro censeatur ». Et sic etiam juris finctione

censentur residere in suis Parochialibus Parochi illi, qui ex legittima causa absentes deserviunt suis Parochiis per idoneos Vicarios; *cap. Extirpandae* 30. §. *Qui vero, de Praebend.* Barbosa *lib.* 3. *Decretal. tit.* 5. *num.* 9. Pirhing *ibid. num.* 2. Reiffenstuel *ibid. num.* 2. et alii passim.

5 Spectato Jure communi, omnia Beneficia requirunt residentiam: Abbas in *cit. cap. Extirpandae* 30. §. *Qui vero, num.* 30. asserens, quod Beneficium quantumcumque minimum de Jure communi requirat residentiam, Fagnan. *in cap. Cum omnes* 6. *de Constit. num.* 14. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 8. et alii communiter, per text. *in cap. Ex par.* 8. *et cap. Inter quatuor* 10. *de Clericis non resident. c. Ad haec* 13. *de Praebend.* ibi: « Cum singula Officia in Ecclesiis assiduitatem exigant personarum »; et concordant *cap. Ex gestis* 2. *cap. Clericos* 17. *de Clericis non resident. cap. Super inordinata* 35. *de Praebend.* cum similibus. Et quo ad Beneficia simplicia idipsum desumitur *ex cap. Eleutherius* 1. *cap. Clericus* 4. *et cap. Clerici vero* 5. *dist.* 91. *cap. Si quis in Clerico* 29. *caus.* 7. *quest.* 1. *et cap. Conquerente* 6. *de Clericis non residentibus*, in cujus summario sic expresse habetur: « Qui non residet in Beneficio etiam modicae aestimationis, illo privatur ».

6 Dicitur autem notanter *Spectato Jure communi*, quia, ex Generali consuetudine totius Ecclesiae, Beneficia simplicia residentiam personalem non requirunt; Unde sic Beneficiati possunt per alios eisdem deservire, nisi Fundatores clare, et expresse oppositum statuerint: Abbas *in cit. cap. Cum omnes* 6. *de Constitutionibus num.* 1. Fagnan. *ibid. n.* 4. *et seq.* citans Rotam apud Card. Seraphin. *decis.* 693. *num.* 5. et alios, Felinus *in cap. Dilectus* 29. *de Rescriptis num.* 1. Vallensis *lib.* 3. *Decretal. tit.* 4. *num.* 3. *et* 4. Reiffensuel *ibid. num.* 9. Garcias *de Beneficiis part.* 3. *c.* 2. *num.* 3. *et* 11. *ac seq.* Zerola *part.* 1. *Praxis Episcopal. vers. Beneficium* §. *Ad septimum vers. Octava conclusio*, allegans declarationem Sacrae Congregationis in haec verba: « Obtinens Beneficium, quod sit simplex, et sine cura animarum, et extra Ecclesiam Collegiatam, nec personalem residentiam ob aliam causam requirens, non tenetur in eo residere, sed ad inserviendum illi per alium, qui probatus sit ab Ordinario »: ubi notanda est illa Clausola, *Nec personalem residentiam ob aliam causam requirens*, quae clare demonstrat, quod licet, spectato Jure communi, seu potius generali consuetudine, Beneficia simplicia Residentiam personalem non requirant; Si tamen Fundatores expresse obligaverint sic beneficiatos ad residentiam personalem, vel talis obligatio legitime inducta esset ex statuto, vel consuetudine alicujus particularis Ecclesiae, sine ullo dubio tenerentur tales Beneficiati personaliter residere, et per semetipsos injuncta Ecclesiastica servitia praestare, prout teste Garcia *de Beneficiis par.* 3. *cap.* 2. *n.* 11. *et* 12. pluries resolvit Rota, et signanter in *una Calaguritana Beneficii de Navarrete* 10. *Junii* 1588. *coram D. Pamphilio, et* in *una Caesaraugustana Fructuum* 4. *Junii* 1660. *coram D. Corduba.*

Episcopi, et Parochi tenentur ad residentiam personalem, non solum de Jure Ecclesiastico, seu Canonico, sed etiam de jure Divino, et naturali; Colligitur aperte ex Conc. Trid. *sess.* 22. *de reformat. cap.* 1. quod tamen noluit explicite definire tamquam Dogma Fidei. Vide verb. *Episcopus art.* 3. *n.* 1. *et* 2. et verb. *Parochus art.* 2. *a n.* 1. *ad* 4. ubi afferuntur ad id Jura, et Doctores. Quoad residentiam vero Episcoporum attendenda nunc est novissima Constitutio Bened. XIV. quae incip. *Ad universae Christianae Reipublicae statum*, in qua inter alia summe providus Pontifex assignat absentiae causas, et tempora a Concilio Trid. permissa, Canonica et Pontificia statuta ad id confirmat, et innovat. Item poenas in contravenientes, addita poena privationis Indultorum competentium Assistentibus solio Pontificio. Congregationem super Residentia, ejusque sessiones in usum reducit. Singulis absentiae causis opportuna Rescripta comparat. An, et quatenus permittendum Episcopo, ut a dioecesi absit causa litis? Quid ratione infirmitatis extra Dioecesim contractae? Quid ad convalescendum ex morbo in Dioecesi contracto? Quid ratione aeris insalubris? Quid pro celebrandis Conciliis in Assembleis, et Dietis? Quid pro construendis processibus Apostolicis in causis Canonizationum? assignat. Praeceptum de praemissorum observantia, et de onere denunciandi non residentes. imponit. Specialem ad id commissionem Nuncio Apostolico Neapoli commoranti injungit. Ac tandem etiam S. R. E. Card. praemissis Legibus comprehensos expresse declarat. 7

Beneficia non curata, ut sunt Canonicatus, et hujusmodi obtinentes, tenentur ad residentiam solo jure Ecclesiastico, seu Canonico, atque ex primaeva Fundatorum dispositione per Sacros Canones approbata: Fagnan. *in cap. Extirpandae* 30. §. *Qui vero, de Praebend. n.* 2. Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 4. *n.* 16. Reiffenstuel *ibid. n.* 14. Vallensis *ibid. n.* 2. Zoesius *ibid. n.* 2. et alii communiter; Beneficia enim non curata sunt solummodo ab Ecclesia instituta propter cultum Divinum, et non propter curam animarum. Unde in istis non urget ratio, quae urget in Beneficiis Curatis. 8

Quo autem ad ea, quae concernunt Canonicorum residentiam, et quibus poenis subjaceant, non residendo? Vide verb. *Canonicus art.* 5. *per tot.* (*) (**). 9

Quod ad ea, quae concernunt Episcoporum re- 10

(*) Consulere etiam poteris T. VI. *Thesauri Ecclesiastici* ab Antonio Schmid editi 1777. Nellari dissertationem de *varietate residentiarum Canonicalium*, primum Treviris an. 1759. excusam.

(**) *Nota Editorum Casinensium.*

Extra controversiam est, obtinentes beneficia, nempe dignitates, Canonicatus, Praebendas, vel portiones in Ca-

sidentiam, et quibus poenis subjaceant non residende? Vide verb. *Episcopus art.* 3. *a n.* 1. *ad num.* 39.

ADDITIONES CASINENSES

Episcopus residere tenetur in sua Ecclesia Ca- 11
thedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis teneri in ejs personaliter residere, uec in absentia fructus praebendarum suarum percipere, suosque facere posse. *Cap. licet de Praebend. cap. fin. de Cler. non resident*

Ampliatur primo hujusmodi conclusio, ut habeat locum, non obstante contraria consuetudine non residendi, aut fructus in absentia percipiendi, cum tali consuetudini sit expresse a Tridentino derogatum. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.* ubi statuitur, ut obtinentibus in Cathedralibus, eut Collegiatis Ecclesiis Dignitates, Canonicatus, praebendas, eet portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, vel coosuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse. Que decreto corrigitur Decretalis *cum omnes*, *de Constit.* vi cujus valida hujusmodi consuetudo habebatur. Fagnanus *ad cap. Licet, de praebend. etc. num.* 31. Quinimo in Cathedralibus, et Collegiatis insiguibus eo decreto Conciliari sublata est consuetudo etiam immemorabilis vacandi ultre tres menses a servitio Chori, ut multoties respondit S. Congregat. Concil. Fagnanus *loc. cit.* num, 31. De Collegiatis vero non insignibus vid v. *Insignis Insignitas*, et Additiones Casinenses ibi.

(« Veruntamen haec Coustitetio (Tridentina) in multis » Ecclesiis (praesertim Germaniae nostrae) non est recepte; cum elicubi tantum medio anno, alicubi tribus » tantum mensibus Canonici residere coguntur ad lucrandos fructus grossos, teste Garcia *de benefic. part.* 3. c. » 2. *num.* 330. et Layman *lib.* 4 *Tr.* 2. c. 6. *num.* 2. ubi » addit, quod in quibusdam Ecclesiis Canonici, qui uno » certo die v. g. S. Michaelis resident, et divinis intersunt, totius enni reditus lucrentur ». Ita Pirhing *ad Tit. de Cleric.* nou resident. *num.* 6. Quod idem tradunt Leurenius *For. benef. p.* 3. *cap.* 2. *quaest.* 110. *num.* 2. Schmalzgrueber *tit. de Cler. non resid. num*, 8. Caeterum vide infra excerpta ex Bened. XIV).

Hino pro comperto babe, Conc. Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 12 omnino praecipere residentiam in Cathedralibus, et Collegiatis insignibus, ita ut ultra tres menses, aut aliud tempus brevius, justa Constitutiones Ecclesiarum, non liceat Canonicis ab illis ebesse, fretis quavis consuetudine, vel statutis Ventriglie *Prax. For. Eccles. part.* 1. *Annot.* 19. §. 3. *n.* 10.

Porro Trident. Decretum de *Residentia*, uti supra, locum habet etiam in dignitatibus et Canonicat. Cathedralium Ecclesiarum, quae nullos babent redditus; nam nihilominus obligant ad personalem residentiam, non obstante contraria consuetudine, ex Fagnan. *loc. cit. cap Licet* num. 40. idem dic de Canonicatibus Collegiatarum insigoium, ut a *contraria sensu* patet *ex* Decret. S. Cong. Conc. a nobis allato in nostris additionibus sub v. *Insignis, Insignitas*.

« Quinimo Thesaurarius Eccles. Cosentinae, cum Dignitas Thesaurariatus nec fructus aliquos, nec curam » haberet, licet sit major post Pontificalem in d. Ecclesia » dubitavit, an teneretur residere, etante consuetudine » non residendi ... Sacra Congregatio censuit Thesaurarium, licet nullus fructus haberet, teneri ex Concilio » ad residentiam, quia illa consuetudo non residendi, quae » valnt de jure communi, cum nulli sint fructus, sublata » est a Concilio *in Canonicatibus, et Curatis*.

« Et similiter cum Cardinalis ... Episcopus Auximanus » petiisset, an duae Dignitates suae Cathedralis, videlicet » Archidiaconus, et Archipresbyter, qui nullos redditus » habent, sed solam stallum in Choro, teneantur ad residentiam, et ad quod genus residentiae: *die* 18. *Januarii* 1814 responsum est, supradictas Dignitates, licet » nullos habeant redditus, teneri omnino residere juxta » formam a Concil. praescriptam ». Fagn. *ad c. Cum omnes, de Const. n.* 25. *et seq.* v. v *Canonicus art. V.* n. 103.

His adde, ut nec sufficiat residentia in Civitate, sed omnino requiratur interessentia divinis Officiis, adeo ut contra absentes a Choro ultra tres menses procedendum sit ad praescriptum Concilii; residentia enim accipienda est cum effectu... idenque cum esset quaesitum, ac verba posita in d. cap. 12. (Concil. Trid.) §. *Praeterea sess.* 24 prohibeant, ne Canonici, et alii absint a Choro, vel tantum ne absint a Civitate. S. Congreg. censuit prohibere, ne absint a Choro. Et ad consultationem Cardinalis S. Praxedis, tunc archiep. Mediol respondit, puniendos esse, qui absunt a servitio Ecclesiae, licet in civitate, locove, in quibus ipse Ecclesia consistit, sint praesentes, quia verba Concilii dicunt *ab iisdem Ecclesiis abesse*, non a loco Ecclesiae. Et iterum consulta, quomodo essent privandi, qui ultra meditatem anni absunt a servitio Ecclesias, praetextu quod non discesserint a civitate: Respondit, primo anno privandos esse dimidia parte fructuum, secundo omnibus; tertio, prout sancitum est Conc. Trid. *cap* 12 *sess* 24 Haec in terminis apud Fagnanum *cit c. licet num.* 41.

Amplius « Canonicus, etsi Choro intersit, nisi tamen psallat, distributiones quotidianas nequaquam lucratur: S. Cong. Concil. April. 1618 ». Apud Nicolium *in Flosc. v. Canonicus num.* 16.

Lubet etiam quoad Canonicorum Residentiam, quae sequuntur, adnotare.

« Dignitates, et Canonici, non obstante, quod velint amittere tertiam partem fructuum praebendarum pro di» stributionibus applicatam, adhuc ab Episcopo compelli » possunt ad residendum personaliter, ut declaravit S. » Congr. Concil. .. Decretum autem ex libris secretariae » excerptum, sic loquitur, *Congregatio censuit, Dignitates* » *in Cathedralibus, et Collegiatis posse compelli ad resi*» *dendum personaliter poenis praefixis Decr. Conc. sess.* » 24. *cap.* 12. §. Praeterea, *non obstante, quod velint a*» *mittere tertiam partem fructuum pro distributionibus* » *quotidianis applicatam* ». *Monacellus Form. legal pract.* » *Tom.* 1. *Tit.* 2 *Form.* 6. *n.* 24.

Porro notandum » ut nec aeris intemperies excuset Canonicos a residentia ultra tres menses a Concilio permissos Adeoque petentibus Canonicis, et liceret dimidiae eorum parti per alternas hebdomadas inservire, eo quod Cathedralis frigida, et humida esset, S. Congregat. abnuit, et Sanctissimus itidem abnuit Adverte tamen, quia DD. .. communiter tenent', beneficiatum excusari a residentia ob aeris intemperiem ... sed videntur accipere intemperiem pro aeris corruptione. .... quo casu licet eis abscedere, etiam renuente Superiore, cum periculum sit in mora ». Fagnanus *ad cap. Licet, de Praebend. et dignitat.* n. 46.

Hinc « Sacra Congregat. etc. *die* 9. *Novembris* 1650. *in Mediolanen.* « censuit Canonicis causa pestis absenti» bus deberi quotidianas distributiones, si pestis grassetur, » et petentes soliti sint inservire, et probetur legitima con» suetudo, quod distributiones hujusmodi dentur absenti» bus ex justa causa; quando autem dicatur pestis grassa» ri, ut sit justa causa absentiae, judicio Episcopi esse re» linquendum ». Apud Bened. XIV. *Instit. Eccles.* 107. §. 8. *num.* 50.

Rursus eadem S. Congr. « *die* 16. *Maii* 1654. in una Turritana censuit, deberi distributiones Canonico, qui propter pestem non potueret in civitetem ingredi, si pestis grassetur, Canonicus ipse solitus sit inservire, et adsit Ecclesiae consuetudo. Immo et noviter provisis de Canonicatibus, possessione per legitimum Procuratorem capta, si propter pestem ad residentiam prohibeantur accedere, debentur distributiones: *Lucana* 28. *Jul.* 1657. Apud Nicolium *in Flosc. u. Pestis*, *n.* 2.

Sicuti etiam ob aeris intemperiem tolerari potest, quod Matutinum non ab ortu Solis, sed per horam integram post Solis ortum incipiatur, prout pro tolerantia respondit Sac.

thedrali, seu in Civitate, in qua Ecclesiam suam Cathedralem habet, ut decretum fuit Conc. Carth. 5. *cap.* 5. de quo *can. Placuit*, 21. *caus.* 7. *q.* 1. his verbis: « *Placuit, ut nemini sit facultas, reli-*

Congr. Concil. in *Troiana* 14. *Febr. et* 14. *Nov.* 1699. favore Capituli Collegiatae Civitatis Foggiae: Monacell. *Tom.* 1. *tit.* 5. *form.* 2. n. 33.

Illud quoque advertas licet, ubi agitur de Canonicatibus et dignitatibus in Cathedrali, vel Collegiata, regulam generalem esse de Residendi necessitate; « nisi lex fundationis legitime statutae aliter suadeat, ex Regula saepius insinuata in materia jurispatronatus, ut in limine fundationis de consensu Ordinarii adjici valeant a fundatore conditiones juri contrariae ». De Luca in *Tridentinum disc.* 4. *num.* 12.

Lubet quoque ad majorem rei claritatem sequentia ascribere ex Bened. XIV. in haec sane verba. « Tridentina Synodus haec praecipit *Cap.* 12. *sess.* 24. *de Reformat. Praeterea obtinentibus in iisdem Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Praebendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.* Quamvis haec verba perspicua satis videantur, tamen eo adducta fuit Sacra Congregatio Concilii, ut falsas quorumdam explicationes compesceret ».

« Primo, censuerunt aliqui, fuisse impertitum a Tridentina Synodo privilegium universis Canonicis, ut tribus mensibus per annum a Choro longe abessent, et tamen muneri suo satisfacerent; nec fuisse abrogatam a Concilio consuetudinem immemorabilem, si quae fuerit, ut Canonici plus quam tribus mensibus a Choro liberentur: sed longe diversum est, privilegium elargiri Canonicis generatim, ut in Chorum per tres menses haud conveniant, ac decernere, ne plusquam tres menses sibi desumant ob quodcumque statutum, aut consuetudinem; cum praesertim illud superaddatur, quod minime abrogentur leges, et consuetudines, quae Praebendam obtinentibus vacationem a Choro breviorem tribus mensibus concedunt: Quapropter S. Congreg. Mutinensi Episcopo ita respondit 1573. *Lib.* 1. *Decret. pag.* 168. *Sacra etc. censuit, trium mensium absentiam non concedi Canonicis ex Decreto Concilii sess.* 24. *cap.* 12. *si Constitutionibus Ecclesiae servitium totius anni absque ulla intermissione requiritur.* Insuper Fagnanus haec testatur *cap. ad audientiam a n.* 8. *usque ad n.* 16. *de Clericis non residentibus, et cap. licet num.* 48. *de Praebendis: Canonicis majori servitio Ecclesiae, quam novem mensibus, adscriptis, postulantibus ex gratia vacationem trium mensium, Sacra Congregatio meo tempore semper abstinuit.* Eadem Sac. Congregatio anno 1581. *L.* 3. *Decret. pag.* 186. in quadam Calaguritana in hunc modum constituit: *Sacra etc. censuit, non licere Praebendatis vigore cujuscumque consuetudinis, etiam immemorabilis, ab eorum Ecclesiis ultra tres menses abesse.* In causa pariter Mirandensi, ubi centum dierum vacationem a Choro Sedes Apostolica confirmaverat, Sacra Congregatio anno 1585. hoc Decretum edidit. *Lib.* 4. *Decr. pag.* 88. *a terg.: Concordiam a Sede Apostolica confirmatam, non esse a Concilio sublatam* ».

Secundo, quaerebatur, utrum juxta Concilii decretum, quo vacatio trium mensium a Choro solum conceditur, absentes dici queant illi, qui dimisso Choro, versantur in Civitate, seu loco, in quo posita est Cathedralis, aut Collegiata, cui adscribuntur: responsum fuit, illos existimandos esse tamquam absentes, cum Tridentina Synodus absentiam intelligat ab Ecclesia, uti constat ex iis verbis: *Ab iisdem Ecclesiis abesse.* Anno 1573. hoc decretum conditum fuit. *Lib.* 1. *Decr. pag.* 3. *Sacra etc. censuit puniendos esse eos, qui absunt a servitio Ecclesiae, licet in Civitate, locove, in quibus est Ecclesia, sint praesentes.* Insuper eodem anno, cum Mutinensis Episcopus petiisset, *Lib.* 1. *Decr. pag* 178. *et seq.* an censendi forent absentes: *Qui non absunt ab Ecclesia, vel a Civitate, sed ab Ecclesiae servitio tot vicibus, ut trium mensium praescripta quantitas annuo spatio superetur?* Sacra Congregatio respondit: *Istos haberi pro absentibus* ».

« Tertio, ut Concilii decretum quidam eluderent, id asseruerunt, quod Mutinensis idem Episcopus fuse exposuit Sacrae Congregationi. *Anno* 1573. *lib.* 1. *Decret. pag.* 178. *et seq.: Qui absunt ultra tres menses, sed intermissis diebus, ut tamen toto anni spatio simul collecti, et in unum numerum redacti trimestre spatium superent, vel potius trium mensium continuam absentiam adesse oporteat, quo dato verendum, ne cuivis pateat aditus ad suam pro libito, et impune deserendam, et fraudandam Ecclesiam; nam singulo trimestri spatio si per duos, vel tres dies quis inserviat, numquam lobi patietur tres menses continuos, et levi negotio illudet Ecclesiae, et a Concilii poenis se eximet.* Responsum fuit his verbis: *Sacra etc. censuit non oportere, sed satis esse, quod dies absentiae, quamquam interpolati, superent trimestre.* Immo cum in supputanda vacatione trium mensium, quos indulget Tridentina Synodus, aut breviori vacatione, si ita decernant peculiares locorum Constitutiones, horae, non vero dies numerarentur S. Cong. hanc supputandi rationem improbavit die 17. Junii anno 1594. *In Causa Aquil. lib.* 8, *Decret pag* 92. *a terg. Sacra etc. censuit, ad constituendum servitium novem mensium non esse colligendas punctaturas, quasi ii, qui novem partes punctaturarum ex duodecim, quae ex servitio totius anni conflantur, deserviendo tulerint, servitio novem mensium debito satisfecerint; sed ipsos dies residentiae, et servitii, sive continui fuerint, sive interpolati, numerandos esse, ut numerum compleant dictorum mensium novem* ».

« Proscriptis igitur falsis decreti Conciliaris explicationibus, Sacra Congregatio studium, et operam contulit, ut quasdam leges faceret, quae pertinent ad hanc vacationem trium mensium, seu breviorem, si peculiares Ecclesiae ita consueverint: Itaque die 12. Julii anno 1631. ita sancitum fuit. *In Causa Auximen. lib.* 14. *Decret. pag.* 467. *Sacra etc. censuit, Eminentissimum Episcopum facere debere Decretum, in Collegiatis Ecclesiis suae dioecesis, quae vigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium mensium, Canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno et eodem tempore, et hujusmodi vacationem contingere non debere tempore Quadragesimae, et Adventus, neque in amplioribus anni Festivitatibus* ».

« Insuper anno 1581. ita statuit. *In causa Abulen. lib.* 3. *Decret. pag.* 79. *An Dignitates, et Canonici, Portionarii, Cantores, aut alii Officiales possint abesse a servitio Ecclesiae sine licentia Episcopi? Sacra etc. censuit, non requiri licentiam Episcopi, quando Dignitates, Canonici, aut Portionarii abesse volunt tempore ipsis a Concilio permisso: non tamen omnes simul abesse posse, ne Ecclesia suo debito servitio destituatur. Quota autem pars simul possit abesse, relinqui arbitrio Episcopi, et Capituli* ».

« Idem confirmatum est die 12. Martii anno 1594. *In causa Senen. lib.* 8. *Decret. pag* 86. et anno pariter 1599. *In causa Valisolet. lib.* 9. *Decr. pag.* 74. Deinde novam consuetudinem, quae paulatim a Canonicis inducebatur, ut vacationis tempore a Dioecesi discederent inscio Episcopo, hoc decreto improbavit. *In causa Jaderen. die* 9. *Maii anno* 1626. *lib.* 12. *Decret pag.* 253. *Sacra etc. tametsi declaraverit, nullam requiri licentiam ad hoc, ut Canonici abesse possint in mensibus a Concilio permissis; censuit tamen, hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties Canonici abesse volunt extra Dioecesim; ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam. Caeterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa negare.* Idem responsum fecit die 22. Januarii anno 1628. *In causa Terracinen. lib* 13. *Decret. pag.* 380. Recenter idem statuit die 4. Maji anno 1737. *in Causa Cas-*

eta principali Cathedra, ad aliquam Ecclesiam in Dioecesi constitutam se conferre, *nisi* ut ait Glossa, *causa visitandi*. Idem constat ex *can.* **20.** *cit. caus.* **7.** *quaest.* **1.** his verbis: « Pervenit ad Nos, » Pigmenium Amalphitanae Civitatis Episcopum in » Ecclesia sua residere non esse contentum, sed » foris per diversa loca vagari, *et infra*. Idcirco » hac tibi auctoritate praecipimus, ut supradicto » Episcopo interminari non desinas, quatenus hoc » de caetero facere non praesumat, sed in Ecclesia sua Sacerdotali more resideat ».

Hinc, Fagnano docente; « obligatio residendi in » Cathedrali Ecclesia surgit ex dispositione anti- » quorum Canonum, quos Trid. Synodus ibi (*sess.* » **23.** *cap.* **1.**) penitus non sustulit, sed tantum » moderata est » *ad c. Canonum statuta, n.* **101.**

12 Id ipsum probatur a simili; namque Abbas in suo Monasterio, Parochus in loco Ecclesiae Parochialis, aliique beneficiati in loco beneficii, ad obeunda rite munera sua residere tenentur. Accedit, quod Episcopus sit sponsus Ecclesiae suae, spiritualis conjugii vinculo obligatus; unde Ecclesiam potius vidualam relinqueret, nisi in ea residentiam figeret. Reiffenstuel *ad tit. de Cleric. non resident. n.* **29.**

Adeoque « in hoc regula generalis (quando ex 13
» antiqua consuetudine, vel ex aliqua justa cau- » sa (*) ejus limitatio non resultet) assistit Capitu- » lo, seu Civitati, ut scilicet Episcopus, pro ma- » jori parte anni residere teneatur in Cathedrali, » ibique Tribunal erectum habere; cum etenim » Sedes Apostolica in erectione illius Cathedra- » lis, illum locum opportunum censuerit pro re- » sidentia Episcopi, et ad quem alii Dioecesani » accedere debeant, hinc proinde repositum esse » non debet in Episcopi arbitrio locum immutare; » nisi aliqua justa causa accedat, puta insolubrita- » tis aeris, vel depopolationis in toto, sive in no- » tabili parte, adeo ut residentia Episcoporum, et » Tribunalis cum debita majestate, vel securitate

tri maris, in qua disceptatio habita fuit de edicto Episcopi, quo ipso caverat, ne absque sua facultate Dioecesim Canonici relinquerent: Quamobrem Sacra Congregatio servari mandavit decretum editum in causa Jaderen. die 9. Maji anno 1626. Neque omitti debet, licere quidem Canonicis vacationis praescriptae tempore Chorum dimittere; id tamen solum suffragari, ut fructus praebendarum accipiant, non autem quotidianas distributiones, nisi forte peculiares ipsorum Constitutiones a Sede Apostolica confirmatae ante Synodum Tridentinam, hoc etiam emolumentum ipsis Canonicis impertiant. *In sess.* 24. *cap.* 12. *dicitur*, *quod obtinentibus Dignitates*, *aut Canonicatus*, *non liceat vigore cujuslibet statuti*, *aut consuetudinis*, *ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse*. Quaeritur, *an liceat Canonicis, qui haberent Constitutiones Sedis Apostolicae auctoritate factas, aut confirmatas ante Concilium Tridentinum, quae concederent illis vacationem duorum mensium, et quod interim haberentur pro interessentibus*, *et lucrarentur distributiones, an hujusmodi Constitutiones censeantur revocatae a Concilio Tridentino? Sacra etc. respondit abesse licere, sed non lucrari distributiones quotidianas. Ad secundum, Constitutiones a Sede Apostolica confirmatas non censeri sublatas* Ita decrevit Sacra Congregatio *in causa Bononien*, et in alia *Pistorien. Anno* 1586. *lib.* 4. *Decret. pag.* 168. *et* 212 »

« Haec indicanda putavimus, ut verba Concilii Tridentini funditus intelligantur: *Praeterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis, Dignitates, Canonicatus, Praebendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut, consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt*. Sed quoniam idem Concilium ita rem prosequitur: *Alioquin privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Praebendae, ac residentiae, fecit suos; quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia, contra eos, juxta Sacrorum Canonum Constitutiones, procedatur*; ideo non alienum putamus afferre, quae Sacra Congregatio sancita voluit anno 1573. *In causa Vercellen lib* 1 *Decret. pag.* 190. *et seq Quaeritur de forma procedendi contra Canonicos, qui abfuerunt ab Ecclesia ultra tres menses, prout cap.* 12. *sess* 24. *Concilii Tridentini: videlicet, an hujusmodi contumaces, et absentes, sint prius monendi ad residendum, antequam puniantur, sicut moneri mandat idem Concilium omnes Curatos non residentes, juxta cap.* 1. *vers. Quod si per Edictum sess* 23.? *Sacra etc. censuit, non esse citandos, aut monendos ad residendum; sed si ultra tres menses abfuerint, tunc citandos ad allegandum, quare non debeant privari secundum Decretum Concilii sess.* 24. *cap.* 12. Quod si aliquis Canonicato, vel Beneficio, quibus onus residendi conjungitur, privari debeat, absentia trium annorum prius necessaria est, quibus peractis, ter illo monendus est, et per sex alios menses expectandus Deinde ad privationem, licet ipse non compareat, devenitur. Haec sapienter explicat Fagnanus *cap. Ex tuae num.* 14. *et* 35. *de Clericis non residentibus*. Hanc legem institutam perpetuo tenuit Sacra Congregatio, cum nos ipsi Secretarii munus ageremus, *in causa Romana Canonicatus*, quae die 3. Decembris anno 1718. proposita fuit ».

« Insuper Episcopus etiam quoque viam inire potest ad comprimendos ejusmodi contumaces. Quippe Sacrum Concilium nequaquam abrogavit ea, quae sancita sunt in *cap. Ex tuae, de Clericis non residentibus: Fagnanus loc. cit num.* 35. Quapropter illo triennii spatio permittitur Episcopo eosdem pervicaces a *Divinis* suspendere, quamvis viam insistere coeperit, quam Tridentina Synodus indicavit. Attamen, si id faciat, ad privationis sententiam ferendam devenire nequit. Celeberrimum est Decretum die 18. Novembris editum anno 1673. *In causa Tarentina lib.* 2. *Decret. pag.* 393. *Ut consulatur Ecclesiis, quarum servitium detrimentum patitur propter absentiam Canonicorum, vel Beneficiatorum, qui propter redditum tenuitatem residentiae leges contemnunt, quaeritur.*

Primo, an, durante triennio praescripto a Sacro Concilio cap. 12 *sess.* 24. *de Reformatione, possit adversus obtinentes in Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Praebendas, aut Portiones, eosque non residentes, procedi ad Suspensionem, juxta dispositionem Capituli*: Ex tuae, *de Clericis non residentibus, et quatenus affirmative?*

Secundo, an id possit etiam post inchoatam viam procedendi a Concilio praescriptam?

Sacra etc. ad primum respondit affirmative. Ad secundum pariter affirmative respondit, exclusa privatione »

Haec omnia ex Bened. XIV. *Institut. Eccles.* 107. §. 6.

(*) Excipitur namque, quando vel causa rationabilis, vel specialis Dioecesium consuetudo suaserit, ut Episc. resideant extra civitatem Episcopalem in loco vicino, prout Archiepiscopi, ut electores Colonienses residere solent Bonnae, Trevirenses Hermanstainii, vel Confluentiae, Episcopi Constantienses Marisburgi, Augustani Dilingae. Schmalzgrueber, *ad titul. de Cleric. non resident.* §. 1. *n.* 10,

» ibi sequi non valeat, vel ex alia simili causa pro » singulorum casuum circumstantiis ».

14 « Adhuc tamen in casibus, in quibus hujus re» gulae limitatio admittenda veniat, id practicabi» le est in aliis anni temporibus, non autem in il» lis, in quibus per Decretum Trid. *sess.* 23. *cap.* » 1. specialiter disponitur, ut resideri debeat in » Cathedrali; ut sunt tempora a Dominica prima » Adventus, usque ad Epiphaniam; a die Cinerum, » ad octavam Paschae; ac etiam in solemnitatibus » Pentecostes, Corporis Christi, et Sancti Titula» ris ipsius Cathedralis, aliave simili magna loci so» lemnitate (*), in qua pro ejus moribus, scandalo» sum esset, quod Episcopus non esset praesens, » quodque a legitimo impedimento non detentus » non intervenirel ».

15 » Id autem justam praebebit ansam subditis re» currendi ad Sacram Congregation. ut Episcopum » ad hujusmodi residentiam cogat; ac etiam ex an» tiquorum Canonum dispositione habemus, ut » praesertim consecratio olei Sancti in die Coenae » Domini in Cathedrali praecise fieri debeat. Non » tamen id eisdem subditis tribuere potest licen» tiam non parendi Episcopo, qui in alia Dioecesis » parte resideat.... Regula etenim assistit Epi» scopo, ut in quacumque Dioecesis parte residen» do, residendi obligationi satisfacere dicatur ». Sic Cardinalis de Luca, *annot. ad Trid. Disc.* 4. *n.* 3.

16 Sed ad majorem rei illustrationem, et declarationem, illud animadvertendum, Episcopum in poe nam privationis fructuum non incidere (de qua *cap.* 1. *sess.* 6 Trident.), dummodo in Dioecesi resideat, nempe in quacumque Dioecesis parte, et in quocumque anni tempore, et etiamsi temporibus. Adventus, quadragesimae, aliisque per Trident. d. *sess.* 23. *cap.* 1. *vers. admonet* notatis, suam residentiam non in Cathedrali, sed alibi, modo tamen in ambitu Dioecesis, faciat. Audiamus Fagnanum in haec sane verba: « Verius vi» detur, Episcopum in Dioecesi quandocumque resi» dentem, in poenas Concilii non incidere; nam De» cretum *cap.* 1. *sess.* 6. ad hoc, ut Episcopi inci» dant in poenam privationis quartae partis fruc» tuum, requirit, ut sex mensibus continuis a suis » Ecclesiis extra suam Dioecesim morando abfue» rint. Unde ad ejusmodi poenam satis non est, » ut abfuerint a suis Ecclesiis tantum, nisi etiam » abfuerint extra Dioecesim, cum Concilium u» trumque copulative requirat, sub unica verbo» rum structura..... Sive igitur Episcopi dic» tis anni temporibus (*Adventus etc.*) teneantur in » Cathedrali residere, sive non; absolutum tamen » videtur, eos non incidere in poenas non residen» tium, dummodo resideant in Dioecesi ». *Ad cap. Qualiter, de Cleric. non resident.* n. 28. *et seqq.*

Quamvis vero haec ita se habeant, Episcopos 17 tamen ex Pastoralis officii debito, teneri residere in Cathedrali, temporibus ut supra a Tridentino praenotatis, ita ut secus suae obligationi non satisfaciant, nisi munia Episcopalia in sua Dioecesi eos alio vocent.

» Itaque sic idem Fagnanus, videtur respon- 18 » dendum, Episcopos temporibus a Tridentino » Concilio praescriptis, teneri quidem apud suam » Cathedralem Ecclesiam residere, ita ut aliter » suae obligationi non satisfaciant, nisi munia » Episcopalia in sua Dioecesi eos alio vocent; » caeterum non incidere in poenas a Sancta Syno» do Episcopis non residentibus inflictas, dum» modo in Dioecesi resideant, et hanc sententiam » probavit Sacra Congregatio ejusdem Concilii in» terpres ». *loc. cit. n.* 39. (**)

Et revera Sacra Congregatio Concilii, teste Pi- 19 gnatello, Consult. *Canonic. tom.* 7. *consult.* 64. *n.* 15. *et* 16. ita censuit, et declaravit his verbis: » Posito Decreto Concilii Tridentini *cap.* 1. *sess.* » 6. *et cap.* 1. *sess.* 23. An Episcopi temporibus » praescriptis in d. *cap.* 1. *sess.* 23. *vers. eosdem* » *interim admonet*, in Ecclesia sua residere te» neantur, an vero satis sit, ut in Dioecesi resi» deant: Sacra Congregatio etc. articulo hujusmo» di accurate discusso, censuit, Episcopos tempo» ribus, ut supra praescriptis, teneri in Ecclesia » Cathedrali residere, nec satis esse, ut in Dioecesi » resideant, ita ut aliter suae obligationi non sa» tisfaciant, nisi Episcopalia munia in sua Dioe» cesi eos alio vocent. Caeterum non incidere in » poenas a Sancta Synodo Episcopis non residen» tibus inflictas, dummodo in Dioecesi resideant ». Eademq. Sacr. Congregat. *die* 3. *Septembris* 1622. *in una Cassan.* censuit, Episcopum, si non accedat ad Cathedralem temporibus a Concil. praescriptis, licet male faciat, non tamen incidere in privationem fructuum impositam a d. Concil. contra non residentes. Apud Nicolium *in Flosc.* v. *Episcopus*, *n.* 39.

Et in *Urgellen. Residentiae*, disceptato ad pre- 20 ces Capituli dubio. « An in casu, quo Episcopus, » non resideat in Cathedrali temporibus praescrip» tis a Sacro Concil. Tridentino, veniat punien» dus, qua poena, et a quibus in casu etc.

» Sub die 5. septemb. 1705, rescriptum fuit: *dilata, et ad mentem;* quae ut inquit Scarfantonius *ad Ceccoper. elucub. canon. l.* 3. *addit.* 17. *n.* 7. ubi d. resolutionem refert, probabiliter fuit, Episcopum per literas monendum esse de sua obligatio-

(*) Haec porro apud Tridentinum *cit. sess.* 23. *cap.* 1. ibi: « Eosdem (Episcopos) interim admonet, et in Domi» no hortatur, ne.... Dominici Adventus, Quadragesi» mae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, » item et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, et » in Domino gaudere Pastoris praesentia oves debeant, » ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi E» piscopalia munia in sua Dioecesi eos alio vocent ».

(**) « Quia tamen laudata Synodus ad praesentiam in his » diebus Episcopos solum hortatur, et monet, *eosdem in*» *terim admonet, et hortatur* (* verba sunt Trid. l. c. *); » ideo ut bene advertit Palao *part.* 2 n. 1. non videtur » peccaturos mortaliter, si in sua Dioecesi residentes, illis » temporibus a suis Ecclesiis aliquando absint ». Schmala» grueber, *ad tit. de Cleric. non resid. n.* 18.

ne ad formam ejusdem Concilii, non vero alicui poenae esse obnoxium. Ita in terminis *in Thesaur. Resolut. Sacrae Congr. Concil. tom.* 9. *part.* 2. *pag.* 8. *et seq.*

21 Atque eadem Sacr. Congreg. *in Galaguritana*, *et Calceaten. residentiae*, ad dubia:

« An Episcopus teneatur saltem diebus praescriptis a Sacr. Conc. Trident. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. residere in alterutra ex Cathedralibus, ibique sacras functiones explere? et quatenus affirmative »:

« An, et quibus poenis subjiciendus sit in casu non residentiae »: *Die* 3. *septemb.* 1740. censuit. *teneri* (ad residendum):

Quoad vero secundum dubium, nihil respondit. *Cit. Thesaur. Resolut. Sac. Congregat. d. tom.* 9. *part.* 2. *pag.* 16.

22 Quoad vero legitimae absentiae a Dioecesi causas, quas videre est sub v. *Episcopus*, *art.* 3. Concilium Trident. *cit. cap.* 1. *sess.* 23. statuit, causas hujusmodi absentiae « a Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel, eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas». Hinc ex Tridentino licentia abessendi a Dioecesi ex justa ac legit. causa, peti potest, vel a Summo Pontifice, vel a Metropolitano, vel hoc absente, ab antiquiori suffraganeo. Verum cum Constitutio Urbani VIII. incip. *Sancta Synodus*, prohibeat, ne Episcopi a residentia abscedant absque licentia per breve, vel litteras missivas; Ergo (Fagnano docente) hac in parte videtur adempta facultas probandi causas absentiae, quae ex Concilio competebat Metropolitano, vel suffraganeo antiquiori ». Ad *cit. cap. qualiter*, *de cleric. non resident. num.* 12. adeoque solo Romano Pontifici hanc facultatem competere.

23 Nunc vero post Constitut. Benedicti XIV. incip. *ad Universae, tertio nonas septemb.* 1746. *tom.* 2. *sui Bullar. Const.* 18. utique tenendum, licentiam ejusmodi, non nisi a Romano Pontifice peti, ac impetrari debere. En verba dictae Const §. *quoniam* ibi: « Quoniam vero, et certae quaedam causae adesse possunt, et hujusmodi occasiones incidere, propter quas, praevio Romani Pontificis assensu, et approbatione, liceat Episcopo e propria Ecclesia, et Dioecesi per aliquod definitum tempus abesse ». Et §. *Ut autem*, ibi: Ut autem Episcopi a suis Ecclesiis, vel Dioecesibus licite abesse possint, cum praeter causam Canonicam, expressa quoque licentia Romani Pontificis, ut supra diximus, sit necessaria ».

24 Liceat insuper sequentia ex Fagnano adnotare:

« In S. Congregat. super residentia Episcoporum habita in Quirinali, die 17 Julii 1657. cui interfuerunt Eminentissimi Cardinales Ginettus, Meltius, et Paulucius, nec non R. P. D. Farnesius, Alterius, Gualterius, Uguilnus, de Vecchis Secretarius, et ego, proposita fuerunt ex ordine Sanctissimi infrascripta dubia, videlicet ».

« Cum S. Concil. Trident. *cap.* 1. *sess* 23. *de Reformat.* permittat Episcopis, ut singulis annis, dummodo aequa ex causa, et absque ullo Gregis detrimento fiat, abesse possint a sua Dioecesi per duos, aut ad summum, tres menses: Quaeritur:

« Primo, an Episcopus possit jungere trimestrem absentiam unius anni cum absentia trimestri sequentis anni, adeo ut licite abesse valeat a sua Ecclesia per menses octobris, novembris, et decembris anni v. g. 1657. et continuare absentiam per menses Januarii, Februarii, et Martii 1658 »:

« Secundo, an Episcopus in casibus, in quibus rationabilem causam habet non residendi, debeat uti mensibus per Sac. Concil. concessis, et non nisi ipsis consumptis, quatenus absentiae causa duret, licentiam petere non residendi; an vero primo licentiam petere, et ad alios usus reservare bimestre, aut trimestre tempus a Concilio concessum »:

« Per Bullam San. mem. Urbani VIII. super residentia Episcoporum, incip. *Sancta Synodus*, permittitur, ut Episcopi, ad effectum visitandi statutis terminis Sacra B. Apostolorum limina, abesse possint a suis Ecclesiis per certum tempus, (ut ibi etc.) hinc »:

« Tertio, quaeritur, An Episcopus visitans Sacra limina in fine unius termini, v g. in fine unius triennii, possit immediate in principio sequentis triennii iterum visitare, ac proinde visitationum titulo abesse a sua Ecclesia per octo continuos menses »:

« Quarto, quaeritur, An Episcopo, qui antea per multum temporis v. g. per decem continuos annos in sua Ecclesia resedit, et vel ab ipsa vacatione per S. Concilium ex rationabili causa singulis annis permissa semper se abstinuit, possit aliquando concedi facultas non residendi per aliquod tempus, licet non adsit ulla causa ex approbatis ab eodem S. Concil. Tridentino ».

« Ad primum, S. Congregatio respondit, *non posse*, tum quia ejusmodi semestris absentia complectitur illius temporis spatium Dominici Adventus, et quadragesimae, quo ne a sua quidem Cathedrali, nedum a Dioecesi, Episcopo abesse licet, ut in Concil. Trid. *d. cap.* 1. *sess.* 23. *vers. eosdem interim admonet*; tum quia in eo, qui abest sex mensibus continuis, non verificatur illud verbum *aliquantisper*, quo utitur Concil. in d. c. dum ait. *Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse*, cum Concilium illud (spatium) restringat ad duos, vel ad summum tres menses, ei antiqui Canones ad unum, vel ad duos: et quatenus verificaretur illud *aliquantisper*, non tamen verificantur sequentia, videlicet. *quia statim reversuri* sunt (*d. cap.* 23. *Trid.*); nam qui abest per semestre tempus, uti-

» que non statim est reversurus, cum dictio *sta-* » *tim*, regulariter significet modicum temporis in- » tervallum . . . . ».

« Ad secundum, S. Congregatio consultius pu- » tavit, nihil generaliter respondere, sed ubi ca- » sus particulares acciderint, maturius deliberare ».

« Ad tertium respondit, Episcopum, qui Beat. » Apostolorum limina visitavit, v. g. in fine unius » triennii, nequaquam posse immediate in princi- » pio sequentis triennii iterum visitare, ac proin- » de nec visitationis titulo per octo continuos men- » ses a sua Ecclesia abesse ».

« Ad quartum, respondit, *non posse*, quam Con- » gregationis sententiam S D. N. ad se relatam » in omnibus approbavit ». Ita apud Fagnanum *ad cap. Qualiter, de Cleric. non resid. n* 40. *et seqq.*

Atque has resolutiones confirmavit quoque, Benedictus XIV. *in sua praed. Constitutione incip. ad Universae*, §. *Primum*.

25 Praestat item quoad absentiam Episcoporum ex datis, et legitimis causis, nempe ratione alicujus litis, infirmitatis, insalubritatis aeris etc. sequentia quam maxime notatu digna excribere ex praelaud. *Const. Bened. XIV. Ad universae*, ibi:

« Quoniam experiendo cognovimus, quod ad obtinenda Indulta commorandi extra Dioecesim, infrascriptae plerumque causae ab Episcopis afferri solent, nimirum aut necessitas assistendi personaliter alicui liti, seu controversiae, in qua Ecclesiae, aut Cleri sui, vel etiam propriae Familiae res agatur, quaeque in Romana Curia introducta sit, vel alia in Urbe, in qua resideant majora Tribunalia, quorum ea de re judicium esse debeat; aut corporalis aegritudo, qua correptus fuerit Episcopus, dum extra Dioecesim, Conciliaribus mensibus utens, morabatur, ita ut ad eamdem Dioecesim reverti nequeat; aut adversa valetudo in ipsa Dioecesi contracta, ad quam depellendam Medici putent necessarium fore, Episcopum aerem, et Solum aliquantisper mutare, aut denique malignitas aeris in Dioecesi vigens, quam aliquibus anni mensibus devitari oporteat. Et quoniam nec ulla ex praemissis causis, absque expressa Romani Pontificis approbatione, quemquam ab onere residendi eximere potest; et nisi certis expressis circumstantiis, iisque verificatis, difficile est ad hujusmodi approbationem rite recteque procedere; necessarium Nobis visum est infrascriptas Regulas statuere, quas in Singulis respective casibus ab iis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, observari mandamus, atque praecipimus ».

« Si quis igitur in posterum licentiam petierit abscedendi a Dioecesi sibi concredita, ut judiciali controversiae, quae alibi vertitur, per se ipsum intersit, exprimere debebit in precibus tum Locum, sive Urbem, in qua hujusmodi lis agitatur, tum etiam, an ea pertineat ad ipsam Oratoris Ecclesiam, seu Clerum, vel potius ad ipsius Familiam. Et quidem, si ad Familiam pertineat, absque eo quod Secretarius Congregationis Pontificem, aut Cardinalem Praefectum adeat, rescribendum ab ipso erit, ut Orator ad effectum, de quo in precibus, utatur mensibus a Concilio indultis. Quod si eis jam usus fuerit, ulterior ipsi licentia non concedetur. Si vero de ejus Ecclesiae, vel Cleri rebus agatur, exponi debebunt tum status litis, ejusdemque gravitas, tum causae, propter quas necessaria creditur in loco judicii Oratoris praesentia; tum etiam declarandum, an mensibus Conciliaribus usus fuerit. Et quidem, si nondum illis usus sit, rescribendum erit, ut eos in hujusmodi causam impendat. Si vero id amplius Episcopo integrum non sit, (qua in re nec dolus, nec fraus intercesserit, et alioquin ipsius instantia justa videatur), tantum illi temporis, et non amplius, ad commorandum extra Dioecesim tribuatur, quantum judicatum fuerit necessarium esse ad Causae Defensores, Advocatos, et Judices de omnibus, quae ad rem pertinent, sufficienter instruendos. Si enim licentia abessendi a Dioecesi usque ad finalem exitum causae extendi deberet, nemo non videt, quam diuturna plerumque foret in hisce casibus Episcoporum absentia, et quam facile evenire posset, ut pleraeque Dioeceses complurium annorum spatio Pastorum praesentia carerent ».

« Qui vero licentiam abessendi petierint ratione infirmitatis extra Dioecesim contractae, dum vacatione a Concilio indulta uterentur, asserentes ea de causa regressum ad propriam Dioecesim sibi prohiberi; exponere debebunt contractae infirmitatis qualitatem, et super ea testimonium medici juramento firmatum exhibere. Atque ubi petita licentia ipsis indulgeatur, ea semper ad certum, ac definitum tempus concedi debebit, adjecta quoque clausula, *si tamdiu infirmitas duraverit* ».

« Ab iis autem, qui hujusmodi licentiam postulaverint, eo quod aeris mutatione opus sibi esse dicant ad convalescendum ex morbis, quas in suis Ecclesiis residendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere, et quam graviter laborent, ac proferendum testimonium Medici, qui jurejurando testetur, utile, ac necessarium Oratori esse, ut in aliam Regionem, atque aerem per aliquod tempus se transferat. Nec illud silentio praetereundum, an scilicet Orator, antequam morbo corriperetur, trimestri licentia a Concilio permissa usus fuerit; si enim id nondum fecerit, et tempus a Concilio indultum sufficiens ipsi non reputetur, poterit eidem concedi, ut per quatuor menses, in quibus tamen Conciliares menses comprehendantur, a residentia absens permaneat; At si praedictos Conciliares menses, remoto omni dolo, et fraude, jam extra Dioecesim transegerit, tantum temporis ipsi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipsius valetudinem vere necessarium esse prudenter judicabitur ».

« Qui tandem licentiam commorandi extra Dioecesim postulabit propter malignitatem aeris, quem in sua Dioecesi aliquo anni tempore insalubrem esse affirmet, is videat etiam, atque etiam quid a-

gat: et quidem pro veritate exponat, quibus anni mensibus perniciosus sit Regionis aer: item, an eadem Coeli temperies totam comprehendat Dioecesim, ita ut nullus intra ejus tractum locus existat, in quo suspectum illud tempus absque salutis detrimento transigere valeat; postremo, an Conciliaribus mensibus usus fuerit. Etenim si nondum eos sibi sumpserit, non aegre obtinebit indultum abessendi per quatuor menses (quatenus periculum ab aere tamdiu durare censeatur), in quibus tamen tres illi a Concilio permissi numerandi erunt. Si autem hujusmodi Concilii indulgentia jam usus fuerit, frustra novum Indultum praedicta de causa ab Apostolica Sede postulabit, sibique imputare debebit, quod quum sciret certo anni tempore in sua Dioecesi aerem insalubrem fore, concessos vacationis Menses in tempus illud non reservaverit. In omnibus autem absentiae Indultis, quae ratione acris insalubris in posterum concedentur, hanc clausulam adjici volumus: *Dummodo intra Dioecesim aliquis locus non adsit, in quo aer salubris sit, et in quo Episcopus commorari possit* ».

29 Episcopus habitare debet in Palatio Episcopali, non autem in domo Consanguineorum, *Campaniae* 8. *april*. 1603. *Montis alti* 26. *Augusti* 1616.

30 Multo minus habitare cum mulieribus, *Messan*. 15. *Sept*. 1618. praesertim in Palatio Episcopali, 10. *Novemb. eod*. Apud Nicolium in *Floscul. verb. Episcopus*, n. 82.

---

31 Quo ad ea, quae concernunt Parochorum residentiam, et quibus poenis subjaceant non residendo? Vide verb. *Parochus art*. 2. *a n*. 1. *ad* 56.

ADDITIONES CASINENSES

32 Quoad Residentiam Parochorum, ultra dicta sub verb. *Parochus artic*. 2. *per tot*. haec etiam notasse operae pretium sit.

33 « Tolerari potest, quod Parochus Parochiae tenuis paucarum animarum non resideat in Parochia, quousque per unionem alicujus simplicis beneficii, vel alio modo suppleatur ejus congrua, dummodo accedat illuc ad celebrandum festis diebus, et quando vocabitur pro Sacramentorum administratione, Sacr. Congr. *Episc*. 10. *Januarii* 1579 ».

« Si tamen id Episcopus nolit tolerare, Parochus tenebitur obedire, ut patet ex sequenti Decreto: *Cum Episcopus Calliensis nuper edixerit, ut Parochialium Ecclesiarum Rectores in suis Ecclesiis resideant, petit Curatus Parochialis Ecclesiae S. Angeli, an et ipse teneatur residere, eum reditus Ecclesiae sint tenuissimi, ejus antecessores supra hominum memoriam nunquam resederint, Ecclesia ipsa circiter duobus millibus passuum dumtaxat a civitate distet, et sex, vel septem familias tantum habeat, neque ipsi Parochiani quidquam curent de residentia Pastoris*: Sacra Congregatio Concil. censuit, *oratorem non excusari a residentia ob causas superius expressas; ideoque oportere ipsum parere edicto Episcopi hac in re edito* ». Ita in terminis apud Pignatellum *tom*. 7. *consult. Canon. Consultat*. 4. nu. 18. Quod idem tradit Schmalzgrueber *ad tit. de Cleric. non resid*. n. 11.

Quaeres, utrum infirmitas excuset Parochum a residentia? « Duo casus sunt distinguendi. Primus est, cum Parochus absens extra locum beneficii in morbum incidit, et hoc primo casu manifestum est, eum non teneri redire ad residentiam, et si procederetur contra eum, non fieret illi praejudicium ». 34

« Secundus casus est, cum Parochus aegrotat in loco residentiae, seu intra limites Parochiae suae; et tunc Sacra Congregat. Concil. declaravit, infirmitatem non excusare Parochum a residentia. Sed si infirmitas sit curabilis, et in loco Parochialis non sit copia medicorum, medicinarumque, posse ab Ordinario dari dilationem trium, aut quatuor mensium Parocho aegroto, ut curari possit in locis vicinioribus, et commodioribus: interim tamen per ipsum Ordinarium deputato idoneo Vicario ad curam dictae Parochialis, cum assignatione congruae portionis ex ipsius Parochialis redditibus. Idem dicendum esset, si Parochum infirmum ex medicorum consilio oporteret coelum mutare ad breve tempus, vel ire ad balnea . . . Verum (nota), si abscederet sine licentia, non excusaretur. Nam, proposito dubio, an sit liber a culpa, et poena amissionis fructuum, qui veluti per quatuor mensium spatium ex urgenti admodum causa ad curandam valetudinem, morbo gravi instante, a Parochiali recessit, et ad hujusmodi absentiam non petiit licentiam ab Episcopo, quia bona fide putavit, evidentiam causae satis esse: S. Cong. censuit, non esse liberum, nisi periculum fuisset in mora, petendi licentiam » (*). Haec Fagnanus *ad cap. Clericos, de Cleric. non resid. n*. 9. *et seqq*.

Eademque S. Congregatio declaravit, nec causa senectutis excusari Parochos a residentia. Fagn. *l. c. n*. 16. 35

(*) Et tunc quam primum debet certiorare Ordinarium de discessu, et necessitate occurrente, ut de causa cognoscat, et det licentiam, nisi in brevi sit reversurus. Insuper S. Cong. censuit, solam distantiam loci, etiam cum necessitate discedendi, non excusare Parochum, ut possit abesse a sua Ecclesia sine licentia in scriptis obtenta, nisi talis necessitas repente se offerat, quae non patiatur dilationem hujusmodi licentiam petendi, quo casu quam primum de discessu, et necessitate Ordinarium faciendum certiorem esse, ut de causa cognoscere possit. Garcias *de benefic. p*. 3. *cap* 2. n. 34.

Porro, quoties Parochi ab omissam residentiam, partem fructuum amittent, non sunt observanda ab Ordinario intervalla praefinita a Tridentino *sess*. 6. *cap*. 1. *de reformat*. adversus Episcopus non residentes (vide ibi), Quippe Sac. Congregat. Concil. censuit, quoties Ordinarius in poenam omissae residentiae vult subtrahere Parochis partem fructuum, quos suos non fecerunt, non teneri observare

36 Jam vero « propter aeris intemperiem, Parochus aliunde oriundus, de consensu Ordinarii potest per quatuor menses habitare alibi, relicto vicario idoneo ». Apud Gavantum *Manual. Episc. v. Parochus n.* 26.

37 Quaeres: An inimicitiae excusent Parochum a residentia. ℟. Excusare, si inimicitiae sint capitales, ita ut ad Ecclesiam redire non audeat. Et in hanc sententiam saepius respondit S. Congr. Concilii, quae in his casibus consuevit dare literas ad Episcopum, ut si verae sint, et graves inimicitiae, quae narrantur, et absque Parochi culpa, exortae; super quibus Episcopi conscientia oneratur, dilationem ei det, ut in alio tutiori, ac viciniori loco manere possit, durantibus dumtaxat inimicitiis, dum tamen non ultra sex menses durent.

38 Interea autem Vicarium idoneum in illa Ecclesia constituat Episcopus, assignata ei congrua portione ex redditibus Ecclesiae, et partes etiam suas interponat, et omnem diligentiam adhibeat, ut tuto possit residere Parochus. Quod si intra sex menses necdum sedatae sint inimicitiae, rescribit Episcopo, ut det illi sex mensium prorogationem, repetitis omnibus, quae in prioribus literis continebantur, et sine spe ulterioris prorogationis, quae rarissime conceditur; ac ubi inimiciae sunt verisimiliter duraturae, ut consulatur curae animarum, inducendus est Parochus ad resignandum, vel permutandum. Ita in terminis Fagnanus *ad cap. Clericos, de cleric. non resident. nu.* 25. 26.

39 Porro licentia abessendi in hoc casu, non nisi a Pontifice petenda, et impetranda venit, ut ex Decreto S. Congreg. super negotiis Episcop. et Regul. relato a Pignatello *tom.* 7. *consult. Canon. consult.* 4. *n.* 16. in haec verba: « Sacr. Congre- » gat. super negot. Episc. etc. *in Ariminensi*, E- « piscopo, visitatori Apostolico: I curati sotto pre- » testo d'inimicizia non ponno assentarsi dalla cu- » ra con licenza del Vescovo, ma debbono doman- » darla al Pontefice, o alla Congregazione, la quale » suole molto bene esaminare le circostanze, e » specialmente per qual causa sono contratte le ini- » micizie, se vi è stata colpa del curato, ed altre » diligenze. E quando pure si concede, si fa per bre- « ve tempo, e tra le altre condizioni particolari, » che stia più vicino, che può (con sicurezza) alla » cura: *die* 7. *Januar.* 1578.

40 Parochi residere omnino tenentur tempore Pestis, secus procedendum contra eos ad privationem beneficii curati. Vide verb. *Parochus* art. 2. *n.* 29. *et n.* 56. Vide insuper verb. *Pestis n.* 8.

41 Liceat quoque sequentia afferre ex Benedicto XIV. « Illud ab omnibus indubitanter admittitur (sic ille), quod quicumque curam gerit animarum, ac residendi obligatione tenetur, non potest a designato sibi residentiae loco recedere, ut pestis periculum effugiat; ideoque saeviente licet peste, et residere debet, et residentiae non materialis tantum, sed etiam formalis, ut inquiunt, onera adimplere; operando nimirum, et laborando pro spiritualibus, et corporalibus concreditae sibi plebis necessitatibus. Gravissima pestis Mediolanum invasit, dum S. Carolus Borromaeus illius Civitatis Archiepiscopus sedebat. Cum autem Sanctus Praesul animo forte prospiceret, non neminem fore, qui parum aestimans incumbentem sibi animarum curam, facile consilium caepisset, ut alium in suos vices substitueret, seque a residentiae loco subtraheret, dubium hoc ad Congregationem Concilii definiendum detulit; num scilicet residere teneretur, qui curae praeerat animarum, quamvis urgeret periculum contrahendi pestem, et ex illa occumbendi. Responsum autem fuit, *residendi obligationem vel tum vigere*, eaque obstringi, non modo Parochos, sed et Episcopos (*), quibus Pontificia quoque Gregorii XIII. accessit approbatio. Unde post ejusmodi Rescripta, sive resolutiones, aditus, locusque amplius relinqui non potest eorum Doctorum opinioni, qui affirmarunt, et docuerunt, licere ei, qui animarum curam exercet, a residentiae loco abscedere, modo Sacerdotem idoneum adinveniat, qui accedente Episcopi licentia, vices ejus adimpleat ». *De Synod. Dioces. lib.* 13. *cap.* 19. *num.* 2.

42 Quaeres, an lis super beneficio excuset Parochum a residentia. Respondeo *excusare*. Casus est *in cap. Ex parte* 13. *de Cler. non resid.* ibi: « Si te non absentando in fraudem Praeposituræ tuae jura fideliter prosequeris, cum per hoc censeri debeas residens ». Fagnanus ad *cap. Clericos. de Cleric. non resid. n.* 31.

43 Quaeres iterum, an Episcopus possit concedere Parocho veniam peragendi munus Vicarii Generalis in aliena Dioecesi? « Non posse Episcopum da- » re licentiam Parocho, ut possit esse Vicarius Ge- » neralis alicujus Episcopi, sed hoc spectare ad » Summum Pontificem, ut censuit Sacr. Congre- » suit, scribendas litteras ad Cardinalem S. Praxedis (*nem- » pe S. Carolum Borrom.*) in hanc hanc formam. Parochi » tempore pestis teneantur omnino residere in suis Eccle- » siis Parochialibus, et si non resideant, agendum contra » eos ex Decreto Concil. Trid. *cap.* 1. *sess.* 23. servata » forma ibidem ».

« Sanctissimus die 18 Decembris 1576, dixit, Decretum » factum in Parochis multo magis debere procedere in Epi- » scopis, qui magis obligati sunt; tamen posse Episcopos » in locis tutioribus manere, et inde providere ». Apud Fagnanum *cap. Clericos de Clericis non resid. n.* 45. 47.

intervalla, ut supra, in executione facienda super illis fructibus, quos iidem Parochi pro rata temporis absentiae suos non fecerunt. Apud eumdem Garciam *loc. cit. n.* 32

Amplius eadem Sacra Cong. censuit, Episcopum debere applicare fructus Parochorum non residentium, fabricae Ecclesiae Parochialis, aut pauperibus ipsius Parochiae, et si non reperiantur pauperes intra limites Parochiae, restituendi sunt praecise fabricae Ecclesiae Parochialis, etiamsi pro tunc non indigeat. Apud dict. Garc. *loc. c. n.* 31.

(*) Haec porro verba resolutionis Sacr. Congregat. Concilii: « *Die* 23. *Decembris* 1576. Sacra Congregatio cen-

« gat. Concilii apud Vulp. *in prax. jud. cap.* 48. » *n.* 66. ». Ita Antonelius *de Regimine Eccles. Episcop. lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 17. Vide nostram 4. Appendicem *sub* v. *Parochus.*

44 Parochus non excusatur a Residentia, docendo in publica studiorum Universitate Theologiam, aut jus Canonicum: Sacr. Congregat. Concil. *lib.* 1. *Decretor. pag.* 46. *lib* 8. *pag.* 129. 140. *a tergo, lib.* 16. *pag.* 292. Apud Giraldi *annot. in Maschat. lib.* 3. *Decretalium, Tit.* 4. *de Cleric. non resident. sub num.* 3.

Secus vero, si in ipsa Civitate, ubi adest Parochia, adsit quoquo Universites studiorum, quippe tunc poterit bene docere in pubblica Universitate Theologiam, etc. ita tamen ut cura animarum nihil detrimenti patiatur: Sacr. Congregat. apud Sellium. Vid. Additiones nostras v. *Magister n.* 4. *et* v. *Parochus art.* 2. *n.* 27.

---

45 Obtinentes Beneficia simplicia residentiam personalem requirentia, vel ex expressa Fundatorum dispositione, vel ex dotatione, vel ex statuto, aut legitima consuetudine alicujus particularis Ecclesiae, tenentur per seipsos injuncta sibi Ecclesiastica servitia, et onera fideliter praestare, et personaliter residere; Et si contumaciter id non praestent, cum de ipsis Concil. Trid. aiiquid speciale non constituerit, procedendum est contra ipsos conformiter ad dispositionem Juris communis *in cap. Conquerente* 6. *cap. Ex parte vestra* 8. *cap. Inter qualuor* 10. *et cap. Clericus* 17. *de Clericis non residentibus.*

46 Episcopi residere tenentur in suis Dioecesibus, a quibus non licet ipsis quotannis abesse tribus mensibus sine justa causa. Sic novissime statuit Benedictus XIV. Constit. incipiente *Ubi Primum*, et Constitut. incip. *Graviissimum* (*).

47 Residentia in propriis Dioecesibus inculcatur E-
piscopis Hiberniae: Idem Constit. 26. incip. *Gra-*
48 *ve, et permolestum.* Residentia, non mere materia-
lis, sine vigilantia, ac Pastorali sollicitudine regendi, et pascendi suas oves commendatur Episcopis, sed residentia vere formalis, verbum Dei voce, et exemplo disseminando, a semita justitiae deflectentes revocando, periclitantibus opem, et auxilium deferendo, adversus lupos rapaces, qui in vestimentis ovium saepe intrant Ovile, ut rapiant, et mactent, sedulo invigilando, fortiterque se op-
49 ponendo. Nec sufficit praedicta, aliaque munia Pa-
storalia per Vicarios, et subditos praestare, ut tradit zelantissimus Pontifex *ibid.* recte advertens, et serio, quod unicuique Episcoporum singulatim ab Oraculo Divino districte denunciatur: « Attendite nobis, et universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei,
quam acquisivit sanguine suo ». Ipsis igitur Epi- 50
scopis, non alteri pascendi oves praeceptum datum est. Ipsismet spiritualis animarum salus innititur, et ipsi illam susceperunt, de ipsis strictissimam rationem reddituri, cum aliquando sanguinem illarum de manibus suis requiret districtus Judex. Haec, et multa alia scitu, et observatu dignissima summe vigilans zelantissimus Pontifex *ibid.*

Super dicta Episcoporum residentia invigilare 51
jubentur Nuncii Apostolici, et singuli Episcopi: Idem tom. 2. Const. 18. incip. *Ad universae*, In qua iterum praecipit Episcopis dictam residentiam; ac Congregationem peculiarem super residentia Episcoporum jam ab Urbano VIII. in Urbe institutam, restaurat, eique certam agendi methodum ad id praescribit, et ad praecavendos abusus assignat, quid praecipiatur Episcopis postulantibus licentiam abessendi a propriis Ecclesiis causa insalubritatis aeris, et quid postulantibus dictam licentiam aliis de causis, et qua forma, ac quibus cautelis concedi eis debeat, mandans, quod Episcopi residentes denunciare teneantur alios Episcopos non residentes. Vide heic supra Addit. Casin.

Residere debent Parochi, aliique animarum Pa- 52
stores inter suas oves; Sed num residentiae sint obstricti jure naturali, ac Divino, aut Ecclesiastico, adhuc controvertitur: Benedict. XIV. *de Syno-*
do Dioecesana lib. 7. *cap.* 1. *n.* 2. Quod neque a 53
Concilio Tridentino definitum est. Idem *ibid. n.* 3.
Licet post illud communior sententia sit, eos te- 54
neri jure naturali, ac Divino: Idem *ibid. n.* 6. Resi- 55
dentiae non satisfacit, qui corpore praesens, animo
absens, ovium curam negligit. Bene vero censebi- 56
tur residentiae praeceptum adimplere, qui etsi a suis ovibus corpus aliquando subducat, animo tamen iisdem adest, et finem obtinet illas pascendi, et regendi, ad quem localis Pastoralis praesentia dirigitur. Idem *ibid. n.* 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Notabilis est divisio residentiae in praecisam, 57
et causativam. Illam adimpleri nequit per alium, obligatque sub poena amissionis Beneficii, haec vero potest per alium adimpleri, solumque sub poena amissionis fructuum obligat; Rigant. in

(*) Quod tamen conscientiae ipsorum Episcoporum relinquitur, juxta Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reformatione*, per haec verba: « Quoniam autem, qui aliquantisper tantum abeunt, ex veterum Canonum sententia non videntur » abesse, quia statim reversuri sunt; Sacrosancta Synodus » vult, illud absentiae spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum . . . nullo pacto debere duos, » aut ad summum, tres menses excedere; et haberi rationem, ut id *aequa ex causa* fiat, et absque ulla Gregis detrimento, quod, an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit » : Nec ulla pro hujusmodi absentia duorum, aut trium mensium opus habent licentia, quemadmodum ex ipsius Concil. Trident. verbis perspicuum quidem est. Quod idem firmat Benedictus XIV. *in Constit. incip. Ad universae;* ibi: « Excepto casu trimestris absentiae a Concilio permissae, pro quo nulla peculiaris requiritur licentia, cum idem Concilium Episcoporum abscedentium conscientiae relinquat de aequitate causae judicium facere ». Editores Casinenses.

comment. ad Regul. 1. §. 8. n. 12. Rot. *in Monasterien. Parochialis* 16. *Februarii* 1748. §. 5. *coram Illustriss. Migazzi.*

58 Residentia praecisa non debet necessario esse continua, sed potest esse et discontinua. Dummodo enim non residenti poena amissionis Beneficii sit imposita, residentia dicenda est praecisa, sive sit continua, sive sit discontinua; Leuren. *in For. Benefic. part.* 1. *sect.* 3. *cap.* 1. *quaest.* 363. *per tot.* Garc. *de Benefic. part.* 11. *c.* 5. *n.* 90. Lotter. *de re Benefic. lib.* 3. *c.* 27. *n.* 3. optime Rot. *in dict. Monasterien. Parochial.* 16. *Februar.* 1749. §. 5. *et sequent. cor. Illustrissima Migazzi.*

59 Ex quibus dignosci possit, utrum Beneficio imposita sit residentia praecisa, an residentia causativa, recte tradit Rigant. *in commentar. ad Regul. Cancellar. dict. Reg.* 1. § 8. *a n.* 16. *ad plur. sequent.* ubi illud notabile, quod poena amissionis
60 fructuum a Fundatore expressa in dubio tantum inducit residentiam causativam, non item si aliunde constet voluisse eum residentiae praecisae beneficium subjicere. Confer etiam Rotam *in Vicen. Beneficii* 5. *Julii* 1751. *et plur. sequent. cor. Reverendiss. Corrada.*

Impetratio Beneficii, quod sit obnoxium oneri 61
residentiae causativae, valida est, vel si nihil dictum sit de residentia, vel si negatum sit habere ipsum onus residentiae; Rota *in Fanensi Beneficii* 29. *April.* 1735. §. 8. *cor. bon. mem. Peralta, in Caesaraugustana Beneficii* 28. *Junii* 1745. §. 7. *cor. Reverendiss. Molina, et in dict. Vic. Beneficii* 5. *Julii* 1751. §. 12. *cor. Reverendiss. Corrado.*

Insigne est discrimen, quod intercedit residen- 62
tiam praecisam a Jure impositam inter, et residentiam praecisam praescriptam ab Homine. In illa contra non residentes procedendum est modo ab ipso jure praescripto. In hac servandus haud est modus ille, sed qui per aliquod tempus non resederunt, privari beneficiis possunt; Hericourt. *aper. posthum. tom.* 1. *consult.* 33. *fere per tot.* et signanter §. *A Pegard.*

RESIGNATIO, SEU RENUNCIATIO BENEFICIORUM, ET PERMUTATIO EORUM

SUMMARIUM

1. Resignatio, seu renunciatio Beneficii quid sit? — 2. Resignatio, renunciatio, et Cessio inter se confunduntur, et unum pro alio passim sumitur. — 3 Resignatio Beneficii alia est tacita, et alia expressa. Resignatio tacita quae sit? — 4. Afferuntur varia exempla tacitae resignationis. — 5. Tacita resignatio adhuc magis proprie assignatur. — 6. Resignatio expressa quae sit? — 7. Resignatio expressa est duplex: una pura, seu simplex, et absoluta, et alia conditionalis. — 8. Quae sit resignatio pura? — 9. Et quae conditionalis? — 10. Resignatio conditionalis fieri solet quinque modis, qui assignantur. — 11. Quilibet Clericus Beneficiarius potest, regulariter loquendo, ex justa caussa renunciare Beneficia sibi quaesita in manibus legitimi Superioris. — 12. Et hoc procedit, non solum in Beneficiariis privatis, et Clericis inferioribus, sed etiam in majoribus, et maximis, ut Episcopis, et Cardinalibus, immo et summo Pontifice, qui libere potest renunciare Papatui. — 13. De facto ipsi Papatui renunciavit S. Caelestinus V. et adducitur formula ejus renunciationis. — 14. Non possunt tamen resignare Beneficia Clerici intrusi, et alii similes non habentes Canonicum Titulum. — 15. Item Beneficia resignare non possunt Clerici, qui valide Matrimonium contraxerunt. — 16. Item Beneficia resignare non possunt Clerici, qui Religionem aliquam approbatam solemniter professi sunt. — 17. Item Clerici, qui ad secundum Beneficium cum priore incompatibile promoti sunt, prius resignare non possunt. — 18. Item Beneficia resignare non possunt Clerici criminosi, qui ob crimen commissum ipso Jure privati existunt Beneficiis praehabitis. — 19. Item resignare non possunt Clerici Beneficia illa, ad quorum titulum fuerunt ad Sacros Ordines promoti, nisi facta mentione, quod ad illorum Titulum fuerint Sacris Ordinibus initiati, neque talis Resignatio admitti potest, nisi constito, quod aliunde commode vivere possint, alias facta Resignatio erit nulla. — 20. Item resignare non possunt Beneficia Clerici infirmi intra viginti dies ante suam mortem. — 21. Et hoc procedit etiam in illis, qui dum sani erant, resignaverunt, et postea casu quodam, vel superveniente morbo inopinato ante viginti dies decesserunt. — 22. Beneficia Jurispatronatus, sive Patroni sint Laici, sive Clerici, nequeunt resignari ad favorem tertii, neque permutari sine consensu Patronorum. — 23. Item Beneficia electiva resignari non possunt ad favorem tertii, neque permutari sine consensu illorum, qui Jus habent eligendi. — 24. Talis autem resignatio, vel permutatio sine consensu Patronorum, vel Jus eligendi habentium facta, non est ipso Jure irrita, sed irritanda solum ad ipsorum contradictionem, et instantiam; et si eorum consensus post resignationem superveniat, erit valida. — 25. Item resignari nequeunt lite pendente Beneficia litigiosa. — 26. Item Beneficia unita resignari non possunt, etiam antequam unio sortiatur effectum. — 27. In Curia Romana non admittuntur resignationes Parochialium ad favorem tertii, praesertim cum reservatione Pensionis ipsi resignanti, vel alteri a resignatario praestandae, nisi exprimatur, per quantum tempus possederit ipse Resignans Beneficium, et nisi illud possederit per quinque annos, vel circa, aut saltem tres — 28 Praedicta tamen praxis procedit solum in resignationibus, quae fiunt, ut supra, in Curia Romana in mensibus Papae, non autem in illis, quae pure, seu absque reservatione Pensionis fiunt in manibus Ordinarii. — 29. Justae, et legitimae caussae, ob quas potest fieri Beneficiorum resignatio, generatim ad duas reduci possunt, scilicet ad utilitatem Ecclesiae, et salutem propriam; justae tamen caussae, ob quas Episcopus potest Resignare Episcopatum, in Jure assignantur sex contentae in duobus vulgatis versiculis. — 30. Enumerantur, et explicantur dictae sex caussae. — 31. Assignantur caussae, propter quas possunt Episcopi, et alii facultatem habentes simplices Beneficiorum resignationes recipere, et admittere. — 32. Si resignatio ab Ordinariis admittatur absque ulla ex assignatis causis, ubi Constitut. S. Pii V. est recepta, est nulla. — 33. Facta resignatione pura, et a legitimo Superiore admissa, non est amplius locus poenitentiae, sed resignans potest con-

pelli etiam invitus ad dimittendum possessionem Beneficii resignati. — 34. Ante autem ejus admissionem, et ratificationem potest resignans mutare voluntatem, et revocare resignationem. — 35. Qui Beneficium resignavit, non obstante sua resignatione, potest redire ad idem Beneficium ex novo Titulo superveniente. — 36. Resignatio Beneficiorum non potest fieri in manibus Laici, etiamsi esset Patronus, Rex, vel Imperator, nisi ad id habeat Privilegium Apostolicum. — 37. Neque resignatio Beneficiorum potest fieri propria auctoritate, sed debet fieri assensu, et auctoritate, et in manibus legitimi Superioris Ecclesiastici habentis potestatem instituendi, et destituendi respectu talium Beneficiorum. — 38 Hinc resignatio ad favorem tertii, sive cum Clausula, *Non aliter*, non potest fieri nisi in manibus Papae. — 39. Unde Resignatio ad favorem tertii, seu sub ea conditione facta, ut soli personae a Resignante nominatae conferatur Beneficium, ita ut non habeat effectum, nisi ea conditio impleatur, non potest recipi, et admitti ab Episcopo, vel alio Collatore Papa inferiore. — 40 Potest tamen Episcopus, vel alius Collator Papa inferior, per se loquendo, et spectato Jure communi, admittere Resignationem simpliciter, et sine ulla pactione, aut conditione obligatoria factam, licet tali Resignationi addatur a Resignante deprecatio, seu recommendatio, ut Beneficium Resignatum certae Personae conferatur; nec Collatio tali certae Personae facta ad preces Resignantis erit Simoniaca. — 41. Ubi autem est usu recepta Constitutio 58. S. Pii V. incip. *Quanta Ecclesiae*, non currit data Conclusio; Unde notanter dicitur *per se loquendo*, *et spectato Jure communi*. — 42. Neque ibi potest Episcopus, aut alius Collator Papa inferior conferre Beneficia in suis manibus Resignata consanguineis, vel affinibus, aut familiaribus suis, aut Resignantium, sive dimittentium eadem (beneficia). — 43. Praedicta Constitutio S. Pii V. de non conferendis Beneficiis Resignatis consanguineis, affinibus, vel familiaribus Episcopi Collatoris, vel Resignantis, seu dimittentis non habet locum in Beneficiis de Jure patronatus, cum ipsa debeant conferri praesentatis a Patronis. — 44. Affertur praedicta Constitutio S. Pii V. — 45. Resignatio reciproca triangularis, seu quadrangularis non potest admitti ab Ordinariis Papa inferioribus, sed solum ab ipso Papa. — 46. Resignatio Beneficii conditionalis, quae fit cum reservatione perpetua certae Pensionis in Pecunia; vel parte fructuum non potest admitti a Collatore a Papa inferiore, sed solum ab ipso Summo Pontifice. — 47. Quando autem, quomodo, et ex quibus causis possit Episcopus, vel alius Collator Papa inferior Pensionem imponere? *remissive*. — 48 Resignatio Beneficii cum reservatione regressus, ingressus, vel accessus non potest fieri in manibus Ordinarii Papa inferioris, sed solum in manibus ipsius Summi Pontificis. — 49. Beneficia reservata, quorum Collatio spectat ad solum Papam, quamvis possint simpliciter dimitti in manibus Ordinarii Papa inferioris, dummodo hic aliis illa non conferat, tamen nequeunt resignari cuipiam alteri, nisi in manibus Papae. — 50. Resignatio Beneficii facta cum pacto, ut Resignatarius solvat expensas factas olim a Resignante in executione illius Beneficii, est Simoniaca: Unde non potest fieri in manibus Ordinarii Papa inferioris. — Resignatio facta cum pacto, ut Resignatarius solvat omnes expensas factas in admissione Resignationis, atque expeditione Bullarum ab utraque parte caeteroquin faciendas, est Simoniaca, nec potest admitti ab Ordinario Papae inferiore. — 52. Potest tamen fieri talis conventio, et pactio cum facultate, et approbatione Summi Pontificis. — 53. Resignatio Beneficii facta cum certa confidentia, seu pacto inito, ut Resignatarius postea illud suo tempore cedat certo suo consanguineo, vel affini, aut amico, est omnino illicita, nulla, ac Simoniaca Simonia confidentiali expresse damnata a Pio IV. et a S. Pio V. — 54. Resignatio Beneficii, ut sit licita, et valida, debet esse spontanea, et libera, non vi, aut gravi metu extorta; Alias vel ipso Jure erit nulla, et invalida; vel saltem per Judicis Officium ad partis petitionem erit rescindenda. — 55. Resignatio Beneficii, ut sit licita, et valida, debet etiam esse pura, et libera ab omni pecunia, et omni pactione, seu conventione dandi aliquod temporale intuitu ipsius, aliter est Simoniaca. — 56. Resignatio pura, seu simplex, et absoluta admitti potest ab Episcopo sub justis, et certis causis, quae assignantur. — 57. Permutatio Beneficiorum quid sit? — 58. Justa causa faciendi dictam Permutationem coram Ordinario, eamque admittendi, est necessitas, vel utilitas Ecclesiae. — 59. Necessitas, vel utilitas non requiritur ex parte utriusque Ecclesiae, sed sufficit ex parte unius. — 60. Immo non solum utilitas Ecclesiae, sed etiam utilitas ipsorum Beneficiatorum est sufficiens, ut justa causa faciendi Permutationem coram Ordinario, — 61. Permutatio Beneficiorum, ut sit licita, et valida, debet fieri auctoritate legitimi Superioris — 62. Hinc Permutantes privata sua auctoritate sine consensu legitimi Superioris, perdunt sua Beneficia. — 63. An sic permutantes sint privati suis Beneficiis ipso Jure, vel privandi sint per sententiam? — 64. Legitimus Superior, qui potest auctoritatem praestare Permutationi Beneficiorum, est solus Papa quoad Beneficia majora, et reservata. — 65. Item legitimus superior pro admittenda Permutatione Beneficiorum, est Episcopus loci, in quo sunt Beneficia — 66. Item omnis Ordinarius, seu Praelatus habens Jurisdictionem Episcopalem, vel quasi, etiamsi forte Dignitatem Episcopalem non habeat — 67. Item Vicarius Generalis Episcopi, vel alterius Ordinarii, si ad id facultatem specialem habeat, secus vero si illam non habeat. — 68. Item Capitulum, seu Vicarius Capitularis, Sede vacante, ubi beneficiorum Collatio spectat communiter ad Episcopum, et Capitulum, et ubi Beneficia spectant ad Collationem tertii: Non autem, si spectent ad Collationem Episcopi tantum. — 69. Item Visitator, seu Administrator Ecclesiae vacantis a Papa constitutus. — 70. Si permutantes habeant Beneficia in diversis Dioecesibus, requiritur utriusque Episcopi auctoritas, vel utriusque Vicarii Generalis ad id specialem facultatem habentis; Potest tamen unius Episcopus, vel Vicarius eorum negotium committere alteri. — 71. Ordinarii possunt Permutationes admittere, etiam in mensibus Apostolicis. — 72. Inferior Collator, qui nec est Episcopus, aut Jurisdictionem Episcopalem, nec quasi, habet, non potest praestare auctoritatem pro Permutatione Beneficiorum. — 73 An Ordinarii, cessante pacto partium, in Permutatione Beneficiorum mandare possint, quod recipiens Beneficium pinguius solvat aliquam pensionem alteri suo tempore duraturam ad coaequandos fructus utriusque Beneficii? *remissive?* — 74. Quamvis Beneficiorum Permutatio non possit fieri propria auctoritate, possunt tamen permutare intendentes inter se tractare, et convenire de Permutatione facienda, si ac necessaria sit auctoritas Superioris, in cujus manibus ea resignare intendunt. — 75. Beneficia Jurispatronatus nequeunt permutari coram Ordinario sine consensu Patronorum. — 76. Unde, si Permutatio fiat sine consensu Patronorum, et ipsi reclament, vacat Beneficium, potestque a Patronis praesentari alius post sententiam de nullitate vacationem inducente. — 77. Si autem sic facta sit Permutatio ob ignoratum Patronatum, potest sic Permutans redire ad Beneficium, etiam invito Patrono — 78 Verum si Patroni requisiti pro suo consensu illum denegent sine justa causa, potest Episcopus auctoritatem valide praestare sine eorum consensu, si permutatio petatur in magnam Ecclesiae utilitatem — 79. Etiamsi permutatio fiat coram Summo Pontifice sine consensu patroni, adhuc esset irrita, reclamante patrono, nisi Papa derogaret Juripatronatui. — 80 Permutatio Beneficii debet fieri cum altero vero Beneficio, nec potest fieri coram Ordinario cum pensione. — 81. Ad validitatem Resignationum, et Permutationum Beneficiorum requiritur necessario earum publicatio facta juxta

formam indictam a Gregorio XIII. — 82. Affertur ad id Constitutio ipsius Gregorii XIII. — 83. Quis sit finis hujus Constitutionis? — 84. Ex dispositione dictae Constitutionis publicari debent Resignationes, et permutationes omnium Beneficiorum, sive ipsa Beneficia sint simplicia, sive Curata, sive electiva, sive Jurispatronatus, sive Saecularia, sive Regularia, sive sint reservata, sive non. — 85. Item publicari debent Resignationes, et Permutationes Beneficiorum, etiamsi factae sint cum reservatione fructuum, administrationis, pensionis, regressus, vel accessus — 86 Etiamsi Resignationes essent nullae, et invalidae, si alii Benefic a eo colore obtinuerint, faciendae sunt publicationes. — 87. Item publicari debent cessiones, et retrocessiones litis Beneficialis, et Jurium quorumcumque. — 88. Publicari tamen non debent Beneficia majora Consistorialia, quae in Consistorio conferuntur. — 89. Alia vero minora Beneficia Consistorialia, quae extra Consistorium providentur, uti sunt Abbatiae etc. publicari debent — 90 Ad hanc publicationem faciendam tenentur omnes Resignatarii, etiam exempti, quamvis sint Officiales Curiae Romanae, et Cardinales Item illi, qui impetrant Beneficia vacantia ob non factam a Resignatariis publicationem. Item secundus Resignatarius, quamvis primus publicarit. Item publicatio facienda est ab utroque permutante — 91. Unius tamen negligentia, et omissio non nocet alteri. — 92. Obtinentes Beneficium non resignatum, sed dimissum, non tenentur ad hanc publicationem. — 93. Item ad hanc publicationem non tenentur obtinentes Coadjutoriam cum futura successione. — 94. Resignationes, et Permutationes factae in Curia Romana de Beneficiis intra montes publicari debent intra sex menses, Factae de Beneficiis ultra Montes, intra novem menses numerandos a data concessionis gratiae, non autem a die praestiti super ea consensus, Facta autem apud Ordinarios Collatores, etiam Cardinales, publicari debent intra tres Menses numerandos a die factae sibi provisionis — 95. Tale tempus currit etiam contra Minorem 14. annorum, cum quo Papa dispensavit ad obtinendum Beneficium, etiam data ignorantia ex parte Minoris. — 96. Publicatio in quibus Ecclesiis fieri debeat. — 97. Ipsa publicatio quando, et quomodo fieri debeat? — 98. Talis publicatio nequit fieri ante expeditionem Litterarum; Fieri autem deberet, antequam capiatur possessio. — 99. Publicatio est facienda, etiamsi Resignatio, vel Permutatio esset aliunde notoria. — 100. Publicatio fieri potest per Procuratorem, dummodo speciali mandato sit constitutus. — 101. Item fieri potest etiam per ipsum Resignantem. — 102. Ordinarii omnes, etiam Cardinales, ac Legati de Latere, si non admittant, vel rejiciant intra mensem Resignationes, vel Permutationes in suis manibus factas, sunt privati ea vice potestate disponendi de ipsis Beneficiis, et talis potestas eo ipso devolvitur ad Sedem Apostolicam — 103. Resignatarii, et Permutantes non facientes intra praescriptum tempus, et juxta indictam formam publicationem Resignationis, vel Permutationis, amittant eo ipso dicta Beneficia, et omnia Jura ad illa, et redduntur inhabiles ad illa Beneficia de novo obtinenda, ita ut eis non suffragetur Regula de annali, et triennali: Et ipsa Beneficia censentur vacare in Curia a die Resignationis, seu permutationis factae, suntque reservata Papae, ac possunt a quovis impetrari. — 104. Reservationes tamen Pensionum, ac fructuum, et aliarum quarumcumque rerum factae super dictis Beneficiis a Resignantibus remanent validae, Dummodo Resignantes possessionem eorumdem Beneficiorum ab initio re ipsa dimiserint — 105. Impetrans Beneficium sic vacatum ob neglectam publicationem, debet ipsam publicationem facere, et omnia alia praestare, quae prior Resignatarius negligens praestare debebat. Et si plures tale Beneficium impetraverint, is prae omnibus debet illud Beneficium obtinere, qui primus publicationem suae impetrationis fecerit, et possessionem adeptus fuerit, aut petierit, omniaque alia requisita adimpleverit, quamvis in Data sit postremus, et possessio ab alio in publicando negligentiore apprehensa fuerit, vel petita. — 106. Impetrans Beneficium vacans ob non factam publicationem a Resignatario, tenetur concludenter probare neglectam esse dictam publicationem. — 107. Legitime autem impeditus non dicitur negligens. — 108. Publicatio facta probatur legitime ex Instrumento, ubi Notarius refert, se fecisse dictam publicationem in omnibus, et per omnia juxta formam Constitutionis Gregorii XIII. — 109. Non est necessarium Litteras provisionis, sive Papae, sive Ordinarii legere de verbo ad verbum, et per extensum, sed sufficit publicare Summam dictarum Litterarum, et illarum Transumptum authenticum exhibere. — 110. Affertur sufficiens summaria formula pro tali facienda publicatione. — 111. Supra allata Constitutio Gregoriana quoad Resignationes, et permutationes Beneficiorum coram Ordinariis factas, quamvis secundum aliquos non videatur in pluribus locis usu recepta, tamen secundum alios videtur ubique recepta, et sic de facto servat praxis, ut de stylo Curiae proceditur ad statutas in ea poenas contra negligentes. — 112. Quo ad resignationes Beneficiorum attendenda omnino est novissime Constitutio Benedict. XIV. in qua varia statuuntur quae assignantur. — 113. Alia ad rem, cum Additionibus ex aliena manu, *ad* n. 129.

1 Resignatio, seu Renunciatio Beneficii, est spontanea Beneficii Ecclesiastici dimissio facta coram legitimo Superiore eam accep-
2 tante; *Est in re Communis.* Verba *Resignatio, Renunciatio,* et *Cessio* inter se confunduntur, et unum pro alio passim sumitur, ut notant Flaminius Parisius *de Resignatione Benefic. lib.* 1. *quaest.* 1. *n.* 70. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 9. *n.* 1. Barbosa *Juris Ecclesiastic. univers. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 4. et alii communiter, per text. *in cap. Super hoc* 5. *cap. Quod in dubiis* 8. *cap. Nisi cum pridem* 10. §. 1. *de Renunciatione*, *cap. Ex litteris* 10. *de excessib. Praelat. c. Susceptum* 6. *de Rescriptis in* 6. *et cap.* 1. *de Renunciatione in* 6.

3 Resignatio Beneficii, alia est tacita, et alia expressa. *Communis.* Resignatio *tacita* est illa, quae absque ullo verbo, vel scriptura fit facto aliquo Resignationem significante, vel ex dispositione Juris eam importante; Qui enim facit aliquid, quo posito, ex ipsius Juris dispositione Beneficium amittitur, seu retineri nequit, idem tacite, seu ipso facto renunciare censetur, quamvis nec verbo, nec scriptura id exprimat. Sic Rebuffus *in praxi de Benefic. tit. de tacita Renunciatione n.* 2. Parisius *de Resignatione Benefic. lib.* 1. *quaest.* 1. *n.* 9. *et seq.* Tholosan. *in Institut. rei benefic. cap.* 28. *n.* 4. Azorius *part.* 2. *Institut. moral. lib.* 7. *cap.* 19. *q.* 2. Pirhing *l.* 1. *Decretal. tit.* 9. *n.* 2. Reiffenstuel *ibid. n.* 8. *et seq.* et alii passim.

Hujus tacitae Resignationis varia a supracitatis 4
Doctoribus afferuntur exempla, 1. Tacite renunciare censetur priori Beneficio, qui aliud recipit

cum illo incompatibili: *cap. De multa* 28. *de Praebend. et Extravagant. Execrabilis, eod. inter communes*. II. Tacite renunciare censetur Beneficio Clericus in Minoribus constitutus Matrimonium contrahens, cum Beneficium Ecclesiasticum statim ipso Jure vacet; *cap.* 1. *et* 3. *de Cleric. conjugato*, III. Tacite renunciare censetur Beneficio Clericus Religionem solemniter profitens; *cap. Beneficium* 4. *de Regular.* in 6. IV. Tacite renunciare censetur Beneficio Clericus, qui sit Miles, vel Joculator, quia talis censetur Beneficium suum habere pro derelicto, juxta Glossam in *cap. Ultimo verb. Redierint, de Cleric. non resident.*

5 *Tacita* autem Resignatio adhuc magis proprie intervenire censetur, quando Jura non inducunt vacationem Beneficii, sed solum ex facto Beneficiarii apto, et ordinato ad renuntiandum, praesumunt bujus voluntatem illud dimittendi: Sic Barbosa *Juris Ecclesiast. univers. lib.* 3. *n.* 40. *et seq.* cum aliis ibi citatis, ubi assignat differentiam inter hanc tacitam Resignationem, et aliam supradictam, quao potius est privatio, quam tacita Resignatio; Et talis tacitae Resignationis adducit duo exempla; Primum quod habetur in *cap. Ex transmissa* 2. *de Renunciatione*, ubi Clericus repetens bona, quae Ecclesiae suae contulerat, ex tali repetitione censetur praedictam Ecclesiam voluisse dimittere, quam proinde repetere non potest: Secundum exemplum in *cap. Ex ore* 3. *De his, quae fiunt a majori parte capituli*, ubi litigans super quadam Praepositura, ex eo quod Collitigatori suo reverentiam alias Praeposito debitam exhibuerit, juri suo renunciasse dignoscitur, quia utroque casu ex parte Beneficiarii intervenit factum aptum, et ordinatum ad renunciandum, ex quo Lex, seu Jus talem praesumptionem elicere potuit, et ideo, si non intervenisset, cessabat omnis Resignationis praesumptio. Sic etiam Pirhing *loc. cit. num.* 3. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 10. et alii.

6 Resignatio *expressa* Beneficii est illa, quae fit expressis verbis, aut scriptis voluntatem resignandi aperte declarantibus coram legitimo Superiore eam acceptante: *Communis.*

7 Resignatio expressa est duplex, una pura, seu simplex, et absoluta, et alia conditionalis: *Communis*.

8 Resignatio *pura* est illa, quae fit sine ulla conditione, modo, aut pacto, ut quando quis pure, absolute, et simpliciter dimittit Beneficium in manibus legitimi Superioris, ita ut is possit illud tamquam vacans conferre, cui voluerit; *cap. Ex transmissa* 4. *de Renunciatione*, *cap. Sollicite* 2. *et cap. Accepta* 3. *de restitutione spoliator.*

9 Resignatio *conditionalis* est illa, quae fit sub certa conditione, pacto, vel modo: *Communis.*

10 Resignatio conditionalis fieri solet quinque modis. I. Cum quis resignat Beneficium sub hac conditione, ut conferatur certae determinatae personae, et non aliter. Et haec dicitur *Resignatio in favorem tertii*. II. Cum quis resignat quidem Beneficium ad alterum transferendum, sed sub conditione, seu reservatione, quod fructus ex toto, vel ex parte sibi quotannis solvantur; Et haec dicitur *Resignatio sub Pensione*. III. Cum quis resignat Beneficium sub conditione, et reservatione regressus, ut si Resignatarius praemoriatur, possit ipse Resignans ad Beneficium redire. Et haec dicitur *Resignatio cum regressu*. IV. Cum quis resignat Beneficium sub conditione, er reservatione ingressus, seu accessus, ut si Beneficium conferatur puero, qui ante captam possessionem illud cedat alteri sub pacto, ut post absoluta studia, propria auctoritate ipsum recipere possit; Et haec dicitur *Resignatio cum ingressu, vel accessu*. V. Cum quis Beneficium resignat sub conditione, ut alterius Beneficium simile, vel dissimile sibi conferatur; tunc enim unus Beneficium suum cum alterius Beneficio commutat, et uterque suo se abdicat, ut alterius Beneficium acquirat. Et haec dicitur *Resignatio cum permutatione*.

11 Quilibet Clericus Beneficiarius potest, regulariter loquendo, ex justa causa renunciare Beneficia sibi quaesita in manibus legitimi Superioris: *Communis*, per text. *in cap. Admonet* 4. *cap. Nisi cum pridem* 10. *de Renunciatione, cap. Quoniam* 1. *eod. in* 6. cum similibus.

12 Et hoc procedit non solum in Beneficiariis privatis, et Clericis inferioribus, sed etiam in majoribus, et maximis, ut Episcopis, et Cardinalibus, et Summo Pontifice, cum etiam hic possit libere Papatui renunciare, ut expresse statutum habetur in *cap. Quoniam* 1. *de renunciatione* in 6. ibi: « Omnium concordi consilio, et assensu, auctoritate Apostolica statuit, et decrevit, Romanum Pontificem posse libere resignare »; uti de facto libere resignavit S. Coelestinus Papa V. cujus Renunciationis, seu Resignationis formulam tradit Carillus in *suis Annalibus Chronolog. lib.* 4. *anno* 1294. *fol.* 373. Et ex ipso Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. universal. cap.* 2. *n.* 213. his verbis: « Ego

13 Coelestinus Papa V. motus ex legitimis causis, idest, causa humilitatis, et melioris vitae, et conscientiae illaesae, debilitate corporis, defectu scientiae, et malignitate populi, et infirmitate personae, et ut praeteritae consolationis vitae possim reparare quietem, sponte, ac libere cedo Papatui, et expresse renuncio loco, et Dignitati, Oneri et honori, dans plenam, et liberam facultatem, ex nunc Sacro Caetui Cardinalium eligendi, et providendi dumtaxat Canonice Universali Ecclesiae de Pastore ».

14 Non possunt tamen resignare Beneficia Clerici intrusi, et alii similes non habentes canonicum Titulum: Isti enim cum non habeant legitimam possessionem Beneficiorum, nequeunt illa resignare. Nec juvat, quod illa diu pacifice possederint, quia longa possessio illegitima, et injusta non justificat Titulum, alias invalidum; *cap. Dilecto* 35. *de Praebend. cap. Possessor* 2. *et cap. Sine possessione* 3. *de Regul. Juris in* 6. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 9. *n.* 36. Reiffenstuel *ibid. n.* 49 et alii passim.

15 Item Beneficia resignare non possunt Clerici, qui valide Matrimonium contraxerunt, quia per contractum Matrimonium Beneficia Ecclesiastica ipso Jure vacant, *cap.* 1. *et* 3. *de Cleric. Conjugat.*

16 Item Beneficia resignare non possunt Clerici, qui Religionem aliquam approbatam solemniter professi sunt, quia per Professionem Religiosam Beneficia statim ipso Jure vacant; *c. Beneficium* 4. *de Regularibus in* 6.

17 Item Clerici, qui ad secundum Beneficium cum priore incompatibili promoti sunt, prius resignare non possunt, quia per adeptionem secundi Beneficii ipso Jure vacat primum, *cap. De multa* 28. *de Praebend: Extravagont. Execrabilis eod. inter communes;* Concil. Tridentin. *sess.* 7. *de reform. cap.* 4.

18 Item Beneficia resignare non possunt Clerici criminosi, qui ob crimen commissum ipso Jure privati existunt Beneficiis preahabitis, et sunt Simoniaci: *Extravagant. Cum detestabile*, *de Simonia inter communes*. Falsificatores Litterarum Apostolicarum, *c. Ad falsariorum* 7. *de Crimine falsi*, et hujusmodi.

ADDITIONES CASINENSES

Quaeritur, an criminosus beneficium suum resignare alteri possit, quando ob crimen non est privatus ipso jure, sed solum privandus per sententiam? Communis doctrina est, hujusmodi beneficium ante privationis sententiam, non tantum simpliciter, sed etiam in favorem tertii, et ex causa permutationis, renunciari posse, siquidem, quando sententia ista lata non est, beneficiarius jus adhue habet in beneficio. Proceditque hoc, quamvis alius beneficium illud jam impetraverit in eventum privationis, et renuntians sciverit ita impetratum esse; utitur enim jure suo, ideoque nullam fraudem censetur committere. Neque necessarium est eo casu, ut fiat mentio criminis, accusationis, vel sententiae privationis ex eo crimine imminentis; quia talem mentionem faciendam esse, neque ex stylo Curiae constat, neque ullo jure cautum reperitur. Schmalzgrueber *ad tit. de Renuntiat. n.* 10.

Porro, ut de personis resignantibus nonnulla alia persequamur, illud habeto, nempe quod beneficia resignare prohibentur furiosi, et mentecapti, quippe carentes judicio, et consensu, estque resignatio ab ipsis facta in amentia, et furore, *ipso jure* nulla, ita ut cum ad sanitatem, et rationis usum pervenerint, beneficium sic resignatum repetere valeant; *arg. cap. Super hoc.* 5. *cit. tit. de renuntiat.* Schmalzgrueber *l. c. n.* 12.

Quod si de Clerico minore 25 annis agatur; si is impubes sit, idest 14. annis minor, et beneficium Ecclesiasticum ex dispensatione possideat, illud sine authoritate tutoris, causae cognitione, et Decreto superioris resignare nequit; quippe pupillus sine tutore agere nihil potest, *cap. ex ratione*, 2. *de aetat. et qualit. cap. final. de judic. in* 6.

Clericus vero, qui minor quidem est 25. annis, major tamen 14. sine curatoris consensu resignare beneficia potest, quamvis, si per ejusmodi renuntiationem graviter laesus sit, sit locus restitutioni in integrum. Et etiamsi beneficium ab ipso dimissum, sit alteri collatum, probabilius adhuc in hoc casu minor petere potest restitutionem in integrum, si ejusmodi renunciatione laesus fuerit. Quippe minoribus generaliter conceditur hujusmodi beneficium restitutionis in integrum, ex quocumque contractu, vel actu graviter laesi sint, etiamsi res distracta, et in alium translata fuerit, *l. si ex causa* 9. *l. si res pupillaris* 49. *ff. de Minorib.* Schmalzgrueber *loc. cit.* n. 14. *et ad tit. de in integr. restitut. n.* 15. 16.

Insuper ad legitimam renuntiationem beneficiorum requiritur, ut sit spontanea, et libera, non vi, aut gravi metu extorta; alioquin enim vel ipso jure nulla est, et invalida, vel saltem per judicis officium ex titulo *quod metus causa*, rescindenda est: *cap.* 2. *Ad aures, cap.* 3. *Ad audientiam de his, quae vi etc.* Renuntiatio enim a Superiore admittenda, seu rata habenda est, si ostensum fuerit, non vi, non metu, nec oppressione peractam fuisse, prout dicitur *in cap. Super hoc* 5. *tit. de renunt.* ergo a contrario sensu, si ostensum fuerit, per vim, seu violentiam, aut metum injustum, renunciationem factam fuisse, irrita erit, vel saltem irritanda. Idemque est, si hujusmodi renuntiatio per dolum, vel fraudem facta sit, quia dolus, et metus sunt paria; et sicut contractus est rescindibilis ob metum, ita etiam ob dolum, seu fraudem, cum dolus aeque impediat liberum consensum. Pirhing *ad cit. tit. de renunt. n.* 84.

« Ampliatur responsio, ut procedat in cujuscumque beneficii, seu dignitatis, etiam maximae, resignatione, ubi metus interveniat ».

« Ampliatur secundo, ut nulla sit in dicto sensu resignatio, a quocumque metus inferatur, sive a laicis, sive Ecclesiasticis quibuscumque, puta a Cardinalibus, ab Episcopis, eorum Vicariis, aliisque Ordinariis Praelatis collatoribus, sive ab extraneis, sive a parentibus ».

« Ampliatur tertio, ut procedat, etiamsi collatio de tali beneficio ex metu resignato, facta jam sit alteri ».

« Ampliatur quarto, ut jure reprobetur, infirmetur, et in dicto sensu sit nulla resignatio, etiamsi juramento sit firmata, dum nimirum ex metu juravit quis renunciare beneficium, vel in resignatione juravit, se non repetiturum illud... Ne tamen huic communi conclusioni obstet textus *cap. Ad aures, de his quae vi etc.* ubi dicitur, *renunciatio facta ad terrorem laicorum (nisi forte juramento, vel fide interposita sit confirmata) non impediat, quominus is, qui renunciavit Ecclesias, ad cujus regimen prius erat*

» electus, praeficiatur eidem; ne, inquam, textus » ille obstet, dicendum, requiri, et necessarium » esse, ut talis a juramento, Superioris auctoritate » absolvatur, ad effectum ut possit agere, et pete» re, et redire ad beneficium metu renuntiatum » cum juramento ». Leurenius. *Forum benefic. part.* 3. *quaest.* 702. *n.* 3. *et seqq.*

---

19 Item resignare non possunt Clerici Beneficia illa, ad quorum Titulum fuerint ad Sacros Ordines promoti, nisi facta mentione, quod ad illorum Titulum fuerunt Sacris Ordinibus initiati, neque talis Resignatio admitti potest, nisi constito, quod aliunde commode vivere possint, alias facta Resignatio erit nulla: Concil. Tridentin. *sess.* 21. *de reform. cap.* 2. S. Pius V. Constit. 58. incip. *Quanta Ecclesiae.*

20 Item resignare non possunt Beneficia Clerici infirmi intra 20. dies ante suam mortem: Sic *Regula* 19. *Cancellariae*, quae inscribitur *Regula de viginti*, quae ita: « Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in Romana Curia, sive extra illam, aliquod Beneficium simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius Commendae cesserit; seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatae; et postea infra viginti dies a die per ipsum Resignantem praestandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, et ipsum Beneficium quavis auctoritate conferatur, per Resignationem sic factam, Collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque Beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare ».

21 Immo haec Regula de viginti locum habet etiam in illis, qui dum sani erant, resignaverunt, et postea casu quodam, aut superveniente morbo inopinato intra viginti dies decesserunt: Cochier *ad Regulam* 19. *Cancellariae de Viginti n.* 16. *vers. Itaque frustra*, id probans ex verbis dictae Regulae, ibi: *Etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatae*, Parisius *lib.* 12. *de Resignat. Benefic. quaest.* 6. *num.* 7. testans de communi ita hodie communiter per hanc Regulam practicari, Vivianus *de Jurepatronatus* l. 13. *c.* 10. *n.* 86. Rota apud Richium *decis.* 164. *n.* 14. et alia Rota *in una Leodiensi Beneficii* 25. *Maii* 1640. *coram Cerro decis.* 11. *n.* 10. asserens, ita declarasse Clementem VIII.

22 Beneficia Jurispatronatus, sive Patroni sint Laici, sive Clerici, nequeunt resignari ad favorem tertii, neque permutari sine consensu Patronorum, *arg. cap. Monasterium* 33. *caus.* 16. *q.* 7. Rota *par.* 1. *recent. decis.* 427. n. 1. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancellar. Glossa* 18. *a n.* 2. *et Glossa* 47. *n.* 20. Gratian. *disceptat. forens. tom.* 5. *cap.* 831. Barbosa *lib.* 3. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 15. *n.* 142. cum pluribus ibi citatis; Pirhing. *loc. cit. n.* 13. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 61. Parisius *lib.* 2. *q.* 4. *n.* 4 *et l.* 7. *q.* 15. *n.* 8. et alii passim. Ipsorum enim Patronorum interest, ne ipsis neglectis, aliqui instituantur in Beneficiis forte ipsis infensi, aut inimici.

Item Beneficia electiva resignari non possunt in favorem alterius, neque permutari sine consensu illorum, qui Jus habent eligendi: Cardinal. *in Clementin. Unic. n.* 18. *de renuntiat.* Flamin. *l.* 8. *q.* 10. *n.* 11. Vivian. *in praxi Jurispatronat. lib.* 13. *c.* 10. *n.* 28. Garcias *par.* 11. *de Beneficiis cap.* 4. *n.* 72. Barbosa *loc. cit. n.* 145. Reiffenstuel *loc. c. n.* 61. Pirhing *loc. cit. n.* 13. et ipso teste, alii communiter. 23

Talis autem Resignatio, vel Permutatio sine consensu Patronorum, vel Jus eligendi habentium facta, non est ipso Jure irrita, sed irritanda solum ad ipsorum contradictionem, et instantiam; et, si eorum consensus post Resignationem superveniat, erit valida, *arg. cap. Quod sicut* 28. *de election. cap. Cum nos* 3. *De his, quae fiunt a Praelatis*, cum similibus Lessius *lib.* 1. *de Just. et Jur. cap.* 34. *n.* 193. et 198. Azorius *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 25.*quaest.* 4. Reiffenstuel *loco cit. num.* 62. Pirhing. *loc. c. n.* 13 et Communis aliorum. 24

Item resignari nequeunt, lite pendente, Beneficia litigiosa, quia talis Resignatio praesumitur fieri in fraudem Collitigantis, *arg. c.* 1. *de alienatione Judicii mutandi causa facta, et cap.* 2. *Ut lite pendente in* 6. Generaliter enim loquendo alienatio rei litigiosae, dum lis pendet, fieri prohibetur, et facta non tenet, ut expresse habetur ex *toto tit. ff. et eod. de Litigiosis*; Barbosa *loc. cit. num* 147. Parisius *cit. lib.* 2. *q.* 3. *nu.* 1. Azorius *cit. cap.* 25. *q.* 3. Pirhing *loc. cit. num.* 14. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 55. et alii communiter. 25

ADDITIONES CASINENSES

Verum licet beneficium litigiosum, lite pendente, resignari non valeat alicui alteri, sive ex causa permutationis, sive in favorem ejus illud dimittendo, nihilominus alter litigantium bene potest simpliciter cedere illi beneficio, ac juri, si quod in eo habet, siquidem per talem cessionem non fit deterior conditio collitigantis, simulque per ipsam totaliter finitur lis. Idem est, si simpliciter renuncietur liti; quia tunc purgatur vitium litigiosi. Reiffenstuel *ad tit. de renunciat. n.* 57.

Valida etiam est renunciatio beneficii litigiosi, si hanc fieri contingat, facta expressa mentione litis, sive dein ipsa fiat coram summo Pontifice, sive coram Ordinario: quamquam Ordinarius in tali casu nequeat conferre beneficium, nisi lite jam finita, aut extincta per obitum litigantis jus praetendentis in beneficio, vel derelicta. Idem Reiffenst. *l. c. n.* 58.

Item Beneficia unita resignari non possunt, etiam antequam unio sortiatur effectum. Sic, si Beneficium a Petro possessum uniatur alicui Eccle- 26

siae, Monasterio, vel Seminario, ut post illius mortem effectum sortiatur, non potest Petrus illud Beneficium resignare in alicujus favorem: *Communis*; per text in Concil Trident. *sess.* **11**. *de reform. cap.* **5**. *in fine*, ibi: « Quae uniones etiam non possint revocari, nec quoquo modo infringi vigore cujuscumque provisionis, etiam ex causa Resignationis, aut derogationis, aut suspensionis »: *et sess.* **23**. *cap.* **18**. *circa medium*, ibi; « Nec per resignationem ipsorum Beneficiorum uniones, et applicationes suspendi, vel ullo modo impediri possint. »

27 In Curia Romana non admittuntur Resignationes Parochialium ad favorem tertii, praesertim cum reservatione Pensionis ipsi Resignanti, vel alteri a Resignatario praestandae, nisi exprimatur per quantum tempus possederit ipse Resignans tale Beneficium, et nisi illud possederit per quinque annos, vel circa, aut saltem tres, quamvis antea requirerentur septem, vel sex: Garcias *de Beneficiis p.* **11**. *c.* **3**. *n.* **4**. Isidorus Mosconius *in tract. de Majest. Militant. Eccles. lib.* **1**. *par.* **3**. *cap.* **2**. *rub. de Benefic. fol.* **451**. Reiffenstuel *loc. cit. nu.* **63**. Prosper de August. *in addit. ad Quaranta in Sum. Bul.* §. *Resignant. Benefic. ult. vers.* Pyrr. Corrad. *Prax Benefic. lib.* **5**. *c.* **1**. *n.* **14**. ubi testatur hunc usum, seu stylum Datariae Apostolicae exordium habuisse a Gregorio XIV. qui sic servari mandavit, ex eo quod Innocentius IX. id antea statuerat, nempe ut accipiens Beneficium Curatum, vel simile non possit illud renunciare ad favorem tertii ante triennium.

28 Praedicta tamen praxis procedit solum in Resignationibus, quae fiunt in Curia Romana in manibus Papae, non autem in illis, quae pure, seu absque Reservatione Pensionis fiunt in manibus Ordinarii; De his enim Gregorius XIV. nihil de novo statuit. Unde pure, et libere, et absque ullo onere possunt similes Resignationes fieri in manibus Ordinariorum, etiam ante annum possessionis; Pyrr. Corrad. *loc. cit. num.* **20**. Reiffenstuel *loc. cit. num.* **65**. Parisius *lib.* **3**. *q.* **2**. *per tot.* et alii.

29 Quamvis justae, et legitimae causae, ob quae potest fieri Beneficiorum Resignatio, generatim ad duas reduci possint, scilicet ad utilitatem Ecclesiaa, et salutem propriam, ut dicitur *in c. Quidem* **12**. *de Resignatione*, et notant Barbosa *loc. c. nu.* **89**. Pirhing *loc. cit. num.* **40**. et alii; tamen Innocentius III. *in cap. Nisi cum pridem* **10**. *de renunciatione*, sex assignat, ob quas potest Episcopus resignare Episcopatum, quae omnes continentur in his duobus versiculis ibidem in Summario allegatis.

Debilis, Ignarus, Male conscius, Irregularis.
Quem mala plebs odit, Dans scandala, cedere possit.

30 *Prima* igitur causa designata per ly *Debilis*, est Debilitas, seu infirmitas Corporis, ob quam redditur quis impotens ad exequendum suum Officium. *Secunda* designata per ly *Ignarus*, est Ignorantia, seu defectus scientiae necessariae ad sui Officii executionem. *Tertia* designata per ly *Male conscius*, est Conscientia criminis, non quidem cujuslibet, sed illius dumtaxat, quod post peractam poenitentiam impedit executionem sui Officii, ex quo irroget infamiam, ipso jure, ut Crimen haeresis, Simoniae, homicidii, et hujusmodi. *Quarta* designata per ly *Irregularis*, est Irregularitas Personae. *Quinta* designata per ly *Quem mala plebs odit*, est malitia plebis ita moribus, et personae ipsius Praelati adversariae, ut in ea quidquam amplius proficere non valeat: *Sexta* designata per ly *Dans scandala*, est grave scandalum, quod aliter sedari non potest. Sic *cit. c. Nisi cum pridem* **10**. *de renunciat.* et *ibi* Glossa, et Doctores communiter.

Causae autem, propter quas possunt Episcopi, et alii facultatem habentes, simplices Beneficiorum Resignationes recipere, et admittere, assignantur a S. Pio V. in sua Constitutione 58. incip. *Quanta Ecclesiae* §. 3. his verbis: « Posthac Episcopi, et alii facultatem habentes eorum dumtaxat renunciationes recipere, et admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeant, aut non debeant Ecclesiae, vel Beneficio inservire, seu qui unum aliud, vel plura Beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri. Religionem quoque ingressuri, vel Matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur. Denique cum quis ex aliis casibus acciderit, qui in Constitutione felicis recordationis Innocentii Papae III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis edita continentur, qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco Beneficii residere securi, sed neque horum ullus Sacro Ordini mancipatus, nisi Religionem ingressurus valeat ullo modo Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari ». 31

Hinc ubi dicta S. Pii V. Constitutio est usu recepta, si Resignatio ab Ordinariis admittatur absque illa ex assignatis causis, est nulla; quia ibi ponitur decretum irritans; Pirhing *loc. cit. n.* **56**. *in fine*, Parisius *lib.* **5**. *qu.* **6**. *n.* **223**. *et seq.* Azorius *part.* **2**. *lib.* **7**. *cap.* **19**. *quaest.* **5**. Leurenius *in Foro Beneficiali part.* **3**. *qu.* **415**. et alii. Sed testatur Zipaeus *in Analysi de renunciatione n.* **1**. non esse ubique usu receptam; et non esse in usu Hispaniae asserit Garcias *de Benefic. part.* **11**. *c.* **3**. *n.* **270**. et utrum in Germania, edisserit Card. de Luca *de Benefic. disc.* **65**. *per tot.* 32

Facta Resignatione pura, et a legitimo Superiore admissa, non est amplius locus poenitentiae; sed resignans potest compelli etiam invitus ad dimittendam possessionem Beneficii Resignati: *Comm.* textu appresso *in c. quidam* **12**. *de renunciatione.* 33

Dicitur autem notanter, *Et a legitimo Superiore admissa*, quia ante ejus admissionem, et ratificationem potest Resignans mutare voluntatem, et 34

revocare Resignationem; Tunc enim res adhuc integra existit, et sic est locus poenitentiae, *arg. c. Lecta* 14. *de renunciatione*, *et cap. In causis* 30. §. *Quia vero, de election. l. si pecuniam*, §. 1. *ff. de condict. caus. dat.* Unde si resignans constituisset Procuratorem ad faciendam Resignationem Beneficii coram legitimo Superiore, re adhuc integra, potest poenitere, et mandatum Procuratorium revocare; *Clement. Unic. de renunciation.* Garcias *p.* 11. *de Benefic. c.* 3. n. 227. citans Rotam *dec.* 1. *in fine, et dec.* 3. *de renunciation. in antiquis*, Sannig *de renunciatione cap.* 6. *num.* 3. Reiff. *loco cit. num.* 49. Rebuff. in *praxi Benefic. tit. de Resignatione Conditionali num.* 31. et alii passim

35 Qui Beneficium resignavit, non obstante sua resignatione, potest redire ad idem Beneficium ex novo Titulo superveniente, videlicet, si iterum ad illud praesentetur, vel eligatur: *Communis.* textu expresso *in cap. Cum inter* 2. *de renunciation.* juncta Glossa fin. *ibid.* et Glossa *in cap. Susceptum verb. Non morte, de Rescript. in* 7. (*)

* Caeterum talis, qui denuo ad illud beneficium admittitur, ultimum locum tenere debebit prae aliis; siquidem per praeviam renunciationem amisit omne jus in beneficio, ac proinde etiam praerogativam antiquitatis, ita Layman, et Flam. Parisius post Rotam, *in una Paduana optionis* coram Accorambono 29. *Novemb.* 1557. Reiffenst. *ad tit. de renunciat n.* 42. *

36 Resignatio Beneficiorum non potest fieri in manibus Laici, etiamsi esset Patronus, Rex, vel Imperator, nisi habeat Jus conferendi, et recipiendi tales resignationes ex privilegio Apostolico: *Communis* textu expresso *in cap. Quod in dubiis* 8. *de resignatione.*

37 Neque Resignatio Beneficiorum fieri potest propria auctoritate, sed debet fieri de auctoritate, et assensu, et in manibus legitimi Superioris Ecclesiastici habentis potestatem instituendi, et destituendi respectu talium beneficiorum: *Communis*, per text. *in cap. Non oportet* 18. *cap. si vero* 23. *cap. si quis Presbyter* 24. *caus.* 7. *q.* 1. *cap. Admonet.* 4. *de renunciat. et cap. illo* 1. *et cap. Inter corporalia* 2. *de translation. Episcop.* cum similibus, juncta Glossa *in Clementin. Unic. de renunciation. verb. Manibus.*

38 Hinc Resignatio ad favorem tertii, seu cum clausula *Non aliter*, non potest fieri nisi *in* manibus Papae; Sic Barbosa *loc. cit. num.* 58. Pirhing. *loc. cit. num.* 77. Reiff. *loc. cit. num.* 110. Engel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 9. *n.* 8. citans communem omnium doctrinam, et in praxi observatam, quamvis Covarruvias, Sotus, et alii pauci relati a Garcia *par.* 11. *de Beneficiis cap.* 3. *nu.* 153. contrarium senserint. Et ratio est, quia hujusmodi Resignatio, vel continet Simoniam Juris Ecclesiastici, ut docent Glossa *in c. Dilecto, verb. Resignavit, de Praeb. nd.* Garcias *loc. citat. num.* 152. allegans Rotam *decis.* 146. *l.* 2. *et dec.* 921. *l.* 3. *diversor, et decis.* 265. P. 2., et dec. 666. *noviss.* Farin. Rebuff. *in Praxi Benefic. de renunciat. conditional. nu.* 1. Navarr. *c.* 23. *Manual. n.* 107. §. *Ad Decimum*, Parisius *lib.* 13. *de resignat. q.* 3. *num.* 12. asserens, ita scribere omnes fere Doctores, vel saltem aliunde est in Jure prohita, uti expresse eam prohibuit Hilarius Papa in Concilio Romano relato *cap. Plerique* 5. *caus.* 8. *q.* 1. et S. Pius V. Const. 58. incip. *Quanta Ecclesiae.* Atqui in Simonia Juris Ecclesiastici, et in Jure Canonico solus Papa de plenitudine potestatis dispensare potest, textu expresso *in cap. Proposuit* 4. *de concession. Praebend.* ergo etc.

Unde Resignatio ad favorem tertii, seu sub ea 39
conditione facta, ut soli Personae a Resignante nominatae conferatur Beneficium, ita ut non habeat effectum, nisi conditio impleatur, non potest recipi, et admitti ab Episcopo, vel alio Collatore Papa inferiore, Pirhing *loc. cit. num.* 77. ubi testatur de communi, et de Stylo, et usu Curiae Romanae, et communi consuetudine.

ADDITIONES CASINENSES

Quaeritur: an facta renunciatione beneficii *in manibus Ordinarii* in favorem tertii cum clausula, non *aliter*, possit is eamdem renunc. acceptare, et rejecta conditione tamquam turpi, conferre beneficium cui voluerit: probabilius est, in dicto casu Episcopum non posse ejusmodi conditionem rejicere, ipsamque resignationem simpliciter acceptare. Ratio est, quia actus sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum, suspenditur enim ejus valor usque ad eventum conditionis *l. Is cui ff. de act. et obligat. l. legata ff. de cond. et demonstrat.* Ergo in proposito, si conditio rejiciatur, nulla censetur facta renunciatio, eo praesertim, quia actus agentium non operatur, ultra eorum intentionem. Accedit, quod nullo jure probari potest, in tali casu conditionem haberi pro non adjecta; quinimmo conditiones de jure, vel facto impossibiles in aliis contractibus (excepto matrimonio), non vitiantur, nec habentur pro non adjectis, sed potius vitiant contractum, ut liquet *ex l. Non solum ff. de action. et obligat.* Reiffenst. *ad tit. de Renunt.* §. 5. *n.* 120.

(*) Heic nota, quod Parochialem Ecclesiam assecutus, quam postea dimisit, vel resignavit, non potest eamdem assequi sine novo concursu; « Quia licet semel approbatus » ad eamdem Ecclesiam, amplius examinari non debeat; ex » eo, quod jam illius sufficientia esset nota, quia alias eam- » dem Ecclesiam gubernavit, illiusque curam mirifice, ac » solerter exercuit, nihilominus propter hoc non effici- » tus immunis ab hujusmodi examina per concursum; cum » oporteat formam Concilii (Trident.) omnino servari; quia » ex hoc non deducitur quod, consequatur dignior, ac eo quod » alias exercuerit curam animarum, cum hoc solum probet » ejus scientiam, non autem quod in concursu veniat prae- » ferendus, ut fuit dictum *in una Beneventana Parochialis* ». Ita Pirr. Corradus, *Prax benefic. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 5. Editores Casinenses.

Item, quod resignatio in favorem non nisi in manibus Papae fieri possit « id quoque in beneficlis Juris Patronatus locum habet, etiamsi ea ad » Regiam pertineant praesentationem, aut collationem (*nempe jure extraordinario, et privilegio, si de collatione agatur, Sedis Apostolicae vel expressa, vel praesumpto*), Quare Sixtus V, » *die* 28. *Julii* 1587. canonicatum Ecclesiae Lucerinae de Regio jure Patronatus contulit Jo. » Mariae Pallavicino, in cujus favorem Aloysius » Vasquez illud renunciaverat (dummodo ad id » Regius accederet consensus) annuam sibi pen» sionem reservans ». Gagliardus *de benefic. cap.* 20. *n.* 9. *et cap.* 7. *n.* 22.

---

40 Potest tamen Episcopus, vel alius Collator Papa inferior per se loquendo, et spectato Jure communi, admittere Resignationem simpliciter, et sine ulla pactione, aut conditione obligatoria factam, licet tali Resignationi addatur a Resignante deprecatio, seu recommendatio, ut Beneficium resignatum certae personae conferatur; Nec Collatio tali certae personae facta ad preces Resignantis erit simoniaca; quia nihilominus liberum est Collatori conferre Beneficium cui voluerit (*); neque injuriam facit nominato, si alteri conferat, cum ex ea nominatione, seu precum interpositione non sit Jus aliquod acquisitum illi nominato: Covarruvias *l.* 1. *Variar. resolut. cap.* 5. *num.* 5. Zoesius *tit. de Simonia num.* 74. Tholosanus *in Institut. rei Benefic. cap.* 8. *num.* 6. Navarr. *in Manual. c.* 23. *n.* 107. Layman *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 2. *c.* 17. *n.* 6. Engel *lib.* 1. *Decret. tit.* 9. *num.* 1. Pirhing *ibidem num.* 76. Reiffenstuel *ib. nu.* 112. *et seq.* et alii: Et hoc colligitur *ex cap. Cum universorum* 8. *de rerum permutat. et cap. Ex parte* 13. *de Offic. Delegat.* ubi similes Resignationes loguntur, nec tamen ex hoc capite reprobantur, quamvis ex aliis rationibus non tenuerint, ut recte observat Reiffenstuel *loco citat.*

41 Dicitur autem notanter: *Per se loquendo, et spectato Jure communi*, quia S. Pius V. Constit. 58. incip. *Quanta Ecclesiae* id omnino prohibuit praecisis his verbis. « Caveant autem Episcopi, et alii praedicti, itemque omnes Electores, Praesentatores, et Patroni, tam Ecclesiastici, quam Laici, quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo futuri in hujusmodi Beneficiis, et Officiis Successores, ab ipsis Resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu signentur, aut de his assumendis, promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat ». Unde ubi haec Constit. S. Pii V. est usu recepta, et viget, non currit data Conclusio, quae dicit solum *per se loquendo, et spectato Jure communi Cononico*, cui nondum inserta est dicta Constitut. quae neque ubique recepta est, ut testantur Zipaeus *in Analysi Jur. Pontifi. tit. de Renunciat.* n. 1. Laiman *lib.* 4. *Theolog. moral. tract.* 2. *cap.* 17. *num.* 6. Engel *tit. de Filiis Presbyter. num.* 3. Garcias *de Beneficiis par.* 11. *cap.* 3 *num.* 270. et alii, et jam fuit observatum *supra n.* 31.

Neque ibi potest Episcopus, aut alius Collator Papa inferior Beneficia in suis manibus resignata conferre consanguineis, vel affinibus, aut familiaribus suis, aut Resignantium, sive dimittentium. 42
Sic expresse S. Pius V. citata Constitut. incip. *Quanta Ecclesiae* §. *Ceterum*, ibi: « Ceterum praecipimus, atque interdicimus, ne ipsi Episcopi, aut alii Collatores de Beneficiis, et Officiis resignandis praedictis, aut suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos Collationum audeant providere ». Et sic declaravit etiam Gregorius XIII. ex sententia Sacrae Congregationis Concilii, prout refert Pyrrhus Corrad. *Prax. Benefic. lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 51. his verbis: « Episcopus non potest admittere in Parochialibus in suis manibus resignatis consanguineos, vel familiares tam suos, quam Resignantium, ex Bulla S. Pii V. an. ejus tertio, Kal. April. S. D. N. Gregor. XIII. ex sententia Sacrae Congregat. declaravit, et ideo admonendum Episcop. ne hujusmodi consaguineos, vel familiares admittat ad concursum ». Ventriglia *tom.* 2. *Annot.* 4. §. 2. *n.* 10. ubi ex Thusco, Genuensi, Riccio, Garcia, et aliis notat, quod Ordinarius, non solum non potest conferre Beneficia resignata suis, vel, si admissio Resignationis ad alterum spectet, Admittentis Resignationem consanguineis, affinibus, et familiaribus; sed nec etiam ipsius Resignantis.

Praedicta tamen Constitutio S. P. V. de non conferendis Beneficiis resignatis consanguineis, affinibus, vel familiaribus Episcopi Collatoris, vel Resignantis, aut dimittentis, non habet locum in Beneficiis de Jure patronatus, cum ipsa debeant conferri praesentatis a Patronis, prout declarasse Gregor. XIII. refert Pyrr. Corrad. *loc. cit. num.* 54. his verbis: « Nos Hieronymus tituli S. Pancratii S. R. E. Presbyter Cardinalis Matthaejus fidem facimus, et attestamur, in libris Sacr. Congregat. Concilii, qui apud Nos asservantur, adnotatum esse, quod fel. rec. Greg. XIII. declaravit, Beneficia Jurispatronatus non comprehendi in §. *Ceterum* contento in Constitut. San. mem Pii V. relaxante prohibitionem de non admittendis Resignationibus; quo §. prohibentur Episcopi Beneficia eorum manibus Resignata, eorum, aut Resignan- 43

(*) Et revera, post factam resignationem pure, ac simpliciter, non obstante, quod preces pro aliquo offerantur, nihilominus Episcopus non est adstrictus, ut huic conferat beneficium, neque injuriam faciat nominato, si alteri conferat. Cum enim resignatio in favorem tertii sit jure prohibita, non est illi nominato jus aliquod ex ea nominatione, seu precum interpositione acquisitum, ac consequenter nulla eidem injuria irrogatur. Reiffenstuel *ad tit. de Renunciat.* §. 5. *n.* 114. Editores Casinenses.

tium affinibus, consanguineis, vel familiaribus conferre ».

Hieronym. Card. Matthaejus.

ADDITIONES CASINENSES.

Sic etiam si Parochia vacaret per obitum, tunc utique ad concursum admitti possunt praefati consanguinei, affines, et familiares: et alicui ex ipsis, si quidem dignior fuerit deprehensus, parochialis Ecclesia conferetur, ut ex decreto *Sixti V.* relato a Benedicto XIV. *in Synod. Dioeces. lib.* 13. *cap.* 24. *n.* 6. in haec sane verba: « Sanctitas sua decrevit, Declarationem Congregationis (*quam Lucius noster affert heic supra n.* 42.) approbatam » a felicis recordationis Gregorio XIII. retinendam » esse juxta terminos Constitutionis piae memoriae » Pii V. in Parochialibus vacantibus per resignationem admissam per Episcopum, et inferiores » collatores: occurrente autem vacatione Parochialium per obitum, non esse arcendos a concursu » familiares, aut consanguineos ipsorum Ordinariorum, sed iisdem conditionibus, et legibus censendos esse cum aliis concurrentibus ex forma » Concil. Tridentini, et Constitutionis ejusdem Pii » V. de provisionibus Parochialibus etc. Quod Decretum in Congregatione habita *die* 16. *Junii* » 1589. fuit ab Illustrissimis Dominis commendatum, et juxta illud in posterum respondendum » erit in casibus occurrentibus etc. ».

« Quoties igitur (prosequitur Benedictus XIV. *l. c.*) Paroecia per resignationem vacaverit; si eamdem suo, vel resignantis consanguineo, aut familiari conferat Episcopus, aperte peccat in litteram Pianae Constitutionis prohibentis, ne beneficia in Episcoporum manibus resignata, personis supradictis conferantur; at si eisdem conferat Paroeciam, quae per obitum vacaverit, nullatenus Pianam Bullam laedit, quippe quae non nisi de vacationibus per resignationem loquitur ».

Quod idem applica in vacatione beneficii propter sententiam privationis ex crimine, quippe cum dispositio Piana *sit poenalis*, non est praeter dispositum extendenda. Ex Ventriglia *Prax. For. Eccles. part.* 2. *annot.* 5. §. 2. *n.* 13.

« Quaeri (hic) potest, an Episcopus possit talia beneficia conferre alicui ex familiaribus sui » Vicarii Generalis; maxime si comedat cum familiaribus praedicti Episcopi: Et quidem, quod » possit, non est dubitandum, ex eo quod familiaritas non contrahitur ex sola commensalitate, » sed requiritur, ut adsit animus tam Superioris, » quam famuli, (Bene verum, quod) Vicarius praedictus nullatenus potest beneficia praedicta conferre familiari Episcopi, quia cum eo censetur » eadem persona; nam Episcopus fraudolenter curaret, ut fieret resignatio in manibus Vicarii, ut » conferret familiari Episcopi, licet ipse Vicarius » possit conferre suo familiari; quia dicta Constitutio prohibet conferri familiaribus collatorum » jure proprio conferentium ». Pyrrus Corradus *Prax benefic. lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 71.

Caeterum, si Ordinarii, etiam ignorantes, d. Pianam Const. contraveniant, conferendo hujusmodi beneficia sic resignata praedictis personis prohibitis, ligantur poenis supra dictae Constitutionis, et indigent absolutione a Summo Pontifice. Idem Corrad. *l. c. n.* 70. *vers. Caeterum.*

Cum autem praedicta S. Pii V. Constitutio sit admodum notabilis quoad Resignationes faciendas, et admittendas, et teste Pyrrho Corrado *loc. cit. n.* 59. maximopere vigeat, juvat hic eam ad omnium commodum per extensum adducere. 44

PIUS EPISCOPUS etc.

» Quanta Ecclesiae Dei incommoda omni tempore attulerit, et nunc quotidie magis afferat ministrorum in eam ingressio vitiosa, jam late perspiciant, et cum moerore expendant Praesules » omnes, et Pastores, quando haec pernicies ceterarum omnium maxima tam multas Orbis Ecclesias impie violarit.

» §. 1. Quia vero hoc malum cum in ceteris » frequens, tum maxime in Beneficiorum Ecclesiasticorum dimissione admittitur, nemini molestum » esse debet, quod pridem de reprimendis quotidianis fraudibus, quae hac in re frequentiores internoscuntur, certam aliquam rationem tandem » injuncti Officii nostri partes in prohibenda omnibus interim Resignationum hujusmodi receptione paulo severius interposuerimus, omnesque Beneficiorum interim resignandorum dispositiones, » quae fierent, in irritum revocaverimus, ac etiam » decreverimus, nullum per ea in illis jus, neque » titulum, vel coloratum, tam in petitorio, quam » in possessorio ipsis provisis tribuere, quin etiam » eos ad illa deinceps obtinenda perpetuo inhabiles fore: Collatores vero, alias in illorum dispositione, etiam tamquam devolutionis jure sese » interponere non posse, sed de eis, ut vere vacantibus sive per Romanos Pontifices, sive alios Collatorum eorumdem superiores, uti praeventum » esset, libere provideri.

» 2. Nunc autem intendentes institutum hoc nostrum, quo Sanctuarium Domini cupimus illibatum, auctore Domino, persequi, ac simul, quantum in Nobis est, cavere, ne Resignationes ipsae » dehinc pro cujusque arbitrio, nullisque, vel certe » levibus causis passim, et temere admittantur, » prohibitionem, et alia praedicta, ac certa omnia » nostris super his Litteris contenta eatenus relaxamus.

§. 3. Ut posthac Episcopi, et alii facultatem habentes eorum dumtaxat Resignationes recipere, et admittere possint, qui aut senio confecti, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, Censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiae, vel Beneficio inservire, seu

qui unum aliud, vel quos aliud contigerit promoveri, Religionem quoque ingressuri, vel Matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur, denique cum quis ex aliis casibus acciderit, qui Constitutione fel. rec. Innoc. Papae III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis, edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco Beneficii residere securi; Sed nec eorum ullus Sacro Ordini mancipatus, nisi Religionem ingressursus, valeat ullo modo Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari; Ad haec Beneficiorum, et Officiorum permutationes admittere, quae Canonicis Sancionibus, et Apostolicis Constitutionibus permittuntur.

§. 4. Caveant autem Episcopi, et alii praedicti, itemque omnes Electores, Praesentores, et Patroni, tam Ecclesiastici, quam Laici, quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo, futuri hujusmodi Beneficiis, et Officiis Successores ab ipsis Resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis, promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat.

§ 5. Ceterum praecipimus, atque interdicimus, ne ipsi Episcopi, aut alii Collatores de Beneficiis, et Officiis resignandis, praedictis, aut suis, aut Admittentium (*) consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere; quod si secus, ac etiam quicquid praeter, vel contra formam praedictorum fuerit a quocumque temere attentatum, id totum ex nunc vires, et effectum decernimus non habere.

§. 6. Qui vero contrafecerint, ut in eo, quo deliquerint, puniantur, a Beneficiorum, et Officiorum collatione, nec non electione, praesentatione, confirmatione, et institutione, prout cui competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem a Romano Pontifice meruerint obtinere, et qui talia Beneficia, seu Officia receperint, eos praedictis poenis volumus subjacere. Et nihilominus in eos, qui sic suspensi conferre, eligere, praesentare, confirmare, vel instituere, ausi fuerint, excommunicationis quoad personas, quo vero ad Capitula, et Conventus a Divinis suspensionis sententias ipso facto promulgamus, quibus etiam nullus alius, quam ipse Romanus Pontifex, sive absolutionis, sive relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertire, Prohibitione, et Litteris nostris praedictis nihilominus in ceteris omnibus perpetuo valituris.

§. 7. Non obstantibus quibuscumque Privilegiis, Indulgentiis, et Litteris Apostolicis generalibus, et specialibus quibuscumque, Episcopis, et aliis Superioribus, ac inferioribus Ecclesiarum Praelatis, nec non Ecclesiis, Monasteriis, et Capitulis, Conventibus, Collegiis, et Universitatibus, eorumque et aliis Personis, etiam Regia, et Imperiali Majestate praeditis, sub quacumque verborum forma, et conceptione concessis, per quae effectus praesentium impediri posset quomodocumque, vel differri, etiamsi de eis, ipsorumque totis tenoribus ad verbum, ac de propriis nominibus eorum, nec non Ecclesiis, Monasteriis, locis, Ordinibus, et Dignitatibus, de quibus, nec non causis, propter quas illa concessa sunt, specialem, et expressam praesentibus fieri oporteret mentionem.

§. 8. Ceterum jubemus, easdem praesentes ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et in Acie Campi Florae publicari, et earum exempla affigi; Volumusque eas sic publicatas, omnes, et singulos perinde afficere, et obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatae.

§. 9. Exemplis quoque praedictis, etiam impressis, manuque Notarii publici, et sigillo Praelati Ecclesiastici, vel ejus Curiae obsignatis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quae ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae 1568. Kal. Apr. Pontificatus nostri Anno tertio.

Resignatio reciproca triangularis, seu quadran- 45
gularis, qua scilicet tres, vel quatuor simul resignant sua Beneficia ea conditione, sive pacto, ut primus resignet suum Beneficium secundo, et secundus suum tertio, et tertius suum quarto, et quartus suum primo, non potest admitti ab Ordinariis Papa inferioribus, sed solum ab ipso Papa: Concil. Tridentint. *sess.* 15. *de reformat. cap.* 15. reprobans dictas Resignatione reciprocas. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell. Gloss.* 14. *num.* 48. Navarr. *Manual c.* 24. *n.* 10. *et Cons.* 43. *de Simonia;* Antonell. *de Regimine Ecclesiae lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 8. Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccl. univers. c.* 15. *n.* 120. Pirhing *l.* 1. *Decret. tit.* 9. *n.* 83. Reiffenstuel *ib. num* 124. Sanig. *ibid. cap.* 5 *num.* 5. et alii passim.

(*) « Verbum *admittentium* videtur mendose appositum, » pro *dimittentium*, et hoc modo restitutum est in Codice » Septimi libri decretalium Clement. VIII. ». Ita Fagnanus *ad cap. Non sine, de arbitr. num.* 45. (Quid nomine septimi libri Decretalium heic significetur, vide v. *Jus Justitia n.* 33.)

» Deprehenditur enim (sic pariter Benedictus XIV.) manifestus typographi error, neque legendum est *admittentium* consanguineis, sed utique *dimittentium consanguineis*. Juvat et illud animadvertere, in Septimo Decretalium libro, qui sub Pontifice Clemente VIII. in publicam lucem emittendus erat, ... insertam S. Pii V. Bullam, in qua verbo *admittentium*, substitutum legitur *dimittentium* ». *de Synod. Dioeces. lib.* 13. *cap.* 24. *n.* 2 Adeo ut praelaud. S. Pius v. prohibuerit Episcopis, aliisque collatoribus, in quorum manibus cujuslibet beneficii resignatio fieret, ne hoc, vel illud beneficium, cujus resignationem admisissent, aut suis, aut resignantium, sive *dimittentium* (quod idem importat) consanguineis, affinibus, vel familiaribus conferrent; utrisque porro ab hujusmodi beneficiorum consecutione exclusis, nempe tam consanguineis, affinibus, Familiaribus Ordinariorum, seu collatorum, quam consanguineis, affinibus, et Familiaribus resignantium. Benedictus XIV. *loc. et n. cit.* Caetera vide heic supra sub n. 41. *et seqq.* Editores Casinenses.

sim. Et ratio est, quia talis Resignatio fit in favorem tertii, seu cum clausula *Non aliter*, et simul involvit pactionem quamdam praeviam, quae circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet Simoniae Jure Ecclesiastico prohibitam; *cap. Quaesitum* 5. *de rerum permutat.* cum similibus: solus autem Papa de plenitudine suae potestatis, potest dispensare supra Jus Ecclesiasticum, et purgare, seu tollere talem labem Simoniae; *cap. Proposuit* 4. *de concess. Praebend.* et faciunt dicta *supra num.* 38.

46 Resignatio Beneficii Conditionalis, quae fit cum reservatione perpetua certae Pensionis, in Pecunia, vel parte fructuum, verb. gr. tertia, vel dimidia, non potest admitti ab Ordinario Papa inferiore, sed solum ab ipso Summo Pontifice: Parisius *lib.* 6. *de Resignat. Benefic. q.* 7. *n.* 3. *et q.* 2. *n.* 1. *et* 2. Azorius *part.* 2. *c.* 1. *lib.* 20. *quaest.* 1. *et cap.* 21. *qu.* 7. Pirhing *loc. cit. n.* 80. ubi testatur de communi: Et ratio est, quia talis Resignatio est Jure communi Canonico prohibita, cum Beneficia regulariter dividi nequeant; *cap. Majoribus* 8. *de Praebend.* et sine diminutione sint conferenda, *cap. Unic. Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.* Beneficium autem dividitur, vel saltem cum diminutione confertur, cum uni Pensio, vel fructus ex Beneficio dantur, alteri vero Jus, et Titulus Beneficii confertur, adeoque etc. Tum quia resignare Beneficia sua sub reservatione Pensionis perpetuae coram Ordinario Papa inferiore est Simonia Juris Ecclesiastici, ut tradunt Abbas, Covarr. Suarez, Valentia, Bonacina, Castropal. Diana, Barbosa, Leurenius citati et secuti a la Croix *lib. num.* 1056. quia est pactum in materia Beneficiaria, per text. *in cap. Quaesitum* 5. *de rerum permutat. cap. Super hoc* 6. *de renunciation. cap. Matthaeus de Simonia, et Extravagant. Detestabile eod. inter communes*, cum similibus: Simoniam autem Juris Ecclesiastici purgare, et tollere potest solus Papa, cum ipse solus possit de plenitudine suae potestatis supra omne Jus Ecclesiasticum dispensare, *cit. cap. Proposuit* 4. *de concess. Praebend.*

47 Quandonam autem, quomodo, et ex quibus causis possit Episcopus Pensionem imponere (Vide verb. *Pensio a num.* 14. *ad* 28.

48 Resignatio Beneficii cum reservatione regressus, ingressus, vel accessus non potest fieri in manibus Ordinarii Papa inferioris, sed solum in manibus ipsius Summi Pontificis: Conc. Trid. *sess.* 25. *de reform. c.* 7. S. Pius V. Const. incip. *Romani Pontificis providentia*, et tenet communis Doctorum, teste Pirhing *loc. cit. n.* 81. Quid autem sit regressus, vel accessus; Vide *sup. num.* 10.

49 Beneficia reservata, quorum Collatio spectat ad solum Papam, quamvis possint simpliciter dimitti in manibus Ordinarii Papa inferioris, dummodo hic aliis illa non conferat, tamen nequeunt resignari culpiam alteri, sive ex causa permutationis, sive in gratiam, et favorem tertii, nisi in manibus Papae. Sic expresse statuit revocando omnes similes licentias, et facultates Innoc. IV. Constit. incip. *sicut bonus Pastor*, et concordat *Regula tertia Cancellariae*, et tenent Doctores communiter.

Resignatio Beneficii facta cum pacto, ut Resignatarius solvat expensas factas olim a Resignante in assecutione illius Beneficii, est Simoniaca, unde non potest fieri in manibus Ordinarii Papa inferioris: Parisius *lib.* 14. *de Resignation. Beneficiorum quaest.* 5. *n.* 1. et ipso teste, Communis aliorum; In Beneficiis enim Ecclesiasticis omnis pactio, omnisque conventio debet omnino cessare, *cap. super eo* 7. *de transactionibus, c. ult. de pactis*; *c. Quaesitum* 4. *de rerum permut. cap. Super hoc* 5. *de renunciat. cap. Matthaeus* 23. *de Simonia* cum similibus, super quibus Juribus Ecclesiasticis solus Papa potest dispensare, *ex cit. c. Proposuit* 4. *de concess. Praebend.* Vide verb. *Transactio n.* 17. 50

Resignatio facta cum pacto, ut Resignatarius solvat omnes expensas factas in admissione Resignationis, atque expeditione Bullarum ab utraque parte ceteroquin facienda, est simoniaca, nec potest admitti ab Ordinario Papa inferiore: Sic Parisius *cit. quaest.* 5. *n.* 6. Suar. *de Relig. tr.* 3. *lib.* 4. *cap.* 34. *n.* 19. Garcias *part.* 11. *de Benefic. c.* 3. *n.* 148. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 78. Pirhing *loc. cit. n.* 19. et ipso teste, alii communiter per rationem, et Jura adducta *num. anteced.* Ipsi tamen Doctores hoc limitant, nisi talis conventio, et pactio Summo Pontifici declaretur, et ab ipso approbetur, quia cum talis Simonia sit solum Ecclesiastica, potest eam Papa purgare, et penitus tollere, cum ipse de plenitudine suae potestatis possit supra omne Jus Ecclesiasticum dispensare, ex *cit. cap. Proposuit* 4. *de Praebend.* 51

52

Resignatio Beneficii facta cum certa confidentia, seu pacto inito, ut Resignatarius postea illud suo tempore cedat certo suo consanguineo, vel affini, aut amico, est omnino illicita, nulla, ac Simoniaca, simonia confidentiali expresse damnata a Pio IV. Constit. incip. *Romanum Pontificem*, et a S. Pio V. Const. incip *Intolerabilis.* 53

Resignatio Beneficii, ut sit licita, et valida, debet esse spontanea, et libera, non vi, aut gravi metu extorta, alias vel ipso Jure erit nulla, et invalida, vel saltem per Judicis Officium ad partis petitionem erit rescindenda: Parisius *de Resignat. Benefic. lib.* 13. *quaest.* 2. *n.* 8. Garcias *part.* 11. *de Benefic. cap.* 3. *n.* 143. Aloysius Riccius *part.* 2. *Praxis resolut.* 483. *n.* 3. cum Rota ibi citata, et pluribus aliis, Abbas in *c. Ad aures n.* 8 *et c. Ad audientiam n.* 1. *de his, quae vi, metusve causa fiunt*, Azorius *part.* 2. *lib.* 7. *c.* 27. *q.* 1. *et* 3. Pirhing *loc. cit. n.* 84. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 3. et alii passim, per text. *in c. Abbas* 1. *c. Ad aures* 3. *et c. Ad audientiam* 4. *de his, quae vi, metusve causa fiunt. V. addit. Cas. sub n.* 18. 54

Resignatio Beneficii ut sit licita, et valida, debet etiam esse pura, et libera ab omni pecunia, et 55

omni pactione, seu conventione dandi aliquod temporale intuitu ipsius, aliter est Simoniaca: *Communis* per text. *in c. Super hoc* 6. *de renunc. c. Cum pridem* 4. *et c. ult. de pactis*, *c. Matthaeus* 23. *et c. Tua nos* 34. *de Simonia, et Extravagant. Cum detestabile eod. inter communes* cum similibus.

56 Resignatio pura, seu simplex, et absoluta ad mitti potest ab Episcopo sub justis, et certis causis assignatis a S. Pio V. Constit. 58. incip. *Quanta Ecclesiae*, et adductis *supra n.* 31. ex praecisis suis verbis. Vide *ibi*.

57 Permutatio Beneficiorum est reciproca Beneficiorum Resignatio facta adinvicem inter permutantes ex justa causa, et auctoritate legitimi Superioris. *Ita in re Communis.*

58 Justa causa faciendi dictam permutationem coram Ordinario est necessitas, vel utilitas Ecclesiae: *Communis*, per text *in cap. Quaesitum* 6. *de rerum permutat.*

59 Necessitas, vel utilitas non requiritur ex parte utriusque Ecclesiae, sed sufficit ex parte unius: *Sic Communis Doctorum* quo ad necessitatem; et quamvis quo ad utilitatem velint aliqui, quod requiratur ex parte utriusque Ecclesiae, tamen opinio communior tenet, sufficere ex parte unius, per text. *in cit. c. Quaesitum in fine*, ibi: « Ut qui uno loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere »; Garcias de *Benefic. part.* 11. *c.* 4. *n.* 46. Ventriglia *tom.* 2. *Annot.* 4. §. 3. *n.* 28. Leurenius *par.* 3. *q.* 869. La Croix *lib.* 4. *n.* 1101. et alii plures.

60 Immo non solum utilitas Ecclesiae, sed etiam utilitas ipsorum Beneficiatorum est sufficiens, et justa causa faciendi permutationem coram Ordinario; *c. Cum universorum* 8. *de rerum permutat.* ubi legitur: Permutatio Beneficiorum facta eo quod utilitati utriusque permutantium imminere credetur, ibi: *Quam utilitati utriusque imminere credebant*, et *ibi* Glossa verb. *Utilitati*, et Abbas *n.* 7. Garcias *loc. cit. cap* 4. *n.* 47. Barbosa *loc. cit. n.* 127. Lambertin. *de Jurepatronat. par.* 1. *lib.* 2. *q.* 6. *n.* 39. Genuens. *in Praxi c.* 65. *num.* 10. *vers. circa*, Ventriglia *loc. cit. n.* 19. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 75. et alii plures contra Parisium, Tuschum, Zerolam, et alios.

61 Permutatio Beneficiorum, ut sit licita, et valida, debet fieri auctoritate legitimi Superioris; Unde si fiat privata auctoritate permutantium, est Simoniaca. *Communis*, per text. *in cit. cap. Quae-*
62 *situm* 5. *de rerum permutat.* Hinc permutantes privata sua auctoritate sine consensu legitimi Superioris perdunt sua Beneficia, *cap. Cum olim* 7. *de rerum permutatione*, juncto ejus Summario, in quo sic expresse habetur: « Beneficia sua perdunt, qui ea propria permutant auctoritate »; et concordat *cap. si quis Episcopus* 7. *quaest.* 1. *et cap. Quanto* 3. *de translat. Episc.*

63 An autem sint privati suis Beneficiis ipso Jure, vel privandi sint per sententiam? variant Doctores. Navarrus enim, Lessius, Layman, Castropal. Cochier apud Leuren. *par.* 4. *qu.* 847. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 86. et alii, dicunt, eos, qui Beneficia permutant propria auctoritate non amittere illa ipso jure, ideoque posse propria auctoritate ad illa redire saltem pro foro conscientiae, quandiu per sententiam non privantur, uti videtur innui *in cit. cap. Olim* 7. *de rerum permut.* Garcias autem *par.* 11. *de Benefic. c.* 4. *n.* 59. Barbos. *loc. cit. n.* 175. Suarez *lib.* 4. *cap.* 57. *n.* 41. Pirbing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 19. *n.* 24. Busembaum *lib.* 3. *part.* 1. *tract.* 1. *dub.* 3. *artic.* 3. cum aliis ibi citatis, et plures alii probabilius volunt, quod hodie tales permutantes sint ipso Jure privati suis Beneficiis, simulque excommunicati ante Judicis sententiam, juxta *Extravagant. Cum detestabile, de Simonia inter communes.*

Legitimus Superior, qui potest auctoritatem 64
praestare permutationi Beneficiorum, est solus Papa quoad Beneficia majora, et reservata. Beneficia enim reservata, quorum Collatio spectat ad solum Papam, prohibentur resignari, et consequenter permutari coram Ordinario Papa inferiore: Innocent. IV. Constit. incip. *Sicut Bonus Pastor, Extravagant. Execrabilis* §. *Quae omnia, de Praebend.* et concordat *Regula tertia Cancellariae.*

Item legitimus Superior pro admittenda permu- 65
tatione Beneficiorum est Episcopus loci, in quo sunt Beneficia; *c. Quaesitum* 5. *de rerum permutat. c. Unic. de rerum permutat. ib* 6. et Communis Doctorum.

Item omnis Ordinarius, seu Praelatus habens 66
Jurisdictionem Episcopalem, vel quasi, etiam si forte Dignitatem Episcopalem non habeat, quia haec facultas competit Superiori ratione Jurisdictionis, et non ratione Dignitatis: Abbas *in cit. cap. Quaesitum n.* 4. Garcias *cit. cap.* 4. *n.* 70. cum aliis ibi citatis, Ventriglia *loc. cit. n.* 20. Barbosa *loc. cit. n.* 175. cum aliis ibi adductis, Leuren. *loc. cit. qu.* 852. et alii passim.

Item Vicarius Generalis Episcopi, vel alterius 67
Ordinarii, si ad id facultatem specialem habeat, secus vero, si illam non habeat: Garcias *loc. cit. cap.* 4. *n.* 74. Azorius *cit. cap.* 29. *q.* 4. Bellamer. *par.* 1. *qu.* 3. Barbos. *loc. cit. n.* 177. Leurenius *loc. cit. qu.* 480. Ventriglia *loc. cit. n.* 21. ubi dicit hoc esse indubitatum apud omnes.

Item Capitulum, seu Vicarius Capitularis, sede 68
vacante, ubi Beneficiorum collatio spectat communiter ad Episcopum, et Capitulum, et ubi Beneficia spectant ad Collationem tertii. Non autem si spectent ad Collationem Episcopi tantum: Garcias *loc. cit. n.* 75. Ventriglia *loc. cit. n.* 13. Barbosa *loc. cit. n.* 176. Leuren. *loc. cit. q.* 849.

Item Visitator, seu Administrator Ecclesiae va- 69
cantis a Papa constitutus: Leuren. *loc. cit. q.* 850. La Croix *lib.* 4. *n.* 1094. Cochier, et alii passim.

Si permutantes habeant Beneficia in diversis 70
Dioecesibus, requiritur utriusque Episcopi auctoritas, vel utriusque Vicarii Generalis ad id specia-

lem facultatem habentis; Potest tamen unus Episcopus, vel Vicarius totum negotium committere alteri: Garc. *loc. cit. n.* 65. Novar. *Sum. Bull. verb. Beneficior. Resignat. n.* 20. Ventr. *loc. cit. n.* 22. Leuren. *loc. cit. q.* 829. La Croix *loc. cit. n.* 1095. et alii passim.

71 Ordinarii possunt Permutationes admittere etiam in mensibus Apostolicis, seu Papalibus, quia Beneficia, quae vacant per Resignationem non reservantur per alternativam, ut excipit Regula 8. Cancellariae, et sic censuit *Sacra Congreg. Episcop. sub die* 14. *Maii* 1583. apud Barbosam *loc. cit. n.* 174.

72 Inferior Collator, qui nec est Episcopus, nec Jurisdictionem Episcopalem, nec quasi, habet, non potest praestare auctoritatem pro Permutatione Beneficiorum: Garc. *loc. cit. n.* 68. *et seq.* Barbosa *loc. cit. n.* 175. cum aliis ibi citatis, Ventrigl. *loc. cit. n.* 25. et alii contra Silvestrum, et Angelum.

73 An Ordinarii, cessante pacto partium, in Permutatione Beneficiorum mandare possint, quod recipiens Beneficium pinguius solvat aliquam Pensionem alteri suo tempore duraturam ad coaequandos fructus utriusque Beneficii? Vide verb. *Pensio* n. 24.

74 Quamvis Beneficiorum permutatio non possit fieri propria auctoritate, possunt tamen permutare intendentes inter se tractare, et convenire de permutatione facienda, si accessura sit auctoritas Superioris, in cujus manibus ea resignare intendunt; Abbas *in cit. c. Quaesitum* 5. *de rerum permutat. n. ult.* Rebuff. in *Prax. Benefic. tit. de Permutat. n.* 52. Reiffenstuel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 9. *n.* 102, Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 19. *n.* 21. et alii passim. Et ratio est clara, quia talis praevius tractatus est medium moraliter necessarium ad permutationem faciendam, ne alioquin hanc intendens caeco modo suum Beneficium permutare cogatur cum Beneficio alterius, ignorans, an alter ad hoc sit paratus; Concesso enim fine, scilicet Permutatione Beneficiorum, censentur etiam concessa media, sine quibus finis commode obtineri nequit, *l. Cui Jurisdictio* 2. *ff. de Jurisdictione*, ibi: « Cui Jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus Jurisdictio explicari non potest »; *cap. Praeterea* 5. *de Offi. Judic. Deleg.* ibi: « Quia ex eo, quod causa sibi committitur super omnibus, quae ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem »; *cap. Suspicioni* 39. *eod.* ibi: « Cui sicut Jurisdictio, sic et cetera, sine quibus explicari non potest, intelliguntur esse commissa ». Vide verb. *Pensio* n. 27.

75 Beneficia Jurispatronatus nequeunt permutari coram Ordinario sine consensu Patronorum: Barbosa *loc. cit. n.* 182. Moneta *de commutat. ultim. volunt cap.* 10. *n.* 369. Stephanus Gratian. *discept. Forens. cap.* 835. Castropal. *tract.* 13. *d.* 6. *par.* 3. §. 2. *n.* 4. Garcias *de Benefic. part.* 12. *cap.* 3. *n.* 19. Lotter. *de re benefic. lib.* 2. *q.* 14. *n.* 75. *et seq.* Ventrig. *loc. cit. n.* 27. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 40. *et disc.* 49. La Croix *loc. cit n.* 1071. Lambertin. *de Jurepatron. part.* 1. *lib.* 2. *q.* 6. Rota in *Gerunden. Beneficii de Agulana* 8. *Martii* 1627. *et* 21. *Feb.* 1628. *coram D. Pirovano*, quam citat Barbosa *loc. cit.* et sic tenent Doctores passim, *arg. cap. Monasterium* 23, *caus.* 16. *q.* 7. Ipsorum enim Patronorum interest, ne, ipsis neglectis, aliqui instituantur in Beneficiis forte ipsis infensi, et inimici. Vide *supra n.* 22. Unde si permutatio fiat sine consensu Patronorum, et ipsi reclament, vacat Beneficium, potestque a Patronis praesentari alius post senten- 76
tiam de nullitate inducente vacationem; Lotter. *de re benefic. lib.* 2. *q.* 14. *n.* 75. *et seq. et n.* 84, Ventriglia *loc. cit. n.* 27. Germinian. Garcias, Selva, Lambertin. Card. de Luca, et alii; quos citat, et sequitur La Croix *loc. cit. n.* 1091. Si autem 77
sic facta sit Permutatio ob ignoratum Patronum, potest sic permutans redire ab Beneficium, etiam invito Patrono, quia nec contempsit, nec ingratus fuit. Rota *in Gerunden. Permutationis* 5. *Julii* 1593. *coram D. Litta*, quam refert Garcias *de benefic. p.* 11. *cap.* 3. *sub n.* 19. Lotter. *loc. cit.* Leuren. *loc. cit. quaest.* 294. Ventriglia *loc. cit. n.* 27. Bellamer. Gamb. Lambertin. et alii citati, et secuti a La Croix *loc. cit. n.* 1091. Verum si 78
Patroni requisiti pro suo consensu illum denegent sine justa causa, potest Episcopus auctoritatem valide praestare sine eorum consensu, si Permutatio petatur in magnam Ecclesiae utilitatem, cum in tali casu non censeantur contemni Patroni: Felinus in *cap. Cum accessissent n.* 30. *de Const* Ventriglia *loc. cit. n.* 27 Stephan. Gerosa, Rebuff. Abbas, Covarr. Lambert. Garc. Tondut. Cochier, qui dicunt sic declarasse Sacram Congregationem, ut refert, et sequitur La Croix *loc. cit. n.* 1091.

Etiamsi Permutatio fiat coram Summo Pontifice 79
sine consensu Patroni, adhuc dicit Lotter. *loc. cit.* fore irritam reclamante Patrono, nisi Papa derogaret Juripatronatus, quia non aliter censetur consentire: Card. de Luca *de beneficiis discurs.* 40. *n.* 3. *et a n.* 9. *et discurs.* 49. *n.* 5. La Croix *loc. cit. et* 1091. et alii.

Permutatio Beneficii debet fieri cum altero vero 80
Beneficio, nec potest fieri coram Ordinario cum pensione. Barbosa *loc. cit. n.* 178. Reiffenstuel *lib.* 1. *tit.* 9. *n.* 100. La Croix *loc. cit. n.* 184. Leuren. *part.* 3. *qu.* 821. et alii passim; in jure enim est solum permissum Episcopis, ut admittere possint permutationem Beneficii cum Beneficio: Unde non est extendenda haec facultas ultra proprietatem verborum ad permutationem Beneficii cum Pensione, *arg. c. Cui de non* 27. *de Praebend. in* 6. Cum enim versemur in materia potius odiosa, quam favorabili, utpote contra dispositionem antiquorum Canonum generaliter prohibentium quamlibet pactionem in Beneficiis, nulla est hic facienda extensio, *arg. cap. Odia* 15. *de Regulis Juris in* 6.

81 Ad validitatem Resignationum, et Permutationum Beneficiorum requiritur necessario earum publicatio facta juxta formam indictam a Greg. XIII. Const. 96. incip. *Humano vix judicio*, quae, ut ab omnibus in promptu habeatur, hic ad litteram datur.

GREGORIUS EPISCOPUS etc.

« Humano vix judicio ita bene quidquam, et providenter sanciri potest, quin usus saepe aperiat, doceatque, id quod salubre fore credebatur, minus experiendo prodesse, quod in illis Constitutionibus, quas ad prohibendas simoniatas, occultasve Beneficiorum Ecclesiasticorum Resignationes diversi Romani Pontifices multifariam ediderunt, et fel. record. Pius V. Praedecessor noster novissime promulgavit, cognoscimus accidisse ».

§. 1. « Nos hoc malum, prout occasio, necessitasque postulat, coercere volentes, statuimus, ut posthac omnes, et quaecumque Resignationes, etiam causa Permutationis, ac Commendarum, et etiam Litteris Apost. non confectis, et possessione non habita, nec non litis, et jurium quorumcumque concessiones, ac retrocessiones, quae deinceps de quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis in nostris, seu Rom. Pontif. pro tempore existentis manibus, ac etiam coram Notario publico, et testibus fient, et a nobis, vel illo, seu nostro, vel illius mandato admittentur, et super eis provisiones, et quaecumque aliae dispositiones, sive temporales, sive perpetuae, ut ad hoc mandata Apostolica sub quacumque forma, et quibuscumque etiam S. R. E. Card. ac piis locis quocumque privilegio suffultis facta publicari debeant cum Litteris Apostol. desuper confectis intra sex menses, si Beneficium circa montes fuerit, ultra vero intra novem, a data concessionis gratiae, non autem a die praestiti super ea consensus numerandos, etiamsi postea concessio gratiae hujusmodi, et quavis causa, diversisque subsequentibus datis, ac quotiescumque, et quovis modo reformata, et valida reddita fuerit, pluresque et quotquot in alium, vel alios concessiones, ac etiam in ipsummet primum Resignantem, vel cedentem, retrocessiones, termino praedicto nondum elapso intercesserint, ita ut unicus dumtaxat terminus omnibus his successivis cessionibus, ac retrocessionibus decurrat, ut qui postremus gratiam habuerit, publicationem hujusmodi facere, ceteraque omnia hic praescripta, intra eumdem terminum praestare teneatur ».

§. 2. « Ipsa autem publicatio in Cathedrali, et in Beneficii Ecclesia, vel Ecclesiis, si in pluribus illud sit, fiat ubique, dum frequens populus ad Missarum solemnia convenerit, palam omnibus Litterae Apostolicae praedictae, earumque transumptum authenticum exibeatur, claraque, et intelligibili voce Resignatio, seu Cessio hujusmodi, ac Beneficii qualitas, et invocatio, nominaque, et cognomina Resignantis, seu cedentis, ac illius, in cujus favorem gratia hujusmodi facta est, pronuntientur; ita ut haec omnia possint ad notitiam omnium ibi existentium verisimiliter pervenire, scriptumque de his omnibus exemplum collatum salvis dictarum Ecclesiarum affixum relinquatur. Si vero Ecclesia Beneficii ruralis sit, aut populo, conventuque careat, eo casu in Parochiali, intra cujus Parochiae limites Beneficium ipsum consistit, et in Cathedrali Ecclesia, vel si locus bello, seu poste, aliisve manifestis periculis subjaceat, tunc in proxima Parochiali, ac etiam in Cathedrali, vel si aditus ad illas, aut utramvis minime sit securus, in alia Cathedrali, vel Parochiali viciniori periculorum immuni publicatio hujusmodi peragatur ».

§. 3. « Jus quoque, in quem disponi, vel mandari de Beneficio etiam litigioso, vel accedente non possesso, sub quacumque forma contigerit possessionem Beneficii intra dictum tempus vigore litterarum Apostolicarum desuper confectarum, nec alias apprehendere debeat, et si propter litem, aut aliud legitimum impedimentum nequiverit, saltem Litteras Apostolicas cum earum publicatione, si tunc facta erit, Judici, seu executori illarum, vel aliis, ad quos pertinet, per se, vel Procuratorem suum legitimum intra idem tempus praesentare, et apud illum, vel illos pro ipsarum Litterarum executione instare, et possessionem hujusmodi instanter petere teneatur ».

§. 4. « Ceterum modus, et forma hic tradita semper, et ubique debeat observari, nec alia, vel aequipollens ullo modo admitti in omnibus hujusmodi Resignationibus, Cessionibus, et retrocessionibus, de quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, tam virorum, quam mulierum, Dignitatibus, Officiis, et Beneficiis Ecclesiasticis, Saecularibus, et quorumvis Ordinum, etiam Militarium, Regularibus, etiam electivis, et manualibus, ac etiam de Jurepatronatus Laicorum illustrium, et alias quomodocumque existentibus, sive pacificis, sive in petitorio, sive in possessorio litigiosis, etiam de quibus in Consistorio nostro disponi consuevit, seu debet, quae posthac ex quacumque causa fient, et per Nos, ac praedictos Successores, extra tamen dictum Consistorium, administrationis, possessionis, fructuum etiam omnium, ac rerum, et jurium quorumcumque; Ad praedictorum tamen observationem eum, in quem juris sit cessio Beneficii, quod tempore cessionis hujusmodi, et ante illam vigore Litterarum Apostolicarum, ut supra, si ad id tenebantur, publicatarum realiter possidebat, nolumus obligari ».

§. 5. « Quod si quidquam praedictorum omnium fuerit, dictis terminis, ut cuique praescripti sunt, elapsis, omnes dispositiones, et gratiae Resignatorum, et Cessorum Beneficiorum, aut jurium hujusmodi, cum omnibus inde secutis, sive de pacificis, sive de litigiosis, sint irritae, et inanes, nullaque alia gratia super hujusmodi Beneficio, sive jure cesso, iis, quibus concessa fuerit, suffragetur, sed ipsi tales inhabiles, et incapaces sint ad

hujusmodi Beneficia sic resignata, et cessa, quandocumque obtinenda, illaque, sive jura ab ipsa statim prima resignatione, seu cessione, etiamsi illae alias nullae, et invalidae essent, vacavisse, et vacare censeantur eo ipso, nec resignantibus, seu concedentibus, si postea in sua possessione remanent, constitutiones de annali, et triennali possessore, nec praesumptae, aut tacitae retrocessiones, etiam propter diuturnam continuatae possessionis hujusmodi tolerantiam, nec omnino aliud jus, vel Beneficium ullo tempore suffragetur, sed ipsa Beneficia, sive jura sic a principio vacantia, a Sede Apostolica praedicta dumtaxat impetrari valeant, ac concedi. Illarum vero impetrationes, vel etiam Motu proprio concessiones quibuscumque derogationibus suffultae, nunquam sub clausulis generalibus, aut vacationum modis conditionalibus, vel implicitis comprehendantur, sed specialiter, et expresse ob non servatam praesentis Constitutionis formam, ac cum declaratione nominum, et cognominum Resignantis, seu Cedentis, et gratiam habentis dispositive, et non conditionaliter fieri omnino debeant, et quicumque sic impetrans, aut gratiam, etiam motu simili habens praefinitum cuique casui tempus praedictum a data concessionis gratiae sibi factae hujusmodi, ea omnia, quae cadens a jure praedicto debebat, praestare teneatur, et si pluribus gratiam hujusmodi fieri contigerit, is prae omnibus obtineat, qui primus publicationem suae impetrationis fecerit, et possessionem adeptus fuerit, aut petierit, omniaque requisita praedicta adimpleverit, quamvis in data sit postremus, et possessio ab alio publicando negligentiore prius apprehensa fuerit, vel petita. Reservationibus omnibus nominis, administrationis, fructuum etiam omnium, ac pensionum, et aliarum rerum quarumcumque, nec non facultatibus, indultis, et aliis concessionibus, tam ipsis Resignantibus, seu cedentibus, qui tamen possessionem ab initio re ipsa dimiserint, quam aliis hujusmodi resignationibus, cessionibus a Sede Apostolica factis nihilominus validis, plenumque effectum sortituris ».

§. 6. « Sed ne in Beneficiis super possessione, vel proprietate litigiosis litis prosecutio turbari valeat, vel differri in causis hujusmodi contra cedentem ad ulteriora, etiam ad sententiam definitivam, et rem judicatam, ac illius executionem quousque ille, qui gratiam ex Resignatione, seu cessione, aut ex omissa forma publicationis hujusmodi obtinuit, ad causam per se, vel Procuratorem legitimum accesserit, litemque hujusmodi susceperit, eodem modo, et Ordine procedi possit, quo potuisset legitime, si cessio hujusmodi facta non fuisset; ac quidquid interim sic procedendo decretum, et expeditum fuerit, sive cum cedente, sive contra eum, etiam postquam ipse, vel quivis alius incumbentia sibi secundum praedicta praestiterit, non solum circa fructus, sed etiam circa possessionem, et ipsum Jus, quod cessum est, valeat omnino, et vim obtineat, illumque ipsum cui gratia facta est, non minus afficiat, quam si, ipso legitime citato, contra eum decretum, et expeditum fuisset, nec ipse adversus haec praetextu non acceptatae gratiae, vel etiam illius ignoratae, aut citationis, vel intimationis executioni contra ipsum minime demandatae, aliave ratione valeat excusari. Possit tamen ipse, etiam si in lite, et causa hujusmodi subrogatus non sit quandocumque ad illius prosecutionem, et terminationem venire, et a Judice, coram que causam ipsam etiam ex delegatione pendere contigerit, in illis ipsis statu, et terminis, in quibus tunc eam esse repererit, etiam absque Rescripto speciali admitti ».

§. 7. « De Beneficiis autem, quae deinceps in manibus Ordinariorum Collatorum, etiam Cardinalium, etiam indulta, et facultates ad hoc ab Apostolica Sede habentium, ac Legatorum etiam de Latere, et Delegatorum etiam specialium hujusmodi Sedis extra Romanam Curiam residentium, etiam ex causa permutationis contigerit, ipsi intra mensem negotium universum admissionis, vel rejectionis resignationis hujusmodi, et si per eos facienda erit, provisionis resignati Beneficii, juxta Apostolicas, et alias Canonicas sanctiones omnino absolvant. Et qui sic provisus fuerit, intra tres menses, a die sibi factae provisionis illam publicet, et possessionem Beneficii capiat modo et forma supradictis, alioquin, illis elapsis, nulla sit ejus provisio, et Beneficium vacare censeatur eo ipso ».

§. 8. « Ordinariique, et alii praedicti, qui haec, uti eis praescribuntur, non perfecerint, ea casu potestate disponendi de ipsis Beneficiis sint ea vice privati, eorumque dispositio eo ipso ad Sedem Apostolicam devoluta existat, ut aliis idoneis ab ipsa Sede dumtaxat modo, et forma praedictis concedantur; Decernentes sic per quoscumque judicari debere, nec non irritum, et inane, quidquid secus super his per quoscumque scienter, vel ignoranter contigerit attentari ».

§. 9. « Non obstantibus praedicti Pii V. et aliis omnibus aliorum praedecessorum nostrorum Constitutionibus de publicandis Resignationibus hujusmodi hactenus editis, et reformatis, quas omnes omnino abrogamus. Ita tamen, quod in publicandis illis Resignationibus, quae in manibus nostris hucusque factae, et a Nobis admissae sunt, et tempus ad eas pubblicandas, juxta dicti Pii praedessoris Constitutionem nondum effluxit, Constitutio ipsa, quoad eas dumtaxat, integre observetur. Nec non Resignantium, sive Cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus, et clausulis in ipsismet Resignationibus, cessionibus, seu Procuratorum Constitutionibus, et mandatis, ac alias etiam ad praeservationem suorum jurium, et significationem, quod non aliter, nec alio modo resignant, seu cedunt appositis, et quacumque verborum vi formula, et multiplicatione expressis, nec non indultis, privilegiis, et gratiis Apostolicis, etiam praedictis Cardinalibus, ac eorum, et nostris familiaribus, continuis commensalibus, nec non Litterarum

Apostolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, ceterisque Romanae Curiae Officialibus, et ex quibusvis causis quomodocumque concessis, et confirmatis, quae omnia etiam tollimus, et annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque ».

§. 10. « Ut autem praesentes amplius innotescant, volumus, ut earum exemplia etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, et sigillo personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique, in Judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Mandamusque illis in Librum Quinternum appellatum Cancellariae ad perpetuam rei memoriam de more referri ».

« Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae 1584. Nonis Jan. Pontificatus nostri anno duodecimo ».

82 Finis autem hujus Constitutionis est, ut tollantur omnes fraudes, et gravia inconvenientia, quae ex occultis Beneficiorum Ecclesiasticorum Resignationibus, Cessionibus, et Permutationibus in dies
83 oriebantur. Primo, nempe, ut evitentur fictae Resignationes. Secundo, ne Resignantes, aut Permutantes remaneant in Beneficiis, et exerceant actus invalidos Jurisdictionis, praesertim in Sacramentorum administratione cum maximis periculis, et incommodis animarum. Tertio, ne occulte Resignantes, aut Permutantes post Resignationem, et Permutationem, fructus, decimas, et alia hujusmodi indebite recipiant ex Beneficiis jam resignatis, et permutatis. Quarto, ne Ordinarii Collatores Beneficiorum defraudentur in suis Juribus, nunquam scientes, quis sit verus, et legitimus possessor, aut cujus morte vacaturum sit Beneficium, et ne alia hujusmodi oriantur non parva incommoda: *Sic Doctores Communiter*.

84 Ex dispositione igitur dictae Constitutionis publicari debent Resignationes, et Permutationes omnium Beneficiorum, sive ipsa Beneficia sint simplicia, sive Curata, sive Electiva, sive Jurispatronatus, sive Saecularia, sive Regularia, sive reservata, sive non: *Comm.* Est quoq. facienda publicatio in resignatione simplici, seu dimissione beneficii facta in manibus Ordinarii. Ventr Prax. *p.* 3. *annot.* 5. §. 2. *n.* 80. *et dd. alii ibid.*

85 Item publicari debent Resignationes, et Permutationes Beneficiorum, etiamsi factae sint cum reservatione fructuum, Administrationis, Pensionis, regressus, vel accessus: Parisius *lib.* 11. *q. n.* 5. *n.* 1. *et seq.* Garcias *de Benefic. p.* 11. *c* 3. *n.* 273. *et seq.* Azorius *p.* 2. *l.* 7. *c.* 24. *qu.* 7. Pirhing *l.* 1. *Decr. tit.* 9. *q.* 106. La Croix *lib.* 4. *n.* 1070. et alii.

86 Etiamsi Resignationes essent nullae, et invalidae, si alii Beneficia eo colore obtinuerint, faciendae sunt publicationes, Garcias *loc. cit.* nu. 776. Leuren. *par* 3. *quaest.* 782. La Croix *loc. cit. n.* 1070. et *Communis aliorum* per praecisa verba dictae Constitutionis *sub* §. 5. ibi: *Etiamsi illae alias nullae, et invalidae essent.*

Item publicari debent Cessiones, et retrocessiones litis Beneficialis, et Jurium quorumcumque; *Communis*. per verba praecisa d. Constit. *sub* §. 2. ibi: « Nec non litis, et jurium quorumcumque cessiones, ac retrocessiones ». 87

Publicari tamen non debent Beneficia majora Consistorialia, sive quae in Consistorio conferuntur, uti sunt Episcopatus, Archiepiscopatus, Primatus, Patriarchatus; In ipsis enim cessat ratio fraudis, cum in praesentia Papae conferantur: *Communis*. Alia minora Beneficia Consistoralia, quae extra Consistorium providentur, uti sunt Abbatiae, Prioratus, et hujusmodi, publicari debent; Paris. *l. c. q.* 3. *n.* 25. Azorius *l. cit. c.* 24. *q.* 5. Pirhing *loc. cit.* n. 102. et alii communiter per expressa verba dictae Constitutionis §. 4. 88 89

Ad hanc publicationem faciendam tenentur omnes Resignatarii etiam exempti, quamvis sint Officiales Curiae Romanae, et Cardinales. Item illi, qui impetrant Beneficia vacantia ob non factam a Resignatariis publicationem. Item secundus Resignatarius, quamvis primus publicarit: Paris. *loc. cit. quaest.* 4. Azor. *loc. cit. qu.* 6. La Croix *loc. cit. num.* 1060. Pirhing *loc. cit. num.* 105. et alii communiter. Item pubblicatio facienda est ab utroque Permutante: Leurenius *l. c. quest.* 776. Parisius, Azor, Cochier, quos citat, et sequitur La Croix *loc. cit. nu.* 1109. contra Navar. Barbosam, et Ventrigl. putantes satis esse fieri ab alterutro. Unius tamen negligentia, et omissio non nocet alteri: Gonzal. Parisius, Tondut. apud Leuren. *loc. citat. qu.* 871. *num.* 4. et La Croix *loc. cit. num.* 1109. *arg. l Sancimus* 22. *Cod. de poenis*, ibi: « Peccata igitur suos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum »; *cap. Quaesivit* 2. *de his, quae fiunt a majori parte Capituli*, ibi: *Cum peccata suos auctores tenere debeant, etc. cap. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus*, ibi: *Rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit*, et *cap. Non debet* 21. *de Regul. Jur. in* 6. ibi: *Non debet aliquis alterius odio praegravari*. 90 91

Obtinentes Beneficium non resignatum, sed pure dimissum, v. g. per assecutionem incompatibilis, non tenentur ad hanc publicationem: Leuren. *loc. cit. num.* 790. Garc. Barbos. Ventrigl. citati, et secuti a La Croix *loc. cit. n.* 1070. et alii passim. Item ad hanc publicationem non tenentur obtinentes Coadjutoriam cum futura successione; Leuren. *loc. cit. qu.* 762. 767. La Croix *loc. cit. num.* 1608. et alii communiter. 92 93

Resignationes, et Permutationes factae in Curia Romana de Beneficiis intra montes publicari debent intra sex menses; De Beneficiis vero factae ultra montes, intra novem menses numerandos a data concessionis gratiae, non autem a die praestiti super ea consensus: *Communis* per expressa verba cit. Constitutionis sub §. 1. Factae autem apud Ordinarios Collatores, etiam Cardinales, publicari debent intra tres menses numerandos a die factae 94

sibi provisionis: *Communis* per expressa verba citatae Constitutionis *sub*. §. 7.

95 Tale tempus currit etiam contra Minorem 14. annorum, cum quo Papa dispensavit ad obtinendum Beneficium, etiam data ignorantia ex parte minoris, quia Decretum irritans, uti habet dicta Constitutio Gregoriana, ligat etiam ignorantes, Parisius *lib.* 11. *q.* 4. num 62. Prosper de Augustino *in addit. ad Quarant. in Summa Bullar. verb. Beneficiorum Resignatio, et pubblicatio vers. Tertio amplia*. La Croix *l. c. num*. 1071. Ventrigl. *l. c. num*. 73. Barbos l. *c. num*. 188. ubi dicit, id esse de communi sententia.

96 Publicatio fieri debet in Ecclesia Cathedrali, et in Beneficii Ecclesia, seu Ecclesiis, si in pluribus illud sit. Et si Ecclesia sit ruralis, aut populo careat, debet fieri in Cathedrali, et in Parochiali, intra cujus limites Beneficium consistit. Et si locus bello, peste, aliisve manifestis periculis subjaceat, debet fieri in Cathedrali, et in proxima Parochiali; Et si aditus ad illas, aut ad utramvis minime sit securus, debet fieri in alia Cathedrali viciniori: *Communis*, per verba expressa dictae Constitutionis §. 3.

97 Ipsa publicatio debet fieri, dum frequens populus ad Missarum solemnia convenerit, palam omnibus Litteras Apostolicas, earumve Transumptum authenticum exhibendo, clara, et intelligibili voce pronunciando Resignationem, seu cessionem hujusmodi, ac Beneficii qualitatem, et invocationem nominaque, et cognomina Resignantis, et Resignatarii, et exemplar omnium, quae in publicatione facta sunt, in valvis supradictarum Ecclesiarum affixum relinquendo: *Communis* per expressa verba dictae Constitutionis §. 2.

98 Talis publicatio nequit fieri ante expeditionem Litterarum, quia dicta Constitutio mandat, publicationem esse faciendam cum Litteris ipsis Originalibus, vel cum earum Transumpto: Sic Rota *in una Vercellen, Canonicatus* 23. *Jan*. 1598. *coram D. Corduba, et in Mediolanen. Beneficii* 14. *April*. 1614. *coram Card. Sacrato*, et Doctores communiter. Fieri autem deberet, antequam capiatur possessio, ut notat La Croix *loc. cit. num*. 1072. Ventriglia *loc. cit. n*. 71. et videtur desiderare ipsa Bulla §. 3. At ipse Ventriglia testatur, id non servari in praxi.

99 Publicatio est facienda, etiamsi Resignatio, vel Permutatio esset aliunde notoria, quia cum spectet ad formam, ut patet ex verbis Bullae §. 2. « Quod si quidquam praedictorum omnium omissum fuerit », non potest per aliquam publicationem aequipollens, seu aequivalens adimpleri, nec ab ea recedi potest sub praetextu causae praeexistentis; *leg. Cum hi* 8. §. 11. *ff. de Transactionibus*, Lotter. *de re Benefic. lib*. 3. *quaest*. 21. *n*. 2, *et seq*. Gratian. *Discept. Forens. cap*. 596. *n*. 8. *et* 9. Leuren. *loc. cit. qu*. 783. Ventriglia *loc. sit. n*. 78. et alii passim.

100 Publicatio fieri potest per Procuratorem, dummodo speciali mandato sit constitutus; Leurenius *loc. cit. qu*. 799. La Croix *loc. cit. n*. 1077. Parisius, et alii passim.

Item fieri potest etiam per ipsum Resignantem: Leurenius *loc. cit. quaest*. 800. cum Rota, Lotter. *ibi citatis*, La Croix *loc. cit. n*. 1077. et alii. 101

Ordinarii omnes, etiam Cardinales, ac Legati, etiam de Latere, si non admittant, vel rejiciant intra mensem Resignationes, vel Permutationes in suis manibus factas, sunt privati, ea vice potestate disponendi de ipsis Beneficiis, et totalis potestas eo ipso devolvitur ad Sedem Apostolicam, a qua hujusmodi Beneficia concedenda erunt aliis idoneis, modo, et forma praedictis. Sic expresse dicta Constitutio §. 7. et 8. et Doctores communiter. 102

Resignatarii, et Permutantes non facientes intra praescriptum tempus, et juxta indictam formam, publicationem Resignationis, vel Permutationis, amittunt eo ipso dicta Beneficia, et omnia jura ad illa, et redduntur inhabiles ad illa Beneficia de novo obtinenda, ita ut eis non suffragetur Regula de annali, et triennali, et ipsa Beneficia censentur vacare in Curia a die Resignationis, seu Permutationis factae, suntque reservata Papae, ac possunt a quovis impetrari, exprimendo modum talis vacationis, ac nomen, et cognomen tam Resignantis, quam Resignatarii. Sic expresse dict. Constitutio §. 5. *et Communis Doctorum*. 103

Reservationes tamen Pensionum, ac fructuum, et aliarum rerum quarumcumque factae super dictis Beneficiis a Resignantibus remanent validae, Dummodo Resignantes, In quorum favorem reservationes factae sunt, possessionem eorumdem Beneficiorum ab initio re ipsa dimiserint: Sic expresse dict. Constitutio §. 5. *in fine*, et Doctores communiter. 104

Impetrans Beneficium sic vacatum ob neglectam publicationem, debet ipsam publicationem facere, et omnia alia praestare, quae prior Resignatarius negligens praestare debebat. Et si plures tale Beneficium impetraverint, is prae omnibus debet illud obtinere, qui primus publicationem suae impetrationis fecerit, et possessionem adeptus fuerit, aut petierit, et omnia alia requisita adimpleverit, quamvis in data sit postremus, et possessio ab alio in publicando negligentiore prius apprehensa fuerit, vel petita; Sic expresse dicta Constitutio §. 5. *circa finem*. 105

Impetrans Beneficium vacans ob non factam publicationem a Resignatario tenetur concludenter probare, neglectam esse dictam publicationem: Novar. *Summa Bullar. tit. de Benefic. resignat. public. n*. 29. Barbosa *loc. cit. n*. 199. La Croix *loc. cit. n*. 180. Leuren. *loc. cit. qu*. 810. Ventriglia *loc. cit. n*. 86. ubi testatur de communi. Legitime autem impeditus non dicitur negligens, cum legitime impedito non currat tempus; Impedimentum enim legitimum excusat a tali publicatione facienda, maxime si impeditus adhibuerit diligentias: Rota *dec*. 282. *par*. 2. *in novist*. Novar. *Summa* 106 107

Bullar. par. I. *tit. de Benefic. Resignat. public.* Verall. *decis.* 2. *verb. Impedimentum;* Ventriglia *loc. cit. n.* 88. La Croix *loc. cit. n.* 179. cum aliis ibi adductis, Leuren. *loc. cit. qu.* 803. *et* 804. et alii passim.

108 Publicatio facta probatur legitime ex Instrumento, ubi Notarius refert, se fecisse dictam publicationem in omnibus, et per omnia juxta formam Constitutionis Gregorii XIII. Talis enim relatio sufficit, ut tenuit Rota *in Coloniensi Canonicatus S. Ursulae* 26. *April.* 1627. *coram D. Ubald.* impressa per Vivian. post *praxim Jurispatronatus dec.* 52. *n.* 1. Parisius *lib.* 11. *q.* 6. *n.* 51. *et* 63. Barbosa *loc. cit. n.* 196. et alii.

109 Et sufficit, quod talis publicatio fiat summarie. Non enim necessarium est, Litteras provisionis, sive Papae, sive Ordinarii, legere de verbo ad verbum, et per extensum, sed sufficit publicare summam dictarum Litterarum, et illarum Transumptum authenticum exhibere; Garcias *de Benefic. par.* 11. *c.* 3. *n* 290. Parisius *lib.* 11. *q.* 6. n. 41. Ventriglia *loc. cit. n* 66. Barbosa *loc. cit.* n.
110 196. ubi dat sequentem summariam formulam: « Notum sit omnibus, quatenus N. resignat in manibus suae Sanctitatis Beneficium simplex Ecclesiae N. hujus Civitatis, seu Beneficium Curatum loci de N. hujus Dioecesis, et de eo facta est gratia N. ut constat ex his Bullis, seu litteris Apostolicis, aut Transumpto authentico, quas in manu habeo ».

111 Supra allata Constitutio Gregoriana quoad Resignationes, et Permutationes Beneficiorum coram Ordinariis factas secundum aliquos non videtur esse usu recepta in pluribus locis, in quibus nunquam fit Publicatio earum. Sic testatur Garcias *p.* 11. *de Benefic. c.* 3. *n.* 289. de suis partibus, et signanter de suo Episcopatu Abulensi, et Pirhing *l. c. n.* 109. et Reiffenstuel *l. c.* n. 135. Id testantur de suis partibus Germaniae. Flaminius tamen Parisius *lib.* 11. *quaest.* 9. *n.* 7. asserit, ipsam esse ubique receptam. Et Ventriglia *l. c. n.* 65. dicit, praedictam Bullam in hac materia publicationis Resignationum hodie practicari. Et de facto sic servat praxis, et de Stylo Curiae proceditur ad statutas in ea poenas contra negligentes, ut saepius diversis locis vidi.

112 Quoad resignationes Beneficiorum attendenda omnino est novissima dispositio fel. record. Summi Pontificis Benedicti XIV. in Const. incip. *In sublimi;* in qua prohibet resignationem Beneficiorum factam cum reservatione pensionis, et secreto pacto banc extinguendi, seu cessandi anticipata quadam summa conventae pecuniae. Immo quamvis non intervenisset contemporaneo ad resignationem Beneficii pactum extinctionis, seu cassationis pensionis reservatae, vult, quod haec obtineri non possit a Sede Apostolica, nisi post elapsos sex menses computandos a die captae possessionis Beneficii a Resignatario, et aliter obtenta debeat judicari ut subreptitia, irrita, et nullius roboris; et in ambobus casibus declarat, tam Resignantem, quam Resignatarium totaliter decidisse ab omni jure dicti Beneficii, et inhabiles ad quodcumque aliud obtinendum. Insuper ad praecludendum aditum omni fraudi, comprehendit in eadem Constitutione cessionem utilitatis fructuum pensionis, et extinctionem ejusdem pensionis factam intra dictos menses Resignatario, aut alteri Personae, et etiam ultra dictum tempus, si praecesserit supradictum detestabile pactum.

Resignationes cum reservatione Pensionum, et 113
pacto eas cassandi damnatae, et prohibitae iterum declarantur ab eodem tom. 2. Const. 10. incip. *Ecclesiastica.* Resignationum fraudes ad eludendam 114
Gregorii XIII. Constitutionem aperiuntur, nempe eae sunt; 1. Litterarum expeditio nimium protracta praesidio prorogationum, et restitutionum ad publicandum. 2 Iteratio *Praesentatae* super una 115
resignatione identidem captae. 3. Possessio, et pu- 116
blicatio usque ad obitum Resignantis dilata: Idem 117
ibid. qui, ad occurrendum dictis fraudibus, confirmat in primis memoratam Greg. XIII. Constitutionem incip. *Humano vix judicio*, de publicandis intra certum tempus praedictarum Resignationum gratiis, et de capienda resignatorum Beneficiorum possessione Deinde inhibet Notario Datariae, ne recipiat consensum super Resignationibus, quoties Mandata Procurae habent datam anteriorem 8. mensibus quoad Citramontanos, vel 12. quoad Resignantes ultra montes degentes. Item mandat signari supplicationem infra duos Menses decurrendos a data Rescripti. Item decernit, ne primam quidem prorogationem amplius concedi, 118
nisi docto de Litteris expeditis; Post primam autem, vel secundam ad summum prorogationem hujusmodi, alias ulteriores prorogationes concedi vetat; In casu impedimenti saltem Litteras Executoribus vult esse praesentandas, relicta tamen facultate Datario concedendi alias prorogationes justificato impedimento usque ad illius remotionem. 119
Tandem statuit poenas per inobservantiam supradictorum incurrendas, et praesertim, quod ipsae resignationum gratiae, cum omnibus inde secutis, nullae, irritae, cassae, et inanes sint, et censeantur, perinde ac si nunquam admissae fuissent. Et injungit Datario, et aliis ad quos spectat, ut praesentium observantiam diligenter curent. Idem *ibid.*

* Beneficii permutatio, quae fit coram Ordina- 120
riis, interdum potest esse prohibita a Constitut. S. Pii V. incip. *Officium*, in qua admittuntur quidem permutationes istae, sed quae sint canonicis sanctionibus consonae; ex quo fit, ut cum vetitae sint provisiones beneficii resignati factae in favorem affinium, et familiarium Episcopi, sicut etiam resignantis, ita etiam censentur vetitae permutationes beneficiorum, cum aliquis permutet beneficium suum pingue, et est jam effoetae aetatis cum altero, quod est tenue, et obtinetur, sive a suis, sive ab Episcopi consanguineis, vix enim credi potest ab ista permutatione fraudem abesse, adeoque

non est juxta canonicas sanctiones: *De Synod. Dioeces. lib.* 13. *cap.* 24. *§.* 10. *nov. edit.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

121 Magna intercedit differentia Conc. Trid. inter, et Bullam Pianam quoad resignationem Beneficii, ad cujus titulum fuit quis ordinatus, factam coram
122 Ordinario sine hac mentione. Attento namque Concilio Tridentino, irrita erat Resignatio, et sic Resi-
123 gnans Beneficia haud amittebat. At, spectata Bulla Piana, Beneficium vacat, nec potest Resignans ad illud redire, sed illud conferre debet non Ordinarius, sed Papa, aut alius Ordinario superior. Bene vero Ordinarius in poenam tenetur Resignantem alere, incurritque praeterea suspensionem a collatione Beneficiorum; Confer *Parisium de Resignat. lib.* 2. *q.* 6. *n.* 41. *et seq. Boss. de Ordin. quoad titul. Sacr.* §. 12. *n.* 56.

124 Quod si agatur de Resignatione mox dicti Beneficii ita coram Summo Pontifice facta, Resignatio erit nulla, minimeque Resignans amittet Beneficium ad tramites Concilii Tridentini; nam Bulla Piana nihil innovavit de tali resignatione facta coram Summo Pontifice; *Bossius ubi supra.*

125 Num facta dici queat mentio haec, si facta fuerit per dictionem *Forsan*, vel similem dictionem dubitativam? Sacra Congregatio Concilii Interpres negativam sententiam tenuit in *Lancianen.* 9. *Februar.* 1726. At Rota innixa stylo Datariae affirmative respondit in *Corduben. Praestimonii* 27. *Novemb.* 1724. *§. Objectum*, *et in confirmatoria* 18. *Martii* 1726 *§. Ita, coram clar. mem. Corio, et in Nuscana Canonicatus* 2. *Julii* 1755. *§. Frustra*, *et sequenti*, et in confirmatoria 14. *Martii* 1746. §. 6. *coram bon. mem. Vicecomite*, ubi sibi objicit mox dictam Resolutionem Sacrae Congregationis Concilii Interpretis.

Bulla Piana prohibens, ne Episcopi conferant 126 beneficia cor. ipsis resignata Consanguineis, Affinibus, et Familiaribus, locum sibi non vindicat quoad Beneficia, quae resignantur ex causa permutationis, quippe quia in hac Resignationis specie totum operatur consensus permutantium, et Ordinarius, recognita actus validitate, suum dumtaxat consensum, et auctoritatem interponit; *Rota in Leodien. S. Scholasticae* 3. *Jul.* 1744. *§.* 14. *cor. bon. mem. Matthaeio*, *et Jul.* 1749. *§.* 11. *cor. bon. mem. Vic.*

Quoad beneficia jurispatronatus multum inte- 127 rest, utrum Resignatio facta sit nullatenus requisito consensu Patronorum, an requisito, et non obtento consensu hoc. Priori enim casu non est ir- 128 rita ipso jure Resignatio, sed irritanda est, ut firmant Doctores allegati ab Auctore *num.* 24. At posteriori casu irrita ipso jure est Resignatio, ut 129 respondit *Rot. in Aurien. Parochialis* 25. *Jan.* 1753. §. 8. *et in confirmatoria* 26. *Nov. ejusd. anni* 1751. §. 4. *cor. Eminentiss. Bussio.*

RESOLUTIONES SACRARUM CONGREGATIONUM

Lubet, quae sequuntur, expendere.

1 Resolutiones Sacr. Congregationum furtive obtentae, et non expressa facti serie, non attenduntur: Rota *par.* 19. *rec. dec.* 102. *a n.* 15. Ursaya *Miscellan. Sac. et profan.* 1. *litt. R. n.* 94.

2 Resolutiones Sacr. Congregationum non attenduntur, quando sunt in terminis diversis: Rota *dec.* 1069. *in fin. cor. Emerix Jun.* Ursaya *loc. cit. n.* 96.

3 Resolutiones Sac. Congregationum, si non publicentur, attendi non debent. Silveira *Opusc.* 2. *de declar. Card. n.* 8. Ursaya *Miscell. Sacr. et profan.* 1. *litt. R. n.* 97.

4 Resolutiones ultimae Sacr. Congregat. praevaleut prioribus: Silveira *loc. cit. n.* 11. Pignat. *to.* 1. *consult.* 107. *n.* 14.

5 Resolutiones Sacr. Congregationum corruunt, corruente fundamento, sub quo emanarunt: Rota *par.* 17. *recent dec.* 274. *n.* 11. Ursaya *l. c. n.* 99.

6 Resolutiones S. Congr. dicuntur constituere rem judicatam: Rota in *Tarentina Canonicatus* 11. *Dec.* 1716. *§. Unde, cor. Foscar.* Ursaya *l. c. n.* 100.

Resolutiones Sacr. Congr. faciunt Jus, quando 7 non sunt certis circumstantiis restrictae: Rota *in Spoletana Paramentorum super Breve* 72. *Jun.* 1722. *§. Quoniam usus, coram Crispolto*: Ursaya *Miscell. Sacr. et profan.* 1. *litt. R. n.* 29.

Resolutiones Sacr. Congr. approbatae a Papa di- 8 cuntur Constitutiones Apostolicae: Card. de Luca *de Regalibus disc.* 32. *n.* 5. Ursaya *Miscellan. Sac. et profan.* 1. *litt. R. n.* 98.

Resolutionibus etiam particularium Congrega- 9 tionum deferendum est pro causis similibus, rationibus adductis a Rota *par.* 4. *tom.* 2. *rec. dec.* 215. *a n.* 5. *et in Placentina Cathedralis.* 22 *Jun.* 1703. *in fin. cor. Molin.* Ursaya *loc. cit. n.* 101.

Hic advertendum superest, quod illa particula, 10 *Et amplius*, quae saepe adducitur in fine dictarum Resolutionum, denotat, quod omnes Eminentissimi Cardinales in illis fuerunt concordes, et quod cum materia, seu causa de se clare pateat, non sit amplius proponenda: Sic Benedict. XIV. volum. 3. notific. 14.

RESTITUTIO IN INTEGRUM

SUMMARIUM

1. Restituere in integrum generatim quid sit? — 2. Restitutio in specie quid sit? — 3. Ut restitutio in integrum concedatur, requiritur; Primo, quod actus ille, vel contractus, seu quasi contractus, ex quo gravis laesio sequitur, de Jure fuerit validus. — 4. Secundo, requiritur, quod laesio illa sit gravis, seu magna, et notabilis. — 5. Tertio, requiritur, quod laesio illa gravis acciderit dolo adversarii, vel inconsulta facilitate laesi, aut negligentia sui Procuratoris ex actu, vel contractu cum adversario gesto — 6. Quarto, requiritur, quod restitutio in integrum fiat ex justa caussa. — 7. Beneficium restitutionis in integrum conceditur Minoribus, si ex contractu, vel alio actu notabiliter laesi, aut decepti sunt. — 8. Restitutio in integrum conceditur Minoribus utriusque sexus, etiamsi contractus, ex quo notabiliter sunt laesi, celebratus sit cum consilio Patris, Tutoris, vel Curatoris. — 9. Item Beneficium restitutionis in integrum conceditur Ecclesiae. — 10. Item Beneficio Restitutionis in integrum gaudent Collegia Clericorum, Monasteria Religiosorum, Hospitalia auctoritate Episcopi fundata, quin et Confraternitates, et Congregationes, — 11. Item Beneficio restitutionis in integrum gaudent Respublicae. — 12. Nomine reipublicae quae veniant: — 13. Item Beneficium restitutionis in integrum conceditur Minori laeso contra Minorem laedentem. — 14. Item conceditur Ecclesiae laesae contra Ecclesiam laedentem. — 15. Adducitur, et solvitur instantia. — 16. Item Beneficium restitutionis in integrum conceditur quandoque etiam Majorennibus, si in ipsis, praeter gravem laesionem, interveniat alia justa caussa. — 17. Item Beneficium restitutionis in integrum conceditur nedum ipsis principaliter laesis, sed etiam eorum heredibus, et Successoribus universalibus. — 18. Restitutio in integrum petenda est coram Judice illius, contra quem petitur. — 19. Restitutio in integrum petenda est intra Quadriennium. — 20. Quadriennium istud in restitutione Minorum incipit currere a primo die 26. Anni inchoati, et durat usque ad Annum 29. completum. — 21. In restitutione vero Minorum, qui veniam aetatis impetrarunt, quadriennium incipit currere a die, quo venia aetatis obtenta, et intimata fuit. — 22. In restitutione Majorum 25. Annis quadriennium incipit currere a tempore, quo laesio contingit, simulque cessat justa caussa absentiae, vel aliud legitimum impedimentum. — 23. In restitutione Ecclesiae, vel reipublicae, quadriennium incipit currere a tempore factae laesionis. — 24. Quadriennium petendae restitutionis incipit currere non a die factae laesionis, sed a die habitae scientiae de laesione. — 25. Adducitur, et solvitur instantia. — 26. Tempus quadriennii concessum pro petenda restitutione non currit juste impedito. — 27. Ecclesia est restituenda in integrum etiam post lapsum quadriennium a die factae, et cognitae gravis laesionis computandum, Dummodo tamen adsit aliqua gravis caussa, ob quam Superior beneficium restitutionis ei adhuc concedendum arbitretur; Secus non. — 28. Assignantur justae caussae, ob quas potest Superior post lapsum quadriennium concedere restitutionem in integrum Ecclesiis, et aliis locis piis. — 29. Restitutione in integrum petita, ordinarie suspenditur executio sententiae, nisi praesumptio malitiae sit contra petentem. — 30. Quando autem ex conjecturis praesumi potest, quod restitutio in integrum malitiose petatur solum ad suspendendam sententiae executionem, tunc non suspenditur, sed fit ipsius sententiae executio. — 31. Regularis, qui legitime fuit impeditus ad reclamandum contra nullitatem suae Professionis intra quinquennium, allegatis caussis dicti sui justi impedimenti, potest restitui in integrum ad reclamandum etiam post dictum quinquennium. — 32. Haec tamen restitutio in integrum non conceditur, nisi a Summo Pontifice, aut a Sacra Congregatione Concilii, vel Episcoporum, et Regularium. — 33. Hinc restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii conceditur Moniali reclamanti adversus suam Professionem, quando constat de vi, metuque, quibus mediantibus emissa fuit. — 34. Item restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii datur Moniali, quae ex legitima caussa reclamare non potuit intra dictum quinquennium. — 35. Item restitutioni in integrum locus est, quando Monialis Professionem per vim, et metum emisit, non obstante longo lapsu temporis. — 36. Item restitutio in integrum concedenda est Moniali post quinquennium reclamanti, quando, illo durante, reclamare non potuit. — 37. Item restitutio in integrum concedenda est religioso impedito reclamare intra quinquennium, non attenta renovatione Votorum vi propriae regulae quolibet Anno facta. — 38. Item restitutio in integrum danda est Religioso, qui Professionem emisit non completo Anno 16. suae aetatis. — 39. Item restitutio in integrum danda est Religioso Profitenti cum aliquo defectu habituali in Religione, cujus Constitutiones mandant, ut illi Religiosi, qui tacent aliquem essentialem defectum ante emissionem Professionis, illo detecto, statim possint ab eorum Superioribus dimitti. — 40. Restitutioni in integrum locus non est, quando non probatur praetensus metus, et vis sibi illata ad Professionem emittendam. — 41. Restitutione obtenta a S. C. C. Caeremoniales remanent actus faciendi in Curiis Episcopalibus. — 42. Alia ad rem *ad n.* 51.

1 Restituere in integrum generatim loquendo idem est, ac in pristinum statum reponere, text. expresso *in l. Cum salutatus* 1. *Cod. de sententiam passis* », ibi: « Restituo te in integrum Provinciae tuae. Ut autem scias, quid sit in integrum restituere? honoribus, et ordini tuo, et omnibus ceteris te restituo ». Et concordat *l. Quod si minor* 24. §. 4. *ff. de Minoribus*, ibi: « Restitutio autem ita facienda est, ut unusquisque in integrum Jus suum recipiat ».

2 Restitutio autem in specie accepta, est extraordinarium Juris remedium, quo graviter laesus ex naturali aequitate per Officium Judicis reducitur, seu restituitur in pristinum statum, ac Jus, in quo erat ante laesionem: *Sic in re Communis*, *l. Utilitas* 1. *cum sequentibus*, *ff. De integrum restitutionibus, et in cap. Requisivit* 1. *c. Cum venissent* 2. *c. Auditis* 3. *cum sequentibus*, *de in integrum restitutione*.

Ut restitutio in integrum concedatur, varia requiruntur: Primo enim requiritur, quod actus ille, vel contractus, seu quasi contractus, ex quo gravis laesio sequitur, de Jure fuerit validus; Si enim nullus fuerit, aut invalidus ipso Jure, non est lo- 3

cus beneficio restitutionis in integrum, quia tunc laesus communi auxilio, ac mero Jure munitus est, ideoque non debet ei tribui extraordinarium auxilium, seu remedium restitutionis in integrum, quod non nisi in subsidium, seu defectum remedii ordinarii conceditur, *Communis*, text. expresso *in l. In causae cognitione* 16. *ff. de Minoribus*, ibi: « In causae cognitione etiam hoc versabitur, num forte alia actio possit competere circa in integrum restitutionem? Nam si communi auxilio, et mero Jure munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium ». Et *ibid.* §. 3. subjungitur: « Et generaliter probandum est, ubi contractus non valet, pro certo Praetorem se non debere interponere ».

4 Secundo requiritur, quod laesio illa sit gravis, seu magna, et notabilis juxta arbitrium boni viri, seu discreti Judicis: Si enim modica sit laesio, non conceditur restitutio in integrum. *Communis*, textu expresso *in l. Scio* 4. *ff. de in integrum restitut.* ibi: « Scio illud a quibusdam observatum, ne propter satis minimam rem. vel summam, si majori rei, vel summae praejudicetur, audiatur is, qui in integrum restitui postulat ». Et concordant *l. Si ex causa judicati* 9. *ff. de Minoribus*, *et cap. Ad nostram* 11. *de rebus Eccles. non alienand.* et ibi Glossa communiter recepta verb. *Enorme*, ubi expresse dicit, *quia pro levi damno non datur restitutio*, *et in c. Requisivit* 1. *de in integrum restitutione*, *verb. Detrimentum magnum*, ubi sic praecise habetur, *nam pro modica causa non datur restitutio*.

5 Tertio requiritur, quod laesio illa gravis acciderit dolo adversarii, vel inconsulta facilitatae laesi, aut negligentia sui Procuratoris ex actu, vel contractu cum adversario gesto, idque vel manifeste constet, vel saltem in judicio per laesum rite probetur: Si enim casu fortuito grave damnum evenerit, videlicet, si res empta incendio periit, vel animal mortuum fuit, non conceditur restitutio in integrum, per expressum textum in *l. Verum, de dolo* 11. §. *cum sequentibus*, *ff. de Minoribus*, ubi id pluribus exemplificatur, et concordant *cap. Requisivit* 1. *cap. Cum venissent* 2. *c. Ex litteris* 4. *et cap. Constitutus* 8. *de in integrum restitutione*, juncta Glossa communiter recepta in *cit. cap. Verum, de dolo* 11. §. 3. *ff. de Minoribus*.

6 Quarto requiritur, quod restitutio in integrum fiat ex justa causa: *Communis*, per text. *in l. Utilitas* 1. *ff. de in integrum restitutionibus*, ubi enumerantur causae generales hujus restitutionis, et dicitur, quod per eam « plurifariam Praetor subvenit hominibus, *vel lapsis* (sui facilitate, ut explicat Glossa ibidem) *vel circumscriptis* (adversarii dolo) sive metu, sive calliditate, sive absentia inciderunt in captionem ». *Sive*, ut subjungitur *ibid. l. Sive* 2. *ff. eodem*, *per Status mutationem*, *aut justum errorem*. Et concordat *l. Hujus edicti* 1. *et l. Hoc Edictum* 2. *ff.* « Ex quibus Causis Majores viginti quinque annis in integrum restituantur »; *et c. Auditis* 3. *de in integrum restitutione*, ubi Innocentius III. de Ecclesiis laesis loquens ait, *Æquitate pensata, utramque restituimus*: Æquitas autem importat justam causam.

7 Beneficium restitutionis in integrum jure communi conceditur aetate Minoribus (idest iis, qui viginti quinque annos nondum compleverunt), si ex contractu, vel alio actu notabiliter laesi, vel decepti sunt: *Communis*, per textum expressum *in l. Hoc Edictum* 1. *l. Denique* 3. *l. Minoribus* 6. *ff. de Minoribus* 25. *Annis*, ibi: « Minoribus viginti quinque annis subvenitur per in integrum restitutionem »; *et cap. Constitutus* 8. *de in integrum restitutione* cum similibus. Restitutio in integrum conceditur Minoribus utriusque sexus, etiamsi contractus, ex quo notabiliter sunt laesi, celebratus sit cum consilio Patris, Tutoris, vel Curatoris: *Communis*, per text. *in l. Filius familias* 1. *Cod. De Filio familias Minore*, *l. Denique* 3. *ff. de Minoribus*, *l. Minoribus* 2. *Cod. Si tutor, vel Curator intervenerit*, ibi: « Minoribus annis 25. etiam in his, quae praesentibus Tutoribus, vel Curatoribus Judicio, vel extra Judicium gesta fuerint, in integrum restitutionis auxilium superesse, si circumventi sunt, placuit ». 8

9 Item Beneficium restitutionis in integrum conceditur Ecclesiae: *Communis*, textu expresso *in cap. Requisivit* 1. *et cap. Cum venisset* 2. *de in integrum restitutione*. Cum enim Ecclesia fungatur Jure Minoris, ut expresse dicitur in *cap. Auditis* 3. *de restitut. in integrum*, ideo instar Minoris natu, debet semper illaesa servari, ut expresse habetur *in cit. cap. Requisivit*, juncta Glossa communiter recepta *ibid. verb. Jure Minoris*.

10 Item beneficio restitutionis in integrum gaudent Collegia Clericorum, Monasteria Religiosorum, Hospitalia Episcopi auctoritate fundata, quin et Confraternitates, et Congregationes; Ad haec enim omnia extenduntur privilegia Ecclesiis concessa, textu expresso *in l. Omnia privilegia* 35. *Cod. de Episcopis, et Clericis*, et concordat. *cap. Ex litteris* 2. *de consuetudine*, ubi Claustra, Ecclesiae, et quaelibet loca Religiosa quoad favorabilia acquiparantur, et sic tenet Communis Doctorum.

11 Item beneficio restitutionis in integrum gaudent Respublicae, quae Minorum quoque Jure fruuntur: *Communis*, per textum expressum *in l. Respublica* 4. *Cod.* « Quibus ex causis Minores in integrum restituantur, *ibi*: Respublica Minorum Jure uti solet, ideoque auxilium restitutionis implorare potest»; et concordat *l. Rempub.* 23. *Cod. de Jure Reipublicae*, ibi: « Rempublicam ut pupillam extra ordinem juvari moris est ».

12 Nomine autem Reipublicae veniunt non solum supremae, quae Superiorem non recognoscunt, sed etiam inferiores Communitates, ut Civitates, Castra, Villae, Pagi, si bonorum, seu Jurium communium Administratores habeant: Bartolus *in cit. l. Respublica* 4. *Cod. Quibus ex causis Majores*,

Maranta *part.* 6. *Speculi aurei §. De appellatione n.* 87. Abbas *in cit. cap. Requisivit* 1. *de restitution. in integrum n.* 15. Molina *tract.* 2. *de justit. disp.* 574. *n.* 4. Pirhing lib. 1. *Decretal. tit.* 41. *n.* 15. Reiffenstuel *ibid. n.* 37. et alii passim; In istis enim inferioribus militat eadem ratio, quae in supremis, cum et inferiores regantur per alios, et multos habeant Minores, Pupillos, Viduas, et miserabiles personas, sicuti Supremae.

13 Item beneficium restitutionis in integrum conceditur Minori laeso contra Minorem laedentem: *Communis*, per text. in *l. Verum* 11. *§. Item quaeritur, ff. de Minoribus*, et concordat text. *in*
14 *l. Ultim. ff. Ex quibus causis.* Item conceditur Ecclesiae laesae contra Ecclesiam laedentem: *Communis*, per text. *in cap. Cum venissent.* 2. *de restitut. in integrum*, et concordat text. *in cap. Auditis* 3. *eod.*

15 Nec valet objicere, quod privilegiatus non utitur privilegio contra alium Privilegiatum, l. *Assiduis* 12. *Cod. Qui priores in pignore*, adeoque unus minor Privilegiatus non possit uti hoc privilegio contra alium Privilegiatum Minorem; Nec ulla privilegiata Ecclesia contra aliam Ecclesiam privilegiatam. Non valet, inquam, quia Regula procedit, si utriusque par sit causa; Secus autem, si unus certet de lucro captando, et alter de damno vitando: tunc enim is, qui cupit indemnis esse, merito praevalere debet illi, qui ex re aliena lucrum quaerit, ut *cit. l. Verum* 11. *§. final. ff. de Minoribus*, ubi Summarium sic habet: « Si sint duo privilegiati pari privilegio, praefertur ille, qui certat de damno vitando; sed si uterque certet de lucro, est potior causa rei: sed si sint privilegiati dispari privilegio, privilegium potentioris praeponitur ». Tum quia beneficium restitutionis non conceditur Minoribus, vel Ecclesiis laedentibus, sed laesis; Unde Minor, vel Ecclesia laedens non est privilegiata, et consequenter, si res exacte expendatur, non concurrit Privilegiatus cum Privilegiato: Abbas *in cit. cap. Auditis* 3. *de in integrum restitut. n.* 8. Engel. *l.* 1. *Decretal. tit.* 41. *n.* 6. Reiffenstuel *loc. c. n.* 43. *et seq.* et alii.

16 Item beneficium restitutionis in integrum conceditur quandoque etiam Majorennibus, idest Majoribus 25. annis completis, si graviter laesi sint; at vero in istis, praeter gravem laesionem, necesse est aliam justam causam intervenire, v. g. absentiae Reipublicae causa, detentionis in vinculis, vel hostium potestate, justi erroris, seu probabilis ignorantiae, vel aliam simile justam causam, ob quam laesus per judicis Officium secundum aequitatem restituendus videatur: *Communis*, per textum in *toto titulo ff. Ex quibus causis Majores* 25. *annis in integrum restituantur*, et text. *in toto titulo Cod. Quibus ex causis Majores in integrum restituantur*, et signanter in l. *Hujus Edicti* 1. *ff. Ex quibus causis etc.* ubi Praetor tradit hanc generalem clausulam pro justis causis concedendi restitutionem in integrum Majoribus 25. annis, ibi: « Item, si qua alia mihi justa causa esse videbitur, in integrum restituam ».

Item beneficium restitutionis in integrum conceditur, nedum ipsis principaliter laesis, sed etiam eorum heredibus, et successoribus universalibus, si modo defunctus in ea conditione fuerit, ut si adhuc superstes esset, restitui deberet. *Communis*, per text in *l. Non solum* 6. *ff. de integrum restitutionibus*, l. *Minor* 13. *§. de Minoribus*, ibi: « Non solum autem Minoribus, verum Successoribus quoque Minorum datur in integrum restitutio, etsi sint ipsi Majores ». 17

Restitutio in integrum petenda est coram Judice illius, contra quem petitur. Nam generale est, quod Actor forum Rei sequatur, *cap. Si Clericus* 5. *et cap. Cum sit generale* 8. *de Foro competent.* et in specie de petenda restitutione in integrum habetur *ex l. Quoniam* 2. *Cod. Ubi, et apud quem cognitio in integrum restit. agitanda*, juncto ejus Summario, et Communi Doctorum. 18

Restitutio in integrum petenda est intra quadriennium: *Communis*, textu expresso in l. *Supervacuam* 7. *C. De temporibus in integrum restitutionis*, et concordat *cap. Ecclesia* 1. *de in integrum restitut. in* 6. 19

Quadriennium istud in restitutione Minorum (qui non solum toto tempore Minorennitatis possunt petere restitutionem in integrum, sed etiam post completam Minorennitatem per continuum quadriennium) incipit currere a primo die vigesimi sexti Anni inchoati, et durat usque ad annum 29. completum: *Communis*, textu expresso in *cit. l. Supervacuam* 7. *Cod. De temporibus in integrum restitutionis.* 20

In restitutione vero Minorum, qui veniam aetatis impetrarunt, quadriennium incipit currere a die, quo venia aetatis obtenta, et intimata fuit: *Communis* per text. *in l. Eos qui* t. *Cod. de his, qui veniam aetatis impetrarunt*, l. *Ea quae* 5. *Cod. De temporib. in integrum restitut.* 21

In restitutione Majorum 25. annis quadriennium incipit currere a tempore, quo laesio contigit, quod intellige si non adsit justa causa absentiae, vel aliud legitimum impedimentum, ut colligitur ex *c. l. Supervacuam*, et docet Glossa *in Clementin. Unica, verb. A tempore, de in integrum restitution.* et Barbosa *ibid.* n. 5 citans alios, Pirhing *l. cit. n.* 49. Reiffenst. *loc. cit. n.* 62. et alii. 22

In restitutione Ecclesiae (vel Reipublicae) quadriennium incipit currere a tempore factae laesionis, idest a tempore celebrati contractus, vel quasi contractus, aut latae sententiae, ex qua Ecclesia laesa est; *cit. Clementin. Unica, et ibi* Glossa *verb. A tempore de in integrum restitut* Franc. *in cap. Ecclesia* 1. *de in integrum restitut.* in 6. *n.* 2. *notabil.* 3. Molina *tract.* 2. *de Justitia disp.* 574. *in princip.* Reiffenst. *loc. cit. n.* 62. et alii. 23

Quadriennium petendae restitutionis incipit currere non a die factae laesionis, sed a die habitae scientiae do laesione: Alexander *Consil.* 84. *n.* 3. 24

vol. 1. Cardinal. Tuschus *litter. B. conclus.* 298. *n.* 9. *et* 16. Baldus in *l. Falsa, Cod. de Fide instrumentor.* Engel *loc. cit. n.* 11. Reiffenstuel *l. cit. n.* 63. Sannig. *de restitut. in integrum cap.* 5. *n.* 3. aliique plures. Et ratio est, quia alias non satis prospectum esset indemnitati Ecclesiarum, et Minorum, si contra occultas suas laesiones nullum haberent remedium; nam tempore ignorantiae factae laesionis nequit laesus se defendere, aut beneficium restitutionis petere: « quia qui nescit, is videtur experiundi potestatem non habere, et verius est ex eo annum numerari, ex quo cognovit »; ut expresse dicitur in *l. Annus* 6. *ff. de Calumniatoribus.* Nec obstat *cit. Clementin. Unica*, *de in integrum restitutione*, in qua dicitur quadriennium istud a die laesionis esse computandum, quod debet intelligi, quando dies laesionis, et scientiae ejus coincidunt, ut ita pro favore Ecclesiarum, et minorum jura Juribus concordentur; Arnoldus Rath. in *tract. de Usucapionibus cap.* 5. *assert.* 43. ubi dicit, hanc sententiam communiter sustineri, et in praxi receptam esse: Engel *loc. citat. n.* 12. Reiffenstuel *loco citat. n.* 63. et alii.

26 Tempus quadriennii concessum pro petenda restitutione non currit juste impedito: Unde si per dolum, aut vim adversarii, vel ob aliud justum impedimentum, v. g. ob absentiam Reipublicae causa, non potuit peti restitutio in integrum, debet postea suppleri totum illud tempus, quo duravit illud justum impedimentum, addito ad quadriennium quantum temporis ablatum fuerat; colligitur ex *cit. l. Supervacuam* 7. *Cod. De temporibus in integrum restitutionis*, et tenet *ibidem verb. Supervacuam* Glossa communiter recepta, et Bartolus *ibidem* §. *Et breviter*, Pirhing. *loc. cit. n.* 50. Reiffenstuel *loc. c. n.* 59. testans de communi.

27 Ecclesia est restituenda in integrum etiam post lapsum quadriennium a die factae, et cognitae gravis laesionis computandum; Dummodo tamen adsit aliqua justa causa, ob quam Superior beneficium restitutionis ei adhuc concedendum arbitretur; Secus non: *Communis* textu expresso *in cap. Ecclesia* 1. *De restitutione in integrum in* 6. ibi: « Ecclesia, quae ad retractandam sententiam, vel contractum per beneficium restitutionis in integrum postulat se admitti, si quadriennii spatium post sit lapsum, et negligenter omiserit, non est ad beneficium hujusmodi admittenda; Nisi praevaricationis, vel fraudis manifestae probetur super hoc intervenisse commentum, aut alia rationabilis causa subsit, quae Superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum ».

28 Causae autem, ob quas potest Superior post lapsum quadriennium concedere restitutionem in integrum Ecclesiis, et aliis locis piis, sunt sequentes. Primo, si praevaricatio, seu collusio, vel fraus intervenerit, quia scilicet collusum fuit cum Praelato, vel Administratore bonorum Ecclesiae, vel is fraude circumventus fuit, ne restitutionem intra quadriennium peteret. *citat. cap. Ecclesia* 1. *de restitutione in integrum* in 6. per adducta verba: « Nisi praevaricationis, vel fraudis manifestae probetur super hoc intervenisse commentum ». Secundo, si laesio fuerit valde enormis; colligitur *ex cap. Ad Ecclesiam* 21. *de rebus Ecclesiae non alienand.* ubi legitur ob enorme damnum ex alienatione passum, concessam fuisse talem restitutionem in integrum cuidam Monasterio post quadriennium, immo et decennium, ut putat Hostiensis *ibidem*, et sic tenent Glossa final. *in cit. cap. Ecclesia*; Abbas *in cap. Requisivit* 1. *de in integrum restitut. n.* 2. Covarruv. *lib.* 1. *variar. resol. c.* 3. *n.* 11. cum pluribus aliis ibi citatis, Pirhing. *loc. cit. n.* 51. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 77. et alii passim. Tertio, si propter inculpatam ignorantiam, vel ob aliud justum impedimentum restitutio in integrum peti non potuit intra quadriennium; colligitur ex *cit. cap. Ecclesia* 1. *et cap. Si adversus* 2. *de in integrum restitut. in* 6. ubi dicitur, quod si Ecclesia intra quadriennium restitutionem in integrum *petere negligenter omittat*, postoo amplius admittenda non sit; ergo a contrario sensu, si non ex negligentia, sed propter inculpatam ignorantiam laesionis, vel aliud justum impedimentum, restitutionem non petierit, etiam post quadriennium restituenda erit, cum ex rationabili causa generaliter post quadriennium Ecclesia ad beneficium dictae restitutionis admittenda sit, ut expresse cavetur *in cit. cap. Ecclesia*, ibi: « Aut alia rationabilis causa subsit, quae Superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum ».

Restitutione in integrum petita, ordinarie suspenditur executio sententiae, nisi praesumptio malitiae sit contra petentem: *Communis*, textu expresso in *l. Postulata* 1. *Cod. In integrum restitutione postulata, ne quid novi fiat: ibi*: « Postulata in integrum restitutione, omnia in suo statu esse debere, donec res finiatur, perspicui Juris est, itaque curabit is, ad cujus partes ea res pertinet ». 29

Dicitur autem notanter: « Nisi praesumptio malitiae sit contra petentem »; quia quando ex conjecturis praesumi potest, quod restitutio in integrum malitiose petatur solum ad suspendendam sententiae executionem, tunc non suspenditur, sed fit ipsius sententiae executio, cum hoc tamen, quod idonea cautio detur restitutionem petenti, quod si in causa praevaluerit, universa cum fructibus medio tempore perceptis, ipsi restituentur; *Communis*, per textum expressum *in cap. Suscitata* 6. *de restitutione in integrum.* 30

Regularis, qui legitime fuerit impeditus ad reclamandum contra nullitatem suae Professionis intra quinquennium sibi concessum a Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regularibus*, allegatis causis dicti sui justi impedimenti, potest restitui in integrum ad reclamandum etiam post dictum quinquennium: *Communis.* Haec tamen restitutio in integrum non conceditur nisi a Summo Pontifice, vel Sacra Congregatione Concilii, aut Episcoporum, et Regularium, ut docet praxis, et 31

Stylus Curiae, et recte observant Barbosa *in Collectan. ad d. cap.* 19. *Concil. Trid. n.* 9. Fagnan. *in cap. Consuluit n.* 35. *Qui Clerici, vel voventes*: Reiffenstuel *loc. cit. n.* 91. et alii passim.

33 Hinc restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii conceditur Moniali reclamanti adversus suam Professionem, quando constat de vi, metuque, quibus mediantibus emissa fuit, *S. Cong. C. in Bituntina Restitut. in integrum* 9. *Septemb.* 1713. et *in Jonuens.* 23. *April.* 1715. et *in Lingonen.* 20. *Septembr. ejusdem anni*, apud Ursayam *tom.* 1. *P.* 1. *discept.* 2. *et* 4. *in Miscellan.* 1. *Sac. et profano litt. R. n.* 124.

34 Item restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii datur Moniali, quae ex legitima causa reclamare non potuit intra dictum quinquennium: *Sacr. Congreg. Concil. in Mantuana Restitutionis in integrum* 7. *Decemb.* 1715. *et* 28. *Martii* 1716. apud Ursayam *tom.* 2. *par.* 1. *discept.* 9. et *in Miscell. loc. c. n.* 128.

35 Item restitutioni in integrum locus est, quando Monialis Professionem per vim, et metum emisit, non obstante longo lapsu temporis: *S. Cong. C. in Melevitana Nullitatis Professionis* 15. *Maii* 1723. apud eumdem *in Miscellaneo loc. cit. n.* 130.

36 Item restitutio in integrum concedenda est Moniali post quinquennium reclamanti, quando, illo durante, reclamare non potuit. *Sac. Congr. Conc. in Pacen.* 19. *Decemb.* 1722. apud eumdem *to.* 5. *P.* 1. *discept.* 17. *et in Miscellaneo loc. cit. n.* 121. V. Addit. Casin. sub v. *Regularis Professio.*

37 Item restitutio in integrum concedenda est Religioso impedito reclamare intra quinquennium, non attenta renovatione votorum vi propriae Regulae quolibet Anno facta: *Sacra Cong. Conc. in Melevitana Restitutionis in integrum* 29. *Aprilis* 1722. apud eumdem *tom.* 2. *par.* 2. *discept.* 21. *et in Miscellaneo l. c. n.* 125. V. Add. Cas. *l. c.*

38 Item restitutio in integrum danda est Religioso, qui Professionem emisit non completo Anno 16. suae aetatis: *Sacr. Cong. Conc. in Neapolitana Restitutionis in integrum* 10. *April.* 1723. apud eumdem *in Miscellaneo loc. cit. n.* 127.

39 Item restitutio in integrum danda est Religioso profitenti cum aliquo defectu habituali in Religione, cujus Constitutiones mandant, ut illi Religiosi, qui tacent aliquem essentialem defectum ante emissionem Professionis, illo detecto, statim possint ab eorum Superioribus dimitti, *Sacr. Congr. Conc. in Neapolitana Restitutionis in integrum die* 8. *Augusti* 1716. apud eumdem *in Miscellaneo loc. cit. n.* 123. Et *in alia Neapolitana* 7. *Sept* 1718. apud eumdem *tom.* 3. *part.* 1. *discept.* 6. *n.* 77.

40 Restitutioni in integrum locus non est, quando non probatur praetensus metus, et vis sibi illata ad professionem emittendam: *Sac. Cong. in Veneta, seu Brixiensi Restitutionis in integrum die* 7. *Febr.* 1721. *et* 8. *Augusti ejusdem anni* apud eumdem *tom.* 5. *part.* 1. *discept.* 12. *n.* 166. Et *in Neapolitana Nullitatis Professionis* 9. *Septembr.* 1723. apud eumdem *in Miscellaneo loco c. n.* 129.

Restitutione in integrum obtenta a Sacra Congregatione Concilii, Caeremoniales remanent actus faciendi in Curiis Episcopalibus: Rota *in Januensi Restitutionis in integrum* 9. *Maii* 1702. §. *E converso coram Molines.* Et *Sac. Cong. Concilii in Mantuana* 21. *Februar.* 1717. apud eumdem *tom.* 2. *part.* 1. *disp.* 8. *et in Miscellaneo loc. cit. n.* 131. 41

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Tametsi jus praetorium induxerit restitutiones in integrum ad corrigendum jus civile; Sunt tamen et restitutiones in integrum, quas exemplo juris praetorii proposuit deinde ipsum jus civile. Habes exempla restitutionis in integrum propositae a jure civili in *l.* 3. *C. de Rescind. vendit.* ubi laesus ultra dimidium in tantum restituitur, ut, vel causa penitus in priorem statum deducatur, vel iniquitas per supplementum justi pretii emendetur. Alterum exemplum occurrit in *l.* 33. *ff. de re judicat.* ubi in integrum restitutio conceditur illi, contra quem falsis instrumentis lata est sententia. Reipublicae demum, et Civitatibus auxilium restitutionis in integrum concessum est jure civili in *l.* 4. *C. Ex quib. caus. major.* 42 43 44 45

Interest vero, an restitutio detur ex jure praetorio, an ex jure civili. Quae restitutio datur ex jure praetorio, ea temporaria est: Quae vero datur ex jure civili, est perpetua, et sic intra annos triginta intentari poterit; Stryk. *in us. modern. Pandect. lib.* 4. *titul.* 1. §. 1. contradicente, licet perperam Bohemer *in introduct. in jus digest. l.* 4. *tit.* 4. §. 14. 46

Tempus hoc triginta annorum, licet mox adductam, eamque veram rationem ignorent, admittere haud aegre solent Doctores in prioribus duobus exemplis, nequaquam vero in tertio exemplo. At si restitutio Reipublicae, et Civitatibus jure civili concessa est, necessario debet esse perpetua; Stryk. *in usu modern. Pandect. lib.* 4. *tit.* 4. §. 17. ubi quod non « obest (sunt ejus verba), quod Imperatores Rempublicam minoribus compararerint: Non enim additum, quod praecise tempora minorum observare debeat ». 47 48

Jure Pontificio competit etiam restitutio Ecclesiis, caeterisque piis corporibus jure Ecclesiarum fruentibus; *c.* 1. *et* 3. *de Restit. in integr.* Quin et Academiis, Scholisque vulgo tribuitur; Gales. *ad c.* 1. *n.* 85. *de Restit. in integr.* Wiesten. *in Decret l.* 1. *tit.* 41. *n.* 25. 49 50

De tempore vero, quo restitutio proponi debeat ab Ecclesiis, omnes fere conveniunt illud debere esse quadriennium a die cognitae laesionis, et proinde sentiunt illud non currere durante vita Rectoris male administrantis, sed incipere tempore successoris, ut primum scivit actum Ecclesiae damnosum; Ziegler. *ad Lancellot. lib.* 3. *tit.* 81. §. 3. 51

Bohemer. *in decretal. dict. lib.* 1. *tit.* 41. §. 9.
52 Caeterum si neque restitutio competit Ecclesiis jure praetorio, sed jure pontificio consentanee ad superius firmata, dicendum est, eam proponi posse non intra breve quatuor annorum tempus, sed intra spatium triginta annorum.

RESTITUTIO

ARTICULUS I.

QUOAD EA, QUAE CONCERNUNT RESTITUTIONIS NATURAM, RADICES, NECESSITATEM, ET OBLIGATOS AD IPSAM.

SUMMARIUM

1. Restitutio unde sit dicta? — 2. Restitutio quid sit? — 3. Obligatio restitutionis oritur solum ex violatione Justitiae commutativae. — 4. Obligatus ex patris Testamento distribuere v. g. mille aureos pauperibus suae Parochiae juxta cujusque paupertatem, si aliquibus minus dederit, quam requirat eorum paupertas, tenetur compensare. — 5. Praelatus conferens extra concursum Beneficium digno, omisso digniori, licet peccet graviter, non tenetur tamen ad restitutionem; At vero si conferat sic in concursu, et peccat graviter, et tenetur ad restitutionem. — 6. Quot, et quae sint radices restitutionis *ad n.* 7. — 8. Restitutio est necessaria ad salutem necessitate praecepti. — 9. Non tamen necessitate medii. — 10. Quae res necessaria sit necessitate medii, et quae necessitate praecepti. — 11. Ad restitutionem tenentur, non solum qui efficaciter per se influunt physice in damnum alterius, sed etiam qui efficaciter influunt moraliter. — 12. Caussae cooperantes, seu influentes moraliter ad injustam damnificationem proximi, communiter enumerantur novem in traditis versiculis comprehensae. — 13. Caussae comprehensae sub primis sex nominibus cooperantur positive, tres vero contentae sub ultimis tribus nominibus negative. — 14. Per ly *Jussio* venit omnis ille, qui mandatum dat alteri ad damnificandum, vel laedendum, qui sive mandet explicite, sive implicite, sive potestatem habeat praecipiendi, sive non, tenetur ad restitutionem totius damni, in quod efficaciter influxit ejus mandatum. *ad num.* 22. — 23. Per ly *Consilium* venit omnis ille, qui ad damnificationem aliquem consulit, persuadet, allicit, instruit, et hujusmodi, et is contrahit obligationem restitutionis pro damno ex hujusmodi consilio reipsa secuto; *ad num.* 34. — 35. Per ly *Consensus* venit omnis ille, qui consentiendo efficaciter influit in alterius damnum; *ad num* 43. — 44. Per ly *Palpo* venit omnis ille, qui laudando, adulando, plaudendo, vel exagerando, ut irridendo, vituperando, et exprobrando, et consimiliter faciendo, alterum efficaciter incitat, et movet ad aliquod damnum inferendum tertio, quod sine tali palpatione non intulisset. — 45. Taliter palpans, si efficaciter influat in damnificationem alterius, graviter peccat, et tenetur ad restitutionem. — 46. Per ly *Recursus* venit omnis ille, qui furem, sicarium, aut alium malefactorem hospitio recipiendo, protegendo, instrumenta servando, furta, seu praedas emendo, custodiendo, et hujusmodi praebet securitatem, et commoditatem ad perpetrationem operis injusti, sicque efficaciter in caussa est, ut damnum injuste inferatur, aut injuste illatum non restituatur. — 47. Talem Recursum praebentes, si ratione illius recursus, vel receptionis revera damnum sequatur alias non secuturum, peccant graviter contra Justitiam, et tenentur ad restitutionem — 48. Per ly *Participans* venit omnis ille, qui participat injusta damnificatione proximi, sive ratione rei acceptae, sive ratione injustae acceptionis, *ad num.* 50. — 51. In damnificatione duplex actio intervenire potest. Una injuste per se, et ab intrinseco mala, et qui sic participat cum injuste damnificante in tali actione, inexcusabiliter peccat, et semper tenetur ad restitutionem. — 52. Alia per se indifferens, et non ex natura sua intrinseca, sed solum ex iniqua intentione, et applicatione alterius mala; et qui participat in tali actione voluntarie, et libere, peccat, et tenetur ad restitutionem; si autem participet in tali actione coacte, liber est a peccato, et ab onere restitutionis. — 53. Assignantur varii, qui sic excusantur a peccato, et a debito restitutionis, vel non *ad n.* 58. — 59. Obligati ex justitia ad impediendum alterius damnum excusantur a gravi culpa, et obligatione restitutionis, si non impediant propter periculum gravis damni proprii majoris, vel aequalis. — 60. Obligati ad impediendum alterius damnum solum ex Charitate, non tenentur ad restitutionem, etiamsi non impediant ex dolo, vel malitia, odio, seu vindicta. — 61. Affertur, et solvitur objectio, *ad num.* 62. — 63. Principes, Magistratus, Gubernatores, Praetores, ac Duces belli, et hujusmodi, si non impediant damna subditorum, tenentur ad restitutionem omnium damnorum sua culpa, et negligentia secutorum. — 64. Item ad restitutionem tenentur Tutores, Curatores, administratores bonorum non impedientes damna pupillis Minorennibus, Ecclesiis etc. provenientia. — 65. Item ad restitutionem tenentur Advocati, et Procuratores non impedientes damna suis Clientibus obvenientia. — 66. Item ad restitutionem tenentur Assessores, Canonici, Electores, Consiliarii, qui vel tacendo, vel se absentando, cum possint, non impediunt iniquam Constitutionem, injustam et indignam electionem, et hujusmodi. — 67. Item ad restitutionem tenentur famuli, domestici, seu Ancillae, quibus cura, seu custodia specialis domus, aut rei familiaris commissa est, si non impediant furta, aliaque damna, quae dominis inferuntur, sive ab extraneis, sive a Conservis, seu condomesticis. — 68. Alii Famuli, seu Ancillae, quibus ejusmodi specialis cura non est demandata, tenentur probabilius ad restitutionem, si non impediant damna, quae Dominis inferuntur ab extraneis. — 69. Non tenentur tamen dicti famuli, seu ancillae ad restitutionem, si non impediant damna, quae dominis inferuntur a conservis, seu condomesticis. — 70. Custodes conducti ad impediendum venationem, piscationem, lignationem agrorum, et vinearum damnificationem, gabellarum defraudationem, et hujusmodi, si non impedierint, vel manifestaverint, tenentur ad compensationem damnorum inde directe secutorum. — 71. Non tenentur tamen dicti Custodes ad restituendas poenas, seu mulctas, quas Domini accepissent a delinquentibus, si ipsi Custodes eos accusassent, seu denunciassent. — 72. Si fur donet alicui partem rei furtivae, ad hoc, ut taceat, tenetur illam Domino restituere. — 73. Si autem fur donet ipsi aliquid de suo, non tenetur illi restituere, sed potest retinere. — 74. Confessarius ex ignorantia crassa, seu ex malitia, positive deobligans Poenitentem a restitutione, quando tenetur, vel ipsum obligans, quando non tenetur, vel positive suadens, seu docens aliquem contractum esse justum, quando revera est injustus, ut usurarius, tenetur omni-

no ad compensationem damni secuti tertio — .75. Confessarius non positive deobligans poenitentem a restitutione, sed solum negative, ad nullam obligatur restitutionem. — 76. Alii tamen sentiunt contrarium, quod at nos admittimus, si ex malitia studiose ideo taceat, ne poenitens obligationem sciat, et restituat. — 77. Confessarius, qui bona fida, at absque culpa deobliget poenitentem a restitutione, cum ad eam tenetur, vel obligat, quando ad eam non tenetor, per se loquendo non tenetur damna causata compensare : Cognito tamen errore, vel comperta veritate, tenetur poenitentem admonere. — 78. Testis e Judice vocatus, et interrogatus de damno ab altero illato, si scienter falsum testimonium dicat cum damno innocentis, tenetur ad compensationem damni ipsi causati. — 79. Si autem Testis a Judice vocatus, et interrogatus fuge, silentio, vel tergiversatione declinet, dissimulat, veritatem celet, non obligetur ad compensationem damni ex intermissione sui testimonii parti innocenti, vel laesae, vel nocenti secuti. — 80. An ficti pauperes teneantur restituere eleemosynas acceptas? *remissive*. — 81. An, et quando adulteri teneantur restituere damna causata ob sua adulteria? *remissive*. — 82. An, et quomodo stupratores teneantur ad restitutionem pro stupro? *remiss*. — 83. An parentes exponentes filios suos, sive legitimos, sive illegitimos in Hospitali, vel alio loco ad id deputato, vel in locis, ubi aluntur expensis Reipublicae, seu Communitatis, vel ad Ostium alterius, teneantur ad restitutionem expensarum inde factarum? *remissive*. — 84. An inveniens infantem ante Ostium suum, et illum ponens ante Ostium alterius, teneatur ad restitutionem expensarum inde factarum? *remissive*. — 85. An, et quando Emptores, et Venditores teneantur ad restitutionem? *remissive*. — 86. An, et quando possessor bonae, et malae fidei teneantur ad restitutionem? *remissive*. — 87. An, et quando defraudantes Gabellas teneantur ad restitutionem? *remissive*. — 88. An, et quando pascentes animalia in alienis pascuis, et lignantes in alienis sylvis, seu nemoribus teneantur ad restitutionem? *remissive* — 89. An, et quando impediens aliquem a consecutione boni teneatur ad restitutionem? *remissive*. — 90. An, et quando fur ob furta minuta, et alia gravia teneatur ad restitutionem? *remissive*. — 91. An res inventae, vel derelictae restitui debeant, et quibus? *remissive*. — 92. An, et quando Beneficiati teneantur ad restitutionem fructuum, ob non recitationem Divini Officii? *remissive*. — 93. An, et quando Canonici teneantur ad restitutionem fructuum ob non factam residentiam? *remissive*. — 94. An, et quando facienda sit restitutio pro fama ablata? *remissive*. — 95. Alia *ad rem*, *remissive*.

1 Restitutio est sic dicta quasi *rei* in statum pristinum *statutio;* seu quasi alicujus in sua possessione, aut dominio *iterata statutio:*
2 *Sic in re Communis Doctorum*. Unde restitutio quantum ad propositum est actus Justitiae commutativae, quo fit rei alienae redditio, vel damni injuste illati reparatio. *Est in re Communis*.

3 Dicitur autem notanter, quod restitutio sit actus *Justitiae commutativae*, ad denotandum, quod obligatio restitutionis oritur solum ex violatione *Justitiae commutativae*, in qua servari debet aequalitas rei ad rem, ita ut tantum reddatur, aut reparetur, quantum fuit ablatum, aut damnificatum; Non autem obligatio restitutionis oritur ex violatione *Justitiae distributivae*, quia tunc alienum nec aufertur, nec laeditur, cum supponatur illos, quibus fit bonorum communium distributio, non habere Jus ad illa, alias violaretur *Justitia Commutativa*.

4 Si enim quis obligatus v. g. Patris Testamento distribuere mille aureos pauperibus suae Parochiae juxta cujusque paupertatem, aliquibus minus dederit, quam requireret eorum paupertas, hic peccaret simul, et contra *Justitiam distributivam*, et contra *commutativam*, et teneretur satisfacere, non quia laesit *Justitiam distributivam*, sed *commutativam*, eo quod quilibet pauper haberet Jus ratione Testamenti ad portionem suae inopiae proportionatam, quia cum condens tale Testamentum hanc proportionem in distributione servari voluerit, perinde est ac si singulis certam pecuniae summam assignasset. *Sic Doctores communiter*.

5 Sic etiam Praelatus conferens extra concursum Beneficium digno, omisso digniori, peccat mortaliter, sed non tenetur ad restitutionem, quia non violat *Justitiam commutativam*, sed solum *distributivam;* Si autem conferat in concursu Beneficium digno, relicto digniori, et peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem, quia violat *Justitiam commutativam;* Praelatus enim indicens concursum censetur inire quemdam innominatum contractum, *Do, ut Des*, cum Clericis concurrentibus; adeoque Clericus, qui in concursu praevalet suo competitori, acquirit jus strictum ad petendum, ut illi detur, seu conferatur Beneficium, et tale Jus est objectum *Justitiae commutativae*, non autem *distributivae;* sic etiam est dicendum in aliis similibus casibus, ut recte notant passim Doctores.

Radices restitutionis quamvis communiter assi-
gnentur tantum duae, scilicet *ex re accepta*, et *ex* 6
injusta acceptione, tamen majoris claritatis gratia quatuor ab aliquibus recte traduntur. Prima, scilicet *Ex re accepta*. Secunda, *Ex in usta acceptione, seu retentione*. Tertia, *Ex damno injuste illato*. Quarta, *Ex contractu*. Prima, videlicet *Ex re accepta*, seu ex delicto materiali, habetur, cum quis rem alterius bona fide accepit, vel possedit, et dicitur Possessor bonae fidei, qui statim ac cognoscit rem esse alterius, tenetur restituere, alias incipit esse possessor malae fidei. Secunda, *Ex injusta acceptione*, seu ex delicto formali, habetur, cum quis rem alterius scienter invito rationabiliter Domino surripit, et dicitur possessor malae fidei. Tertia, *Ex damno injuste illato* habetur, cum quis per actionem injustam non lucrativam alteri damnum injuste infert, verb. grat. comburendo Domum, devastando segetes, et hujusmodi. Quarta, *Ex contractu* habetur, cum quis verb. grat. Petrus vendit Paulo equum, quem putabat esse suum, erat autem Joannis; Si Joannes hunc equum repetat, et evincat, tenetur Petrus de evictione, et

debet non solum restituere pretium equi, sed etiam compensare damnum, quod emersit, et lucrum, quod causavit Paulo occasione illius venditionis; Pretium quidem tenetur Petrus restituere *Ex re accepta*, sed quod teneatur compensare damna, et lucra, non oritur *Ex re accepta*, cum nihil acceperit, quod illis correspondeat, nec oritur *Ex injusta acceptione*, neque *Ex damno injuste illato*, nam Petrus bona fide procedit, orgo oritur *Ex contractu*, quia nempe ad hoc se obligat vendens pro securitate ementis. Sic expresse La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 18.

7 Qui ibidem insuper quintam radicem restitutionis poni posse subjungit, nempe *Ex Lege positiva*, quae habetur in certis casibus, in quibus Jus obligat ad restitutionem, quamvis nec sit *Res accepta*, nec *Injusta acceptio*, nec *Damnum injuste illatum*, nec *Contractus*. Jus enim positivum in pluribus statuit, ut quis reparet damnum, quamvis causatum sit absque omni ejus culpa. Sic *Institut. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur et l. Si quadrupes* 1. *ff. eodem*, statutum est, quod si alicujus animal pauperiem fecerit, idest intulerit damnum alteri, teneatur illius Dominus dare illud animal, vel totum damnum reparare. Item *Institut. de Noxalibus actionibus; l. Noxales actiones* 1. *cum aliis sequentibus, ff. eodem; l. Si servi vestri* 2. *Cod. eodem*, sancitum est, quod si mancipium alicujus ex sua proprin, et absque culpa Domini intulerit damnum, teneatur Dominus pro noxa tradere mancipium, vel totum damnum reparare. Item *l. Praetor ait* 1. *et l. Hoc Edictum* 6. *ff. de his, qui effuderint, vel dejecerint*, cautum est, quod si ex Domo, vel navi alicujus absque culpa Domini aliquid sit effusum, vel projectum, quod nocuit transeunti, vel adstanti, si non fuit clamatum, ut caveret sibi, teneatur Dominus reparare in duplum; et idem est, si aliquid e Domo suspensum fuit supra viam, quod nocuit alicui, ut ibidem *l. Si vera* 5. *ff. eodem*, et sic de aliis similibus, ut videre est *in Institut. et ff. Ad l. Aquiliam*, et saepe alibi.

8 Restitutio est necessaria ad salutem necessitate praecepti. *Communis*; Et habetur clare ex variis Sacrae Scripturae locis, quibus indicitur tale praeceptum; primo ex illo *Levitici* 6. (*). « Qui aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, aut aliquid quidpiam commiserit, omnia integra primum restituat »; Secundo, ex illo *Tobiae* 2. « Videte, ne furtivus sit, reddite illum dominis suis, quia non licet nobis edere ex furto aliquid, aut contigere »; Tertio, ex illo *Matthaei* 22. *Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo*; Quarto, ex illo *Ad Romanos* 8. « Reddite omnibus debitum, cui tributum etc. nemini quidquam debeatis »; Quinto, ex illo *Ezechielis* 33. « Si dixero impio, morte morieris, et egerit poenitentiam de peccalo suo, et fecerit judicium, et justitiam, et pignus restituerit, rapinamque reddiderit, et ambulaverit in mandatis vitae, nec fecerit quidquam injustum, vita vivet, et non morietur »; ubi, ut vides, ad poenitentiam, et salutem aeque necessario praecipitur restitutio, ac observantia aliorum praeceptorum; Et clare patet etiam ex septimo Decalogi praecepto *Non furtum facies*, in quo cum prohibeatur injusta ablatio rei alienae, consequenter prohibetur etiam injusta detentio, et praecipitur restitutio, quia ejusdem rationis est furari, et detinere rem alienam invito rationabiliter domino, dum reddi potest; Unde in *cap. Si res aliena* 1. *caus.* 14. *quaest.* 6. ex verbis S. Augustini expresse dicitur: « Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur poenitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed, ut dixi, cum restitui potest ». Et in *cap. Saepe contingit* 18. *de restitutione spoliatorum*, expresse habetur, « quod non multum intersit quo ad periculum animae injuste detinere, ac invadere alienum ». Hinc in *cap. Peccatum* 4. *de Regul. Juris in* 6. expresse concluditur: « Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum ».

Non est tamen restitutio necessaria ad salutem 9
necessitate medii: *Communis*. Et ratio est, quia ignorans invincibiliter se obligari ad restitutionem, aut factus impotens ad illam potest salvari sine restitutione, ut concedunt omnes ex expressa doctrina Sancti Augustini in *cit. cap. Si res aliena* 1. *caus.* 14. *quaest.* 6. ibi: « Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, sed, ut dixi, cum restitui potest »; ex quo patet, quod restitutionis incapax possit absolvi, et consequenter salvari sine facta restitutione, quod nullimode posset, si restitutio esset necessaria necessitate medii. Sicuti non potest salvari, qui post commissum peccatum mortale impotens est ad poenitentiam, vel per Sacramentalem Confessionem simul cum attritione, vel per Contritionem perfectam simpliciter, ob supervenientem plenam dementiam, vel phrenesim, aut subitaneam mortem. Res enim necessaria ad salutem necessitate medii talis est, ut sine ipsa non 10
possit obtineri salus, etiamsi inculpabiliter omittatur, ut Baptismus in re parvulis, Poenitentia lapsis, etc. Res vero necessaria ad salutem necessitate praecepti talis est, ut etiam sine ipsa possit obtineri salus, si sine culpa omittatur, ut sumptio Eucharistiae, restitutio, etc. * Vide S. Thomam 2. 2. quaest. 62. art. 2. *.

Ad restitutionem tenentur non solum illi, qui 11
per se immediate, et directe per actionem physicam influunt in damnum alterius, sive actione lucrativa, ut fit in furto, et rapina, sive actione non

(*) Nempe Levitici cap. VI. ver. 2. et seqq. ubi: « Anima quae peccaverit, et contempto Domino, negaverit proximo suo depositum, quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, sive rem perditam invenerit, et inficians insuper pejeraverit, et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, convicta delicti reddet ».

lucrativa, ut fit in combustione, occisione, mutilatione, praecipitatione rerum in flumen, et hujusmodi, sed etiam illi, qui solum moraliter deliberate, et efficaciter influunt, alios movendo ad damnum illud inferendum: *Communis, argum. c.* 1. *n.* 32. *Epist. ad Romanos:* ibi: « Qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus », *cap. Notum sit* 10. *caus.* 2. *quaest.* 1. ibi: « Quia facientem, et consentientem par poena constringit »; *cap. Si culpa tuâ* 9. *de injuriis, et damno,* ubi habetur, quod « qui occasionem damni dat, damnum dedisse videatur », *et l. Qui occidit* 30. §. 3. *ff. ad legem Aquiliam*, ibi: « Qui occasionem praestat, damnum fecisse videtur ».

12 Causae cooperantes, seu influentes moraliter ad injustam damnificationem proximi communiter enumerantur novem in sequentibus versiculis comprehensae.

Quilibet in solidum reddat prius injuriato.
Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus.
Participans, Mutus, Non obstans, Manifestans.

13 Causae contentae sub primis sex nominibus positive cooperantur ad damnum injustum proximo inferendum; tres vero contentae sub ultimis tribus nominibus negative, idest omittendo id, quod ex Officio, atque justitia facere tenebantur; Et qui aliquo ex praedictis novem modis deliberate, et efficaciter cooperantur ad damnum injustum alterius, non solum incurrunt reatum peccati, sed etiam obligantur ad restitutionem in solidum, seu totum in defectum exequentis, juxta allatum primum versiculum: Unde Innoc. XI. die 2. Martii 1679. merito inter alias damnavit sequentem propositionem 39. in ordine: « Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati ».

14 Per ly *Jussio* venit omnis ille, qui mandatum dat alteri ad damnificandum, vel laedendum; Unde qui mandat, vel jubet, sive explicite, sive implicite, sive potestatem habeat praecipiendi, sive non, tenetur ad restitutionem totius damni, in quod efficaciter influxit ejus mandatum; Talis enim est vera, et propria causa damni illati, et quidem principalis, et magis influens in damnificationem, quam ipsemet Executor, seu Mandatarius. *Sic Doctores communiter.*

15 Mandans non solum tenetur ad damnum, quod de facto jussit, sed etiam ad illud, quod praevidere poterat ex circumstantiis secuturum; hinc si praecepit famulo, ut combureret Domum Titii contiguam aliorum Domibus, et attentis circumstantiis loci, temporis, venti, incendii, et hujusmodi, praevidere poterat, et debebat, plures Domos inde comburendas, tenetur ad omnium damnorum restitutionem: *Communis.*

16 Mandans, si sit Superior, tenetur etiam ad restitutionem damnorum, quae patitur Mandatarius ex sua executione, v. g. si propter crimen mulctetur, in exilium mittatur, et hujusmodi. Jussio enim Superioris continet quamdam vim, et coactionem moralem respectu Subditi, ita ut non tam sponte, quam coacte censeatur operari, et talis Mandatarius sub illa conditione suscipit mandatum, ut Mandans subeat onus oriturum ex executione sui mandati; Secus autem si Mandans non sit superior, sed mandet alicui vi stipendii, quia tunc Mandatarius omnino voluntarie in se periculum assumit, cum ad id ex contractu sit mercede, seu stipendio conductus: *Sic Doctores passim.*

Mandans occidi Petrum, licet Mandatarius per errorem occidat Paulum, adhuc ipse Mandans tenetur ad compensandum totum damnum ex morte Pauli secutum, quia ex ipsius imperio est efficaciter secutum. *Communis.* 17

Si Mandatarius excedat mandatum in damno inferendo, ut si jussus comburere tantum Domum, et ipse volens comburat etiam vineas segetes, et hujusmodi, tunc excessum illum non mandans, sed Mandatarius excedens compensare tenetur, quia est secutus ex sola malitia Mandatarii, et non ex Mandantis mandato. *Communis.* 18

Si mandans mandatum suum ante executionem verbo, scripto, vel nuncio vere retractet, seu revocet, et revocatio ad notitiam Mandatarii perveniat, tunc liber est ab obligatione restituendi, quamvis Mandatarius, non obstante tale revocatione, adhuc damnum inferat, quia tunc tale damnum non sequitur ex Mandantis mandato, cum fuerit vere revocatum, sed totum sequitur ex mera malitia Mandatarii: *Communis.* 19

Si autem revocatio mandati ante executionem ad notitiam Mandatarii non pervenerit, isque exequatur, et damnum inferat, tunc Mandans tenetur ipse ad restitutionem, quia, non obstante sua revocatione, adhuc damnum secutum est ex vi sui iniqui mandati; *Communis.* Item tenetur Mandans ad restitutionem, quamvis revocatio mandati pervenerit ad notitiam Mandatarii, si ipse Mandatarius, vel non credens seriam esse revocationem, vel si credita seria, postea invicibiliter illius immemor damnum executus est; quia tunc, non obtante tali revocatione, adhuc damnum vere secutum est ex vi sui iniqui mandati: *Sic Doctores etc.* passim. 20 21

Mandans non eximitur ab obligatione restitutionis, quamvis, si ipse non mandasset damnum inferendum, alius ab ipso tale damnum mandavisset. Quia licet, illo non jubente, adhuc damnum fuisset secutum, cum tamen in tale damnum Mandans vere efficaciter influxerit, ipsi tamquam causae efficaci est imputandum, cum ad causam efficacem sufficiat verus influxus, nec sit necesse, quod sine ipsa damnum non fuisset causatum; Per hoc enim, quod licet alius combussisset domum, si ipsam non combussisset Paulus, non tollitur, quod Paulus ipsam non combusserit, si vere eam combussit. Quamvis enim *Matthaei*, 18. *nu.* 7. dicatur, quod 22

necesse est, ut veniant scandala, tamen, non obstante tali necessitate, gravis comminatio incurritur contra inducentem scandalum, ibi: « Verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit ».

23 Per ly *Consilium* venit omnis ille, qui ad damnificationem aliquem consulit, persuadet, allicit, instruit, movet, rogat, auxilium praebet, facilitatem, et modum ostendit, et hujusmodi; Talis enim contrahit obligationem restitutionis pro damno ex ejusmodi consilio, vel suasione reipsa secuto, cum sic efficaciter consulens tale damnum, sit vere causa illius: *Communis*.

24 Consulens ex stipendio, et ex officio suo, non solum tenetur de malo consilio ex dolo, vel culpa lata, sed etiam ex levi. Inter consulentem enim, et eum, qui accipit consilium intercedit contractus quidam in utilitatem utriusque, quandoquidem si consultus recipit commodum ex consilio proveniens, consulens recipit utilitatem stipendii: In contractibus autem, qui cedunt in utilitatem utriusque, oritur obligatio etiam ex culpa levi, ut tenet *Communis Doctorum* per textum in *l. Contractus* 23. *ff. de Regulis Juris*.

25 Consulens non ex stipendio, sed quia Jurista, Theologus, Confessarius, si per culpam, negligentiam, ac ignorantiam crassam, male consulendo causam praebet damni, ut si obligatum restitutioni deobliget, aut volentem injustum contractum inire male informet, tenetur ad restitutionem damni secuti ratione sui mali consilii ex ignorantia crassa, et culpa lata, non tamen ex levi: Talis enim consulens culpabiliter praestitit malum consilium, quod fuit causa illius damni secuti: Siquidem actiones, quae ex ignorantia crassa procedunt in iis, quae pertinent ad proprium statum, et professionem, maxime si sint damnosae, imputantur ignoranti, seu consulenti illas ob culpam, cum ex vi proprii status teneretur scire, et in consulendo seu respondendo errorem, vel negligentiam vitare; adeoque si ex ignorantia crassa, vel culpa lata consuluerit, et ex consilio damnum secutum fuerit, tenebitur ad compensationem, seu restitutionem: *Communis*, per textum in *cap. Si culpa tua* 9. *de injuriis, et damno dato*, ibi: « Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata . . . . . aut haec imperitia tua, sive negligentia evenerunt, Jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contigere, vel jacturam ».

26 Si autem consulens non sit persona, quae ratione status, vel muneris sui peritiam rei consulendae profiteatur, non obligatur ex malo consilio, nisi doloso, idest nisi scienter, et fraudulenter alterum ignorantem circumveniat, *Communis*, textu expresso in *cap. Nullus* 62. *de Regul. Juris* in 6. ibi: « Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur »; *et l. Consilii* 47. *ff. de Regul. Juris*, ibi: « Consilii non fraudulenti nulla obligatio est ». Quod omnes intelligunt de consilio libere dato ab amico v. g. non ex Officio debito.

Consulens dans consilium falsum, et damnificati- 27
vum, seu nocivum sine expressione utilitatis inde resultantis, verb. grat. quando consilium dat solum *ad sciendam veritatem*, an aliquis contractus sit illicitus, an talis medicina sit salubris, et hujusmodi? si ante executionem revocet dictum falsum, malum, et nocivum consilium, liberatur ab obligatione restitutionis, quamvis damnum adhuc sequatur; Tunc enim consulens revocans datum falsum consilium, fatendo se esse deceptum, aufert totum motivum, totamque causam, quam dederat pro damno inferendo; Unde, si non obstante tali revocatione, adhuc alter velit agere contra ipsam revocationem, non erit cur ipse consulens obligatus remaneat ex illa actione, cum tunc non consulentis auctoritate, et motione, sed sua dumtaxat malitia, vel privata sua opinione executor moveatur. *Communis*.

Si autem consulens dederit consilium nocivum, 28
seu damnificativum expressa, seu proposita damnificationis facilitate, utilitate, ac securitate, et hujusmodi, tunc licet revocet suum consilium ante executionem, si consultus a tali sibi antea proposita utilitate motus adhuc operetur, et damnum inferat, non liberatur dictus consulens ab obligatione restitutionis; Tunc enim illa utilitas, facilitas, et securitas, quam proposuit, et docuit consulens resultare ex illo opere, prout revera resultat, adhuc pergit movere operantem ad executionem illius operis, non obstante tali revocatione, adeoque cum consilium adhuc maneat causa efficax damni, adhuc consulens manet obligatus ad restitutionem: Sic Communior Doctorum sententia cum Sporer *tom* 2. *tract*. 4. *cap*. 3. *num*. 21. Lessio *lib*. 2. *de Justit. et Jur. cap*. 13. *dub*. 3. *num*. 16. Carden. *in* 2. *Crisi dis*. 23. *num*. 135. La Croix *lib*. 3. *par*. 2. *n*. 28. Rosignol. *de restitut*. 1. *praenot. XII. sect*. 2. *num*. 11. Henno *tom*. 2. *tract*. 1. *disp*. 4 *q*. 2. *conclus*. 2. et aliis pluribus contra Petrum Navarrum, Salonium, Filliucium, et alios.

Nec valet dicere, quod sicuti revocatio mandati, 29
serio, et sufficienter intimata liberat Mandantem ab obligatione restitutionis, ita etiam revocatio consilii debet liberare a tali obligatione Consultorem. Non valet, inquam, propter magnam disparitatem, quia Mandatarius non agit suo, sed mandantis nomine, et consequenter ubi mandatum revocatum est, non amplius Mandans influit in actionem. At vero qui consilium recipit, non agit Consultoris nomine, sed suo propter motivum utilitatis, commoditatis, vel voluptatis a consulente in opere injusto patrando sibi propositum, verb. grat. propter sibi propositam decoram vendictam in consulto homicidio, propter evitationem infamiae in consulto abortu, propter utilitatem in consulto facili, et commodo furto, et hujusmodi, et ideo quamvis Consultus millies dixerit alteri, *nolo ut utaris dicto meo consilio*, cum adhuc perseveret propositum motivum dictae decorae vindictae, evitationis infamiae utilitatis, et commoditatis furti a consultore alte-

rius menti impressum ad hoc reipsa, non obstante tali revocatione, Consultor efficaciter influit in opus injustum patrandum, et damnum tertio inferendum, adeoque obligatur adhuc ad restitutionem, et compensationem.

30 Consulens furi efficaciter parato auferre a Joanne 100. ut ab eodem auferat solum 50. non tenetur ad illam restitutionem, cum directe non concurrat ad damnum inferendum, sed potius praecise ad gravius damnum impediendum, et commodum Joanni afferendum sic utiliter rem ejus gerendo. *Communis.*

31 Si autem furi efficaciter parato auferre a Joanne 100. consulat. ut auferat 50. a Petro, de quo non cogitaverat, tenetur resarcire damnum Petro illatum per tale suum consilium, quia licet commodum procuraverit Joanni, fecit tamen cum detrimento Petri, cui tale detrimentum non pervenisset, si ipse sic non consuluisset, adeoque tenetur ad ejus compensationem. *Communis.*

32 Si furi efficaciter parato furari alicui indeterminato, consulat quis, ut furetur Titio, tenetur resarcire damnum Titio illatum per tale consilium, cum sit vera causa, cur hic determinatus damnificetur.

33 Si fur determinatus sit furari vel diviti, vel pauperi, licitum est consulere, ut furetur potius diviti, quam pauperi, non determinando ullum divitem in particulari, quia sic non determinatur voluntas furis ad damnum alicujus, sed tantum avertitur a majori peccato, et damno, cum, ceteris paribus, majus sit peccatum, et damnum furari pauperi, quam diviti. *Sic Communis Doctorum.*

34 Item si fur determinatus sit furari vel alicui particulari diviti, vel particulari pauperi, v. g. Titio divitit, vel Cajo pauperi, et non possit nisi alterutrum impediri, licet consulere, ut furetur Titio diviti, et non Cajo pauperi, evitando sic majus malum peccatum, et damnum; Tunc enim sic consulens directe non cooperatur ad damnum inferendum Titio, sed solum furi explicat veritatem aliquam certam, et utilem, scilicet minus peccatum, et damnu esse furari ditiori, quam egentiori. *Ita etiam Communior Doctorum.* *

Nota Romanae Theologi.

* Sed in praxi nullo modo hujusmodi consilia sunt danda, sed absterrendi potius perditi homines a quocumque furto.

Responsio Auctoris.

Vere quidem sunt prius absterrendi perditi homines a quocumque furto. Sed quid, si fur, non obstante quocumque terrore sibi incusso, remaneat adhuc obstinate determinatus ad furandum, vel diviti, vel pauperi, et nequeat ab alterutro averti, ut clare supponit mea conclusio? Nonne consulens in tali casu, majus malum esse pauperi furari, quam diviti, gerit utiliter rem Dei, et furis, ipsum furem avertendo a majori offensa Dei? Tunc enim proprie non consulit damnum, et peccatum, sed potius imminutionem peccati, et evitationem majoris damni, ad quod fur erat obstinate determinatus. Quamvis enim illicitum sit facere malum, ut eveniant bona, non est tamen illicitum obstinate determinato ad majus malum consulere minus, cum non possit alterum, seu utrumque impediri. Et hujusmodi consilia tamquam licita absque onere restitutionis admittit etiam Antoine *tract. de Justitia et Jure cap.* 4. *qu.* 7. §. 2. *resp.* 3. quamvis *ibi* praescindendo a circumstantia divitis, et pauperis recte dicat: « At tenetur ad restitutionem: si parato majus damnum inferre Paulo, consulat ut minus damnum potius inferat Petro, cui non statuerat inferre ».

* Ut percipiatur quid doceat Antoine, integra ejus verba describenda sunt. Sic igitur habet: « Qui minus malum consulit ad majus avertendum, non tenetur ad restitutionem, si consulit ut minus damnum eidem inferatur, cui inferendum erat majus. Quia per hoc consilium nullum damnum alteri infert; imo majus impediendo, utiliter rem ejus gerit, et tunc proprie non consulit damnum, sed potius imminutionem damni, seu evitationem majoris damni. At tenetur, si parato majus damnum inferre Paullo, consulat ut minus damnum potius inferat Petro, cui non statuerat inferre. Quia consilio suo est caussa injusta damni Petro illati, et injuriam infert Petro: nam quivis innocens habet jus, ne sibi inferatur damnum, etiam ad avertendum majus alterius. Et vero Petrus tam habet jus, ut servetur illaesus a minori illo damno, quam Paullus ut servetur illaesus a majori. Excipe, nisi damnum Petri sit tam leve, ut teneatur ex caritate illud pati ad impediendum majus damnum Paulli, quia tunc non est rationabiliter invitus »; Ex his autem non sequitur standum non esse sententiae Censoris Theologi ajentis in praxi nullo modo hujusmodi consilia esse danda, sed absterrendos potius perditos homines a quocumque furto, quibus verbis respicit ad ea quae Lucius n. 33. et 34. tradit *.

Per ly *Consensus* venit omnis ille, qui consentiendo efficaciter influit in alterius damnum, *Communis*. Hinc consentiens consensu efficaci in damnum alicui inferendum, sine quo consensu alii non possent, vel non vellent tale damnum inferre, tenetur una cum aliis cooperantibus ad restitutionem, et compensationem talis injustae damnificationis. *Communis.* 35 36

Consentiens sententiae iniquae, bello injusto, electioni personae indignae, aut minus dignae, si in ipsis requirantur vota, seu suffragia omnium, seu plenitudo votorum, tunc omnes tenentur ad compensationem damni ex consensu, et voto suo iniquo secuti: in tali enim casu omnes efficaciter causant illud damnum, et consequenter omnes etiam tenentur ad compensationem: *Communis*. Si autem non requirantur omnium vota, seu suffra- 37 38

gia, sed solum vota, seu suffragia majoris partis, ut passim in similibus currit, tunc postremi consentientes per suum suffragium, postquam sufficiens numerus suffragatus est dictae iniquae sententiae, bello injusto, electioni personae indignae, aut minus dignae, et similibus iniquis, et injustis actionibus, non tenentur ad restitutionem, quamvis peccent sic suffragando: Sic Navarrus in *Manual. cap.* **87.** *n.* **21.** Lessius *lib.* **2.** *de Justit. et Jur. cap.* **13.** *dub.* **5.** *n.* **23.** Cajetanus in *Summa verb. Restitutio cap.* **1.** **§.** *Consensus;* Rosignolus *de restitutione* **1.** *praenot.* **12.** *sect.* **3.** *n.* **2.** Sporer *tom.* **2.** *tract.* **4.** *cap.* **3.** *n.* **13.** Petrus a Navarra *lib.* **3** *de restitut. cap.* **4.** *n.* **33.** *et seq.* Molina, Vasquez, Layman, et alii passim contra Medinam, Cordubam, et paucos alios: Et ratio est, quia dicti postremi consentientes non fuerunt causa damni cum jam ante suam suffragationem, et votationem sufficiens, et efficax causa damni fuerit posita.

39 Si vero dicti postremi consentientes cognoscere non possint, sed dubitent, an suo, vel priorum suffragantium voto fuerit causata talis iniqua, et injusta laesio, ex quo vota fuerint secreta, tunc probabilius tenentur una cum aliis ad compensationem damni pro rata dubii; Petrus a Navarra *lib.* **8.** *de restitut. cap.* **4.** *n.* **38.** Rosignol. *loc. cit. n.* **4.** Sporer *loc. cit. n.* **36.** et cum aliis congestis Molina *tract.* **2.** *t.* **2.** *disp.* **736.** *n.* **6.** Lugo *disp.* **19.** *sect.* **1.** *n.* **21.** et alii; Et ratio est, quia ipsi dederunt operam injustae actioni, ex qua consecuta est illa damnificatio, seu laesio, adeoque, si cognosci non possit, an ab ipsis potius, quam ab aliis suffragantibus completa fuerit illa actio prout damnosa, omnibus ad ratam erit imputanda, et consequenter singuli tenebuntur pro rata parte ad compensationem, cum non sit major ratio de uno, quam de alio.

40 Item probabilius tenentur ad compensationem, seu restitutionem postremi consentientes, seu suffragantes post majorem partem, si sperent contradicendo posse sua auctoritate, vel gratia a tali iniqua sententia, vel indigna, et injusta electione, seu damnosa actione alios revocare, seu removere: Sporer *loc. cit. n.* **31.** Navarr. *in Manual cap.* **17.** *n.* **21.** *vers. Ex his sequitur*, Lessius *cit. lib.* **2.** *cap.* **13.** *dub.* **2.** *n.* **24.** Rosignol. *loco cit. n.* **7.** Layman **3.** *lib. tract.* **2.** *cap.* **5.** *n.* **6.** Henno *tom.* **2.** *tract.* **1.** *disp.* **4.** *quaest.* **3.** *resol.* **5.** et alii plures. Et ratio est, quia in iis, in quibus statur majori parti suffragantium juxta *l. Quod major* **19.** *ff. Ad Municipalem, et cap. Cum in cunctis* **1.** *de his, quae fiunt a majori parte Capituli*, singuli suffragantes tenentur ex Officio proprio, et ex justitia nihil non moliri, ut feratur justa sententia, aut fiat electio dignioris, et damnum omne, quod praevident, impedire si possint, adeoque si id possunt, et non praestent, sed potius per suum suffragium concurrant ad illas actiones, ex quibus damnum consurgit, cum sint causae partiales illius damni, tenentur pro rata parte ad illius compensationem. *

Nota Romani Theologi.

* Si damnum possint impedire, et non praestent, utique tenentur ad compensationem in solidum, non pro rata solum parte.

Responsio Auctoris.

At mea conclusio, ut ex *n. praeced. et seq.* potest colligi, supponit, quod possint solum impedire pro sua parte, et non in totum; si enim singulorum concursu sublato, adhuc fieret totum damnum, singuli non tenebuntur ad totum, sed tantum ad partem, quia singuli non posuerunt nequidem moraliter vim causativam totius damni, solummodo autem singuli tenerentur in solidum ad totum, si singulis non concurrentibus, damnum non poneretur, quia in tali casu, cum singuli potuissent, et debuissent impedire non dando suum concursum, reipsa singuli essent causa moraliter adaequata totius damni, adeoque tunc singuli tenerentur ad totum in solidum.

Immo aliqui volunt, quod postremi consentientes, si praevideant priores non esse suffragium retractaturos, adeoque indignum esse promovendum, et hujusmodi, non possint suffragari pro indigno, pro iniqua sententia, et hujusmodi, quia dicunt ipsi, tam postremi suffragantes, quam priores concurrunt ad electionem, seu sententiam iniquam, cum res concludatur, et executioni mandetur non tantum nomine priorum, sed omnium, qui pro illa suffragati sunt: Sic Henno *tom.* **2** *tract.* **1.** *disp.* **4.** *quaest.* **3.** *conclus.* **2.** Medina *Jo. de restitution. quaest.* **7.** *ad quintum*, Corduba in *Summa quaest.* **191.** et alii: Plurimi tamen communius defendunt contrarium. * Verum mihi priorum sententia non modo tutior, sed etiam probabilior videtur *. 41

Priores ferentes suffragium pro sententia, aut electione iniqua, et hujusmodi, peccant graviter, et tenentur ad compensationem, seu restitutionem, quamvis certo sciant, alios independenter a suo suffragio talem iniquam sententiam, aut electionem, et hujusmodi esse conclusuros: Sic Sporer *loc. cit. n.* **31.** Henno *loc. cit. conclus.* **1.** *resolut.* **4.** Cajetanus *in Summa verb. Restitutio cap.* **1.** **§.** *Consensus*, Lessius *de Justit. et Jur. lib.* **2.** *cap.* **13.** *dub.* **3.** *n.* **23.** Petrus a Navarra *lib.* **3.** *de restitut. cap.* **4.** *n.* **36.** Molina *tract.* **2.** *tom.* **3.** *disput.* **723.** *n.* **3.** Rosignol. *loc. cit. n* **6.** Lugo *disput.* **19.** *n.* **19.** La Croix *lib.* **3.** *part.* **2.** *n.* **35.** *et* **49.** cum aliis ibi citatis, et alii plures. Et ratio est, quia ipsi priores de facto influunt ad damnum necdum positum: et quamvis sine suffragio priorum adhuc alii subsequentes conclusissent iniquam sententiam, et electionem, et causassent injustam damnificationem, tamen non tollitur, quin ipsi priores, quantum fuit ex se, causam efficacem con- 42

tulerint iniquae sententiae, et electionis, seu injustae damnificationis, et concurrerint positive ad eam laesionem, et licet sine ipsis id fieret, tamen sine ipsis non est factum.

43 Nolens suffragari in iis circumstantiis, in quibus praevidet defectu sui voti aliquem esse injuste condemnandum, aut indigne promovendum, peccat graviter, et obligatur ad restitutionem, quia cum possit in iis circumstantiis suo voto impedire dictam injustam condemnationem, aut indignam promotionem, si ipse suum votum non ferat, censetur concurrere, et consentire tali injustae condemnationi, aut indignae electioni, per text. in *cap. Qui tacet* **43.** *de Regul. Juris in* **6.** ibi: *Qui tacet, consentire videtur*, et concordat l. *Soluto Matrimonio*, et faciunt dicta *supra n.* **40.**

44 Per ly. *Palpo* venit omnis ille, qui laudando, adulando, extollendo, plaudendo, commemorando alicujus nobilitatem, generositatem, excellentiam, vires, et hujusmodi, vel exagerando acceptam injuriam, dedecus, et contemptum, et hujusmodi, aut irridendo, vituperando, exprobrando alterius ignaviam, vecordiam, pusillanimitatem, et hujusmodi, et consimiliter faciendo, alterum efficaciter incitat, et movet ad actionem injustam, vindictam, vel quodvis damnum inferendum tertio, quod sine tali palpatione non intulisset. *Communis.*

45 Hinc taliter Palpans, si efficaciter influat in damnificationem alterius tamquam vera causa actionis injustae, graviter peccat contra Justitiam, et tenetur ad compensationem, seu restitutionem damni causati per suam iniquam palpationem. *Communis.*

46 Per ly *Recursus*, venit omnis ille, qui furem, sicarium, aut alium malefactorem hospitio recipiendo, defendendo, protegendo, instrumenta servando, furta, seu praedas emendo, custodiendo, et hujusmodi, praebet securitatem, aut commoditatem ad perpetrationem operis injusti; sicque efficaciter in causa est, ut damnum injuste inferatur, aut injuste illatum non restituatur. *Communis.*

47 Hinc talem recursum praebentes, si ratione illius Recursus, vel receptionis revera damnum sequatur alias non secuturum, peccant graviter contra Justitiam, et tenentur ad restitutionem. Tales enim sunt verae causae actionis injustae, et positive efficaciter cooperantes ad damnum injuste illatum, et injuste non compensatum. *Communis* per text. *l. Quo naufragium fit* **3.** *ff. de incendio* §. **3.** ibi: « Non tantum autem qui rapuit, verum is quoque qui recepit, ex causis suprascriptis tenetur, quia receptores non minus delinquunt, quam aggressores », et concordat *l. Qui vas* **48.** §. **1.** **2.** *et* **3.** *ff. de furtis: l. Eos* **14.** *Cod. de furtis*, *cap. Si res aliena* **1.** *Caus.* **14.** *quaest* **6.** ubi ex verbis Sancti Augustini sic expresse habetur: « Illud vero fidentissime dixerim, eum, qui pro homine ad hoc intervenit, ne mala ablata restituat, et qui ad se confugientem, quantum honeste potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis, et criminis ».

Per ly *Participans* venit omnis ille, qui participat in justa damnificatione proximi, sive ratione rei acceptae, sive ratione injustae acceptionis: *Communis.* Participans *ratione rei acceptae* est, qui partem furti, seu praedae recipit, aut consumit, et hic si mala fide receperit sciens rem esse furtivam, tenetur illam, si adhuc existat, vel equivalentem, si non amplius existat, restituere, quamvis non sit inde factus ditior; si autem bona fide receperit existimans recepisse a vero domino, tenetur rem adhuc existentem restituere, et si res amplius non existat, solum id, in quo factus est ditior: *Communis.* Participans ratio *injustae acceptionis*, est qui quocumque auxilio praestito alteri ad damnum inferendum formaliter cooperatur, ut qui ad furtum instrumenta porrigit, scalas defert, claves adulterinas efficit, furem defensionis causa comitatur, excubias agit, portas aperit, aut effringit, praedas, et furta asportat, et hujusmodi; Item Notarius conficiens instrumenta usurarum in gratiam usurarii, vel scribens sententiam aperte iniquam, ex vi cujus facienda sit executio, vel conficiens falsa instrumenta, seu testamenta in gratiam heredum, vel aliorum contra expressam mentem disponentium, seu testantium; et quilibet istorum, si per actionem injustam, et ab intrinseco malam, concurrerit, tenetur ad restitutionem juxta modum concursus: Sunt enim de facto efficaces cooperatores ad alterius damnificationem. *Communis.* 48 49 50

Dicitur autem notanter: « Si per actionem injustam, et ab intrinseco malam concurrit »; quia in damnificationem duplex actio intervenire potest. Una scilicet injusta per se, et ab intrinseco mala, ut juvare ad ipsam occisionem, vulnerationem, effractionem, ablationem, vel asportationem rei alienae, et qui sic participat cum injuste damnificante in actione injusta per se, et ab intrinseco mala, inexcusabiliter peccat, et semper tenetur ad restitutionem: *Communis.* Alia per se indifferens, et non ex natura sua intrinseca, sed solum ex iniqua intentione, et applicatione alterius mala, ut scalas ferre, praedam asportare, et hujusmodi, et qui participat in tali actione voluntarie, et libere, peccat, et tenetur ad restitutionem; Si autem participet in tali actione coacte, ut ex gravi metu mortis, mutilationis, atrocis verberationis, aut similis mali, aut ob aliam gravem, et justam causam, liber est a peccato, et ab onere restitutionis, quia actionem de se indifferentem exercere ad bonum finem per se licitum est, talis autem exercet dictam actionem ad bonum finem, scilicet ad vitam propriam conservandam, et supradicta gravia damna evitanda, adeoque etc. *Communis.* * 51 52

Nota Romani Theologi.

* Licet non peccet, non sequitur semper, non teneri eum ad restituendum; nam si quis auferat rem, quam suam esse existimet, non peccat, sed

restituere eam debet, cum alterius esse deprehendit.

Responsio Auctoris.

Sed hic nihil contra meum assertum, nedum enim mihi, sed et lippis, et tonsoribus notum est, quod si quis auferat rem, quam suam esse existimet, non peccat, sed restituere debet, cum alterius eam esse deprehendit.

53 Hinc excusantur, a peccato, et a debito restitutionis rustici, qui post injustam depraedationem angariantur a militibus, aut praedonibus, ut currus, equos, immo ut se ipsos accommodent ad asportanda spolia. gravi enim metu, et periculo excusati non inferunt dominis formalem injuriam, cum censeantur in tali casu rationabiliter inviti. Item excusantur a peccato, et a debito restitutionis, qui metu mortis, aut alterius gravis mali coacti praebent furibus claves, vel instrumenta ad effringendas fores, vel areas, et hujusmodi; Tales enim actiones de se sunt indifferentes, at ex sola furum malitia alium damnificant. Item excusantur a peccato, et a debito restitutionis Christiani captivi, qui metu mortis remigare, arma, et sarcinas asportare, propugnacula extruere coguntur pro Turcis contra Christianos. Tales enim actiones sunt de se indifferentes, et ex sola Turcarum malitia ad Christianorum damnificationem ordinantur. Non excusarentur tamen dicti Christiani etiam metu mortis, si bellica tormenta contra Christianos explođerent, sagittas emitterent, ipsosque occiderent, quia istae, et similes actiones sunt per se, et ab intrinseco malae propter belli injustitiam, unde nullo fine possunt excusari. *Communis.*

54 Quid dicendum de Officialibus bellicis, et militibus, qui injuste concurrunt, et cooperantur sive mandato, consilio, consensu, conniventia, aut etiam non obstando ad injustas Civitatum, et Oppidorum expoliationes, segetum, et vinearum devastationes, injustas exactiones, et hujusmodi? Vide verb. *Bellum art.* 3. *per totum.*

55 Per ly *Mutus* venit omnis ille, qui cum posset, et deberet loqui contradicendo, dissuadendo, pro hibendo, clamando ante damnum factum ad illud impediendum, tamen non loquitur, non clamat, non contradicit, non scribit, non prohibet. *Communis.*

56 Per ly *Non obstans* venit omnis ille, qui cum possit, et debeat ipso facto damnum impedire, tamen non impedit, non defendit, non repellit, aut alia actione non avertit malum, cum de facto infertur. *Communis.*

57 Per ly *Non manifestans* venit omnis ille, qui post damnum jam illatum, non denunciat, seu non revelat damnificantem, vel locum, in quo reposita est res ablata. *Communis.*

58 Mutus non obstans, non manifestans, si ex Justitia, scilicet ex officio, vel contractu obligati sint impedire damnum alterius, et non impediunt, cum possunt, tenentur ad damni secuti compensationem, seu restitutionem; Secus autem si obligati sint solum ex Caritate: *Communis.* Et ratio est clara, quia obligatio restituendi oritur solum ex violatione Justitiae, et non ex violatione Caritatis; ergo solum illi tenentur ad restitutionem, qui cum possunt, non impediunt alterius damnum, quod tenentur impedire ex Justitia, et non illi, qui illud impedire tenentur tantum ex Caritate.

Obligati ex Justitia ad impediendum alterius damnum excusantur a gravi culpa, et ab obligatione restitutionis, si non impediant propter periculum gravis damni proprii majoris, aut aequalis, uti est jactura gravis rei familiaris, famae, vel honoris, et praesertim vitae, Scot. in 4. *dist.* 15. *q.* 4. *vers. Illo de quarto*, Covarr. *ad Regul. Peccatum* 2. *part. n.* 5. §. 3. Adrianus in 4. *de restit. in communi*, §. *Concurrentibus;* Navarr. *in Manual. c.* 17. *num.* 18. *et num.* 135. S. Antoninos *secund. part. tit.* 1. *c.* 12. §. 7. Angelus verb. *Furtum* §. 26. Tambur. *lib.* 8. *tract.* 4. *c.* 2. §. 6. *num.* 6. Molina *loc. cit. disp.* 735. *n.* 1. Sporer *loc. cit. num.* 5. Rosign. *loc. cit. n.* 6. Henno *loc. c. q.* 5. *conclus.* 1. *circa fin resol.* et alii passim; Et ratio est, quia ordinarie non assumuntur haec Officia, nec ineuntur haec pacta impediendi aliorum damna cum tanto onere, et periculo damni proprii majoris, vel aequalis; Nisi quid amplius speciale pactum exposcat, ut in milite tempore belli, et Parocho tempore pestis, vel subversionis suarum ovium. Unde recte docet Scotus *cit. distinct.* 15. *q.* 2. quod ad restitutionis onus tria requiruntur. I. quod possit quis damnum alterius impedire sine gravi vitae, et honoris, aut rei familiaris nocumento. II. quod debeat impedire. III. quod ex Justitia. 59

Obligati ad impediendum alterius damnum solum ex Caritate non tenentur ad restitutionem, etiamsi non impediant ex dolo, vel malitia, odio, seu vindicta; S. Antoninus 2. *part. tit.* 1. *c.* 35. §. 13. Navarrus *c.* 17. *num.* 18. *et nu.* 136. Medina Jo. *de restit. quaest.* 9. *vers. Primus modus* Petrus a Navarra *lib.* 3. *de restit. cap.* 4. *n.* 131 Bartholom. Medina in *sua institut. lib.* 1. *cap.* 14. §. 21. Sporer *loc. cit. num.* 52. Rosignol. *loc. c. n.* 6. et alii: Et ratio est clara, quia odium non est causa restitutionis, sed injustitia commissa: In tali autem casu nulla est injustitia commissa, quia nulla fuit obligatio impediendi damnum ex Justitia, sed solum ex Caritate, ut expresse loquitur conclusio, adeoque etc. 60

Nec valet objicere textus Canonicus *in cap. Pasce* 21. *dist.* 86 ibi: « Pasce fame morientem, quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non cavisti, occidisti » *cap. Non inferenda* 7. *caus.* 23. *q.* 3. ibi: « Qui enim non repellit a socio, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit », *c. Sicut dignum* 6. §. *Illi etiam, de homicidio*, ibi: « Qui potuit hominem liberare a morte, et non liberavit, eum occidit ». 61

62 Non valet inquam, quia relati, et alii similes textus Canonici intelligendi sunt quantum ad aequalitatem culpae, non vero quoad obligationem restituendi, nisi respectu personarum, quae ex Justitia tenebantur, ejusmodi mala avertere, et impedire; Personae autem, quae ad id tenentur solum ex Caritate, quamvis id omittentes graviter peccent contra caritatem, non tenentur tamen ad ullam restitutionem, cum non peccent contra Justitiam.

* Traditam ab Auctore doctrinam de illo, qui ex odio non impediat, cum possit, nimirum quod ad restitutionem non teneatur, limitat Cunuliati tract. IX. de VII. Decal. Praecepto cap. V. §. XIV. num. II. 1. tom. pag. 398. » in casu quo qui vult damnum inferre, ex quo noverit odium tuum, confidens, te non manifestaturum, impediturum etc. » liberius inferat damnum, quod alioquin, te vidente non inferret, aut longe minus tunc nisi » clames, impedias, sine tuo damno manifestes, » censeris cooperari, non tamquam Mutus, sed ut » consentiens in damnum, quod ex odio tuo alii » inferunt, alioquin non illaturi: et hinc tenereris » ad restitutionem ». *

63 Principes, Magistratus, Gubernatores, Praetores, ac Duces belli, si non impediant damna subditorum, tenentur ad restitutionem omnium damnorum sua culpa, et negligentia secutorum: *Communis*; Ipsi enim obligantur lege Justitiae commutativae ad impedienda damna subditorum, cum stipendia, et reditus recipiant ad hunc effectum tamquam conducti a Repubblica; Unde si non impediant damna, quae possunt, et debent, non solum violant legem Caritatis, sed etiam legem rigorosae Justitiae, adeoque tenentur ad restitutionem. Vide verb. *Bellum. art.* 2 *et* 3.

46 Item ad restitutionem tenentur Tutores, Curatores, Administratores bonorum non impendientes damna Pupillis, Minorennibus, Ecclesiis etc. provenientia. *Communis;* Ipsi enim ad id tenentur ratione sui Officii, eo quod a potestate publica, aut consuetudine sic communiter recepta illud onus eorum Officio sit annexum.

65 Item ad restitutionem tenentur Advocati, et Procuratores non impedientes damna suis Clientibus obvenientia. *Communis*; ipsi enim ex vi proprii muneris tenentur suorum Clientum detrimenta impedire, quantum possunt, cum ad id sint conducti, et mercedem, seu stipendia recipiant. Vide verb. *Advocatus.*

66 Item ad restitutionem tenentur Assessores, Canonici electores, Consiliarii, qui vel tacendo, vel se absentando, cum possint, non impediunt iniquam Constitutionem, injustam et indignam electionem, et hujusmodi: *Communis.* Ad id enim tenentur isti ratione proprii muneris. Vide dicta *supra n.* 43.

67 Item ad restitutionem tenentur famuli, domestici, seu ancillae, quibus cura, seu custodia specialis domus, aut rei familiaris commissa est, si non impediant furta, aliaque damna, quae dominis inferuntur, sive ab extraneis, sive a conservis, vel condomesticis: *Communis.* Ipsi enim ex suo officio, adeoque ex Justitia tenentur, quantum possunt, talia damna impedire, cum ad id sint conducti, adeoque si non impediant, tenentur ad restitutionem. Vide verb. *Famuli.*

Alii famuli, seu ancillae, quibus ejusmodi specialis cura non est demandata, tenentur probabilius ad restitutionem, si non impediant damna, quae dominis inferuntur ab extraneis: Lugo *disp.* 19. *sect.* 2. *n.* 106. Rosignol. *loc. cit. n.* 17. La Croix *l.* 3. *par.* 3. *n.* 46. cum Navarr. et aliis ibi citatis, Sporer *loc. cit. n.* 57. cum Petro a Navarra, Lessio, et aliis ibi citatis, Henno *loc. cit. qu.* 5. *conclus.* 2. *resol.* 4. et alii plures contra Molinam, Azorium, Bonacinam, Rebel. et alios; Et ratio nostra est, quia eo ipso, quod in famulatum recipiuntur, censentur obligari ad res Dominorum ab injuriis extraneorum defendendas, et custodiendas, cum sint mercede conducti ad commodum, et utile eorumdem Dominorum, adeoque obligantur ad restitutionem, si cum possint eorum damna impedire, culpabiliter non impediant. 68

Non tenentur tamen dicti famuli, seu ancillae ad restitutionem, si non impediant damna, quae Dominis inferuntur a conservis, vel condomesticis: *Communis;* Isti enim cum certa mercede conducuntur a Dominis ad suum famulatum, non censentur se obligare ad custodiendas res Dominorum contra alios conservos, et domesticos, nisi haec specialis custodia sit eis demandata, et conventa. Cum enim omnes in eadem Domo cohabitent, nimis difficile est, quod unus servus variis aliis curis distractus possit aliorum conservorum furta praecavere; Unde a prudentibus Dominis solet unus ex famulis sibi benevisus ad hoc munus custodiae specialiter deputari, qui ex dictis *supra n.* 67. tenetur ad restitutionem damnorum sua negligentia Domino illatorum, sive ab extraneis, sive a conservis, seu condomesticis. 69

Custodes conducti ad impediendum venationem, piscationem, lignationem, agrorum, et vinearum damnificationem, Gabellarum defraudationem, et hujusmodi, si non impedierint, vel manifestaverint, tenentur ad compensationem damnorum inde directe secutorum *Communis;* Isti enim sunt ad id conducti, unde si in hoc suo munere, ad quod ex Justitia obligantur, deficiant, tenentur ad compensationem damnorum suo culpabili defectu Dominis illatorum. 70

Non tenentur tamen dicti Custodes ad restituendas poenas, seu mulctas, quas Domini accepissent a delinquentibus, si ipsi Custodes eos accusassent, seu denunciassent; Talium enim Custodum Officium non est locupletare Dominos ex lucro poenarum, seu mulctarum, sed solum defendere, custodire, et servare indemnes res suae custodiae commissas, cum initus suus contractus non extendatur ad mulctas procurandas, sed solum ad custodien- 71

das, et indemnes servandas res sibi creditas; Lessius *lib.* 2. *de Instit. et Jure cap.* 13. *dub.* 10. *n.* 73. Navarrus *cap.* 25. *n.* 34. Lugo *disp.* 37. *n.* 102. Silvester verb. *Restitutio* 2. *quaest.* 5. *dub.* 7. Tamb. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 2. §. 6. *n.* 12. Rosignol. *l. c. n.* 14. Henno *loc. cit. qu.* 4. *conclus.* 2. La Croix *loc. cit. n.* 48. Sporer *loc. cit. n.* 58. aliisque citatis, Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 64. et alii contra Petrum a Navarra, Joannem Medinam, Bartholomaeum Medinam, Salonium, et alios.

72 Si fur donet alicui partem rei furtivae ad hoc, ut taceat, tenetur illam Domino restituere, quia
63 non erat furis, sed ejus, cui furatus est: *Communis.* Si autem fur donet ipsi aliquid de suo, non tenetur restituere illi, cui furatus est, quia sine injustitia potuit tacere, ut supponitur, nec tenetur restituere furi, quia turpe lucrum post opus impletum potest retineri, ut recte docet S. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 2. et Communis aliorum.*

Nota Romani Theologi

Dummodo tamen is tacendo non sit causa influens in furtum.

Responsio Auctoris.

At satis ego *ibi* demonstro, quod is tacendo non sit causa influens in furtum, dum dico expresse: *quia sine injustitia potuit tacere;* si enim is tacendo esset causa influens in furtum, jam non posset tacere sine injustitia.

74 Confessarius ex ignorantia crassa, seu ex malitia positive deobligans poenitentem a restitutione, quando tenetur, vel ipsum obligans, quando non tenetur, positive suadens, seu docens, aliquem contractum esse justum, quando revera est injustus, et usurarius, tenetur omnino ad compensationem damni secuti tertio. *Communis;* In tali enim casu Confessarius positive fuit causa efficax, et injusta dicti damni, adeoque tenetur ipsum compensare, et reparare. Vide dicta *supra n.* 25.

75 Confessarius non positive deobligans poenitentem a restitutione, sed solum negative in quantum ex negligentia, sive ignorantia crassa, verecundia, vel metu taceat, nec injungit poenitenti restitutionem faciendam, ad nullam obligatur restitutionem; Confessarius enim ex Justitia erga tertium non tenetur admonere, aut positive impedire ejus damnum, sed ad summum ex Caritate: Laesio autem solius Caritatis non obligat ad restitutionem, adeoque etc. Ita Sporer *l. c. n.* 62. cum Valentia, Lessio, Sa, Fabro, Tannero, Layman ibi citatis, La Croix *l.* 6. *par.* 2. *n.* 1681. cum Suarez, Valentia, Azor. Sanchez, Filliuc. Rebell. Coninch. Malder. Bonacina, Arriaga, Aversa, Busemb. Lugo, Diana ibi citatis, et alii plures apud Moyam *t.* 3. *ad* 7. *q.* 4. contra Navarrum, Angelum, Rosellam, Molinam, Gabr. Silv. Moyam, et alias volentes Confessarium adhuc in tali casu teneri restituere, et consentit Lessius *l.* 2. *c.* 13. *n.* 77. et Rosignol. *l. a. n.* 18. *et seq.* si Confessarius sit Parochus; quia, dicunt ipsi, ex Officio tenetur Parochus suos Parochianos poenitentes de tali obligatione admonere, et sic tacendo aequivalenter dicit non teneri restituere, quod maxime valet, si ex malitia studiose ideo taceat, ne poenitens obligationem sciat, et restituat, quia in hoc casu alter habet Jus, ne per talem dolum fraudetur. Qua studiosa malitia, et dolo interveniente, nec ego ab hac sententia auderem recedere, quia fraus, et dolus, et malitia nemini debent patrocinium impertiri, *c. Ex litteris,* 2. *de dolo,* et *contumac. c. Sedes.* 15. *et c. Ex tenore* 16. *de Clericis non residentibus; l. In fundo, ff. De rei vindic. l. Cum hi, ff. de transact. l. Si Legatarius, Cod. De Legatis,* cum similibus, quamvis Sporer *loc. cit.* cum aliis excuset eum ab onere restitutionis, etiamsi ex malitia non moneat poenitentem de tali obligatione restituendi.

Nota Romani Theologi.

Assumpto onere audiendi confessiones, videtur teneri ex officio, ac proinde, ex justitia.

Responsio Auctoris.

Ast advertendum, quod onus assumptum audiendi confessiones a simplici Confessario, est solum assumptum ex caritate, et non ex justitia: debet enim discrimen intercedere onus a Confessario Parocho assumptum inter, et onus assumptum a Confessario simplici. Illud Parochi obligat ex justitia, quia a parochianis accipit ad id tamquam ex contractu decimas, stipendia, seu praebendam parochialem, ob quae ipse Parochus tenetur parochianos instruere ex justitia. Simplex autem Confessarius, cum nullum recipiat stipendium, nec ullum inierit ad id contractum cum poenitentibus, tenetur solum illos instruere ex caritate, propter quam solummodo munus Confessarii libere quando voluerit a se exercendum sine ullo onere assumpsit, adeoque, cum nullimode violet in hoc casu justitiam, ad nullam tenetur restitutionem. Sic etiam ultra *ibi* a me allegatos tenet celeberrimus P. Antoine *de Poenit. cap.* 3. §. 10. *resp.* 3. Videatur etiam ad rem toties laudatus Alphonsus de Ligorio *cap.* 15. *punct.* 6. *n.* 123.

Nota Romani Theologi.

Si ex officio, tenetur etiam restituere, licet non ex malitia, quia deficeret in officio.

Responsio Auctoris.

Ast recurrit praecedens responsio. Tenetur quidem ad restitutionem, si deficiat in officio, ut Pa-

rochus, assumpto ex justitia, sed non, si deficiat ut simplex Confessarius in officio assumpto ex mera caritate.

77 Confessarius, qui bona fide, et absque culpa deobligat poenitentem a restitutione, cum ad eam tenetur, vel obligat, quando ad eam non tenetur; per se loquendo non tenetur compensare damna causata, quia ubi culpa non est, neque debet esse poena, textu expresso in *c. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus*, ibi: « Res, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit »: Coguito tamen errore, et comperta veritate, tenetur ex Justitia admonere poenitentem, La Croix *l.* 3. *P.* 2. n. 362. *et lib.* 6. *part.* 1. n. 1780. Arragonius, Salonius ibi citati; et alii.

78 Testis a Judice vocatus, et interrogatus de damno ab altero illato, si scienter falsum testimonium dicat cum damno innocentis, tenetur ad compensationem damni ipsi causati. *Communissima;* Talis enim falsum dicendo cum damno tertii peccat contra Justitiam, adeoq. onus restitutionis incurrit.

79 Si autem testis a Judice vocatus, et interrogatus, fuga, silentio, vel tergiversatione declinet, dissimulet, veritatem celet, non obligatur ad compensationem damni ex intermissione sui testimonii parti innocenti, vel laesae, vel nocenti secuti: Sic ex communi docet Molina *loco cit. disp.* 739. n. 6. Lessius *loc. cit. cap.* 30. *dub.* 8. n. 57. *et seq.* aliisque citatis, Layman lib. 3. *de Justitia tract.* 2. *c.* 5. n. 7. *in fine*, Rosignol. *loc. cit.* n. 21. *et seq.* Sporer *loc. cit.* n. 61. et alii passim; Et ratio est, quia in tali casu testis dissimulans, vel tacens veritatem non peccat contra Justitiam commutativam, cum pars laesa, vel innocens nullum habeat jus cogendi ipsum ad exprimendam veritatem, sed solum peccat contra Caritatem erga innocentem, contra Obedientiam, contra Superiorem, vel Judicem vocantem, et interrogantem, et ad summum contra justitiam legalem, contra Communitatem, quod nullam inducit obligationem restituendi, cum talis obligatio oriatur solum ex violatione Justitiae commutativae, ut dictum est *supra n.* 3.

Nota Romoni Theologi.

Quoties est legitime inductus, videtur obligari.

Responsio Auctoris.

Nequaquam, idque propter solidam rationem *ibi* a me adductam, cum talis testis in dicto casu non violet justitiam, ex cujus solius violatione oritur obligatio restitutionis. Ipse enim testis legitime inductus, non comparendo non constituitur injustus, sed solum inobediens, vel contumax, nec citatio illa imponit obligationem justitiae ad comparendum, sed dumtaxat obedientiae; ex violatione autem obedientiae praecise, quando non est aliunde obligatio justitiae, nemo tenetur ad restitutionem, cujus obligatio oritur solum ex violatione justitiae. Videatur inter alios ad rem celeberrimus Rosignolus *de restit.* n. 1. *proenot.* 12. *sect.* 7. n. 21. et sequentibus, ubi id efficaciter probat, et solvit omnes objectiones.

An ficti pauperes teneantur restituere eleemosynas acceptas: Vid. verb. *Eleemosyna.* 80

An, et quomodo adulteri teneantur restituere damna causata ob sua adulteria? Vide verb. *Adulterium art.* 5. 81

An, et quomodo stupratores teneantur ad restitutionem pro stupro? V. v. *Stuprum, Stuprator.* 82

An parentes exponentes filios suos, sive legitimos, sive illegitimos in Hospitali, vel alio loco ad id deputato, vel in locis, ubi aluntur expensis Reipublicae, seu Communitatis, vel ad ostium alterius, teneantur ad restitutionem expensarum pro ipsis factarum? Vide verb. *Parentes a n.* 23. *ad* 31. 83

An inveniens infantem ante ostium suum, et illum ponens ante ostium alterius, teneatur ad restitutionem expensarum inde factarum? Vide d. verb. *Parentes n.* 32. 84

An, et quomodo Emptores, et Venditores teneantur ad restitutionem? Vide verb. *Contractus* Emptionis Venditionis *per tot.* et signanter *art.* 2. 3. *et* 5. 85

An, et quando possessor bonae, et malae fidei teneatur ad restitutionem? Vide verb. *Possessor bonae, et malae Fidei.* 86

An, et quando defraudantes Gabellas teneantur ad restitutionem? Vide verb. *Gabella.* 87

An, et quando pascentes animalia in alienis pascuis, vel lignantes in alienis Silvis, seu nemoribus teneantur ad restitutionem? Vide verb. *Pascua.* 88

An, et quando impediens aliquem a consecutione boni teneatur ad restitutionem? Vide verb. *Impediens.* 89

An, et quando fur ob furta minuta, et alia gravia teneatur ad restitutionem? Vide verb. *Fur.* 90

An, res inventae, vel derelictae restitui debeant. et quibus? Vide verb. *Dominium art.* 3. 91

An, et quomodo Beneficiati teneantur ad restitutionem fructuum ob non recitationem Divini Officii? Vide verb. *Officium Divinum.* 92

An, et quando Canonici teneantur ad restitutionem fructuum ob non residentiam? Vide verb. *Canonicus art.* 5. 93

An, et quomodo facienda sit restitutio pro fama ablata? Vide verb. *Detractio.* 94

Alia ad rem. Vide verb. *Bellum art.* 2. *et* 3. verb. *Bona art.* 4. verb. *Culpa*, verb. *Damnificatio.* 95

ARTICULUS II.

QUOAD EA, QUAE CONCERNUNT RESTITUTIONEM PRO HOMICIDIO, VEL PERCUSSIONE, SEU MUTILATIONE.

SUMMARIUM

1. Injustus, et voluntarius homicida, percussor, vel mutilator tenetur restituere omnia damna temporalia inde secuta, *ad num.* 15. — 16. Occidens injustum invasorem, vel provocantem, seu voluntarie consentientem in pugnam, non tenetur ad restitutionem damnorum inde secutorum; *ad num.* 21. — 22. Si provocans occidat provocatum, qui metu infamiae debuit comparere, provocans tenetur compensare damna inde secuta. — 23. Committens occultum homicidium, quod postea per errorem alteri imputatur praeter sui intentionem, non tenetur ad compensanda damna ei inde secuta; *ad num.* 26. — 27. Intendens occidere solummodo feram, et adhibita cautela, et diligentia, per errorem, ac ignorantiam invincibilem occidit hominem, non tenetur ad ullam restitutionem. — 28. Qui certo sciens ibi esse hominem, et credens esse Cajum suum inimicum, occidit Titium, alioquin non occisurus, tenetur ad restitutionem. — 29. Ebrius alium occidens, si ebrietas non fuit culpabilis, et voluntaria, vel si fuit talis, homicidium tamen non praevidit, seu omnem diligentiam debitam adhibuit ad ipsum cavendum, non tenetur ad restitutionem; Tenetur autem, si praevidit, et non cavit. — 30. Vulnerans injuste etiam vulnere non laethali, ad restitutionem tenetur, si occasione talis vulneris, quamvis de se non laethalis, alius morbus, seu inflammatio suborta mortem inferat vulnerato. — 31. Si autem vulneratus vulnere non laethali postea perierit, non ratione vulneris per se, sed solum per accidens ex propria negligentia, et incuria, seu imperitia Medici, vel Chirurgi, vulnerans tenebitur solum ad restitutionem damni causati vivo pro vulnere, non autem ad restitutionem damni causati mortuo, seu ejus haeredibus pro homicidio. — 32. Occidens hominem, quem certo scit paulo post justa morte occidendum, non tenetur ad restitutionem. — 33. Occidens autem hominem, quem certo scit paulo post injuste occidendum a latrone, Mandatario, et hujusmodi, tenetur ad restitutionem. — 34. Si Paulus initium, et causa fuit rixae cum Petro per sola verba contumeliosa, et ideo ab ipso Petro excandescente occidatur, tenetur Petrus ad restitutionem; *ad num.* 37. — 38. Si quis a Mandatariis requisitus ostendat Domum Caji, qui inde fuit ab illis occisus, si sine coactione, et sine gravi mortis timore id fecit, tenetur ad restitutionem; non tenetur autem, si id fecit coactus, et ratione gravis metus mortis sibi alias indictae. — 39. Homicida in rigore Juris non liberatur ab obligatione restituendi damna temporalia ex homicidio secuta, quamvis a Magistratu capite plectatur. — 40. Practice autem loquendo excusantur tales homicidae ab ejusmodi restitutione; maxime si haeredes occisi sint nobiles, et divites. — 41. Damna secuta ex homicidio sunt compensanda, et restituenda solis haeredibus proximis occisi, *ad num.* 48.

1 Injustus, et voluntarius homicida, percussor, vel mutilator tenentur restituere omnia damna temporalia inde secuta: *Communis.* Qui enim causam damni dat, damnum dedisse censetur; *cap. Si culpa* 9. *de injuriis, et damno, l. Qui occidit* 30. §. 3. *ff. Ad legem Aquiliam.*

2 Hinc Injustus, et voluntarius homicida, percussor, vel mutilator tenetur restituere omnes expensas rationabiliter factas ab occiso non statim mortuo, percusso vel mutilato pro cibis extraordinariis, pro Medicis, et medicinis, pro linteaminibus, et aliis in curatione necessariis, deductis tamen iis, quae ipse, si sanus esset, insumpturus fuisset in suo victu ordinario: *Communis* per textum in §. 1. *Institut. de obligationibus, quae quasi ex delicto nascuntur, et in leg. Cum liberi* 7. *ff. De his qui effuderint, vel dejecerint; cap. Si rixati* 1. *De injuriis et damno dato.*

3 Item restituere debet lucrum cessans, et damnum emergens ratione occisionis, vulnerationis, aut mutilationis, ut si interfectus haberet Officium proficuum, Beneficium, censum vitalitium, et hujusmodi, si vulneratus vel mutilatus esset opifex, sutor, sartor, et hujusmodi, et pendente curatione, seu stante mutilatione, ver. gr. manus, aut pedis, esset inutilis ad consueta sua opera, et lucra pro se, et sua familia sustentanda: *Communis*, per text. *in cit.* §. 1. *Institut. de obligationibus, quae quasi ex delicto nascuntur, et in cit. leg. Cum liberi* 7. *ff. de his, qui effuderint, vel dejecerint, cap. Si rixati* 1. *de injuriis, et damno dato.*

Item restituere debet damna omnia realia simul 4
per accidens illata in bonis fortunae, vel honoris, ut si latro hominem, vel ejus domum spoliasset, graviter diffamasset, si ejus domum effregisset, aliave damna intulisset, ad hoc ut eum occidere, vulnerare, seu mutilare posset. *Communis.*

Restituendae tamen non sunt expensae factae 5
pro funere occisi, quia tales expensae aliquando faciendae essent, cum aliquando deberet ille mori; Excipe tamen, nisi ratione necis illatae, v. g. extra patriam in loco alieno majores sumptus fieri oportuisset, tunc enim restituendum erit pro excessu: *Communis* contra Navarrum *in Manuali cap.* 15. *n.* 22. ubi nimis rigide dicit esse restituendas expensas moderatas juxta defuncti qualitatem, quia earum etiam fuit causa occisor.

An autem pro vita, membro, cicatrice sit aliqua 6
facienda restitutio? Variant Doctores. Glossa enim *in cap. Si rixati* 1. *de injuriis, et damno dato*, Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 23. Vasquez *de restitutione cap.* 2. §. 3. *dub.* 6. Navarr. *in Manual. cap.* 24. *n.* 22. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 4. *c.* 6. *n.* 2. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *n.* 2103. Sporer *loco cit. n.* 221. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 299. cum 44. aliis Auctoribus ibi relatis, Lugo

tom. 1. *disp.* 4. *sect.* 1. *n.* 5. et ipso teste, Recentiores communiter tenent de rigore Justitiae commutativae nullam faciendam esse restitutionem praecise pro vita, membro, vel cicatrice relicta, cum nunquam sit obligatio restituendi in bono diversi generis. Notum est enim, quatuor esse genera, seu ordines bonorum. In primo genere sunt bona Animae, sive spiritualia. In secundo sunt bona vitae, et membrorum. In tertio sunt bona famae, et honoris. Et in quarto sunt bona externa, et temporalia fortunarum.

7 Unde pro hac sententia affertur inter alias haec ratio a priori, quia Justitia commutativa habet pro objecto formali aequalitatem; respicit enim essentialiter aequalitatem inter Jus, et Jus, inter datum, et acceptum; quare ubi haec aequalitas poni non potest, cessat tota obligatio Justitiae commutativae, et restitutionis. Haec autem aequalitas nequit poni inter bona diversi generis, et ordinis, sive superioris, sive inferioris, cum solum bona ejusdem generis, et ordinis, secundum aequalitatem inter se commensurari possint, adeoque praecise pro vita corporali, vel membro abscisso nulla fieri debet de rigore Justitiae commutativae restitutio, neque per bona spiritualia, cum haec sint diversi generis, et altioris ordinis, quam vita corporalis; neque per bona temporalia, cum haec sint longe inferioris ordinis, quam ipsa vita, et integritas corporalis, quae nullo pretio temporali est aestimabilis; textu expresso in l. *Praetor.* 1. §. 5. *ff. de his, qui effuderint, vel dejecerint,* ibi: « In homine libero nulla corporis aestimatio fieri potest », l. *Cum liberi* 7. *ff. eod.* ibi: *Liberum corpus nullam recipit aestimationem.* Et concordant *l. Ex hac lege* 3. *ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*, l. *Qua actione* 7. *et* l. *Liber homo* 13. *ff. Ad Legem Aquiliam,* cum similibus, in quibus omnibus aperte supponitur praecise pro vita, aut membro hominis liberi non esse aliquid restituendum. Quod, et clare indicat Sacra Scriptura *Exodi* 21. *n.* 19. ubi dicitur Percussorem fore innocentem, idest liberum, si percussus non moriatur; dummodo operas solvat, ac expensas in Medicos restituat, ibi: « Si rixati fuerint viri, et percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo, si surrexerit, et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit, qui percusserit, ita tamen ut operas ejus, et impensas in Medicos restituat ». Sic autem absolute non pronunciaretur liber, si de Jure, et in conscientia, ad quam dirigendam potissimum est Sacra Scriptura, teneretur etiam dare aliquid pro vulnere, vel mutilatione; et concordat text. *in cap. Si rixati* 1. *de injuriis, et damno dato* per eadem fere verba, ibi: « Si rixati fuerint homines, et percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, et ille mortuus non fuerit, si jacuerit in lecto, qui percusserit, operas ejus, et impensas in Medicos restituat »: ubi cum nulla mentio fiat de restitutione pro vulnere, sed pro solis operis, et expensis, significatur non esse talem obligationem. Et hanc sententiam ad longum inter alios defendunt, solvendo etiam contraria, Lugo *loc. cit. a n.* 5. et La Croix *loco cit. a n.* 299. ibi videndi.

Alii autem, et signanter S. Thomas 2. 2. *qu.* 63. *art.* 2. *ad* 1. Scotus *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 3. *n.* 6. Reiffenstuel *Theol. moral. tract.* 9. *dist.* 3. *qu.* 4. n. 54. Cajetanus, Gabriel, Adrian. Major. Angelus, Sotus, Azorius, Beja, Molina, Aloza, Tannerus apud La Croix *loc. cit. n.* 299. Silvester, Mercado, Armilla, Arragon. Corduba, Ludovicus Lopez, Covarruv. et Victoria apud Card. de Lugo *loc. cit. n.* 4. et alii apud ipsos, docent, etiam pro vita, membro, vel cicatrice relicta aliquam esse faciendam restitutionem, quamvis in diverso genere, et ordine bonorum, quam sententiam vere probabilem dicunt etiam Sporer *loco citat. n.* 220. La Croix *loc. cit. n.* 299. et alii plures ex citatis pro contraria opinione. 8

Et ratio hujus sententiae inter alias est, quia cum non potest reddi aequivalens, debet reddi quod possibile est, ut recte dicit S. Thomas 2. 2. *qu.* 62. *art.* 2. *ad* 1. « In quibus non potest recompensari aequivalens, sufficit, quod ibi recompensetur, quod possibile est . . . . et ideo quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquod aequale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est, puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personae secundum arbitrium boni viri ». Et idem habet in 4. *dist.* 15. *qu.* 1. *art.* 5. *q.* 2. *ad* 2. Juxta enim commune scitum, impossibilitas excusat a tanto, non autem a toto, nisi totum sit impossibile; Unde qui debet centum, et non potest dare centum, potest autem dare quinquaginta, certe tenetur ad quinquaginta; adeoque licet interfecto non possit pro vita sua reddi aequivalens in eodem genere, et ordine, cum id possit solus Deus, qui occidit, et vivere facit, debet ei reddi id quod est possibile, quamvis in diverso genere, et ordine, maxime aliquid, quod ei utile, vel gratum sit, ut Sacrificia, preces, eleemosynae, aliaque suffragia, et consequenter homicida obligatur eo casu ex Justitia saltem ad talem restitutionem spiritualem, in quantum in iis potest esse compensatio in commodum occisi. 9

Tum quia occidens bovem, equum, aut canem alienum, ultra peccatum commissum, tenetur ex Justitia etiam ad restitutionem, ut fatentur omnes, et tamen bona fortunae sunt longe inferioris ordinis, quam ipsa vita corporalis; ergo multo magis obligatur ad restitutionem qui occidit, vel mutilavit hominem, cum vita, et integritas corporalis hominis sint bona altioris ordinis; alias melioris esset conditionis occidens, vel mutilans hominem, quam occidens, vel mutilans bovem, vel equum, seu canem, cum hic teneatur ad restitutionem, et non teneretur ille. Unde recte dicit Scotus *in* 4. 10

dist. 15. *qu.* 3. *n.* 6. « Qui nec tantam restitutionem velit facere, non potest omnino esse immunis a restitutione, sicut quidam fatui faciunt, qui absolvunt homicidas, non eis ostendentes restitutionem necessario incumbentem, quasi facilius possit transire homicida, quam (ut dicam) Canicida, vel bovicida, quia si quis occidisset bovem proximi sui, vel canem, non absolveretur sine restitutione; tenetur ergo ad restitutionem spiritualem aequivalentem vitae, quam abstulit, sicut potest esse aequivalentia ». Et Scotum videntur sequi S. Antoninus 2. *part. Summae Theol. tit.* 2 *c.* 2. ibi: « Quantum ad secundum, scilicet de mutilatione, dicit Scotus, quod pro hujusmodi non est statuta poena in Ecclesia, nisi pecuniaria »; et S. Bernardinus Senensis *Serm.* 36. *in feria* 3. *post Dominicam* 4. *Quadragesimae art.* 2. *cap.* 2. ibi: « Talis mutilans (secundum Scotum) obligatur . . . ad satisfactionem afflictionis illius mutilati; quae sibi perpetua est, cum vivere sine oculis, aut sine manu triste sit, et maxima poena; Propterea tenetur ei ad alia superimpendenda, ex quibus onera, et tristitias, quas ex tali laesione incurrit, consolabilius, atque levius ferre possit ».

11 Et ad haec faciunt textus in Sacra Scriptura, *Exodi* 21. *num.* 22. ibi: « Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem praegnantem, et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno quantum maritus mulieris expetiverit, et arbitri judicaverint »: ex quibus verbis patet, quod pro vita prolis occisae debet fieri compositio pecuniae. Item *ibidem n.* 26. « Si percusserit quispiam oculum servi sui, aut ancillae, et luscos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit »; ibi enim statuitur, usum oculi eruti esse libertate compensandum. Concordat etiam textus in Jure Civili, *l. Praetor ait, ff. de his, qui effuderint*, §. 5. ibi: « Cum liber homo periit, damni aestimatio non fit in duplum, quia in homine libero nulla corporis aestimatio fieri potest, sed quinquaginta aureorum condemnatio fit »; ubi, ut sonant allegata verba, homicida propter homicidium condemnatur ad dictam pecuniae summam solvendam, *l. Praetor edixit* 7. *ff. de injuriis* §. 6. ibi: « Posse hodie de omni injuria, sed et de atroci civiliter agi, Imperator rescripsit »: ex quo textu patet dari actionem Civilem ad compensandam pecuniis injuriam acceptam. Item *Instit. de obligationibus, quae quasi ex delicto nascuntur* §. 1. ibi: « Ob hominem vero liberum occisum quinquaginta aureorum poena constituitur »; ubi stat clarum, homicidam propter vitam homini injuste ablatam condemnari ad solvendam quinquaginta aureorum pecuniariam summam. Unde plures Doctores ex citatis pro contraria opinione fatentur, pro damno vitae, mutilationis, seu cicatricis, ac pro injuria deberi satisfactionem quamdam signis doloris, et petitione veniae, et interdum adesse obligationem ad aliquam pecuniariam satisfactionem, praesertim si heredes occisi sint pauperes, aut pauperes sint ipsi mutilati, seu percussi.

12 Ad citatos tamen textus tum Sacrae Scripturae, tum Juris Civilis respondere solent Patroni contrariae sententiae, quod illae leges sunt poenales, quibus juste potuit imponi occisori, mutilatori, aut percussori mulcta illa in poenam homicidii, mutilationis, aut percussionis; et sic pro occisione, mutilatione, aut percussione, etiam praescindendo a damno, potest a Judice per Justitiam vindicativam imponi poena dandi pecunias, quas dando satisfiet, non Juri, quod ratione damni illati habebat occisus, mutilatus, aut percussus, sed Juri novo per sententiam Judicis acquisito: Certum enim est, quod per Justitiam vindicativam possit a Judice imponi, ut quis pro injuria circa bonum unius generis, seu ordinis teneatur praestare aliquid in bonis alterius generis, seu ordinis, faciendo ut laesus acquirat Jus ad hoc bonum alterius generis, seu ordinis: Judex enim juste punit delicta per poenam, quam censet esse convenientem. Unde haec compensatio non oritur ex Justitia commutativa, sed solum ex Justitia vindicativa.

13 Quidquid autem sit in hac tam celebri controversia variis rationibus, et auctoritatibus pro utraque opinione suffulta, fatentur tamen, et consulunt omnes utriusque sententiae Doctores, quod sicut Judex in foro externo juste imponit mulctam pecuniariam occisori, mutilatori, aut percussori offenso, vel ejus heredibus applicandam; Ita Confessarius in foro interno, seu foro conscientiae debet imponere occisori, mutilatori, aut percussori opera spiritualia, sacrificia, preces, eleemosynas, et hujusmodi Animae occisi, seu profectui spirituali mutilati, aut percussi applicanda in aliqualem compensationem, sive dein ad id teneantur ex Justitia, sive solum ex Caritate, seu naturali aequitate.

14 Conveniunt pariter omnes, quod si ex mutilatione, percussione, aut cicatrice sit aliquod damnum secutum, ut in puella, quae ob deformitatem ex mutilatione, seu cicatrice contractam non potest nubere pari, debet illi tale damnum juxta prudentis aestimationem compensari: *Communis, arg.* §. 1. *Institut. de obligationibus, quae quasi ex delicto nascuntur, l. Cum liberi* 7. *ff. de his, qui effuderint, vel dejecerint, cap. si rixati* 1. *et cap. si culpa* 9. *de injuriis, et damno dato*; Qui enim occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, ut expresse dicitur *in cit. cap. si culpa*; et concordat *l. Qui occidit* 40. *ff. ad legem Aquiliam*.

15 Item conveniunt omnes, quod si occisus, vel mutilatus fuerit servus, tunc etiam pro vita, et membris facienda sit restitutio, quia servi vita est pretio aestimabilis, ac proinde tantum debet compensari, quanto pluris sine illa mutilatione, seu cicatrice venderetur, *Communis, arg.* §. 1. *institut. de obligationibus, quae quasi ex delicto nascuntur, l. Praetor ait* 1. *et l. Cum liberi* 7. *de his, qui effuderint*.

16 Occidens injustum invasorem, vel provocantem, seu voluntarie consentientem in pugnam non tenetur ad restitutionem damnorum inde secutorum, quia tales censentur renunciare Juri suo, et alter Jus habet faciendi, quod in se est, ad se indemnem, et illaesum servandum: Lessius *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 21. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. Molina *tract.* 3. *disp.* 82. Sporer *loc. cit. num.* 116. Stephanus a Sancto Paulo *tit.* 4. *d.* 5. *num.* 30. La Croix *loc. cit. num.* 305. et alii passim.

17 Si vero quis contra injustum invasorem graviter excedat moderamen inculpatae tutelae, faciendo nempe plus quam necesse sit ad sui defensionem, verb. gr. occidendo, cum solum vulnerando, vel mutilando se defendere potuisset, probabilius tenetur ad integram restitutionem totius damni, quia qui damnum injuste infert culpa mortali, tenetur ad integram restitutionem; talis enim graviter excedendo moderamen inculpatae tutelae in sua defensione, occidendo, cum solum vulnerando se defendere potuisset, damnum homicidii injuste intulit culpa mortali, adeoque obligatur ad integram restitutionem totius damni: Ita Navarrus *in Manual. cap.* 15. *num.* 27. Ludovicus Lopez 1. *par. Instructori novi cap.* 72. Petrus a Navarra *lib.* 4. *de restit. c.* 5. *num.* 99. Vasquez *de restitut. cap.* 2. §. 3. *dub.* 4. Sanch. *lib.* 3. *consil. c.* 4. *dub.* 9. Lessius *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 21. Turrian. *disp.* 78. *dub.* 4. Illsung *t.* 4. *disp.* 2. *num.* 82. Sporer. *l. cit. num.* 417. Lugo *tom.* 1. *disp.* 11. *num.* 59. ubi dicit, sic tenere alios Recentiores passim, La Croix *lib.* 4. *par.* 2. *n.* 305. ubi dicit, sic tenere alios communiter contra Silvestrum, Angelum, Sotum, Ledesmam, Arriagam, Salonium, Cordubam, Rosellam, Molinam, aliosque Antiquiores communiter apud Lugo *loc. cit. num.* 51. docentes non esse obligationem restituendi tunc integre totum damnum, sed solum partem damni compensandi secundum portionem excessus moderaminis incul-

18 patae tutelae prudentis judicio dimetiendam. Et haec sententia est vere probabilis, quia multo minus peccat, et injuriam facit, qui sic invasus occidit, quam qui sponte, et non invasus. Sic etiam Lessius *cit. cap.* 9. *dub.* 21. *n.* 135. cum aliis ibi citatis, Bonac. *de Restitut. disp.* 2. *qu. ult. sect.* 2. *punct.* 1. *num.* 3. Sporer *loc. cit. n.* 217. Qui in-

19 super *ibid.* cum Tamb. *lib.* 6. *Decalog. c.* 4. §. 2. *num.* 15. probabile judicat, ad nullam omnino teneri restitutionem, quia licet invasus graviter excedendo moderamen inculpatae tutelae contra injustum invasorem graviter peccet contra Caritatem, non tamen peccat contra Justitiam; Injustus enim invasor censetur remittere totam obligationem, quia cum jam sciat injuste invasum omnia mala contra ipsum tentaturum, et hoc non obstante eum adhuc invadat, convincitur, omnino malis illis, seu damnis consentire; scienti enim, et volenti, seu consentienti non fit injuria, *c. Scienti* 27. *de Regul. juris in* 6. et *l. Nemo* 145. *ff. de divers. Regul. Juris*, adeoque ipse sic adhuc injuste invasus, quamvis moderamen inculpatae tutelae graviter excedat, non tenetur ad ullam restitutionem, cum nullimode tunc peccet contra Justitiam, sed solum contra Caritatem: Quae sententia dicit Spor. *ibid.* servire potest Confessario, ne se, et poenitentem in difficili determinatione hujus restitutionis multum torqueat.

*Ego vero Sporer assentiri minime possum. Etenim qui injustum invasorem occidit, moderamine inculpatae tutelae non servato, non modo contra caritatem, sed etiam contra justitiam peccat. Ita Daniel Concina in Christianae Theologiae Dogmatico-Moralis Compendio lib. IX. Dissert. 2. de restitutione cap. V. n. IV. ubi »: Si provocatus, *inquit*, » ad pugnam occidat provocantem cum inculpatae tutelae moderamine, nihil restituere astringitur. Si vero graviter limites moderaminis excessisset, tum pro rata restituere deberet. Si mutuo se provocaverint, nihil restituendum est, quia » uterque cessit juri suo. Si unus alterum provocaverit improperando ignaviae notam, provocatus occisor non tenetur ad restitutionem, inquiunt » juniores plures; quia respuere sine dedecore duellum non poterat. Haec ratio pugnare cum Evangelio mihi videtur. Quare mihi falsa est, nisi me » fallant omnia, sequens opinio P. Viva, qui *Tom.* » *1. p. 3. q. 7. a 1. nu.* 2. inquit. Quamvis aliquando non fugiendo peccet contra caritatem, si » scilicet *sine dispendio honoris* fugere poterat, at » non peccat contra justitiam. Ergo non tenetur ad » restitutionem. Quid? Peccat Christianus contra » caritatem, quando *sine dispendio honoris* mundani fugere nequit, non autem contra justitiam » peccat? At hanc doctrinam quis non improbet? » Fugam enim arripere tenetur, dum via patet, » *cum dispendio honoris*, qui in opinione insanientis mundi situs est ». Concinae assentitur Cuniliati, cujus haec sunt Tractat. IX. de VII. Decal. Praecepto cap. VIII. §. 1. num. VII. tom. 1. pag. 442. » Qui per errorem occidit, vel mutilat Petrum, volens occidere, vel mutilare Paulum, similiter patet, quod cum voluerit occidere primum » hominem illum, obnoxius fiat omnibus praedictis » restitutionibus. Sicut etiam ille, qui, se defendendo ab injusto aggressore, excessit limites » justae defensionis, occidendo, dum poterat dumtaxat illum vulnerare, quia reapse est causa injusta mortis, et damnorum illam consequentium. » An autem teneatur fugere, si possit, ne invadentem vulneret etc.? Absolute loquendo ad id tenetur, ne sit causa injusta damni invasori illati. » Si autem qui invaditur sit persona equestris, » aut militaris, cui magnum dedecus fuga sit allatura, ei plerumque totam rationem substentationis sit sublatura; tunc plures dicunt, quod fugere non teneatur, sed possit se defendere cum moderamine inculpatae tutelae, fuse explicato tract. » 9. cap. 2. §. 1. Verum haec opinio videtur non » posse amplius sustineri, post damnatas a Bened.

» XIV. Theses, quas retulimus in Tract. 4. cap. » 9. §. 5. de Duello ».

20 Injuste invasus, licet possit commode, et absque nota, seu infamia fugere injustum invasorem, seu aggressorem, si fugere nolit, et ipsum injustum invasorem occidat, servando in reliquis moderamen inculpatae tutelae, probabilius non tenetur ad ullam restitutionem, quia in tali casu peccat solum graviter contra Caritatem, et nullimode contra Justitiam, cum injustus invasor nullum habeat Jus, quo obliget injuste invasum ad fugam: Sic Lessius *cit. cap.* 9. *dub.* 21. *n.* 126. Julius Clarus *de homicidio n. mer.* 32. Illsung *loc. cit.* n. 86. Layman *loc. cit.* Molina *disp.* 81. *n.* 2. Tamburin. *loc. ci*

21 *tat.* Perschacher *de restitut. pag.* 286. Sporer *loc. cit.* n. 217. Ubi ex supracitatis testatur de communi. Et tamen contra Silvestrum, Vasquez, Rodriquez, Bonacinam, La Croix, et Card. de Lugo *tom.* 1. *disp.* 10. *sect.* 8. *num.* 170. *et disp.* 11. *sect.* 2. *n.* 55. qui etiam communem dicit esse hanc suam contrariam sententiam, quae est revera probabilis, quia tunc solum excusatur occisio invasoris ab injustitia, quando necessaria est ad sui defensionem. In tali autem casu non est necessaria dicta occisio pro sui defensione, cum injuste invasus possit se commode, et facile defendere fugiendo absque nota, seu infamia ipsum invasorem, seu aggressorem, adeoque si non fugiat, sed occidat, tenetur ad restitutionem, quia fuga in his circumstantiis est debita Juri invasoris, qui licet passione turbatus se exponat ipsi periculo occisionis; adhuc tamen, si sui occisio non sit necessaria ad invasi defensionem, retinet Jus, ne ab ipso privata auctoritate occidatur. * Vide Addit. ad num. superiorem *.

22 Si provocans occidat provocatum, qui metu infamiae debuit comparere, provocans tenetur compensare damna inde secuta, quia in tali casu provocatus accessit involuntarie, unde non censetur cessisse Juri suo, ut adhuc servaretur indemnis, et illaesus: Sanchez *in consil. lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 10. cum aliis *ibi* citatis, La Croix *loc. cit. n.* 305. Salonius, et alii passim.

23 Committens occultum homicidium, quod postea per errorem alteri imputatur praeter sui intentionem, non tenetur ad compensanda damna ei inde secuta: Molina *tom.* 4. *dis.* 86. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 16. *n.* ttt. Lugo *disp.* 8. *n.* 82. La Croix *loc. cit. n.* 155. et alii communiter; In eo enim casu homicida non est vere causa nec physica, nec moralis damni, quod innocenti sequitur, sed ignorantia, vel malitia aliorum.

Nota Romani Theologi.

Tenetur quidem; quomodocumque enim res accipiatur, homicida est causa saltem occasionalis damnorum inde secutorum. Idem dicito de deferente Cadaver ante domum alterius, *n.* 26. Et de ebrio, etiamsi ebrietas non fuerit culpabilis, *n.* 29. Occidens aliquem justa morte mox occidendum, ex justitia teneri videtur ad damna, *n.* 32. Vere autem tenentur rixantes, expositi *n.* 36.

Responsio Auctoris.

Si omnia in allegatis numeris a me tradita attente perpendantur, solida ratione, et auctoritate suffulta reperientur: imo ab aliquibus in laxioribus terminis defenduntur, ut est eruditis compertum. Nec absolute verum est, ut praetendit Theologus, quod ad restitutionem teneantur rixantes, expositi sub *n.* 36. ut videre est *n.* 37. *sequent.* in quo patet, quid dicendum ad subjunctam notam Theologi sub eodem *n.* 37. * Atqui mihi, bona Ferraris venia, quae ab eodem numeris indicatis tradita sunt, nec solida ratione, nec firma auctoritate niti videntur, ut ab ipso proponuntur. Itaque assentior Auctoribus Additionum ad Theol. P. Cuniliati, qui loc. cit. pag. 443. seq. scribunt: « Observandum . . . 1. cum Petro Colet *tract. de Just. cap.* 4. *de restit. in particul. art.* 2. *sect.* 1. *in resp. ad Q.* 10. eum qui interficit hominem » paulo post moriturum ex infirmitate, vel juste a » Judice morti tradendum, non teneri ad restitu- » tionem, nisi pro lucris cessantibus secundum bre- » ve illud tempus, quo supervicturus erat, cum » occisor non sit tunc causa, nisi modici illius dam- » ni. Secus vero sentiendum foret, si ille ab alio » injuste necandus erat. In tali casu profecto ad » integram adstringeretur restitutionem faciendam. » Observandum 2. eum, qui aliquem vulneravit, » qui paulo post non ob vulnus, sed ob aliam cau- » sam ex vulnere nullatenus promanantem e vita » excessit, sola, quae ex vulnere usque ad diem » mortis emerserunt, damna resarcire debere; cum » horum dumtaxat causa extiterit. Quod si jam » vulnerator cum vulnerato de certa summa tran- » segisset, standum esset conventioni, ut quae in » incertum peracta sit. Idem est, si vulnerator a » Judice ad certam summam condemnatus fuerit. » Petrus vulneratus a Paulo vulnere minime letha- » li, negligentia Chirurgi moritur, Paulus damna » haeredibus compensare tenetur, non quae mor- » tem, sed quae vulnus dumtaxat consequuntur. » Si tamen Petrus ex accepto vulnere moritur, quia » non est inventus Chirurgus, qui vulnus sanaret, » Paulus vulnerator ad restituenda damna, quae ex » ipsa morte haeredibus obvenerunt, adstringi- » tur ».

Excipe tamen, nisi homicida aliquid peculiare 24 fecerit moraliter, efficaciter influens in imputationem faciendam innocenti, ut si, ipso invito, vel inscio, ipsius vestibus se induisset, vel usus fuisset ejus gladio, quem adhuc sanguinolentum reposuisset in ejus vaginam, et per hoc ipse innocens fuerit habitus ut verus homicida: tunc enim supradictus committens sic malitiose homicidium, tenetur ad integram restitutionem damni causati ipsi innocenti per talem iniquam, et malitiosam frau-

dem, quia malitia, fraus, et dolus nemini debent patrocinium impertiri, *cap. Sedes* 15. *et c. Ex tenore* 16. *de Rescriptis*, *cap. Ex litteris* 2. *de dolo*, *et contumacia*, *cap. Tuae* 12. *de Clericis non resident. l. In fundo*, *ff. de rei vindicat. l. Cum his*, *ff. de transactionib. l. si legatarias*, *Cod. de Legatis*, cum similibus.

25 Sic per eamdem rationem, et eadem Jura tenetur ad restitutionem, qui Cadaver occisi ponit ante Domum, vel sepelit in horto innocentis, ut ipsi imputetur homicidium, et ideo patiatur damnum. Per fraudem enim videtur inducere innocentem ad tale damnum, unde sicuti ex dictis sub verb. *Impediens*, qui per fraudem aliquem impedit a consecutione boni, tenetur ad restitutionem, et compensationem, ita multo magis qui per fraudem inducit in aliquod damnum; Sanchez *lib.* 1. *Consil. cap.* 5. *dub.* 5. *n.* 72. Sporer *loc. cit. n.* 201. Molina *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 86. Rebell. *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *n.*
26 2104. et alii passim. Si tamen occisor Cadaver occisi longe a Domo deferat, et reponat juxta Domum innocentis, non ex intentione, ut homicidium imputetur innocenti, sed solum ut amoveat a se omne indicium, et occasionem inquirendi, Lugo *disput.* 8. *n.* 84. Tamburin. *lib.* 6. *cap.* 4. *§.* 1. *n.* 5. Sporer *loc. cit.* et alii dicunt non teneri ad restitutionem, quia non videtur in tali casu moraliter positive influxisse in imputationem, quia illa non est prudens causa, sed occasio levis inquirendi contra talem innocentem, si alia adminicula non occurrant: potuit enim homo alibi vulneratus lethaliter, et longius progressus casu ibi mori, ut non semel in dies accidit.

27 Intendens occidere solummodo feram, et adhibita debita cautela, ac diligentia per errorem, ac ignorantiam invincibilem occidens hominem, quem invincibiliter credidit esse feram, non tenetur ad ullam restitutionem, quia homicidium est ei simpliciter involuntarium saltem negative; Secus autem esset, si occisor non adhibuisset debitam cautelam, ac diligentiam: *Communis*, textu expresso *in cap. si culpa* 9. *de injuriis*, *et damno dato*.

28 Qui certo sciens ibi esse hominem, et credens esse Cajum suum inimicum occidit Titium alioquin non occisurus, tenetur ad restitutionem, quia licet talis sufficienter caverit occisionem Titii, non tamen cavit, sed omnino voluit occisionem hominis ut sic, cum certus fuerit ibi esse hominem, adeoque occisio illa fuit injusta in hominem quemcumque attigerit, et consequenter injuriosa Titio, et obnoxia restitutioni: *Communis* per text. *in l. Eum qui nocentem* 18. *§.* 3. *ibi*: « Si injuria mihi fiat ab eo, cum sim ignotus, aut si quis putet me Lucium Titium esse, cum sim Cajus Sejus, praevalet quod principale est, injuriam eum mihi facere velle, nam certus ego sum, licet ille putet me alium esse, quam sim, et ideo injuriarum habeo actionem ».

29 Ebrius alium occidens, si ebrietas non fuit culpabilis, et voluntaria, vel si fuit talis, homicidium tamen non praevidit, seu omnem diligentiam debitam adhibuit ad ipsum cavendum, non tenetur ad restitutionem: Tenetur autem, si praevidit, et non cavit. *Communis* per text. *in c. si culpa* 9. *de injuriis*, *et damno dato*.

30 Vulnerans injuste alium vulnere non lethali, ad restitutionem tenetur, si occasione talis vulneris, quamvis de se non lethalis, alius morbus, vel inflammatio suborta mortem inferat vulnerato, quia quod est causa causae, est etiam causa causati, *arg. cap. Presbyterum* 7. *et c. Ad audientiam* 12. *de homicid. l. Manumissiones* 4. *ff. de Justitia*, *et Jure*. Sic *Communis Doctorum*.

31 Si autem vulneratus vulnere non lethali postea perierit, non ratione vulneris per se, sed solum per accidens, ex propria negligentia, et incuria, seu ex imperitia Medici, vel Chirurgi, vulnerans tenebitur solum ad restitutionem damni causati vivo pro vulnere, non autem ad restitutionem damni causati mortuo, seu ejus heredibus pro homicidio; cum ipsum homicidium nec indirecte, et in causa voluntarium ipsi imputari possit: *Communis*, textu expresso *in l. Qui occidit* 30. *§.* 4. *ff. Ad Legem Aquiliam*, ibi; « Si vulneratus . . . non mortifere, negligentia autem perierit, de vulnerato actio erit, non de occiso ».

32 Occidens hominem, quem certo scit paulo post justa morte occidendum, non tenetur ad restitutionem. In tali enim casu non infert ei grave damnum in bonis fortunae: La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 308. cum Navarr. Vasquez, Bonacina ibi citatis, et alii passim. Occidens autem hominem, quem 33
certo scit paulo post injuste occidendum a latrone, Mandatario, et hujusmodi, tenetur ad restitutionem, quia prior occidens intulit ei injuste grave damnum. Vide dicta *art.* 1. *n.* 22. *et* 42.

34 Si Paulus initium, et causa fuit rixae cum Petro per sola verba contumeliosa, et ideo ab ipso Petro excandescente occidatur, tenetur Petrus ad restitutionem, quia sola verbalis contumelia non dat Jus ad occidendum; unde cum talis occisio sit contra Justitiam, obligat ad restitutionem: *Communis cum* Molina *disp.* 81. *n.* 3. Lessio *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 137. Sporer *loc. cit. n.* 194. Si autem 35
Petrus verbis contumeliosis affectus a Paulo vellet ipsum Paulum occidere, posset Paulus licite se defendere, et cum moderamine inculpatae tutelae ipsum Petrum tamquam jam injustum aggressorem etiam occidere, quando non ei suppetat alius modus se defendendi: Sporer *loco cit.* Tambur. *lib.* 6. *c.* 4. *§.* 3. *num.* 17. La Croix *loco cit. num.* 300. et alii.

36 Si duobus rixantibus, et strictis gladiis pugnantibus, alii sua sponte accurrant, et horum unus alterum occidat, vel ab altero occidatur: tunc ipsi duo principales rixantes, et pugnantes ad nullam tenentur restitutionem, cum tale homicidium nullo modo intendant, nec in se, nec in sua causa; sola enim eorum pugna non est causa, nisi valde

remota, ut alii accurrant, pugnent, vel occidantur, cum ipsi sua sponte accurrerint. *Communis.*

37 Si autem unus ex duobus rixantibus alios amicos, seu conjunctos in sui adjutorium vocarit, et excitarit, et unus ex his postea occidatur, Suarez *de Censuris disp.* 44. *sect.* 3. *n.* 26. Avila *de Censuris p.* 7. *disp.* 6. *sect.* 2. *dub.* 5. *conclus.* 4. Navarr. Coninch, Petrus Corucio, Sayrus, Villalobos, et Diana apud Card. de Lugo *disp.* 11. *n.* 57. videntur supponere esse ipsi excitanti imputandum tale homicidium; dicunt enim evadere irregularem illum, qui consilio, vel aliter induxit Titium, ut Cajum occidat, si ea occasione Titius occidatur ab ipso Cajo, quia per ipsum consilium, seu suasionem fuit causa occisionis, et damni. Vasq. tamen *in* 1. 2. *disp.* 100. *n.* 45. Turrian. *de Censuris lib.* 9. *disp.* 63. *dub.* 4. Gaspar. Hurtad. *disp.* 2. *de Irregularit. difficult.* 6. *n.* 2. loquentes de irregularitate tenent contrariam sententiam, quam Lugo *loco cit. n.* 58. loquens in terminis de restitutione ob homicidium, dicit esse sibi satis probabilem, idemque docent Tambur. *loc. cit. n.* 19. La Croix *loc. cit. n.* 309. et alii. Et eorum ratio est, quia quamvis sic suadens, et excitans peccet contra Caritatem, tamen non peccat contra Justitiam, cum nec vi, nec fraude, aut dolo coegerit ipsum occisum ad subeundum tale periculum mortis, sed sola suasione, et precatione, cui ipse occisus omnino consensit: Scienti enim, et volenti, seu consentienti non fit injuria, *cap. Scienti*, 27. *de Regul. Juris in* 6. *l. Nemo* 145. *ff. de divers. Regul. Juris.* *

38 Si quis a Mandatariis requisitus ostendat Domum Caii, qui inde fuit ab illis occisus, si sine coactione, et sine gravi mortis timore id fecit, tenetur ad restitutionem: Non tenetur autem, si id fecit coactus, et ratione gravis metus mortis sibi alias indictae: Diana *part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 63. Tambur. *lib.* 6. *c.* 4. §. 4. *n.* 3. Felix Potestas *loc. cit. n.* 2108. et alii passim.

39 Homicida in rigore Juris non liberatur ab obligatione restituendi damna temporalia ex homicidio secuta, quamvis a Magistratu capite plectatur, seu estremo supplicio afficiatur. Sic tenent innumeri Doctores, tum ex antiquis, tum ex recentionibus, quos referunt, et sequuntur Sanch. *l.* 1. *c. cons.* 4. *dub.* 6. Mol. *disp.* 84. *n.* 8. Lessius *dub.* 22. Vasques *de rest. c.* 2. §. 3. *dub.* 5. Navarr. *c.* 15. *num.* 25. Sporer *loc. cit. num.* 236. ubi dicit id tenere Doctores communiter, Tamb. *l. cit. nu.* 14. Busemb. *lib.* 3. *p.* 2. *de restitutione c.* 2. *dub.* 6. *art.* 3. *n.* 10. Henno *tom.* 2. *tract.* 1. *disp.* 9. *qu.* 7. *concl.* 2. *resol.* 3. Felix Potestas *loc. cit. n.* 2107. et alii passim. Et ratio est, quia Homicida per talem capitalem mortem, seu extremum supplicium satisfacit quidem Justitiae publicae, et vindicativae, non autem commutativae, quam laesit alterum occidendo; Unde adhuc remanet facienda restitutio heredibus proximis occisi, cum damna privata ob publicam punitionem non resarciantur. Tum quia sicuti fur non exeusatur ab obligatione restituendi, quamvis capite plectatur, ita nec excusatur homicida ab obligatione restituendi damna injuste illata, cum non minus teneatur restituere homicida pro homicidio, quam fur pro furtis.

Notanter autem dicitur *in rigore Juris*, quia practice loquendo excusantur tales homicidae ab ejusmodi restitutione, eo quod ii, quibus restituendum erat, vel contenti sint talionis poena illata, vel non curent de tali restitutione, maxime si sint nobiles, et divites, et ad eorum instantiam Judex ad talem mortem condemnaverit homicidam; Isti enim videntur eo ipso omnes alias satisfactiones remittere; Tum quia ea damna sunt necessario conjuncta cum morte occisi, suntque magna causa aggravans homicidium. Unde Judex in sententia ferenda praesumitur considerasse utrumque, scilicet mortem occisi, et damna consequentia: Ideoque lata contra homicidam sententia mortis capitalis, tamquam definitiva totius causae, nulla facta mentione compensationis, vel restitutionis damnorum, censetur una cum morte omnem prorsus obligationem rei absolvisse, et sic non tantum Reipublicae, sed etiam parti laesae satisfecisse. Sic tenent Sotus, et alii apud Lessium *cit. dub.* 22. *n.* 119. qui etiam dicit hanc sententiam esse vere probabilem, et consentaneam aequitati, et ita fere habere usum, ut heredes occisi poenae talionis censeantur acquiescere, et injuria illa videatur sic esse compensata, et sic etiam docent plures alii citati a Lugo *disp.* 11. *num.* 49. Tamb. *loc. cit.* §. 3. *num.* 15. noster Marchant. *tom.* 2. *tr.* 6. *tit* 1. *quest.* 5. *dub.* 2. Sporer *loco cit. n.* 236. Felix Potestas *l. c.* ubi dicit, heredibus occisi divitibus non esse resarcienda damna, quia isti solent esse contenti poena capitali occisori inflicta, et id insuper docet ipsemet Scotus *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 3. secutus ab aliis, quia homicida sufficienter satis fecit tollerando poenam capitalem. * His subscribit Daniel Concina, licet non generatim. Sic enim habet loc. cit. num. 3. pag. 33. » Si homicida poenam lueret talionis, nulli re- » stitutioni obnoxii forent haeredes, quia poena » mortis inflicta omnia remissa censentur: et ita » communis obtinent consuetudo. Si alicubi oppo- » situs rationabilis mos vigeat, servandus est. »

Damna secuta ex homicidio sunt compensanda, et restituenda solis heredibus proximi occisi, scilicet filiis, Uxori, et parentibus ita damnificatis. Sic *Communis Doctorum* cum Lessio *cit. cap.* 9. *dub.* 29. *num.* 155. Sporer. *loc. cit. num.* 230. La Croix *loc. c. n.* 310. Molina, Layman, Marchant. Salonio, Arragonio, Lugo, Corduba, Ledesma, Soto, Angles, et alii passim contra paucos alios. Et ratio est, quia obligatio, et finis restitu- 41

Nota Romani Theologi.

(*) Videtur hoc casu irregularitatem contrahere; Suasor enim delicti, et exequutor, pari poena plectuntur. Vid. Addit Casinense v. *Irregularitas.*

tionis est compensare damna injuste illata alteri in bonis propriis, vel sibi ex Justitia debitis; Solis autem dictis proximis occisi heredibus inferuntur injuste ista damna in bonis propriis, et sibi ex Justitia debitis, cum eos solos ex Justitia in necessitate positos alere teneretur occisus, ex quo adeo stricte sint ipsi conjuncti, ut moraliter una semper persona censeri debeant cum illo; quod non verificatur in aliis heredibus, eo quod censeantur esse velut extranei se remote habentes, et per accidens damna illa patientes, cum occisus, non ex Justitia, sed solum ex Caritate ipsos aleret.

42 Sunt tamen talia damna probabilius compensanda etiam Fatribus, et Sororibus occisi, si ipse occisus eos per sententiam Judicis tenebatur alere, quia jam habebant Jus ad illa alimenta, quae ab ipso occiso vigore Judicialis sententiae de Justitia accepissent: Ita Lopez **1.** *par. Instructor.* *novi cap.* **72.** Sanchez *dict. cap.* **4.** *dub.* **3.** et alii plures.

43 Item probabilius talia damna compensanda sunt etiam Creditoribus occisi, quia occisus strictiori obligatione Justitiae tenebatur suis Creditoribus, quam ipsis heredibus necessariis, cum his alimenta, et hereditas non praestentur, nisi deducto aere alieno; adeoque si homicida teneatur talia damna compensare dictis heredibus necessariis, a fortiori tenebitur de rigore Juris compensare occisi Creditoribus: Sic Molina *tract.* **3.** *disp.* 83. *num.* 8. Layman *loc. cit. cap.* 6. *n.* 4. Sporer *loc. cit. num.* 230. et multi alii: Quamvis Laymao, et Sporer *l. cit.* notent, id in praxi non observari, Unde contrarium absolute docent Lessius *loco cit. dub.* 26. *num.* 151. Diana *par.* **5.** *tr.* **3.** *resolut.* 57. et plures alii apud ipsos.

44 Item probabilius damna secuta ex homicidio sunt compensanda, et restituenda etiam aliis remotis heredibus, et extraneis, immo et pauperibus compensandae sunt eleemosynae, quas occisus illis elargiri solebat, si homicida, animo illis nocendi, ipsum occidit. Ita tenent Sotus, Navarr. Adrian. Panormit. Roselli, Vasquez, Turrian. et alii apud Lugo *dict. disp.* 11. *num.* 74. qui eos sequitur *ibid. num.* 77. Busemb. *loc. cit. num.* 11. cum aliis ibi citatis, Potestas *loc. cit. num.* 2106. Ilsung *tom.* 4. *d.* 4. *num.* 74. et alii. Malitia enim, fraus, et dolus nemini patrocinari debent, *cap. Ex litteris* **2.** *de dolo et contumacia, cap. Sedes* **15.** *et cap. Ex tenore* **16.** *de Rescriptis; cap. Tuae* **12.** *de Clericis non residentibus, leg. In fundo, ff. de rei vindicat. leg. Cum hi, ff. de transactionibus, l. si Legatarius, Cod. de Legatis*, cum similibus. * Quae hoc, et superiori numero Auctor noster ut *probabiliora* docuit, alii ut certa docent. Vide Antoine *De justitia, et jure* cap. II. quaest. XVI. Cuniliati loc. num. IV. et V. et alios. *

45 Obligatio homicidae ad restituendum pro damnis illatis ex tali homicidio transit ad ejus heredes juxta vires hereditatis, quando ipsemet non fecerat: *Communis.* Est enim illud debitum, et onus reale, cui heredes succedunt, sicuti et succedunt hereditati, cum res transeat cum suo onere, *l. Alienatio, ff. contrah. emption. l. Pompejus, §. Cum quis, ff. de acquir. possess. l. Via Constit. §. Quicumque. ff. de servit. urb. praed. l.* **1.** **§.** *fin et l. seq. ff. si serv. vindic. l. Fiscus, de Jure Fisci, Clement. de Casibus.*

Si vulneratus ante mortem remittat percussori omne damnum reale praeteritum, praesens, et futurum, tunc valde probabile est, quod nec ipse homicida, nec in suo defectu ejus heredes teneantur ad ullam restitutionem faciendam heredibus etiam necessariis ipsius occisi: Busemb. *loc. cit. art.* 3. Lessius *cit. c. dub.* 26. *nu.* 158. Molina *disp.* 81. *num.* 4. *et* 5. Sanchez *loc. cit. dub.* 12. *num.* 5. Salonius *quaest.* 63. *art.* **2.** *controvers.* 9. Henno *loc. cit. qu.* 7. *conclus.* **3.** *Petrus* 1. Bannes, aliisque citatis, Diana *part.* 5. *tractat.* 4. *resol.* 58. Tamb. *lib.* **6.** *cap.* **4.** **§.** 10. Et ratio est, quia sicuti moriturus poterat cedere homicidae alia Jura, ita et illa, et consequenter onus restituendi extinguere; Tum quia quidquid debetur illis heredibus, totum debetur eis dependenter a voluntate morituri, adeoque non fit eis injuria, nisi quatenus fit contra occisi voluntatem, et consequenter si moriturus totum condonavit, nulla contra ejus voluntatem remanet homicidae, seu ejus heredibus, obligatio Justitiae de facienda aliqua restitutione. 46

Contrariam tamen sententiam adhuc tamquam probabiliorem docent Lugo *disp.* **11.** *sect.* 3. *nu.* 63. Sporer. *loc. cit. num.* **235.** La Croix *loco cit. n.* 310. Ilsung. *tom.* **4.** *d.* **3.** *num.* 88. Fel. Pot. *loc. cit. n.* 2112. Tanner. *qu.* 6. *dub.* **4.** et alii. Et ratio est, quia remissio a morituro facta habet quidem locum in damnis praeteritis usque ad ejus mortem, at minime in damnis sequentibus; Moriturus enim, licet possit remittere totum Jus suum quoad compensationem sibi debitam pro damnis sibi illatis ante suam mortem, non potest tamen remittere Jus alienum quoad compensationem suis necessariis heredibus debitam pro damnis eis subsequutis post ejus mortem; Hoc enim Jus non pertinent ad occisum, sed immediate ad ejus heredes necessarios, quibus occisus de Jure, et Justitia tenebatur necessaria ad vitae sustentationem providere, et praestare; adeoque cum ex ejus occisione dicti heredes damnum proprium patiantur, Jus proprium acquirunt ad compensationem sibi faciendam ab homicida, et consequenter, non obstante remissione totali ei facta a morituro, tenetur homicida, et ejus defectu, ipsius heredes ad compensanda damna dictis heredibus subsecuta, cum haec, ut patet, sint damna propria ipsorum heredum, et non damna occisi. * Hanc sententiam tamquam unice sequendam tuentur Cuniliati loc. cit. n. III. et Concina in Compendio Theologiae Christianae lib. IX. de restitut. cap. V. num. VIII. scribens: « Si vulneratus dominus absolutus sit, et antequam 47

» decedat, remittat una cum injuria sibi illata, » etiam damna resarcienda, liber occisor est a re» stitutione. Ceterum licet vulneratus astringatur » remittere omnem injuriam sibi illatam, et dili» gere suum vulneratorem, non tamen obligatus » est dimittere damna inde emergentia; immo si » uxor, si filii, nepotes, vel parentes graviter indi» gerent, peccaret contra caritatem, si cum tanto » istorum dispendio et detrimento expensas, et » damna condonaret ». Confer Antoine loc. cit. quaest. xv. in not. post responsionem I. *

Item tenetur homicida compensare damna he- 48
redibus subsequuta, quamvis a supremo Principe patrati homicidii plenissimam obtinuerit remissionem, quia Princeps praecise intendit condonare injuriam Reipublicae factam, et non damna heredibus necessariis subsecuta. Henno *loc. cit. Petes* 3. et alii passim.

ARTICULUS III.

QUID, CUI, ET QUANDO SIT RESTITUENDUM?

SUMMARIUM

1. Ex Justitia commutativa id, et tantum est restituendum, quod et quantum ablatum, vel damnificatum est. — 2. Generaliter per se loquendo restituenda est eadem res in individuo, si adhuc extet. — 3. Si eadem res non amplius extet, facienda est restitutio in aequivalenti. — 4. Quid restituere debeat possessor bonae, vel malae fidei? *remissive.* — 5. Quid restituere debeat Commodatarius? *remissive.* — 6. Quid restituere debeat Conductor, et Locator? *remissive.* — 7. Quid restituere debeat Mutuatarius? *remissive.* — 8. Quid restituere debeat Emptor, et Venditor? *remissive.* — 9. Quid restituere debeat Emphyteuta? *remissive.* — 10. Quid restituere debeat Lusor? *remissive.* — 11. Quid restituendum sit in rerum occupatione, alluvione, specificatione, accessione, confusione, commixtione, et fructuum perceptione? *remissive.* — 12. Alia ad rem, *remissive.* — 13. Accepta ob actionem malam, seu peccaminosam jam positam non sunt, de Jure naturae restituenda, *ad num.* 16 — 17. Promissio, seu conventio de danda alicui certa pecuniae summa, ut aliqua actio turpis, ac peccaminosa perpetretur, nullam habet neque ante, neque post perpetrationem talis actionis turpis, et peccaminosae, vim obligandi; Unde sic promittens nihil tenetur restituere promissario. Et adducuntur ad id Jura Canonica. *ad n.* 23. — 24. Foemina recipiens munera ab amasio sibi liberaliter oblata ex cognita ejus libidinosa intentione, quamvis graviter peccet, etsi ipsa nihil mali intendat, cum sic foveat ejus impurum amorem, ac desiderium, et spem copulae aliquando obtinendae, tamen si nullum pactum explicitum, aut implicitum intercessit non tenetur restituere, sed licite retinere potest, *ad n.* 25 — 26. Accipiens pecuniam a Daemone, si sciat quod Daemon eam furatus sit alicui, ut sibi daret, tenetur restituere; si autem nesciat, spectato Jure naturae, potest ipsam retinere; De Jure autem positivo Civili post sententiam Judicis applicatur Fisco quidquid per artem Magicam, aut Legibus prohibitam acquiritur. — 27 Accepta per modum pretii pro actione debita ex Justitia restitui debent. — 28. Accepta autem per modum gratuitae, et omnino liberae donationis non sunt restituenda. — 29. Hinc Justitiam violant cum onere restitutionis Ministri Principum, Thesaurarii, Notarii, Tabelliones, et alii similes Officiales, qui pro obeundis suis Officiis, vel ultra taxatum pretium, vel supra constitutum a Principe, seu Republica stipendium, munera exigunt a particularibus, ne vexent, ne alios praeferant, ne solutionem, aut expeditionem retardent, et hujusmodi. — 30. Item Justitiam violant cum onere restitutionis Uxores pretium exigentes a Maritis, ut debitum conjugale reddant, ne adulterium committant; Latrones, ne hominem occidant; Depositarii, et depositum restituant; Rerum inventores, ut eas suis Dominis restituant: Debitores, ut Debitum restituant; Detractores, ut famam aut honorem ablatum reparent, et alii similes. — 31. Quid autem in specie de Judice circa munera recepta? *remissive.* — 32. Accepta per modum pretii pro actione debita ex quacumque alia virtute praeter Justitiam, non sunt restituenda ex debito Justitiae — 33. Potest tamen esse obligatio ea restituendi ex debito alterius virtutis, et afferuntur ad id exempla. — 34. Item licet quis non teneatur ad restitutionem talis recepti pretii ex debito Justitiae, potest tamen obligari ex dispositione Juris positivi inhabilitantis ad acquirendum Dominium talis pretii, et afferuntur ad id exempla. — 35. Ordinarie loquendo restitutio est facienda ei, a quo aliquid injuste acceptum est, vel cui damnum illatum est, si adhuc vivus sit, vel ejus haeredi, si sit mortuus, *ad nu.* 36. — 37. Item furans a Molitore farinam, a Fullone pannum, a Sartore vestem, et hujusmodi, tenetur ipsis, et non Dominis restituere: *alia notanda ad num.* 69.— 70. Qui pecuniam vel quamlibet rem alienam ab ipso furatam, vel ab alio fure mala fide acceptam ita cum propria commiscuit, ut discerni amplius nequeat, tenetur resarcire totam damnum Domino pecuniae, *ad num.* 81. — 82. *alia ad rem ad num.* 103.

1 Ex Justitia Commutativa id, et tantum restituendum est, quod et quantum ablatum, vel damnificatum est: *Communis*, nec indiget probatione, cum clare de se pateat. Generaliter, et per se loquendo restituenda est eadem res in individuo, si adhuc extet: *Communis*, per text. *in l. Manifesti Juris* 17. *Cod. de solutionibus*; Extante enim eadem re, cujus dominium verus dominus in alium non transtulit, semper dominus retinet Jus in illam, adeoque si non sit contentus alia re ejusdem speciei, et bonitatis, est ei restituenda ipsamet res, adhuc extans in individuo.

2 Si eadem res in individuo non amplius extet, facienda est restitutio in aequivalenti, adeo ut tantum restituatur, quantum sufficit ad aequalitatem debiti, vel damni illati: *Communis* per text. *In Authen. Hoc nisi, Cod. de solutionibus.*

3 Quid restituere debeat possessor bonae, vel malae fidei? Vid. verb. *Possessor bonae, et malae fidei per tot* Ubi etiam de fructibus naturalibus, in-

dustrialibus, mixtis, et civilibus. Item de expen-
4 sis, seu melioramentis necessariis, utilibus, et voluptuosis. Item de incremento, et decremento rerum.

5 Quid restituere debeat Commodatarius? Vide verb. *Commodatum.*

6 Quid restituere debeat conductor, et Locator? Vide verb. *Locator.*

7 Quid restituere debeat Mutuatarius? Vide verb. *Mutuum.* V. Addit. Casinenses ibi.

8 Quid restituere debeat Emptor, et venditor? Vide verb. *Contractus Emptionis venditionis.*

9 Quid restituere debeat Emphyteuta? Vide verb. *Contractus Emphyteusis.*

10 Quid restituere debeat Lusor? Vide verb. *Ludus?*

11 Quid restituendum sit in rerum occupatione, alluvione, specificatione, accessiona, confusione, commixtione, et fructuum perceptione? Vide verb. *Dominium art.* 3.

12 Alia ad rem. Vide verb. *Bellum art.* 2. *et* 3. verb. *Culpa*, verb. *Damnificatio*, verb. *Usura;* et notata *supra art.* 1. *a n.* 80. *ad* 94.

13 Accepta ob actionem malam, seu peccaminosam jam positam non sunt de Jure naturae restituenda; Unde si mulier, etiam uxorata, pro concesso usu sui corporis, at Mandatarius pro homicidio patrato pretium acceperit, potest retinere: S. Thomas 2. 2. *quaest.* 62. *art.* 5. *ad* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. *a n.* 52. Lugo *disp.* 18. *a num* 45. Dicastill. *de restitut. d.* 6. *dub.* 1. Borghes *Centur.* 3. *cas.* 33. S. Antoninus 2. *part. tit.* 2. *c.* 6. *in princip.* Cuvarruv. *Ad Regul. Peccatum part.* 2. §. 2. Angelus verb. *Restitut.* §. *Turpe*, Rosignolus *de restitut.* 11. *Disquisit.* 1. §. *VI. nu.* 9. *et* 10. La Croix *lib.* 30. *part.* 2. n. 289. cum Azorio, Molin. Vasquez ibi citatis, et alii passim, per text. in *l. Idem si ob stuprum* 4. §. 3. *ff. de conditione ob turpem, vel injustam causam*, ubi habetur: « Meretricem turpiter facere, quod sit meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix »; Unde S. Thomas 2. 2. *qu.* 31. *art* 7. *in corpore* ait: « Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, et contra Legem Dei; sed in eo, quod accipit, non injuste agit, nec contra Legem; Unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest ».

14 Accepta ob actionem malam, seu peccaminosam nerdum positam restitui debent, quia actio non debet poni, adeoque nec retineri potest pretium pro ea ponenda: Si autem sit quid mere liberaliter donatum ad alliciendum animum, v. gr Meretricis ad copulam, sive ante, sive post actionem turpem potest tuta conscientia retineri, paucis solis casibus exceptis; Lugo *loc. cit. n.* 49. La Croix *loc. cit.* n. 291. Henno *tom.* 2. *tract.* 1. *de restitut. quaest.* 7. *conclus.* 1. ubi citat Communem Doctorum per text. in *leg. Affectionis* 5. *ff. de donationibus*, ibi: « Affectionis gratia, neque honestae, neque inhonestae donationes sunt prohibitae; honestae, erga bene merentes amicos, vel necessarios, inhonestae, erga Meretrices »; et concordat *lex Donationes* 31. *ff. eodem.* Ubi, ut vides, lex non distinguit, an, ad hoc, ut sint validae tales donationes, debeant fieri ante, vel post actionem turpem; Ubi autem *lex* non distinguit, neque nos distinguere debemus; *cap. Quia circa* 22. *de privil. et leg. De pretio*, *ff. de Publiciana in rem action.* Et ratio conclusionis est, quia potest quilibet rei suae dominium in alium transferre, ubi per Leges non impeditur: Nulla autem est assignabilis Lex irritans dictam translationem; Non quidem Lex naturae, quia licet ratio naturalis dictet donationes illas esse illicitas, tam ex parte dantis, quam ex parte accipientis, eo quod incitent ad meretricium, vel inchoandum, vel continuandum; non tamen dictat esse invalidas. Nec etiam id dictant Leges positivae, cum Leges Civiles potius illa confirment, ut patet ex *cit. l. Affectionis* 5. *et cit. l. Donationes in concubinam* 31. *de donationibus*, *et cit. l. Idem si ob stuprum* 4. §. 3. *ff. De condiction. ob turpem, vel injustam causam*, adeoque etc.

Dicitur autem notanter, *Paucis solis casibus exceptis*, quia donata a Filiofamilias, Pupillo, Minorenni, et a Milite retineri non possunt, quia ipsi 15
per Leges inhabilitantur ad donandum, ut patet de Filiofamilias in §. *Filius familias* 7. *ff. De donationibus.* De pupillo §. 6. *Institut. de auctoritate Tutorum.* De Minorenni, *l. Si Curatorem* 3. *Cod. de in integrum restitution.* De Milite, *l. Si ancillam* 2. *Cod. de Donation. inter virum, et uxorem.* Pro parvis autem munusculis videtur consuetudinem contrarium induxisse.

Item retineri non possunt donationes, si quae 16
fierent, (quod Deus avertat) ab aliquo Religioso suae conditionis immemore, propter tale infandum commercium. Tales enim donationes essent omnino nedum illicitae, sed et invalidae, adeoque Monasterio essent restituendae, cum Religiosus professus nihil possit expendare sine licentia expressa, aut tacita Superioris, quam in tali casu non haberet, nec posset habere, cum Superior, nec totum Monasterium possit illam concedere in usus turpes, et peccaminosos; Nec etiam ex pecuniis suis personalibus, ac specialibus laboribus acquisitis, cum quidquid acquirit Monachus, acquirat Monasterio; *cap. Statutum* 1. *caus.* 18. *quaest.* 1. *cap. Abbates* 16. *caus.* 18. *quaest.* 2. *cap. Quia ingredientibus* 6. *caus.* 19. *quaest.* 3. *cap. In praesentia* 8. *de probationibus*, *cap. Monachi* 2. *de statu Monachor.* cum similibus.

Promissio, seu conventio de danda alicui certa 17
pecuniae summa, ut aliqua actio turpis, et peccaminosa perpetretur, nullam habet, neque ante, neque post perpetrationem talis actionis turpis, et peccaminosae, vim obligandi; Unde sic promittens nihil tenetur restituere promissario: Colligitur ex pluribus Juribus, tum Canonicis, tum Civilibus; Eodem Jure Canonico habetur in *cap. Pactiones* 8. *de pactis*, ubi sic expresse statuitur: « Pactiones factae a vobis . . . . nullius penitus sunt mo-

menti, quod etiam de aliis est dicendum, quae observatae vergunt in Animae detrimentum; Nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis . . . . . . de Jure, vel de facto nullam obligationem inducit », c. *In malis promissis* 5. *caus.* 32. *q.* 5. ubi ex verbis S. Isidori sic praecise habetur: « In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute vovisti, ne facias; impia est promissio, quae scelere adimpletur »; c. *Quae contra Jus* 64. *de Regul. Juris in* 6. ibi: « Quae contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi », *cap. In malis* 69. *de Regul. Juris item in* 6. ibi: « In malis promissis fidem non expedit observari ».

18 Et hoc Jure Canonico adeo verum est, quod licet talis promissio fuisset etiam juramento firmata, nullam importaret obligationem, ut expresse statuitur *in c. Non est obligatorium* 58. *de Regul. Juris in* 6. ibi: « Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum »; Et concordant plures textus in *quaestione* 4. *caus.* 22. et signanter *in cap. Est etiam* 2. *d. quaest.* 5. *caus.* 22. ubi ex verbis S. Ambrosii improbatur Herodes, quod ob servandum juramentum, S. Joannem Baptistam occidi jussisset; Unde in ejus Summario sic expresse habetur: « Aliquando non expedit promissum servare Sacramentum »; *c. Quod David* 3. *ead. caus. et quaest.* ubi ex verbis S. Augustini laudatur David, quod sicut juraverat, non occiderit Nabal, ibi: « Quod David juramentum per sanguinis effusionem non implevit, major pietas fuit »; et in ejus Summario sic dicitur: « Pietas fuit, quod David, Nabal, sicut juraverat, non occiderit »; *c. Juravit David* 4. *ead. caus. et q.* ubi de eodem verbis ejusdem S. Augustini sic repetitur: « Juravit David temere, sed non implevit jurationem majori pietate ductus ». Et e contra idem Sanctus Augustinus *serm.* 10. *in novis sermonibus de Decollatione Sancti Joannis Baptistae* improbat Herodem, quod impie adimpleat, quod temere juraverat, ibi: « Temere juratur, et impie, quod juratur, impletur »; *cap. Unusquisque* 8. *ead. caus. et quaest.* in cujus Summario de mente Sancti Ambrosii sic habetur: « Tolerabilius est juramentum non implere, quam quod turpe est, facere »; *cap. Si aliquid* 16. *ead. caus. et quaest.* ubi sic summatur Decretum Soteris Papae (*): « Juramentum, quo malum incaute promittitur, non est servandum »; *cap. Actione* 18. *ead. caus. et qu.* ubi sic summatur Decretum Concilii Eliberitani (**): « Illicitum juramentum non est servandum »; et saepe in eadem causa, et quaestione in aliis Capitulis, et Summariis consimiliter. Et hoc jure merito, cum Juramentum non fuerit institutum, ut esset vinculum iniquitatis, textu expresso *in cap. Quando* 18. *de Jurejurando*, ibi: « Cum Juramentum, non ut esset iniquitatis vinculum, fuerit institutum », *cap. Inter cetera* 21. *caus.* 22. *quaest.* 4. ibi: « Porro Juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur, ut esset vinculum iniquitatis ».

Jure Civili habetur sensus nostrae conclusionis 19
in pluribus Legibus, et signanter in *leg. Generaliter* 26. *ff. De verb. obligationibus*, ibi: « Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti »; *l. Si flagitii* 123. *ff. eod.* ibi: « Si flagitii faciendi, vel facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet »; *l. Juris gentium* 7. *ff. de pactis*, ibi: « Si stipulatio sit interposita de his, pro quibus pacisci non licet, servanda non est, sed omnino rescindenda »; *l. Pacta* 6. *Cod. de pactis*, ibi: « Pacta, quae contra Leges, Constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati Juris est »; *l. Ex eo* 4. *Cod. De inutilibus stipulationibus*, ibi: « Cum omnia, quae contra bonos mores, vel in pactum, vel in stipulationem deducuntur, nullius momenti sint ».

Suprapositam conclusionem tenent Navarrus *in* 20
Manual. cap. 17. Durand. *in* 3. *distinct.* 39. *qu.* 4. Medina *Cod. de restitut. quaest.* 2. Comitolus *lib.* 3. *respons. moral. quaest.* 5. Joannes Valerus *in differentiis utriusque fori verb. Promissio*, *differentia* 8. citati a Diana *tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 4. *miscellaneo resolut.* 40. ubi et ipse hanc sententiam probabilem, et practice tutam reputat, Adrianus, Neessen, Le Droux, et alii, quos citat, et sequitur Henno *loc. cit. quaest.* 4. *conclus.* 1. et sic videtur sentire Sanctus Augustinus relatus *in cap. Qui venatoribus* 8. *dist.* 86. testans non posse Meretricibus pecuniam rependi absque gravissimo peccato, cum nempe in pretium perpetrati criminis tribuitur. Et sic tenet Glossa *ibidem verb. Meretricibus*, et mordicus defendit Pontas *in Dictionario Casuum Conscientiae verb. Promissio cas.* 8. *et* 9. ubi in fine casus octavi sic expresse habet: « Repudiandam penitus ergo eorum opinionem censemus, qui tuentur, licet hujusmodi promissiones non obligent ante facinus perpetratum, iisdem tamen obligandi vim annecti, eo ipso, quod crimen executioni demandatum est; quinimmo persuasum prorsus animum habemus abhorrendas penitus, atque habendas esse execrationi ejusmodi promissiones, et stipulationes, et tanquam nullas esse considerandas, quomadmodum irritae re ipsa fiunt omnibus cum Ecclesiasticis, tum Civilibus Legibus, ut modo observatum, ac probatum est ». Et in fine casus noni sic concludit: « At isti laudatorum Auctorum opinioni non possumus subscribere, quando namque quosdam casus sibi fingere amant, in quibus non esse illicitum supponunt, nec promittere, nec dare in pretium turpis alicujus actionis perpetrandae, falsam omnino hypothesim comminiscuntur, quemadmodum patet ex testimoniis allegatis, quin etiam tamquam cer-

(*) Sive Soteri Papae tributum a Gratiano, quod vetustiores Collectores non ex Sotere, sed ex Beda se describere professi sunt. Vide Berardum in Opere cui titulus *Gratiani Canones etc.* part. II. cap. x. pag. 92. seq.

(**) Vel Concilio Eliberitano falso tributi Adeundus Berardus Oper. cit. part. I. cap. II. pag. 30.

tissimum habemus ex eorum opinione fenestram prorsus patefieri ad plurimam nequitiam, quoniam ad audenda quaeque, et ad perficienda, quae fluunt in luxuriam, inde via redditur expeditior ». Haec ipse: Tum quia datio, et acceptio pro re turpi patrata est novum peccatum, et approbatio peccati commissi. Qui enim dat, vel accipit propter peccatum commissum, videtur de novo approbare, atque in eo complacere, quod utique mortale est; Tum etiam quia promissio illa de re turpi patranda fuit nulla, nec ullo modo obligans, utpote peccaminosa, ut patet ex supra adductis Juribus, ergo nec est ex obligatione servanda.

21 Immo supracitati Doctores volunt insuper, quod acceptum ob turpem causam ex conventione facta obligante ad operis pravi executionem, sit restituendum: Sic expresse Henno *loc. cit. quaest.* 5. *conclus.* 1. cum Navarr. Adriano, Medina, Neessen, Le Droux, et aliis ibi citatis *argum. supra adductis Juribus*. Et eorum ratio est, quia conventio illa ante operis impletionem est nulla, eo quod non possit esse vinculum iniquitatis, ut concedunt omnes; ergo etiam nulla est impleto opere, et consequenter acceptum ratione talis conventionis debet restitui; Probatur consequentia ex *cap. Non firmatur* 18. *de Regul. Juris in* 6. ubi expresse dicitur: « Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit »; Atqui ex supra allegatis Juribus conventio illa nulla est ante operis impletionem, ergo etiam nulla erit post operis impletionem; Tum quia conventio illa, utpote contractus onerosus, debet obligare tam promissarium, quam promittentem; alias si obligaret solum promittentem, esset contractus gratuitus; Atqui non obligat promissarium, cum nemo obligari possit ad peccandum; ergo nec obligat promittentem, et consequenter est nulla ex parte utriusque; adeoque acceptum ex tali conventione est restituendum; Et sic videtur sensisse etiam Sanctus Augustinus *Epist.* 163. *alias* 54. *ad Macedonium*, ubi sic expresse habet: « Verum tamen est, si justitia sincerius consulatur, justius dicitur Advocato: Redde, quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati affuisti, Judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti »: Et paulo post explicatam obligationem Advocati in praedicto casu sic ait: « Quis tamen Advocatus, aut ex Advocato ita vir optimus facile reperitur, qui suscepto suo dicat: Recipe, quod mihi, cum tibi male adessem, dedisti, et redde adversario tuo, quod, me agente, inique abstulisti; et tamen quem prioris non rectae vitae rectissime poenitet, etiam hoc facere debet, ut si ille, qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem ».

22 Communior tamen Doctorum sententia tenet, quod licet promissio facta feminae pro usu sui corporis sit illicita, promissum, opere completo, sit conferendum. Nec femina teneatur receptum ob talem usum turpem sui corporis postea restituere; Sic Lugo *disp.* 18. *sect.* 3. *num.* 59. quo ad primam partem cum Vasquez, Turrian. Soto, Arragonio, Cajetan. Covarruv. Molina, Sanchez ibi citatis, dicens hanc esse communem, et veram sententiam, et *num.* 46. quo ad secundam partem cum Lessio, Molina, Cajetan. Alens. Richard. Gabriel. Silvestro, Angelo, Salonio, Silvio, Tannero, Rebel. Villalobos, dicens pariter hanc esse communem, et veram sententiam; Sic tenet etiam cum pluribus aliis ibi citatis, La Croix *lib.* 3. *p.* 2. *num.* 289. *et* 290. Rosignolus cum aliis ibi citatis *de restitutione* 11. *disput.* 1. §. 6. *num.* 2. *et* 9. Sporer cum multis ibi citatis *tom.* 2. *tract.* 5. *in VII. et X. Praecept. Decalog. cap.* 5. *sect.* 3. *num.* 135. *et* 139. Molina, Sanchez, Lessius, Diana, Tamburin, et plurimi alii. Et ratio primae partis est, quia ille usus sui corporis, quem femina impudica fornicario concessit, est pretio aestimabilis ratione utilitatis, vel delectationis, respectu fornicarii, et ratione periculi, et laboris respectu feminae concedentis talem turpem usum sui corporis; adeoque si fornicarius pretium promisit, et femina impudica rem pretio aestimabilem, et vendibilem, utpote ei commodam, vel delectabilem posuit, non est unde ab obligatione solvendi promissum liber evadat; Tum quia si Fornicarius negare posset pretium pactum pro tali turpi usu sibi concesso, seu vendito, negare etiam posset Juvenis Matrimonium promissum puellae sub certa promissione Matrimonii defloratae; quod omnes negant, et insuper dicunt posse ad id etiam in foro externo compelli adeoque etc. Ratio autem secundae partis est, quia femina recepit tale pactum pretium concesso, seu vendito usu sui corporis fornicario, qui usus cum sit commodus, et delectabilis fornicario, et periculosus ipsi feminae, dignus est pretio; adeoque talis femina licite retinere potest dictum conventum, et receptum pretium, nec tenetur illud restituere, cum non sit receptum contra Justitiam, sed potius secundum illam.

Immo Meretrix nedum conventum, et receptum pretium pro concesso turpi usu sui corporis licite recipit, et retinet, sed etiam omni Jure etiam Civili in foro externo illud exigere potest, si non ei a Fornicario solvatur: Sanctus Thomas 2. 2. *quaest.* 62. *artic.* 5. et plurimis congestis, Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. Molina *tom.* 1. *tractat.* 2. *disp.* 34. Diana *part.* 2. *tract.* 2. *Miscellan. resolut.* 40. Spor. *loc. cit. num.* 136. et ipso teste *Communis aliorum* per text. *in l. Idem* 4. §. 3. *ff. de condict. ob turpem, vel injustam causam*, ibi: Sed quod Meretrici datur, repeti non potest, ut Labeo, et Marcellus scribunt, sed nova ratione, non eo, quod utriusque turpitudo versatur, sed solius dantis: illam enim turpiter facere quod sit Meretrix: non turpiter accipere, cum sit Meretrix »; Et ratio est, quia Meretrix ita cum Fornicario convenit de pretio sibi solvendo pro usu ei concesso, seu vendito sui corporis, ex cap. autem *Contractus* 85. *de Regul. Juris in* 6. *Contractus ex con* 23

ventione legem accipere dignoscuntur. Nec pretium illud exigitur, et accipitur pro ipso peccato formali, quod, cum nihil sit, neque licite possibile, non est vendibile; sed exigitur, et accipitur pro actu ipso materiali, quatenus Fornicario utilis, et delectabilis est, et meretrici aliquo modo laboriosus, et periculosus, qui actus, cum sit quid naturale, et pretio aestimabile, nec alteri gratis debitum, est veluti conductus a Fornicario, adeoque pretio solvendus.

24 Femina recipiens munera sibi ab amasio liberaliter oblata ex cognita ejus libidinosa intentione, quamvis graviter peccet, etsi ipsa nihil mali intendat, cum sic foveat impurum ejus amorem, ac desiderium, et spem copulae aliquando obtinendae, tamen si nullum pactum explicitum, aut implicitum intercessit, non tenetur restituere, sed licite retinere potest, quia sunt sibi liberaliter data, et sibi imputare debet nimis credulus amator, quod plus speraverit, quam debuerit; Sporer *loc. cit. num.* 141. Lugo *loc. cit. num.* 49. Molina *tom.* 3. *disp.* 735. *nu.* 3. Rebell. *de Justitia par.* 1. *lib.* 3. *qu.* 7. *num.* 6. Joannes Valerus *in differentiis utriusque fori, verb. Restitutio, differentia* 34. Henno *loco cit. quaest.* 6. *conclus. in fine,*
25 et alii passim. Si autem femina receperit talia munera ex pacto explicito, vel implicito pro usu sui corporis concedendo, quem postea denegat, tenetur restituere, quia peccat contra Justitiam retinendo pretium absque concessione usus sui corporis, pro quo solum ab amasio datum est munus, seu pretium. *Sic citati Doctores, et alii passim.*

26 Accipiens pecuniam a Doemone, si sciat, quod Daemon eam furatus sit alicui, ut sibi daret, tenetur restituere. Si autem nesciat, spectato Jure naturae, potest ipsam retinere, cum Doemon potuerit eam accipere ex fundo maris, aut aliunde, ubi erat derelicta ad nullius spectans dominium. Sic Diana *part.* 10. *tract.* 15. *resol.* 48. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 292. et alii. De Jure autem positivo Civili per sententiam Judicis debet applicari fisco quidquid per artem Magicam, aut Legibus probibitam acquiritur: Lugo *tom.* 1. *disp.* 6. *nu.* 112. La Croix *loc. cit.* et ipso teste, *Communis aliorum*, per text. *in l. Unica*, *Cod. de Thesauris.* *

Nota Romani Theologi.

* Casus hic est metaphysicus; nec Daemon furari a Deo permittitur, nec si permittitur, id resarciri facile poterit.

Responsio Auctoris.

Quomodo potest a Theologo dici hic casus metaphysicus, cum de ipso passim tractent Auctores, et de acquisitis per artem magicam disponant leges? Quod certe non fieret, si non supponeretur daemonem furari quandoque a Deo ob sua justa, et inscrutabilia judicia permitti, et hoc permittente, posse resciri.

Accepta per modum pretii pro actione debita ex Justitia, restitui debent; *Communissima.* Et ratio est, quia tale venditum est invendibile, cum solvens Jus habeat ad actionem illam independenter ab omni pretio; et recipiens aliquid per modum pretii pro illa actione vendat id, quod non est suum, sed alterius; Res enim, quae ex Justitia debetur alicui, perinde est, ac si esset illius; Unde coactus dare pretium pro ipsa, cogeretur emere rem suam, ut redimeret injustam vexationem; adeoque tale pretium injuste acceptaretur; et consequenter esset restituendum ex debito Justitiae. 27

Dicitur autem notanter *Accepta per modum pretii*, nam accepta per modum gratuitae, et omnino liberae donationis non sunt restituenda, cum liceat unicuique per leges non impedito, rei suae dominium in alium transferre. *Communis.* 28

Hinc Justitiam violant cum onere restitutionis Ministri Principum, Judices, Thesaurarii, Notarii, Tabelliones, et alii similes Officiales, qui pro obeundis suis Officiis, vel ultra taxatum pretium, vel supra constitutum a Principe, vel Republica stipendium, munera exigunt a particularibus, ne vexent, ne alios praeferant, ne solutionem, aut expeditionem retardent, et hujusmodi: *Communis.* Dicit tamen Sporer *loc. cit. num.* 128. quod supradicti, si a Republica conducti sint ad ea munera absque sufficienti stipendio, possint juste mercedem proportionatam exigere usque ad sufficiens stipendium secundum circumstantias personarum, locorum etc. prudenter judicandum. * Verum haec opinio ab aliis merito rejicitur, praesertim cum bono communi sit infesta. * 29

Item Justitiam violant cum onere restitutionis Uxores pretium exigentes a Maritis, ut debitum conjugale reddant, ne adulterium committant; Latrones, ne hominem occidant; Depositarii, ut Depositum restituant; Rerum inventores, ut eas suis dominis restituant; Debitores, ut Debitum restituant; Detractores, ut famam, aut honorem ablatum reparent, et alii similes. *Communis.* 30

Quid autem in specie de Judice circa munera recepta? Vide verb. *Judex.* 31

Accepta per modum pretii pro actione debita ex quacumque alia virtute praeter Justitiam, non sunt restituenda ex debito Justitiae, Lugo *disp.* 18. *sect.* 3. *num.* 67. Sotus, Bannes, Diana, Tamburin. Petschacher citati, et secuti a La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 265. Sporer *tom.* 2. *tract.* 5. *in VII. et X. Praecept. Decalogi num.* 132. ubi dicit de hoc non posse dubitari; Tunc enim non peccatur contra Justitiam, cum nec dando, nec accipiendo alicui fiat injuria, adeoque id, quod tunc accipitur, non est restituendum ex debito Justitiae. 32

Dicitur autem notanter *ex debito Justitiae*, quia licet non sit in tali casu restituendum ex debito 33

Justitiae, potest tamen esse obligatio restituendi ex debito alterius virtutis; Si quis enim. v. g. ex voto debeat Ecclesiae Crucem centum aureorum, et nolit votum adimplere, nisi ab ipsa Ecclesia, vel ab alio accipiat viginti aureos, tunc tenetur restituere Danti illos viginti aureos, non quidem ex Justitia, quam non violavit; sed ex virtute Religionis, quae illum obligat ad totum votum adimplendum, et promissum Deo integre reddendum; quod non faceret, nisi restitueret illos viginti aureos; quia illos retinendo non integre donat, sed partim vendit respectu talis pretii accepti, ut dictam Crucem Ecclesiae offerat. Similiter, quia ex virtute Religionis tenentur Beneficiarii dare superflua in eleemosynam, si aliquid recipiant, ad hoc ut suo debito satisfaciant, tenentur restituere; quia retinendo illud acceptum non satisfaciunt praecepto dandi eleemosynam integre ex omnibus superfluis, et sic de similibus. Econtra tamen, si quis pretium accipiat, ut audiat Missam, communicet, et hujusmodi, ad quae obligatur ex eadem virtute Religionis, non tenetur illud receptum pretium restituere; sicuti nec tenetur restituere pretium acceptum, ne se inebriet, ad quod tenetur ex virtute Temperantiae, et ne fornicetur, ad quod tenetur ex virtute Castitatis, et hujusmodi: In his enim, et similibus non tenetur neque ex virtute Religionis, Temperantiae, aut aliarum virtutum restituere pretium acceptum pro earumdem observantia, quia tale pretium receptum non impedit, quod opus ex ipsis Virtutibus debitum ponatur secundum integram suam substantiam, et secundum omnes qualitates debitas; sicuti impedit in primis aliis allatis exemplis de emittente votum donandi Crucem centum aureorum Ecclesiae, et de Beneficiariis adstrictis dare superflua in eleemosyna; Sic recte tradunt Lugo *loc. cit. num.* 70. Sporer *loc. cit. num.* 132. et alii.

34 Item licet quis non teneatur ad restitutionem talis recepti pretii ex debito Justitiae, potest tamen obligari ex dispositione Juris positivi inhabilitantis ad acquirendum dominium talis pretii; Jus enim positivum in pluribus obligat ad restitutionem, et signanter ad restitutionem pretii simoniace accepti in materia Beneficiorum Ecclesiasticorum, *c. de hoc* 11. *de Simonia.* Item ad restitutionem pretii simoniace accepti in materia electionum ad Dignitates, et Officia Ecclesiastica: *Extravagant. Cum detestabile* 2. *de Simonia inter Communes.* Item ad restitutionem pretii simoniace accepti pro ingressu in Religionem: *Extravagant. Sane* 1. *de Simonia inter Communes.* Item ad restitutionem pretii simoniace accepti pro administratione Ordinis, aliorumque Sacramentorum, et Sacramentalium; De Jure enim Divino haec sunt gratis administranda; *Matthaei* 10. *Gratis accepistis, gratis date;* Unde si pro tali administratione aliquid accipiatur, est restituendum. Item ad restitutionem pretii accepti ab Ecclesiasticis Visitatoribus ratione Visitationis; Ipsi enim graviter peccant, et ad restitutionem tenentur ex speciali dispositione Sacrorum Canonum, et Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 3. *de reformat.* et sic de aliis.

Ordinarie loquendo Restitutio est facienda ei, a quo aliquid injuste acceptum est, vel cui damnum illatum est, si adhuc vivus sit, vel ejus heredi, si sit mortuus: *Communissima*, nec indiget probatione, cum satis de se clare pateat. 35

Dicitur notanter *ordinarie loquendo*, quia in pluribus casibus restitutio non est facienda domino, et signanter res accepta a possessore justo, et bonae fidei, est ipsi restituenda, et non domino. Unde si sit accepta res commodata, deposita, oppignorata, locata, et hujusmodi, restituenda est commodatario, oppignoratario, locatario, et hujusmodi, quia cum isti juste possideant rem, et eam custodiant, vel ipsa utantur, eisdem proprie infertur injuria per ablationem ejusdem rei; cum injuste priventur sua possessione, et usu ejusdem rei; adeoque est eis restituenda, aliter si restituatur domino, et justus possessor patiatur inde aliquod damnum, est de omni interesse indemnizandus. *Communis.* 36

Item furans a Molitore farinam, a Fullone pannum, a Sartore vestem, et hujusmodi, tenetur ipsis, et non dominis restituere; quia si restitutio fieret dominis, exponerentur illi periculo amittendi pretium laboris, et insuper periculum esset, ne ob praesumptam incuriam in custodiendis rebus sibi traditis eorum Officina desereretur; Unde si ex tali restitutione facta dominis eveniret illis aliquod nocumentum, essent ipsi indemnizandi. *Comm.* 37

Item res ablata a Tutoribus, vel Curatoribus, est ipsis restituenda, et non Pupillis, aut Minoribus, seu furiosis, et amentibus, quia licet isti sint rei restituendae domini, secundum Jura tamen non habent administrationem: *Communis* per text. *in §. Furiosus* 8. *et §. Pupillus* 9. *Inst. de inutilibus Stipulationibus, l. Obligari* 9. *ff. de auctoritate, et consensu Tutorum, et Curatorum,* cum similibus. 38

Item surripiens a Religioso, Uxore, Filio-familias, et similibus res in usum ipsis legitime concessas, tenetur ipsismet restituere, non autem Monasterio, Marito, Patri, et hujusmodi, nisi certus sit reddendas esse postea ipsis usuariis, quia Usuarii injuste privantur Jure, quod legitime habebant ad usum rerum illarum; Si autem a Religioso, Uxore, Filiofamilias, et similibus auferatur aliquid, quod non est ipsis legitime concessum in usum, seu administrationem, tunc non ipsis est restituendum, sed Monasterio, Marito, Patri, et hujusmodi: aliter si supradictis restituatur, et inutiliter dissipetur, esset obligatio restitutionis. *Communis.* 39

Nota Romani Theologi.

Quare non etiam Monasterio, Marito, Patri etc.? id aliquibus non probatur.

Responsio Auctoris.

At *ibi* a me est assignata clara ratio, quare, et quando debeant dictae res restitui Religioso, uxori, Filiofamilias, et hujusmodi, et quando non ipsis, sed Monasterio, Marito, Patri etc. Videat ibi eruditus Lector, et pronunciet.

40 Item non est res ablata restituenda domino, quando praevidetur ipsi, aut alteri in spiritualibus, et temporalibus obfutura; Unde non est ei restituendus gladius, si praevideatur ipse, aut alter occidendus; Non est ei reddenda Clavis adulterina, si praevideatur ea usurus ad furandum, et sic de similibus; Sic non est restituenda pecunia domino volenti cum ea corrumpere mulierem, luxuriose vivere, injuste litigare, simoniam committere, et similia in perniciem spiritualem sui, vel alterius perpetrare, sed est differenda ipsi restitutio, donec sint remota talia pericula. *Communis.*

41 Item non est facienda domino restitutio, quando est multum distans, adeo ut non possit res restituenda ad ipsum transmitti, nisi cum expensis excedentibus, vel adaequantibus valorem ipsius rei: Tunc enim expectanda est commodior restitutionis occasio: quae si desperetur, est facienda restitutio suis propinquis, si habeat, vel in eorum defectu, pauperibus, nomine quorum veniunt Ecclesiae, Hospitalia, Monasteria indigentia, celebrationes Missarum, et alia similia pia opera. *Communis.*

Nota Romani Theologi.

Expectanda quidem commodior occasio; et si haec desperetur, restitutio facienda est omnimode domino rei ablatae, aut propinquis.

Responsio Auctoris.

Sed ego jam tradidi, quod si desperetur commodior occasio, restitutio facienda est suis propinquis, si habeat, et solum in eorum defectu, pauperibus, vel locis piis, cum hac tamen advertentia, quod adveniente restituendi domino commodiori occasione, seu ipso comparente, et res adhuc extent in individuo, debent a pauperibus, vel loco pio restitui; et si fuerint consumptae, et pauper, seu locus plus inde factus sit ditior, debet restitui id, in quo factus est ditior, ut in similibus trado ego *ibi* sub n. 53. Cum quantis autem impensis teneatur fur restituere rem furatam, cum in hoc variae sint sententiae Auctorum, attendendae sunt pro certa regula omnes circumstantiae, nempe quantitas, seu valor rei furatae, paupertas, et necessitas tum furis, tum domini rei, distantia, seu mutatio locorum, magnitudo damni tam creditoris, quam debitoris formaliter, et comparative ad subjectum: An creditor hic et nunc sit, vel non sit rationabiliter invitus circa omissionem, vel dilationem restitutionis, et hujusmodi.

42 Quando non constat de vero domino, seu legitimo rei possessore, facienda est ad ipsum inveniendum diligens inquisitio juxta bonorum qualitatem, idest major, vel minor pro gravitate, vel levitate rei, quia antequam sit facta talis inquisitio, non debet haberi dominus pro ignoto; Hinc si res inventa sit magni valoris, v. g. bursa cum 100. aureis, debet fieri inquisitio, non solum in loco, ubi reperta est, sed et in Pagis, et Civitatibus vicinis; immo etiam in remotis, in quibus adest probabilitas ipsum reperiendi, faciendo quod aliquoties promulgetur e Cathedra, quod affigatur scheda ad locorum compita id notificans, aut quod imprimatur in novellis publicis; Si autem res inventa, sit parvi valoris, ut annulus ordinarius, bursa cum paucis nummis, sufficit, quod promulgetur in Ecclesiis, seu Scholis, aut vicis loci rei inventae. *Sic Doctores communiter.*

Si pro tali inquisitione essent ab inventore rei 43 faciendae aliquae expensae, desumendae essent ex ipsis domini ignoti bonis, quia Jus tum Civile, tum Canonicum nullum gravamen imponit bonae fidei possessori; unde possessor bonae fidei deducere potest expensas factas pro rei conservatione, et pro ignoti domini inquisitione, ut patet ex *l. Possessor, ff. de petitione hereditatis.* Secus autem dicendum est de possessore malae fidei, ut si quis non ex inventione, sed ex injusta actione haberet aliena bona, tunc enim expensas pro inquisitione domini deberet facere ipsemet injustus possessor, et debitor, quia Justitia postulat, ut nullum incurrat dominus nocumentum propter alterius injustitiam, cum peccata suos debeant tenere auctores; *l. Sancimus 22. ff. de poenis, cap. quaesivit 2. de his, quae fiunt a majori parte Capituli.* Nec debet aliquis alterius odio praegravari, ut expresse statuitur *in cap. Non debet 22. de Regul. Juris in 6.* et rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit, ut praecise habetur *in cap. Cognoscentes 2. de Constitutionibus.*

Si dominus reperiatur, tenetur inventor ei re- 44 stituere: *Communis*, textu expresso in *cap. si quis 6. et c. Multi 8. caus. 14. n. 5.* Vide verb. *Dominium art. 3. n. 17.*

Si post factam dictam diligentiam non reperia- 45 tur dominus, res, seu pecuniae inventae sunt in pauperes, seu ad alium pium usum applicandae, nisi ipse inventor pauper sit, quia tunc posset sibi reservare in toto, vel in parte, considerata quantitate rei inventae, ac inopiae suae. Vide *dict. verb. Dominium a n. 18. ad n. 20.* ° Consulendi tamen sunt prudentes viri, nec nisi ex eorum sententia aut pars, aut tota bona inventa retinenda sunt, ut monet Concina in Compend. Theol. Christian. lib. IX. dissert. 1. cap. V. n 3. Confer Cuniliati tract. IX. de VII. Decalog. Praecept. cap. II. §. IX. num. IV. °

Opposita tamen sententia defenditur a plurimis 46 Classicis Doctoribus. Vide *ibid. n. 20.*

Si res inventa derelicta fuerit, fit inventoris, 47 qui primo occupat. Vide *ibid. n. 22.*

48 Si res inventa, sit de illis, quae numquam dominum habuerunt, fit primo occupantis. Vide *ibid. num.* 23.

49 Merces, aut quaevis alia bona reperta in littore maris, aut fluminis post naufragium, non sunt primo capientis, aut Fisci, sed domino restitui debent. Vide *ibid. n.* 24.

50 Piscantes bona naufraga in mari, tenentur restituere domino, sicuti debent domino restitui ea, quae eripiuntur ex incendio, vastatione, inundatione etc. et etiam oves, aut alia animalia ex lupi faucibus erepta. V. *ibid. n.* 25.

51 Habens ex delicto bona incerta, debet restituere locis sacris, vel pauperibus, uti de pretio usurario definivit Alexander III. *in cap. Cum tu* 5. *de usuris*, ibi: « Qui sive ante, sive post Interdictum nostrum usuras extorserint, cogendi sunt per poenam, quam statuimus in Concilio, eas his a quibus extorserunt, vel eorum heredibus restituere, vel his non superstitibus, pauperibus erogare ». Si autem iniquus detentor sit ipsemet aeque pauper, et egens ac alii pauperes, quibus restituere deberet, aut similiter pauperes consanguineos habeat, licite sibi applicare, aut consanguineis conferre potest etiam propria auctoritate sine praescripto Episcopi, vel Parochi, in toto, vel in parte, considerata quantitate bonorum detentorum, et sua, vel consanguineorum inopia; Dummodo tamen talis inopia sit evidens, et certa: Sic La Croix *lib.* 2. *P.* 2. *n.* 94. cum S Thoma, Scoto, Navarr. Gabriel. Medina, Layman, Molina, Vasquez, Sanchez ibi citatis, aliique multi cum Illsung *tom.* 4. *d.* 2. *n* 250. Sporer *tom.* 2. *tract.* 4. *n.* 106. ubi dicit, quod ex communi sic docent Molina *disp.* 616. et Lessius *lib.* 2. *c.* 13. *dub.* 6. Et ratio est, quia inopia certa, et evidens, est etiam pro ipso iniquo detentore, vel suis consanguineis sufficiens causa retinendi, cum talis, vel tales non sint deterioris conditionis, quam alii pauperes; insuper Lugo *disp.* 20. *n.* 8. Ilsung *loc. cit. n.* 191. et alii, addunt, iniquum detentorem posse etiam retinere, et sibi applicare, si debitis ultra vires gravatus esset, quia tunc re ipsa pauper, et inops esset: Cavere tamen debet similis injustus debitor, ut recte monent supracitati Doctores, ne in propria causa caeco judicio decipiatur, et fraus absit; Vix enim sibi retinere poterit, nisi sit adeo evidens ejus necessitas, ac inopia, quae etiam eum alias a restitutione excusaret: Alioquin enim aperiretur via ad furanda aliena sub iniqua spe, quod domino postea non comparente, praetextu inopiae non teneretur fur ad restitutionem. * Vide addit. ad num. 45. *

52 Si facta debita, et sufficienti inquisitione, et domino non comperto, habens bona incerta, ipsa distribuerit pauperibus, vel sibi aeque pauperi retinuerit, quamvis postea compareat dominus, nec ipse, nec alii pauperes teneri videntur aliquid restituere, si ipsa bona fide jam consumpserint, nec ex ipsis ditiores sint facti: Sporer *loc. cit. n.* 105. et ipso teste, *Communis aliorum*. Si autem, comparente domino, talia bona necdum sint consumpta, sed adhuc extent in individuo, debent a paupere, vel loco pio, cui fuerunt applicata, restitui; et si fuerint consumpta, et pauper, seu locus pius inde sit factus ditior, debet restitui id, in quo factus est ditior: et ratio est, quia prior distributio videtur facta hac conditione, si dominus non comparuerit; alioquin negotium ejus esset male gestum, adeoque, si dominus compareat, sunt ei dicta bona restituenda, cum talis distributio evadat invalida, ex quo actus sub conditione celebratus, conditione non completa, nullum operetur effectum, *arg. §. Ex conditionali Stipulatione, Instit. de verbor. obligatione; et l. unica §. Sin autem, Cod de caducit. tollend.* Tum quia nemo debet ex re alterius ditescere, *cap. Locupletari* 48. *de Regul. Juris in* 6. ibi: « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura » Ita Lessius *l.* 2. *cap.* 14. *dub.* 7. Molina *disp.* 746. Diana *part.* 11. *tract.* 8. *Resolut.* 14. Henno *l. c. q.* 4. *Conclus.* 3. *resolut.* 3. Felix Potestas *l. c. n.* 2618. La Croix *loc. cit. n.* 95. cum Layman, Castropal. Petschacher ibi citatis, et alii contra Sotum, Henriq. Petrum Navarr. Cajetan. Bonacin. et alios cum Lugo *disp.* 31. *n.* 32. dicentes non esse obligationem restituendi, etiamsi res adhuc extaret, quia pauper, vel locus pius acquisivit dominium, cum ei in eleemosynam erogata fuerit, quando dominus non poterat censeri rationabiliter invitus. 53

Si ante distributionem non praecessit debita diligentia pro inveniendo domino, et talia bona adhuc existant apud pauperem, vel locum pium, hi tenentur illa restituere, et in horum defectu, ille, qui sine dicta debita diligentia distribuit, quia tunc transferri non poterat dominium, cum dominus esset rationabiliter invitus, et qui sic distribuit, injuriam fecit vero domino, injuste privando eum spe recuperandi bona sua; Culpa enim sua dominum ignoravit, et ob culpam alterius non debet quis privari suis bonis, *cap. Non debet* 22. *de Regul. Juris in* 6. ibi: « Non debet aliquis alterius odio praegravari », *cap. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus*, ibi: « Rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit »: Peccata enim suos debent tenere auctores, *l. Sancimus* 22. *de Poenis*, *cap. Quaesivit* 2. *de his, quae fiunt a majori parte Capituli. Communis.* Et si dicta bona fuerint in tali casu bona fide consumpta a pauperibus, vel loco pio, nec ex eis factus sit ditior, tunc pauper, seu locus pius ad nihil tenetur, sed solus ille restituere tenetur, qui sine debita diligentia distribuit, cum ipse solus injuriam fecerit domino sic culpabiliter distribuendo: *Communis* per Jura adducta. 54 55

In debitis quibuscumque, sive ex delicto, sive ex contractu ex re accepta, vel inventa, quando facta inquisitione sufficienti dubitatur, quis ex duobus, vel tribus sit rei dominus, non est talis res danda pauperibus, sed proportionate ad dubium 56

inter ipsos dividenda; Tunc enim non potest dici simpliciter ignotus dominus, cum cognoscatur unum ex illis esse dominum. Unde si post factam debitam inquisitionem non appareat ratio sufficiens, cur sit potius hic, quam alter, aequitas postulat, ut proportionate ad dubium fiat inter ipsos divisio; Ipsis autem non sic consentientibus res committenda est arbitrio, et auctoritati Judicis. *Comm.*

57 Pro damnis illatis immediate alicui Civitati, Oppido, Communitati, Collegio, et hujusmodi, quae faciunt unum corpus ex multis, restitutio est facienda immediate ipsi Communitati, non autem particularibus Civibus, aut Personis, quia laesio facta fuit immediate ipsi Communitati, et non particularibus Personis; et sic facta restitutione Administratoribus talis Communitatis, per ipsos provide bitur particularibus Personis. *Communis.*

58 Pro damnis illatis immediate particularibus Personis, ut in minutis furtis panis, vini, olei, carnis, et similium, mensura minori, vel statera dolosa, restitutio est facienda ipsis particularibus Personis solitis suas frequentare Officinas, vendendo deinceps viliori pretio, aut meliori pondere, vel mensura, ut sic, quantum fieri potest, compensetur damnum paulatim fundendo, quod paulatim est ablatum: Sporer *loc. cit. n.* 117. Henno *loc. c. quaest.* 5. *conclus.* 2. *resolut.* 2. Tambur. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap* 1. §. 3. *n.* 19. Busemb. *lib.* 3. *part.* 2. *c.* 2. *dub.* 3. *n.* 2. Molina, et alii passim; Vasquez, et Escobar cum paucis aliis exceptis, dicentibus esse probabile, quod possit dari pauperibus praesertim ejusdem Civitatis. Si autem dam-

59 na sint illata extraneis omnino ignotis, nec solitis suas frequentare Officinas, tunc revera restitutio est facienda pauperibus, seu aliis piis locis. Henno *loco citat.* et alii communiter.

60 An, et quibus restituendi sint Thesauri inventi Vide verb. *Dominium art.* 3. *a n.* 27. *ad* 45.

61 Capientes animalia in leporariis, vivariis, stagnis, silvis non amplis, et circumdatis, an, et quibus restituere teneantur? Vide *ib. n.* 8.

62 Animalia domestica, seu naturaliter mansueta, sicut et ferina mansuefacta quandiu redire solent, non sunt primo capientis, etiam si longe aberraverint, sed sunt domino comparenti restituenda. Vide *ibid. n.* 9.

63 Feram, aut avem lethaliter vulnerans, et eam insequens moraliter certo capturus acquirit ejus dominium, et si ab alio capiatur, est ei restituenda. Vide *ibid. n.* 10.

64 Si vero fera, aut avis sit ita leviter vulnerata, ut adhuc fugere possit, tunc si alius eam fugientem capiat, est ipsius capientis, nec tenetur restituere ei, qui eam sic leviter vulneravit. Vide *ibid. n.* 11.

65 Si autem dubium foret, an qui vulneravit, ratione talis vulneris esset capturus, nec desiisset prosequi feram vulneratam, tunc de aequitate esset dividenda inter vulnerantem, et capientem Vide *ib. n.* 12.

Item si quis animal vagum insequatur, et illud in retia alterius incidat, tunc uterque habet Jus illud capiendi; Unde de aequitate esset inter ipsos dividendum. Vide *ib. n.* 13. 66

Si piscis reperiatur ita inextricabiliter implexus in retibus alicujus piscatoris, ut nullatenus possit evadere, si alter ex ejus retibus ipsum eripiat, tenetur ad restitutionem; Secus si piscis adhuc poterat se eripere illis retibus. Vide *ib. n.* 14. 67

Quando apes ex proprio alveario ita evolant, ut illarum reversio, vel apprehensio desperetur, tunc licite possunt a quolibet apprehendi sine obligatione restitutionis, etiamsi forent in fundo prioris domini. Vide *ibidem* n, 15. 68

Si autem apes alterius alveare occupant, fiunt ipsius, maxime si ipsum apertum retineat etiam ad hunc finem; Unde si quis inde eas eriperet, teneretur ipsi restituere. Vide *ib. n.* 16. 69

Qui pecuniam, vel quamlibet rem alienam ab ipso furatam, vel ab alio fure mala fide acceptam ita cum propria commiscuit, ut discerni amplius nequeat, tenetur resarcire totum damnum domino pecuniae. Vide *ib. n.* 82. 70

Qui pecuniam furtivam accepit bona fide in solutionem alicujus debiti, et sic bona fide cum sua pecunia commiscuit, postea comparente domino pecuniae, ad nihil tenetur. Vide *ib. n.* 83. 71

Qui autem pecuniam furtivam accepit bona fide gratis, vel lucratione, et ita commiscuit cum sua, licet non teneatur eam restituere in individuo, tenetur tamen restituere domino in aequivalente. Vide *ibid. n.* 84. 72

Emens bona fide rem furtivam, seu alienam, tenetur eam restituere domino statim, ac rescit esse suam. V. verb. *Contractus Emptionis art.* 2. *n.* 1. 73

Nec talis emens bona fide rem furtivam, restituendo eam domino, potest ab ipso repetere expensum pro ea. Vide d. verb. *Contractus Emptionis art.* 2. *n.* 2. 74

Immo non tantum rem ipsam furtivam, sed et omnes ejusdem rei fructus adhuc extantes, et quos collegit, et consumpsit a tempore cognitae rei furtivae, et eos, ex quibus jam antea bona fide perceptis factus est ditior, tenetur Emptor in utroque Foro restituere domino. Vide *ibid. n.* 3. 75

Emens bona fide rem furtivam probabilius non potest eam reddere furi, si praevideat non esse reddendam domino, etiamsi aliter pretium suum recuperare non possit, sed debet eam restituere domino. Vide *ibid. n.* 6. 76

Revera tamen est etiam probabile, quod talis Emptor possit rem furtivam reddere furi ad pretium recuperandum, seque indemnem servandum. Vide *ibid. n.* 7. * Consulantur quae ad cit. loc. adnotavimus. Hic autem illud unum addimus, ab eo, qui rem furtivam domino restituerit, monendum furem, ne perseveret in peccato, putans se teneri restituere, vel ne iterum restituat cum suo damno. Ita Antoine de Justitia et Jure cap. V. quaest. 1. *. 77

78 Emens rem pecunia furtiva, licet acquirat ejus rei dominium, obligatur tamen ad resarciendum omne damnum, ac lucrum cessans illi, a quo pecuniam abstulit, tum etiam venditori, casu, quo pecunia ab ipso evincatur. Vide *ibid. n.* 8.

79 Venditor autem non acquirit dominium talis pecuniae furtivae, sed eam debet comparenti domino restituere, si adhuc in specie extet; non tenetur vero restituere, si eam jam consumpsit, vel cum propriis nummis ita commiscuit, ut amplius discerni nequeat. Vide *ib. n.* 9.

80 Alia ad rem. Vide d. verb. *Contractus Emptionis art.* 2. 3. *et* 4. et verbo *Possessor bonae*, *et malae fidei*.

81 Quibus facienda sit restitutio pro rebus in bello captis, et damnis causatis? Vide verb. *Bellum art.* 2. *et* 3.

82 Bona vacantia, idest quae relicta sunt a defuncto, qui nec heredes habuit, nec quidem intra decimum gradum, nec de bonis illis disposuit, quamvis Jure naturae sint primo occupantis, ex quo sint bona derelicta; tamen per *l. Scire* 1. *l. Vacantia* 4. *et l. Si vacantia* 5. *C. De bonis vacantibus, et de incorporatione*, devolvuntur ad Fiscum, et quidem ad saecularem, si defunctus fuit Laicus, et ad Ecclesiasticum, si defunctus fuit Clericus; Layman *tr.* 5. *cap.* 6. *n.* 6. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 104. ubi notat, quod Amicus *de Justitia disp.* 16. *n.* 6. non putat possessorem ante Judicis sententiam teneri haec bona Fisco tradere, nam in eadem Lege dicitur intra certum tempus posse praescribere contra Fiscum, adeoque supponitur posse retinere bona fide, cum mala fide nunquam praescribatur; ut expresse cavetur *in Capite Possessor* 2. *de Regulis Juris in* 6. ibi: « Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit ».

83 Restitutio ordinarie facienda est statim ac quis cognoscit, se esse rei alienae debitorem, seu injustum detentorem: *Communissima*. Ly autem *Statim* quoad actum internum, seu propositum restituendi sumendum est *Mathematice*, idest in eodem puncto, quo quis advertit, se esse rei alienae debitorem, seu injustum detentorem, debet concipere propositum, et habere verum animum restituendi. *Communis*. Et ratio est, quia praeceptum restitutionis ex natura sua simul (et quidem in sententia Scoti *in dist.* 15. *qu.* 2. ac aliorum communiori) principaliter est negativum, scilicet non retinendi rem alienam, ratione cujus reducitur ad septimum praeceptum Decalogi *Non furaberis*; Praeceptum autem negativum ita obligat semper, et pro semper, ut quocumque momento velle oppositum, peccatum sit, adeoque quocumque momento, et consequenter *Statim Mathematice* tenetur quis nolle retinere alienum, seu quod idem est, velle restituere, vel habere animum restituendi.

84

85 Ly *Statim* vero quoad actum externum exequtionis, seu quoad realiter externam exequendam, seu faciendam restitutionem, sumendum est solum *moraliter*, idest quamprimum moraliter, et commode quis restituere poterit absque aliquo notabili aequali, vel graviori incommodo proprio, quam sit Creditori proveniens ex dilata restitutione sui debiti; *Communis*. Et ratio est, quia licet praeceptum restitutionis, quatenus negativum est, obliget semper, et pro semper non detinere rem alienam, et consequenter quoad actum internum, seu propositum, vel voluntatem internam restituendi obliget statim *Mathematice*, quatenus tamen simul affirmativum est praecipiens actum externum realiter, et effective, seu executive restituendi, obligat quidem semper, sed non pro semper, idest non obligat pro quocumque tempore indivisibili, sed solum pro tempore divisibili, quo, attenta opportunitate loci, temporis, et personae, restitutio moraliter commode fieri potest; Nemo enim sanae mentis potest dicere, quod si quis de nocte in lecto decumbens, seu de die in mensa accumbens recordetur, se teneri ad alicujus rei restitutionem, debeat statim *Mathematice*, idest in illo puncto recordationis, a lecto, seu mensa surgere, et ad rem illam Domino restituendam pergere, quin possit ad opportunum tempus, et locum restitutionem illam differre.

Restitutio debitorum ex delicto formali injustae acceptionis, vel damnificationis, facienda est statim moraliter quamprimum absque notabili incommodo fieri potest; *Communis*. Et ratio est, quia Debitor ex delicto, si non restituat statim moraliter cum primum commode potest, est iniquus Detentor toto tempore dilatae restitutionis commode factibilis, ergo ne sit iniquus Detentor, tenetur restituere statim moraliter quam primum absque notabili incommodo restituere potest. 86

Hinc si Debitor ex delicto, habita opportunitate restituendi, seclusa omni legitima excusatione, non statim *moraliter* restituat, sed differat; et peccat mortaliter, quia est in continua moraliter injusta acceptione, seu damnificatione, et insuper tenetur in conscientia restituere Domino, seu Creditori omne interesse lucri cessantis, et damni emergentis ipsi ex illa culpabili sua mora restituendi debita ex delicto: *Communis*. Et ratio est, quia Dominus, seu Creditor non solum privatus est injuste ipsa re sua principali, sed etiam passus est injuste illud interesse lucri cessantis, et damni emergentis ex culpa Debitoris ex delicto; ergo Debitor ex delicto, si non restituat statim moraliter quam primum absque notabili incommodo restituere potest, ultra peccatum mortale incurrit etiam onus restituendi Creditori omne interesse lucri cessantis, et damni emergentis, cum nisi ci restituatur utrumque, non fiat aequalitas Justitiae cum ipso. 87

Restitutio debitorum ex re accepta tantum a possessore bonae fidei, facienda est statim *moraliter*, quam primum absque notabili incommodo fieri potest, postquam ipse possessor cognovit rem esse alienam; Tunc enim tenetur dictus possessor statim *moraliter*, cum primum commode potest, 88

restituere ipsammet rem, si adhuc extet; vel si non amplius extet, id in quo ex ipsa factus est ditior; *Communis*. Et ratio est, quia si ulterius rem ipsam, seu id, in quo ex ipsa factus est ditior, voluntarie detineat, cum commode restituere possit, jam de possessore bonae, evadit possessor malae fidei, culpabiliter damnum inferens Creditori, seu Domino; ergo ne evadat culpabilis possessor malae fidei, debet statim *moraliter* cum primum commode potest, restituere

89 Hinc si talis Debitor ex re accepta, seclusa omni legitima excusatione, ad longum tempus voluntarie differat dictam restitutionem cum gravi praejudicio Domini, seu Creditoris rationabiliter inviti de tali dilatione, seu mora restituendi, et graviter peccat, et tenetur restituere ipsi omne interesse lucri cessantis, et damni emergentis; *Communis*. Et ratio est, quia sic ulterius detinens, rem ipsam, seu id, in quo ex ipsa factus est ditior, jam ex tunc fit possessor malae fidei, et injustus Detentor, ergo ratione injustae detentionis, et morae graviter culpabilis graviter peccat, et tenetur restituere, nedum ipsam rem adhuc extantem, seu id, in quo ex ipsa factus est ditior, sed etiam omne interesse lucri cessantis, et damni emergentis. Ad talem enim restitutionem tenetur injustus Detentor, et possessor malae fidei, ut tradunt communiter Doctores, et patet ex dictis sub verb. *Possessor bonae, et malae fidei*.

90 Quanta autem requiratur dilatio in tali Debitore, ad hoc ut peccet mortaliter, et teneatur sub gravi onere ad omnem dictam restitutionem, pendet a prudentis viri judicio, attentis, et bene perpensis variis circumstantiis, videlicet attenta temporis longitudine, restituendi opportunitate, ipsius Domini, seu Creditoris renitentia, et detrimento, et hujusmodi, quae si prudenter reputentur gravia, gravem inducunt culpam, et obligationem restituendi, et si levia, levem inducunt culpam, et levem restituendi obligationem. *Sic Doctores communiter*.

91 Mora illa, seu dilatio restituendi in tali debitore ex re accepta tantum, ad hoc, ut inducat culpam, et obligationem restituendi Domino etiam interesse lucri cessantis, et damni emergentis, non est computanda a tempore, quo fuit accepta, sed solum a tempore, quo quis cognovit rem esse alienam, et adhuc ulterius eam invito Domino injuste retinuit; Ab isto enim solo tempore incaepit esse culpabilis, et injustus possessor malae fidei, et non antea, cum supponatur fuisse ab ipso talem rem bona fide, et sine ulla culpa acceptam. Possessor autem bonae fidei pro tempore durantis suae bonae fidei ad nihil tenetur, sed ex re accepta, et detenta tenetur tantum ab illo tempore, quo cognovit esse alienam, restituere ipsammet rem, si adhuc extet, seu id, in quo ex ipsa factus est ditior; si non amplius extet, et si, durante sua bona fide, eam totaliter consumpsit, nec ex ipsa factus sit ullo modo ditior, ad nihil omnino restituendum tenetur, ut docet *Communis Doctorum*.

Item si possessor bonae fidei etiam a tempore, quo cognovit rem esse alienam aliquanto tempore ob inopiam v. gr. vel impotentiam, non fuit in ulla culpa, seu culpabili mora restituendi, et alio tempore fuit in culpa, seu culpabili mora restituendi, in tali casu tenebitur solum ad restituendum interesse correspondens illi tempori, quo fuit in culpa; non tamen ad restituendum interesse correspondens illi tempori, quo non fuit in ulla culpa. *Communis*. 92

Restitutio debitorum ex contractu, facienda est statim *moraliter*, postquam impletum est tempus inter contrahentes praefixum, seu conventum: *Communis*; Et ratio est, quia, ut expresse dicitur *in cap. Contractus* 85. *de Regul. Juris in* 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, adeoque, si inter contrahentes sit tempus praefixum, seu conventum, omnino servandum est, quantum sine notabili incommodo fieri potest, idque etiamsi Creditor non admoneat Debitorem, cum dies praefixa interpellet pro homine, ut expresse habetur *in cap. Potuit* 4. *de Locato, et conducto*, ibi: « Non obstante quod ei, ut Canonem solveret, non extet nunciatum, cum in hoc casu dies statuta pro Domino interpellet »; et concordat *l. Magnum* 12 *Cod. De contrahenda emptione*. 93

Hinc Debitor ex Contractu, si tempore praefixo elapso, sine ulla legitima causa excusante sit in mora mortaliter culpabili restituendi, seu solvendi, et peccat mortaliter, et tenetur restituere etiam omne interesse lucri cessantis, et damni emergentis ipsi Creditori ex tali culpabili mora solvendi. *Communis*. Et ratio est, quia tunc Debitor illa sua culpabili mora injustum damnum causat Creditori; Est enim causa, quod patiatur illud grave interesse lucri cessantis, et damni emergentis, quia, qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, *cap. Si culpa* 9. *de injuriis, et damno dato, l. Qui occidit* 30. §. 3. *ff. Ad Legem Aquiliam*, adeoque si sine legitima causa excusante, ex sua mora mortaliter culpabili restituendi, seu solvendi, grave damnum lucri cessantis, et damni emergentis inferat Creditori, et graviter peccat, et graviter tenetur ad totius dicti damni restitutionem. 94

Quilibet Debitor, sive ex delicto, sive ex re accepta, sive ex contractu potens commode solvere simul totum debitum, non satisfacit suae obligationi restituendo successive per partes: *Communis* per textum *in l. Tutor* 41. §. *Lucius, ff. De usuris, l. Plane* 3. *ff. Familiae erciscundae*. Et ratio est, quia Debitor in tali casu detinet alienum rationabiliter invito domino, adeoque si commode possit totum simul restituere debitum, et sine saltem rationabiliter praesumpto consensu Creditoris restituat solum successive per partes, peccat contra Justitiam graviter, vel leviter, prout gravis, vel levis est materia, et mora solvendi. 95

Debitor habens animum continuatum non re 96

stituendi, cum commode potest, manet in continuo peccato mortali, si materia restituenda, sit gravis. *Communis*, per text. *in c. Si res aliena* 1. *caus.* 14. *quaest* 6. ubi ex verbis. S. Augustini sic praecise habetur: « Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, et non redditur, poenitentia non admittitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si ut dixi, restitui potest ». Et concordat *cap. Cum tu* 5. *De usuris*, ibi: « Cum juxta verbum Beati Augustini non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum », *et cap. Peccatum* 4. *de Regul. Juris* in 6. ibi: « Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

97 Immo in hoc voluntario animo non restituendi continuato per longum tempus, seu in hac voluntaria injusta detentione rei alienae tot committuntur peccata numero distincta, quoties animus, seu voluntas, vel propositum non restituendi formaliter, vel virtualiter interrumpitur, aut reassumitur: *Communis*. Vide dicta sub verb. *Peccatum a num* 29. *ad* 34. ubi de distinctione numerica peccatorum

98 Debitor, qui non vult quam primum commode poterit, restitutionem facere, seu vult solum illam facere per partes, cum possit commode restituere totum simul, seclusa justa causa excusante, non potest a Confessario absolvi: *Communis*; Et ratio est, quia ipse non habet firmum, et absolutum propositum evitandi grave peccatum, quale est, ut supra diximus, non restituere statim *moraliter* cum primum commode potest, aut restituere solum per partes, cum commode potest totum simul, adeoque seclusa justa causa excusante, talis Debitor non potest absolvi.

99 Ad absolutionem tamen conferendam non praerequiritur restitutio realis, seu externa, et executiva, sed sufficit restitutio mentalis, seu interna, idest firmum propositum restituendi cum primum commode poterit Aliqua enim justa interveniente causa differendi restitutionem, potest Debitor interim absolvi cum solo dicto firmo proposito illam faciendi in proximum. *Communis*.

100 Debitor autem, qui bis, vel ter, aut pluries in aliis Confessionibus jussus restituere, non restituit cum facile, et commode potuisset, regulariter non est absolvendus, nisi prius re ipsa restitutionem fecerit: *Communis*; Et ratio est, quia talis Debitor est in voluntario proximo periculo iterum culpabiliter omittendi debitam restitutionem, sicque noviter peccandi, adeoque sicut concubinarius, qui saepius jussus concubinam ejicere, semper promisit, et nunquam ejecit, nequit, nisi vere prius ejiciat, absolvi; ita Debitor, qui saepius jussus restituere, semper promisit, et nunquam restituit, nequit absolvi, nisi prius vere, et realiter restituat, si commode possit. Si autem ex nova supervenien- 101
te causa, seu circumstantia non posset pro tunc restituere sine maximo suo incommodo, posset, accedente vero et firmo proposito restituendi cumprimum commode poterit, iterum absolvi, quamvis prius commode potuisset, et non restituisset; In tali enim casu haberet justam causam differendi dictam restitutionem, quamvis prius graviter peccaverit non restituendo, quando commode potuit. *Communis*.

Debitor, qui commode potest restitutionem facere in vita, et non vult restituere, nisi in articulo mortis, vel post mortem per suos heredes, nec debet, nec potest a Confessario absolvi. *Communis*. Et ratio est, quia talis Debitor est simpliciter indispositus ad absolutionem, cum semper sit in actuali continuo peccato, et impoenitens, ut patet ex dictis *supra num*. 96. per Jura ibi allata; Semper enim est in actuali continua injusta detentione rei alienae, cum ex dictis gravem habeat obligationem restituendi statim moraliter, cum primum commode poterit: Tum quia moribundus, qui potest, salva fama, commode ipse per se restituere, et onus restitutionis vult suis relinquere heredibus, ultraquam quod peccat graviter non restituendo statim moraliter, sicut graviter obligatur, exponit cum gravi injuria, et damno Creditorum dictam restitutionem periculo omissionis, cum ordinarie heredes sint ipso Testatore negligentiores; adeoque cum gravis sit culpa non restituere statim moraliter cum primum commode potest, et etiam grave peccatum sit propriam gravem obligationem in alios transferre sine justa causa, maxime accedente gravi damno aliorum, uti in hoc casu, talis moribundus nequit tanquam indispositus absolvi, nisi ipse per se restituat, si commode, salva sua fama, id possit ante suam mortem. Si autem talis moribundus esset Debitor, qui non posset ante suam mortem de per se restituere sine infamia, posset per Testamentum, aut Codicillum tantum, quantum debet, suo Creditori legare, aut per Confessarium, vel aliam probae fidei Personam modo secreto ad suam famam tuendam, debitam facere restitutionem. *Communis*. 102

ARTICULUS IV.

UBI, QUOMODO, ET QUO ORDINE FACIENDA SIT RESTITUTIO?

SUMMARIUM

1. Restitutio ex delicto facienda est in loco Domini, seu Creditoris, ubi scilicet is rem suam haberet, si injuste ablata, vel detenta non fuisset *ad n.* 8 — 9. Restitutio ex re accepta facienda est in loco, ubi cognoscitur esse aliena. — 10. Et si transferenda sit res ad Dominum rei absentem, debet transferri expensis Domini. — 11. Possessor bonae fidei, postquam intellexit rem esse alienam, debet ejusdem inquirere Dominum, et eo adinvento, seu cognito, ab ipso per Epistolam exquirere, quid de re sua fieri velit, et circa eam facere, prout sibi responsum fuerit; Alias si id negligat, *tenebitur* deinceps restituere propriis expensis, *ad n.* 12 — 13 Debita ex contractu restitui, aut solvi debent in loco, de quo expresse, vel tacite conventum est inter contrahentes: alia ad rem *ad n.* 18 — 19. Restitutio ex delicto occulto facienda est occulte, et per tertiam fidelem, et secretam Personam, et signanter per Confessarium, ad evitandam propriam infamiam; cum aliis notandis *ad n.* 28. — 29. In Ordine restitutionis caeteris paribus debita certa praeferenda sunt incertis: Alia de ordine restitutionis, *ad n.* 73.

1 Restitutio ex delicto, seu ratione injustae acceptionis, detentionis, vel damnificationis facienda est in loco, in quo dominus, seu Creditor rem suam haberet, si ei injuste ablata, detenta, vel destructa non fuisset. *Communis:* Et ratio est, quia obligatus ex delicto rem domino, seu Creditori restituere, tenetur ita restituere, ut dominum, seu Creditorem servet omnino indemnem; cum justum non sit, ut quis innocens ex alterius culpa sentiat damnum, et poenam, *c. Cognoscens* 2. *de Constitutionibus*, ibi: « Rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit », *cap. Non debet* 22. *de Regul. Juris* in 6. ibi: « Non debet aliquis alterius odio praegravari »; Atqui dominus, seu Creditor non servatur omnino indemnis, nisi debitor ex delicto faciat ei restitutionem in loco, in quo rem suam haberet, si injuste ablata, detenta, vel destructa non fuisset, quandoquidem teneretur pati damnum translationis cum expensis, et incommodis ad ipsam necessariis, ergo etc.

2 Hinc, ut dominus, seu Creditor servetur omnino indemnis, restitutio in tali loco facienda est expensis ipsius Debitoris, sive ad alium locum migraverit ipse Debitor, sive Creditor, si rem suam secum asportasset: *Communis*. Et ratio est, quia qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad media, sicuti, concesso fine, etiam media, quibus ad eum pervenitur, concessa intelliguntur, *cap. Praeterea* 5. *et c. Suspicionis* 39. *de Officio Delegati*; *et l. Cui jurisdictio* 2. *ff. De Jurisdictione*; Unde cum Debitor ex delicto teneatur res restituere in loco, in quo Creditor fuisset eam habiturus, seu translaturus, tenetur etiam ad talem locum rem mittere propriis expensis, cum tales expensae sint medium per se necessarium ad talem finem.

3 An autem, si dominus fuisset rem illam alio transportaturus, possit iniquus debitor detrahere expensas, quas dominus debuisset facere in tali rei suae transportatione; et sic detrahendo tantum v. gr. retinere de bonis domini, quantum ad ea transferenda necesse fuisset? Variant Doctores. Affirmant Sporer *loc. cit. tr.* 4. *c.* 3. *sect.* 4. *n.* 156. Henno *loc. cit. tract.* 1. *qu.* 3. *conclus.* 2. Bonacina cum aliis, quos tacito nomine citat *disp.* 1. *de restit. q.* 5. *n.* 8. quibus favere videntur Vasquez *c.* 10. *de restitut. dub.* 1. *n.* 19. Dicast. *de restit. d.* 11. *n.* 104. et alii, quia, dicunt ipsi, Debitor iniquus solummodo tenetur servare dominum indemnem; adeoque in restituendo potest detrahere ex bonis domini expensas, quas ipse dominus facere debuisset in transportatione ipsorum, cum sic adhuc serveretur indemnis, ex quo adhuc tantum recipiat, quantum haberet, si injuriam passus non fuisset; Non enim debet dominus ex tali restitutione lucrum reportare: Robellus autem *de restit. par.* 1. *lib.* 2. *qu.* 13. *sect.* 2. *n.* 8. et alii negant posse iniquum debitorem tales expensas detrahere ex bonis domini, seu Creditoris, quia non debet iniquus debitor ex suo delicto lucrum reportare, per text. *in cap. Intelleximus* 7. *de Judiciis*, ibi: *Ne videatur de sua malitia commodum reportare*; *l. Non fraudantur* 134. *ff. De Regul. Juris* §. 1. ibi: « Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest ».

Circa quantas expensas facere debeat Debitor ex delicto pro restituenda re aliena in loco, in quo Creditor, seu dominus illam haberet, si injuste ablata, detenta, vel destructa non fuisset? tres sunt Doctorum sententiae. Prima rigidior sententia docet, quod Debitor rem alienam restituere cum quantiscumque suis expensis, etiam valde superantibus valorem rei restituendae, et transmittendae. Sic tenet Cajetanus, Navarr. Medina, Armilla, et alii apud La Croix *loc. cit. n.* 365. et apud Lugo *disp.* 26. *sect.* 8. *n.* 184. quia, dicunt ipsi, Dominus, seu Creditor habet Jus ad rem suam, nec justum est, ut propter alterius delictum careat ipse sua re: Debitor autem debet malitiae suae imputare, quod sine tantis expensis, et excessivo damno nequeat restituere. 4

Secunda benignior sententia defendit, debitorem ex delicto non teneri ad restituendum immediate Domino, seu Creditori, si longe majores sint ne- 5

cessario faciendae expensae, quam valeat res restituenda; at in tali casu si res sit alicujus momenti, posse differre restitutionem quousque superest spes commodioris occasionis ad restituendum; ablata autem omni spe commodae occasionis restituendi Domino, rem esse restituendam ejus proximis consanguineis, vel heredibus, et in horum defectum pauperibus: Sic S. Thomas (*) 2. 2 *q.* 62. *art.* 5. *ad* 3. Scotus *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 2. *art.* 4. *loc. cit. num.* 162. cum aliis ibi citatis, et plurimi alii, quos congerunt, et sequuntur Molina *disp.* 742. Layman *libr.* 3. *de Justitia tract.* 2. *cap.* 10. *de restitut. num.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 8. Bonacina *disp.* 2. *de restitut. qu.* 5. Vasquez *de restitut. cap.* 10. *dub.* 1. *num.* 27. Tamburin. *libr.* 8. *tract.* 4. *cap.* 2. §. 8. *num.* 4. et alii, quibus et nos subscribimus; Et ratio est, quia Justitia non adversatur Caritati, nec rectae rationi, cum Caritas sit finis omnium virtutum, et recta ratio omnem virtutem dirigat; Atqui Caritas, et recta ratio dictat, quod Dominus, seu Creditor non debeat, nec possit rationabiliter velle restitutionem sibi fieri cum tanto longe majori, et intolerabili damno Debitoris, scilicet per expensas in triplo, quadruplo, quintuplo, et amplius excedentes ipsum debitum: Quis enim rectae rationis dicat Justitiam ex se obligare, ut qui unum aureum furatus est, nec potest illud ad Dominum mittere, nisi decem, viginti, et triginta millia aureorum expendat, adhuc debeat haec omnia expendere, nisi Dominus liberaliter consentiat, quod alio modo restituat, dando proximis ejus consanguineis, vel heredibus, et in horum defectum pauperibus? a-
6 deoque etc. Si tamen expensae necessariae pro facienda restitutione sint tantum simul majus damnum, quam summa restituenda, tunc Debitor ex delicto tenetur cum talibus expensis restituere: Unde qui furatus est v. g. centum Florenos, tenetur ipsos restituere, quamvis pro ipsis restituendis, et transmittendis ad Dominum deberet expendere alios centum Florenos e suis, quia aequum est, ut ille potius, qui injuriam fecit, quam ut innocens patiatur damnum aequale centum Florenorum: Sic Vasquez, Lugo, Ilsung cum La Croix *loc. cit. n.* 368. Sporer *loc. cit. n.* 161. ubi concludit, certum esse apud omnes, quod si Debitor ex delicto in expensis faciendis, pro restitutione rei alienae patiatur solum damnum aequale, vel quasi aequale, aut aliquando majus, quam patiatur Dominus ex carentia rei suae, sine dubio adhuc obligatur ad restituendum.

7 Tertia sententia media est, et docet, quod quando, omnibus consideratis, Debitoris damnum in expensis faciendis superat solum in duplo damnum Creditoris, tunc adhuc tenetur Debitor ex delicto restituere Domino, seu Creditori immediate. Sic Lugo *cit. disp.* 20. *sect.* 8. *n.* 190. La Croix *loc. cit. n.* 368. et alii, quae sententia, ut dicit Sporer *loc. cit. n.* 160. est speculative omnino probabilis, quia, dicunt ipsi, cum Debitor sit nocens, et Creditor innocens, duplo major est ratio, ut patiatur nocens Debitor, quam innocens Creditor; adeoque, ne patiatur Creditor innocens, non solum debet nocens Debitor pati in expensis necessariis pro restitutione facienda damnum aequale, sed etiam duplo majus, si tantum sit necessarium pro restitutione facienda immediate ipsi Creditori innocenti.

Pro definienda tamen quantitate damni tam Creditoris innocentis, quam Debitoris nocentis, seu 8
injusti, non est attendendum damnum utriusque absolute materialiter, et arithmetice, computando scilicet expensas faciendas cum ipso debito, ut si aliter restitutio fieri non possit, tantum Debitor teneatur expendere, quantum est Debitum, v. gr. mille expendere, ut restituat mille debita ex delicto, sed solum formaliter, et comparative, attendendo scilicet ad damnum utrivis secuturum, si restitutio fiat, vel non fiat ex circumstantiis personarum magis, vel minus divitum, aut egenorum: Fieri enim potest, ut damnum mille Florenorum respectu Debitoris pauperis sit longe majus, quam damnum mille Florenorum respectu Creditoris divitis, et viee versa, eo quod unus per damnum, seu jacturam Florenorum mille sit conjiciendus in miseriorem statum, quam alter per damnum, seu jacturam Florenorum decem millium: Unde si creditor sit dives, Debitor autem sit pauper, non tenetur Debitor pauper restituere immediate ipsi Creditori diviti, quamvis multo minores expensas facere debeat, quam debitum valeat, cum expensae verbi gr. centum Florenorum sint majus damnum debitori pauperi, quam Creditori diviti damnum, seu jactura totius debiti, verbi gr. mille Florenorum. E contra autem si Creditor sit pauper, Debitor vero sit dives, Debitor dives tenetur restituere immediate ipsi Creditori pauperi, quamvis multo majores expensas facere debeat, quam debitum valeat, cum expensae v. g. mille Florenorum sint minus damnum Debitori diviti, quam Creditori pauperi jactura sui Crediti solum centum Florenorum. Quod est valde in similibus observandum, ut recte observant Lugo *cit. disp.* 20. *num.* 188. Ilsung *tom.* 3. *d.* 4. *num.* 223. La Croix *loc. cit. num.* 373. Sporer *loc. cit. num.* 163. et alii.

Restitutio ex re accepta debet fieri in loco, ubi 9

(*) S. Thomas loc cit haec tantum: « Si ille, cui debet » fieri restitutio, sit omnino ignotus, debet homo restituere » secundum quod potest, scilicet dando in eleemosynas pro » salute ipsius, sive sit mortuus, sive sit vivus: praemissa » tamen diligenti inquisitione de persona ejus, cui sit restitutio facienda. Si vero sit mortuus ille cui est restitutio » facienda, debet restitui haeredi ejus, qui computatur quasi una persona cum ipso. Si vero ille sit multum distans, » debet sibi transmitti, quod ei debetur, et praecipue si sit » res magni valoris, et possit commode transmitti: alioquin » debet in aliquo loco tuto deponi, et pro eo conservetur, » et domino significari ».

cognoscitur esse aliena ; Et si transferenda sit res ad dominum rei absentem, debet transferri expensis ipsius domini. *Communis* quoad utramque partem ; Et ratio primae partis est, quia nec Jus Civile, nec Canonicum ullam aliam obligationem imponit possessori bonae fidei , quam restitutionem rei bona fide possessae, ubi cognoscit esse alienam, adeoque suae obligationi satisfacit, si eam restituat in loco, ubi cognoscitur esse aliena.

10 Ratio autem secundae partis est, quia possessor bonae fidei debet restituere solum tantum , quantum ex re aliena possidet , ne sine culpa cogatur subire poenam contra expressum textum in *cap. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus* , ibi: « Rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit » ; cogeretur autem plus restituere, quam bona fide possideat, et sine culpa subire poenam, si teneretur rem hactenus bona fide possessam suis expensis mittere ad cognitum dominum. Tum quia possessor bonae fidei deducere potest expensas , quas fecit pro rei conservatione ; *l. Si quis* 2. *ff. de negotiis gestis*, *l. si quis possessor* 31. §. 2. *et* 3. *ff. De hereditatis petitione*, cum similibus , ergo, et illas, quas fecit pro ejusdem restitutione.

11 Possessor autem bonae fidei , postquam intellexit rem esse alienam, debet ejusdem inquirere dominum, et, eo cognito, ab ipso per epistolam, vel nuncium exquirere quid de re sua fieri velit. Quod si inquirere dominum negligat , aut , eo cognito, incipiat esse in mora culpabili restituendi , tunc cum eo ipso incipiat esse possessor malae fidei, adeoque debitor ex delicto , tamquam Debitor ex delicto tenebitur deinceps rem domino restituere propriis expensis. *Communis.*

12 Si facta debita , et sufficienti inquisitione pro inveniendo domino , non inveniatur , vel ita distans inveniatur , ut conveniri non possit, aut res ad ipsum transferri non possit sine aequali , vel majori sumptu , quam ipsa valeat , tunc si supersit adhuc aliqua spes ipsum inveniendi, et conveniendi , et res sit notabilis momenti , debet ipsa res eousque servari in se, vel si servari non possit in se , saltem in suo pretio , donec affulgeat spes dominum ipsam rem, seu ejus pretium aliquando obtenturum ; Si autem nulla talis supersit spes , aut res sit parvi momenti , debet dari ejus proximis consanguineis, et in horum defectum pauperibus , et probabiliter poterit etiam sibi retinere ipsemet possessor bonae fidei , seu dare suis consanguineis, si vere pauperes sint, cum in tali casu sit discurrendum de ipsa re, tamquam de re incerta , et ignoti domini, juxta dicta *articulo antecedenti a num.* 51. *ad* 55.

13 Debita ex contractu restitui , aut solvi debent in loco, de quo expresse, vel tacite conventum est inter contrahentes: *Communis*, per text. in *cap. Contractus* 85. *de Regul. Juris* in 6. ibi : *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur* ; et concordat *l. Contractus* 23. *ff. de Regul. Juris*, et *l. Alio loco* 1. et *l. Is qui certo loco* 9. *ff. De eo, quod certo loco dari oportet*, cum similibus.

Si de loco restitutionis, vel solutionis nihil sit expressum in Contractu a contrahentibus, tunc solutio , seu restitutio facienda est in loco , ubi secundum praxim, et consuetudinem Regionis solet fieri restitutio, seu solutio pro aliis similibus contractibus, quia talis censetur esse tacita conventio inter partes contrahentes: *Communis* , *arg. cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine* , *l. Praeses* 1. *l. Consuetudinis* 2. *Cod. Quae sit longa consuetudo.* 14

Debita ex contractu oneroso, sive transferente rei dominium, ut in emptione, mutuo, censu, et hujusmodi, in quibus non eadem res, sed pro una re accepta, altera reddi debet: sive non transferente rei dominium, ut in deposito, commodato, locato, et hujusmodi, in quibus eadem res accepta reddi debet , generaliter loquendo , nisi aliter inter partes sit conventum , restituenda sunt in loco, ubi res tradita, et accepta est: *Communis*. Et ratio est, quia attenta contractus Justitia, ac contrahentium voluntate, non potest assignari conveniertior locus, quam locus, in quo factus est Contractus; Si enim alium locum contrahentes intendissent, procul dubio id in contractu apposuissent: *arg. c. inter corporalia* 2. *de transl. Episcop.* §. *Sed neque istud* ; *c. ad audientiam* 12. *De Decimis*; *c. Quia circa* 22. *de privilegiis.* 15

Debita ex contractu gratuito, v. g. Donationis, Institutionis Testamentarine, Legati, et hujusmodi restituenda , seu solvenda sunt in loco , ubi erant res, quando fuerunt donatae, vel relictae ex Testamento , et id sumptibus Donatarii, Legatarii , et hujusmodi ; nisi aliud fuerit dispositum per Donatorem , Legantem , vel Testatorem: *Communis* ; Et ratio est, quia qui alicui rem gratis donat, vel legat , non praesumitur , nec se , nec suum heredem velle ad quid amplius obligare, quam ad rem donatam , vel legatam , adeoque nec ipsius heres tenetur propriis expensis alio illam transmittere ad Donatarium , vel Legatarium . sed tenetur ipse Donatarius, vel Legatarius propriis expensis illam a loco, in quo fuit donata, vel legata ad se transferre. 16

Si pro restitutione facienda, sit res alio transportanda , id fieri debet expensis illius , in cujus gratiam, vel utilitatem potissimum initus est contractus ; Unde in contractu inito in gratiam , et utilitatem solius accipientis , ut in commodato , mutuo gratuito, et hujusmodi, translatio rei ad dominum debet fieri expensis commodatarii, mutuatarii, et hujusmodi ; quia aequum non est, quod dominus subeat expensas pro praestando alteri beneficio : Si enim dominus rem non commodasset, vel non mutuasset, illam secum transtulisset sine, vel cum paucis expensis; adeoque sine ulla sui expensa debet sibi restitui sua res in loco, ad quem se transtulit, deductis solum illis paucis expensis, si quas fecisset in ea transferenda. In contractu autem inito in gratiam, vel utilitatem solius dan- 17

tis, ut in Deposito translatio rei ad dominum debet fieri expensis ipsius domini, quia Depositarius favorem ei praestando, non debet inde gravari, et damnum pati ex suo praestito beneficio. *Comm.*

18 Restitutio facienda est tali modo, quo res sufficienter perveniat ad manus domini, seu Creditoris. *Communis*: Quocumque enim modo res perveniat ad manus domini, adimpletur finis praecepti restitutionis, et Justitiae commutativae intendentis aequalitatem, ut scilicet dominus habeat tantum, quantum habere debet; adeoque Debitor satisfacit obligationi restituendi, si restituat tali modo, quo res perveniat ad manus domini, seu Creditoris, nihil referens an per se, vel per alium restituat; *arg. Qui facit* 72. *de Regul. Juris in* 6. ibi: « Qui facit per alium, perinde est ac si faciat per se ipsum ».

19 Restitutio ex delicto occulto facienda est occulte, et per tertiam fidelem, et secretam personam, et signanter per Confessarium, ad evitandam propriam infamiam: *Communis*, cum S. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *ad secundum*, ubi expresse dicit, quod « homo etsi non teneatur crimen suum detegere hominibus, tenetur tamen crimen suum detegere Deo in Confessione, et ita per Sacerdotem, cui confitetur, potest restitutionem facere rei alienae »; et Scoto *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 2. *n.* 34. ubi sic habet: « Quando ablatio fuit occulta, tunc non tenetur ablator se prodere, nec per consequens per se ipsum restituere, sed per aliam Personam secretam, et fidelem, et expedit, quod per Confessarium, quia sibi est crimen detectum in Confessione, et de ejus fidelitate, quod restituat, fidei suae commissum, satis debet credi ».

20 Restitutio ex delicto publico, seu manifesto, verb. gr. per rapinam, et violentiam publicam facienda est nedum per redditionem accepti, sed etiam cum petitione veniae de tali publica injuria, et offensa: Rosign. *de restit.* 11. *praenot.* 5. *num.* 5. Petrus a Navarra *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 53. ubi citat etiam D. Thomam 2. 2. *q.* 66. *art.* 9. Glossam, et Raymundum *in Summa Confess. lib.* 1. *tit.* 5. *q.* 24. et Mercadum *cap.* 3. Et ratio est, quia per rapinam, et violentiam publicam non solum alicui infertur damnum in rebus, sed etiam ignominia quaedam in persona laesa, adeoque nedum fieri debet restitutio per redditionem accepti sed etiam per submissionem, et petitionem veniae, restituendo honorem per illam ignominiam laesum: Immo restitutio ex delicto publico est etiam facienda publice ad emendandum scandalum, et offensam aliorum, ut contingit in publicis Usurariis, qui licet non ex Justitia, tenentur tamen ex Caritate, et a Confessario urgendi sunt ad faciendam restitutionem publice ad tollendum scandalum; Si tamen ab ipsis jam esset facta restitutio secrete, non tenerentur iterum ad illam faciendam publice, sed solum ad reparandum publicum scandalum, ostendendo se jam restituisse: Rosignol. *loc. cit. num.* 5. Bartholomaeus Medina *lib.* 1. *Summae cap.* 14. §. 30. Sporer *loc. cit. cap.* 4. *sect.* 1. *num.* 3. et alii.

Quicumque Debitor, sive ex delicto injustae acceptionis, sive ex re accepta, sive ex contractu transmittens debitum per personam a Creditore delegatam, seu designatam, liberatur ab onere ulterioris, seu iteratae restitutionis, quamvis illa tertia persona non restituerit, seu res quomodocumque perierit: *Communis.* Et ratio est, quia in tali casu res perit Creditori, et non Debitori; eo enim ipso, quo Debitor tradidit rem debitam personae missae, et delegatae a Creditore, transtulit totum dominium ejusdem rei in Creditorem, cum perinde sit, ac si tradidisset ipsimet Creditori, ex quo persona missa, seu delegata eumdem Creditorem repraesentet; adeoque quomodocumque post factam consignationem res illa pereat, Creditori, et non Debitori perit, et consequenter liberatur Debitor ab onere reiteratae restitutionis. 21

Idem est dicendum in casu, quo Debitor, et Creditor communi consensu statuerint aliquod signum ex pacto, quod per omnem personam exhibentem tale signum res debita sit mittenda; Tunc enim si aliqua persona alio tali signo falso exhibito rem sibi traditam non reddat Domino, seu res quocumque modo sine culpa Debitoris pereat, Domino perit, quia vi pacti Debitor consignando rem debitam personae tale signum conventum exhibenti, censetur consignare ipsimet Creditori, adeoque liberatur ab onere ulterioris, et reiteratae restitutionis. *Communis.* 22

Quicumque Debitor transmittens inconsulto Domino, seu Creditore rem debitam per Personam non satis fidelem, seu per viam non satis tutam, si res ipsa aut a nuntio detineatur, aut in itinere a latronibus auferatur, tenetur ad iteratam restitutionem. *Communis.* Et ratio est, quia in tali casu res perit Debitori, et non Creditori; cum enim ex culpa, et imprudentia mittentis perierit inconsulto Creditore, non debet inde Creditor damnificari; *arg. cap. Cognoscentes* 1. *de Constitutionibus*, ibi: « Rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit ». 23

Debitor ex contractu, seu re accepta transmittens inconsulto Creditore rem debitam per Personam fidelem habitam, si Debitum sit determinatum in individuo, verb. g. hoc vas argenteum, hic equus locatus, vel commodatus, haec res deposita, et hujusmodi, et malitia illius Personae fidelis habitae, vel quocumque casu ad Dominum non perveniat, aut pereat, tunc perit ipsi Domino, seu Creditori, et non Debitori. Unde Debitor liberatur ab onere ulterioris, et reiteratae restitutionis. *Communis.* Et ratio est, quia talis res ita in individuo debita, ut in Deposito, Commodato, Locato, et hujusmodi, spectat ad actuale dominium Domini; omnis autem res, quae perit, Domino suo perit; adeoque talis Debitor sic trasmittens dictam rem debitam liberatur ab onere ulterioris, et reiteratae restitutionis, uti de Commodato habetur expresse 24

in *l. Argentum* 20. *ff. Commodati*, ibi: « Argentum commodatum, si tam idoneo servo meo tradidissem ad te perferendum, ut non debuerit quis aestimare futurum, ut a quibusdam malis hominibus deciperetur, tuum, non meum, detrimentum, erit, si id mali homines intercepissent.

25 Secus autem si Debitum ex contractu, vel re accepta, non sit determinatum in individuo, sed solum in specie, aut aequivalenti, ut si Debitori fuerit mutuata pecunia, mutuatum triticum, venditum vinum, et hujusmodi; Tunc enim si Debitor inconsulto Creditore transmittat tale debitum per personam etiam fidelissimam habitam, si ejus malitia, quocumque casu ad Creditorem non perveniat, aut pereat, perit Debitori, et tenetur iterum restituere: *Communis*. Et ratio est, quia ubi non idem numero, seu in individuo, sed solum idem in genere, aut specie reddendum est, ut fit in mutuo, emptione, et hujusmodi, rei transmissae dominium manet sub dominio Debitoris tandiu, quousque perveniat secure ad manus Creditoris; adeoque si antequam perveniat ad manus ipsius Creditoris pereat, perit ipsi Debitori, cum omnis res, quae perit, suo Domino pereat, et consequenter talis Debitor tenetur iterum restituere.

26 Hinc ad plene percipiendum, quare, ubi restituendum est idem numero, seu in individuo, res transmissa pereat Creditori, et ubi restituendum est solum idem in genere, aut specie, res transmissa pereat Debitori, pone quod Debitor per Personam fidelem habitam transmittat Creditori equum commodatum, seu vas argenteum apud se depositum, et simul pecuniam ex mutuo, seu ex emptione debitam, si talis Persona fidelis habita cum omnibus supradictis aufugiat, aut omnia in itinere perdat, tunc Debitor tenetur solum ad iteratam restitutionem pecuniae, non autem ad iteratam restitutionem equi, seu vasis argentei, quia pecuniae dominium erat adhuc apud ipsum Debitorem, Dominium autem equi, seu vasis argentei erat adhuc apud Creditorem, cum in Commodato, Deposito, et hujusmodi restituendum sit idem numero, et ideo res commodata, deposita, et hujusmodi remaneat semper sub dominio Creditoris, et consequenter ipsi tamquam Domino pereat, et e contra in Mutuo, Emptione, et hujusmodi restituendum sit solum idem in genere, aut specie, et ideo pecunia ex Mutuo, seu ex Emptione debita remaneat semper, donec secure reddatur sub dominio Debitoris, et consequenter ipsi tamquam Domino pereat.

27 An autem Debitor ex delicto, seu injusta acceptione teneatur iterum restituere, si res transmissa per Personam fidelem habitam, uti per proprium Confessarium, quocumque casu Domino non reddatur, aut pereat? Duae sunt contrariae sententiae. Prima affirmat, talem Debitorem iterum obligari ad reiteratam restitutionem, sive res sit debita in individuo, et eadem numero, sive solum eadem in genere, aut specie, vel aequivalenti. Sic Molina *tom.* 3. *disp.* 754. n. 2. §. *Quando per Confessarium*, Lugo *tom.* 1. *de Justitia disp.* 21. *sect.* 5. *a n.* 59. Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 6. *n.* 65. cum aliis ibi citatis, Henno *t.* 2. *tract.* 1. *disp.* 2. *quaest.* 3. *conclus.* 2. Navarr. Toiet. Rebell. Layman, Faber, Silv. citati, et secuti a Sporer *loc. cit. c.* 4. *sect.* 1. *n.* 15. ubi dicit esse communem contra paucos, Illsung *tom.* 4. *d.* 3. *n.* 305. La Croix *lib.* 3. *par.* 2. *n.* 364. ubi citat communem, et sic alii plures. Et ratio est, quia in tali Debitore ex delicto adhuc remanet radix obligans ad restitutionem, nempe injusta acceptio, nec Creditor debet damnum pati ob delictum Debitoris, cum non debeat aliquis alterius odio praegravari, ut expresse statuitur in *cap. Non debet* 22. *de Regul. Juris* in 6. et rem, quae culpa caret, in damnum vocari non conveniat, ut praecise dicitur *in cap. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus*, et peccata suos debeant tenere auctores, *l. Sancimus* 22. *ff. de poenis*, *cap. Quaesivit* 2. *de his, quae fiunt a majori parte Capituli*. Tum quia, ut Debitor ex delicto, seu ex injusta acceptione debite restituat, debet ponere aequalitatem realem inter injuste acceptum, et redditum; sed quandiu res injuste accepta, seu ablata non pervenit ad manus Domini, non ponitur dicta aequalitas: ergo si antea pereat, talis Debitor tenetur ad iteratam restitutionem, ut sic ponat dictam aequalitatem. Tum etiam, quia si res illa injuste accepta periret inter manus Debitoris, periret ipsi Debitori, ut fatentur omnes; atqui ipsa Persona habita fidelis, ut Confessarius, gerit in tali casu Personam Debitoris, ergo etc. Neque potest dici, quod Creditor in tali casu tacite consentiat, quod res sua sibi transmittatur per Personam fidelissimam, uti censendus est Confessarius, quia licet tacite consentiat quantum ad hoc, quod potius per fidelem, quam per infidelem transmittatur, non tamen tacite consentit quantum ad hoc, quod si res transmissa pereat, sibi pereat, cum non censeatur tacite consentire, nisi sub conditione, quod cum effectu vere, et realiter sibi res transmissa reddatur. Et pro hac opinione adducitur *c. Significante* 7. *de Pignoribus*, ubi Papa Innocentius III. determinat, quod, qui per certum, et fidelem nuncium pecuniam debitam Creditori remisit, si nuncius perfide egerit, non eximatur ab onere iteratae restitutionis, et Glossa *ibid verb. Certum nuncium*, cum aliis Juribus ibi adductis.

Secunda sententia negat talem Debitorem in dicto casu amplius ad aliquid obligari. Sic, teste Rosignolo *de restitutione* t1. *praenotione* 5. *n.* 9. sentire videntur Sanctus Thomas (*) 2. 2. *quaest.* 62. *art.* 6. *ad* 2. Scotus *in* 4. *dist.* 15. *art.* 4. *quaest.* 2. §. *De quarto*, Gabriel *in* 4. *dist. ead. q.* 2. *dub.* 2. Immo Felix Potestas *tom.* 2. *part.* 28

(*) Non aliud cit. loc. S. Thomas docet, quam restitutionem fieri per Confessarium posse. Vide ejus verba supra n. 19.

1. *n.* 179. dicit id Scotum expresse sentire *loc. cit.* per ejus verba supra adducta *n.* 19. quem, ipso teste, sequuntur Diana *part.* 2. *tr.* 17. *resolut.* 2. *et part.* 10. *tract.* 16. *resolut.* 97. Rodriqnez, Filliuc. Cenedo, et alii apnd Tambur. *tom.* 1. *lib.* 8. *tract.* 4. §. 5. *n.* 7. et apud Dianam *loc. cit.* quam sententiam non improbabilem censet etiam Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 6. *n.* 67. et Diana *loc. cit.* dicit, banc sententiam esse tutam in praxi, et eam absolute docent Petrus Navarra (mutata priori sententia) Rodriqnez, Reginaldus, Filliuc. et alii apud Sporer *loc. cit.* n. 19. ubi cum Tamburin. *loc. cit. n.* 7. *in fine* non audet hanc sententiam damnare, et pro ea dat efficacem probationem; Et ratio est, quia cum talis Debitor eximatur ab onere restitutionis per se ipsum ob periculum infamiae sibi secuturae, fideliter, et prudenter gerit negotium Creditoris transmittendo ipsi rem debitam per Confessarium, qui non solum ratione proprii muneris Sacerdotalis, et Judicis spiritualis, quo fungitur, babetur pro fidelissimo, et maxime idoneo, sed etiam communi praxi suadente communius eligitur ad tales faciendas occultas restitutiones. Unde Creditor ipse non potest esse quo ad hoc rationabiliter invitus, et debet saltem implicite consentire, et consequenter sicuti fur, et debitor, ad nihil amplius tenetur, cum ex consensu expresso Creditoris rem restituendam tradit intermediae Personae fideli babitae, quamvis postea quocumque casu ad manus Creditoris ipsa res non perveniat, ita ad nihil amplius tenetur, si id faciat ex consensu tacito Creditoris, quoniam taciti, et expressi consensus eadem est virtus; *l. Cum quid* 3. *ff. de rebus creditis: cap. Ex parte* 2. *de Rescriptis.* Tum quia talis Debitor fecit quantum in se potuit, et debuit; Non enim tenebatur restituere cum sui infamia, ut omnes concedunt, cum fama sit bonum superioris ordinis; atqui reiteratam restitutionem non posset facere personaliter sine periculo infamiae, et si ad evitandam infamiam restitueret per Confessarium, recurreret idem periculum, quod res non perveniret ad manus Domini, ergo dicendum est, quod talis Debitor liberetur ab onere iteratae restitutionis, cum semel eam fecerit per Confessarium reputatum fidelem, quamvis ipsius malitia, vel quocumque casu ipsa restitutio ad manus Domini non pervenerit. Ad textum autem *c. Significante* 7. *de Pignoribus* adductum pro prima sententia respondetur, quod ibi non est sermo de pecunia restituenda ex necessitate per interpositam personam ad evitandam infamiam, cum sit ibi conventio de eadem restituenda inter Creditorem, et Debitorem interveniente juramento respectu istius, adeoque nihil officit, cum quo ad hoc idem sit dicendum, quod de restitutione palam facienda, et non idem quod de restitutione occulte facienda ad evitandam propriam infamiam. Unde haec secunda sententia est vere probabilis, et in praxi tuta, quamvis prima sit jam communior, et inter recentiores probabilior. * At si prima est non modo communior, sed etiam probabilior; secunda sententia *vere probabilis* esse non potest. Ex quo illud quoque sequitur, eamdem *tutam* non esse. Et sane qui ratione injuriae tenetur restituere, tenetur dominum prorsus indemnem servare, et *culpa praecedente, casus etiam fortuitus imputatur* cap. ult. de deposit. Vide Antoine de Justitia et Jure cap. V. quaest. IV. resp. 1. et alios. *

Ordine restitutionis, ceteris paribus, debita certa praeferenda sunt incertis, ita ut habens plura debita, prius restituere debeat certa Debitoribus notis in totum, et postea de reliquo residuo debita incerta, quousque se extendunt facultates. *Communis*, cum S. Antonino 3 *part. tit.* 2. *cap.* 3. *in princip.* Cajetan. verb. *Restitutio cap.* 8. Silvestro verb. *Restitutio* 6. *quaest.* 6. Lessio *lib.* 2. *cap.* 15. *dubit.* 1. Layman *lib.* 3. *de justit. tract.* 2. *cap.* 11. *n.* 1. Lugo *disp.* 20. *sect.* 1. *n.* 3. Navarro *in Manual. cap.* 17. *n.* 47. Sporer *loc. cit. sect.* 2. *n.* 24. aliisque plurimis congestis Vasquez *opuscul. de restit. cap.* 11. *n.* 9. Et ratio est, quia Debita certa sunt magis proprie, et specifice debita, quam sint incerta; incerta enim, cum non habeant certum Dominum, eroganda sunt vel in Ecclesiam, vel in pauperes; Atqui Ecclesia, et pauperes non habent tantam actionem, et Jus ad bona Debitoris, quantam habent Creditores certi; nam actio pauperum, et Ecclesiae est generica, adeo ut si pauperibus dentur, et non Ecclesiae, non inferatur praejudicium Ecclesiae, nec econtra inferatur praejudicium pauperibus, si Ecclesiae dentur, et non ipsis; Actio autem Creditorum certorum specifica est naturalis, et civilis, adeo ut debita certa debeant eis necessario dari, et non aliis, adeoque etc. Dicitur autem notanter *Ceteris paribus*, quia si bona incerta extent in sua specie, et non sic bona certa, debent restitui prius incerta, quam certa; Bona enim incerta adhuc extantia, si vero Domino restitui non possunt, potius Ecclesiae, vel pauperibus tribuenda sunt, quam ut ex ipsis satisfiat aliis certis Creditoribus, quia Creditoribus certis Debitor est solum obligatus ex bonis propriis solvere, non vero ex alienis: Bona autem incerta adhuc extantia in sua specie apud iniquum possessorem, vere sunt aliena, non enim facta sunt propria ipsius, sed manserunt sui veri Domini, quamvis ignoretur, adeoque etc. *Communis*, cum supracitatis. 29

30

Debita realia praeferenda sunt personalibus in totum; Unde cum res aliena adhuc existit in individuo apud Debitorem, cujus proinde Dominium apud Creditorem, seu Dominum adhuc manet, ut sunt res commodatae, depositae, oppignoratae, locatae, res inventae, bona fide acceptae, acquisitae per furtum, et hujusmodi, talia debita certis, ac propriis Dominis interea restituenda sunt, priusquam reliquis debitis personalibus satisfiat, quamvis nihil omnino superesset, quo aliis Creditoribus satisfiat. *Communis*, per text. in *l. Deposui* 30. 31

ff. de Pecul. l. Procuratoris 1. §. *Sed si dedi, ff. De Tribun. act. leg. Cum fundus* 31. *ff. de rebus creditis;* Et ratio clara est, quia Debitor debet solvere de bonis propriis, et non de alienis, cum Creditores quantumvis hypotecarii non habeant aliquod Jus, nisi in bona propria Debitoris, et nullatenus in bona, quae sunt aliorum; Supradicta autem bona, quousque perseverant in individuo apud Debitorem, remanent sub dominio proprii Domini, seu Creditoris, adeoque alii Creditores nullum Jus habent ad illa, et sic integra restituenda sunt certis, ac propriis Dominis, quamvis nihil omnino superesset, quo aliis Creditoribus satisfiat.

32 Venditor rei praeferendus est aliis Creditoribus, quando res vendita adhuc extat apud Emptorem, nec transiit in ejus dominium. *Communis;* Cum enim res semper clamet ad Dominum suum, stat clarum, quod ubi non est translatum Dominium, Domino proprio sit reddenda praeferenter ad alios Creditores, rum alii Creditores non habeant Jus, nisi in bona, quorum Dominium habet ipsorum Debitor.

33 An antem venditor rei praeferendus sit aliis Creditoribus, quando res vendita adhnc extat apud emptorem, sed jam transiisse videtur in ejus dominium per Fidei habitionem ipsius venditoris, qui emptoris fidem secutus est, vel pretium pro soluto habuit, quamvis vere, et realiter pretium nondum fuerit persolutum? Duae sunt contrariae sententiae. Prima sententia affirmat, eamque docent Cajetan. Silvester, Fumus, Medina, Navarrus, Archidiaconus, Bald. et alii, quos refert, et sequitur Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *dubit.* 2. *n.* 11. Rebellus *lib.* 2. *q.* 19. *n.* 2. Bonacina *disp.* 1. *de restitut. quaest.* 8. *punct.* 2. *n.* 8. Sporer *loc. cit. n.* 28. ubi dicit, hanc esse communiorem, et sic plures alii. Et ratio est, quia venditor, seu Creditor fidem habens pretio promisso, videtur habere tacitam hypothecam in re vendita, donec ei solvatur pretium; *L. Julianus* 13. §. 8. *ff. de actionibus empti*, *l. Hereditatis* 22. *ff. de Hereditate, et actione vendita*, *l. Quod si* 31. §. 8. *de Æditio edicto*, ideoque in re ipsa restituenda, vel ejus pretio solvendo aliis Creditoribus praeferri debet, tum quia repugnat Juri naturae, seu aequitati naturali, quod res a venditore tradita Emptori, nondum soluto pretio, et in individuo perseverans, aliis assignetur, et Creditor, seu venditor re sua, et pretio ejusdem fraudetur in concursu aliorum Creditorum anteriorum: Tum etiam quia in tali venditione transfertur dominium solum sub tacita conditione pretii solvendi, ergo ubi pretium non solvitur, res ad Dominum redit.

34 Secunda sententia negat, eamque docent Covarruv. *lib.* 1. *variar. resol. cap.* 7. *n.* 3. Molina *tom.* 2. *disp.* 536. Petrus Navarr. *l.* 4. *de restit. cap.* 3. *n.* 39. et alii, qnos refert, et sequitur Vasquez *cap.* 11. *de restitut. dub.* 1. *n.* 19. Turrian. *de restitut. disp.* 19. *dub.* 1. *n.* 6. Layman *loc. cit. cap.* 11. *n.* 2. Rosignol. *loc cit. n.* 4. Henno *loc. cit. disp.* 2. *quaest.* 1. *conclus.* 2. Lugo *disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 17. et alii plures. Et ratio est, quia res sic vendita est sub dominio emptoris, non aliter atque res aliae suae; Noque verum est, ut praetendunt Auctores primae sententiae, quod talis venditor habeat tacitam hypothecam in re vendita, donec ei solvatur pretium, nisi expresse sit de hoc conventum; sed res sic vendita transit statim in dominium emptoris sine reali onere rem afficiente: Jura enim pro prima sententia allata non satis clare loquuntur in terminis suae conclusionis, sicut clare loquitur pro hac secunda sententia textus in §. *Venditae vero res* 41. *Institut. de rerum divisione*, ubi sic expresse habetur: « Venditae vero res, et traditae, non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori pretium solverit, aut alio modo ei satisfecerit, veluti ex promissione, aut pignore dato, quod quamquam cavetur ex lege duodecim tabularum, tamen recte dicitur, et Jure gentium, idest Jure naturali id effici; sed si is, qui vendidit, fidem emptoris secutus fuerit, dicendum est, statim rem Emptoris fieri ». Nec valet dicere, quod ex hoc textu videatur inferri, quod in ea hypothesi, qua emptor, vel vere, vel fictione Juris non satisfecerit, si non ratione hypothecae, potiori tamen Jure dominii Creditor, seu venditor sit aliis qno ad illam rem praeferendus. Non valet inquam. quia licet id videatur inferri ex primis verbis textus, ex ultimis tamen clare habetur, quod si venditor fidem emptoris sequitur, transfert statim dominium rei venditae in emptorem, ibi: « Sed si is, qui vendiderit, fidem emptoris secutus est, dicendum est, statim rem emptoris fieri ». Tum quia emptor ante solutum pretinm potest rem alteri vendere, sicque absolute dominium transferre, quod certe non posset, si ipsemet absolutum dominium non haberet, adeoque etc. Unde haec secunda sententia negativa est aeque probabilis, ac prima sententia affirmativa, nt recte concludit Sporer *loc. cit. n.* 28. * Hanc quaestionem tractans Antoine loc. citat. quaest. v. resp. 1. scribit: « Res in vigore justitiae credito vendita extans apud debitorem non videtur reddi debere venditori prae aliis creditoribus, si is aliunde non habeat jus praelationis. Ita multi, praesertim jurisperiti, qui apud Covarruviam asserunt, hanc esse communem sententiam. Quia res vendita non est amplius venditoris, secuta traditione, et habita fide de pretio ejus: nam tunc translatum est ejus dominium; neque manet illi obnoxia jure hypothecae; nulla enim inducitur hypotheca, nisi vel ex conventione, vel jure positivo, et nulla ex hoc utroque capite reperitur inducta. Et vero si illa res ab emptore alteri revendita esset, hic haberet dominium in eam omnino liberum. Tamen res venditae, quae adhuc extant apud emptorem, possunt, et debent ex quadam aequitate reddi venditori. Ita indicarunt multae supremae Curiae in Gallia, et colligitur *ex l. procuratoris* §. *de tributis*, quod intellige, nisi obstet consuetudo loci »*,

35 Debita ex delicto, v. g. ex furto, rapina, usura, contractu fraudulento, et hujusmodi, non sunt praeferenda debitis ex contractu justo, si amplius non extent in sua specie, sed sunt aequaliter solvenda. Ita Lugo *disp. num.* 36. cum Silvestro, Petro Navarra, Molina, Vasquez, Lessio, Bannes, Arragon. Azorio, Turrian. Reginald. Bonacina ibi citatis, Rosignol. *loc. cit. praenot.* 8. *num.* 6. Henno *loco cit. quaest.* 1. *conclus.* 3. Sporer *loc. cit. num.* 40. ubi dicit, hanc sententiam jam esse communem, Herincx *de Justitia d.* 6. *num.* 101. Illsung *titul.* 4. *d.* 3. *num.* 214. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 379. ubi, plurimis citatis, dicit, sic sentire alios communiter contra paucos alios, inter quos affertur S. Thomas *opusc.* 73. *cap.* 18. Sanctus Antoninus, Rebell. et alii dicentes, Debita ex delicto prius esse restituenda, quam debita ex contractu, et inter debita ex delicto, prius quae ex graviori delicto, quam quae ex minus gravi, et sic prius quae ex rapina, quam quae ex furto, deinde prius quae ex furto, quam quae ex usuris, et sic de aliis, quamvis tamen quo ad S. Thomam Silvius, quem refert, et sequitur Henno *loc. cit. conclus.* 3. dicat, opusculum illud non esse ipsius S. Thomae, cum in editione Romana habeatur litteris distinctis. (*)

36 Unde ratio nostrae conclusionis est, quia talis praelatio nec ex Jure positivo, nec ex Jure naturae colligi potest: Non ex Jure positivo, cum Jus positivum nullibi distinguat inter debita ex delicto, et debita ex contractu justo, ubi autem Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: *cap. Quia circa* 22. *de privileg. et* l. *De pretio, ff. de Publiciana in rem actione.* Non etiam ex jure naturae, nam de Jure naturae debitum unum non fortius obligat, quam aliud, ex quo utriusque generis debita aequaliter sunt ex Justitia; Tum quia si Debitor requisitus, et a Creditore habente Jus ex delicto, et a Creditore habente Jus ex contractu justo, alteri solverit prius petenti, non solum juste, et licite solvit, sed etiam hoc praestare tenetur per textum *in l. Pupillus, ff. Quae in fraudem Creditorum,* ubi dicitur, quod diligentia posterioris Creditoris facit eum potiorem, sicuti hypotheca, vel privilegium, et hoc habetur etiam ex *l. Quod autem* 6. §. 7. *ff. eod.* ibi: « Sciendum, Julianum scribere, eoque Jure nos uti, ut qui debitam pecuniam recepit, antequam bona debitoris possideantur (idest, explicat Lessius *lib.* 2. *de Justit. et Jure cap.* 15. *dub.* 5. *num.* 41. cum aliis communiter, antequam auctoritate Judicis ab aliis occupentur) quamvis sciens, prudensque solvendo non esse recipiat, non timere hoc edictum, sibi enim vigilavit »; Atqui haec non possent verificari, si ex necessitate deberent prius solvi debita ex delicto, quam debita ex contractu justo, ergo etc.

Nec obest id, quod afferunt adversarii, nempe quod Creditor habens Jus ex delicto Debitoris sit magis invitus sibi debitum suum, seu rem injuste ablatam non reddi, quam Debitor habens Jus ex justo contractu, cum ipse voluntarie rem suam alienaverit. Non obest, inquam, quia licet Creditor habens Jus ex delicto Debitoris sit forte magis invitus ex parte subjecti, obligatio tamen Justitiae non oritur ex illa majori, vel minori repugnantia, quam Creditor ex parte subjecti habet, sed ex illa, quae in objecto fundatur. Justitia enim quantum ad restituendum non respicit alterius, scilicet Creditoris, animum, magis ne, an minus invitus sit, sed solum respicit alterius Jus, et quantum ipsi debeatur. Utrique autem Creditori, scilicet et Creditori ex contractu justo, et Creditori ex delicto debetur res sua simpliciter. Unde inter debita ex delicto, et debita ex contractu justo nullus ordo praelationis ex genere suo in restitutione est de necessitate servandus. 37

Debita hypothecata, sive realia, praeferenda sunt debitis non hypothecatis, seu personalibus, quamvis haec fuissent anteriora: *Communis*, textu expresso *in l. Eos, qui* 9. *Cod. Qui potiores in pignore*, ibi: « Eos, qui receperunt pignora cum in rem actionem habeant, privilegiis omnibus, quae personalibus actionibus competunt, praeferri constat »; Per hypothecatum enim debitum non solum debitor, seu persona ipsa, sed etiam res ipsius est obligata, et quasi inchoative facta est Creditoris: Per Debitum autem non hypothecatum solum ipsius Debitoris persona, et non ipsius res est obligata; adeoque Debita hypothecata praeferenda sunt Debitis non hypothecatis. 38

Inter Creditores hypothecarios illi sunt praeferendi, ordinarie loquendo, qui sunt priores: *Communis*, per textus in *cap. Qui prior* 54. *de Reg. Juris in* 6. ibi: *Qui prior est tempore, prior est Jure*, et concordat *l. Quotiens* 98. *ff. de Reg. Juris*; et habetur expresse ex *l.* 2. 4. 5. 6. 7. *et* 8. *Cod. Qui potiores in pignore*. Et hoc verum est, sive hypotheca sit tacita, sive expressa, sive generalis, sive specialis: Henno *loc. cit. q.* 2. *conclus.* 2. Vasquez *opusc. de pignoribus, et hypothecis cap.* 5. *n.* 6. Lugo *citat. disp.* 2. *a n.* 41. ubi, pluribus citatis, dicit sic sentire Doctores communiter contra paucos; Ratio enim posterior non potest tollere Jus alteri jam prius acquisitum. Quaenam autem sit hypotheca tacita, quae expressa, quae generalis, et quae specialis? V. verb. *Hypotheca n.* 7. *et* 8. 39 40 41

Dicitur autem notanter *Ordinarie loquendo*, quia in Jure excipiuntur certi casus, in quibus ex privilegio hypothecae quaedam posteriores praeferuntur, seu anteponuntur prioribus non privilegiatis, quia ut dicitur *in c. Privilegia* 32. *ff. de rebus auctoritate Judicis possidendis*: « Privilegia non ex tempore aestimantur, sed ex causa ». 42

(*) Ita plane: consulito Cl Jo Franc. Bernardum Mariam de Rubeis *De gestis, ac scriptis S. Thomae* dissert. xx. cap. v. ubi Opusculum illud post Echardum, et Barbarium S. Thomae foetum esse negat.

43 Primo igitur praeferendi, et solvendi sunt sumptus funeris ante alia credita habentia anteriorem hypothecam: *Communis*, per text. *in l. Scimus* 22. §. 9. *C. de Jure deliberandi*, *l. et si quis* 4. *et l. Impensa funeris* 44. *ff. de Religiosis, et sumptibus funerum*, ibi: « Impensa funeris semper ex hereditate deducitur, quae etiam omne creditum solet praecedere, cum bona solvendo non sint ».

44 Pro sumptibus autem funeris venit quidquid ratione corporis erogandum est. *Communis*, textu expresso in *l Funeris sumptus* 36. *ff. de Religiosis, et sumptibus funerum.*

45 Sumptus funeris praeferuntur etiam tacitae hypothecae anteriori, quam habet mulier pro Dote: Joannes Angelus Bossius *de Dote c.* 18. *num.* 87. *vers. Communis vero sententia*, Negusantius *de pignore* 2. *membr. part.* 5. *n.* 28. Gomez *ad l.* 30. *Tauri vers. Item*, Angelus de Aret. *Inst. de Leg. Falcid.* §. *final. in* 1. *not.* Amator Rodriq. *de Concursu Creditor. P.* 1. *art.* 3. *n.* 2. Rosignol. *Contract. XI. de pignore, et hypotheca praenot.* 5. *sect.* 5. *n.* 56. *et* alii per text. *in cit. l. Scimus* 22. §. 9. *Cod. de Jure deliberand. l. Et si quis* 14. *et l. Impensae funeris* 45. *ff. de Religiosis, et sumptibus funerum*, ubi dicitur, quod *impensa funeris omne creditum solet praecedere.* Ly autem *Omne* nihil excludit, *cap. Solitae* 6. §. *Nobis, de major. et obedient.* ibi: *Nihil excipiens qui dixit quodcumque*, et Glossa *ibid. verb. Quodcumque: Qui dicit omnia, nihil excipit;* et concordat *cap. Si Romanorum* 1. *d.* 19. *l. Praeses* 3. *ff. de Officio Praesidis, l. A. Procuratore* 13. *C. Mandati.*

46 Immo sumptus consueti, et moderati funeris probabilius praeferendi sunt cuicumque hypothecae anteriori expressae, et etiam ex causa Dotis; Sic sentire videntur Gomez *ad l.* 30. *Tauri* Jacob. Cancerius *variar. resolut tom.* 1. *cap.* 9. *n.* 9. Antonius Piccardus *in* §. *Cum autem ratio, Instit. de leg. Falcid.* Amator Rodriquez *de concursu Creditorum part.* 1. *art.* 3. *n.* 4. *vers. Ceterum contrariam sententiam*, et expresse Rosignolus *loc. cit. n.* 4. a quibus non videtur dissentire Joannes Angelus Bossius *de Dote cap.* 18. *n.* 87. et alii contra Negusantium *loco citat. membr.* 2. *par.* 5. *n.* 28. et alios; Et ratio est, quia naturalis pietas pro praestandis spiritualibus obsequiis erga Defunctorum corpora, ipsa natura impellente, praevalere debet omni Juri positivo, adeoque sumptus moderati, et consueti funeris probabilius praeferendi sunt cuicumque hypothecae anteriori etiam expressae, et etiam ex causa Dotis.

47 Secundo, ante alia Credita habentia anteriorem similem hypothecam solvenda sunt debita tempore ultimae infirmitatis apud Pharmacopolas, Medicos, et Chirurgos contracta. *Communis*, per text. *in l. In restituenda* 4. *C. de Petitione hereditatis*, *l. Legatum* 3. *Cod. de Religiosis, et sumptibus funerum;* Et ratio ex aequitate, et pietate consurgit, ne scilicet infirmi variis gravati debitis defectu medicinalium, et Medicorum necessario mori debeant, ex quo Pharmacopolae, Medici, et Chirurgi, si hanc non haberent praelationem, auxilium, et remedia eis denegarent praevidendo, se non esse solvendos.

48 Dicitur autem notanter *Tempore ultimae infirmitatis*, quia debita in aliis anterioribus infirmitatibus contracta cum dictis Pharmacopolis, Medicis, et Chirurgis non gaudent privilegio ullo praelationis; Ipsi enim sibi imputare debent, quod satisfactionem sibi inde debitam non prius exegerint. *Communis.*

49 Tertio, ante alia credita habentia anteriorem similem hypothecam solvendae sunt expensae factae pro confectione inventarii, vel pro aperitione, et insinuatione Testamenti, vel pro aliis necessariis causis hereditatis: *Communis*, per textum in *l. Sancimus* 32. §. 9. *Cod. de Jure deliberandi;* Tales enim expensae sunt ita necessariae, ut sine ipsis nequeat adiri hereditas, neque ab ipsis anterioribus Creditoribus, adeoque cum sint factae etiam ad commodum ipsorum, debent praeferri, *arg. l. Hujus* 6. *ff. Qui potiores in pignore.*

50 Quarto, ante alia credita habentia anteriorem hypothecam solvenda est pecunia mutuata pro re hypothecata conservanda, et reparanda: sic enim mutuans praeferendus est omnibus aliis habentibus in eadem re hypothecam qualemcumque: *l. Interdum* 5. *ff. Qui potiores in pignore, et l. Creditor* 25. *ff. de creditis, et si certum petatur;* Et ratio efficax assignatur *in l. Hujus* 6 *ff Qui potiores in pignore*, ibi: « Hujus enim pecunia salvam fecit totius Pignoris causam ».

51 Quinto, ante alia credita habentia anteriorem hypothecam solvenda est pecunia mutuata pro vectura mercium, et conductione aedium, in quibus asservarentur; Tunc enim ipsae merces manent hypothecatae mutuanti cum omnimoda praelatione ad alios Creditores hypothecarios; *leg. Hujus* 6. *ff. Qui potiores in pignore.*

52 Sexto, ante alia credita habentia anteriorem hypothecam solvenda est pecunia mutuata pro constructione, seu emptione domus, seu alterius rei cum pacto expresso, quod talis domus, seu alia res maneat sibi hypothecata, *l. Quamvis* 17. *Cod. de pignoribus*, *l. Licet* 7. *Codic. Qui potiores in pignore.*

53 Septimo, ante alia credita habentia anteriorem hypothecam solvenda est pecunia data a Tutore nomine Pupilli, seu impuberis ad emptionem praedii, domus, et hujusmodi, etiamsi non paciscatur in hypothecam, et hoc ex speciali privilegio status pupillaris, *l. Idemque est* 7. *ff. Qui potiores in pignore*, ubi in titulo sic loquitur: « In re empta per Tutorem pecunia pupilli praefertur pupilli anterioribus Creditoribus, quatenus ex ejus pecunia sit solutum ».

54 Octavo, ante alia Credita habentia anteriorem hypothecam solvenda est pecunia data pro causa militiae, nempe pro sustentatione in Castris, pro

emptione armorum, equorum, et hujusmodi, reservata sibi per instrumentum a testibus subscriptum hypotheca. *Novella* 97. *cap.* 4.

55 Nono, ante alios Creditores habentes specialem, vel generalem hypothecam anteriorem in bonis eorum, qui cum Fisco contraxerunt, et in bonis ejusdem Officialium, et Administratorum, praeferendus est Fiscus quo ad alia bona, quae fuerunt ab ipsis acquisita post obligationem cum eodem Fisco contractam, textu expresso in *l. Si quis* 28. *ff. de Jure Fisci*, ibi: « Si, qui mihi obligaverat, quae habet, habiturusve esset, cum Fisco contraxerit; sciendum est in re postea adquisita fiscum potiorem esse debere, Papinianum respondisse, quod et constitutum est: praevenit enim causam pignoris Fiscus ».

56 Decimo, ante alios Creditores habentes anteriorem tacitam hypothecam in bonis Mariti solvenda est Dos uxoris, bona enim Mariti sunt ita obligata suae uxori, ejusque filiis descendentibus ex eodem Matrimonio, ut dicta Uxor, dictique ejus filii, ac descendentes praeferantur Creditoribus habentibus tacitam hypothecam, *l. Assiduis* 12. *Cod. Qui potiores in pignore*; et concordat *l. Unic. de rei uxoriae action.*

57 Quamvis autem Uxor habeat Jus, seu privilegium praelationis ante Creditores habentes anteriorem hypothecam tacitam, non tamen illud habet ante Creditores habentes anteriorem hypothecam expressam; Licet enim stando in severo rigore Juris videretur hoc privilegium praelationis competere Uxoribus etiam quoad habentes anteriorem hypothecam expressam ex *Novella* 91. *cap.* 1. *Novella* 97. *cap.* 3. *et* 4. *Novella* 109. *cap.* 1. Glossa tamen communiter recepta *in cit. l. Assiduis* 12. *Cod. qui potiores in pignore*, et ibi Bartolus, Alexander *consil.* 18. *in causa mota n.* 6. *vel* 8. Negusantius *membr.* 4. *par. secunda n.* 98. Faber *l.* 8. *Cod. tit.* 9. *Des.* 16. Fontanella *claus.* 4. *gloss.* 8. *part.* 7. *n.* 69. Petrus Barbosa *par.* 6. *n.* 4. Rosignol. *controv.* 11. *de Pignor. et hypothec. praenot.* 5. *sect.* 4. *n.* 32. et alii passim, tenent, absolute tale privilegium praelationis non extendi ad anteriorem hypotecam expressam. Hinc Joannes Angelus Bossius *tract. de Dote cap.* 18. *n.* 45. asserit ita in praxi servari, et ab ea nec in consulendo, nec in judicando esse recedendum; Durius enim esset, quod Creditores anterioritate Matrimonii supervenientis perderent Jus, quod ex conventione, seu hypotheca expressa anteriore habebant in bona Mariti; Ubi vero talis adesset consuetudo, quod Uxores gauderent privilegio praelationis etiam quo ad anteriorem hypothecam expressam, esset servanda, cum videretur inniti citatis Juribus.

58 Inter Fiscum autem, et Uxorem ratione Dotis quoad praelationem regulariter servatur prioritas, et posterioritas temporis, textu expresso in *l. Quamvis* 2. *Cod. de Privilegio Fisci*, ibi: « Quamvis ex causa Dotis vir quondam tuus tibi sit condemnatus, tamen si priusquam res ejus tibi obligarentur, cum Fisco contraxit, Jus Fisci causam tuam praevenit. Quod si post bonorum ejus obligationem rationibus meis coepit esse obligatus, in ejus bona cessat privilegium Fisci ».

Undecimo, ante alios Creditores habentes anteriorem hypothecam Locator quoad invecta, et illata bona mobilia a Conductore in Domum conductam est absolute praeferendus pro pensione conventa; Locator enim ex speciali privilegio Locationis dicitur pro pensione conventa possidere invecta, et illata in Domum suam a conductore; *l. Possessio* 1. §. 21. *ff. De acquirenda possession. l. Qui pignoris* 46. *ff. eodem*, *l. Pomponius* 2. *ff. In quibus causis pignus, vel hypotheca tacite contrahatur.* De jure autem melior est conditio possidentis, *c. Ad aures* 6. *de praescriptionibus*, c. *Quod autem* 5. *de Jure patronatus*, c. *In pari* 65. *de Regul. Juris in* 6. *l. Nemo* 126. §. 2. *et l. In pari causa* 128. *ff. de Regul. Juris*, adeoque etc. 59

Duodecimo, Creditores instrumentarii hypothecarii, quamvis posteriores, praeferuntur aliis Creditoribus hypothecariis anterioribus habentibus solum privatam scripturam sui crediti, nisi a tribus fide dignis, et ab ipsis contrahentibus sit subscripta, text. expresso in *l. Scripturas* 11. *Cod. Qui potiores in pignore habeantur*, ibi: « Si autem Jus pignoris, vel hypothecae ex hujusmodi instrumentis vindicare quis sibi contenderit, eum, qui instrumentis publice confectis nititur, praeponi decernimus, etiamsi posterior is contineatur, nisi forte probatae, atque integrae opinionis trium, vel amplius virorum subscriptione eisdem idiochiris contineantur, tunc enim quasi publice confecta accipiuntur ». 60

Generaliter loquendo solutio, seu restitutio est facienda prius Creditoribus hypothecariis, quamvis posterioribus, quam Creditoribus solum Chirographariis, licet anterioribus; *l. Eos qui* 6. *C. Qui potiores in pignore*, *l. Creditor* 13. §. 1. *eodem*, cum similibus. 61

Post Creditores hypothecarios, solutio, seu restitutio est facienda prius Creditoribus Chirographariis, seu personalibus privilegiatis, quam Creditoribus non privilegiatis, seu mere personalibus. *Communis.* 62

Inter Creditores autem Chirographarios, seu personales privilegiatos numerantur sequentes. 1. Respublica Creditrix: *l. Bonis venditis* 38. *ff. de rebus auctoritate Judicis possidendis*, *seu de Privilegiis Creditorum*, ibi: *Respublica Creditrix omnibus Chirographariis Creditoribus praefertur.* 2. Sponsa de futuro pro repetitione Dotis traditae sponso non secuto Matrimonio; *leg. Quaesitum* 17. *ff. eodem* §. *Si Sponsa*, ibi: « Si Sponsa dedit Dotem, et nuptiis renunciatum est, tametsi ipsa Dotem condicit, tamen aequum est hanc ad Privilegium admitti, licet nullum Matrimonium contractum est. 3. » Deponens pecuniam ad nummularium publicum, seu Depositarium a Republica 63

constitutum, nullo inde perfecto lucro; *l. Si ventri* 24. *ff. eodem* §. 2. ibi: « In bonis Mensularii vendentis post privilegia potiorem eorum causam esse placuit, qui pecunias ad mensam fidem publicam secuti deposuerunt; Sed enim qui depositis nummis usuras a Mensulariis acceperunt, a ceteris Creditoribus non separantur, et merito, aliud est enim credere, et aliud deponere » 4. Mutuans in solutionem Creditoris personalis privilegiati; *cit. l. Si ventri* §. 3. ibi: « Eorum ratio prior est, quorum pecunia ad Creditores privilegiatos pervenit etc. 5. ». Pupillus contra Debitorem ex amicitia gerentem ejus negotia; *leg. Si negotium* 23. *ff. eodem*, ibi: « Si negotium impuberis aliquis ex Officio amicitiae gesserit, debet, bonis ejus venditis, privilegium pupillo conservari ».

64 Post creditores Chirographarios, seu personales Privilegiatos restitutio, seu solutio facienda est creditoribus Chirographariis, seu mere personalibus nullum privilegium praelationis habentibus.

65 *Communis.* Et quidem sunt prius ipsis restituenda, seu solvenda in totum debita ex contractu oneroso, ut ex emptione, mutuo, locato, censu, et hujusmodi, quam debita ex contractu gratuito tantum, ut ex promissione, donatione, legato, et hujusmodi: *Communis.* Nec indiget probatione.

66 Tota difficultas est, an inter debita mere personalia, paria, et ejusdem generis, scilicet nec hypothecata, nec privilegiata, nec ex contractu oneroso, vel gratuito diversa, solvenda, seu restituenda sint prius debita tempore priora, quam debita tempore posteriora? Plurimi enim, et gravissimi Doctores partem affirmativam tuentur: Sic. S. Thomas *Opuscul.* 83. *c.* 8. (*) Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 2. *art.* 3. *dub.* 6. Joannes Medina *quaest.* 2. *de restitutione §. Quintum dictum*, Major *in* 4. *dist.* 15. *quaest.* 50. Suarez *in opusculo de Justitia sect.* 3. *n.* 7. Valentia *de restitutione quaest.* 6. *punct.* 10. Toletus *lib.* 6. *Summas cap.* 25. Viguerius *in Institut. cap.* 5. §. *Primo*, Salonius *quaest.* 62. *art.* 8. *ad finem*, Emmanuel Sa *verb. Restitutio n.* 61. Rebellus *part.* 1. *de oblig. Justitiae lib.* 2. *quaest.* 19. *n.* 11. Bartholomaeus Medina *in sua Instructione* §. 33. *ad finem*, Lugo *disp.* 20. *sect.* 7. §. 2. *n.* 149. *et seq.* et alii per text. *in c. Qui prior est tempore, potior est Jure*, per quam Regulam dicunt a Jure Canonico esse in hoc correctum Jus Civile infra citandum aliter sentiens.

67 Partem autem negativam sustinent Baldus *in l. Pro debito* 6. *Cod. de bonis auctoritate Judicis possidendis*, S. Antoninus 2. 2. *part. t.* 2. *cap.* 7. §. 3. Navarr. *in Manuali cap.* 17. *n.* 51. Angelus *verb. Restitutio* 2. *n.* 16. *versus finem*, Vasquez *de restitutione cap.* 11. *dub.* 2. *n.* 49. Turrian. *disp.* 19. *dub.* 4. *n.* 4. Silvester *verb. Restitutio* 6. *quaest.* 5. Molina *tom.* 2. *disp.* 536. §. *Quando Creditores*, Lessius *l.* 2. *cap.* 15. *dub.* 6. *n.* 44. Layman *l. tertio de Justitia tract.* 2. *cap.* 11. *n.* 6. Azorius, Reginaldus, Bannes, et Arragonius, quos refert, et sequitur Bonacina *disp.* 1. *de restitutione quaest.* 8. *punct.* 2. *n.* 18. *et* 19. Reiffenstuel. *lib.* 2. *Decret. tit.* 23. *n.* 92. Gaiius *Observat.* 25. *n.* 13. Pontas *verb. Debitum, casu* 12. *et* 17. Sporer *tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 4. *sect.* 2. *n.* 43. ubi dicit, hanc sententiam esse communem, et eam tenere Recentiores communiter fatetur Lugo *loc. cit.* vocans ipsam procul dubio probabilissimam, quamvis ipse sequatur sententiam contrariam, et sic plures alii.

Et quidem pars negativa satis communis expresse supponitur, et habetur *in l. Privilegia* 32. *ff. de rebus auctoritate Judicis possidend.* ibi: « Privilegia non ex tempore aestimantur, sed ex causa, et si ejusdem tituli fuerint, concurrunt, licet diversitates temporis in his fuerint »; *l. Sciendum* 1. §. 2. *ff. de separationibus*, quam legem pro hac sententia adducit S. Antoninus *loc. c. l. Si hominem* 7. §. 3. *ff. depositi*, ibi: « Item quaeritur utrum ordo spectetur eorum, qui deposuerant; an vero simul omnium Depositariorum ratio habeatur? Et constat simul admittendos; Hoc enim Rescripto Principali significatur »; *l. Pro debito* 6. *Cod. de bonis auctoritate Judicis possidend.* ibi: « Æquali portione pro rata debiti quantitate omnibus Creditoribus consuli potest ». 68

Nec haec Jura Civilia videntur esse correcta a Jure Canonico per citatam Regulam 54. *Juris in* 6. *Qui prior est tempore, potior est Jure;* quia talis Regula locum habet solum inter illos, qui habent Jus ad eamdem rem determinatam sibi ex pacto obligatam, ut in venditione ejusdem rei absque traditione pluribus facta, prior emptor praeferri debet posteriori, sic in locatione ejusdem domus, primus Conductor praeferri debet posteriori habenti parem hypothecam; et sic de aliis similibus, quia prior Creditor verb. gr. prior Emptor, seu prior Conductor, et hujusmodi, Jus habet ad determinatam rem emptam, conductam, et hujusmodi, quae cum esset ei debita, non potuit alteri vendi, seu locari, quia venditor, seu locator non potuit se obligare, ad id, quod sine peccato implere non poterat, adeoque merito Jus prioris praeferri debet Juri posterioris: Non sic autem in debitis mere personalibus, quia cum in istis prior creditor ad nullam rem determinatam Jus habeat, sed solum sicuti quilibet alius posterior Creditor indifferenter Jus habet ad petendum suum debitum, ideo Debitor potuit valide se obligare secundo Creditori, quia promisit id quod sine peccato servare poterat; supponitur enim, quod tempore contractus potens fuerit utrique satisfacere; adeoque si Debitor ad inopiam vergat, nec sit amplius potens omnibus Creditoribus personalibus satisfacere in totum, debet omnibus satisfacere pro parte rata secundum proportionem Debitorum, et facultatem ipsius Debitoris, dividendo in partes majores, et mino- 69

(*) Vide num. 35.

res proportionaliter respondentes Debitis ipsis majoribus, et minoribus, ita ut qualis est proportio debiti ad debitum, quo ad quantitatem, talis sit proportio ejus quod quisque accipit, ad id, quod alii accipiunt, nulla habita ratione, utrum tempore priora, vel posteriora sint talia debita, cum Jus prioris Creditoris personalis praejudicare non possit Juri posterioris ad exigendum suum debitum mere personale, quia Creditores debitorum mere personalium habent aequale Jus in personam Debitoris immediate, et in ejus bona mediate, et indeterminate tantum, adeoque Debitor debet Creditoribus mere personalibus aequaliter satisfacere pro rata parte secundum proportionem Debitorum, et facultatem ipsius, ita ut cui plus ab ipso debetur, plus attribuatur, cum aequitas postulet, ut ille majorem partem accipiat, qui majorem partem debet perdere, nulla interim habita ratione ad anterioritatem, vel posterioritatem temporis Creditorum; Et haec pro secunda sententia negativa, quamvis sit vere probabilis, et aequitati satis consona etiam prima sententia affirmativa; Unde dicerem, quod in similibus casibus recurrendum esset ad Leges, aut consuetudines locales legitime introductas.

70 Certum est autem apud omnes utriusque sententiae Doctores, inter creditores mere personales posse aliis praeferri illum, qui prius debitum in judicio petit, sententiamque Judicis ad id obtinuit; Talis enim Creditor vigilando, et juridice exigendo, meliorem suam conditionem fecit; Jus enim Civile vigilantibus scriptum est, et ideo vigilantiae, et diligentiae prius postulantis praeferentia adscribitur per text. *in l. Quod autem* 6. §. 7. *ff. Quae in fraudem Creditorum*, ibi: « Sciendum, Julianum scribere, eoque Jure nos uti, ut qui debitam pecuniam recepit, antequam bona Creditoris possideantur (idest, ut explicat Lessius *lib. de Justitia*, et *Jure cap.* 15. *dubit.* 5. *n.* 41. cum aliis communiter, antequam auctoritate Judicis ab aliis occupentur), quamvis sciens, prudensque solvendo non esse recipiat, non timere hoc Edictum, sibi enim vigilavit », *l. Pupillus* 24. *ff. eod.* ibi: « Vigilavi, meliorem meam conditionem feci, Jus Civile vigilantibus scriptum est, ideo quoque non

71 revocatur id, quod percepi ». Immo per dictos textus probabilius est, quod aliis Debitoribus mere personalibus possit praeferri etiam ille, qui prius petit Debitum suum extra Judicium, quamvis sit tempore posterior; sua enim diligentia, et vigilantia facit ipsum inter Creditores Jure potiorem, sicut hypotheca, aut privilegium, quia, ut dicit textus *in cit. l. Pupillus*, *Jus Civile vigilantibus scriptum est*; Ita Navar. in *Manual. cap.* 17. *n.* 52. Busemb. *lib.* 3. *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 7. *art.* 2. *vers. Quaeres n.* 2. cum Silvestro, Bonac. ibi citatis, Illsung *t.* 4. *n.* 219. Henno *tom.* 2. *tr.* 1. *d.* 2. *q.* 2. *concl.* 3. ubi testatur de praxi communi, Sporer *l. c. n.* 45. Layman, et alii, quibus adhaerere videtur La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 404. Contra Molin. Vasquez, Castrop. Lugo dicentes, posse talem Creditorem aliis praeferri solum, quando ad id intervenit sententia Judicis.

Non potest autem Debitor sciens se non habere unde possit solvere omnibus, praeferre aliis Creditoribus aliquem suum amicum, seu familiarem non petentem: *Commun.* Et ratio est, quia cum ille suus amicus, seu familiaris non sit aliis potior in Jure, ita nec debet esse aliis potior in solutione, cum sola amicitia, seu familiaritas non sit legitimus hujus praelationis titulus, Jusque exigat, ut si non sufficiant Debitoris bona ad solutionem omnium Creditorum, inter illos eadem bona proportionaliter dividantur, prout fert Lex, vel legitima consuetudo; Unde Debitor contrafaciens teneretur omne damnum, quod per hoc aliis inferret, resarcire, si ad pinguiorem fortunam perveniret. 72

An pauper Creditor hoc solo titulo, quia pauper est, praeferri debeat Creditori diviti, si debita personalia sint paria? Variant Doctores. Sententiam affirmativam tenent Sanctus Thomas (*) *Opusc.* 73. *c.* 18. Silvester, Layman, Joann. Medina, Sa, Rebellus, et alii, quorum sententiam Lessius dicit esse probabilem, et Illsung valde probabilem: Et istorum ratio est, quia pauper, si non ei solvatur longe gravius patitur damnum, quam dives, cum, multo plus indigeat, adeoque cum prius recedendum sit a graviori damno, prius restituendum est pauperi, quam diviti. Sententiam autem negativam sustinent Azorius, Vasquez, Lessius, Turrianus. Lugo, Illsung, Castropal. Bonacina, et alii passim cum La Croix *loc. cit. n.* 406. Henno *loco cit. quaest.* 1. *conclus.* 5. ubi testatur de communi contra paucos, Suarez *loco cit. n.* 46. et plurimi alii. Et ratio est, quia, ceteris paribus, Creditor pauper hoc solo titulo, quia pauper est, nullo Jure, neque naturali, neque positivo gaudet hac praelatione, et Creditor dives habet aequale Jus, ac habeat Creditor pauper ad rem suam, adeoque in solutione sunt aequiparandi; Per accidens enim est, quod ex parte Creditoris pauperis sit majus damnum, seu nocumentum: Fateor tamen, quod praeferendus esset Creditor pauper, si reperiretur in maxima, seu gravi necessitate, in quantum necessarium esset ad subveniendum dictae ejus necessitati; At non ex Justitia, sed solum ex Caritate, qua tenemur quibuslibet in simili necessitate succurrere; Et in hoc conciliari possunt Doctores utriusque sententiae. 73

(1) Vide num. 35.

ARTICULUS V.

QUOAD EA, QUAE CONCERNUNT CAUSAS EXCUSANTES, VEL NON EXCUSANTES A RESTITUTIONE, UT, VEL DIFFERRI, VEL OMNINO OMITTI POSSIT.

SUMMARIUM

1. Caussae excusantes a restitutione, ut quamdiu durent licite differri possit, generaliter sunt tres, et assignantur, *ad* n. 25. — 26 Caussae omnino excusantes a restitutione, ut etiam omitti possit, generaliter sunt quatuor, quae enumerantur, *ad* n. 59 — 60. An ingressus, et professio Religionis liberet Debitorem ab obligatione restituendi debita antea contracta? Tres sunt Doctorum sententiae Prima sententia absolute affirmat. — 61. Secunda sententia probabilior absolute negat. — 62. Tertia sententia media est. — 63. Affertur probatio secundae probabilioris sententiae. — 64. Affertur adhuc alia probatio. — 65. Adducitur, et solvitur prima objectio. — 66 Adducitur, et solvitur secunda objectio. — 67. Adducitur, et solvitur tertia objectio. — 68. Si Debitor Religionem fuerit ingressus, et professus, et aliqua bona ad Religionem attulerit, tenetur omnino Religio solvere praedicta debita juxta vires allatorum bonorum. — 69 Si autem Debitor nulla bona ad Religionem attulit, religio ex hoc capite ad nihil tenetur. — 70. Si vero post ingressum, et Professionem, et occasione ejus Monasterium acquireret aliqua bona, tunc Monasterium tenetur ex illis satisfacere pro debitis prius contractis — 71. Item tenetur Monasterium solvere dicta debita prius contracta ex iis, quae religiosus Monasterio acquirit docendo, concionando, laborando, et hujusmodi, deductis talem expensis. — 72 Hinc religiosus Debitor, si salva Ordinis regula, possit artificio aliquo, vel manuum labore aliquid lucrari, tenetur sic laborare operibus suo statui, et conditioni praesenti convenientibus, ut pretium laboris impendat ad solutionem suorum debitorum; Dummodo per hoc non negligatur Divinum obsequium. — 73. Religiosus Debitor excusatur, si Superior neget ei licentiam ad id laborandi, nec tunc tenetur egredi e religione, quamvis sit spes probabilis sic satisfaciendi, v. g. per provisionem Beneficii, Parochiae, et hujusmodi — 74. Superior autem tenetur concedere licentiam honeste laborandi religioso Debitori, ut sic possit sua debita solvere, si scienter Debitis gravatum admisit; Secus autem si ignoratis ejus debitis, ad Habitum, et Professionem admisit. — 75 Excommunicatio Creditoris, vel Debitoris non excusat a restitutione facienda. — 76. An si Debitor morte plectatur, excusentur ejus haeredes a restitutione damni causati per delictum, ob quod fuit ultimo supplicio punitus? *remissive*.

1 Causae excusantes a restitutione, ut quandiu durant, licite differri possit, generaliter sunt istae tres, scilicet ignorantia, damnum creditori ipsi, vel tertio secuturum ex restitutione, et impotentia ipsius debitoris. *Sic in re Communis.*

2 Ignorantia tunc excusat pro restitutione differenda, quando est inculpabilis, et cum bona fide conjuncta, sive sit ignorantia Juris, sive sit ignorantia Facti; Durante enim tali ignorantia Debitor excusatur a restitutione facienda, cum pro tunc sit possessor bonae fidei, ut expresse dicit S. Aug. *lib. de Fide, et operibus cap.* 7. ibi: « Bonae fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum ».

3 Quando autem, et quid teneatur restituere possessor bonae fidei? Vide verb. *Possessor bonae, et malae fidei.*

4 Quaenam vero sit ignorantia Juris, et Ignorantia Facti; Vide verb. *Ignorantia.*

5 Damnum Creditori ipsi, vel tertio secuturum ex restitutione excusat pro restitutione differenda, quando praevidetur ipsi Creditori, vel alteri in spiritualibus, aut temporalibus obfutura; Unde non esset restituenda pecunia Creditori, si praevideretur ipsam fore expondendam ad corrumpendam mulierem, ad luxuriose vivendum, ad simonias committendas, ad se inebriandum, et hujusmodi Item non esset Creditori restituendus gladius, si praevideretur ipse, aut alter occidendus. Non esset ei reddenda clavis adulterina, si praevideretur, ea usurus ad furandum, et hujusmodi; quia tunc cooperaretur ad malum, adeoque esset ipsi differenda restitutio, donec essent remota talia pericula. *Communis.*

Impotentia ipsius Debitoris excusat pro restitutione differenda, quando Debitor habet veram impotentiam physicam pro tunc restituendi, nempe quando nihil penitus pro tunc habet, unde solvat, seu restituat; quia impossibilium nulla est obligatio, et ad impossibile nemo tenetur, textu expresso *in l. impossibilium* 185. *ff. de Reg. Juris*, *et cap. Nemo potest* 6. *de Reg. Juris* in 6. ibi: *Nemo potest ad impossibile obligari* Unde S. Augustinus relatus *in cap. Si res aliena* 1. *caus.* 14. *quaest.* 6. sic expresse dicit: « Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed ut dixi, cum restitui potest. Plerumque enim qui aufert, amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse male vivendo, nec aliud habet, unde restituat Huic certe non possumus dicere: Redde quod abstulisti ». 6

Immo non solum Debitor excusatur pro restitutione differenda, quando habet dictam impotentiam physicam, sed etiam quando habet impotentiam moralem, nempe, quando non potest restituere, nisi cum suo notabili, et majori detrimento, quam patiatur Creditor ex restitutionis dilatione, ut cum non potest restituere sine damno, vel periculo salutis animae, corporis, famae, libertatis, sine mutatione status honesti, et juste acquisiti, et sine longe majori suo damno in bonis temporalibus, quam sit damnum Creditoris ex restitutionis dilatione. *Sic in re Communis.* 7

Hinc potest Debitor differre restitutionem, si 8

ipsam non possit statim facere sine damno, seu periculo salutis animae, ut si omnibus suis bonis traditis in restitutionem, cogeretur mediis illicitis propriam, et suorum sustentationem procurare, v. gr. se, ei filios latrones efficiendo, uxorem, et filias prostituendo, et hujusmodi, *Communis.* Et ratio est, quia cum restitutio fieri debeat ad ponendam aequalitatem, non est facienda cum jactura boni altioris, seu superioris ordinis, ut est salus animae respectu aliorum temporalium bonorum cum sic non poneretur aequalitas.

9 Item potest Debitor differre restitutionem, si ipsam non possit statim facere sine damno vitae, seu sanitatis corporalis, ut si omnibus suis bonis traditis in restitutionem, fame esset periturus, morbos gravissimos defectu comparandae medicinae toleraturus, et hujusmodi. *Communis* propter eamdem rationem; Vita enim, et sanitas corporalis est bonum superioris ordinis, quam sint bona fortunae Creditori debita.

10 Item potest Debitor differre restitutionem, si ipsam non possit statim facere sine jactura famae, vel libertatis, ut si pro nunc restitutione facienda veniret in suspicionem gravis occulti criminis, indeque esset inevitabiliter diffamandus, aut ad comparandum pretium pro restituendo deberet se vendere, sicque propriam libertatem perdere: *Communis* propter eamdem rationem; Fama enim, et libertas est bonum superioris ordinis, quam sint bona externa temporalia Creditoribus restituenda.

11 Item potest debitor differre restitutionem si ob ipsam statim faciendam deberet notabiliter cadere a statu suo honesto, et juste acquisito. *Communis;* Debitor enim in tali casu reperitur in gravi necessitate, qua proinde durante, Creditor non potest rationabiliter velle sibi debitum solvi cum tanta proximi jactura, cum talis notabilis mutatio status sui honesti, et juste acquisiti non posset fieri sine infamia, et gravi dedecore Debitoris, et suae familiae; Unde licet Debita contraxerit, et in tali necessitate reperiatur ex propriis delictis, verb. gr. quia luxuriose, et sumptuose vixit, lusit, et hujusmodi, tunc ne notabiliter cadat a suo honesto, et juste acquisito statu, potest restitutionem differre, si res aliena in individuo non extet; nam si adhuc in individuo extaret, tenetur statim eam restituere, ut notant communiter Doctores.

12 Quamvis tamen Debitor ob restitutionem faciendam non teneatur notabiliter cadere a suo honesto, et juste acquisito statu, ver. gr. non teneatur nobilis dimittere omnes quadrigas, vendere totam pretiosam supellectilem, omnes pretiosas suae conditioni competentes vestes, et hujusmodi, nec tenetur artem mechanicam, aut actiones suo statui indecentes exercere, tenetur tamen mensae abundantiam, vestium superfluitatem, quadrigarum, equorum, et famulorum multitudinem ad honestam mediocritatem reducere. Item tenetur a ludis, et conviviis, a superfluis dispendiosis itineribus, aliisque superfluis expensis abstinere, et statum suum quoad pompam, et splendoris apparatum moderare; Unde debitores haec non facientes nequeunt a Confessariis absolvi, cum sic nimis injuste alienum detineant, non curantes modo praefato paulatim restituere; Nimis enim irrationabile, intolerabile, injustumque est, quod Debitis obstricti ex mercatorum, et operariorum sudore, et sanguine luxurientur, pompose vestiantur, delicate nutriantur, et hujusmodi. Sic communiter Doctores, serio quoad haec monentes et Debitores, et Confessarios, ut sibi caveant.

Nota Romani Theologi.

In praxi tamen expendendae sunt serio circumstantiae, quia debitor praesertim, luxuriose vivendo, non debet ex aliena re commodum recipere cum illius detrimento.

Responsio Auctoris.

Satis a me sunt, et serio expensae circumstantiae, ut patet *ibi.* et sub *num. sequ.* ubi post multa adducta contra tales debitores advertenda, ita concludo: «Sic communiter Doctores, serio quoad hoc monentes, et debitores et confessarios, ut sibi caveant».

Debitor qui notabilem statum sibi comparavit injuste, ver. gr. Mercator, aut alius, qui statum splendidum, vel nobilem sibi acquisivit ex usuris, furtis, rapinis, et hujusmodi, non potest restitutionem differre, ne notabiliter cadat a tali statu, sed tenetur restituere etiam cum totali jactura talis status injuste de alieno acquisiti, cum hoc non sit de suo statu cadere, sed ab eo, qui non erat suus, ad suum descendere, nec minor sit iniquitas ex alienis statum conservare, quam ex alienis illum sibi comparare: hinc nihil habens, nisi injuste acquisita, tenetur totum restituere, quantum citra extremam necessitatem carere potest, etiam usque ad mendicitatem, nisi periculum infamiae excuset: *Communis* per text *in cap. Cum tu* 5. *de usuris:* ubi Pontifex expresse mandat, quod Usurarii etiam sub poena Excommunicationis compellantur ad restitutionem, et ob id debeant vendi etiam eorum domus, ac possessiones ex usuris acquisitae. 13

Sicuti Debitor, qui injuste sibi comparavit talem statum, ita etiam ejus heres malae fidei v. gr. filius Usurarii, vel mercatoris injusti, qui mala fide coepit possidere bona injuste acquisita a suo Patre, tenetur restituere etiam cum mutatione talis status relicti, et inique acquisiti a suo Patre, cum talis possessio malae fidei nihil ipsi suffragetur, et mala fides possessoris defuncti noceat etiam immediato heredi vivo, *arg. leg. ult. Cod. Communia, de usucapionibus, l. Cum heres, ff. de diversis, et temporalibus praescriptionibus, et §. Diutina, Institut. De usucapionibus.* Si autem talis heres bona fide possidere coepit, et exinde cogno- 14

scat talem statum fuisse a suo Patre injuste acquisitum ex bonis alienis; tunc non tenetur notabiliter cadere a tali statu bona fide accepto ob restitutionem statim faciendam, sed poterit differre sicuti supra *n.* 11. *et* 12. dictum est de Debitore, qui statum suum honeste, et juste acquisivit: Sic cum aliis Tamb. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 9. *n.* 5. Sporer *loc. cit. n.* 68. et alii passim.

16 Debitor potest etiam differre restitutionem, si ob ipsam statim faciendam deberet pati in propriis bonis temporalibus aliquod notabile, et majus damnum, quam patiatur Creditor ex dilatione restitutionis, v. gr. Si Debitor non possit statim restituere debitum, nisi vendat Domum, Villam, et hujusmodi multo minoris, quam valeant, et aliunde affulgeat spes faciendi postea ipsam restitutionem commodius, et sine tanto detrimento. Tunc enim Creditor non potest esse rationabiliter invitus pro tali sibi dilata restitutione ob dictum justum finem. *Communis.*

17 Si Debitor, et Creditor reperiantur in aequali necessitate gravi, ut si ex dilata restitutione aequale damnum emergat Creditori, tunc Debitor tenetur restituere: *Communis*, teste La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 430. et ratio est, quia in pari causa potior est conditio Creditoris habentis strictum Jus ad exigendum sibi Debitum, quam Debitoris non habentis strictum Jus, sed solum licentiam Caritatis ad debiti restitutionem differendam; Quod verius est, ubi Debitum contractum est ex delicto, cum ratio dictet potius favendum esse innocenti, quam nocenti; Iniquum enim est, quod Debitor ex sua malitia commodum reportet contra innocentem pari necessitate gravatum; *arg. cap. Intelleximus* 7. *de Judiciis*, ibi: « Ne videatur de sua malitia commodum reportare », *l. Non fraudantur* 134. *ff. de Regul. Jur.* §. 1. ibi: « Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest ».

18 Quando Debitor, et Creditor reperiuntur in aequali necessitate extrema, si Debitor prius in dictam extremam necessitatem inciderit, non tenetur restituere Creditori postea similem extremam necessitatem incurrenti, quia Debitor in puncto extremae necessitatis prius acquisivit dominium rei necessariae Jure poli; Tum quia si Debitor prius reperiretur in extrema necessitate, Creditor, quamvis non esset talis, teneretur eidem subvenire, ergo a fortiori ipso Debitore existente prius in extrema necessitate, non potest Creditor ab eodem Creditum exigere, *Communis.*

19 Econtra si Creditor prius inciderit in extremam necessitatem, tenetur Debitor statim restituere ipsi Creditori rem suam duplici Jure, nempe et Jure dominii ad illam rem, et Jure poli ob dictam extremam necessitatem; Tum quia si Debitor, quamvis nihil deberet Creditori, teneretur eidem in extrema necessitate subvenire, quando ipse non esset in illa constitutus, ergo a fortiori tenetur eidem restituere rem suam, si prius ipse Creditor inciderit in extremam necessitatem. *Communis.*

Item si Creditor conjectus sit in illam extremam necessitatem per subtractionem illius rei, cujus est Creditor, tenetur Debitor illam statim restituere, quamvis etiam ipse in tali necessitate extrema reperiatur, quia non licet in extrema necessitate rem alienam usurpare, quando dominus est in pari extrema necessitate, cum in pari causa necessitatis melior sit conditio possidentis per text. *in cap. Ad aures* 6. *de praescriptionibus*, *cap. Quod autem* 3. *de Jurepatronatus*, *cap. In pari* 65. *de Regul. Juris in* 6. *l. Nemo* 126. §. 2. *et l. in pari causa* 128. *ff. de Regul. Juris*, adeoque etc. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 15. *quaest.* 2. *art.* 5. Lessius *lib.* 2. *de Justit. et Jure cap.* 16. *dub.* 1. *n.* 13. Silvester verb. *Restitutio* 5. et alii communiter, teste Lugo *disp.* 21. *n.* 4. 20

Quando Debitor, et Creditor simul, et eodem tempore incidunt in parem necessitatem extremam, tunc Debitor tenetur restituere, saltem si Debitor habeat in specie rem Creditoris, neque talis res restituenda maneat adhuc sub dominio ipsius Creditoris: Ita Scotus *in* 4. *dist.* 15. *quaest.* 2. *art.* 4. Richardus, Paludanus, aliique gravissimi Doctores, praesertim antiqui, Vasquez *cap.* 1. *de eleemosyna dub.* 9. Lugo *disp.* 21. *n.* 4. Reiffenstuel *Theol. Moral. tract.* 9. *dist.* 5. *quaest.* 1. *n.* 11. *et dist.* 6. *num.* 105. Henno *tom.* 2. *tract.* 1. *disp.* 5. *quaest.* 1. *conclus.* 3. et alii plures contra plures alios praesertim recentiores fere communius tenentes vere probabiliter contrarium: Et ratio nostrae conclusionis est, quia in tali casu Creditor, seu dominus illius rei nunquam cecidit ab ejus dominio; ante necessitatem enim habuit rei dominium, et in puncto necessitatis acquirit novum Jus poli ad illam rem. Unde duplici Jure res illa ei debetur, primo propter rei dominium a quo numquam cecidit, et secundo propter aequalem necessitatem extremam; adeoque Debitor in eo casu rem injuste detinet, et restituere tenetur; Tum quia, quando, quis est dominus, et alter extraneus respectu rei hic et nunc extreme sibi necessariae, dominus praeferendus est extraneo; In nostro autem casu Creditor est vere dominus dictae rei, cum nunquam ab illius dominio ceciderit, et Debitor est extraneus, cum illius rei dominium numquam habuerit, adeoque etc. Tum etiam quia si teneret sententia adversariorum, reus reportaret commodum ex suo delicto, cum, patrato furto, esset Domino praeferendus, et illo seclusÒ, postponendus: hoc autem nequit dici, quia iniquum nimis est, quod Debitor nocens ex sua malitia commodum reportet contra Creditorem innocentem pari extrema necessitate gravatum; *arg. cap. Intelleximus* 7. *de Judiciis*, ibi: « Ne videatur de sua malitia commodum reportare »; *l. Non fraudantur* 134. *ff. de Regul. Juris*, §. 1. ibi: « Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest ». 21

22 Nec valet objicere, quod in extrema necessitate omnia sunt communia, et ideo Debitor in illa constitutus possit tuta conscientia rem illam alienam sibi extreme necessariam retinere, et consumere, cum ratione talis extremae necessitatis sit jam facta communis, et non sit plus alterius, quam sui. Non valet, inquam, quia licet in extrema necessitate sint omnia communia, quando cum alterius necessitate non concurrit par extrema necessitas Domini; Secus tamen, quando concurrit; In tali casu Dominus, seu Creditor duplex habet Jus ad illam rem, nempe et Jus extremae necessitatis aequalis ad illam Debitoris, et Jus Domini illius rei, quod non habet Debitor, adeoque etc.

23 Nec valet instare, quod melior est conditio possidentis, adeoque cum Debitor possideat, praeferri debet Creditori non possidenti. Non valet, inquam quia licet sit melior conditio possidentis, ubi Dominus est dubius, et possessor est malae fidei; Secus tamen, ubi possessor est malae fidei, et Dominus est certus, ut in nostro casu, cum Jus Domini praevaleat Juri possessionis etiam justae, et a fortiori injustae.

24 Nec etiam valet urgere, quod quisque tenetur magis servare vitam propriam, quam alienam, adeoque Debitor habens in extrema necessitate rem alienam, media qua una sola vita, vel sua, vel Domini rei potest servari, non tenetur rem illam restituere Domino ad servandam ejus vitam, si inde necessario perdat suam. Non valet, inquam, quia licet quisque teneatur magis servare vitam propriam, quam alienam mediis licitis; Secus tamen mediis illicitis, uti est privare Dominum re sua ipso totaliter invito; Sicut enim v. g. reus juste condemnatus ad mortem non potest ad servandam propriam vitam carnificem occidere, quia carnificis mors est injusta, et rei justa, ita nec injustus Debitor habens rem alienam, media qua una sola vita, vel sua, vel domini rei potest servari, non potest rem illam adhibere ad servandam propriam vitam, si exinde necessario perdatur vita domini ipsius rei, quia conservatio vitae domini rei, media ipsa sua re est justa, et conservatio vitae talis Debitoris, media dicta re non sua, est injusta: Concurrente enim pari extrema necessitate domini, seu Creditoris, non licet alteri rem ipsius usurpare, aut retinere, quamvis reperiatur in extrema necessitate, quia in concursu paris extremae necessitatis res domini non fit communis alteri; quamvis extra talem concursum in extrema necessitate omnia sint communia, ut dictum est *supra n.* 22.

25 Notanter autem *supra n.* 21. fuit dictum: « Saltem si Debitor habeat adhuc in specie rem Creditoris, sicque talis res restituenda maneat adhuc sub dominio ipsius Creditoris »; quia si res illa fuisset jam a Debitore consumpta, sicque non amplius maneret sub dominio ipsius Creditoris, videtur, quod praeferendus esset in tali casu Debitor, quia tunc non possideret alienum, sed proprium, cum solo onere restitutionis, ubi opportunitas aderit. Et forte pro illo casu intelligendi sunt plurimi Auctores contrariae sententiae, ut notat Henno *loc. c. in fine*, et alii.

Causae omnino excusantes a restitutione, ut etiam omitti possit, generatim sunt quatuor, scilicet Interitus rei in specie debitae sine ulla culpa Debitoris bonae fidei: Remissio Creditoris expressa, vel tacita; Compensatio facta, et Auctoritas superior. *Est in re Communis.* 26

Prima igitur causa omnino excusans a restitutione est Interitus rei in specie debitae sine ulla culpa Debitoris bonae fidei; Quomodocumque enim pereat res in specie, seu potius philosophice loquendo, in individuo, debita sine ulla culpa Debitoris bonae fidei, Debitor bonae fidei liberatur ab omni onere restitutionis, si ex ipsa nihilo factus sit ditior: *Communis*, per tex. *in cap. Cognoscentes* 22. *de Constitutionibus*, ibi: « Rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit ». Cum enim sine ulla culpa Debitoris bonae fidei contra Justitiam, res illa perierit, non est caput, unde oriatur aliqua obligatio restitutionis. 27

Dicitur autem notanter: *Si ex ipsa in nihilo factus sit ditior*, quia si possessor, seu Debitor bonae fidei advertat ex ipsa re aliena se in aliquo factum esse ditiorem, debet id restituere domino; *Communis*, per text. *in leg. Item veniunt* 20. §. 6. *ff. de hereditatis petitione*, ubi expresse dicitur: « Eos autem, qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent, condemnandos », scilicet ad restitutionem. Ubi Glossa ait: « Hanc esse optimam regulam, qua nulla verior in Jure, ut bonae fidei possessor ad id tantum, quod ad se provenerit, teneatur ». Et ratio est, quia, sicuti possessor, seu Debitor bonae fidei deberet reddere, seu restituere ipsam rem, seu partem ejus, si extaret, ita loco ipsius absumptae restituere tenetur id, in quo ex ipsa factus est ditior, quia aequum non est aliquem divitem fieri ex alieno, textu expresso *in cap. Locupletari* 49. *de Regul. Juris in* 6. ibi: « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura ». 28

Secunda causa omnino excusans a restitutione est Remissio Creditoris expressa, vel tacita; Dummodo tamen talis remissio habeat requisitas conditiones: *Communis.* Et ratio est, quia restitutio fieri debetur, ne Dominus injuriam patiatur; libere autem remittens, seu condonans non patiatur injuriam, *c. Scienti, et consentienti* 27. *de Regul. Juris in* 6. *et l. Nemo* 145. *ff. de Regul. Juris*, et unusquisque potest libere Juri suo renunciare, textu expresso *in cap. si de Terra* 6. *de privileg. l. si quis in conscribendo* 29. *Cod. de pactis*, adeoque etc. 29

Tacita remissio fieri censetur a Creditore, si instrumentum Debiti laceret, aut ante solutionem voluntarie, et libere ultro ipsum reddat Debitori; Tunc enim censetur id facere animo totaliter condonandi, nisi ex indiciis, et circumstantiis aliud 30

31 constet: *Communis.* Item tacita remissio praesumitur in Creditore sufficiens ad liberandum Debitorem ab onere restitutionis, si ipse Debitor putet, quod si per se, vel per alios manifestaret Debitum suum Creditori, seu ipsum rogaret, talis Creditor liberaliter condonaret, vel nollet obligare (*) ad restitutionem. Burghaber *centur.* 3. *cas.* 85. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 462. cum Reginald Sa, Lessio, et aliis ibi citatis, Dicastill. *d.* 1. *n.* 113. Lugo *disp.* 21. *sect.* 4. *n.* 53. *et* 54. cum S. Antonino, Rosella, Silvestro, Angles, Tabiena, Arragonio, Sayro, et aliis ibi citatis, qui addunt, non teneri restituere, qui accipit rem non petitam, quam si petiisset, dominus dedisset. Et ratio est, quia tunc adest voluntas praesumpta domini sufficiens, ut retentio non fiat illo quoad substantiam invito; Si tamen Debitor dubitet, an Creditor, seu dominus, si sciret, esset remissurus? tenetur petere, ut remittat, vel restituere, quia dominus est in possessione.

32 Fuit dictum supra *n.* 28. « Dummodo tamen talis remissio habeat requisitas conditiones »; quia ut remissio omnino excuset a restitutione, requi-
33 runtur tres conditiones: *Communis.* Et quidem prima conditio requisita est, ut remissio debiti fiat libere, et sine vi, vel fraude, seu dolo; Remissio enim est species Donationis, quae essentialiter debet esse liberalis, et gratuita, et liberae, et nullo modo coactae voluntatis. Unde invalida est Debiti remissio quacumque vi, aut fraude, seu dolo extorta; Ut si Debitor praepotens extorqueat a Creditore partialem Debiti remissionem ei dicendo, seu minando, quod si non remittat partem, perdet totum; Si Debitor dolose simulet se impotentem restituere, aut fingat se pauperiorem, quam sit, seu alia fraudulenta, vel violenta via partialem Debiti remissionem obtineat, alias non obtenturus, ex quo Creditor, secluso illo metu perdendi totum, non fuisset partem illam remissurus, tunc talis Debitor non liberatur ab onere restitutionis; quia dicta remissio non est Creditori voluntaria, et Juridice libera Tum quia partem sine onere debitam cogitur acceptare cum onere; scilicet non exigendi totum, quod utique Creditor voluisset exigere, si simili vi, fraude, vel dolo ad ipsam involuntariam partialem debiti remissionem non fuisset inductus. Hinc securi non sunt in conscientia Mercatores illi, seu alii Debitores, qui praetextu impotentiae solvendi totum, concordias exigunt a Creditoribus, qui metu amittendi totum debitum, partem remittunt, et solam partem recipiunt, cum revera Debitores totum, seu plura posset solvere, et id totum, quod superest, sibi retineant ex alienis; adeoque in conscientia remanent semper obligati ad restitutionem, cum remissio illa fraude, vel dolo extorta nulla sit: Lugo *cit. disp.* 21. *sect.* 4. *n.* 46. Sporer *loc. cit. c.* 4. *sect.* 4. *n.* 84. Dicastill. *d.* 10. *n.* 102. La Croix *loc. cit. n.* 457. et alii passim.

Conditio secunda requisita, est, ut remissio non 34
fiat in Casibus a Jure exceptis: Varii enim casus excipiuntur in Jure, in quibus non potest fieri debiti remissio, et si fiat, est nulla. Ac primo, nulla est remissio facta Judici Ecclesiastico, qui ultra id, quod sibi Jure permissum est, aliud recipit, *cap. Statum* 11. §. 7. *de Rescriptis in* 6. Secundo, nulla est remissio facta Episcopis ratione illius, quod ultra sumptus ad sustentationem necessarios receperunt in Visitatione Ecclesiarum, *cap. Exigit* 2. *de Censibus in* 6. Tertio, nulla est remissio pecuniae ratione Officii extortae ab Inquisitoribus haereticae pravitatis: *Clementin. Nolentes* 2. *de haereticis.* Quarto, nulla est remissio distributionum facta Canonicis absentibus a residentia: Conc. Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 12. Supradictae enim factae remissiones, et aliae consimiles nihil suffragantur, unde, ipsis non obstantibus, tenentur supradicti adhuc ad integram respective restitutionem.

Conditio tertia requisita est, ut remissio, seu 35
condonatio fiat a potente condonare, defectu cujus nulla est condonatio debiti facta a Filiofamilias, Impubere, Pupillo, Religioso, et hujusmodi. Item nulla est remissio, seu condonatio facta Debitoribus de creditis domini, ab Uxore de Creditis Mariti, a Fratre de Creditis Sororis, ab Exactore vectigalium, de creditis Principis, et hujusmodi; Omnis enim talis, et similis remissio, seu condonatio debiti non liberat Debitorem ab onere adhuc integre restituendi, nisi sit facta ex consensu remittere potentis.

Tertia causa omnino excusans a restitutione est 36
compensatio facta; Dummodo tamen interveniant conditiones requisitae, ad legitimam compensationem: *Communis.* Compensatio enim solutionis instar censetur in Jure, *l. si Debitor* 4. *ff. Qui potiores in pignore, vel hypotheca habeantur*, ibi: « Dicendum est, perinde haberi debere, ac si prio-

(*) In Edit. Rom. haec adnotatio legitur: « Quisque posset a restitutione excusari; nam facile est sibi persuadere conniventiam Creditoris »: Hinc multis sententia illorum, qui ad remissionem, seu condonationem debiti satis esse virtualem domini voluntatem existimant, minime probatur. Ex his est Petrus Colet, qui in Institutionibus Theologicis tract de justitia et jure cap. III. art. V. tom. III. pag 123. « Sufficitne, *inquit*, ad condonationem virtualis » domini voluntas? Affirmant plures modo ex conjecturis » vere probabilibus de eadem voluntate constet: unde a » restituendo eximunt tum filios familias, qui aliquid non » ita magni momenti furantur parentibus, quibus sunt charissimi; tum ut plurimum famulos, et dominorum amicos » qui poculenta, et esculenta arripiunt, sibi concedenda, si » postulare auderent. Haec doctrina videtur mihi plena periculi, et in praxi admodum dubia; certe non idem est, » *condonassem*, et *condono*: itaque vel patenda est condonatio, vel restituendum, nisi res tam levis sit momenti, ut ex quodam usu condonata censeatur. Profecto » praesumpta dominorum voluntas innumera quotidie furta » pario: sic Capitanei, qui milites vix 60. habent, ex praesumpta Regis voluntate pro militibus centum stipendium » accipiunt ».

ri Creditori pecunia soluta esset; Nec enim interesse solverit, an pensaverit », idest, an compensaverit? *l. Ideo compensatio* 3. *ff. De compensationibus*, ibi: « Interest nostra potius non solvere,
37 quam solutum repetere ». Quaenam autem sint conditiones requisitae ad legitimam, et justam compensationem? Vide verb. *Compensatio*.
38 Quarta causa omnino excusans a restitutione generaliter est Auctoritas Superior, seu dispositio Superioris potestatis, per quam Debitor ab obligatione restituendi, seu solvendi omnino liberatur. *Communis*.
39 Et quidem primo Debitor liberatur omnino ab onere restituendi, seu solvendi per Legem praescriptionis, quia publica auctoritate dominium rei alienae ab antiquo domino ad possessorem bonae fidei, et legitimi temporis ita plene transfertur, ut deinceps Debitor, etiam cognito domino, ab obligatione restituendi remaneat penitus liber etiam in foro conscientiae: *Communis* per Jura tum Civilia, tum Canonica adducta sub verb. *Praescriptio a n.* 7. *ad* 9. Vide *ibi per tot.* ubi abunde de omnibus ad legitimam Praescriptionem pertinentibus.

Nota Romani Theologi.

In utroque hoc casu consultius existimo, benignam hanc opinionem abjicere.

Responsio Auctoris.

At non solum non est abjicienda haec opinio, ut benigna, sed omnino est tenenda, ut recta, vera, et justissima. Legitima enim praescriptio est valida, et licita nedum in foro externo, sed etiam in foro interno, seu conscientiae, ut tradunt communiter Juristae, Canonistae, et Moralistae per jura tum Civilia, tum Canonica a me adducta sub verb. *Praescriptio a n.* 6. *ad* 9. Vide *ibi per tot.* ubi abundo de omnibus ad legitimam praescriptionem pertinentibus, et ubi leges civiles leguntur ad id canonizatae per leges canonicas.
40 Secundo, Debitor liberatur omnino ab onere restituendi, seu solvendi per justam sententiam Judicis, et ad id afferuntur gravia exempla, ut si quis per Judicis sententiam cogatur resarcire alteri damnum sine culpa gravi Theologica ei causatum, ad quod resarciendum ante sententiam in conscientia non tenebatur, tunc qui id accipit, restituere non tenetur, quia Legis, et Sententiae Juridicae auctoritate id accipit; Et Legis, et Judicis auctoritate justis de causis ob bonum commune transferri potest Dominium unius in alterum. Item si Judex secundum allegata, et probata juste, sed reipsa injuste aliquem privet suo Beneficio, et conferat alteri, qui bona fide illud accipit, hic alter, quamvis postea cognoscat illum injuste privatum fuisse, non tenetur dimittere, vel aliquid restituere, quia illud accepit a potente legitime conferre, et propter bonum commune aufertur vere ab eo, qui prius habebat, et adjudicatur alteri. Item si Judex in poenam injuriae alteri illatae, et ex praesumptione vera imponat alicui mulctam pecuniariam ipsi alteri injuriato solvendam, potest ille injuriatus, cui debetur mulcta, non solvere aliud debitum ei, a quo mulctam illam habere debet, et a fortiori non tenetur mulctam sic acceptam restituere, quia per justam sententiam Judicis res sua facta est. Sic Lugo *disp.* 21. *num.* 553. Lessius *lib.* 2. *c.* 7. *dubit.* 8. Sporer *loc. cit. n.* 91. La Croix *loc. cit. n.* 471. et alii passim.

Huc spectat compositio Summi Pontificis, qua 41
Papa Debitori indulget, ut major quantitas Debiti incerti, idest, cujus dominus ignoratur, mutetur in minorem, statim ad pias causas restituendam, reliquum autem sibi retineat. Et talis compositio facta cum Pontifice super debitis incertis liberat Debitorem ab onere restitutionis: Lessius *lib.* 2. *de Justit. et Jur. cap.* 16. *num.* 83. Medina *de reb. restituen. quaest.* 3. *caus.* 631. *vers. Verum si alia motiva*, Lugo *disp.* 6. *n.* 150. *et disp.* 24. *a n.* 91. Rosignol. *de restitut. III. praenot.* 9. *n.* 1. La Croix *loc. cit. n.* 410. Sporer *loc. cit. n.* 93. Molina *disp.* 748. Et ratio est, quia Debita incerta ex communiori, et tutiori Theologorum consensu sunt in pauperes, seu ad alium pium usum applicanda; *cap. Cum tu* 5. *de usuris*, et patet ex dictis sub verb. *Dominium a n.* 18. *ad* 20. adeoque cum talia debita incerta debeantur pauperibus solum de Jure positivo, ut pluribus probat Lessius *lib.* 2. *de Justit. et Jure cap.* 13. *Dubit.* 6. *n.* 36. *et seq.* et alii communius, et Pontifex sit supra quodcumque jus positivum, *cap. proposuit* 4. *de concession. Praebend.* ibi: « Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare », poterit Pontifex facta compositione dispensare, ne illa pauperibus distribuantur, sed possint a Debitoribus retineri absque onere restitutionis; Tum quia Papa habet Jus indirecte in res temporales, quando id necesse est ad bonum spirituale, ut fuse demonstrant Diana *tom.* 1. *post part.* 20. *resolut.* 5. *et seq.* Moya *tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 3. *quaest.* 3. et alii passim, et patet de bonis, quae relicta sunt Religionibus secundum se incapacibus Dominii, quae quoad Dominium transeunt ad Romanum Pontificem tamquam caput universalis Ecclesiae, ut expresse de bonis relictis Fratribus Minoribus definitum est *in cap. Exiit* 3. §. *Ad haec, de verbor. signific. in* 6. adeoque etc.

Quamvis Papa non concedat de facto talem com- 42
positionem super bonis certis, ubi scilicet certus est eorum dominus, loquendo tamen de possibili, talis legitima causa intervenire posset, ut eam compositionem concederet, et consequenter Debitorem liberaret ab onere restitutionis: Lessius *lib.* 2. *de Justit. et Jure cap.* 16. *dub.* 11. *num.* 83. Medina *de reb. restit. quaest.* 3. *caus.* 11. Silvester *verb. Restitutio* 7. *quaest.* 2 *dist.* 5 Lugo *cit. disp.* 21. *n.* 96. Rosignol. *loc. cit. n.* 3. Dicastill. *d.* 10. *n.* 175. et plurimi alii; Et ratio est,

quia sicut Leges Civiles propter bonum publicum media praescriptione legitima auferunt dominium a vero Domino, et concedunt illud possessori bonae fidei post legitimum possessionis tempus, ut patet ex dictis sub verb. *Possessor bonae fidei*, et verb. *Praescriptio*, ita posset Lex Ecclesiastica propter bonum spirituale commune idem facere contra certum Dominum, vel Creditorem, et hoc praesertim contra Creditores haereticos, quorum Debitoribus potest Papa dictam compensationem concedere, quia cum haereticorum bona per Leges applicari debeant Fisco, *c. Vergentis* 10. *de haereticis*, *c. Cum secundum* 19. *de haereticis in* 6. *et Authentic. Gazaros, Cod. de haereticis*, licet nunc ob impotentiam non applicentur, poterit Pontifex optimo Jure eorum Debitoribus condonare debita, imposita eis aliqua compositione ob causam piam. Ita etiam si aliqui Creditores graviter, et enormiter deliquerint, poterit Pontifex in poenam delicti eosdem privare Juribus suis, et postea cum Debitoribus super illis bonis certis componere.

43 Dictam compositionem concedere non possunt Episcopi, neque pro Debitis incertis: Sic Lugo *cit. disp.* 21. *n.* 107. Molina *disp.* 748. *n.* 7. Turrian. *disp.* 41. *dub.* 2. *n.* 12. Illsung *tom.* 4. *d.* 3. *n.* 297. La Croix *loc. cit. n.* 413. Rodriquez, Silvester, Corduba, et alii plures, sic docente etiam communi praxi; Episcopi enim nec habent Jus altum in res temporales, nec potestatem indirectam disponendi de rebus temporalibus subditorum, quae soli Romano Pontifici competit; *arg. Clementin. Contingit* 2. *de Religiosis Domibus*, ibi: « Cum ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva Sedis Apostolicae auctoritate) converti ». Henriquez tamen, Villalob. Trullench. et Diana apud Lugo *loc. cit. n.* 106. tenent contrarium.

44 Debitor solvens Creditori sui Creditoris ex rationabili causa, si debita sint ejusdem rationis, nec sit alius Creditor praeferendus, liberatur in conscientia ab alia restitutione facienda: Molina *tom.* 3. *d.* 741. Henno *tom.* 2. *tract.* 1. *disp.* 3. *qu.* 4. *conclus.* 2. Angelus verb. *Solutio n.* 13. Silvester verb. *Solutio n.* 4. Sporer *loc. cit. n* 79. et alii communiter. Et ratio est, quia tali modo adhuc servatur aequalitas, ut nimirum quilibet habeat quantum habere debet; Nec Debitoris Creditor debet, vel potest esse rationabiliter invitus, quod ex rationabili causa ipsum praeveniendo solvat ejus creditori, quia ratione talis rationabilis causae censetur Creditor ratam habere dictam solutionem, adeoque Debitorem liberari ab alia restitutione facienda, ac si eidem Creditori solvisset, per text. *in l. Invito* 12. *Cod. de solutionibus*, ibi: « Quod si hoc, vel mandante, vel ratum habente eo, fecerit, non minus liberationem consequitur, quam si eidem Creditori solvisset ».

45 Immo Debitor solvens Creditori sui Creditoris ex rationabili causa, non solum liberatur ab alia restitutione facienda in conscientia, seu foro interno, sed etiam in foro externo, quando Debita sunt aeque privilegiata, procedunt ex eadem causa, suntque ejusdem rationis; ut si condus i domum a Joanne, qui eam conduxerat a Francisco, satisfacio in utroque Foro dando solutionem Francisco, *l. Utrum praesente* 27. *ff. de pecunia constituta*; et concordat *l. Si liber homo* 36. *ff. de negotiis gestis*. Sic tenent Rosignol. *de restitut.* 3. *praenot.* 4. *n.* 2. Lessius *lib.* 2. *de Justit. et Jur. cap.* 16. *dubit.* 5. *n.* 60. Angelus verb. *Restitutio n.* 13. Medina *Cod. de reb. restit. quaest.* 3 *caus.* 5. Silvester verb. *Solutio n.* 4. Lugo *disp.* 21. *n.* 146. Molina, Henno, et Sporer *locis citatis*, et alii passim. Quinimmo Rosignolus, Silvester, Angelus, 46
Medina, Lessius, *locis citatis*, et alii docent, talem Debitorem liberari ab alia restitutione in foro interno, et externo, etiamsi debita procedant ex diversa causa, quia dicunt, sicut debita proveniunt ex diversa causa, dummodo sint aequalia in quantitate, merito adinvicem compensantur; Bartolus tamen *in l. Solutum*, *ff. de pignoratitia actione* contrarium sentit pro foro externo, quando debita sunt ex diversa causa.

Debitor autem solvens Creditori Creditoris absque ulla rationabili causa, et invito rationabiliter suo immediato Creditore, non liberatur in foro externo ab alia restitutione facienda, textu expresso in *l. Invito* 12. *Cod. de solutionibus*, ibi: « Invito, vel ignorante Creditore, qui solvit alii, se non liberat obligatione ». Et id juremerito statutum est pro foro externo contentioso ad evitandas lites, quae inde nascerentur. Pro foro tamen interno conscientiae, quamvis talis restitutio facta Creditori Creditoris absque rationabili causa, et invito rationabiliter immediato Creditore sit illicita, ut de se patet, nihilominus est valida, dummodo inde nullum damnum, aut praejudicium patiatur Creditor immediatus. In tali enim casu Debitor nullum damnum infert Creditori immediato, cum per hoc liberetur a restitutione, quam debuisset ipsemet facere tali suo Creditori. Unde cum Debitor restituendo Creditori Creditoris aequivalenter censeatur restituere ipsi immediato Creditori, liberatur in foro conscientiae ab alia restitutione facienda. Henno *loc. cit.* et alii passim. 47 48

Per cessionem bonorum suorum, et Jurium liberatur quidem Debitor in foro externo a poena carceris; At non liberatur in foro interno conscientiae ab onere restitutionis, nisi sit vere impotens: *Communis*, per text. in l. *Qui bonis cesserint* 1. *Cod. Qui bonis cedere possint*, ibi: « Qui bonis cesserint, nisi solidum Creditor receperit, non sunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodest, ne judicati detrahantur in carcerem ». 49

Hinc si bonis cedens deveniat postea ad pinguiorem fortunam, tenebitur ad integram restitutionem, tam in foro interno, quam in foro externo. Colligitur expresse ex *c. Odoardus* 3. *de solutionibus*, *l. Cum et filii familias* 7. *Cod. Qui bonis* 50

cedere possunt, *l. Is*, *qui* 4. *ff. de cessione bonorum; et* §. *Cum eo* 40. *Institut. de actionibus*, ibi: « Cum eo quoque, qui Creditoribus suis bonis cessit, si postea aliquid acquisierit, quod idoneum emolumentum habeat, ex integro in id, quod facere potest, Creditores experiuntur, inhumanum enim erat spoliatum fortunis suis in solidum damnari ». Et ratio est, quia tota ratio privilegii cessionis bonorum ducta est ab impotentia Debitoris, per illam enim cessionem non intelligitur Debitum extinctum, sed sopitum, adeoque cum deveniendo ad pinguiorem fortunam cesset impotentia Debitoris, tenebitur ipse Debitor tunc ad integram restitutionem, cum, cessante causa, cesset effectus: *cap. Cum cessante* 6. *de appellat.* et cessante ratione, et causa Legis, cesset ipsa Lex, *l. Adigere* 6. §. 2. *ff. de Jur. patron.* Unde in *cit. cap. Odoardus* 3 *de solutionibus* obligatur sic bonis cedens ad praestandam cautionem de integre solvendo, si devenerit ad pinguiorem fortunam.

51 Immo sic bonis cedens tenetur in conscientia, et in foro externo compelli potest quantum conditio, seu status personae permittit ad faciendum totum id, quod facere potest, et ad laborandum, et acquirendum, unde solvat integre. Sic teste Sporer *l. c. n.* 96. habet Communis, et solida sententia cum Sanchez, Molin. aliisque citatis, Layman *cit. c.* 12. *n.* 5. Lugo *tom.* 2. *de Justitia disp.* 22. *sect* 3. Tambur. *lib.* 8. *tract.* 4. *c.* 1. §. 9. *n.* 10. et idem tenet Henno *loc. cit. tract.* 1. *disp.* 5. *q.* 3. *conclus.* 1. et alii per text. in *cit. l. Is*, *qui* 4. *ff. de cessione bonorum*, ibi: « Is, qui bonis cessit, si quid postea acquisierit, in quantum facere potest, convenitur », et *cit.* §. *Cum eo* 40 *Institut. de actionibus* per verba adducta *numero antecedenti*, ibi. « Ex integro in id, quod facere potest, Creditores experiuntur ». Si enim Debitor laborando juxta conditionem, et statum suum acquirere possit, unde integre solvat, et ad id tenetur, cum obligatus ad finem obligetur etiam adhibere media saltem ordinaria ad illum finem necessaria; Nisi enim hoc dicatur, ansa daretur fraudulentis cessionibus bonorum in maximum damnum Creditorum, et praejudicium totius Reipublicae.

52 Cedens bonis si venerit in pinguiorem fortunam, tenetur, quantum potest, ad integram restitutionem, etiamsi bonis cesserit in loco publico cum quibusdam actibus ignominiosis a Lege statutis: Ignominia enim illa non extinguit obligationem naturalem solvendi debita, cum per ipsam nullum Creditoris damnum resarciatur, sed est poena propter culpam praesumptam contrahentis debita supra suas vires, et ad terrendos alios, ne prodigalitate, et negligentia ad similem statum deveniant: Sic Covarruvias 2. *variar. resolut* c. 1. *n.* 6. Lessius *de Justitia et Jure cap.* 16. *dub.* 3. *n.* 49. Molina *disp.* 572 § *Quamvis qui bonis*, Filliucius *tom.* 3. *tract.* 32. *cap.* 5. *n.* 153. Turrian. *disp.* 17. *dub.* 2. n. 2. Rosignol. *loc. cit. praenot.* 3. *n.* 7. Bonacina *disp.* 1. *de restit. qu. ultima punct.* 1. *n.* 38. Lugo *cit. disp.* 22. *sect.* 2. *n.* 40. et, ipso teste, alii communiter.

53 Qui omnibus bonis cessit, si post cessionem aliquid acquisierit, non potest in foro externo de eo conveniri, nisi prius extractis pro sua, suorumque sustentatione necessariis secundum decentiam sui status, et conditionis. Est enim hoc privilegium ei concessum a Jure, quod si post cessionem omnium bonorum aliqua alia bona acquisierit, non possit spoliari omnibus iis bonis, sed solum conveniri in quantum commode facere possit, et relicta ei congrua sui, et suorum sustentatione secundum suum statum, et conditionem: Sic *l. Is qui* 4. §. *Sabinus*, *et l. Qui bonis* 6. *ff. de cessione bonorum*; *l Ex contractu* 3. *Cod. de bonis auctoritate Judicis possidendis: et* §. *Cum eo* 4. *Institut. de actionibus.* Et hoc locum habet etiam in foro conscientiae, cum sit privilegium a Jure concessum, et contractus juxta Leges sint celebrati, adeoque justi etiam in foro conscientiae. *Communis.*

Nota Romani Theologi.

Privilegium est pro foro externo, pro interno autem quandocumque quis potest, restituere debet domino rem alienam.

Responsio Auctoris.

Sed si attendantur, et concurrant omnia tradita a me a *cit. n.* 53. *ad* 57. inclusive, facile percipietur, *ibi* adducta locum habere etiam in foro conscientiae, ratione impotentiae ortae infortuniis sine sua culpa incursis; Jura enim nedum Civilia, sed et Canonica benigne consulunt infortuniis debitorum, quos calamitates, naufragium, bellum, aliusve malus eventus sine sua culpa depressit; *cap. Cum percussio* 2. *caus.* 7. *q.* 1. *cap. ex parte* 5. *de Cleric. aegrot.* cum similibus. Qua tamen impotentia cessante, tenebitur ad restitutionem, cum revera pro foro interno, quandocumque quis potest, restituere debeat domino rem alienam.

Ex bonis autem acquisitis ante cessionem, de rigore Juris non relinquitur Debitori congrua sustentatio, sed ad evitandas fraudulentas cessiones cogitur Debitor in foro externo omnibus omnino bonis cedere, nihilo penitus sibi retento, ut patet ex citatis Legibus: Nec attendendus est Lessius, qui *cit. c.* 16. *dub.* 3. *n.* 49. dicit, etiam ex Jure colligi, quod debitor possit etiam ex bonis ante cessionem habitis congruam sustentationem reservare, cum in *l. Qui bonis* 7. *de cessione bonorum*, dicatur expresse: « Nec etiam fraudandus est alimentis quotidianis ». Non, inquam, attendendus est, quia dicta verba immerito ad hoc propositum adducta sunt, cum in dicta Lege, ut clarissime legenti patet, expresse sermo sit, de eo, qui alia bona acquisivit post jam factam cessionem, ut recte ex ipsis clarissimis textus verbis observat Lugo *cit disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 37. et alii passim. 54

Unde merito tenent Doctores communiter, quod Debitor ex contractu, qui bonis cessit, possit quidem de rigore Juris sibi retinere necessaria ad sui, suorumque sustentationem secundum suum statum, et conditionem ex bonis acquisitis post cessionem factam, non autem ex bonis habitis ante cessionem: sic clarissima citata Jura loquuntur.

55 Quamvis autem non possit Debitor ex bonis habitis ante cessionem sibi retinere congruam sustentationem in foro externo, et de rigore Juris, potest tamen id facere in foro conscientiae; Omnes enim Doctores concedunt, quod Debitor ex infortunio cedens bonis possit de bonis etiam antea habitis licite occultare, et retinere quantum satis est, ut parce vivat secundum suum statum juste acquisitum; Quisquis enim Jus habet ad propria alimenta, quibus carens est vere in gravi necessitate constitutus, adeoque in foro conscientiae potest retinere ex bonis etiam ante cessionem habitis necessaria ad tenuem suam sustentationem juxta suum statum juste acquisitum, cum ad ipsum statum juste acquisitum conservandum possit Debitor differre restitutionem, donec commode ipsam facere possit, absque eo quod notabiliter cadat ab ipso, ut ex communi fuit dictum supra *n.* 11. *et* 12.

Nota Romani Theologi.

Potest ne quis furari, ut provideat suae honestae in posterum sustentationi? Haec nonnisi in gravissima necessitate pro quotidiana sustentatione permittitur, tunc enim omnia sunt communia.

Responsio Auctoris.

Theologus noster hic, bona venia, canit extra chorum: Ego enim loquor non de bonis furatis, sed de juste, et licite acquisitis, et quidem de ipsis solummodo tantum occultare, et retinere quantum sat est, ut parce vivat secundum suum statum acquisitum. Et sic expresse declaro infra *n.* 57. dicens: « quae huc usque dicta sunt de debitore respectu beneficii cessionis bonorum, intelligenda solum sunt de debitore ex contractu, quem licet honeste viventem, aut licite negotiantem sine sua culpa, adversa fortuna depressit; non autem de debitore ex delicto etc. » Vide ibi.

56 Hinc Debitore defuncto, ejusque bonis non sufficientibus ad solvenda omnia Debita, ejus uxor, et filii possunt in foro conscientiae ob adductam rationem tantum occulte detrahere, et retinere, quantum eis sufficiat ad vitam suam, et statum honeste, et parce conservandum. Et si in Judicio requirantur, possunt cum aequivocatione congrua jurare se nihil occultasse, seu subtraxisse, intelligendo: *Nihil ipsis non debitum Jure naturali*, et sic ob eamdem rationem non incurrunt excommunicationem forte latam contra dicta bona occultantes, ut pluribus citatis docent Diana *p.* 5. *tract.* 14. *resolut.* 57. Tamburin. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 9. *n.* 9. Sporer *loc. cit. n.* 98 et alii.

Nota Romani Theologi.

Duo hic sunt improbanda; et detractio bonorum in fraudem creditorum, et aequivocatio, seu restrictio mentalis in judicio; utraque enim assertio est falsa.

Responsio Auctoris.

Sed quantum ad occultam detractionem bonorum pro tanto solummodo, quantum eis sufficiat ad vitam suam, et statum honeste, et parce conservandum, intelligendo de debitis ex licito contractu, et non ex delicto contractis, mea assertio non est falsa, sed vera per solida fundamenta, et jura tum civilia, tum canonica mox supra adducta. Quantum autem ad aequivocationem, seu restrictionem mentalem, pro tali casu non esse falsam meam assertionem, sed veram, et licitam, satis et abunde id tradidi ego in verb. *Accusatus a n.* 10. *ad* 43 et in verb. *Juramentum a n.* 13. *ad* 26. ubi *n.* 23. assero, quod id etiam clare constat ex celebri responsione ab omnibus ut licita admissa, prout data a S. Athanasio eludente Satellites Juliani eum ad necem quaerentes, et a S. P. N. Francisco, qui cum a Ministris justitiae esset requisitus: *An illac transiisset quidam homicida*? Positis intra manicas manibus respondit: Isthac non transivit, intelligens, non transiisse per suas manicas, et sic plenam, et veram responsionem ex verbis, et illa actione externa componens. Videatur ad rem Scotus *in* 4 *dist.* 15. *quaest.* 4. *art.* 3. Mastrius *Theolog. moral. disp.* 6. *quaest.* 2. *art.* 3. *et disp* 11. *qu.* 9. *art.* 2. cum pluribus aliis ibi citatis. * Ex duabus opinionibus, pro quibus in hac responsione Auctor certat, secunda nec vera est, nec licita, ut Lucius asserit, neque ab iis, quae affert, exemplis, ullum pro eo argumentum duci potest, ut illa expendenti patet, ac demonstratum est ab Orsi in Operibus adversus Catanei opinionem editis, quae in Addit. ad verb. *Juramentum.* art. 1. indicavimus. De prima autem consulantur, ubi res postulat, Theologi, qui accuratius quaestionem illam tractarunt. * V. Addit. Cas. sub v. *Juramentum.*

Quae hucusque dicta sunt de Debitore respectu beneficii cessionis bonorum, intelligenda solum sunt de debitore ex contractu, quem licet honeste viventem, aut licite negotiantem sine sua culpa adversa fortuna depressit: Non autem de Debitore ex delicto, qui ex aliorum bonis plura congessit, et prodegit, sciens non fore solvendo: Immo nec etiam de Debitore ex contractu, qui sua culpa v. g. ex crapula, prodigalitate, studiosa dissipatione, vita luxuriosa, et hujusmodi factus est impotens ad solvendum. Sic contra Lopez, Guttierez, Covarruviam, et paucos alios docet communior Doctorum cum Molina *tom.* 2. *disp.* 582. §. *His ita constitutis;* Lugo *cit. disp.* 21. *sect.* 3. *n.* 43. Layman *cit. c.* 12. *n.* 5. Sporer *loc. cit. n.* 68. La Croix *lib.* 3. *par.* 2. *n.* 439. Henno *loco cit tract.* 1. 57

disp. 5. *qu.* 4. *conclus.* 3. Medina *Cod. de reb. rest. quaest.* 3. *vers. Tertia causa*, Rosignol. *de rest. III. praenot.* 2. *num.* 2. et alii passim, per text. *in l. Si fraudatur* 25. *in fine*, *ff. Quae in fraudem Creditorum*, cum similibus: Jura enim benigne consulunt infortuniis Debitorum, quos calamitas, naufragium, aliusque malus eventus sine sua culpa depressit, non autem malitiae injustorum Debitorum, qui ex aliorum bonis plura congesserunt, et ex crapula, prodigalitate, studiosa dissipatione, vita luxuriosa, et hujusmodi, facti sunt impotentes ad solvendum, cum non sit credibile, quod Jura velint beneficium cessionis concedere illis, qui potius poenae severitatem merentur; Hinc caveant tales injusti debitores, seu falliti, et bancbae ruptores, qui ut se eximant ab onere Creditorum, se decoctos simulant cum marsupio, ut vulgo dicitur *Dietro le spalle:* Isti enim merito possunt in carcerem conjici, donec integre persolvant, et si non sic detrudantur in carcerem temporalem, detrudentur sine dubio in cercerem aeternalem.

58 Debitor illius, qui bonis cessit, tenetur suum Debitum manifestare, et solvere Officialibus Justitiae, ut inde restituatur Creditoribus secundum aequitatem, non enim tutus est in conscientia, nisi debitum solvat: Sylvius *in resolut. cas. par.* 2. *verb. Restitutio cas.* 3. et alii communiter.

59 Quamvis Debitor principalis bonis cesserit, adhuc ejus Fidejussor tenetur ad integram solutionem pro ipso; Cessio enim prodest solum Debitori, et non Fidejussori, qui ideo datur, ut solvat ipse, cum non est solvendo Debitor principalis. *Communis:* textu expresso *in §. Exceptiones* 4. *Instit. de replicationibus* cum similibus.

60 An ingressus, ac Professio Religionis liberet Debitorem ab obligatione restituendi, seu solvendi Debita antea contracta, sive ex contractu, sive ex delicto? Tres sunt Doctorum sententiae. Prima absolute affirmat, quia absolute tenet, quod debitis obstrictus, quibus nunc solvendo non est, facta, cessione bonorum, quae habet, possit statim licite Religionem ingredi, licet manendo in saeculo lucrari, et creditoribus satisfacere posset. Sic S. Thomas (*) 2. 2. *qu.* 189. *art.* 6. *ad* 3. S. Antoninus 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. §. 1. *et part.* 3. *tit.* 15. *cap.* 2. §. 3. Paludan. *in* 4. *dist.* 36. *qu.* 3. *art.* 2. *conclus.* 7. Cajetanus in 2. 2. *quaest.* 189. *art.* 6. Silvester verb. *Religio* 2. *q.* 4. Angelus *ibid. n.* 6. Rosella, Tabiena, Armilla, Viguerius, Aragonius, Pedrazza, et alii apud Sanchez *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 19. *n.* 7.

Secunda sententia, quam uti probabiliorem sequor, absolute negat, quia absolute tenet, quod debitis obstrictus non possit licite Religionem ingredi, si possit manens in saeculo, licet per longum tempus, Creditoribus satisfacere: Sic Joannes Gerson. 2. *parte tractatus: An liceat gravato debitis intrare Religionem? Alphabeto* 39. *littera X. et V.* ubi refert multos Doctores Parisienses ita sensisse, Gabriel *in* 4. *q.* 1. *art.* 5. *dub.* 2. *Corollar.* 2. Medina *Cod. de restitutione qu.* 2. *caus.* 8. Valentia 2. 2. *q.* 6. *punct.* 6 Castropal. *tract.* 16. *d.* 1. *punct.* 7. §. 4. Angles, et Carbon. apud Sanchez *l. c. n.* 7. aliisque congestis, Molina *tom.* 3. *disp.* 785. Sporer *loc. c. n.* 200. cum Layman, et aliis ibi citatis, Henno *loc. cit. tract.* 1. *disp.* 5. *quaest.* 5. *conclus.* 1. ubi dicit, hanc sententiam fuisse approbatam a Sixto V. et Gregorio XIV. ut videre est apud Emmanuelem Sa. 61

Tertia sententia media est, quia tenet, quod si debitis obstrictus speret brevi tempore manendo in saeculo v. g. uno, vel altero anno, posse debita in toto, vel in majori parte solvere, tunc non pos- 62

(*) S. Thomas loc. cit. « Ille qui est obligatus ad aliquid certum, non potest illud praetermittere facultate existente; et ideo si aliquis sit obligatus, ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non potest hoc licite praetermittere, ut religionem ingrediatur. Si tamen debeat aliquam pecuniam, et non habeat unde reddatur, tenetur facere quod potest, ut scilicet cedat bonis suis creditori. Propter pecuniam autem persona liberi hominis secundum jura civilia non obligatur, sed solum res, quia persona liberi hominis superat omnem aestimationem pecuniae: unde licite potest, exhibitis rebus suis, Religionem intrare; nec tenetur in saeculo remanere, ut procuret unde debitum solvat ». Jam vero, Postrema haec S. Thomae verba accurate expendit Cl. Sylvius supra *cit art.* et in quo sensu sint intelligenda, luculenter exponit. Asserit in primis, apud S. Thomam constare, quod qui habet debita, non possit eorum solutionem sibi possibilem praetermittere, ut Religionem ingrediatur. Dicit enim quod « ille qui est obligatus ad aliquid certum, non potest illud praetermittere, facultate existente »: tum addit: « ideo si aliquis sit obligatus ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non potest hoc licite praetermittere, ut Religionem ingrediatur ». Accedit, S. Thomam non diffiteri illud Apostoli *ad Rom.* 13 *Reddite omnibus debita*, esse juris naturae. Quod si quispiam, *subdit*, non possit omnibus suis debitis nunc satisfacere, possit autem postea, si in saeculo maneat, debet manere, et creditoribus, quantum potest, satisfacere: cum aequitas non ferat, ut Religionem amplectatur cum damno aliorum. Si vero tantis sit oneratus, ut illis exsolvendis, neque nunc sufficiat, neque verisimilis spes appareat, quod aliquando sufficiet, vel omnia solvere, vel eorum partem notabiliter majorem, quam nunc possit, quamvis in saeculo maneret; tunc (quod attinet ad jus naturae) licebit ei Religionem ingredi, bona fide cedendo suis omnibus bonis in utilitatem creditorum; quandoquidem sive maneat in saeculo, sive non maneat, plenior solutio sit ei impossibilis; nemo autem possit ad impossibile obligari, juxta *regulam* 6. *juris in* 6. Et secundum haec intelligendus est S. Thomas, ut verborum ejus hic sit sensus: Propter pecuniam persona liberi hominis secundum jura civilia non obligetur, ita nimirum, ut propter debitum pecuniarium possit aut vendi, aut in servitutem rapi, sed solum res. Unde licite potest, exhibitis rebus suis, Religionem intrare, nec tenetur in saeculo remanere, ut procuret, unde debitum reddat; quando videlicet neque habet bona, ex quibus possit integrum debitum solvere, neque verisimile est, quod haberet, quamvis in saeculo maneret, operamque daret illis conquirendis. Dixi *quod attinet ad jus naturae*, quia jure positivo inhibitum est, ne gravati aere alieno recipiantur in aliquam Religionem. Hucusque praecitatus Sylvius. Ita in Addit. ad Theolog. Moralem P. Cuniliati tract. IX. de VII. Decal. Praecepto cap. V. §. XVIII, n. 11. Tom. II. pag. 408. seq.

sit licite statim ingredi Religionem, sed debeat eousque differre ingressum; Secus autem, si deberet ad longum tempus expectare; tunc enim, facta cessione bonorum, posset statim ingredi: Sic Lessius *lib.* **2.** *cap.* **16.** *dubit.* **8.** Azorius *tom.* **1.** *lib.* **12.** *cap.* **1.** *qu.* **5**. Ludovicus Lopez *in instructione P.* **1.** *cap.* **29**. Navarrus *Comment.* **1.** *de Regularibus num.* **8**. Navarra *lib. de restitut. cap.* **4.** *difficult. ultima num.* **78.** *et* **79.** Lugo *disp.* **21.** *sect.* **6.** *num.* **76.** Diana *tom.* **2.** *tract.* **2.** *de dubiis Regul. resolut.* **41.** et, aliis citatis, Sanchez *in Decalog. lib.* **4.** *cap.* **29.** *num.* **8.** Dicastill. *d.* **10.** *a num.* **129.** et cum aliis La Croix *loco cit. n.* **441.**

63 Probatur igitur primo secunda sententia, quam, ut dixi, probabiliorem censeo, quia, non sunt facienda mala, ut eveniant bona; *argum. cap. Super eo* 4 *de usuris, et cap. Ex tuarum* 2. *de sortilegiis.* et concedunt omnes etiam adversarii; atqui praetermittere debita malum est, cum adversetur legi naturali, ergo Debitor, antequam Debita solvat, nequit licite ingredi Religionem, cum ingressus religiosis sit solum consilii, et obligatio solvendi debita sit praecepti Juris naturalis.

64 Probatur secundo. Servus perpetuus, seu mancipium non potest Religionem ingredi, Domino contradicente, eo quod debeat ipsi operam suam, et praelati recipientes subjacent excommunicationi, textu expresso *in cap. Qui vere* 12. *caus.* 16. *qu.* 1. ibi: « Neminem servorum suscipi in Monasterium, ut sit cum eis Monachus, nisi cum Domini proprii licentia. Praetereuntem vero haec decernimus extra communionem esse, ne nomen Domini blasphemetur »; ergo nec Debitor Religionem ingredi potest, contradicentibus Creditoribus, eo quod debeat ipsis pecuniam, aut aequivalens. Item gravati, seu obligati ratiociniis, priusquam se iis expedierint, nequeunt licite ingredi Religionem, nec a Superioribus ad ipsam recipi, textu expresso *in cap. Legem* 1. *dist.* 53. ibi: « Qui militiae, vel ratiociniis sunt publicis obligati . . . . Quod si etiam tales quoque Monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius a ratiociniis absoluti fuerint », et docet late S. Raymund. *in Summa lib.* 3. *tit de Curial. et obligat. ad ratiocin.* §. 4. *vers. Sequitur ut videamus*, Silvester verb. *Religio* 2. *quaest.* 6. Immo Sixtus V. Constit. incip. *Cum de omnibus*, expresse prohibuit, ne debitis gravati, et ratiociniis obligati, antequam debita solverint, et a ratiociniis se expedierint, possint Religionem ingredi, et ad ipsam a Superioribus admitti sub poena nullitatis admissionis, Professionis, et sub poena privationis vocis activae, et passivae, et omnium Officiorum, et dignitatum, et perpetuae inhabilitatis ad illa, et alia quaecumque respectu Superiorum illos ad habitum, et Professionem admittentium Et quamvis Clemens VIII. Constit. incip. *In Suprema* talem nullitatem Professionis sustulerit, tamen prohibitionem, et poenas non sustulit; et sic quamvis tales Debitores valide, illicite tamen ad habitum, et Professionem admittuntur, adeoque etc.

Unde relictis brevitatis gratia aliis satis efficacibus rationibus, et probationibus solum adducuntur, et solvuntur potissimae adversariorum rationes, et objectiones. Primo igitur objiciunt, quod homo liber propter debita non obligatur quoad personam, sed tantum quoad bona, adeoque inferunt, quod cedendo bonis, persona libera maneat, ut possit amplecti quemcumque statum, et praesertim perfectissimum Religionis Sed ad id respondetur distinguendo antecedens; Homo liber propter debita non obligatur quoad ipsam personam in se, ita ut propter debita solvenda deberet se ipsum vendere, vel se Creditori in servitutem tradere, conceditur antecedens, quia hoc Jura vetant: Non obligatur quo ad personam in ordine ad bona sua, ita ut si de facto non habeat, unde solvat, non teneatur pro posse pecuniam acquirere, unde solvat, et non se reddere impotentem ad id acquirendum, uti in nostro casu fieret per ingressum, et Professionem in Religione, negatur absolute antecedens, et id, quod sequitur, quia id Juri naturali repugnat. cum solutio debitorum sit Juris, et Justitiae naturalis, ad quod Jus adimplendum nequit quis se mere voluntarie reddere impotentem ingrediendo, et profitendo Religionem absque necessitate; cum Religionis ingressus, et Professio non sit praecepti, sed meri consilii, et libertatis, et solutio debitorum sit praecepti, et necessitatis. 65

Secundo objiciunt, quod nemo tenetur solvere debitum cum detrimento boni sui majoris, seu altioris ordinis, adeoque cum bonum status Religiosi sit majus, et altioris Ordinis, quam bonum pecuniarum Creditoribus debitarum, sequitur, quod non teneatur abstinere a statu Religioso, ut debita solvat. Sed ad id respondetur distinguendo antecedens, si illud majus bonum sit necessarium ex praecepto, conceditur antecedens, si solum sit utile ex consilio, ut in casu nostro est ingressus, et Professio Religionis, negatur antecedens, et id, quod sequitur: Immo voluntaria omissio ingressus, et Professionis Religionis non ita praejudicat saluti aeternae, sicuti praejudicat voluntaria omissio solutionis debitorum; quia ingressus, et Professio Religionis est solum de consilio, et sine statu Religioso etiam voluntarie omisso non desunt saecularibus viae ad salutem aeternam securae; At solutio debitorum est de praecepto Legis naturalis, et sine ipsa solutione, voluntarie, cum possit commode fieri, omissa, non patet via ad salutem aeternam secura: quia non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; *cap. Si res aliena* 1. *caus.* **14.** *qu.* 6. *cap. Cum tu* **5.** *de usuris*, *c. Peccatum* **4.** *de Regul. Juris in* 6. adeoque etc. 66

Tertio objiciunt, quod sicuti Sponsus, immo Maritus Matrimonio rato tantum, non obstante obligatione Sponsalium, vel Matrimonii rati, Religionem licite, et sancte ingredi potest, ita a pari e- 67

tiam Debitor non obstante obligatione solvendi Debita : Sed ad id respondetur negando consequentiam , et paritatem , quia Sponsi , et conjugis Matrimonii tantum rati obligatio ex traditione Ecclesiae est solum conditionata, Idest: *Nisi voluero fieri Religiosus, seu Religiosa*, et talis conditio in neutrius injuriam cedit, cum in ea utraque pars aequali Jure gaudent, et uterque sponsus, invito altero , Religionem ingredi, et profiteri possit; Obligatio autem Debitoris, sive ex contractu, sive ex delicto, est omnino absoluta, cum nullo Jure possit censeri inesse talem conditionem : « Debita solvam ; nisi voluero fieri Religiosus , vel Religiosa » ; et dato etiam , et non concesso, quod talis conditio posset censeri inesse, quia cederet in solum praejudicium Creditorum, non valeret, adeoque etc.

68 Unde si Debitor Religionem fuerit ingressus, et Professus, cum ejus Professio jam sit valida *ex cit.* Constitut. Clementis VIII. incip. *In suprema* , si alia bona ad Religionem attulerit , tenetur omnino Religio solvere praedicta debita juxta vires allatorum bonorum. *Communis* per text. *in cap. Si qua mulier* 9. *caus.* 19. *quaest.* 3. et *l. Deo nobis* 56 §. 1. *Cod. de Episcop. et Clericis :* Bonorum enim successor adstringitur debitis ejus , cui successit; *cap. In litteris* 5. *de raptoribus* , quia qui sentit commodum, sentire debet et incommodum; *l. Si merces* 25. §. 6. *ff. Locati* , *cap. Qui sentit* 55. *de Regul. Jur.* in 6. cum similibus.

69 Si autem Debitor nulla bona ad Religionem attulerit, quia nihil habebat , Religio ex hoc capite ad nihil tenetur , quia Religio , seu Monasterium se habet ut heres ; heres autem non tenetur ultra vires hereditatis, praesertim si hereditatem adierit cum beneficio Legis , et Inventarii: Julius Clarus *in §. fin. quaest.* 35. n. 45. Donatus *prax. rer. Regularium tom.* 2. *tract.* 3. *qu.* 12. Sporer *loc. cit. n.* 106. et alii communiter.

70 Si vero post ingressum, et Professionem, occasione ejus Monasterium acquireret aliqua bona v. gr. per successionem hereditariam, per Legatum, Donationem, et hujusmodi, tunc Monasterium teneretur ex illis satisfacere pro debitis prius contractis ; *argum. cit. cap. Si qua mulier* 9. *caus.* 19 *q.* 3. *l. Deo nobis* 56. §. 1. *Cod. de Episcop. et Clericis*, Donat, *loc. cit. n.* 14. Sporer *loco cit. n.* 105. Sanchez *lib.* 7. *Decolog. tom.* 2. *c.* 31. *n.* 4. Lugo *loc. cit. n.* 79. et alii passim ; Bona enim Religiosi , vel Jura ad ea , quae obveniunt , ita transeunt in Monasterium media persona Religiosi, ut transeant cum onere, quo ea habuisset Religiosus: habuissent autem annexum onus restituendi, si mansissent in potestate, et dispositione Religiosi ; adeoque Monasterium tenetur ex illis satisfacere pro debitis prius ab ipso Religioso contractis; cum qui sentit commodum sentire debeat et incommodum; *l. Si merces* 2. §. 6. *ff. Locati*,
71 *cap. Qui sentit* 55. *de Regul. Juris in* 6. Item propter eamdem rationem tenetur Monasterium

solvere dicta debita prius contracta ex eis, quae Religiosus Monasterio acquirit docendo , concionando, laborando, et hujusmodi , deductis tamen expensis: Sanchez *loco cit. n.* 4. Lugo *loc. cit. n.* 79. La Croix *loc. cit. n.* 447.

Hinc Religiosus Debitor, si salva Ordinis Regula, possit artificio aliquo , vel manuum labore aliquid lucrari, tenetur sic laborare operibus suo statui , et conditioni praesenti convenientibus , ut pretium laboris impendat ad solutionem suorum debitorum; dummodo per hoc non negligatur Divinum obsequium ; *c. Clericus dist.* 91. deductis tamen expensis, ne sit onerosus Monasterio *c. de lapsis* 5. *caus.* 16. *q.* 6. S. Raymundus *l.* 3. *Sum. in titul. de Curialibus* , *et obligatis ad ratiocinia* §. 5. *vers. Pone aliquem;* Sporer *loc. cit. n.* 106. Lugo *loco cit. n.* 81. Henno *loco cit. disp.* 5. *qu.* 5. *concl.* 2. cum aliis ibi citatis, La Croix *loc. c. n.* 448. cum Navarr, Medina , et aliis ibi citatis, Layman *cit. c.* 12. *n.* 5. et alii contra alios. 72

Religiosus Debitor excusatur, si Superior neget ei licentiam ad id laborandi ; Nec tunc tenetur egredi e Religione , quamvis sit spes probabilis sic satisfaciendi, v. g. per provisionem Beneficii, Parochiae , et hujusmodi , ut tenet probabilior , et communior sententia cum la Croix *loc. cit. n.* 449. Lugo *loc. cit. n.* 107. et aliis contra alios. 73

Superior autem tenetur concedere licentiam honeste laborandi Religioso Debitori , ut sic possit sua debita solvere, si scienter debitis gravatum ad Religionem admisit, quia ex tunc censetur sibi illam obligationem imposuisse; Secus autem si, ignoratis ejus debitis , ex quo ea occultasset , vel negasset, ad Habitum, et Professionem admisit; tunc enim non teneretur talem licentiam concedere ex justitia, quia Superior nihil debet Creditoribus, et potest pro libito de Religioso, tamquam totaliter suo, disponere, abstrahendo , an opera, quibus ipsum applicat, impediant solutionem nec ne. Immo si subditus ex laboritio occulto, sine licentia saltem praesumpta Superioris, satisfaceret Creditoribus, fur esset, et latro, cum restitueret ex alieno, quia quidquid acquirit Monachus , acquirit Monasterio; *cap. Statutum* 1. *caus.* 18. *qu.* 1. *c. Abbates* 16. *caus.* 18. *quaest.* 2. *cap. Quia ingredientibus* 7. *caus.* 19. *qu.* 3. *cap. In praesentia* 8. *de probationibus ;* Si autem Superior possit concedere talem licentiam sine ulla indecentia, et incommodo Religionis , videtur ad id teneri ex Caritate , ne Creditor careat suo debito: Henno *loc. c. conclus.* 2. La Croix *loc. cit. n.* 450. cum aliis ibi citatis. 74

Excommunicatio Creditoris, vel Debitoris non excusat a restitutione facienda. *Communis* contra paucos ; Et quidem non excusat Excommunicatio Creditoris , quia licet negetur ei actio judicialiter petendi; *cap. Pia* 1. *de exceptionibus in* 6. tamen permittitur privatim petere , nec prohibetur communicare cum aliis, si id exigat necessitas, vel magna utilitas, ut patet ex *c. Quoniam multos* 103. *caus.* 11. *q.* 3. sicut enim potest ipse libere com- 75

municare cum domesticis suis; *cit. c. Quoniam multos c. Inter alia* 31. *et c. Si vere* 24. *de sent. excomm.* ita etiam communicare potest cum suis Debitoribus, et ideo *in cit. cap. Si vere*, permittitur ipsi absolvere contractus inchoatos. Nec etiam excusat a restitutione facienda excommunicatio ipsius debitoris, textu expresso *in cit. c. Si vere.* Excommunicatus cogi potest comparere in Judicio per Procuratorem, ne videatur de sua malitia commodum reportare; *c. Intelleximus* 7. *de Judiciis*, *l. Non fraudantur* 134. *ff. de Regul. Juris* §. 1. adeoque etc.

76 An, si Debitor morte plectatur, excusentur ejus heredes a restitutione damni causati per delictum, ob quod fuit ultimo supplicio punitus? Vide supra *art.* 2. *n.* 39. *et* 40.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Agit *Auctor* licet caute legendus in quinque 77
hisce articulis de *materia restitutionis* accomodate magis ad *forum Poli*, quam ad *forum Fori*, ut ajunt. At si cupias, qui de hac ipsa materia utiliter ad forum fori agat, consule opus *De eo quod interest*, quod nomine *Gasparis Manzii*, *et Friderici Martini* Ingolstadii anno 1705. typis Francisci Straus evulgavit *Philippus Jacobus Krazer*. Totam enim materiam hoc in libro adeo solide tractatam invenies, ut nihil fere ad ipsam spectans desiderare possis.

APPENDIX

SACRARUM CONGREGATIONUM DECRETA

PRO REBUS NOTATU DIGNIS JUXTA SERIEM VOCUM HUJUS SEXTI TOMI DIGESTA.

PAROCHUS DOMICILII VEL QUASI DOMICILII PRO CONTRAENDO MATRIMONIO (*)

PENSIO (**)

(*) *Domicilium* inter, el *quasi domicilium* id discrimi nia intercedit, quod ad acquirendum *domicilium* requiritur factum habitationis cum animo in tali loco perpetuo manendi; et adquiritur ipso primo habitationis die; *l.* 20. *ff. ad Municipalem.*

Ad acquirendum vero *quasi domicilium*, necessarium est factum habitationis simul cum intentiona aa in loco manendi per majorem, vel saltem dimidiam anni. partem. Porro quasi domicilium cum supradicta intentione adquiritu jam spatio unius mensis, quod sane spatium satis est pro contrahendo ibidem matrimonia, nampe coram Parocho loci, uti compertum habemus ex Benedicto XIV. *Constitut. incip. Paucis abhinc*, 19. *Mart.* 1758. ibi: » Post haec » necessarium foro censemus non nihil adjungera, ut in » propatulo sit, quidnam requiratur ad quasi domicilium » adipiscendum Verum hac in ra non alio pacto respon» dari potest, nisi quod antequam matrimonium contraba» tur, *spatio saltem unius mensis* a illo, qui contrahit ma» trimonium, habitaverit in loco, ubi matrimonium cele» bratur ». Quod si matrimonium ante mensem fuerit contractam, dearevit S. Congr. *hoc de novo referendum esse* in Congregationa.

Jam vero Gubernatores, Judices, Madici, Scholares valide contrahunt in locis, ubi ad tempus habitant An vero idem tenendum sit de educandis in aliquo Monasterio degentibus, nec non de famulis, et ancillis, ita ut valide contrahant matrimonium coram Parocho Eccl. Parochialis intra cujus limites situm est Monasterium etc.? Affirmat Scavino *Theol. Moral. tom.* 3. *Tr.* 12. *D.* 3. *cap.* 2. *art V. q.* 2. *n.* 2. citans ad id Decretum S. C. 19. *decemb.* 1748.

At animadvertas oportet, hujusmodi Decretum *in Thesaur. Resolut. praed* S. C. minime extara; et quod magis est, ultima sessio pro illo anno peracta fuit 14. *Decembris*, nulla deinceps alio edito Decreto; quinimo ultimum Decretum dia, ut supra, 14. *decemb.* a praef. S. Congreg. emissum opinioni auctoris refragari sane videtur, prout videre est in anted. Thesaur. *Tom.* 16. *pag.* 46. *et tom.* 17. *pag.* 67. Quae cum ita sint, nulla ratio adest, cur a traditis (contra id quod Scavinus tenet) per Benedictum XIV. *Instit. Eccles* 33. *an.* 16. quaeque inserta sunt sub v. *Matrimonium art.* 9. *n.* 116. et v. *Monialis artic.* 1. *sub n.* 154. *et seqq.* recedere debeamus.

Porro puellaa expositaa, quae sunt in *hospitiis*, contrahere debent matrim. coram Parocho loci illius: idem ex antiqua consuetudina tenendum de puallis, quaa vivunt in *Conservatoriis*, a quibus aluntur, atque dotantur.

Exteri carceribus detenti non possunt ibi contrahere, si custodiae tantum causa ibi datineantur. At possunt, si ibi in poenam sit carcer ad debitum tempus adsignatus. Infirmi extranei, extra casum praecisae necessitatis, non possant contrahere coram Parocho, in cujus loco Hospitale situm est. At possunt ex Decr. S. C. 1622. si ibi jam domicilium, vel quasi domicilium contraxerint. Haec apud Scavinum *l. c.* Vide v. *Matrimonium art.* 6. n. 90. *et seqq.*

(**) Quoties beneficium est gravatum pensione; et detur casus, ali debere etiam Patronum egenum, tunc si redditus non sufficiant pro hujusmodi pensiona, et alimentis praestandis, illa postbabita, Patronum pot as esse alendum DD. apud Pitonium rite opinantur: » Alimenta Patro» ni praeferri debera pensioni, ea ratione quod alimenta » sunt anteriora, tamquam ab initio fundationis beneficii, » seu Ecclesiaa, obligatio orta ». Sic apud Pitonium *de Controversiis Patron. allegat.* 44 n. 47.

PRAEBENDA THEOLOGALIS, ET POENITENTIALIS

Canonicatus Theologalis, et Poenitentialis provisio fienda eo plane modo, quo Paroch. Ecclesiae conferuntur.

SACRAE CONGREGATIONIS CONCIL. DECRETUM.



VERSANA CANONICATUS THEOLOGALIS, ET POENITENTIARII (*). In Cathedrali Ecclesia Aversana alterutra ex praebendis Theologali, vel Poenitentiaria, ubi vacare contingit, concursus indicitur ad formam Constitutionis san. mem. Benedicti XIII. quae incipit *Pastoralis:* et Examinatores, perpensis singulorum concurrentium moribus, scientia, aliisque dotibus, referre solent Episcopo quot, et quo gradu probandos, quosque reprobandos ipsi judicaverint. Quoniam vero nonnulli Examinatores vacantem praebendam ei omnino ab Episcopo conferendam esse putant, in quem major collatus fuerit suffragiorum numerus: ideo hodiernus Episcopus Xaverius Durini, qui Examinatorum sententiam sanctioni juris minus consonam existimat, sibique arbitratur, jus esse eum eligendi, quem inter approbatos in formali concursu magis idoneum ipse judicat, quin Examinatorum opinionem sequi teneatur, hujus Sacri Ordinis oraculum sibi exquirendum censuit, ut firmissima, et certa sibi, suisque successoribus hac super re innotescat regula ».

» Rationum momenta, quibus innituntur iidem Examinatores, quos Episcopus, ut mandatis hujus Sacrae Congregationis obsequeretur, audivit, complectitur in suo voto Promotor Fiscalis, inquiens: « Promotor Fiscalis Curiae Aversanae Dioecesis » permotus claris verbis Constitutionis Benedicti » XIII. quibus jubet in concursu Canonicatus Theo- » logalis, et Poenitentiarii in Ecclesiis Cathedra- » libus, et Collegiatis vacantem praebendam ma- » gis idoneo in formali concursu ab Examinatori- » bus renuntiato conferendam esse, putat, electio- » nem personae in specie ad ipsos Examinatores » pertinere, et ita rescripsit S. Congregatio in Sa- » lernitana Canonicatus Poenitentiarii 1. Septem- » bris 1753, ac traditur apud Ferrar. Bibliot. verb. » *Canonicatus art. IX.* in additionibus ex aliena » manu num. 123. ibi: Et quod majorem ani- » madversionem meretur, electio personae post » dictam Constitutionem non amplius pertinet ad » Episcopum, sed ad ipsos Examinatores, ut re- » solvit S. Congregatio Concilii interpres in Saler- » nitana 1. Septemb. 1753 ».

At vero contrariam prorsus sententiam esse tenendam, cuilibet memoratam Benedicti XIII. Constitutionem legenti facile liquet. Pontifex enim sermonem habens de Praebenda Theologali, nedum ait eam conferendam esse magis idoneo in formali concursu ab Examinatoribus renuntiato, sed insuper confestim addidit, *eo plane modo, quo parochiales Ecclesiae conferuntur.* Hanc eamdem legem servari jussit in collatione Praebendae Poenitentiariae, cum §. *Postremo* decreverit. « Quae- » cumque hactenus de praebenda Theologali, et » S. Scripturae lectione sancivimus, extendimus » etiam, ac adamusim observari volumus (congrua » tamen congruis referendo) quoad institutionem » Canonici Poenitentiarii . . . . ejusque concur- » sum, deputationem etc. ». Ex his plane intelligitur, eidem in conferenda Praebenda Theologali, vel Poenitentiaria inhaerendum esse regulae, quam ex juris dispositione servari oportet in conferendis Paraeciis.

Jam vero Examinatores, peracto examine concurrentium ad Parochiales Ecclesias, renuntiare quidem debent quotcumque idoneos judicaverint, aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, ut sanxit *Trid. Syn. sess* 24. *cap.* 18. *de reform.*, ac monet Bened. XIV. *de Syn. Dioeces. lib.* 4. *cap.* 8. n. 3. *et seq.* sed judicium de majori habilitate, seu supra ceteros approbatos praestantia, ad solum spectat Episcopum, veluti luculenter demonstrant illa Tridentini verba, *ex hisque* (nempe approbatis ab Examinatoribus) *Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit;* et declarat Benedictus XIV. in encyclica *Cum illud* §. 11. *diei* 14. *Decembris* 1742, ita edisserens « Absoluto examine, ut cuicumque satis compertum est, fit tantummodo potestas Examinatoribus renuntiandi quotquot regendae Ecclesiae idoneos judicaverint, reservata uni Episcopo electione dignioris ». Quamobrem etsi Episcopus eligere nequeat, quem Examinatores reprobarunt, attamen eum ex approbatis praeferre potest, quem digniorem ipse in Domino existimaverit, posthabitis illis, qui majorem suffragiorum numerum, aut etiam cuncta ab Examinatoribus retulerunt suffragia, S. Congregatio in Assisien. Parochialis 27. *Novembris* 1773. *in Perusina Parochialis* 28. *Julii* 1781. *et in Hortana Parochiae* 28. *Martii* 1801. §. *Huic*, quia nemini magis, quam Episcopo innotescere possunt mores, ac merita concurrentium, *Barbos. de offic. et potest. Episc. part.*

(*) Lubet hic per extensum afferre Decretum S. C. Conc. cujus dispositionem inseruimus in nostris additionibus, sub v. *praebenda Theologalis etc.*

5. *alleg.* 60. *n.* 101. *Rot. cor. Ansaldo decis.* 269. *n.* 6. *S. Congregatio in Perusina* 28. *Julii* 1781. §. *Allegat. jus* ».

« Igitur si electio dignioris inter approbatos ad Parochiales Ecclesias pertinet ad Episcopum, non autem ad Examinatores; si Praebenda Theologalis, et Poenitentiaria eodem conferenda est modo, quo conferuntur Paroeciae, patet, ad Examinatores quidem, absoluto examine super doctrina, moribus, aetate, aliisque dotibus necessariis ad munus Canonici Theologi, vel Poenitentiarii rite obeundum, spectare jus renuntiandi quot, et quo gradu idoneos judicaverint; sed jus eligendi digniorem inter approbatos in formali coacursu uaius Episcopi esse proprium. Ita sane docet *Rigant ad regul.* 1. *Cancell.* §. 10. *n.* 31. et monet S. Congreg. *in Pinnen. Canonicatus Theologalis* 28. *Februarii* 1751. §. *Episcopus, et in Terracinen. seu Setina* 5. *Septembris* 1818. §. *Post.* Quin imo taatum abest, ut electio Canonici Poenitentiarii, ac Theologi tribui possit Examinatoribus, et denegari Episcopis, ut ab hac Sacra Coagregatione pluries definitum fuerit, ad Episcopum spectare electionem dignioris inter plures approbatos in concursu, quamvis ageretur de Praebendis jurispatronatus ecclesiastici, ideoque ex juris dispositione jus eligendi magis idoneum ipsi patrono foret reservatum. Hujus rei prostant exempla in *Cremonen. Erectionis Praebendae Theologalis* 15. *Martii* 1727. *relata in Pinnen. Canonicatus Theologalis* 25. *Aprilis* 1761. §. *Nec in Majoricen. Canonicatus Theologalis* 15. *Decembris* 1753 *atque in cit. Pinnen.* in qua disceptato dubio: « An electio ad Canonicatum Theologalem fieri possit a Capitulo favore sibi magis benevisi inter approbatos in concursu, seu potius praeelectio, et approbatio in eodem concursu, et collatio privative spectet ad Episcopum in casu etc. responsum prodiit *praelectionem, et collationem spectare ad Episcopum, praesentationem vero spectare ad Capitulum, et amplius* ».

« Ex his plane elici posse videtur, juri minus consentaneam esse opinionem Auctoris in *additionibus ad Ferrar. loc. supra cit.* ajentis electionem personae ad Praebendam Poenitentiariam spectare ad Examinatores. Praeterquam enim in praefata *Salernitana Canonicatus Poenitentiarii* 21. *Julii* 1753. quaestio minime vertebatur inter Episcopum, et Examinatores, sed iater Episcopum, et Capitulum, cainam illorum jus esset eligendi Poeniteatiarium; illud quoque accedit, quod cam S. Congregatio responsum dederit, electionem esse faciendam ab Archiepiscopo, satis aperte innuit, ipsi liberum esse eum inter approbatos eligere, quem digniorem existimaret, quin relationem Examinatorum sequi cogeretur; secus judicium Ordinarii haud electionis, sed vix approbationis nomen mereretur. et injuria coram hoc Sacro Ordine pluries certatum fuisset, an constaret *de mala Examinatorum relatione, et de irrationabili judicio Episcopi*, cum potius disceptari oportuisset de irrationabili judicio Examinatorum. Hujusmodi dubiorum formulae passim occurrunt, ac praesertim in *Urbanien. Praebendae Theologalis* 23. *Junii* 1764. in *Pinnen. Theologalis* 20. *Septembris* 1760. *et in Terracinen. seu Setina Praebendae Theologalis* 3. *Septembris* 1818 ».

« *Hinc quaeritur.*

« An Episcopus polleat jure eum eligendi ad Praebendam Theologalem, et Poenitentiariam, quem ipse inter approbatos in formali concursu digniorem judicaverit; seu potius illum eligere teneatur, quem magis idoneum in eodem concursu Examinatores renunciaverint in casu etc. »

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

22. *Novembris* 1829.

E. DE GREGORIO PRAEFECTUS.

J. A Sala Secret.

Ita in terminis in Thesauro Resolutionum Sac. Congregationis Concil. sub die, et anno notat.

PRAECEDENTIA (*)

De praeeminentia Ecclesiarum Collegiat. supra Parochos

SACRAE CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.


ubiis tribus per Parochum S. Petri Terrae Silvalungae porrectis, sic respoadeadum censuit S. Rit. C.

Ad 1. *Canonicos Collegiatae Capitulariter convenientes in Ecclesia Parochiali S. Petri occasione festivitatum, aut funeralium, habere debere praecedentiam super amnes alios, praeter Celebrantem solemniter, aut Officium facientem.*

Ad 2. *Missas solemnes in Parochiali spectare ad Parochum, seu Rectorem.*

Ad 3. *Officium super cadaveribus peragi debere ab ipso Rectore in sua Parochiali, etiam quando interveniat Capitulum Collegiatae. Eadem S. C.* 21. *junii* 1637. *Pientina.* Apud Manuale Ecclesiastic. Edit. Neapol. *de praeeminentiis, n.* 685.

(*) In materia praecedentiae pro regula habendum, illos praecedere debere, qui *in quasi possessione* praecedendi reperiuntur (distingue inter *possessionem*, et *quasi* possessionem; illa namque locum habet in rebus corporalibus, quae apprehendi, et detineri possunt: *quasi possessio* autem spectat incorporalia, uti sunt servitutes, jus eligendi, decimandi,

Super eadem Materia.

ALIUD PRAED. S. C. R. DECRETUM.

Capitulo, et Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Jacobi *de bene*, dioecesis Montis Regalis petentibus declarari: Primo: An Parochus, et Clerus Ecclesiae Parochiali Matrici addict. sint praeferendi Capitulo, et Canonicis Collegiatae? ℟. *Capitulum, et Canonicos Collegiatae Parocho Matricis Ecclesiae in omnibus praeferendos esse* . . . et ita servari mandavit Sac. R. Cong. 5. *Augusti* 1657. *Montis Regalis*. Apud *citat. Manual. de praeeminentiis n.* 688.

Super eadem re.

AFFERTUR NOVISS. DECRET. PRAEF. CONG.

SYRACUSANA! An Capitulo Collegiatae Ecclesiae Civitatis Augustae aliquod jus competat in Parochiali Ecclesia S. Sebastiani Civitatis ipsius; adeo ut Parochus ipse S. Sebastiani in Ecclesiasticis functionibus, et Parochialibus muniis explendis sit aliqua ratione eidem Capitulo subjectus?

2. An eidem Capitulo collegialiter incedenti in generalibus Processionibus praecedentia competat super Parochum Ecclesiae S. Sebastiani.

praecedendi etc. quippe haec, et alia hujusmodi non possideri, sed *quasi possideri* dicuntur: quamvis haec distinctio non semper observetur, et rebus incorporalibus *possessio* quoque attribuatur): quod si de hujusmodi *quasi possessione* non constet, praecedentiam competere iis, qui sunt antiquiores in loco controversiae. Haec quidem ex Constitut. Gregorii XIII. incip. *Exposcit;* ibi: « Qui *in quasi possessione praecedentiae*, ea juris praecedendi, sunt, ii (quibuscumque reclamationibus. protestationibus, appellationibus, et aliis subterfugiis prorsus remotis, et cessantibus, et postpositis) praecedere, debeant . . . . Quando vero non probatur, aut non constet *de quasi possessione* praecedentiae hujusmodi. . . . qui (sunt) antiquiores in loco controversiae . . . . praecedere debeant ». Et quamvis d. Constitutio pro Regularibus, et Confraternitatibus edita fuerit, attamen tamquam norme pro omni casu, et specie in Foro Ecclesiastico attenditur. Audiamus clarim Piasecium in haec verba: « Controversias de praecedentia . . . etiam inter Saeculares Clericos quosvis exortes componere . . . . pertinet ad Episcopum. Quis autem modus in eis componendis tenendus sit, declaravit Gregorius XIII. Constit. sua incip. *Exposcit* ». *Prax. Episcop part.* 2. *cap.* 3. *num.* 48 *pag.* 196

Sic quoque Nicolius *in Flosc* v. *Praeced.*: « Generaliter (inquit) qui sunt *in quasi possessione* praecedendi, praecedent: ubi vero non constat de *quasi possessione*, praecedunt ii, qui sunt antiquiores in loco controversiae, ut ex Gregorii XIII. Constit. *Exposcit*, et Sac. Congregat. ». Item Panimolle: « Praecedere debent (sunt ejus verba) . . . qui in *quasi possessione* praecedentiae, ac jure praecedendi reperiuntur, quibuscumque reclamationibus, protestationibus etc. prorsus remotis, et omnino postpositis, juxta expressam dispositionem *Const.* Gregor. XIII. et *manutentionem* compe tere existenti *in possessione*. vel *quasi*». *For. Eccles. Decis. part.* 1. *decis.* 1 n. 1. *et* 2. Atque ad id allegat auctoritatem Rotae Rom. *Decis.* 903. coram Baratta, *Decis.* 419. *n.* 1. et 2. *part.* 9. *tom.* 2. *Rot. recent. ibid.*

« Jam vero in quasi possessione praecedentiae constitui eum, qui fecit plures actus, sciente, et patiente eo. de cujus praejudicio agitur » tenet ead. Rota. *Decis.* 242. n. 12. *part.* 16. *Rot. Recent.* V. *Praecedentia* — Imo « Actum, quamvis unicum tribuere quasi possessionem manutenibilem in materia praecedentiae ». *Decis.* 230. n. 14. *part.* 11 *decis.* 148. *n.* 8. *part.* 14. *Rot. Recent. ib.* modo actus ille non sit aequivocus, *Decis.* 230. *num.* 32. *p.* 11. *ibid.* Atque ut rite id intelligatur, nempe quoad comparandam possessionem servitutis affirmativae, cujus generis sunt jus electionis, jus decimandi, praecedentiae e o distinctione res definienda venit, quippe considerandi sunt actus, quibus hujusmodi jus. vel servitus exercetur. Nam si tales sunt, qui vix unquam alicui conceduntur, ex gratia; v. g ut extraneus, et qui non est de Collegio, habeat vocem activam inter Capitulares, tunc unus actus sufficit ad acquirendam quasi possessionem juris eligendi, prout desumitur ex *cap. Cum de beneficio* 5. *de praebend.* in 6. *l.* uit *Praetor* 1. §. *Quaesitum* 21. *ff. de aqua quotid.* Schmalzgrueber *ad tit de caus. possess.* n 12

Si vero sunt actus, qui ex amicitia, et gratia alteri concedi solent, sed raro, et non frequenter, ut ire in fundum alterius, pomum decerpere, aucupium exercere etc et tunc non sufficit unus actus, sed plures requiruntur, arg. *l Praetor ff. de itin. actuq. privat.* ut verisimiliter constet, utentem non ratione amicitiae, sed jure suo illos actus exercuisse. Schmalzgrueber *loc. cit.*

Quumque actus praecedendi, limitative, et quantum ad propositum nostrum spectat, talis sit, qui vix unquam alicui ex gratia concedi videatur, optimo sane calculo definivit Rota belo supra, unicam actum in materia praecedentiae satis esse pro tribuenda possessione manutenibili.

Quoad vero attinet ad modum probandi hujusmodi possessionem *praecedentiae*, illud utique exploratum habe, probationem in subjecta materia per testes rite fieri posse, prout ex compacto tenent Doctores. « Esse in *quasi possessione* praecedendi probatur ex depositionibus plurimorum testium formiter deponentium de actu subsequendi in incessu processionali etc. . . qui testes cum sint de eodem loco, et deponant de visu, optime probant ». Sic Panimolle *loc. cit. n.* 3. quae quidem est mens Rotae *decis.* 42 n 4. *part.* 4 *decis.* 69. *nu.* 47. *vers. tisque testibus*, *decis.* 237. *num.* 7. *decis.* 370. *num.* 7. *part* 7. *recent.* Apud d. Panimolle *ib.*

Et ut habet Pignatellus: « Accedentibus attestationibus hominum fide dignorum, concludenter probatur *possessio antiqua praecedendi*, quae satis est pro obtinenda manutentione in *quasi possessione* praecedendi, pro qua sufficiunt (nota) *leves probationes*, ac semiplenae, ut saepius firmavit Rota ». *Tom.* 9. *consult. Canonic. Consultat.* 183. n. 1.

Illud amplius notandum, quod talis est vis *consuetudinis*, et *observantiae* in materia praecedentiae, ut omnino attendenda sit, etsi juri communi repugnaret, uti declaravit S. Cong. Rit. et saepius firmavit Rota. « Talis est observantia (sic Cardinalis de Luca), qualem attendendam esse, quamvis in aliquo adversaretur Constitutioni Gregorii XIII. firmatum fuit ex S. R. Congregationis Decreto, de anno 1493. approbato per Clementem VIII ». *de praeeminentiis disc.* 25. *nu.* 6. Audiemus etiam Ricciam *Collect. Decis part.* 4 Collect. 1069. ubi sic habet: « In praecedentiis debet attendi *consuetudo* loci . . . quod adeo verum est, ut procedat, etiamsi *consuetudo repugnaret juri communi*, ut dictum fuit in Rote in *una Melden. praecedentiae* 10. *Junii* 1577.

Pari modo Barbosa: « In materia praecedentiae (ait) servanda est consuetudo . . (et) hoc etiam procedere, quamvis consuetudo hujusmodi repugnaret juri communi ». *De Offic. et potest. Episc. Allegat.* 78. n. 36. « Adeo ut vigore *consuetudinis*, possessio, quamvis esset contra jus, sit manutenibilis »: verba sunt Panimollis *cit. Prax. Decis.* 1. *n.* 2

Porro « per Decennium induci consuetudinem in hac materia, etiam contrariam juri, nec interrumpi per reclamationem, in qua quis succubuit » decrevit Rota, *Decis.* 24. n. 1. *et* 3. *part* 4. *Tom.* 2. et *Decis.* 99. n. 10. *et seqq. part.* 19. *Tom.* 1. — *Rot. Recent* v. *Praecedentia.*

3. Cui debeatur praecedentia in incessu per vias occasione associandi funus, an Capitulo Collegiatae collegialiter intervenienti, vel Parocho ipsius defuncti?

4. An in funeribus, et processionibus unica est erigenda Crux Capituli Collegiatae in casu, ita ut omnes associantes funus, ac etiam Parochus S. Sebastiani sub hac ipsa unica Cruce incedere debeant?

Et Eminentiss. et Reverendiss. Patres Sacris Ritibus praepositi, omnibus mature consideratis, riteque libratis, rescribendum censuere juxta votum Magistri Caeremoniarum, ad 1. *Negative:* ad 2. *Affirmative juxta alias Decreta:* ad 3. *Capitulo Collegiatae, dummodo sit vel a Parocho, vel ab haeredibus defuncti invitatum:* ad 4. *Unicam, ipsamque Collegiatae juxta Generale Decretum diei* 2. *Julii* 1661.

Atque ita rescripserunt, et in Civitate Augustae, Syracusanae Dioecesis servari mandarunt *die* 17. *Junii* 1843.— Ita in terminis in tertia appendice Decret. Authent. Cong. S. Rit. *edit. Romae Typis S. Congr. de propaganda fide* 1849. Vide insuper v. *Parochus artic.* 2. *sub n.* 65.

PRÆDICARE, PRÆDICATOR

Benedictio a concionaturo quando omittatur.

SACRAE CONG. RIT. DECRETUM.

Id dubium propositum in S. R. C. pro parte Illustriss. D. Cardinalis Acquaviva, Civitatis Neapolit. Archiepiscopi: an scilicet conveniat, ut quando aliquis Episcopus in eadem civitate Neapolitana, ipso Illustriss. D. Cardinali Archiepiscopo praesente sermonem, vel concionem habuerit, antequam pulpitum, vel ambonem ascendat, petat ab ipso Archiepiscopo benedictionem, sicut caeteri concionatores non Episcopi facere solent?

Eadem S. Rit. Congr. respondit: *ob supremum Ordinem, et dignitatem Episcopalem* non convenire, ut Episcopus concionaturus *ab Ordinario*, etiam Cardinali, benedictionem petat: et *ita* censuit, et declaravit *die* 28. *Aprilis* 1607. *Neapolitana.* — *Apud cit. Manual. edit. Neapol. de praeeminentiis, n.* 612.

PROCESSIO

De processionibus, quae per Confraternitates peraguntur.

SACR. CONGREGAT. RIT. DECRETUM.

Capellanus Confraternitatis non potest suo arbitrio sine expressa licentia Episcopi processiones facere: *Sacr. Congregat. Rit. in Melit. Galatii*, 4. *Martii* 1606. Apud Barbosam *Summa Apostolic. Decis.* v. *Capellanus, n.* 9.

Super eadem materia.

SACR. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETUM.

In processionibus peragendis extra ambitum Ecclesiarum, in expositione Eucharistiae, benedictione solemni super Populum, aliisque similibus, quoties interveniat licentia Ordinariorum, Parochus non potest se opponere, ne a Cappellanis, et Officialibus Confraternitarum fiant; quia animarum Cura, et Populi directio principaliter incumbit Episcopo, qui est Parochus Parochorum: Sac. Congregat. Concilii in *Savonen.* 12. *Febr.* 1689. Apud Monacell. *Form. legal. pract. tom.* 2. *titul.* 13. *form.* 1. *n.* 86. *pag.* 29. *et* 30.

De processionibus, quae fiunt per Parochos.

SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII DECRETUM.

Parochus sine licentia Episcopi non potest facere processiones extraordinarias: *Sac. Congreg. Concil. in Savonen.* 12. *Febr.* 1636. in qua amplius fuit dictum, non sufficere licentiam Vicarii Foranei. Apud Monacell. *loc. et n. cit.*

PROTONOTARIUS

De Protonotariis participantibus, et extra participantibus speciatim agitur.

PIUS PAPA IX.

Ad perpetuam rei Memoriam.

Quamvis peculiares facultates, ac privilegia nonnullis personis, seu Collegiis ad eorum remuneranda merita, vel dignitatem amplificandam ex Romanorum munificentia Pontificum concessa, atque attributa sint, ea tamen moderanda censemus, et vero etiam abroganda, quum minus opportuna temporibus, ac bono publico minus consentanea deprehendamus. Antiquissimum porro est in hac Romana Ecclesia Collegium septem Notariorum a S. Clemente I. Praedecessore Nostro ad consignanda literis, posterisque Martyrum gesta institutorum, qui postmodum ob muneris praestantiam Protonotarii dicti sunt, et pluribus, singularibusque privilegiis decorati. Ipsis quidem fel. mem. Sixtus V. Praedecessor noster nedum antiqua privilegia confirmavit, verum nova etiam, atque ampliora largitus est per Apostolicas suas sub plumbo datas Literas IX Februarii anni 1586. Quum vero idem Collegium Protonotariorum ob praeteritas rerum vices ad paucos redactum, pene extinctum esset, paternas ad illud curas convertens recol. mem. Gregorius XVI Decessor Noster, per suam Constitutionem VI Idus Februar. Anni 1838. editam, ipsum ad pristinum septenarium numerum, veteremque splendorem restituit. Jam vero singularia inter privilegia memoratis comprehensa Literis Sixti PP. V. aliqua Nos esse animadvertentes, quae neque praesenti temporum conditioni, neque publicae rei bono convenire compertum sit; idcirco alia ex iis moderanda, seu quibusdam subjicienda conditionibus, alia vero penitus abroganda existimavimus.

Et quidem privilegium promovendi ad gradum doctoratus in utroque jure ex commemoratis Sixti V. Literis Collegio Protonotariorum impertitum jamdiu moderatus est, ac coarctavit fel. me. Benedict. XIV. per Apostolicas suas sub plumbo datas Literas IV. Kal. Septemb. an. 1744. quibus definivit, edixitque, licere Protonotariis Apostolicis, quatuor dumtaxat personis in singulos annos, eisque non absentibus, sed realiter in Urbe praesentibus doctoralem Lauream in utroque jure deferre, praevio tamen diligenti, ac severo examine per ipsosmet Protonotarios personaliter, ac collegialiter instituendo, juxta Apostolicas in forma Brevis Literas Urbani VIII. die 5. Septemb. An. 1629. evulgatas; quem postea personarum numerum idem Benedictus XIV. in ipsis illis supra memoratis literis ampliavit in benevolentiae, et honoris testimonium erga Protonotariorum Collegium; ipsis quippe concessit, ut in posterum non quatuor tantum singulis annis, verum sex personas in Urbe tamen praesentes doctoris Laurea in alterutro, sive utroque jure decorare possent, servata forma, ac conditionibus inibi praescriptis, et explicatis.

Nos igitur commune bonum prae oculis habentes, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, supra memoratis Apostolicis Literis tum Sixti V. Urbani VIII. Benedicti XIV. et Gregorii XVI. Praedecessorum Nostrorum, quatenus opus est, et in iis dumtaxat, quae Constitutioni huic Nostrae adversantur, derogantes, Protonotariis Apostolicis de numero participantium vulgo appellatis privilegium deferendi doctoris gradum, seu Lauream in Theologia, et in alterutro, vel utroque jure ratum habemus, ac confirmamus, servatis tamen conditionibus infra explicandis; in Philosophia vero, in Medicina, aliisque artibus, seu scientiis, ac facultatibus omnino tollimus, atque abolemus. Volumus autem, atque mandamus, ut quatuor dumtaxat personis in facultate Theologica, ac quatuor itidem in alterutro, vel utroque jure in Urbe tamen praesentibus, doctoris gradum deferre valeant, utque de hujusmodi personis doctoris gradum petentibus antea ad Nos, nostrosque in Apostol. Sede successores referre debeant, secus concessio doctoralis Laureae nulla, atque irrita sit.

Praecipimus etiam, quod jam a Benedicto XIV. Praedecessore Nostro praescriptum est, ut si dictus numerus personarum ad gradum doctoris promovendarum uno anno quavis de causa non sit completus, minime absolvi, et compleri possit annis subsequentibus. Jubemus praeterea, ut ad instituendum candidatorum examen Protonotarii conveniant numero saltem quinque; quod si, aliquibus eorum impeditis, hujusmodi numerum pertingere nequeant, ad illum explendum Archigymnasii Romani Professores adsciscant, denique ut in hujusmodi examine omnia servare debeant, quae de periclitanda scientia promovendorum ad gradum doctoralem praescripta sunt per Leonem XII. Praedecessorem nostrum in sua Constitutione. *Quod divina sapientia.* Si secus fecerint, concessionem doctoralis laureae irritam declaramus.

Volumus insuper, atque mandamus, ut de Laureis collatis certiorem faciant quolibet anno Congregationem S. R. E. Cardinalium studiis moderandis praepositam, utque ad normam praefatae Constitutionis Benedicti XIV. nota rogitus promotionum, descriptis promotorum nominibus, et cognominibus infra mensem a die cujuslibet promotionis computandum, ad Archivium urbanum per Secretarium Collegii ejusdem, vel per ipsos promotos deferatur, ac postquam ejusmodi nota ad Archivium

praedictum delata sit, promotus ad Lauream doctoralem pro legitime promoto haberi debeat ad quosvis juris effectus; alias doctoratus nullus sit, atque irritus, nec promoto ulla ratione suffragetur.

In exercendo autem privilegio, quo iidem Protonotarii gaudent ex memorata Sixti V. Constitutione, unum scilicet Protonotarium quotannis creandi absque tamen exemptionibus, et privilegiis, hoc est mere titularem, volumus, ac jubemus, ut in posterum, nisi consultis antea Nobis, Nostrisque in Apostolica Sede Successoribus, neminem ad hujusmodi honorem, et gradum promovere possint, et valeant. Facultatem vero Notarios, seu tabelliones publicos creandi dictis Protonotariis prorsus adimimus. Praeterea omnimo tollimus, atque abrogamus privilegium juxta antedictam Sixti V. Constitutionem Protonotariis eisdem attributum, spurios scilicet, aliosque ex quovis illicito concubitu procreatos legitimandi ad successionem quorumcumque bonorum sive ex testamento, sive ab intestato, eosque idoneos declarandi ad quosvis honores, dignitates, et officia, sive publica, sive privata exercenda, prout fusius hac super re in memoratis Sixti PP. V. Literis continetur. Item irritum esse volumus, planeque abrogamus alterum privilegium, ut tam Protonotarii Apostolici ipsi, quam eorum consanguinei, affines, et familiares, sive in Urbe, sive in tota Ecclesiastica ditione, arma prohibita absque speciali permissu, et licentia deferre possint, et valeant.

Quoniam vero consueverunt Romani Pontifices, praeter septem Protonotarios vulgo participantes appellatos, aliis etiam Ecclesiasticis viris hujusmodi honorem deferre, ita tamen, ut licet de participantium numero minime sint, ad eorum instar censeantur, idcirco ut majus inter eos discrimen extet, volumus, ac mandamus, ut septem Protonotarii partecipantes a locorum Ordinariis, eorumque jurisdictione liberi, atque exempti, Nobisque, et Apostolicae sedi immediate subjecti maneant, juxta Sixti PP. V. concessionem: alii vero Protonotarii ad instar participantium, sive ad hunc honorem jam electi, sive in posterum eligendi, locorum Ordinariis juxta communis juris regulas subjecti omnino sint, ac censeantur, quemadmodum ipsos tenore praesentium Ordinariorum jurisdictioni plane subjicimus, ac proinde sine illorum assensu nunquam poterunt Pontificalia exercere. Insuper Protonotariis participantibus privilegium Altaris portatilis ratum habemus, ac confirmamus, ea tamen lege, ac conditione, ut illud in alienae habitationis domibus erigere nunquam possint, nisi ipsi occasione itineris, seu hospitii gratia in iisdem domibus diversentur; utque Missa, quam super idem Altare portatile decenti semper in loco erigendum diebus etiam solemnioribus vel per se celebraverint, vel per alium Sacerdotem saecularem, seu regularem rite probatum celebrare fecerint, tum Protonotariis ipsis, eorumque consanguineis, et affinibus cohabitantibus, tum personis eorum famulatui, seu comitatui addictis, nunquam vero aliis personis, in Ecclesiastici praecepti implementum suffragetur.

Protonotariis vero ad instar participantium, qui jam creati sint, vel in posterum creabuntur, idem altaris portatilis privilegium tollimus, eisque dumtaxat concedimus indultum privati Oratorii ab Ordinario visitandi, atque approbandi, in quo diebus etiam solemnioribus in consanguineorum, et affinium secum cohabitantium, nec non famulorum suorum praesentia, Missam, vel per se celebrare, vel per quemcumque Sacerdotem Saecularem, vel cujusvis Ordinis regularem rite probatum celebrare facere libere possint, et valeant.

Haec Nos statuimus, decernimus, atque mandamus, non obstantibus nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, nec non superius memoratis Sixti V. Urbani VIII, Benedicti XIV. et Gregorii XVI. Praedecessorum Nostrorum Literis, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis speciali licet mentione dignis, necnon praefati Collegii Protonotariorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die IX. Februarii An. 1853. Pontificatus Nostro An. VII.

A. Card. Lambruschini.

REGULARES QUOAD ADMISSIONEM NOVITIORUM

S. Congregationis Episcop. et Regular. Decretum ex oraculo Sanctissimi.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. a primo sui pontificatus exordio, impenso studio cupiens regularem Ordinum religiosorum disciplinam redintegrare, specialem Congregationem deputavit nuncupatam *Super Statu Regularium*, cujus munus in eo situm esset, ut mala, quae forte obrepsissent, expenderet, et remedia iisdem medendis apta Sanctitati Suae proponeret. Ad eamdem Pater Sanctus nominavit Eminentissimos, ac Reverendissimos Dominos S. R. C. Cardinales Lambruschini, Ostini, Castracane, Patrizi, Polidori, Bianchi, Orioli, Gizzi, cum R. P. D. Andrea Canonico Bizzarri a Secretis.

Porro Sacra Congregatio inter praecipua capita, ad quae cogitationem, curamque suam convertit, ut finem a Sanctitate sua propositum facilius assequeretur, in primis illud probe vidit, nihil potius, et antiquius in eo suscepto munere esse spectandum, quam exquisitissimam, ac diligentissimam Novitiorum admissionem, eorumdemque in scientiis, in iisque praesertim, quae ad Religionem pertinent, solertem, et adsiduam institutionem.

Id ipsum recognovit, approbavitque Sacratissimus Princeps, qui in Encyclicis literis diei 17. Junii 1847. incip. *Ubi primum*, ad omnes Supremos moderatores, Abbates, Provinciales, aliosque Superiores Regularium Ordinum pro monastica disciplina restauranda conscriptis sub §. *At vos*, hisce verbis dilectos filios admonebat. « Cum autem ex diligenti tironum admissione, atque optima illorum institutione totius cujusque sacrae familiae status, decorque plane pendeat, vos summopere hortamur, ut eorum, qui religiosae vestrae familiae nomen daturi sunt, indolem, ingenium, mores antea accurate exploretis, ac sedulo investigetis, quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ipsi ducantur. Ac postquam noveritis, illos in religiosa vita amplectenda nihil aliud spectare, nisi Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, ac propriam, et aliorum salutem, in id potissimum omni diligentia, cura, et industria incumbite, ut tirocinii tempore ex proprii Ordinis legibus pie, sancteque ab optimis Magistris educentur, et ad omnem virtutem, atque ad instar regularis vitae institutum quam optime informentur. Et quoniam praecipua, atque illustris Regularium Ordinum laus semper fuit literarum studia excolere, fovere, ac tot eruditis doctis, laboriosisque operibus humanarum, divinarumque rerum scientiam illustrare, idcirco vos summopere excitamus, monemus, ut juxta vestri Ordinis leges maxima cum solertia rectam studiorum rationem promovere, et omnia conari velitis, ut Religiosi vestri alumni in humaniores litteras, ac severiores disciplinas, praesertim sacras addiscendas, constanter incumbant, quo ipsi optimis, sanisque doctrinis apprime exculti, et proprii muneris partes, et sacra ministeria religiose, sapienterque obire valeant ».

Sacra Congregatio, re mature discussa in conventibus, quos subinde habuit, non pauca providenda curavit, quae in duobus decretis comprehenduntur, ut sequitur.

Decretum primum.

Sacrae Congregationis Super Statu Regularium auctoritate Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX. editum de testimonialibus Ordinariorum literis requirendis in receptione illorum, qui ad habitum religiosum admitti postulant.

Decretum

Romani Pontifices pro eorum pastorali cura, qua semper Regularium familiarum bono, et splendori prospicere non omiserunt, illud Superioribus pro viribus commendarunt, ut antequam ad religiosum habitum postulantes reciperent, de illorum vita, moribus, ceterisque dotibus, et qualitatibus sedulo inquirerent, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illarum detrimento, ostium adaperirent. Verum quamlibet moderatores Ordinum diligentiam adhibeant in informationibus exquirendis, in gravi tamen ut plurimum versantur periculo deceptionis, nisi ab locorum Antistitibus testimonium exquirant circa eorum qualitates, qui ad habitum religiosum admitti postulant: Ordinarii enim vi pastoralis officii oves suas prae ceteris agnoscere possunt, et saepe saepius ea manifestare impedimenta, quae alios latent. Haec animadvertens Sanctissimus D. N. Pius PP. IX, audito voto S. R. C. Cardinalium hujus Sacrae Congregationis super Statu Regularium, attentisque postulationibus nonnullorum Episcoporum, praesenti decreto ubique locorum perpetuis futuris temporibus servando, haec, quae sequuntur, Apostolica auctoritate statuit, atque decernit.

I. In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quae ex peculiari privilegio, etiam in corpore juris clauso, vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua, et expressa mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus literis tum Or-

dinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo Postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae, ultra annum moratus fuerit.

II. Ordinarii in praefatis literis testimonialibus postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de Postulantis qualitatibus, referre debeant de ejus natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicujus administrationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii, eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere, nec ipsis unquam liberum esse hujusmodi testimoniales literas denegare; in eisdem tamen super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere, quae ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino judicaverint.

III. Omnibus, et singulis Superioribus Regularibus, aliisque Religiosis, ad quos spectat, cujuscumque gradus sint, et instituti, licet exempti, et privilegiati, ac de necessitate exprimendi, etiam in virtute sanctae obedientiae, hujus decreti observantia districte praecipitur: et qui contra hujus decreti tenorem aliquem ad habitum religiosum receperit, poenam privationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda eo ipso incurrat, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.

IV. Vi cujuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum, et Constitutionum etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, institutum, Superior Religiosus consequeretur, nunquam huic decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse, et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quamtumvis amplae apponantur. Quod si alicui instituto expresse, et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi poterit vi cujuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum.

V. Quolibet anno die prima Januarii in publica mensa hoc decretum legatur, sub poena privationis officii, ac vocis activae, et passivae, a Superioribus ipso facto incurrenda.

Ne autem hujus decreti observantia aliqua ratione, titulo praetextu impediatur, Sanctitas sua quibuscumque in contrarium facientibus Constitutionibus, regulis, et statutis cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, domus, etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, necnon cuilibet privilegio licet in corpore juris clauso, ac Apostolicis Constitutionibus ac Decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali, et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque prorsus derogat, et derogatum esse declarat.

Datum Romae ex Sacra Congregatione super Statu Regularium die 25. *Januarii* 1848.

Andreas Can. Bizzarri

A Secretis.

Die 6. Febr. 1848. praedictum decretum affixum, et publicatum.

Joseph Cherubini Mag. Curs.

Decretum alterum Sacrae Congregationis Super Statu Regularium auctoritate Santissimi Domini Nostri Pii Papae IX editum de receptione Novitiorum ad habitum, et professionem.

Decretum.

Regulari disciplinae instaurandae ubi collapsa fuerit, vel servandae ubi vigeat, nihil magis conducit, quam in admittendis novitiis ad habitum, et ad professionem maximam curam adhibere, ut ii tantum recipiantur, qui superna vocatione ducti, morum honestate, ceterisque dotibus praediti religionem ingrediantur, cupientes Deo inservire, mundi pericula evitare, et spirituali proximorum saluti qua exemplo, qua opere ad praescriptum instituti, quod profitentur, consulere. Ex Novitiis enim Religionis bonum, vel malum prorsus pendet: quandoquidem hi sunt Religionum semina, hi sunt novi palmites Dei vineam novellantes: sed si semina, si novitiae vites infectae sint, nonnisi fructus mali colligi possunt. Quapropter Romani Pontifices, et praesertim Sistus V. (*), Clemens VIII. (**), Innocentius X. (***) et Innocentius XII (****) saluberrima edidere decreta, quibus leges in admittendis Novitiis servandae constituebantur. Cum igitur Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. ab ipsis pontificatus sui primordiis pastoralis vigilantiae studia convertenda esse duxerit ad Religiosarum Familiarum disciplinam totis viribus promovendam, Praedecessorum suorum vestigia sectando certam, stabilemque legem constituendam esse existimavit, quae in admittendis Novitiis ad habitum, et professionem servari omnino deberet. Re igitur demandata S. R. E. Cardinalibus hujus S. Congregationis de Statu Regularium a Sanctitate Sua institutae, Eminentissimis Patribus, universa rei ratione sedulo diligenterque perpensa, necessarium visum est, in admissione novitiorum ad habitum, et professionem partes concedendas esse nedum inferioribus Praelatis, et Superioribus Generalibus, verum etiam nonnul-

(*) Const. *Cum omnibus anni* 1587

(**) Dec. incip. *Sanctissimus in Christo Pater*. Diei 19 Maii 1602.

(***) Instr. *Ad propagandam* Diei 3. nov. 1654.

(****) Decr. *Sanctissimus in Christo Pater*. Diei 18. Julii 1695

lis aliis Religiosis viris probatae vitae, regularis disciplinae zelo ferventibus, consilio, et gravitate praestantibus, ut eorum, qui religiosae familiae nomen daturi sunt, indolem ingenium, mores, ceterasque necessarias dotes accurate explorent, et sedulo investigent, quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ducantur, et eos tantum probent, quos secundum Deum idoneos esse revera constiterit. Sententiae S. Congregationis Sanctissimus in Christo Pater inhaerens ea, quae sequuntur pro Italia, et Insulis adjacentibus hoc perpetuis futuris temporibus valituro decreto Apostolica auctoritate statuit, atque decernit.

PARS PRIMA DECRETI.

De lege servanda in probandis iis, qui ad habitum Religiosum admitti postulant.

Art. I. Qui duplici scrutinio juxta modum inferius exprimendum probatus non fuerit ad habitum, nullo prorsus modo admittatur in quocumque Ordine, Congregatione, Societate, instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia; et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, institutis, Monasteriis, et domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore juris clauso, vel alio quovis titulo, in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua, et expresse mentio fiat.

Art. II. In qualibet Provincia habeantur octo Examinatores, scilicet Provincialis, et septem alii Religiosi probatae vitae, prudentia, gravitate, ac zelo disciplinae regularis praediti a Capitulo, seu Congregatione provinciali per secreta suffragia eligendi, ita tamen ut si in Provincia sint definitores, vel Consultores, vel Assistentes, vel alii, quocunque appellentur nomine, Consiliarii Provinciales, duo ex ipsis in Examinatores deligantur. Examinatores in praefato munere usque ad novum provinciale Capitulum, seu Congregationem perdurabunt.

Art. III. Cum aliquis ad habitum recipi postulaverit, Provincialis omnia exquirat documenta, et requisita ad praescriptum SS. Canonum, Constitutionum Apostolicarum, Decretorum S. Congregationum, ac Statulorum Ordinis, et diligenter inquirat circa illius qualitates, utrum nempe ab omni defectu, et impedimento immunis sit, et necessariis dotibus praeditus, religioso statui idoneus, ac etiam in amore perfectioris vitae, et Deo liberius in Religione serviendi, seu potius levitate, aut necessitate, vel alio inordinato fine ductus admitti postulet. Deinde omnia praefata documenta, et informationes tradat saltem tribus ex Provincialibus Examinatoribus, exclusis iis, qui postulanti sint consanguinei, vel affines, ut eas absque ullo partium studio serio perpendant. Indicto examinis die, Provincialis cum delectis ab ipso Examinatoribus conveniet, et postquam ipse, et alii Examinatores juraverint ad Sancta Dei Evangelia, *se, quacumque humana affectione postposita, munus executuros*, postulantem examinent, eoque ab examinis loco dimisso, ejus documenta, qualitates, et requisita, aliaque, quae superius notata sunt, serio expendant, et deinceps per secreta suffragia judicent, an dignus sit, qui approbetur, super quibus omnibus Provincialis, et aliorum Examinatorum conscientia graviter onerata remaneat. Is autem probatus dumtaxat intelligatur, qui saltem unum suffragium supra medietatem obtinuerit. Si postulans praefato scrutinio probatus fuerit, examen, et scrutinium scripto fideliter exaratum Provincialis, et unusquisque ex Examinatoribus manu propria subscribet, declarando etiam sese omnia requisita a SS. Canonibus, Constitutionibus, et decretis Apostolicis, et Regulis, et statutis respectivi Ordinis praescripta debito modo examinasse; hujusmodi vero relationem examinis, et scrutinii, et respectivam declarationem jurejurando confirment. Quibus peractis, Provincialis praefatam relationem, et declarationem una cum authenticis documentis ad Superiorem Generalem, vel ad Procuratorem generalem, prout inferius in art. XI explicabitur, transmittet. Ne autem hujus Decreti executio differatur usque ad celebrationem proximi Capituli, vel Congregationis Generalis, interim Examinatores Provinciales eligantur per secreta suffragia a Provinciali, una cum suis definitoribus, vel assistentibus, vel aliis Consiliariis Provincialibus; et si hujusmodi Definitores, Assistentes, Consiliarii in aliquo Ordine desint, electio fiat a Provinciali una cum quatuor Religiosis graduatis, vel gravioribus, si graduati desint, ejusdem Provinciae ab eodem Provinciali deputandis.

Art. IV. In Ordinibus aliisq. institutis, in quibus Provinciales non existunt, vel Provincialia Capitula, seu Congregationes non celebrantur, Examinatores pro unaquaque domo Novitiatus eligentur juxta Superius praescriptam methodum a Capitulo, Dieta, seu Congregatione Generali, et Superior ejusdem Domus loco Provincialis habeatur, cujus erit convocare Examinatores, et alia peragere, quae in art. III. statuta sunt. Verum cum hoc in casu ob pauciorem Religiosorum numerum contingere possit, ut septem Examinatores eligi minime valeant, Examinatores numero minores, non tamen citra quatuor, eligi poterunt. Si autem hujusmodi Capitula, Dietae, et Congregationes Generales statim non convocentur, interim electio Examinatorum fiat juxta modum in art. V. designandum.

Art. V. Si institutum constet aliquo tantum separato Monasterio, Conventu, vel Domo, nec in Congregationem erectum sit, et Capitulum, Dietam, congregationem generalem minime habeat, Examinatores per secreta suffragia a Superiore, et Capitularibus ejusdem Monasterii, Conventus, vel Domus eligentur; et quoad eorum numerum serven-

tur, quae in art. IV definita sunt, ac in officio ad triennium perdurent.

Art. VI. Praeter memoratos Examinatores Provinciales, in quolibet Ordine, Congregatione, Societate, instituto alii septem Examinatores Generales constituantur, qui tamen ad quatuor reduci poterunt in iis Ordinibus, et Institutis, in quibus, ob pauciorem numerum Religiosorum, septem haberi nequeant. Ili ex gravioribus, et prudentioribus Religiosis viris probatae vitae, ac zelo regularis disciplinae praeditis per secreta suffragia in Capitulo, Dieta, vel Congregatione generali eligentur, ita tamen ut si agatur de Ordine, in quo sint Definitores, Assistentes, Consultores, Visitatores, vel alii Consiliarii Generales, duo ex ipsis in Examinatores deputentur. Examinatores generales in officio usque ad futurum Capitulum, Dietam, vel Congregationem generalem perdurabunt. Superior Generalis erit Praeses cum suffragio in consilio Examinatorum; et Procurator generalis, uti Examinator natus, praeter electos habendus erit.

Art. VII. Examinatores Generales in intervallo, quod intercedet a data hujus decreti usque ad celebrationem proximi Capituli, Dietae, vel Congregationis generalis, eligantur per secreta suffragia a Superiore Generali una cum saltem tribus Religiosis graduatis, seu gravioribus Ordinis ab eodem Superiori Generali deputandis, et deligendis ex Definitoribus, Visitatoribus, Assistentibus, vel Consultoribus generalibus, si adsint.

Art. VIII. Si agatur de Instituto, quod constituatur ex aliquo tantum separato Monasterio, Conventu, Domo, nec in Congregationem erecto, et praeter localem, alius major Superior non habeatur, Superior localis probum, et idoneum deputet Religiosum, ut primum scrutinium, de quo in art. III. perficiat cum Examinatoribus electis juxta art. V.; et ipse Superior localis cum iis Capitularibus ejusdem domus, qui locum in eodem primo scrutinio non habuerunt, secundum scrutinium in art. X. praescribendum exequetur.

Art. IX. Quod vero attinet ad Ordines, et Instituta, quae licet in Congregationem, et Societatem erecta sint, tamen in iis Capitula, Dietae, et Congregationes generales vel non celebrantur, vel raro convocantur, in iisdem Ordinibus, et Institutis auctoritas, quae Capitulis, Dietis, et Congregationibus generalibus circa electionem Examinatorum superius attributa est, conceditur Superiori Generali cum definitoribus Visitatoribus, Assistentibus, Consultoribus, aliisque, quocumque nomine appellentur, Consiliariis Generalibus, ita tamen, ut si Definitores, Assistentes, aliique Consiliarii Generales, non sint saltem quatuor, Superior Generalis alios graves, et idoneos Religiosos eis adjungat ad enunciatum saltem numerum constituendum; quae Religiosorum deputatio potiori ratione fieri debeat, si in Ordine, et Instituto Definitores, Assistentes, aliique Consiliarii generales non reperiuntur. Quibus in casibus electio Examinatorum fiat per secreta suffragia quolibet triennio, nec electores teneantur duos Definitores, Assistentes, vel alios Consiliarios Generales inter Examinatores adnumerare.

Art. X. Cum autem Superior Generalis relationem examinis, et Scrutinii, ac enunciatam superius declarationem cum authenticis documentis ad praescriptum art. III. receperit, ipse omnia accurate percurrat, ac per singulas partes expendat, per secretas etiam inquisitiones sedulo investigando, num tenor hujus decreti servatus fuerit, et an adversus candidatum, et primum scrutinium aliqua exceptio inveniatur. Quibus peractis, Superior Generalis praefatam relationem, declarationem, et documenta, ac requisita tradat Procuratori Generali, et saltem aliis duobus Examinatoribus Generalibus, qui cum candidato nullo consanguinitatis, vel affinitatis vinculo conjuncti sint: et quatenus Procurator Generalis non adsit, tribus saltem Examinatoribus generalibus, ut omnia perpendant juxta modum in art. III. designatum. Postea vero indicto die conveniant, et praestito tam a Superiore Generali, quam a Procuratore Generali, et ceteris Examinatoribus, ut supra, juramento, reque matnre perpensa, per secreta suffragia definiant, an approbatio facta in primo scrutinio confirmanda sit, vel revocanda, super quibus omnibus conscientia Superioris Generalis, et Examinatorum graviter onerata remaneat. Tunc autem approbatio confirmata intelligatur, quando ejus favore saltem unum suffragium supra medietatem habeatur.

Art. XI. Si Superior Generalis Romae non resideat, acta, de quibus, in art. III. ad Procuratorem Generalem Romae morantem transmittenda sunt (valde enim expedire visum est, secundum scrutinium Romae fieri), dummodo tamen idem Procurator tres saltem Examinatores generales Romae habeat, vel eos ad Urbem commode vocare possit. Quo in casu quoad praemissa omnia vices Superioris Generalis gerat. Quod si Examinatores generales nec Romae degant, nec commode vocari possint, eadem acta ad Superiorem Generalem, etsi alibi moretur, transmittantur, ut ea peragat, quae in art. III., statuta sunt.

Art. XII. Superior Generalis, sive ipse, sive Procurator generalis secundo scrutinio praefuerit, poterit candidatum ex justis, et rationabilibus causis rejicere, licet fuerit ab Examinatoribus in utroque scrutinio probatus; numquam vero admittere eum, qui fuerit ab Examinatoribus reprobatus.

Art. XIII. Ut vero Candidatus definitive ad habitum recipiatur, praeter praescriptam legem, et formam, cui omnes omnino sese conformare debeat, servanda etiam erunt, quae a Constitutionibus, et Statutis respectivi Ordinis circa receptionem ad habitum ulterius praescribuntur, in ea tamen parte dumtaxat, quae huic decreto non opponitur.

Art. XIV. Superiores quolibet semestri ad hanc Sacram Congregationem Super Statu Regularium

summarie referant, de singulis Novitiis ad habitum receptis, de uniuscujusque aetate, patria, aliisque qualitatibus, et respectivis documentis, nec non de actis confectis pro receptione, deque observatione hujus decreti.

Pars Secunda Decreti.

De lege servanda in admittendis Novitiis ad professionem.

Art. I. Quicumque ex Religiosis, et Novitiis alicujus Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus, de quibus *part.* 1. *Dec. Art.* I. cognoverit, Novitium sui Instituti aliquo impedimento, vel gravi defectu praepeditum esse ad religiosum statum rite assumendum, impedimentum ipsum, et defectum Superiori Conventus Novitiatus, vel Provinciali, vel Superiori Generali manifestare teneatur: Superiores vero denunciantis nomen secretum retineant

Art. II. Prope terminum cujusque trimestris novitiatus Magister Novitiorum Provinciali de agendi ratione cujusque Novitii scripto referat

Art. III. Duobus mensibus ante Professionem, Provincialis, sive per se, sive per alium idoneum Religiosum sibi benevisum, Novitii voluntatem diligenter exploret, an coactus, an seductus sit, quo spiritu ad statum religiosum ductus, an sciat quid agat, an obligationes status religiosi, et regulae agnoscat: secreto audiat tum Magistrum Novitiorum, tum Novitios, necnon Religiosos, etiam Conversos Conventus, seu domus Novitiatus circa Novitium ad professionem admittendum. Quo facto, Capitulum Conventuale ejusdem Conventus, seu Domus convocet, ut Capitulares per secreta suffragia declarent, an Novitius ad professionem admitti possit. Deinceps omnium actorum, et resultantium relationem scripto exaratam propria manu subscribat, quin tamen eos, qui secreto deposuerint, ullo modo in aliquod discrimen adducat.

Art. IV. Hujusmodi relationem Provincialis tribus saltem examinator. Provincialibus comunicet, et condicto die convocet praefatos Examinatores, et Novitiorum Magistrum, et praestito ab omnibus superius enunciato juramento, Magister Novitiorum referat de Novitii agendi ratione in Novitiatu servata, de ejus libertate, vocatione, et idoneitate ad statum religiosum, et declaret, utrum ipse in Domino existimet, Novitium ad professionem tuto admitti posse. Si vero Magister Novitiorum vel ratione distantiae, vel alia legitima causa ad locum scrutinii commode accedere nequeat, transmittat super praemissis relationem in scriptis, illamque juramento confirmet, et propria manu subscribat. Provincialis deinceps, et Examinatores per secreta suffragia definiant, an Novitius necessariis dotibus praeditus sit, ut ad professionem tuto admitti possit, super quo eorum conscientia graviter onerata remaneat.

Art. V. Si Novitius probatus fuerit, Provincialis de omnibus instructum reddat Superiorem Generalem, qui ulterioribus informationibus, quatenus necessarium judicaverit, requisitis, approbationem revocet, vel confirmet, prout in Domino judicaverit, quin tamen unquam permittere possit professionem Novitii, qui ab Examinatoribus Provincialibus reprobatus fuerit.

Art. VII. In iis Institutis, in quibus Provinciales non existunt, sint illorum loco ad effectum, de quo agitur, Superiores Domus Novitiatus.

Art. VII. Si quid ulterius exigant Constitutiones, et regulae alicujus Ordinis, et Instituti in admittendis Novitiis ad professionem, id servandum etiam erit in ea dumtaxat parte, quae tenori hujus decreti minime contraria sit.

Ut autem suprascriptum Decretum quoad utramque ejus partem executioni omnino demandetur, Sanctitas Sua omnibus, ad quos spectat, etiam in virtute Sanctae obedientiae, districte praecipit plenam illius observantiam; et quemlibet Superiorem, cujuscumque gradus sit, et Instituti quantumvis exempti, et privilegiati etiam de necessitate exprimendi, qui, non servata hujus decreti forma, Novitium ad habitum, vel professionem receperit, poenae ipso facto incurrendae privationis omnium officiorum, vocisque activae, et passivae, et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum plane subjicit, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari. Mandat etiam singulis Superioribus, idem decretum quolibet anno in omnibus Monasteriis, Conventibus, Collegiis, et Domibus die prima Januarii, et Dominica prima Julii in publica mensa legi, sub poena privationis officii, ac vocis activae, et passivae ipso facto incurrenda. Decernit insuper, vi cujuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum, et Constitutionum, etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, Institutum, Superior, Religiosus consequeretur, numquam huic decreto, derogatum esse censeri, nisi ei expresse, et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quantumvis amplae apponantur: quod si alicui Instituto expresse, et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi posse vi cujuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum. Tandem Sanctitas Sua, ne hujus decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur, quibuscumque in contrarium facientibus Constitutionibus, regulis, et statutis cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, necnon cuilibet privilegio licet in corpore juris clauso, et Apostolicis Constitutionibus, ac Decretis confirmato, ac expressa, individua speciali, et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscunque, Apostolica auctoritate prorsus derogat, et derogatum esse declarat.

Datum Romae ex Sacra Congregatione super Statu Regul. die 25 Januar. 1848.

Andreas Can. Bizzarri, a Secretis.

Die 6. *Febr.* 1848. *praedictum Decretum offixum, et public.*

Joseph Cherubini Mag. Cursorum.

Post edita hujusmodi Decreta aliquae, ut saepissime fit, exortae sunt dubitationes, quae in consultationem apud Sacram Congregationem super Statu Regularium delatae, iis, quae sequuntur, declarationibus causam dederunt.

Declarationes a Sanctissimo D. N. Pio PP. IX. approbatae ad decreta incipien. *Romani Pontificis*, et *Regulari disciplinae*, a Sacra Congregatione Super Statu Regularium edita die 25. Januar. 1848.

Declarationes super decreto *Romani Pontificis*, ubique locorum servando.

1. An sufficiant testimoniales datae ab Ordinariis per literas privatas?

Resp. *Affirmative.*

2. Utrum sufficiant testimoniales, in quibus Ordinarii non testantur in specie de iis omnibus, quae in decreto *Romani Pontificis* praescribuntur, sed dumtaxat in genere referunt de qualitatibus Postulantis?

Resp. *Affirmative*, sed a Superioribus Regularibus serventur alia de jure servanda ad singulas qualitates Postulantium cognoscendas.

3. Quid agendum, si Ordinarii respondeant, se Postulantes non agnoscere?

Resp. Posse postulantes admitti ad habitum, et Noviatum, si Ordinarius a Superiore requisitus expresse respondeat sese circa qualitates Postulantis informare non posse, quia illum non agnoscit, dummodo tamen testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de jure servanda; et Postulantes antequam ad habitum admittantur, maneant saltem per tres menses in Conventu, ibique diligenter probentur.

4. Utrum Superiores admittere possint ad habitum sui Ordinis postulantem absque literis testimonialibus Ordinarii, quando hic affirmat, non posse eas dare, quia prohibitus ab Auctoritate civili?

Resp. Sufficere testimonium ab Ordinario datum etiam per privatas, et secretas epistolas; sed si Ordinarius a Superiore requisitus testimoniales ob expositam superius causam quovis modo dare renuat, posse Postulantem admitti, supplendo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem.

6. Utrum Superiores possint ad habitum ipsum admittere milites, de quibus Ordinarii affirmant, se non posse in Gallia informare, cum nullos delegatos in exercitu habeant, nec parrocchi ullam de his notitiam habere possint?

Resp. *Affirmative*, si Ordinarius a Superiore requisitus respondeat, se informare ob dictam rationem non posse, dummodo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, ac serventur alia de jure servanda; et insuper Postulantes antequam admittantur ad habitum, saltem per tres menses, maneant in Conventu, ibique diligenter probentur.

6. Quid agendum sit, quando Ordinarii nolunt dare literas testimoniales, non aliam ob causam, nisi quia oppununtur ingressui Postulantis in Religionem?

Resp. Ordinarios, prout in art. 2. Decreti *Romani Pontificis* praescribitur, non posse testimoniales literas denegare: si tamen eas dare recusent, recurrendum erit ad S. Congregationem super Statu Regularium.

8. Utrum in iis Ordinibus, in quibus praeter conversos Laicos, habentur Donati, seu oblati, testimoniales exigendae sint ante susceptionem habitus Donatorum, et Oblatorum, vel potius Conversorum?

Resp. Ante susceptionem habitus Donatorum, et Oblatorum.

8. An sit nulla susceptio habitus sine literis testimonialibus?

Resp. Susceptionem habitus esse illicitam, non tamen invalidam: testimoniales litteras omissas in receptione ad habitum quamprimum obtinendas esse, alias Novitii ad professionem licite admitti minime poterunt.

9. Utrum sit invalida professio, si fiat omissis testimonialibus litteris?

Resp. Non esse invalidam, sed illicitam.

Declarationes super Decreto *Regulari Disciplinae*, in Italia, et Insulis adjacentibus servando.

1. Si Superior generalis alicujus Ordinis, in quo Provinciales non habentur, sit eodem tempore Superior Conventus, seu domus Novitiatus, quomodo se gerere debeat Superior ipse in perficiando primo scrutinio?

Resp. Superior Generalis deputet ad effectum, de quo agitur, probum, et idoneum Religiosum, ut una cum praescriptis Examinatoribus primum scrutinium perficiat.

2. Si aut per obitum, aut per renunciationem, aut alia quacumque causa, numerus Examinatorum Provincialium, vel generalium in parte, vel etiam totaliter deficiat, nec tempus celebrationis Capituli, vel Dietae advenerit, quomodo ad eorumdem Examinatorum electionem procedendum erit.

Resp. Servetur methodus in Decreto. *Regulari Disciplinae.* (*Art.* 3. *et* 4. *in fin. et art.* 7.) praescripta pro electione Examinatorum, qui eligendi erant statim post latum idem Decretum, et ante celebrationem proximi futuri Capituli, vel Dietae; et Examinatores sic electi in officio perdurent usque ad celebrationem proximi Capituli, vel Dietae.

Quae methodus etiam servetur quando ex S. Sedis dispensatione Capitulo, vel Dietae non celebrantur, et electio Superiorum per decretum S. Sedis, vel per schedas fiat

3. In aliquibus Institutis Capitula Provincialia ordinarie celebrantur prope finem triennii, et in praeparationem Capituli generalis, quin in ipsis eligatur Superior provincialis. Quomodo hoc in casu ad electionem Examinatorum provincialium procedendum erit?

Resp. Examinatores provinciales eligendi erunt a Capitulo provinciali, licet illud celebretur in fine triennii, et dumtaxat in praeparationem Capituli generalis. Quod si aliqua vice Capitulum provinciale non convocetur, electio ad consultam provincialem ad hunc effectum convocandam spectabit.

4. An ad officium Examinatorum, sive generalium, sive provincialium ita duo Definitores, vel Assistentes, vel Consultores generales, seu provinciales eligi debeant, ut alii Examinatores ex reliquis Definitoribus, Assistentibus, Consultoribus eligi nequeant?

Resp. *Negative.*

5. Utrum in Ordinibus, et Congregationibus, quae licet habeant Capitula provincialia, tamen Religiosorum inopia laborant, eligendi sint septem Examinatores, vel quatuor tantum sufficiant?

Resp. *Negative* ad primam partem: *affirmative* ad secundam. Ut vero omnis ambigendi causa, quae ex erronea decreti interpretatione originem habeat, auferatur, sciant omnes, ad quos pertinet, in ordinibus tam amplis, quam exiguis sufficere tres Examinatores generales, praeter Superiorem provincialem, ad primum scrutinium, et tres Examinatores generales, praeter Superiorem generalem, ad secundum scrutinium peragendum; et alios Examinatores ad opportunitatem, et commoditatem eligendos esse.

6. In articulo III. Decreti. *Regulari Disciplinae* praescribitur, ut postulantes accedere debeant ad locum primi scrutinii, ut ab Examinatoribus provincialibus personali examini subjiciantur. Saepe saepius accidit, ut hujusmodi examen personale absque notabili incommodo postulantium fieri nequeat, sive ob expensas, sive ob loci distantiam. Quapropter nonnulli Superiores regulares expostularunt, quomodo in hujusmodi casibus sese gerere debeant?

Resp. Provincialis (et in Institutis, in quibus Provincialis non existit, is qui ejus partes juxta decretum adimplere debet) cum tribus Examinatoribus, ad peragendum examen personale postulantium, quando vel ob loci distantiam, vel ob aliam rationabilem causam Postulantem ab accessu personali dispensare judicaverint, possint deputare Religiosum sui Ordinis, quem idoneum revera existimaverint, si examen fiat in loco, ubi Conventus Ordinis reperitur; secus aliquam personam Ecclesiasticam sive ex Clero saeculari, sive ex Clero regulari, dummodo Episcopus loci, vel ejus Vicarius Generalis eam idoneam judicaverit, transmissa Examinatori deputato instructione circa ea, super quibus Postulans examinandus erit (*). Verum Religiosus, vel alia persona ad examen perficiendum deputata transmittere teneatur relationem examinis ab ipso subscriptam, juramento firmatam, quo *profiteatur, sese fideliter munus suum adimplevisse, quacunque humana affectione postposita.* Quibus peractis, Provincialis dictam relationem tribus Examinatoribus exhibere debeat, ut scrutinium, de quo in eodem articulo III Decreti, in reliquis perficiatur, et cetera omnia, quae in Decretis praescribuntur, omnino serventur.

7. Nonnulli Examinatores nimis anxii sunt in praestando juramento, quo declarare debent, *se omnia requisita a Sacris Canonibus, Constitutionibus, et decretis apostolicis* praescripta, *debito modo examinasse*, cum non omnes tuto scire possint, quaenam sint omnia hujusmodi requisita; expostularunt propterea, ut a Sacra Congregatione super praemissis instructio detur, qua tuto procedi possit.

Resp. Juramentum quoad requisita, et examen qualitatum referri dumtaxat ad requisita, et qualitates expresse, et speciatim praescriptas in Const. Sixti V. incip. *Cum de omnibus*, cum moderatione Gregorii XIV. et in decreto Clem. VIII, cui initium *Cum ad Regularem disciplinam*, necnon in regulis, et Constitutionibus respectivi Ordinis, seu Instituti. Et juramento satisfieri, si ea moralis diligentia adhibeatur, quae a viris probis, et timoratae conscientiae adhiberi solet.

8. An Decretum. *Regulari disciplinae* vim habeat in Sabaudia.

Resp. *Affirmative.*

Datum Romae ex S. Congregatione super Statu Regularium die **1.** *Maii* **1851.**

Andreas Bizzarri.
Protonotarius Apostolicus a Secretis.

APPENDIX.

Ut omnes expedite agnoscere valeant qualitates in recipiendis Novitiis a Sixto V. et a Clem. VIII, expresse, et speciatim praescriptas, de quibus agitur in responsione ad dub. 7. (Declar. super Decret. *Regulari Disciplinae*), referuntur articuli Const. Sixti V. cum moderatione Gregorii XIV, et Clem. VIII, qui receptionem Novitiorum respiciunt. Additur etiam ad commoditatem Examinatorum Instructio nunc primum concinnata, cui sese conformare poterunt in examine personali eorum, qui ad habitum admitti postulant.

Articuli Const. Sixti V. incip. *Cum de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus*, edit. an. 1587. kal. Dec. ann. III, Pontificatus.

(*) In appendice legitur instructio ad commoditatem Examinatorum.

« Hac nostra in perpetuum valitura Constitutione districte interdicimus, ne illegittimi procreati ex incestu, aut ex sacrilegio (quorum scilicet parentes consanguinitate, vel affinitate intra tertium gradum invicem conjuncti fuerint, vel quorum alteruter parens castitatem Deo voverat, etiam Apostolica, Imperiali, vel Regia, aut quovis alia auctoritate legitimati, aut natalibus restituti) ad aliquam quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, et non Mendicantium Fratrum, Monachorum, Eremitarum, vel Canonicorum, aut Clericorum Regularium Congregationum, aut Hospitalium Religionem, neque ad habitum, nequo ad professionem regularem, recipi, vel admitti quoquo modo possint.... Sed ne iis, qui humilitatis spiritu, Deo, et Religioni servire, et poenitentiam agere intra Monasteria, vel Domos regulares cupiunt, ad Sanctum hujusmodi propositum via penitus praecludatur, permittimus, ut praefati illegittimi ex dictis incestu, aut sacrilegio geniti ad habitum Conversorum, seu Famulorum in Monasteriis, vel Domibus Regularibus ad servilia ministeria, viliora obsequia, humiles functiones, atque abjecta servitia admitti possint: ea tamen conditione, ut ad habitum Religiosorum, vel ad professionem, quam Religiosi emittere solent, emittendam, nec non ad omnes non modo sacros, sed etiam minores ordines, vel ad Clericalem characterem, denique ad cuncta Ecclesiastica officia, et functiones, et ad adscendendum ad altiores gradus sint eis portae perpetuo clausae, et obseratae ».

« Quoad vero reliquos non ex incestu praefato, vel sacrilegio, sed quovis alio minus legitimo toro natos, spurios, vel naturales etiam, ut praefertur, vel alias legitimatos, qui ob meliorem vitae frugem, Religionem ingredi cupiunt, statuimus, et ordinamus, eos ad Religionem admitti non posse, aut debere, nisi prius illorum vita, et moribus cognitis, et circumstantiis universis, quae circa idoneitatem personae attendendae erunt, consideratis, ac de Religionis zelo, pietate, integritate, et doctrina fide dignis testimoniis adeo commendati fuerint, adeo bonam indolem, et specimen virtutis praeseferant, ac tot merita eis suffragentur, ut defectum natalium suppleant, eorumque receptio universae Religionis commodo, et utilitati profutura videatur. Et super hoc in generali, vel provinciali Capitulo matura deliberatione habita, Generalis, vel Provincialis, Superioris, ac Definitorum unanimi consensu approbati... extiterint. Et tamen hi sic recepti, ad gradus, honores, et dignitates sui Ordinis obtinendas perpetuo inhabiles, et illorum incapaces remaneant, nisi super hoc fuerit Auctoritate Apostolica cum eis specialiter dispensatum ».

« Ceterum quoniam saepe se vitia ingerunt, et se esse virtutes mentiuntur.... Auctoritate Apostolica, et tenore praesentium etiam perpetuo statuimus, et ordinamus, juvenes, aut viros adultos, majores sexdecim annis, non aliter in aliquam Religionem recipi posse, nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria, deque anteacta vita, et moribus diligenter inquiratur, et ex accurata informatione, et fide digna relatione compertum, et exploratum sit, eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut graviora reos, vel suspectos existere, ut propterea damnati sint, aut ne damnentur, formident; neque ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum gravatos, vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, ut ex ejusmodi causa lis, vel molestia iis jam illata, vel timendum sit, ne inferatur. Nisi denique constet, ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum devotionis, et pietatis favore vitam religiosam sponte, et ex animo elegisse... Omnes autem, et quoscunque, ut dictum est, criminosos, vel suspectos, ut etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos ad Religionem perpetuo inhabiles declaramus ».

Constitutio Sixti V. anni 1585. XII. kal. Nov. incip. *Ad Romanum spectat Pontificem*, qua nonnulla dubia super praecedenti Constitutione declarantur.

DUBIUM I.

Utrum Constitutio, ubi de illegittime genitis loquitur, comprehendat etiam eos, qui postea per subsequens matrimonium fuerunt legitimati?

Resp. *Negative* quoad eos, qui nati sunt ex parentibus, inter quos tempore, quo geniti sunt, matrimonium rite consistere poterat.

DUBIUM IV.

Quid intelligatur sub nomine dignitatum, honorem, et graduum, a quibus praefati illegitimi excluduntur?

Resp. Appellatione dignitatum etc. debere intelligi Praepositatus, Abbatiatus, Prioratus, Guardianatus, Custodiatus, Provincialium, et Generalium Superiorum officia, et alia his similia cum honore, et superioratu conjuncta. Ab officiis autem onerosis Lectoris, Confessarii, studiorum, et Sacrae Theologiae Magistri, Regentis, Praedicatoris etc. immo etiam a voce activa, a Sacris Ordinibus suscipiendis, ipsorumque ministerio ipsos illegitimos, dummodo ex sacrilegio, vel incestu geniti non sint, nequaquam arcemus.

Moderatio praefatae Constitutionis facta a Gregorio XIV. quoad illegitimos per Const. incipien. *Circumspecta Pontificis providentia edit. die* 15. *Mart.* 1591.

» Nos igitur ea, quae docuit experientia salubriter fuisse constituta, confirmare, quae vero moderatione aliqua indigere, moderari volentes, ac dictarum Constitutionum, et inde secutorum quorumcunque tenores etiam veriores, praesentibus pro expressis habentes.... praedictas Constitutiones in ea parte, qua cavetur, ne illegitimi ex certo inibi exprese damnato toro, vel complexu ad quamcumque Religionem, neque ad habitum,

aut professionem regularem, sed tantum ad habitum Conversorum, aut Famulorum in Monasteriis, aliisque locis Regularium servientium admittantur: et si post dictam Constitutionem professionem emitterent, voluit illam nullius esse momenti, Auctoritate Apostolica, tenore praesentium ad terminos juris reducimus, et moderamur. Volentes iisdem Constitutionibus, eos, qui quovis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum, et professionem regularem admitti posse, quemadmodum admitti poterant, si supradictae Constitututiones editae non fuissent » (*).

» Ita tamen, ut cum de recipiendis quomodocumque illegitime natis ad habitum, et Professionem Ordinum quorumcumque agatur, ii, ad quos hujusmodi receptio spectat, praeter alia, de quibus ex dictarum Constitutionum praecepto, circa quoscumque etiam legitimos disquirere debent, diligenter eorum vitam, et mores inquirant, et ita demum recipiant, si tamen bonam indolem, et virtutis specimen praeseferant, ac tot eis merita suffragentur, ut natalium suppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo, et utilitati profutura videatur. Et super hoc ipso ii, ad quos, ut dictum est, pertinet hujusmodi receptio, matura deliberatione habita, ita censuerint, et judicaverint, dummodo tamen filius illegitimus in Religione, in qua pater, sive ante, sive post nativitatem dicti filii professus fuerit, ipso patre vivente, non admittatur, quod expresse prohibemus » (**).

Instructiones super receptione, et educatione Novitiorum . . . . jussu Clemen. VIII, editae die 19. Martii 1603.

Cum ad regularem disciplinam etc. (Vide Ferraris *Verbo Novitius*, ubi per totum referuntur Instructiones praedictae). Ceterum, qui articuli in Appendice ex jussu Sacrae Congregationis super Statu Regularium additi sunt, incipiunt a principio, et ad paragraphum quintum inclusivam desinunt.

Instructio pro examine personali eorum, qui ad habitum admitti postulant, sive examen ipsum fiat ab Examinatoribus provincialibus juxta art. III. primae partis decreti *Regulari Disciplinae*, sive ab examinatore deputato juxta declaratoriam ad dubium VI. ejusdem Decreti.

1. Examinatores Provinciales, seu Examinator deputatus interrogent Postulantem de ejus nomine, parentibus, patria, et aetate. Diligenter Postulantis voluntatem exploreat, et praesertim, an coactus, an seductus sit, et quo spiritu, quo consilio, qua ratione ad statum religiosum ducatur, et utrum aliquam cognitionem habeat obligationis votorum, quae deinceps emittere debet.

2. Si recipiendus uti Clericus religionem ingredi postulet, inquirant Examinatores, vel Examinator, an eam literarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam praeseferat, ut minores, et suis temporibus majores ordines, juxta decreta Sacr. Conc. Tridentini, suscipere valeat. Quod si agatur de admittendis ad habitum Conversorum, an saltem praecipua Doctrinae Christianae capita noverint. Quoad omnes vero, et praesertim relate ad Postulantes provectioris aetatis, Examinatores, vel Examinator sagacius, sed prudenter curent odorari, si recte de Catholica doctrina sentiant, prout conditio cujusque personae postulet.

3. Exquirant a Postulante, utrum ejus parentes, vel alter eorum adhuc vivat, quam artem, et professionem exerceant, vel exercuerint, et an adeo pauperes sint, ut filii subsidio indigeant.

4. Exquirant etiam a Postulante ejus conditionem, et statum, an habeat in saeculo media sufficientis sustentationis; si sit aere alieno gravatus; an et quam artem, et professionem exerceat; an alicui religioso Instituto nomen dederit, vel saltem uti Novitius illius habitum induerit, vel Eremitarum habitum susceperit; utrum fuerit inquisitus, aliqua nota, infamia, et irregularitate irretitus, gravi morbo affectus

5. Videant, an Postulans notabili deformitate laboret; utrum aliquod signum valde infirmae valetudinis, vel fatuitatem praeseferat: cetera exquirant, quae in respectivis Constitutionibus ad admittendis ad habitum in eorum personali examine exquirenda praescribuntur.

6. Verum licet ex hujusmodi personali examine, si diligenter fiat, plura agnosci possint, et in scritinio, de quo in art. III primae Partis Decreti. *Regulari Disciplinae*, de eorum personali examine ratio omnino habenda sit, tamen, praeter illud, a Provinciali exquirenda sunt documenta, et informationes, prout in eodem art. III praescribitur, et reliqua omnia perficienda, quae in enunciatis decretis cum suis declarationibus decernuntur.

(*) Gregorius XIV. restituit privilegia Religionibus olim concessa legitimandi etiam ad honores, gradus, et dignitates; Legi tamen Scrutinii non derogavit, sed eam tantum pro aliquibus casibus declaravit.

(**) Clement. VIII, in Const. *In Suprema Ecclesiae* ann. 1602. die 2. Apr. praefatae Sistinae Constitutioni derogavit quoad poenam nullitatis professionum. Sed decrevit, firmam remanere formam scrutinii, et poenas contra Superiores latas. Vide D. Thesaurum de *Poenis Ecclesiasticis*, verbo *Criminosi*, et *Illegitimi*, et integrum textum earumdem Constitutionum.

REGULARES QUOAD VISITATIONEM PARAMENTORUM ALTARIUM ETC.

Ordinariis locorum non competit Regularium paramenta etc. visitare.

SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII DECRETUM.

Congregatio Concilii censuit, Episcopos, aut alios locorum Ordinarios, vigore cujusvis Decreti ejusdem Concilii Trident. nullam habere facultatem quovis tempore in Monasteriis, domibus, et Ecclesiis Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum personarum saecularium, visitandi sacristias, paramenta, vasa Sacra, Altaria, et caetera hujusmodi, aut etiam Tabernaculum, seu pyxidem, in qua Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur. — Apud Quaranta *Summa Bullarii*. Verb. *Privilegia Regularium*, *pag.* 406.

REGULARES QUOAD ELECTIONEM SUPERIORUM

SACRAE CONGREGATIONIS EPISCOP. ET REGULAR. DECRETUM.

Pater Minister Generalis totius Ordinis Minorum S. Francisci cum animadverterit in Capitula praesertim Provincialia abusus aliquot, ut sibi videbantur, contra Decretum Sacri Concilii Tridentini *sess.* 25. *cap.* 6. *de Regularibus*, et Constitutiones Ordinis irrepsisse, atque agnoscens, quantum intersit secundum praescriptam formam electiones celebrari, hanc Sacram Congregationem Negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositam rogavit, ut decem quaestiones, seu dubia, quae sequuntur, declararet, videlicet.

1. An nomine absentium, quorum suffragia in electionibus supplenda non sunt ex Tridentini Concilii decreto, illi quoque intelligendi sint, qui vita functi fuerint?

2. An secuta post ultimam Congregationem intermediam morte alicujus Guardiani, Praeses a Ministro Provinciali Conventui administrando suffectus, habeat vocem in primo Capitulo Provinciali?

3. An Provincialis, et Definitorium possint ante celebrationem Capituli eumdem Praesidem Conventus, vel alium Religiosum in Guardianum eligere, et an post hujusmodi electionem, ejusque publicationem novus Guardianus jus ferendi suffragium in Capitulo Provinciali consequatur?

4. Licebit ne definitorio, vel immediate ante, vel in actu Capituli, substituere Religiosum idoneum in locum alicujus Guardiani, qui vocem activam, vel passivam amiserit?

5. Si quis ex definitoribus actualibus sit etiam Coenobii Guardianus, poteritne duplex suffragium ferre? et si Guardianatu se abdicaverit, poteritne alter substitui, ne ejus vox in Capitulo desit?

6. In iis Provinciis, ubi parvi Conventus, vel Coenobia extant, quae Hospitia appellari solent, poteritne Minister Provincialis decernere, ut Praeses hujus, vel illius parvi Coenobii jus suffragii habeat?

7. Ubi statuta peculiaria vigent, quae Lectoribus Jubilatis numerariis jus ferendi suffragii in electione Ministri Provincialis, et Definitorum Provincialium tribuunt, si quis ex hujusmodi Lectoribus sit etiam Guardianus, poteritne Lector simpliciter Jubilatus ei substitui cum jure suffragii?

8. Si Guardianus a civili potestate suo munere interdicatur, quo se abdicare nolit, poteritne alter ejus vices supplere? Et si idem apud legitimos Superiores munus suum sponte dimiserit, poteritne alter in ejus locum eligi, ut suffragium ferat?

9. Quonam sensu intelligenda sunt illa Decreti verba *ad effectum electionis faciendae*, utrum nempe ad ipsum tantummodo actum electionis, an vero etiam ad electores ante Capituli celebrationem constitutos pertineant?

10. An consuetudo, aut praescriptio possit efficere, ut ratae, et validae sint electiones, quae contra formam Decreti Tridentini factae fuerint?

Itaque S Congregatio in plenario Auditorio die 11. Martii 1836. referente Eminentissimo Cardinali Polidorio, respondit.

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Negative.*

Ad III. Ad quodlibet fraudis discrimen avertendum, non eligantur Guardiani post festum S. Francisci, sed per Praesides regimini Conventuum, ubi opus fuerit, rite consulatur juxta Constitutiones Ordinis.

Ad 4. *Negative.*

Ad 5. *Negative* in omnibus ad utramque partem.

Ad 6. *Negative.*

Ad 7. *Negative.*

Ad 8. *Negative* ad primam partem: ad secundam provisum in tertio.

Ad 9. *Affirmative* quoad utramque partem, quatenus verba Concilii tum ad actum electionis, tum ad electiones ita referenda sint, ut nec mere titulares, nec alii, qui vicem absentium suppleant ad effectum electionis faciendae constitui possint.

Ad 10. *Negative*, et supplicandum Sanctissimum pro sanatione ad cautelam praetensarum electionum, quae contra formam decreti Tridentini factae fuerint.

Et facta de praemissis relatione Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. in Audientia diei 25. Martii 1836. Sanctitas Sua responsiones, et declarationes Sacrae Congregationis approbavit, et confirmavit, et praesens Decretum Constitutionibus Minorum S. Francisci tam Observantium, quam Reformatorum adjungi jussit, sanando ad cautelam electiones, quae usque adhuc aliter peractae fuerint, de quibus proinde nullo unquam tempore dubia, et quaestiones excitari posse districte prohibuit.

I. A. CARD. SALA PRAEFECTUS.

J. Patriarcha Constin. Secretarius.

FINIS TOMI SEXTI.

CONSIGLIO GENERALE DI PUBBLICA ISTRUZIONE

Napoli 11 Settembre 1852 — Rip. Car. N. 68. — Oggetto — Visto la domanda del Tipografo Gennaro Agrelli, il quale ha chiesto di proseguire per conto della Badia di Montecassino, dal fascicolo 44 in poi, *l'opera Canonica Giuridica, ecc. di Lucio Ferraris.*

Visto il parere del Regio Revisore D. Alessandro Gualtieri.

Si permette, che la suindicata opera continui a stamparsi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato, di aver riconosciuto nel confronto esser l'impressione uniforme all'originale approvato.

Il Presidente Interino
FRANCESCO SAVERIO APUZZO.

Il Segretario Interino
GIUSEPPE PIETROCOLA.

Deputato della Curia Arcivescovile per la revisione dei libri Can. G. Gallo — Al Rev. D. Girolamo d'Alessandro per la Revisione. 2 Ottobre 1852 — *Nihil obstat* — Girolamo d'Alessandro Censore Teologo.

